
Digitized by Google

Hist. 2941



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



MEIBOMI! Medicus quo non est doctior alter,
Cui Charis et toto pectore Suada ſedet!
Cui conjuratæ veniunt ad foedera dotes,
Mater et ipsa Salus jungitur Historiæ!
Dic age; namq; potes, Tibi si qua est cura rogantis,
Dic, an Avi referas, an magis ora Patris?
Cunctaris, prohibetq; pudor? Sed erit mihi fortè
Dicere, quod nunquam dixeris ipse mihi.
In Te ſpirat Avus, ſpirat Pater, ipseq; laudes.
Adſcribit patriis nunc quoq; Apollo ſuas.
Sic quæ ſparsa fuit Phoebi, quæ Patris Aviq;,
Cum Tibi tota venit, gloria ſumma venit.

Johannes Nicolaus Pechlinus.

J. Sandrart ſculpſit

Digitized by Google

RERUM GERMANICARUM

TOMI III.

I. HISTORICOS GERMANICOS ab H. Meibomio Seniore primum editos & illuſtratos, nunc auctiores.

II. HISTORICOS GERMANICOS ab Henrico Meibomio Juniore è MStis nunc primum editos & illuſtratos.

III. DISSERTATIONES HISTORICAS varii argumenti utriusque Meibomii continet.

Cum Indicibus copioſiſſimis

Omnia recenſuit & edidit

HENRICUS MEIBOMIUS Junior.

Syllabus Operis pagina abhinc decima ſeptima extat.



HELMÆSTADII,

Typis & Sumptibus Georgii Wolffgangi Hammii, Acad. Typogr.
Anno M D C LXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ

DVCVM BRVNSVICENSIVM ET LYNÆBVRGENSIVM

DOMVS

PRINCIPIBVS

REGENTIBVS OMNIBVS

PATRIÆ PATRIBVS

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS

HISTORICVM HOC OPVS SACRVM ESSE

VOLVIT DEBVIT

HENRICVS MEIBOMIVS.

Digitized by Google

HIſtoricum hoc Opus, CLEMENTISSIMI DOMINI, cum avita, tum mea opera, dum in clientela & ſervitio SERENISSIMÆ DOMVS VESTRÆ uterque viximus, in publicam lucem nunc productum, non aliis debebatur, quam Vobis: Non certè ſine piaculo aliis à me poterat offerri. Nec argumentum ad ullos propius ſpectat. Nam & in plurium Saxoniæ Epiſcopatuum hiſtoria occupatur, quibus è DOMO VESTRA frequenter Antiſtites ſumma cum laude præfuerunt, hodieque OSENBRVGENSEM ita per ſex penè luſtra regis & gubernas, ERNESTE AVGVSTE, ut maximas inter belli difficultates, devaſtatis & exhauſtis vicinis provinciis, non

alte-

alteri fortunam & ſalutem ſuam incolumis debeat, nec alio magis Præſule gloriari ad poſteros queat, amore, cultu & obſequio Tibi devinctisſimus. Præterea in eo exponuntur Saxoniæ civiles res: Saxoniæ potisſimum noſtræ, quam Inferiorem dicimus, cujus amplisſimi Ducatus Veſtri pars præcipua ſunt, cujusque ſaluti & libertati defendendæ publico quoque nomine DVX datus, GEORGI WILHELME, nihil prius, nihil antiquius habes, quàm, ut ea, finibus ubique tutis, libero Albis Viſurgisque fluxu, priſtinum honorem, dubia inter Germaniæ fata, tueatur. Multa quoque ſeorſim de Monaſteriis explicantur, quorum Vos, RVDOLPHE AVGVSTE, & ANTONI ULRICE, pleraque posſidetis, &, mutata licet nonnihil antiqua facie, ſacræ doctrinæ & pietatis ſtudia in iis pie & benigne conſervatis. Omnis vero penè pagina Majores & Cognatos veſtros loquitur, OTTONES etiam, & LOTHA-

RIOS AVGVSTOS: Quin in eruendis HERMANNI BILLINGI natalibus, in HENRICI LEONIS, qui à fortuna aliquando, à ſe ipſo deſertus nunquam, hiſtoria candide exponenda, in OTTONE Cæſare contra Romanæ Curiæ aſſeclas defendendo, in FRIDERICI in Cæſarem electione aſſerenda, toti ſæpe libri occupantur. Vtinam tantum, quanta Majorum Veſtrorum pietas, fortitudo, potentia, & auctoritas fuit, tantam idonei Scriptores ad eas poſteritati narrandas, æquatis cum rei magnitudine cogitationibus, diligentiam attuliſſent! non cogeremur nunc ex rudibus & laceris Annalibus centones Hiſtoricos conſuere, & quaſi per umbram & nebulam, quæ facta ſunt, oſtendere potius, quàm ipſis oculis clarè exponere. Cui tamen rei, ut magna virtus debitam laudem apud poſteros eruditorum opera inveniret, proviſum deinde eſt. Uti enim nunquam non Heroicis actibus & belli gloria Orienti & Occidenti

nota

nota fuit DOMVS VESTRA; ita ultimis his ſeculis Muſarum etiam generoſo patrocinio inclareſcere voluit, &, ut in Saxonia, ſuisque terris, præter ſincerum Dei cultum, optimæ artes & recta ſtudia florerent, magnis impenſis procuravit. Non deſunt quidem hodieque, qui Heroibus illis Germanicis, OTTONIBVS, LOTHARIO, HENRICO MAGNANIMO, HENRICO LEONI, WILHELMO VICTORIOSO, HENRICO JVNIORI, GEORGIO, paria facta ſua opponere posſint: nec tantum Albis, & Viſurgis, aut Rhenus, & Móſa, & Moſella victoriarum veſtrarum teſtes ſunt; ſed Danubium & ipſum Orientem, ut milite, ita victoriis Veſtris impleviſtis, & Turcarum Imperatoris vires in Hungaria & Peloponneſo inter primos fregiſtis, vincereque Chriſtianum exercitum & vinci Barbaros docuiſtis, vi armorum & fortitudine Ducum, quos inter FILIOS VESTROS eſſe

voluiſtis, in juventute adhuc ſenibus Heroibus æquiparandos, & ad ſumma ante ætatem nitentes, magnorum quorundam fluviorum inſtar, qui in ipſo pene ortu magni ſunt. Non ſola tamen armorum gloria cenſeri vultis, ſed, ut ex gente Veſtra ſub LOTHARIO AVGVSTO Leges Romanæ florere paſſim cæperunt; HENRICVM LEONEM Jus Lubecenſe, per Arctoum orbem totum receptisſimum, auctorem habet; per ERNESTVM, JVLIVMQVE vera relligio & recta ſtudia in his oris ſedem fixerunt: ita hodieque Vos, ut non tantum arma tutandæ Patriæ in promptu ſint, ſed, omnis bonæ doctrinæ procuratione feliciter ſuſceptâ, ut relligio, leges, ſtudia, in ſanctitate, æquitate, & rectitudine floreant, Reipubl. commodo & ornamento, prudenter operam datis. Dum igitur Saxoniæ libertatem ſuam conſervatis, ea animi magnitudine, quæ antiquisſimos Germaniæ Duces, Regio ſanguine ortos, decet: dum in Du-

catibus

Digitized by Google

catibus Veſtris ampliſſimis, in civibus Veſtris ſumma prudentia, æquitate, & clementia regendis optimorum Principum munus omne impletis: Non minus optimas Artes & recta ſtudia, ſacra & profana, in Academiis Scholisque Veſtris doceri facitis, nihilque illis vel præſidii, vel ornamenti, nihil ad rectam felicium ingeniorum culturam, deeſſe ſinitis. Et idem ſperare de Veſtra Poſteritate, non præſagio aliquo amplius, aut voto, ſed ipſis quaſi oculis intueri, & jam gratulari eo nomine Patriæ licet, dum pari conſiliorum & gloriæ curſu ad excelſiſſima virtutum Principalium faſtigia tendunt.

Vivite igitur felices, OPTIMI PRINCIPES! vivite in ſeros annos! ut Veſtro beneficio Patria & Saxonia univerſa, non libera tantum, & ſarta tecta, & ab omnibus hoſtilibus injuriis tuta, ſed & legibus intus firma, & florens, & bonis artibus cultior, & erudita, Vobis Nutritoribus, maneat. Vivite

Digitized by Google

vite concordes & unanimes: cognatione ſanguinis, conſiliorumque ſocietate & rectitudine juncti, ejusdem Domus Principes, ERNESTI PII pronepotes omnes, nexi ſanguine, nexi mutuis iterum conjugiis, nexi animis: contraque hoſtes armis, inter Vos pugnate amore, ad ſalutem & decus & ſplendorem Saxoniæ Germaniæque univerſæ, in invidiam & admirationem Orbis Europæi!

Helmæſtadii in Acad. Julia. Kalendis
Martii A. CIƆ IƆC LXXXVIII.

HEN-

Digitized by Google

HENRICVS MEIBOMIVS Junior

LECTORI S. P.

FUit ea ſuperiore ſeculo Germaniæ noſtræ felicitas, ut reſuſcitatas alibi, in Italia cumprimis, litteras artesq; omnes incredibili ſtudio & amore complecteretur, acceptasq; brevi ſpatio ita excoleret, & augeret, ut non alibi magis florerent. Id quod tot ſcriptores antiqui, è pulvere & ſitu Germanorum diligentia eruti, & priſtino nitori reſtituti, totque Græci ſcriptores magna doctrinæ & induſtriæ laude Latinè verſi, abunde teſtantur, & futuris ſeculis teſtabuntur, nunquam labefactanda primæ operæ gloria, etiamſi deinde, inventis aliquid addere promptior, nitidiora & elegantiora omnia reddiderit poſteritas. Neque vero vel Græcis Latinisq; priſcis Scriptoribus tantum, vel ſanctis Patribus, vel iis, qui artes & ſcientias tradidiſſent, vel utraqve lingua ingenij & eloquentiæ ſuæ vim in Hiſtoria vel orationibus oſtendiſſent, manum admoverunt, ſed Patriæ quoque ſuæ & rerum domeſticarum Scriptores, in Monaſteriorum Bibliothecis cum tineis & blattis certantes, undecunque conquiſitos, laceros licet interdum & imperfectos, barbarosque ut plurimum & inelegantes, ediderunt, illuſtrarunt & emacularunt. Enimvero, quid juvat noſſe omnes Græcorum & Romanorum Hiſto-

rias,

Digitized by Google

rias, terrarum ſitus, incolarum mutationes, priſcos ritus, ſi in patria tua hoſpes, & ibi ſemper puer ſis? ſi nihil vel antiqui moris, vel priſcæ ſimplicitatis & candoris, vel ſanctarum patriæ tuæ, prima inter cunabula, legum, ſi nihil mutationum vel in melius vel in pejus circa publicas privatasque res factarum, ſcias aut intelligas? Obſervarunt illam non jucunditatem tantum & elegantiam, quæ ex Patria Hiſtoria naſceretur, ſed utilitatem quoque literati: quam maxime autem illi, qui ad clavum Reipublicæ, caligine magna res involvi, niſi prioris ævi Hiſtoria eam diſcutiat, prudenter animadverterunt. Ipſi AVGVSTISSIMI CÆSARES ex AVSTRIACA DOMO, Germaniæ reſtaurandæ cælitus dati, ut Patria Hiſtoria excoleretur, generoſo animo operam ſemper dederunt, magnisque ſumptibus, qui id agerent, conquiſitis undique Annalibus Patriis, aluerunt, foveruntque. Quorum AUGUSTORVM nobile exemplum ſecuti Germaniæ Principes, faciles quoque ſeſe præbuerunt & benignos ſtudiis Hiſtoricis fautores: quin privati quoque, nullis publicis ſumptibus adjuti, Patriæ amore, nulli vel labori vel operæ in ejus hiſtoria illuſtranda pepercerunt. Unde factum, ut quamvis nec in Italia, nec in Gallia, nec in Anglia, nec alibi deeſſent, qui ſuæ Patriæ, editis eorum Scriptoribus, conſulerent, Germani tamen, excuſſis omnibus bibliothecis, pleriſque palmam dubiam facerent. Quos quidem omnes, ut enumerem, eruditis notiſſimos, aliis facile inveniendos, ſupervacaneum arbitror. Quidam tamen, qui noſtro hoc, quod vivimus, ſeculo, magna cum laude id egerunt prætereundi non videntur, *Velſeri, Freheri, Goldaſti, Caniſii, Lindenbrogii, Lambecii*, de poſteritate patriaque meritiſſimi. Saxonica tamen Hiſtoria ſeriùs parem cultum, editis ejus Scriptoribus, accepit. In hac Academia Julia fundator ejus D. JULIUS, Sereniſſimique Brunſvicenſium & Lyneburgenſium Duces, Succeſſores ejus, Hiſtoriam Patriam diligentiſſimè tradi voluerunt, eaque de cauſa liberalibus ſtipendiis aluerunt *Reinerum Reineccium* & *Henricum Meibomium*, avum meum, quorum uterque nulli fortaſſis priorum meritis inferior, Hiſtoricos Germanicos, publicè antea nunquam viſos, pauciſſimis lectos, candore non minore quàm diligentia, ediderunt, & ita ediderunt, ut additis præfationibus, notis, & emendationibus,

obſcuros

Digitized by Google

obſcuros illuſtrarent, vitio ævi corruptos corrigerent, ſuumque nativum decus ſingulis redderent. Et ut de Avi mei opera nunc tantum dicam, ita placuit eruditis, ita ad guſtum ſeculi fuit labor ejus, ut quicquid ederet Scriptorum, ſubito diſtraheretur, iteratamque editionem uno ore poſcerent harum rerum intelligentes Viri. Quorum deſiderio & publicæ utilitati conſulturus, Primo hoc Tomo omnes ab Avo editos & illuſtratos Scriptores collocavi; in Secundum vero Rerum Germanicarum & Saxonicarum imprimis Scriptores pluſculos, nunquam antea editos, optima fide & diligentia ex MStis expreſſos conjeci, non minora mihi de eruditi ſeculi favore pollicitus. Si enim labore hoc non male meritus de publico dicar, nec male de Patriæ Hiſtoria, abunde contentus ero, ſolaborque me illo Symmachi, qui quodam pacto in ſocietatem laudis aſſumi credit eum, qui aliena bene dicta primus enunciat.

Non vero edidit tantum aliorum labores Avus meus, ſed etiam, quomodo quis iis rectè uti, conferre inter ſeſe, & cum cujusvis generis aliis priſcis monumentis, & verum eruere, maturo judicio, debeat, non uno exemplo oſtendit. Cum enim antea plerique in rebus Saxonicis ſola fere *Alberti Crantzii* auctoritate niterentur, nihilque in patria noſtra geſtum, quod non in ejus Saxonia, & Metropoli, abunde & rectè explicatum eſſet, crederent, Avus meus partim ad veteres illos, quâ editos, quâ ineditos Scriptores, ex quibus *Crantzius* ſua, ſed non ſemper æquè bona fide, hauſerat, ſe contulit, partim Pontificum Bullas, Regum præcepta, priorisque ævi ſuperſtites tabulas ipſe inſpexit, verumque eruere allaboravit: quibus Diſſertationibus varii argumenti, Chronicisque Tertium Tomum implevi: ex quibus diligentia ejus & in examinandis circumſtantiis & inquirenda veritate, citra præjudicium, ſolertia & judicium apparebit. Qui enim minore labore in Hiſtoria, Patria præſertim, aut minore ingenio judicioque verum erui poſſe, quàm in Artibus aut Scientiis exiſtimat, næ ille de re, quam non intelligit, & quaſi cæcus de coloribus, judicat. Styli interim parvam rationem habuit Avus meus: quin non diffiteor, cum omnia barbari ævi fimeta excuſſerit, ejus dictionem interdum

 aliquid

Digitized by Google

aliquid trexiſſe limi. Ipſa quoque Scriptorum verba, utut parum elegantia, tabularumque antiquarum barbaras locutiones, conſultò maluit retinere, quam mutatis verbis, paraphraſi latiniore explicare, plus veritati & perſpicuitati, quam nitori ſermonis & æqualitati ſtyli dandum prudenter ratus, cautiorq́ue redditus exemplo Johannis Aventini, in quo id jure reprehendunt eruditi.

Sed non lubet nunc plura præfari, nec de mea opera in his Tomis publicandis, factisque ubivis acceſſionibus & Indicibus copioſiſſimis aliquid monere, cum ante oculos manusque omnia ſint. Subjungam tantum duas celeberrimorum in Germania, imo tota Europa virorum Epiſtolas, alteram *Johannis Caſelii* ad Parentem meum, *Hermanni Conringii* ad me alteram, de ſtudiorum circa Patriæ Hiſtoriam utilitate utramque: dein CL. JCti & Polyhiſtoris *Conradi Rittershuſii* carmen, ad Avum meum, alterumque CL. *Martini Schoockii* ad me & denique *Syllabum omnium Operum* his tribus Tomis contentorum.

Vale, & ſtudiis meis fave.

JOANNI

JOANNI HENRICO MEIBOMIO,

doctiſſimo & humaniſſimo juveni,

S. D.

JOAN. CASELIUS.

IN pluribus tui diligendi cauſis, JOANNES HENRICE MEIBOMI, & omnium prima, hæc eſt, & cum primis neceſſaria, quod CL. V. HENRICUS MEIBOMIUS, pater tuus, me tibi primo natu filio, primum hunc ſolem adſpicienti συνεπιμελητὴν, *de more delegit, cum tuo nomine nomen tuum Salvatori daremus. Etenim ille notitiam noſtram, quæ inter nos è communibus literis & collegii principiis recentior eſſet, novo certioreque vinculo confirmatam, migrare in arctiorem amicitiam tum voluit. Sedulo enim & conſtanter hoc agunt viri boni, ut quæ ſemel ex virtute, aut non falſa virtutis opinione coaluerit benevolentia, omni ratione & perpetuis ſtudiis creſcat & ſtabiliatur. Hoc vero etiam animo, & ipſemet fui ab initio, in quo cum laudata pertinacia perſeveraverim, à me deſciſcere hac ætate nunquam potero: ac profecto ita ſentio, nihil eſſe privatim jucundius, nihil publicè ſalutarius tali bonorum conſpiratione, quos ſapientiæ ſtudia potisſimum devinxerint: de quo & ſapientum monumenta & divina oracula nos pasſim erudiunt. Verum ego de te ad te principio hujus epiſtolæ potisſimum loqui volebam, & inſtitueram, quod rectè à me fieri, vos quoque cenſeatis. A puero autem me ingenio & modeſtia tibi porro devinxiſti: modeſtiam probaſti nobis probitate morum, ingenium diſcendi deſiderio & profectu in litteris: neque ego deſideravi in te mei obſervantiam, tu quoque facilè ex omnibus ſignis amorem in te meum, à paterno ſecundum perſpexeris. Cura autem ſingularis erga te, neque à me requiri potuit, quæ etiam ſupervacanea videri poterat, cum & pater moderaretur ſtudiis tuis, & ipſe cupide magnoque ſtudio audieris doctisſimos in omnibus partibus ſtudiorum ſapientiæ, qui veritatem, non opiniones, ſectarentur. Nec pœnitebit ejus operæ, quam ſingularem & multam dediſti CORNELIO MARTINO noſtro. Etſi autem præceptis & cohortatatione ad te mea tibi nunquam opus fuit, tamen collaudavi te ſæpius, quod eſſe pro illis potuit, & debuit, & fuiſſe ſuſpicor: neque hodie alia re opus eſt, niſi, ut non incognitam vobis benevolentiam, non tam tibi, quam aliis aperiam: ad quam rem hanc mihi ſumpſi occaſionem, quod pater tuus mihi his diebus, ſuam de Irmenſula lucubrationem legendam miſit, quam propediem publici juris facturus videretur, depromptam ex hiſtoria Germaniæ Saxonica, non novam, niſi dicas plures hiſtorias. Plures enim ille libros, alios in lucem editos, alios in bibliothecis hactenus latentes, multis annis, longo difficilique labore evolvit, non tam ut de majorum idololatricis cultibus erudiremur, quam gauderemus, & DEO benignisſimo gratias*

ageremus,

ageremus, qui in Germania, abolitis impiis ritibus, lucem cœleſtis veritatis ante aliquot ſecula accendiſſet, qua in hunc diem quoq; fruimur. Ab annis jam pluribus laudem promeretur pater tuus ea arte: quæ ipſi laurum & nomen abſque invidia peperit, qui & juventuti poetas interpretaretur & ipſe veterum ſcriptis paria pangeret. Magnum illud eſt, & ſapiente viro dignum, docere minores rationem vitæ hominum, & eos ſimul moribus, & conſiliis inſtruere: quod pollicentur & præſtant priſci primi perelegantes ſcriptores, quos ſive vates ſive poetas dixerunt: qui ſcilicet eſſent pro ſapientibus, vel ſapientes ipſi: hoc olim quoq; ad patrem tuum me ſcripſiſſe recordor, ſingulari tum honore ab Imper. RVDOLPHO II. affectum: tu quoque illa aliquando legeris: non novum, ſed à pluribus viris doctis non minus luculentè traditum. Ejusdem artis erat ſecundum officium, ut præclara ſcriberet, de rebus eximiis, & virtute præſtantes præmio laudum liberaliter afficeret. Sed carminum nominatim recenſionem inſtituere nihil attinet: neque hic fieri poſſit aut debeat: quantum jure tribuat Mynſingerorum familiæ, inter familiares proximè celebratum fuit. Illud autem & ipſe ſi non cultis verſibus, at oratione, ſoluta numeris, ſæpe neque prorſus negligenter ſecutus fui. Poetarum ſanè eſt ſapientiorum, ut Siculus ille cecinit: ὑμνεῖν ἀθανάτυς. ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν & hoc unumquemque decet, qui nomen ſuum in bonis ſcriptoribus haberi velit. Alterum verò etiam meretur laudem, nec illa minorem, neque priori adverſariam, poſtquam hiſtoriæ quoque ſtudio ſe immerſit altius, non ſolum ut doceret publicè, ſed etiam CL. Reineccii ſucceſſor, eruta è tenebris multa publicaret. Docere res geſtas omnium ſeculorum & gentium, & interpretari, ut hiſtoriæ finem percipiant auditores, ſive ad ſe emendandos ſive ad depromenda conſilia vel ſuis, vel aliis, vel patriæ, (nam qui neutrum ſpectet, ut verborum imbres effundat, non docet tamen) magnum profectò eſt, tum quod non cujusvis, tum quod nihil in vita utilius. An enim facilè, habere in memoria temporum quaſi omnia momenta, & univerſi orbis terrarum ſitum? & oſtendere, quæ cui uſui ſint? Hæc qui noverit, quæ principio & ante lectionem vel ſub ipſam ſcire neceſſe eſt, ſibi vel ipſe interpres erit, illius generis rerum omnium: etſi neque alterum negem, qui magiſtrum audit, eum magna felicitate plurimum proficere, etiam brevi: quod regum & fortunatorum filiis ex uſu eſt: quo bono niſi utantur, neque forte unquam, nedum ſubjuventam in tot tantarumque rerum cognitionem penetrent, quorum non paucos novimus, de multis, magnis, & abſtruſis rebus, quàm eruditisſime differentes, quarum unaquaque certum hominem poſtulare videatur. Sed de hiſtoriæ interpretatione hic diſſerere, plus loci non eſt, quam de altero, quod prius obiter attigi. Sed neque dicam de ſcriptione hiſtoriæ: quid enim? qui non doctum, ſed prædicatum collegæ labores, ſive tantum probatum, veniam, ut alii cognoſcant, quid

ſuper

Digitized by Google

ſuper hoc inſtituto ſentiam ipſe, ſive quid ſentiendum ſit, diſcant minores. Si enim paternas laudes ad filium perſequi inſtituam, non erit nemo, qui hoc carpat, neq; velim apud vos in ſuſpitionem venire: neque videri veniſſe apud quemvis alium. Illud autem ſcribendi genus, quo in obſcuro latentia in apertum proferuntur, eſſe arbitror, qui improbet, neminem: nec fieri poteſt, niſi quis ignorare quam plurima velit, noviſſe ſingulare quidquam nolit. Noſſe autem cum alia remotisſimorum & ſeculorum & populorum, jucundum ſit, tum domeſtica & patria in conſpectu habere jucundisſimum eſt, etiamſi fructus alius non accedat, qui in capiendis conſiliis eminet maximus, dum vicina cum vicinis comparamus, proxima à proximis potius petimus, quam ex altero, ſive ſeculo, ſive orbe. Præclare mereri tum de patria, tum de aliis exiſtimandus eſt, qui hæc inveſtigat, colligit & nobiſcum communicat, quamvis incredibili labore, & nunquam interquieſcente opera. Multa vero etiam, præter hoc accuratum opuſculum, ante hac edidit, huc facientia, pater tuus, & quidem pridem, notas ad Sleidani de quatuor monarchiis librum, non mihi tantum aut paucis ſolum probatas, ſed acceptas pasſim gentium ab omnibus hiſtoriæ ſtudioſis, ut exempla toties operarum induſtria multiplicata, etiam num deſiderentur: acceſſere poſtea Coſmodromium Gobelini perſonæ, & Chronicon Riddagshuſanum: ipſe etiam edidit præterea utilem & neceſſariam lucubrationem hiſtoricam, qua erudiretur collegium quoddam jurisconſultorum in ſuperiori Germania, cum non ſatis de negotiis edocti, nec omnibus explicatis & cognitis tuliſſe viderentur ſententiam, quæ tamen absque veritate antegreſſa hiſtoria, in univerſum nulla eſt: ſed & alia nobis oſtendit, quæ in memoria nunc non habeo: his etiam diebus jam typis expreſſa, legenda mihi miſit quorum noticiæ cumprimis uſum ament ſacris initiati: multa penes ſe habet plus etiam, quam inchoata, quæ publicari quàm primum omnes velimus, & familiares flagitant: duas autem decades ſcriptorum, non publicatorum hactenus, prope diem in lucem proferet. Hanc autem ego laudem HENRICO MEIBOMIO patri tuo nemini invidens, optimis ex animo favens ultro tribuo. Fecit enim plusquam ego in me non ſuſcipiam, nedum perſequar; initio conquirere tam varia monumenta magnæ curæ eſt, majoris legere, maxima divinare inter legendum, de ſingulis ſæpe litteris, ecquanam, quid ſibi denique velint: difficilius atque laborioſius, conferre inter ſe omnia exiſtimare de ſingulis, repudiare inepta & falſa. Inde autem plurimum emergit boni, nempe veritas, quæ prima virtutum hiſtoriæ eſt. Certe enim, dum multa deprehenduntur & notantur falſa, vel verum ipſum apprehendimus, vel quod maximè veriſimile: cujus rei penès prudentem lectorem ut plurimum cenſura relinquitur. Eam rationem in hoc quoque monumentò ſecutum video, quam velim, ipſum porro, & alios, hiſtoriæ ſtudio eo fine incumbentes, ſequi. Multum certe accedat lucis veritati hiſtoriæ, etiam nova lux affulgeat gravisſimis deliberationibus. Namque etiam in

iis,

Digitized by Google

iis,qui mea ætate res geſtas mandavere litteris,non uno loco aberravere: neq; de iis loquor, qui vel cauſſis ſerviendum duxere, vel hominibus: hi namq; perperam in hiſtoricis cenſeantur: ſed qui cum ſtuderent omnia veriſſimè perſcribere, ut ſeſe haberent, ipſi rei omnibus ſatisfacere non potuerunt, etiam in perpetua accuratiſſima inveſtigatione, ſive in Italia, ſive in Gallia, ſive in Germania ſive in Belgio, aut ubicunq; in orbe noſtro ſcripſerint ſive enim ego certos ſive unum notem atq; alterum. Quod autem neq; minuta negligit quæ fortè contemnant aliqui, idem quoq; in laude ſcribendi prudentiæ pono, à doctiſſimo quoq; Romanorum Varrone frequentatum ſingulari ſtudio minutias dictionum haud negligendas ratus. Originibus enim perſpectis, res etiam ipſæ intelliguntur certius. Ego cum præter ea, quæ ante dixi, & hoc conſilium probem, expecto, ut plura ejus generis, & pridem cœpta in publicum proferat, quibus illuſtretur hiſtoria, & academia Julia. Namq; magna veraq; laus eſt cujusq; academiarum, ſi quisq; in quo præſtat maximè, non interpellato altero, ſed collegæ, ubi queat, aliquid opis ferat. Illud qui faciat quantam poteſt, ſymbolam ad tranquillitatem vitæ hominum, veluti ad epulum maximæ panegyreos, debitam confert. Hoc pro argumento habeam doctrinæ & virtutis eximiæ, & perpetuæ concordiæ inter academias: cujus etiam ſententiæ eſſe univerſos collegas minimè dubito: hanc etiam ad te epiſtolam, libenter leget pater tuus, meæ in te benevolentiæ certo indicio: potius ut tibi de initio ſapientiæ & virtutis ſpatio gratuler, quam ut te cohorter; etſi quoq; equo currenti aliquando calcaria addimus: timidior, interdum ipſe ſum qui perperam currentes teneam, interdum lentior, illis volantibus frænum injiciens. Cum autem, JOAN. HENRICE MEIBOMI, Græcas & latinas literas ab adoleſcentia perdidiceris, nulla etiam neglecta parte ſtudii ſapientiæ, ipſe te in omnibus confirmabis, quod in promptu habes, & perficies, quod tibi erit perpetuum. Hoc namq; nemini noſtrum intermittendum quoad ſpiritum ducimus. In altero ſtudio nobiliſſimo & ſaluti hominum neceſſario, magiſtros rectiſſimè audies & tutiſſimè, & diſciplinarum, quæ in vita hominum uſum habent, ſummæ atq; lectiſſimæ, tantum tribues & diligentiæ, & temporis, quantis omnino opus eſt quod juveni ſummi ingenii, & bona valetudine prædito, non usq; adeò erit difficile, quàm neceſſarium: quorum hoc aſſeverat ipſe magiſtrorum veſtrorum princeps, in operum veſtibulo, ubi non diſſimulat artem eſſe longam, ut ipſemet loquitur. Sed neq; hæc ego te doceo, in quibus tibi conſtes in perpetuum, velim, omni ſtudio ſectantem & arctiſſimè amplexantem porro in omnibus, vera & perfecta, quoad ejus fieri poteſt, uti facis à prima adoleſcentia. E veritate namque emergunt, ſive exoriuntur, & juſta & recta & ſalutaria unicuiq; & generi mortalium: atq; hæc eſt immutabilis εἱμαρμένη, ut à primo ſummoq; patre ab æterno initio ſancita eſt. Vale. Helmſtad. in acad. Jul. IV. Id. Mart. M DC XII.

HER-

HERMANNVS CONRINGIVS
S. P. D.

HENRICO JOAN. HENRICI F. HENRICI N. MEIBOMIO,
Juveni virtute & doctrina eximio ſummæque exſpectationis.

MAgno diffuſoque ingenio erat quem nomine refers Avus tuus, Præſtantiſſime Meibomi, & judicio acri ac limato. Valebat enim cum pangendi carminis, Heroici præſertim, ubere quadam & prompta facilitate, tum peritia antiquitatis Germanicæ inſigni, Saxonicarum rerum & quidem cumprimis viciniæ omnis planè incomparabili. Simul in communi vita erat commodus, jucundus, nemini non acceptus, adhoc domus ſuæ curator diligens. Talem ſanè illum deprehendi in hac Julia jam ante quadraginta propemodum annos, & ego; cum ille jam admodum ſenex eſſet, ego autem vix ephebus, ejus vim poëticam verò & hiſtoricam, quæ poſteritati reliquit, ſcripta complura omne in ævum commendant, quamvis ſola illa quæ ipſemet in vulgus publicavit ſpectemus, nec in doctrinæ teſtimonium ea quæ nondum lucem videre adferantur. Eo factum ſanè, ut ſæpenumero doluerim, imo graviter ſim indignatus, cum multa editu digniſſima Avi monumenta in ſcriniis deliteſcere, tum quæ ſunt edita, illa jam dudum huc illuc ita diſtracta eſſe, ut nulla eorum in librariis tabernis exempla reperire ſit. Nec fecere non idem mecum, quotquot ſaltim inſpexerunt operum Avi indicem, qui nono hinc anno patris tui, V. item Clarisſimi & Medici χαριέντως cura, Marienthalenſi Chronico additus, & nunc abs Te iterum productus eſt: quamvis non omnia in eo ſint recenſita, qualis utique eſt *Chronologia* ſive Annotatio temporis & ſeries rerum in Chronico Hieroſolymitano deſcriptarum: quam illi Chronico anno ſeculi ſuperioris octuageſimo quarto ſubjungi fecit Reinerus Reineccius, ſummus ſeculo illo polyhiſtor & æternum Academiæ hujus Juliæ decus. Vehementer ſcilicet incenſum eſt deſiderium operum Avi omnium catalogo iſtoc, in animis cum intelligentium rem poëticam, tum præcipue eorum, qui didicere medii temporis, hoc eſt ejus quod fere à Carolo Magno incipit, Germanicas res ex obſcuris latebris erutas, ſuo pretio æſtimare. Quod qui non poſſunt, illos nec idoneos Imperii Germanici ejusque partium magnis negotiis curandis, nec multum liberalis ingenii eſſe, equidem pronunciare haud dubito. Ita ſcilicet res ſeſe habet, Eximie Meibomi: plurimos videas in populo etiam noſtro quos nulla capit hiſtoria; multos qui faſtidiunt Germanica omnia, illa maximè obſoletiora & quaſi caſſa, impenſe nihilominus ſtudentes hiſtoriis priſcis ſed Romanarum Græcarumque gentium. Quis illos autem Hiſtoriæ omnis contemptores dixerit, liberali ingenio natos? quis gerendis magnis rebus pares? Quam

 longe

Digitized by Google

longe aliter componere, ſaltim otium, ſi quod ſibi ſupereſt, ſoleant animi vere ingenui, quamque illi ſoleant omnia hiſtoriæ genera, quandocunque licet, ſectari, id nemini temere eſt ignotum. Nec eſt qui ignoret, quanta ad prudentiam gerendæ reipublicæ, ſive parandam ſive exercendam, vis ſit Hiſtoriæ; illam ſcilicet hac ſine haberi non poſſe. Itaque illud quidem hominum genus, tanquam alienum ab ingenua mente, & ſervilis ordinis, ſive eos honorum ſive opum ſive voluptatum cupido ſive denique iners otium mancipes effecerit, non eſt quod alii morentur; quibus ſane

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Videntur autem mihi, ceu modo dixi, nec illi ſatis ingenuo præditi animo (de Germanis noſtris nunc loquor, non alterius terræ hominibus) qui ita peregrinis intenti ſunt, ut priſcas patriæ res negligant, vel elatis quaſi naribus ſuſpendant. Non ſane in hoc ipſo ad exemplum Græcorum Romanorumve, quos fortaſſis admirantur potius, ſeſe componunt: ut qui ſuarum gentium antiquiſſima quævis ad minutias usque olim inquiſiverint. Cum id Græci nondum agere inſtituiſſent ab Ægyptiis ſapientibus judicati ſunt pueri. Quod illorum judicium ipſemet Solon & Plato, ſapientiæ nomine Græcorum inter primos clari, non dubitaverunt poſteritati ita memorare, ut haud obſcurum ſit, ſimul etiam illud aſſenſu ſuo approbaſſe. Et vero patriæ antiquitatis ignorantia, ejus certe cognoſcendæ negligentia, arguit profecto puerilis animi anguſtias, ſaltim in iis qui doctrinæ laudem æmulantur. Quis ſane ingenio ad maſculam vim erecto non deſideret, præter ea quæ rerum noſtrarum quaſi oculis expoſita ſunt, vetuſta etiam quæque majorum ſcire, ſive proſpera ſive adverſa fuerint? Delectat utique permultum etiam horum cognitio: atque adeo vel ſola illa quæ hinc capitur ſuavis voluptas, idonea eſt quemvis ad hanc operam allicere. Agere vero hoc ipſum & pietas quædam jubet, quam majoribus debemus poſtgeniti: ut nempe quoad licet memoriam illorum ab oblivione vindicemus, & præclare geſta grato ſemper animo circumferamus. Ecquis equidem non impium facinus cenſuerit, ſupine contemnere majores, & cum poſſis nulla eos reverentia proſequi? *Pulcrum inprimis videtur*, dicebat Plinius, *non pati occidere quibus æternitas debetur*: quidni ergo ſit impium memoriam illorum occidere pati, quorum oportet reddere ſempiternam? Nihil vero ab ingenuo animo impietate alienius eſt: nec poteſt aut ſolet ille temere quidquam omittere, unde mens innoxia voluptate perfunditur. Ut non indoctum igitur dixerim illum omnem, qui antiquitatum noſtrarum nihil didicit, ſi alia ſapiat; non tamen vere liberalis & vere ingenuæ doctrinæ eſt peritus, nec in majores quidem ſatis eſt ſanctus. Multo minus vero talis aliquis undequaque aptus eſt, ſive totius Imperii, ſive quarumlibet ejus civitatum reipublicæ, prudenter feliciterque adminiſtrandæ. Ita nimirum eſt comparatum. Caput ac principium conſiliorum in civitate quavis omnium poſt pſammet regendi artem eſt, noſſe rem illam quæ in deliberationem venit, præcipue quidem qualis illa in præſens eſt, ex parte tamen etiam qualis illa olim ſeſe habuerit. Et vero is demum plene rem novit, qui etiam antiquum ejus ſtatum haud ignorat. Quo quis ſane magis tenet priſcam quoque rei conditionem, quemadmodum ſcilicet illa vel ceperit, vel mutaverit, vel conſervata ſit, eo aptior eſt cum ad id, ut probe aliquid de re iſta etiam in futurum conſtituat, tum ad id ut ſententiam ſuam aliis perſuadeat, iis certe qui aliquam antiqui ſtatus habent notitiam. Quamvis igitur interdum, etiamſi vetera ignores, dare conſilium rectum poſſis, ſemper tamen non poteris, imo ſemper rectius poteris, ſi & antiquiſsima quævis haud lateant. Hoc ipſum inter alia illud eſt, Præſtantiſſime Meibomi, quod me judice cum cœteris rebuspublicis, tum noſtris etiam his Saxonicis plurimum damni hactenus attulit; quod nimirum nonnulli eorum qui clavum tenent vetera quævis rerum noſtrarum nimis parum comperta habeant, tantum præſentium curioſi, cum videri tamen velint jura publica agitare, quorum bona pars conſuetudine h. e. lege non ſcripta conſtat, adeoque non niſi repetita retro memoria intelligi poteſt. Igitur doctiſſime Meibomi, non equidem ego diffiteor, ad civilem prudentiam ipſam, ſive univer-

Digitized by Google

univerſalem regendæ civitatis artem, comparandam, longe utilius eſſe, verſari in Græca Romanaque veteri hiſtoria, quam in antiquis noſtrorum rebus. Idque quoniam illa ſic tradita ſit, ceu fieri par eſt, non eventis duntaxat exquiſite narratis, ſed & cauſis omnium additis: quod genus hiſtoriæ aptum denique eſt parandæ philoſophiæ civili: noſtra autem monumenta antiqua perquam rudia ſint, fere cujusmodi apud Romanos olim Annales quos maximos vocavere, aut qualia Cato Pictor & Piſo, ad modum Pherecidis Hellanici & Acuſilæ in Græcis, condiderunt. Juvat tamen permultum hiſtoria illa antiqua veterum Saxoniæ ſaltim rerum, ad regendas ipſas res regionis hujus, eo ipſo quo narrat quemadmodum illa, quorum hodieque paſſim uſus eſt, vel quæ obſervari jam deſierunt, antiquitus fuerint conſtituta. Nec vero, etſi univerſa quæ hiſtoria illa comprehendit haud perinde ad publicum alicujus civitatis noſtræ ſtatum faciant, omnium ratio eadem eſt: cum etiam illa quaſi privata ſaltim ex parte in publicum proſint, vel ſi non proſint æque in publicum, ſuum tamen hiſce aut illis noſtræ terræ privatum commodum præbeant. Qua conditione Græcorum etiam Romanorumque hiſtoriam ſuperat noſtra. Quam enim illius multum, omnino nihil, aut publice ad civilem prudentiam ipſam, aut privatim conducit! Quam illius multum torquet potius lectoris animum quam inſtruit! Enimvero perquam multa ejus ne Grammaticis quidem, ſive Græcis ſive Romanis, ad Oratorum Poëtarumque ſcripta rectius intelligenda proſunt: plæraque crucem novam quaſi figunt illis, cæteroquin in omni vita inutilia. Qualia etiam amabo magnam partem ſunt, quæ ex Hiſtoria Græca aut Romana, Grammatici tanto ſupercilio captant, & accepta jactitant! Ut nimirum *dicant*

Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque novercæ
Archemori; dicant, quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Vel vero uti narrent, *utra manus Veneris vulnerata ſit à Diomede*, quod Zopyrionem Grammaticum quæſivit olim orator Maximus. Aut qualia Didymum Grammaticum agitaſſe ſcribit Seneca: *de Æneæ matre vera, libidinoſior an ebrioſior Anacreon vixerit, an Sappho publica fuerit.* Aut qualibus Tiberius Cæſar Grammaticos exercuit. Niſi vehementer ſane fallor, in rem magis eſt, ſcrutari iſthæc noſtra; quamvis & ipſa non magni interdum ſint uſus, illorum vero ſimiliumque peritia Litteraturæ & Philologiæ titulis ſuperbiat. Non nego equidem & illorum eſſe ſuum aliquem uſum, ſaltim ad rectius intelligenda veterum ſcripta: eoque nec cum Seneca horum peritiam dixerim plane *ſupervacuam*: ceu multa alia *neceſſaria* quidem vitæ non ſunt, non propterea tamen omnino inutilia. Quemadmodum nec illud Senecæ admitti poteſt: *Plus ſcire velle quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt.* Is tamen quem præbent illa uſum, reapſe perquam exiguus eſt. Quam ſcilicet jactura levis eſt, quantula inſcitia, ſi veterum ſcripta omnia non exacte intelligas! Bene S. Auguſtinus de litteratoribus: *Noſtros familiares graviter miſerari ſoleo, qui ſi non reſponderint, quid vocata ſit mater Euryali, accuſantur inſcitiæ.* Sed & de quammultis eorum recte etiam Seneca: *Iſta liberalium artium conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibi placentes, facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt.* Ut igitur interſit quodammodo iſthæc ſcire: in vitæ tamen noſtræ uſum præſtat, quantum arbitror, patria illa & pene domeſtica haud ignorare. In hiſce ergo eruderandis quum feliciter laboraverit Avus Tuus, Elegantiſſime Meibomi, præclare profecto de republica totaq; adeo Saxonia ille meritus eſt. Nec vero iſto in ſtudiorum genere cuiquam ille ſecundus fuit: pleroſque ſuperavit, & longo poſt ſeſe intervallo reliquit. Ne Crantzium quidem, Fabricium, Reineccium, Albinum, Chytræum, Letznerum, Spangenbergium, Büntingum, principes hujus ordinis, excipio. Valuit enim non induſtria minus quam limato judicio: quorum hoc vel illud merito in omnibus aliis deſideres. Hinc non piè tantum feciſti, edens in lucem præclara hæc Avi monumenta, ſed ſimul Saxoniam omnem inſigni affeciſti beneficio. Nec ſanè dubites, rem non Principibus duntaxat

Digitized by Google

taxat, interque eos illi verè AUGUSTO & incomparabili doctrinæ æſtimatori, ſed omnibus promiſcue intelligentibus gratiſſimam Te præſtitiſſe: idque à ſera etiam agnitum iri poſteritate. Perge vero in præclaro illo inſtituto, ô bone, & jam proxime publicato quoque, ſive per partes, ſive uno volumine, varios Avi de Monaſteriis vicinis, ſive jam tum editos, ſive hactenus deliteſcentes libellos. Imo novam curato editionem etiam reliquorum, ſaltim hiſtorici generis, Avi operum; cum & illorum plæraque jam tum in bibliopoliis nusquam compareant, haud exiguo in publicum damno. Ad easdem vero curas vocant Te etiam Parentis Tui, Summi & Philologi pariter & Medici, longè doctiſſima illa ſcripta, quibus rem Medicam omnem & Litteraturæ ſtudia egregriè excoluit; idque itidem cum ob ſcriptorum illorum propriam utilitatem, tum ejus quam Parenti debes pietatis nomine. Quid? quod pietatis vinculum ad hæc edenda magis etiam Te adſtringat: quantum videlicet Parens Avo propinquior eſt Tibi, Tuque huic majorem debes gratitudinem. Nec verò Tu vel Patri auguſtius & conſtantius erexeris monumentum, vel melius de humano genere mereare; vel denique ſtudia tua Medica, quibus paterno Te exemplo addixiſti, rectius nunc quidem excolueris. Cumprimis ſane ex re fuerit editio præclari illius Operis, quo ſcriptorum Artis Medicæ hiſtoriam Parens perſecutus eſt: quippe quod indubie erit aliquando variæ ipſius doctrinæ monumentum ære omni perennius, & maximo rei Medicæ commodo. Cedet vero omnis hæc opera etiam Tibi in perpetuam laudem, & tanquam viam præparabit ad famam propriis brevi laboribus parandam. Vetant enim ingenii præclaræ dotes, & ingens ille proficiendi ardor, jamque tum hac ætate comparata eruditio etiam abs Te quidquam niſi magnum exſpectare, *nihil* certe quod ſit infra Avi Patrisque illuſtria exempla. Vale Helmeſtadii in Acad. Julia IIX. Kal. Novembr. Anno CIƆ IƆC LX.

V. CL.
HENRICO MEIBOMIO
Hiſtorico & Poëtæ.

NVnquam de patriâ ceſſas, HENRICE mereri
Præclarè, gaudens majorum extendere nomen,
Atq; tui memores, multos præſtare merendo,
Nunc tua, nunc aliena, tua tamen arte polita,
Nunc nova, nunc antiqua ferens ſub luminis oras.
Dulcia manſuræ MEIBOMI, præmia vitæ
Hiſtorici tibi quam multi debere fatentur!
Quos atris damnans tenebris injuria ſecli
Abdiderat cryptis, blattiſque paraverat eſcam,
Nunc melius paſcunt oculos animoſque legentum,
Et jam docta virum aſſueſcunt volitare per ora,
Germanumque decus quo poſſunt ore celebrant,
Scita manus poſtquam depinxit in æquore chartæ.
Qualis apud Gallos florebat laude PITHOEVS
Ille vetuſtatis vindex fidiſſimus omnis:
Qualis FABRICIVS fuit olim Miſnide Terra,
Conditor hiſtoriæq; novæ, aſſertoque vetuſtæ;
Deniq; qualis erat noſtro REINECCIVS ævo,
JVLIA non parvum ſibi quem decus additum habebat,
Nunc cœlo exceptus mortalia ridet ab alto:
Talis es in patriis hodie, MEIBOMIVS, oris
Vsq; recente virens fructu, quaſi filia ſilvæ
Arbor frondoſæ cœlo caput indit honeſtum.
Non ſpernenda vetuſtatis monumenta fidelis
Sic Bernhardino jam vulgas eruta clauſtro
(Clauſtro quod priſcis ſacravit RIDDAGVS annis)
Auſpiciiſque dicas PETRI venerabilis Abbæ,
Fautorem ipſe etiam quem lætor habere paternum.
Digne cliente Patrone, cliens quoq; digne Patrono,
Ambo ſalvete, his macti mihi verſibus ambo:
Salvete, antiquumq; mihi ſervate favorem.
Candida fama ita vos ſublimibus inſerat aſtris,
Voſq; perire vetet virtus poſt fata ſuperſtes.

Conradus Rittershuſius J. U. D.
facieb. Altorfii in Acad. Noribergenſ. A. D.
III. M. Febr. cIↃ IↃc V.

Ad HENRICVM MEIBOMIVM, J. H. F. H. N.

quum Opuſcula Avi ſui conjunctim ederet.

QUi dedit exemplum virtutis, creditur eſſe
Præ multis factus de meliore luto.
Proximus eſt illi, præclara exempla parentum
Qui ſcit conſtanter cum ratione ſequi.
At tu MEIBOMI, ſplendens genitoris avique
Exemplis, longè ſplendidiora facis.
Macte animo juvenis, qui primo flore juventæ
Conjungis patriæ lumina tanta faci.
Macte iterum, patriis exemplis ipſe carere
Quod valeas, oriens lucida ſtella *Tuis*.
Sentit avus, plauſumque tibi nunc deſtinat alto
De cœlo, interitus libera ſcripta videns.
Dignus avo vivas; major genitore: reſurgat
Per *Te* victurus cum *Patre*: magnus *Avus*.

Scribebam Groningæ Friſiorum prid. Kal. Mart.
qui erat bis ſextus CIƆ IƆC LX.

Martinus Schoockius Log. & Phyſ.
Prof. Ord. in Acad. Gron. & Ommel.

SYLLA-

Digitized by Google

SYLLABUS
Scriptorum & Opuſculorum in his tribus Tomis contentorum.

TOM. I.

THeodorici de Niem, Secretarii Apoſtolici, Epiſcopi Verdenſis & Cameracenſis Hiſtoria de vita Johannis XXIII. Pontif. Romani, cum Notis.
Gobelini Perſonæ Decani Bilfeldenſis & Officialis Paderbornenſis Coſmodromium hoc eſt, Chronicon Univerſale ab O C. usq; ad A. C. 1418. cum Notis.
Levoldi à Northof, Equitis Marcani & Canonici Leodienſis Origines Marcanæ, ſive Chronicon Comitum de Marca & Altena, unde duces Juliacenſes, Clivenſes & Bergenſes cum Notis.
Gerhardi Præpoſiti Stederburgenſis Hiſtorica narratio de Henrici Leonis Bajoar. & Saxon. Ducis poſtremis rebus geſtis & obitu, cum Notis.
Anonymi Chronicon Stederburgenſe ſub eodem Præpoſito conſcriptum.
Henrici Meibomii oratio Panegyrica de Henrico Leone.
Andronici II Imper. Conſtantinopolitani Aurea Bulla data Henrico, Henrici Mirabilis F. Alberti Magni N. Duci Brunſvicenſi ante annos CCCXXXVII. cum Notis & Narratione exquiſita de Principis illius poſteris.
Hermanni de Lerbeke Monachi Dominicani Domus S. Pauli Mindenſis Chronicon Comitum Schaumburgenſium cum Notis.
Anonymi Chronicon Mindenſe ab A. C. DCC LXXX. usque ad Annum M CCCC LXXIV. cum Additionibus.
M. Juſtini Lippienſis Lippiſlorium, ſive Poëma de primordiis Comitatus Lipienſis & rebus geſtis aliquot Comisum Lippienſium.
Henrici Aquilopolenſis Adolpheis ſive Hiſtoria Comitum Schaumburgenſium ac Hamburgenſis civitatis.
Ejusdem de Primordiis Lubicanæ Urbis.
Witichindi Monachi Corbejenſis Ordinis Benedictini Annalium libri tres, cum luculentis notis.
Hroſwitæ Monialis in laudem & geſta Oddonis Magni Imperatoris Auguſti Panegyris verſu hexametro cum Notis.
Erectio Eccleſiæ Magdeburgenſis.
Diplomata Ottonis M. Imperatoris Auguſti.
Annonymi Chronicon Corbejenſe, cum Notis.
De Translatione S. Viti & inſtitutione novæ Corbejæ.
Henrici Roslæ Nienburgenſis Herlingsberga, ſive Poemation de bello inter Henricum Mirabilem ac confæderatos Saxoniæ Principes ob arcem Herlingsbergam geſto ante annos pene CCCC. in media barbarie non ineleganter ſcriptum, cum Notis.
Tiderici Langen Canonici Einbeccenſis & Goslarienſis Saxonia.

TOM. II.

LEvoldi à Northof, Equitis Marcani, Canonici Leodienſis Archiepiſcoporum Colonienſium Catalogus.
Henrici Wolteri Canonici S. Anſcharii Bremenſis Archiepiſcopatus Bremenſis Chronicon.
Anonymi Chronicon Monaſterii Raſtedenſis.

Johannis

Digitized by Google

Johannis Sciphoweri Chronicon ArchiComitum Oldenburgenſium.

Erdwini Erdmanni Conſulis Oſnabrugenſis Chronicon Epiſcoporum Oſnabrugenſium.

Anonymi Chronicon Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, cum Notis & Diplomatibus quibusdam antiquis.

Anonymi Narratio de rebus geſtis Alberti ex Ducibus Brunſvicenſibus Epiſcopi Halberſtadenſis XIX.

Alberti Crummedyckii Epiſcopi Lubecenſis Chronicon Epiſcoporum Lubecenſium cum Continuatione Anonymi, & Notulis quibusdam.

Andreæ Hoppenrodii Annales Gernrodenſis Abbatiæ & Hiſtoria Abbatiſſarum cum Notis.

Henrici Bodonis Monachi Benedictini in Cœnobio Cluſa de conſtructione Cœnobii Gandersheimenſis, ejusque perfectione & Hiſtoria Abbatiſſarum.

Johannis de Polda Chronicon Eccleſiæ Hamelenſis.

Anonymi Chronicon Monaſterii S. Michaelis in Hildesheim.

Anonymi Chronicon Monaſterii in Lothen, Diœceſis Mindenſis, poſt in oppidum Lemgo tranſlati.

Chronicon Monaſterii Hujesburgenſis.

TOM. III.

IRminſula Saxonica, id eſt, Idoli ſeu Numinis tutelaris apud Saxones paganos culti luculenta deſcriptio.

Vindiciæ Billinganæ, ſeu demonſtratio, Hermannum Billingum primum ab Ottone M. Saxoniæ Borealis inſtitutum ducem ex illuſtri familia Saxonica oriundum fuiſſe.

Demonſtratio, Saxoniam etiam ante Hermannum Billingum ſuos habuiſſe Duces.

Bardevicum ſive Hiſtoria Urbis illius omnium Germanicarum antiquiſſimæ, conditæ, florentis & deletæ.

De Bardevico deſtructo Carmen Heroicum.

Commentariolus de utriusq; Saxoniæ & vicinarum quarundam regionum Pagis.

Apologia pro D. Imp. Ottone IV. contra falſas criminationes & convitia, quibus eum inſectati ſunt Hiſtorici nonnulli.

Diſſertatio de Jure Inveſtituræ Epiſcopalis Imperatoribus Romanis à Pontificibus per vim ademtæ.

Diſſertatio ſuper quodam antiquo & antiquato Cæſarum Germanicorum jure in decedentium majorum Prælatorum relictis poſſeſſionibus,

Thaſſilonis Bojorum ultimi Ducis diploma, quo Monaſterium Crebsmunſter abs ſe conditum dotat, cum notis.

Ducatus Brunſvicenſis & Lynæburgenſis Erectionis hiſtoria, cum ipſis Cæſareis Tabulis & Diplomatibus Erectionis Principatus Hennenbergenſis, Ducatus Lucani in Italia, Lutzenburgici & Holſatiæ.

De Academiæ Juliæ primordiis & incrementis oratio.

De Origine Helmeſtadii oratio.

De Origine, Dignitate & Officio Cancellariorum Academicorum.

Chronicon Monaſterii Marienthalenſis.

Chronicon Monaſterii Bergenſis ad Albim.

Chronicon Monaſterii Riddagesbuſen cum augmento.

De Friderico, Duce Brunſv. & Lyn. in Imperatorem electo diſſertatio.

De Hugonis de S. Victore, celeberrimi ſec. XII. Theologi, patria, Saxonia, contra CL. Mabillonum, diſſertatio.

RERUM

Digitized by Google

RERVM GERMANICARVM

TOM. I.

SCRIPTORES GERMANICOS

ab

HENRICO MEIBOMIO

Seniore

Primùm è MStis erutos & illuſtratos,

nunc ſecunda editione auctiores,

continens.

A LECTO-

Digitized by Google

LECTORI
HENRICVS MEIBOMIVS
Junior.

*QVi hoc Tomo I. eduntur Scriptores Rerum Germanicarum, ab Avo meo Henrico Meibomio è MStis optima fide primum eruti, & deinde publicati ſunt, cum ejusdem præfationibus, notis, & animadverſionibus. Diſtractis autem avidisſimè mox Exemplaribus, ſecundam eorum editionem nunc procuro, in qua, & menda editionis primæ ſublata ſunt, & non pauca in præfationibus, Notis & Appendicibus, ultima Avi manu adjecta: quæ autem hunc * Aſteriſcum ſeqvuntur, ea à me, certo conſilio, ad illuſtrationem priorum appoſita ſunt.*

Digitized by Google

THEODORICI DE NIEM, WESTVALI,

Secretarii Apoſtolici, Epiſcopi Verdenſis & Cameracenſis, Viri ſuo tempore eminentisſimi,

HISTORIA

DE VITA JOANNIS XXIII. Pontificis Romani.

Qui liber quaſi Continuatio eſt Operis ejusdem Auctoris, de ſchiſmate inter Pontifices Romanos ſui temporis.

Digitized by Google

MAGNIFICIS VIRIS,

Nobilitate Generis, Auctoritate, Doctrinâ, Dignitate & Virtute Ampliſſimis,

THEODORICO à Brinck/

Hæreditario in Brinck/ Ripa &c. Satrapæ Provinciali,

SVEDERO-LVTHERO

ab Amelunxen/ Advocato Hæreditario in Amelunxen, &c.

MELCHIORI GOLDASTO

ab Heiminsfeldt/

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ERNESTI, Comitis Holſato-Schavvenburgii, &c. Conſiliariis primariis,

Patronis ſuis perpetua obſervantia colendis.

S. P. D.

QVæ quondam ſacra haud poſtrema NIEMIVS Aula
Pars ipſe Auſonia vidit in urbe geri,
Expoſuit ſcriptis. Pars edita pervolat orbem:
Pars latet & pigro mœret operta ſitu.
Qui veteres avidi pluteos luſtratis, & inde
Eruitis, quicquid nox tenebroſa premit:
Si qua hujus ſuperant Auctoris ſcripta, cavete,
Ne blattas paſcant amplius & tineas.
Parva vetuſtatis mihi copia, parva ſupellex,
Non tamen hanc patior delituiſſe domi.
Exemplum placeat, nec ſit cui pauperis horti
Diſpliceat gnava planta revulſa manu.
Sed quia ſub veſtro videat ſi nomine lucem
Forſit hic à Criticis tutior hoſpes erit:
Mite patrocinium præſtate libenter, avita
Inſignes generis nobilitate viri.
Sic cumuletur honos, ſic rerum copia vobis:
Sic paret æternum Muſicus ordo decus.

Veſtris Magnificent. & Dominat.

addictiſſimus

HENRICUS MEIBOMIUS.

Narra-

Digitized by Google

Narratio de Theodorico de Nihem.

Theodoricus Niemius patriam habuit Nihemium agri Padibornenſis oppidum. Familia Niemiorum, cum eo in loco per multos floruiſſet annos, avorum memoria in Ioanne à Nibem exſtincta eſt. Juſtus Panſa oppidi conſul, vir doctus & patriæ antiquitatis gnarus, in litteris ad me perſcriptis teſtatus eſt, ſe in veteri Miſſali, ut ſacrificuli vocant, legiſſe & excerpſiſſe hæc verba: Hermannus de Nihem & Metthildis uxor ſua aſſignaverunt eccleſiæ Nihem dimidiam marcam recipiendam de domo ſua ad comparandum vinum in omnibus feſtivitatibus univerſis populis ad oblationem dandam poſt communionem, quod Decani prædictæ eccleſiæ complebunt. *Hæc ille. Corruit igitur, quod Georg Fabricius Niemium Magdeburgium vocat, locus eſt lib. I. Originum Saxonicar. Qua occaſione Theodoricus in Italiam migrarit, affirmare nequeo: in Labyrintho, qui ſextus eſt tractatus Nemoris unionis cap. XXXIX. ipſe de ſe teſtatur, quod triginta ſeptem annis & ultra curiam Romanam ſub quinque Pontificibus Maximis, Gregorio IX. Urbano VI. Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. ſecutus ſit. Cum ſcriberet Nemus Unionis, annus Chriſti numerabatur M. CCCC. IIX. Erat tum temporis clericus Lucenſis Diœceſeos, ut ipſe affirmat: alibi ſe magiſtrum, item litterarum Apoſtolicarum Abbreviatorem indigitat, qua appellatione aliqui Secretarium venire affirmant. Libros Tres de Schiſmate complevit An. CIↃ CCCC X in feſto S Urbani, in quo Johannes Papa ſuæ coronationis inſignia recepit Bononiæ. Ex Italia in Græciam trajeciſſe colligas ex XXXVI. cap. Labyrinthi, ibi enim Græcorum ſacerdotum vitia perſtringens, ſe coràm ea vidiſſe affirmat. Lib. III. de Schiſmate cap. XXXIX. meminit Epiſcopi Verdenſis electi, nomen non exprimit: mihi perſuaſiſſimum eſt, de ſeipſo ibi eum loqui. Etenim ex Crancio & Bruſchio manifeſtum eſt, Niemium à Bonifacio Papa ad Epiſcopatum Verdenſem promotum eſſe. Rexerat eum annis non multis Otto, Magni, Ducis Brunſvicenſis, filius: qui cum ad eccleſiam Bremenſem poſtularetur, arcem Rodenburgiam, Verdenſis epiſcopatus pene unicam præfecturam, invito Capitulo retinuit: quod ægre ferens Niemius Ottonem anteceſſorem graviter in curia Romana accuſavit. Sed cum parum vel nihil contra potentem adverſarium efficeret, Romam rediit, adeptus paullo ante ejusdem Pontificis largitione Epiſcopatum Cameracenſem. Engelbuſius refert deceſſiſſe ex hac vita tempore Concilii Conſtantienſis. An. CIↃ CCCC XVII illum adhuc vixiſſe, ex hoc libello apparet. Libri, quos poſteritati reliquit, recenſentur in Bibliotheca Geſneri, quibus ipſe addit commentarium de regionibus orbis & qualitatibus habitantium in eiſdem, Labyrinthi cap. XXXV. Tractatu IIII. Nemoris unionis fit mentio alterius cujuſdam ſcripti, cujus inſcriptio omittitur. Videatur præterea tractatus primi cap. I. Meminerunt Niemii graviſſimi aliquot ſcriptores, nonnullorum teſtimonia ſubjungam.*

JOANNES CUSPINIANUS
in Ottone Magno Rom. Imp.

APoſtolicus Abbreviator Niem Ottonis res geſtas & originem Saxonum longe lateque explicat.

IDEM

IDEM IN FRIDERICO BARBAROSSA.

JOannes Cremonenſis ſacerdos & Theodoricus de Niem apoſtolicus ſcriptor multa de clariſſimo iſto Imp. tradiderunt.

THEODORICUS ENGELHUSIUS
in Chronico ſuo univerſali.

MAgiſter Thidericus de Nym Curtizanus magnus ſacrique palatii auditor, qui & in Concilio Conſtantienſi deceſſit.

CRANCIUS SAX. Lib. X. Cap. XI.

LOngam inde Tragœdiam ſcripſit, qui vidit, Theodoricus de Niem. Vide eundem Metrop. lib. X. cap. XLII.

FLACIUS ILLYRICUS
Catalogo teſtium veritatis.

THeodoricus à Niem, aliquot Paparum intimus ſcriba, vixit ante CL. annos, vir, ut ex ejus ſcriptis facile animadvertitur, bonus & mediocriter doctus. Deſcripſit bona fide hiſtoriam ſchiſmatis inter Papas, quod ante Conſtantienſe concilium per annos XXXIX. duravit.

MELCHIOR GOLDASTUS HEIMINSFELDIUS
Replicatione contra Jacobum Gretſerum cap. XXIX.

FUit Niemius aliquot Paparum intimus Secretarius, & arcanorum conſiliorum particeps. Vide eundem cap. XXXI.

SIMON SCHARDIUS IN PRÆFAT.
Operis Niemiani à ſe editi.

THeodoricus de Niem, cum in ea tempora incidiſſet, quibus ante annos plus centum & ſexaginta, variæ res in Imperio cæteriſque regnis accidiſſent, & in Eccleſia omnium longiſſimum teterrimumque ſchiſma diſſenſione Cardinalium inter Urbanum VI. & Clementem VII. eorumque ſucceſſores excitatum fuiſſet, tanta veritate rerum iſtarum Hiſtoriam deſcripſit, ut in eo genere pauciſſimi ſcriptores inveniantur, qui ad incorruptam Hiſtoriam ſcribendam parem poteſtati voluntatem attulerint. Ut autem hic vellet, effecere pietas, probitas & in-

Digitized by Google

&integritas, in toto quidem opere eluceſcentia, tum vero in præfatione, ubi diſertè dicit, niſi veritas, quæ in Hiſtoria, quam diligentisſimè conſervari debeat, hoc exegiſſet, ſe libenter in gratiam Pontificum taciturum fuiſſe.

* OPtandum eſſet, ut *Theodorici de Niem* (*Theodorici*, inquam: neque enim ſcio, quid Hallervordio in Spicileg. de Hiſtoricis Latinis in mentem venerit, ut primò *Iohannem Niemium* vitam Johannis Papæ ſcripſiſſe, editum à Meibomio, memoret, dein *Theodoricum de Niem* referat, & eundem cum Johanne Niemio eſſe moneat, cum nemo præter Meibomium ediderit, is vero ſemper Theodoricum nominet) opera omnia, quæ Vir diligens ſcripſit, lucem publicam aſpicerent. Tres ejus de *Schiſmatibus* libri publicati ſunt Norimbergæ. A. CIↃ IↃ XXXII. ſed illos deinde quarto libro, qui *Nemus Vnionis* inſcribitur, ex MSto auctos imprimi Baſileæ fecit A. CIↃ IↃ LX *Simon Schardius*, de Germanica Hiſtoria inter primos meritiſſimus Vir. Sunt autem penes me Libri illi duo priores de Schiſmate in multis locis pleniores, in pluribus variantes ab editis. Poſtea *Melchior Goldaſtus ab Heiminsfeld*, antiquitatis omnis indefeſſus ruſpator, hujus Niemii *Exhortationem ad Dn. Rupertum* Regem Romanorum, ut ſurgat à diuturno ſomno, quodque, ut extirpetur Schiſma Pontificium ab Eccleſia, & jura Imperii reformentur, intendat, publicavit A. XIV hujus ſeculi in Tom. III. Monarchiæ S. Rom. Imperii. p. 1381. quæ, an idem ſit, cum libro *de Reformatione Eccleſiæ Romanæ*, quem, à Niemio ſcriptum, in Bibliotheca Cæſarea MStum extare memorat Geſnerus in Bibliotheca, dubito. Anno deinde XX. hujus ſeculi Avus meus Henricus Meibomius ejusdem Niemii Vitam Johannis XXIII è MSto primus eruit, & Francofurti ad Mœnum typis exſcribi fecit. Quæ de ejus Epiſcopatu Verdenſi, & Cameracenſi referuntur, *Alberto Krantzio* imprimis debentur, quem *Caſpar Bruſchius* in libro de Epiſcopis Germaniæ, & *Gabriel Bucelinus* in Germaniæ Sacræ part. I. deſcribunt. Et vero *Crantzius*, qui in vicinia vixit, & rerum Saxonicarum, quâ Secularium, quâ Eccleſiaſticarum, magnam notitiam habuit, meretur in his fidem, ſcribitque ita de Niemio Metrop. l. X. c. 42. *Ottone*, Duce Brunſvic. & Lyneb. & Verdenſi Epiſcopo, *ad Bremenſem Eccleſiam translato, & arce Rodenburg nihilominus in ſua poteſtate retenta, D. Bonifacius in ſua obedientia Papa IX. providit de Eccleſia cuidam Domino & Magiſtro* Theodorico *de Nym: qui deſcendens in provinciam, & curiam Epiſcopalem in Lyneburg in poſſesſionem accipiens, graviſſimè contra Dominum Ottonem, propter detentionem Arcis Rodenburg, procesſit Apoſtolica autoritate: & in hoc negotio, ut viſum eſt doctioribus, plurimum deſæviens, ſuos contra ſe ſubditos ad invidiam provocavit, qui apud Sedem Apoſtolicam per ſubmiſſas perſonas pro translatione ejusdem Magiſtri Theodorici ad Eccleſiam Cameracenſem laborarunt, bona ſua commutatione.* Non memoratur tamen in *Gallia Chriſtiana* à doctiſſimis Fratribus *Sammarthanis* inter Epiſcopos Cameracenſes, ideoque, an revera ſedem illam Epiſcopalem tenuerit, merito dubites. An etiam Electus ille Verdenſis, de quo loquitur l. 3. de

ſchiſm.

ſchiſm. c. 39. fuerit ipſe *Niemius*, ut ſuſpicatur Avus meus, valde dubito. Annus enim eſt cIↃ IↃ IX, de quo ibi agit Niemius, quo non amplius potuit ſe nominare Electum Verdenſem: & talia de illo narrat, quæ non temere prudens aliquis de ſe ipſo ſcripſerit. Exiſtimo igitur per Verdenſem Electum intelligi ibi Conradum de Vechta, quem, in locum Theodorici, Verdenſi Eccleſiæ à Bonifacio Epiſcopum datum narrat Crantzius, de cujus, Archiepiſcopi Pragenſis dein facti, malis moribus multa narrant Annales Bohemici. Vide Cl. *Boguſlai Balbini* Epit. Rer. Bohem. l. 4. c. 6. & 10. Sed, ut ad Niemium revertar, magnam Viri illius in rebus ſui temporis, quæ in Eccleſia geſtæ ſunt, & in Aula imprimis Romana actæ, peritiam, & in ſcribendo libertatem, ſuſpiciunt omnes. Nec, quamvis Libri ejus inter prohibitos in Indice Romano ſint relati, ceſſant ejus teſtimonio uti ipſi Scriptores Pontificii, ut videre eſt in nupera *Ludovici Maimburgii* Jeſuitæ Hiſtoria magni Schiſmatis in Occidente, ubi omnibus penè paginis, cum alia Niemii Scripta, tum vitam hanc Johannis, citat. Vocat quidem fidem ejus in dubium l. 3. ad ann. 1385. & advertere ſe in eo aliquid maligni contra Urbanum Papam putat, cum Gobelinus Papæ illius itidem domeſticus eundem excuſet, & ad an. 1389. Bonifacio IX. ſemper illum male velle, & ad an. 1404. non ſolere eum Pontificibus parcere ſcribit: nondum tamen manifeſtam Niemii malignitatem eſſe arbitror, dubitoque, an diſſimulanti Gobelino, an liberè iſta narranti Niemio, major debeatur fides, & an ille dicendus non parcere Pontificibus, qui in quibusdam illorum laudandis admodum copioſus eſt, ut ex l. 2. c. 39. apparet? Quod vero *Maimburgius* l. 4 ad an. 1409. *Niemii*, ea quæ optime noviſſe potuit, de Alexandro V. narrantis, fuiſſe ſcilicet *in concedendis gratiis beneficialibus prodigum, & in practicalibus & agibilibus penitus inexpertum*, fidem in dubium vocat, & maledicum nominat, & idcirco iratum Pontifici putat, quod Abbreviatoribus Apoſtolicis, inter quos Niemius, ſua liberalitate in Gratiis dandis ſolita lucra ſubtraheret, non tolerandum videtur, cum ex omnibus Niemii integritas, fides, procul ambitione & avaritia, eluceat.

DE

De Vita Papæ Joannis Viceſimitertii.

NUnc reſtat, contexere aliqua de vita & moribus, ut ſic dicam, Balthaſaris olim, Joannis Papæ XXIII. de quo mala multa valde, ſed admodum pauca virtuoſa potero recitare: cui optime, ut multiplici experientia didici, congruit illud Salomonis in Eccleſiaſtico: Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructus non capiet. Igitur periculoſiſſimum eſt avarum præeſſe Reipublicæ, Eccleſiæ præſertim, vel alicui præeminenti dignitati, quia ſolummodo ſtudebit, qualiter per fas nefasque acquirat, aurum quoque auro cumulet quod ſine peccato & injuria, nec non depauperatione atque direptione multorum ſic fieri nequit. Non enim conſiderabit avarus contemptum divitiarum & bonorum terrenorum, quem præ oculis habere deberet, quia ſuos non ditant poſſeſſores, & quia non ſemper transferuntur ad poſteros, ſed frequenter devolvuntur ad extraneos. Deteſtanda igitur homini avaritia: quia divitiæ, quæ appetuntur, non adjuvant, nec ditant eorum poſſeſſores, & avaro non ſufficiunt. Juxta illud Eccleſiaſtici XIIII. Inſatiabilis eſt oculus cupidi. Unde Hieronymus: Avaro deeſt tam quod habet, quam quod non habet. Et Seneca dicit: Si vis divitem facere, non ---- eſt addendum, ſed cupiditati detrahendum. Et Eccleſiaſtici X. dicitur, Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam. Hic animam ſuam venalem habet, & ita nihil proſunt avaro divitiæ, quia animam ſuam dat pro pecunia, ut in Evangelio Matthæi XXVI. dicitur. Quid proficit homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? quaſi dicat, nihil. Et ex hoc infert vanitatem in amando eas, juxta illud: Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum. Et etiam quia non proſunt poſſidenti eas, dicitur Eccleſiaſtis V. videlicet: ubi ſunt multæ opes, multi ſunt qui comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit divitias ante oculos ſuos? & nihil plus habet dominus ſervo, & ſic omnia conſumuntur, quia tantum comedit ſervus, ut dominus. Et facit illud Senecæ: Mel muſcæ, apes mel ſequuntur, prædam non hominem hæc ſequitur. Omnia iſta concurrere vidimus in ipſo Balthaſare, quo avarior & ad decipiendum quoscunque, ut qualitercunque divitias cumularet, acutior, nec non ad compatiendum indigentiæ pauperum durior, aut inflexibilior nemo repertus eſt: & tandem in ſuo ſalutari defecit, ita quod eum pecuniæ multæ non poterant ab illis, quæ circumdederunt ipſum, tribulationibus liberare, cui congruit illud: Homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Et vere jumentis iſte Balthaſar merito comparatur: non enim recolo, me audiviſſe tot deteſtabilia de alicujus incontinentia, inceſtu, adulterio, ſtupro, & etiam illo gravi peccato, propter quod ira Dei venit in diffidentiæ filios; ſicut fama de ipſo Romæ & Bononiæ laboravit: nec dimiſit, quin uxorem ſui fratris germani haberet Romæ in concubinam, quæ fuit ſoror carnalis quondam Cardinalis Monopolitani, ſed ita famoſus Simoniacus & deceptor in vendendo eccleſias & eccleſiaſtica beneficia, nec non officia etiam Romanenſis curiæ, extitit, quod parem ſibi non repperit, ſed nemo ei ſecundus habebatur, & ad minus XXXIIX vel circiter, ſecretarios de omni patria ſibi creavit, non edoctos in arte illa, ſed prorſus ignaros, putans quod illi qualitercunque acquirerent à curialibus, & accedentibus ad Romanam curiam, in venditione gratiarum, ubi poſſent: ſicque ipſi etiam Balthaſari de acquiſita præda per ipſos Simoniace partem darent, quotiescunque illud fieri vellet.

Digitized by Google

Eos vero ex ipſis, qui taliter nolebant, ſeu neſciebant, acquirere, non curavit, exiſtimando eos inſanire, aut deſides eſſe. Grandia etiam pleriſque ſe facturum de levi promiſit, ſed niſi exinde ſperaret ſe reportare commodum, difficulter aut tarde promiſſa ipſa complevit. Dum autem ſimplex clericus, ac in adoleſcentia conſtitutus exiſteret, cum quibuſdam fratribus ſuis piraticam in mari Neopolitano, ut fertur, exercuit, quia tunc inter quondam Ladislaum, regem Siciliæ defunctum noviter, & Dn. Ludovicum, Ducem Andagavenſen, qui etiam ſe regem Siciliæ tunc nominavit, & nominat, periculoſa guerra, ſeu diviſio magna in regno Siciliæ ubique vigebat: cujus unam Ladislaus, & alteram partem Ludovicus, prædicti tunc tenebant: Sicque prædonibus in terra, & piratis in mari, major tunc temporis dabatur per aliquos annos illic occaſio ſpoliandi: ſed, cum poſtea, fortuna ſuadente, dictus Ladislaus rex regnum ipſum, expulſis inde dicto Domino Ludovico, ejusque in magna parte auxiliatoribus, & ſubactis ibidem aliis hoſtibus ſuis, qualitercunque obtinuiſſet, & propterea raptoribus & piratis, ne deinceps illic violentias & damna aliquibus inferre libere poſſent, licentia ſubtracta fuiſſet, ipſe Balthaſar ad Bononiam ſe tranſtulit, ubi licet multis annis ſub ſtudentis figura ſtetiſſet, tamen modicum, vel nihil, in aliqua facultate profecit, nimirum, quia dum piraticam, ut præmittetur, exerceret, pro ejus ſuorumque ſodalium tutiore coſtodia noctes pleraſque tranſegit inſomnes: Sed mane facto uſque ad horam nonam, vel circa ſolitus erat dormitare, prout inſignes piratæ faciunt, nocturno tempore mare ſulcantes, ut incautas eis tunc obviantes naves intercipere poſſint.

Hanc enim conſuetudinem vigilandi de nocte, & tamdiu dormiendi de mane, adeo firmiter attraxit, quod poſtea etiam illam in Cardinalatu, & ſucceſſive in Papatu dimittere non valebat, niſi faciens de neceſſitate, virtute magis hominum, quam Dei timore excitatus.

Papa forſan in præcipuis feſtis aliquando ſurgebat tempeſtive, quibus, juxta eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, miſſæ & alia divina officia pro Papa in ejus capella majori dicebantur.

Et aliquando etiam publice dicebatur, Bononiæ anno primo Pontificatus dicti Balthaſaris tunc Papæ, poſtquam Bononienſes ſibi rebellarunt, quod ipſe ducentas maritatas, viduas & virgines, ac etiam quam plures moniales illic corruperat, ejus ibidem dominio perdurante: Et aliquæ iſtarum dominarum per maritos, quædam vero per amicos, ſeu parentes earum propterea interfectæ fuerunt, quod ipſe, ac ſi eum non tangeret, diſſimulavit. Mirum eſt, quomodo audebat tanta facinora committere, præſertim in tam glorioſa civitate & plena populo, etiam non curando infamiam, quā propterea contraxerat, & pericula, quæ ob hoc imminebant ſibi, quod finaliter vix evadere potuiſſet. Quia, ut dicit Albertus, inter multa quæ reſpiciunt conjugium & pudicitiam, nec non honeſtatem conjugatorum, ſcilicet tantus eſt amor viri ad uxorem, ut ipſius cauſa quælibet pericula ſubeat, amorem ejus amori matris præferat, & ut pro ejus cohabitatione patrem & matrem & patriam deſerat: hanc ſociam menſæ & thori ſtatuit: dominam ſuæ pecuniæ & familiæ facit: non minus uxoris ſuæ, quam ſui ipſius cauſam vel curam gerit: ex amore & zelo ipſam corrigit & cuſtodit: geſtus & affatus pariter & aſpectum illius conſiderat: ingreſſus & egreſſus trutinat atque penſat. Viro autem bonam mulierem habente nemo felicior: & econtra, nullus eſt infelicior &c. Et ſic utique Balthaſar habuiſſet formidare, quod illis, quibus injuriabatur in eorum uxoribus & aliis dominabus, ipſis ſanguinis identitate conjunctis, quas corruperat, ut præfertur, ſi viri cordati fuiſſent, eum male perderent, aut merito trucidarent.

Dum autem per aliquot annos ſub figura ſtudentis ibidem Bononiæ habitaviſſet, ſupradictus Bonifacius octavus, tunc Papa, reſidens in urbe, quoniam habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus, audiens, quod dictus Balthaſar ſtuderet tunc Bononiæ, ut præfertur, diſpoſuit, quod eum vellet honorare, nec non, caſu ſe offerente, contulit ſibi tunc archidiaconatum Bononienſem, qui eſt magna & honorabilis dignitas in eccleſia Bononienſi, & eſt etiam caput Studii Bononienſis, & habet archidiaconus Bononienſis ratione archidiaconatus hujusmodi, multa in occurrentibus negotiis ſcholaribus Bononiæ Studentibus pro tempore ordinare. Et ſic Balthaſar in majorem notitiam civium

Digitized by Google

civium & Bononienſium tali tunc redimitus honore devenit, unde, ſicut erat honoris cupidus, etiam tunc mente concepit, quod magis ad eccleſiaſticos honores ſeu dignitates qualitercunque aſcendere vellet: videbat tamen illud apte fieri non poſſe, niſi ad Romanam curiam perſonaliter accederet, & quo peruento, quæ ſibi proficua eſſe conſpiceret, commodius ordinaret. Veniens igitur ad Romam non poſt multos dies dictus Balthaſar, præfatus Bonifacius ipſum in cubicularium ejus accepit: qui ita repente in ipſa curia honoratus, incepit juxta morem pro tunc Romanæ curiæ, cum aliis, qui ab ipſo Bonifacio proviſiones eccleſiaſticorum Prælatorum & aliorum Simoniace procurabant, in una & eadem voluntate concurrere, & tales proviſiones etiam pro magis ſibi offerentibus mediante pecunia ab eodem Bonifacio procurare, nihil de contingentibus omittendo, & interim etiam cauſa majoris lucri captandi ſuos per Senates ſeu nuncios ad quoſdam Prælatos certorum negociorum extra eandem curiam deſtinavit intimando eis, tamen mendaciter, ut ſic aurum à barbaris ſubtiliter exquireret, qualiter dictus Bonifacius de illis per quoſdam ipſorum æmulos ſiniſtre informatus omnino diſpoſitus erat de ſuis eccleſiis & dignitatibus ad alias eccleſias & provincias ipſis incognitas, aut inſulas ultra mare, quas occupant Saracenii, transferre, quod quidem ſic contigiſſet, niſi hoc ipſe Balthaſar, tunc cubicularius dicti Bonifacii, cautius impediſſet: ſicque illi boni Prælati per eundem Balthaſarem decepti, ei miſerunt munera & encænia multa, quæ ipſe minime refutavit. Nec iſtis lucris contentus, ſed amplius ditari ſatagens, quoſdam eloquentes, & audaces apoſtatas de Spoleto in vicinis partibus oriundos, quos Italici Exiretanos appellant, & nuncios dicti Bonifacii ad prædicandas in Almania, Dacia, Suecia & Norwegia & adiacentibus provinciis indulgentias, & peccatorum remiſſiones de omni peccato largiſſimas, fieri procuravit: qui, me ſæpe audiente, publice prædicarunt, quod etiam Sanctus Petrus, ſi viveret, majorem remiſſione peccaminum poteſtatem non haberet, quam ipſi ab eodem Bonifacio receperunt ad ſalutem animarum illorum, quibus illi eandem remiſſionem communicarent, & quod omnia, quæ ipſis darentur ratione indulgentiarum hujusmodi, in ſuccurſum Imperatoris Conſtantinopolitani, qui & ſui ſubditi Chriſtiani, per Turcos tunc eſſent oppreſſi graviſſime, mitterentur. Qui quidem quæſtores cum magna copia ad Germaniam pervenientes, & primo in Svevia in diœceſi Conſtantienſi notabiliora hoſpitia in locis & opidis inſignibus pro ſe receperunt, & banderium Romanæ eccleſiæ cum clavibus Sancti Petri depictum die immediate ſequenti poſt jucundum illic eorum adventum extra feneſtras extenderunt: intrantes autem cum magno apparatu illic majorem eccleſiam aut principalem, major eorum in ipſa eccleſia in altiori loco prope altare ſedile cum tapetis pulcris per ſuos miniſtros, ad id deputatos, ſibi fecit apparari cum panno nobili de Serico etiam ſuperius extenſo, ne muſca, vel aliquod aliud forſan de ſurſum cadens, illum dominum Papæ nuncium nobilem offendere poſſet, qui presbyterorum illorum locorum metu, aut ſimplicitate cauſante, admiſſi, ſolennem benedictionem ille major nuncius populo dedit, & per aliquos Epiſcopos titulares illud mel ſequentis ſermonis ibidem in publico fieri fecit, intimando ſimplicibus ibidem tunc congregatis, ut eos levius decipere, nec non pecunias reportare poſſent, indulgentias & remiſſiones peccaminum antedictas & ſemper in eiſdem ſermonibus publice dicebatur, quod ipſe major nuncius ſuper omni irregularitate ac peccato poſſet diſpenſare, ac ipſa peccata remittere, ac etiam parentum animas eorundem offerentium ipſis de purgatorio liberare, & ultra hoc quicquid poſſet Papa de plenitudine poteſtatis, id idem ipſi poſſent, & etiam aliquid amplius ſi expediret. Et ſi aliquis eis in hoc forſan contradixit, illum hæreticum aut ſchiſmaticum, nec non Apoſtolicæ ſedi rebellem nominabant, & modis omnibus perſequebantur, & quod infra paucos dies in præfata curia coram prædicto Bonifacio, pro meritis digna recepturus, perſonaliter compareret, ignominioſe citarunt, & per hoc plures Prælatos eccleſiaſticos & alios terruerunt, quod iſtis confictis nunciis, & ita manifeſte Chriſtianum populum decipientibus, timore Bonifacii & Balthaſaris prædictorum ſe opponere non audebant, paucis exceptis in diverſis locis, qui vix prece & precio ab iiſdem nunciis obtinuerunt, ut à comparitione in prædicta curia & ulteriori vexatione remanerent immunes.

Digitized by Google

Et quicquid importuni nuncii paulatim, ad Miſnam & Thuringiam, & quaſdam alias vicinas provincias, & demum ad Saxoniam, in quibus tunc vigebat peſtilentia grandis, Pontificis dicti Bonifacii anno XIII. pervenientes maximas pecuniarum ſummas, ſcilicet aliquando in civitate, vel loco inſigni, VI. vel VIII. millia florenorum vel circiter, per illas avaras & confictas indulgentias à ſimplicibus exhauſerunt.

Poſtremo vero ad Daciam venerunt de civitate Lubicenſi iter agentes ubi ultra XX. millia florenorum à ſimplicibus illorum regnorum & partium reportarunt ex benedictione indulgentiarum prædictarum.

Sicque ultra centum millia florenorum auri ipſi nuncii infra biennium per illos modos in eiſdem partibus collegerunt.

Poſt autem detecta fuit eorum improbitas in partibus illis, & poſt longam moram illic factam ſarcinati taliter acquiſitis per eos dictis pecuniis ad Italiam redierunt, & Romam accedentes, ubi principalis nuncius, qui ſe nominavit Antonium de Roma ordinis S. Benedicti, quaſi per XVI. dies ibidem in domo cujuſdam mercatoris Bononienſis cum ipſo Balthaſare rationem fecit: ſed idem Balthaſar creatus Cardinalis per ipſum Bonifacium & poſtea legatus ad Bononiam deſtinatus, dictum mercatorem eum illuc ſequentem decollari fecit, ipſumque fratrem Antonium, qui adhuc habebat de anathemate ſeu recollectis eiſdem plura millia florenorum, capi & incarcerari, & per plures dies in arcis carceribus detineri fecit, auferens ſibi etiam pondus auri, quod habebat reſiduum, ut præfertur, & eum quo ſperabat ſe empturum aliquam pinguem cathedralem eccleſiam, vel abbatiam, à Bonifacio ſæpedicto. Videns autem ſe hujusmodi ſpe fraudatum tanquam deſperans in carceribus ipſis mortem ſibi conſcivit, ſeipſum quadam chorda, qua cingebatur, quadam nocte jugulando. Quibus quidem mercatori & Antonio dictus Balthaſar impoſuit, quod ipſi contra ejus ſtatum ſeditionem ibidem Bononiæ procuraſſent: ſub quo velamine multos etiam alios de omni ſtatu illic capitaliter puniri fecit, & pleroſque cives Bononienſes, de quibus dubitabat, ne contra eum inſurgerent, de ipſa Bononia relegavit.

Præfatuſque Balthaſar tot lucris ditatus, propterea quin magis lucrari vellet non quievit. Depoſuit enim magnas pecuniarum ſummas apud quoſdam mercatores, ſive potius peſſimos fœneratores eandem curiam ſequentes: cum quibus quidem pecuniis dictus Balthaſar valde multa lucra aſtute & valde ſubtiliter reportavit in hunc modum: quia dum aliquis nobilis prælatus, vel per ſe, vel per cives ſuos, quod alicui cathedrali eccleſiæ, vel monaſterio vacanti præficeretur, in ipſa curia laborabat, & forſan in neceſſariis expenſis deficeret per eum in prædicta curia faciendis, & ille promovendus per ſe, vel alios, ſuper hoc dictis fœneratoribus loqueretur, ipſi demonſtrarunt, ſe in hoc quodammodo duros, & aliquas dilationes mutuum petentibus ab ipſis dederunt, ut ad ipſos tum redirent, aſſerentes, quod interim deliberare vellent, ſi eis in hoc, quod peterent, poſſent complacere. Redeuntibus vero illis ſtatuto termino ad eoſdem fœneratores, ac ipſorum auxilium fortius efflagitantibus, ipſis fœneratores, ut communiter, reſponderunt, ſi habetis pignora aurea vel argentea ſufficientia, parati ſumus vobis complacere: ſin autem, detis fidejuſſores ſufficientes ipſam curiam ſequentes nobis notos, à quibus noſtras pecunias, quas vobis concedimus, abſque litis diſpendio termino ſtatuendo recuperare poſſimus: Et pro noſtro intereſſe volumus pro quadringentis florenis vobis per quatuor menſes mutuandis, quod pro quingentis florenis vos obligare debeatis ſub pœnis & cenſuris eccleſiaſticis, quas in ſe illi, qui poſtulabant ipſas pecunias eis mutuari, antequam ipſis dictæ pecuniæ traderentur, à Dn. Auditore Cameræ, ut communiter receperunt. Et ſic in ipſa curia fuit longo tempore obſervatum; quamobrem etiam ipſi fœneratores vehementiſſime ditabantur.

Et iſti obligati, quia aliquando ex aliquo caſu ſuperveniente in ſtatutis terminis non ſoluebant, ducebantur ad carceres ac includebantur nec non detinebantur in illis: & cum hoc quoque publice denunciabantur excommunicati in curia eadem: & miris modis ad inſtantiam eorundem fœneratorum gravabantur Principales debitores, ſi reperiebantur in eadem curia conſtituti: Si autem non, tunc in eorum fidejuſſores in eadē curia tunc præſentes pœnæ hujusmodi per officiales, ad hoc deputatos, exercebantur, nulla juris vel æquitatis reos exceptione valente juvare. Quidam vero ipſorum

Digitized by Google

rum, etiam nobiles curiales, ne ita viliter incarcerarentur, quandoque in alienis domibus latitabant, quousque vel ſeipſos à fidejuſſoribus hujusmodi liberarent, ſeu per illos, pro quibus fidejuſſerant, redimerentur. Et ſuper illis uſurariis, & etiam Simoniacis tractatibus, ſuper impetrationibus eccleſiarum & eccleſiaſticorum beneficiorum, in eadem curia factis, inter diverſas perſonas ipſam Romanam curiam tunc ſequentes, in curia prædicti Auditoris Cameræ lites continue & publice, acſi licite hoc fieret, vertebantur.

Et tunc primum mercatores, nummularii & fœneratores dictam curiam ſequentes inceperunt portare veſtes precioſas vario & ſerico ad inſtar veſtium togatarum & egregiarum perſonarum ſubductas & ſeu foderatas. Plures etiam eorum, qui prius erant aliorum Famuli & egentes, per talia vilia lucra vehementer & ſubito ditabantur. Et quamuis ante Papatum dicti Bonifacii tales fœneratores, qui in eadem curia Romana, quantumlibet tunc pauci numero, reperiebantur, valde curialibus eſſent exoſi, & hominum exterminatione fœdati, tamen propter mercantias, quas fecit dictus Bonifacius etiam apparenter, & frequenter in venditionibus cathedralium Eccleſiarum & monaſteriorum, necnon aliarum inferiorum dignitatum, & quorumlibet Eccleſiaſticorum titulorum, dicti fœneratores præ aliis honeſtis mercatoribus ex tunc in ipſa curia honorabantur: quia ſine ipſis tales mercantiæ fieri non poterant, ita plene, ſicut dictus Bonifacius affectabat.

Et dum hæc taliter currerent fierentque, dicto Bonifacio occaſionem dante, contigit, quod ipſe Rex Ladislaus duos fratres dicti Balthaſaris, tunc etiam in partibus Neapolitanis piraticam exercentes, apprehenderet, ipſosque capitali ſententia condemnaret, ſibi etiam bonis eorum omnibus confiſcatis. Quod cum dictus Balthaſar tunc etiam exiſtens in curia prædicta, in obſequio Bonifacii ſæpe dicti, ſentiret, permaxime contriſtatus extiterat: & cum eodem Bonifacio, licet admodum difficulter, ipſum juvante, modum repperit, quod tandem Rex præfatus ob preces ejusdem Bonifacii dictam capitalem ſententiam immutando vitam ipſis fratribus condonavit: & ex hoc dictus Balthaſar contra eundem regem rancorem & odium qualitercunque concipere videbatur, tamen illo diſſimulando, ſed ex tunc feruentius cogitando, qualiter altiorem ſtatum pertingere, & ſe poſſet contra præfatum regem vindicare: unde infra pauca tempora in Diaconum Cardinalem S. Euſtachij per eundem Bonifacium creatus extitit, interueniente, ut communis fama in prædicta curia laborabat, non modica pecuniæ quantitate, & ſucceſſive per aliquot annorum interualla legatus factus eſt per dictum Bonifacium in eisdem civitate & comitatu Bononienſi, prout ſuperius dictum eſt: quod contigit duplici de cauſa, una ut ſic ceſſaret infamia, quam detinendo in concubinam dictam Catharinam in curia præfata contraxit, ipſa que maritum ſuum, tunc morantem Neapoli, ſequeretur. Alia cauſſa fuit, quia tunc temporis filii & heredes quondam Ioannis Galeatz Ducis Mediolanenſis tunc defuncti, potenter tenebant ipſam Bononiam, quam ipſe Dux infra pauca tempora ante ejus obitum per longam obſidionem, cum adiutorio Dn. Caroli de Malateſtis, & fauore quorundam civium Bononienſium acquiſivit, ut quondam Faſtinus Comes tunc magnus capitaneus potenter manu armata pro eisdem filiis illa tempeſtate gubernabat. Ipſeque Bonifacius conabatur eandem civitatem recuperare, & ſibi ſubdere qualitercumque, ſed defecit quodammodo in expenſis adhoc neceſſariis, ut etiam in viro habili & potenti, qui ut legatus dicti Bonifacii tam periculoſum & grande onus vellet acceptare. Ipſe vero Balthaſar ſentiens ſe pecuniis neceſſariis ad opus hujusmodi peragendum bene fulcitum, & interim quod Bononiæ morabatur, prout ſuperius tactum eſt, mores Bononienſes didicit ſperando, quod illos propter diviſiones & æmulationes, quæ inter ipſos ab antiquo viguerunt & vigent, per intermedias perſonas ad ſe de facili converti poſſet, dictam legationem acceptavit, & etiam eundem Dn. Carolum de Malateſtis, nec non Florentinum ſeu Florentem Regentes officiales pergrandia promiſſa, etiam effectu poſtea ſubſecuto, ſibi attraxit. Quo facto, cum exercitu de Roma verſus Bononiam acceſſit, quam hic occupatam tunc etiam per eosdem filios & heredes, ut præfertur, juvante ipſum magnopere & inſtanter dicto Dn. Karolo, poſt periculoſam & quodammodo diuturnam obſidionem ejusdem civitatis de manibus ipſorum occupantium, rerum domina fortuna favente quomodo libet acquiſivit ac recuperavit,

vit, extunc Dominus Bononiæ vocatus eſt, & fuit revera per plures annos poſtea in in effectu. Nam Bononienſes & poſtea Comitatenſes, ſeu habitantes in comitatu Bononienſi, extunc in virga ferrea rexit, & ibidem quæcunque voluit fecit: nec aliquis cur ſic faceret, dicere præſumſit. Interim autem tot homines utriuſque ſexus tam Bononienſes, quam alios, quibus etiam proditionis aut ſeditionis, vel aliorum maleficiorum culpas impoſuit, de die in diem mactari fecit, prout adhuc eſt fama Bononiæ. Quod ſi omnes illi viverent vix in aliquo parvo municipio ſeu opido poſſent commode habitare. Et plures mandavit lictoribus ſeu manigoldis, qui executionem ſanguinis in condemnatos capitaliter illic debebant facere, quod ſe ſubito expedirent, nullam habendo humanitatem, vel miſericordiam in perditione multorum. Et ubicunque ſcivit aliquem divitem presbyterum, vel civem, vel judæum Bononiæ commorantem, illum exquiſitis cauſſis mulctavit. Et ſi cauſſas non invenit contra illos, tunc rogavit, ut ſibi tantam pecuniam mutuarent. Sed hæc rogamina fuere omnibus illis periculoſa præcepta, quia ſi illi rogati allegabant impotentiam ſeu paupertatem, in hac etiam nullatenus profecerunt, ſed opus erat facto, ut ſibi traderent efficaciter, quicquid ab ipſis habere volebat: & male pro illo qui ſibi in talibus reſiſtebat! Multas etiam gabellas illic redinvenit, quas addidit antiquis oneribus & gabellis, quæ illic per præſens ſolvi conſueverunt, nihil unde ſibi lucrorum reſultarent commoda omittendo.

Hic etiam Balthaſar, dum aliquis forenſis tranſitum faceret per Bononiam, & aliquod emenium aut jocale portaret quantumcunque modicum, ſi illud forte gabelliatoribus Bononienſibus, qui ab antiquo ſunt, & ſunt valde importuni exactores, ſtatim non oſtenderet, permiſit ut bonis omnibus quæ deferebat ille, propterea ſpoliaretur, & ablata per hujusmodi ſpolium fecit ſibi adferri, eaque, ac ſi lucra eſſent licita uſurpavit, ad juſtitiam, & Deum, aut qualitates perſonarum non habens reſpectum. Pauperes vero, communitatem, ſeu villanos, ad incidendum & apportandum in eorum curribus & vehiculis propriis ſumtibus arbores magnas, vel ligna pro reformatione caſtrorum vel viarum, crebrius angariavit, quibus tamen unum hauſtum vini vel aquæ propter hoc minime porrexiſſet: & eis murmurantibus aliquando, dum hoc ſentiret, quod eos torqueri faceret, aut deſtrueret, comminabatur aperte. Et licet Bononia ſit civitas valde magna, egregia & admodum populoſa, ſcivit tamen ſubtiliter tenere modum, quod niſi in uno vel duobus locis panis vendebatur in illa, & coquebatur de grano, quod nomine gabellarum de frumento & grano molentium in molendinis Bononienſibus dietim recolligi fecit. Nullus etiam civis Bononienſis, vel alius, anſus fuit aliquod vinum etiam in groſſo vendere, niſi ſuper hoc prius licentiam ab eodem Balthaſare, vel alio, quem ſuper hoc deputaverat, ſoluta etiam ſibi gabella exinde haberet.

Et ab illis, qui molebant in molendinis, extorſit promtas pecunias, & etiam tantum de grano vel frumento illuc apportato, quod ad minus tertiam partem de illo pro ſuo commodo reportavit. Nec patiebatur, quod aliquis forenſis in publicis hoſpitiis Bononiæ alium panem comederet, niſi quem emerat illic, aut vinum aliud, quam de taberna illic, emtum ſub magna pœna bibere poſſet.

Cujus quidem vini, quod in tabernis Bononiæ vendebatur, medietatem pro gabella ſibi vendicabat: nec aliter potuit venundari. Neque permiſiſſet inferri in Bononiam aliqua victualia, etiam fructus, herbas, olera, ligna, fœnum & ſtramina, de quibus in portis civitatis ejuſdem ante omnia gabellam non modicam recepiſſet. Et certe à ſcortis etiam & baratoribus, ſcilicet, luſoribus taxillorum, nec non fœneratoribus Bononiæ, atque de turpi eorum lucro gabellas extorſit. Et adeo ſolicitus & argutus puto nemo in talibus repertus eſt, ſicut ipſe Balthaſar. Quanto plus recollegit, tanto plus ſitivit ad habendas recentes pecunias: nec aliquando ſatiari potuit, & ſemper quod pauper eſſet, cum aliquibus ſibi ſpecialibus loquendo querulabatur, niſi poſtquam bene potabat, & tunc aliquando calore vini impellente, quod eſſet auro valde dives, aut abundaret, permaxime ſe jactabat.

Sed antequam dictus Balthaſar Bononiam & ejus Comitatum regeret, ut præfertur, de Germania & aliis partibus ad Bononiam venientibus & literas ſalvi conductus alicujus principis ſecum deferentibus, de rebus, quas ſecum detulerunt pro gabella

Digitized by Google

bella Bononiæ quicquam exigi & recipi non conſuevit; quod eo illic regente ceſſavit, ſicut & Veronæ, poſtquam illam Veneti occuparunt.

Et dum hæc agerentur, contigit dictum Bonifacium Papam decedere, ſibique Innocentium VII. ſuccedere: qui quidem Innocentius, poſtquam de Roma fugit ad Viterbium, prout ſuperius tactum eſt, quidam potentes cives Bononienſes, ſecrete affectantes à jugo dicti Balthaſaris exonerari, inter ſe clanculo inceperunt pertractare, qualiter illud, quod mutuo in ea parte conceperant, ad effectum perducere poſſent. Et demum concluſerunt, quod ad eundem Innocentium mitterent aliquos ex ipſis, fide dignos, prout fecerunt, promittentes ſibi libere aſſignare dominium ejuſdem Civitatis, & ultra hoc magnam pecuniæ quantitatem, ſi illic accederet, ibique ſibi curiam ſtabiliret, e veſtigio ſibi tradere vellent. Et quandoquidem oblationem & promiſſionem dictus Innocentius libenter audivit, ſed negotiis ſuis, in illa tempeſtate inordinate procedentibus, eam ita cito exequi non potuit, ut volebat: nec potuit res illa ita ſubinde tractari, quin dicto Balthaſari detecta foret: unde indignatione & ira valde commotus, illos, quos in ea parte ſuſpectos habuit, in ipſorum perſonis & ære, nec non alias horrende nimium moleſtabat, atque mulctabat, etiam contra ipſum Innocentium, quamdiu vixit, extunc gravem animum habendo, quem parum curare videbatur: imo quod ſe ſibi vellet opponere in omnibus, aliquandiu in curia ejuſdem Innocentii fama fuit. Cum autem dicto Innocentio, qui infra breve tempus poſtea deceſſerat, vir venerabilis Angelus, nunc Epiſcopus Portuenſis, in illa obedientia ſucceſſiſet, nec illi etiam præfatus Balthaſar effectualiter obedire curaret, contigit dictum Dn. Angelum, tunc Papam, quendam nepotem ſuum, nunc S. Romanæ eccleſiæ Cardinalem, eccleſiæ Bononienſis (* * * * *) admittere noluit, aſſerens, ſe fructibus Epiſcopalis menſæ Bononienſis pro dictæ civitatis cuſtodia indigere, quos per plures annos ante & poſt ſolicite recolligens, ſibi totaliter uſurpavit, placeret ſive diſpliceret Innocentio & poſtea Gregorio ſupradictis, aut alteri cuicunque. Sed dum poſtea dictus Dn. Angelus cum ſua curia acceſſiſſet ad civitatem Lucanam, illa intentione, ut dicebatur, quod cum prædicto Petro de Luna, juxta vota & promiſſa eorum, per ceſſionem mutuam, unionem facerent in eccleſia univerſali, prout etiam in ſuis locis ſuperius eſt deductum, & in eadem civitate Lucana aliquandiu reſediſſet, dictus Balthaſar volens aliud pro alio forſan oſtendere, videlicet, quod ipſe, ut dicta fieret unio, cordialiter affectaret, etiam ſuos ambaxiatores, ea de cauſſa, prout fecerunt tunc multi potentes Italiæ, ad eandem civitatem Lucanam, ipſi Angelo tunc Papæ deſtinavit, exhortando ipſum ſcriptis & magnis promiſſis, ut omnino vota & promiſſa ſua in ea parte efficaciter attendere vellet. Ipſe autem Angelus tunc modicam fidem præfati Balthaſaris exhortationibus ſcriptis & promiſſis hujuſmodi exhibuit, exiſtimans forte, quod non procederent purocorde: quod cum ipſi Ambaxiatores ejuſdem Bathaſaris qualitercunque ſentirent, valedicto Pontifice receſſerunt: propter quod etiam dictus Balthaſar contra præfatum Dn. Angelum, tunc Gregorium, in iracundiam magis accenſus extunc ipſum incepit animoſius, ubi potuit, impedire, cæteroſque dominos Cardinales, tunc exiſtentes Lucæ, cum prædicto Angelo, tunc Gregorio, ut, eo dimiſſo, ad civitatem Piſanam accederent, etiam dictis & promiſſis grandibus, per intermedias perſonas ſolicitare: & cum prædicti Domini Cardinales, paucis exceptis, ad eandem civitatem Piſanam, dicto Domino Angelo per eos dimiſſo, poſtea declinaſſent, ad habendum tractatus ſuper unione ipſa, qualiter facturi eſſent, ut res tanta, ſi Deo placeret, ſperatum ſortiretur effectum, cum pleriſque ex Dominis Cardinalibus Petri de Luna, præfatus Balthaſar medio tempore tractavit cum Florentinis (qui tunc habuerunt etiam, non tamen abſque conſilio & auxilio dicti Balthaſaris, prout adhuc habent & tenent, eand. civitatem Piſanam cum municipiis & caſtris ejuſdem) durantibus tractatibus ipſis, dictoſque tractatus, & alia omnia, quæ ſequerentur, exinde tuto & abſque impedimento aliquo in eadem civitate perficere poſſent, donando etiam in odium dicti Domini Angeli, tunc Gregorii, certas pecuniarum ſummulas, in ſubſidium expenſarum aliquibus ex Cardinalibus ipſis, quos magis conſpexerat talibus indigere: per quos allecti fuere etiam reliqui antiqui Domini Cardinales, qui uſque tunc Lucæ cum præfato Domino Angelo, tunc Gregorio, remanſerunt,

Digitized by Google

quod ipſo ſimiliter dimiſſo ad eandem civitatem Piſanam, ad eorum confines unanimiter acceſſerunt, & demum illic generale concilium convocarunt, illudque ſucceſſive celebrarunt, & alia multa fecerunt, prout ſuis locis ſuperius credo eſſe traditum copioſe. Eſt enim dictus Balthaſar ſatis aſtutus & juxta curſum temporis ſciens ſe habere, ſive proſpera ſint, vel adverſa: & dum ſibi tempus applauſit, fungendo legatione in Bononia & ejus Comitatu, terribilia ſæpe aggreſſus eſt, & præter ſpem hominum proſperabatur in illis: exempli gratia, dum quadam vice cum Comite de Barbiano, cujus territorium confinit cum eodem Comitatu Bononienſi, guerram ſeu diſſenſiones haberet, prout multi Domini & etiam Communitates civitatum forſan numero duodecim millium, inter equites & pedites longo tempore quoddam forte valde caſtrum dicti Comitis, & vicinum præfato Comitatui Bononienſi fortiter obſiderent, & poſtquam illud crebris machinarum & pixidum ictibus conquaſſaverunt, finaliter tamen id obtinere, nec vi neque pactis valerent, dicta obſidione ſoluta receſſerunt. Videns autem hoc dictus Balthaſar, tunc legatus, qui concepit in mente ſua, quod illud qualitercunque capere vellet, & conſiderato tempore, quod habitatores dicti caſtri, & Comes ipſe ſecuri eſſent ſecundum ſe, quod deinde hoſtes dictum caſtrum nec obſidione conſtringerent, nec hoſtiliter impugnarent, & ideo non eſſent diligentes ad cuſtodiendum dictum caſtrum, ſicuti prius eſſe conſuerunt, recollegit exercitum mille, vel circiter, ſtipendiariorum equitum & peditum juxta ipſarum partium conſuetudinem ſive morem, nec alicui revelavit, quo cum ipſo exercitu tendere vellet. Nec mora, tertio die cum ipſo exercitu verſus dictum caſtrum iter egit, & circa noctis crepuſculum illuc prope pervenit: ubi hac cautela uſus eſt: fecit enim illuc adduci panes, carnes, nec non vinum in copia, cum quibus illo ſero dictum exercitum bene pavit, & interim quod coquebantur carnes, ille circum circa dictum caſtrum excubias fieri juſſit, ne quis dictum caſtrum exire, vel illud ingredi poſſet, quin ſtatim per ſuos, illic ad cuſtodiam poſitos, caperetur.

Poſtquam autem ipſe & dictus exercitus avide comederunt eis inebriatis ad impugnandum dictum caſtrum in diverſis locis illico acceſſerunt, cum quibus ipſe Balthaſar exiſtens perſonaliter, unum foſſatum dicti caſtri, quorum duo habebat in circumferentia, aqua repleta, invitis prædicti caſtri cuſtodibus, intrinſecus & contra iſtos extra id lapides projicientibus & ſagittantibus, & deinde ſecundum violenter ſuperarunt, ſicque factum exſtitit, quod dictum caſtrum illo ſero dictus Balthaſar taliter acquiſivit, & ſui illud, appoſitis ſcutis, ad mœnia vehementer incurrunt, ubi tamen aliquando eorum ictibus lapidum, de alto contra eos miſſorum, morte præcipitati in terram corruerunt, dictusque Balthaſar etiam aliqualiter ibi tactus cum quodam lapide in pede fuit, de quo tamen, exſultando de tanto per eum habito lucro non curavit. Et mane facto etiam arx ſeu Rotta prædicti caſtri, quæ erat bene fortis ex pacto ad manus ipſius Balthaſaris pervenit: & ſic lætus ab inde receſſit. Ex quibus patet, quod idem Balthaſar audebat aggredi terribilia, ut præmittitur, in minorib. conſtitutus.

Poſtquam autem ad hoc deventum in eodem Piſano concilio fuerat, quod dicti Angelus & Petrus à Papatu, quem quilibet eorum ſe habere prætendebat, finaliter amoverentur, & immineret novi ſummi Pontificis, ſecundum determinationem dicti Concilij, electio facienda, tangeretur quoque per aliquos multis rationibus, ut dictus Balthaſar tunc eligeretur in Papam: quod cum ſibi conſtaret, reſpondit, quod illud non expediret, ſed ſibi videretur eſſe magis utile acconveniens ea vice, quod dictus Petrus de Candia presbyter Cardinalis eligeretur in papam, quia eſſet vir apprimè literatus, & ætate grandævus ac bonæ famæ, & de Græcia oriundus: ita quod non haberet aliquos, ſibi carnis identitate conjunctos, per quos Romana eccleſia gravaretur, quem ſi eligerent, vellet fideliter omnibusque modis, quibus poſſet dirigere atque juvare, ut urbem & alias terras eccleſiæ Romanæ in provincia patrimonij Beati Petri in Tuſcia, & etiam alia temporalia & regalia ipſius eccleſiæ, violenter & injuſtè occupata, recuperaret ab illicitis detentoribus eorundem. Sicque præfatus Dominus Alexander, mediantibus perſuaſionibus & promiſſionibus hujuſmodi, ibidem Piſis, per electionem Dominorum Cardinalium in Papam fuit aſſumtus. Quæ quidem electio de ipſius Concilij Piſani expreſſa voluntate & conſenſu proceſſit, ſed ipſe Dn. Alexand. Papatum modico tempore poſſidebat.

ipſe

Digitized by Google

Ipſe vero Balthaſar tentando & ſolicitando tunc temporis Paulum de Urſinis, ſupra dictum, ut regem Ladiſlaum, etiam ſuperius notatum, qui tunc urbem ipſam tyrannicè occupabat, inde vi expelleret, quem ſibi in hoc favorabilem reperit, tamen magna pecunia mediante data per ipſum Balthaſarum manualiter Paulo memorato. Expulſis igitur officialibus dicti regis Ladiſlai ab urbe prædicta per eundem Paulum violenter, urbem ipſam dictus Paulus ejuſdem Alexandri Papæ ditioni ſubjecit: tamen ipſe Paulus poſtea, quæcunque voluit, in ipſa urbe diſpoſuit, Alexandro & poſtea Joanne viceſimo tertio prædictis præſidentibus cathedræ Piſcatoris.

Sed cum nova de hoc ad civitatem Piſtorienſem, in qua tunc dictus Alexander cum ſua curia reſidebat, in profeſto circumciſionis Domini delata fuiſſent, dictus Balthaſar, etiam exiſtens in eadem civitate, noluit, imo penitus diſſenſit, quod idem Alexander papa dictam curiam ad urbem ipſam ea vice transferret, illucque accederet, prout communiter fieri conſulebant, quodque ſic fieret, ſimiliter Romani ſperabant. Aſſerens dictus Balthaſar, quod pro recuperatione urbis ejuſdem, & quarundam aliarum terrarum, in eadem provincia patrimonij B. Petri in Tuſcia, magnos ſuſtinuiſſet labores, & pecunias non modicas expoſuiſſet, adjiciens etiam, quod ipſe recedens de Bononia, cauſa veniendi ad dictum Concilium Piſanum, Bononienſibus promiſiſſet, quod abſque Papa illuc non rediret, niſi illum ſecum reduceret, &, ſi contrarium fieret, timebat, quod prædicti Bononienſes ipſum impie trucidarent, perſuadendo eidem Alexandro, quod ageret conſultius eundo ad eandem civitatem Bononienſem, ubi poſſet tutò manere, & pro voto conſequi ea, quæ deſideraret habere. Ipſeque Balthaſar promiſit dicto Dn. Alexand. Papæ, & Dn. Cardinalibus, quod etiam in augmentum expenſarum ſe vellet ipſis reddere liberalem. Sed qua intentione hoc fecit, incertum eſt: veruntamen plærique autumant, ſe illud dolo feciſſe, ut per qualiacunque media perveniret ad Papatum, ſicuti exitus acta probavit. Sicque prædicti, Alexander Papa, & Domini Cardinales, qui cum eo erant in eadem civitate Piſtorienſi, perſuaſionibus & promiſſis hujusmodi prædicti Balthaſaris inducti, in illo indiſpoſito & frigido tempore hyemali, per aſperos montes & vias terribiles inter Piſtorium & Bononiam, tunc repletos glaciebus & nivibus, de ipſa civitate Piſtorienſi ad Bononiam acceſſerunt, quibus quidem Dominis Cardinalibus, illuc advenientibus, ſingulis videlicet eorum dictus Balthaſar aliqua vina & ligna & ſimilia donavit, ſatis tamen exilia reſpective, & quæ modico tempore conſumi poterant per eosdem: dictoque Alexandro providit manualiter de expenſis, ſatis tamen tenuiter, & remiſſe: & ei adjunxit quoſdam cubicularios, & alios domeſticos, de quibus dictus Alexander Papa, ut dicebatur, non erat bene contentus, ſed contradicere non præſumſit, ne ipſum Balthaſarum contra ſe in iracundiam provocaret. Poſtquam autem dictus Alexander Papa infra pauca tempora, ſcilicet in principio menſis Maji, ibidem Bononiæ deceſſiſſet, dictus Balthaſar ſimulans, ſeu fingens, ſe non curare, quod eligeretur in Papam, etſi ex induſtria, & qua intentione hoc proceſſit, etiam incertum eſt, unde rogabat pleroſque ex eiſdem Dominis Cardinalibus, quod Romæ Dominum Conradum, titulo Sancti Chryſogoni presbyterum, Cardinalem Melitenſem vulgariter nominatum, natione Neapolitanum, in Papam eligerent: qui licet eſſet in ſe bonus, erat tamen quaſi omnino illiteratus, nec non valde groſſus & indiſpoſitus ad papatum. Et quia tunc Dominus Ludovicus, Rex Siciliæ nominatus, magnam paravit claſſem per mare, cauſa, regnum Siciliæ ante dictum, quod tunc præfatus rex Ladiſlaus tenuit, acquirendi, quam per mare de Marſilia, per ripariam Ianuenſem tunc temporis deſtinabat, qui percipiens, quod dictus Alexander Papa obierat, & ſucceſſoris electio inſtanter imminebat, quendam ambaxiatorem ad Bononiam deſtinavit recommendando dictum Balthaſarum præfatis Dominis Cardinalibus, & præſertim de Gallia oriundis, & rogando, quod illum Papam eligerent: quia ſperabat, ſe in acquiſitione dicti regni, cum adminiculo ipſius Balthaſaris, ſi efficeretur Papa, indubie proſperari. Sicque dictus Balthaſar, poſtquam præfati Cardinales, ad eligendum novum ſummum Pontificem, conclave, more ſolito intraverunt, paucis diſcurſis diebus tantum, pro ſe & aliis multis infeliciter electus fuit in Papam, & ipſo feſto Sancti Urbani Papæ inſignibus Papalibus decoratus ſeu coronatus per Bononiam publice inceſſit, per vicos & plateas equitando, prout moris eſt Summorum Pontificum, in die coronationis eorundem.

Et infra paucos dies poſtea ingrata nova recepit idem Balthaſar, qualiter galeæ & naves dicti regis Ludovici, quas verſus ipſum regnum Siciliæ deſtinavit, cum hominibus, tunc exiſtentibus in eiſdem, uſque ad numerum octo millium vel circiter, in prædicta riparia, prope portum Neveris, ſeu in illa plaga maris, per nautas & auxiliatores dicti Ladislai expugnatæ, & quædam ad januam, reliquæ vero ad Neapolim abductæ fuiſſent: & etiam illa tempeſtate civitates Faventia & Forolivienſis & quædam alia loca inſignia & fortia, quæ in Romandiola uſque tunc dictus Balthaſar occupabat, per quoſdam hoſtes & æmulos ſuos recenter & violenter occupata fuerunt, in hoc Domino Carolo de Malateſtis cooperante: propter quod dictus Balthaſar valde dolebat, ex tunc parum in ſtipendiariis, qui commiſſa recuperarent, confidendo, quia frequentius eorum ſegnitiem & infidelitatem, dum cum eis ante Papatum ſuum exiſteret, expertus.

Et illa tempeſtate dictus Balthaſar quam plurimis ſcriptis & dictis quorundam, magnæ auctoritatis virorum, pacem & concordiam, inter Dominum Wladislaum regem Poloniæ, nec non majorem principem Lithoviæ ac dominum Ruſſiæ, ex una parte, & pro tunc magiſtrum atque fratres Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hieroſolymitanorum, qui domini Pruſſiæ & Livoniæ nominantur, ex altera **** caritative admonitus, ut ſe interponere dignaretur, ne ad conflictus & guerras, nec non alia mala & ſæva, quæ bella parturiunt, pervenirent.

Et quia dictus Balthaſar ſe non interpoſuit pro hujuſmodi concordia tempeſtive inter eaſdem partes, tunc inſimul diſceptantes, contigit eodem anno, die decimo quinto menſis Julii, ſcilicet in feſto diviſionis Apoſtolorum, quod rex Poloniæ prædictus, prope terras ipſorum Magiſtri & fratrum, caſtrametatus cum valde potenti exercitu, ipſam Pruſſiam, ad comprimendam, ſi poſſet, violenter ipſorum Magiſtri & fratrum audaciam, vellet intrare: cui occurrentes illic prædicti Magiſter & fratres, etiam valido ſtipati exercitu, circa horam tertiam ipſa die præliari fortiter cœperunt, ubi fortis impegit in fortem: ſed Magiſter & fratres prædicti infelici omine pugnantes ſubito devicti fuerunt, fugientibus ab ipſis multis militibus de ipſorum exercitu memorato: ubi prædictus Magiſter, & multi alii ex fratribus prædictis in bello hujuſmodi mortui ceciderunt, quod contigit eorum cauſſante ſuperbia.

Miſit enim eadem die de manè præfatus Magiſter, in grandi multitudine dicti ſui exercitus confiſus, & quaſi de victoria certus, mittendo ſibi duos enſes evaginatos, in ſignum, quod utique ſecum pugnare vellet, quos rex ipſe animoſè recepit, plus ad bellandum cum ipſis fratribus accenſus: ubi tunc & infra paucos dies poſtea, ut fama erat, propter hujuſmodi guerram ultra ſexaginta millia hominum ceciderunt.

Sed quot caſtra, opida, villæ campeſtres, per ipſos victores Polonos, in eadem Pruſſia, illa tempeſtate durante, ignis incendio & alias devaſtatæ fuere, & quot alia terribilia mala ex illis guerris tunc temporis prodierunt, eſſet longum ſeu tædioſum calamo exarare. Sed tandem partes ipſæ, mediante bonæ memoriæ Joanne Epiſcopo Herbipolenſe, viro venerabili, qui in ſuccurſum eorundem fratrum cum competenti exercitu illo tempore tranſivit ad Pruſſiam, amicabilis compoſitio facta fuit, vel ſaltem treugæ ad tempus aliquod firmatæ: Ita quod per illas omnes captivi de exercitu Prutenorum à captivitate hujuſmodi liberati fuerunt, promiſſa, quod fratres ſuperſtites dicti hoſpitalis Domino regi Poloniæ prædicto magna pecuniæ quantitate, pro redemtione ipſorum captivorum, nec non recompenſatione expenſarum & damnorum, per ipſum Dominum regem præmiſſorum occaſione paſſorum. Quibus ſic geſtis, & ad notitiam dicti Balthaſaris deductis, tunc primum illic ad ipſos Dominos, Regem & fratres, quendam ſuum oratorem deſtinavit, licet tardè exhortando illos ſuis literis, ut pacem inter ſe ſtabilire & inviolabiter obſervare curarent. Cumque poſtea dicti fratres etiam præfatam compoſitionem amicabilem, ut fama publica divulgabat, nollent obſervare, imo dictum Dominum Regem Poloniæ contra ipſam multifariè moleſtarent, dictus Dominus Poloniæ ex hoc indignatus, grandem iterum collegit exercitum, cum quo contra eoſdem, modernum Magiſtrum & fratres ad Pruſſiam tranſitum fecit, anno M. D. XIII. in æſtate, plura illic caſtra, opida & villas tunc etiam deſtruendo: tandem mediantibus quibuſdam magnæ auctoritatis viris, partes ipſæ ſuper quæſtionibus omnibus, inter eas tunc pendentibus, ad Sereniſ-

ſimum

Digitized by Google

ſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum & Ungariæ regem in alto & baſſo compromittere curaverunt, qui dicto accepto compromiſſo æquum dicitur tuliſſe arbitrium inter partes, quod, ut etiam fama eſt, ipſi, modernus Magiſter & fratres obſervare non curant, de quo niſi magnum inconveniens ſequi poterit, ut timetur, & quod noviſſima compoſitio ſeu concordia fieret, ipſe Balthaſar tunc Papa exiſtens Bononiæ, per alias ſuas literas, paulo ante, quam iter arripuit verſus Conſtantiam, per venerabilem patrem, Epiſcopum Latzonenſem, & poſtquam multa & grandia damna partes ipſæ hinc inde ſuſtinuerunt, occaſione guerræ hujusmodi exhortari, quarum vigore treugæ adhuc durant inter partes, factæ ſunt, merito etiam communi judicio referentium prædicti fratres adverſitates & damna hujusmodi ſuſtinuerunt: quia confidentes in multitudine divitiarum ſuarum, & fortitudine terrarum, & plebis ſibi ſubjectarum, regem ipſum Poloniæ, quem rebus ordinare procedentibus tanquam bonum vicinum eorum & devotum Chriſticolam honore omnique favore proſequi debuerant, econtra ipſum ſuosque fideles & ſubditos in perſonis & bonis eorum deſtruere inconſultis motibus, ſeu malo ducti conſilio, attentarunt.

Quæſivit etiam idem Balthaſar ſummopere, qualiter Dn. Carolum de Malateſtis ſibi attrahere poſſet, promittendo eidem, quod, ſi ipſum Balthaſarum pro Papa tenere, ſibique fideliter adhærere vellet, ipſe ei ſuisque miranda faceret: ad quod dictus Dn. Carolus flecti non potuit, aſſerens, quod, licet ipſum Balthaſarum, in minoribus conſtitutum, ſcilicet dum eſſet cubicularius dicti Bonifacii & legatus Bononiæ, dilexiſſet, eum etiam tunc juvando pro poſſe, veruntamen ipſum pro Papa non teneret, nec ſalva conſcientia pro tali tenere poſſet, ſciens ipſum omnino fuiſſe & eſſe indiſpoſitum ad Papatum, nihilominus rogando ipſum Balthaſarum frequentius per intermedios nuncios, quod ejus tali quali Papatui cederet: cum poſſet ad hoc, quod vera unio in ipſa univerſali eccleſia, ſi datum eſſet deſuper, ipſo Balthaſare mediante ſequeretur, aſſerens, quod ſi dictus Balthaſar hoc faceret cum effectu, ex hoc ſibi gloria & honores magni accreſcerent: Et tunc etiam dictus Dn. Karolus cum favore, quo poſſet ipſum proſequi & juvare contra quoslibet æmulos ejus vellet: quod, aliquando idem Balthaſar ſe facturum affirmavit, & quandoque negavit diverſis ſcriptis ſuis, quæ legebam.

Tandem dictus Balthaſar videns, quod in his tempus redimeret inutiliter cum Dn. Carolo memorato, ira commotus diſpoſuit in mente ſua, ad eandem urbem accedere, & bellum ſive guerram contra eundem Ladislaum regem, qui dictum Dn. Carolum fovebat, aſſumere. Sperabat enim, ſe juxta quosdam tractatus ſecretos, quos habebat in eodem regno Siciliæ, ipſum regem Ladislaum abinde repellere, nec non præfatum Dn. Ludovicum regno, infra pauca tempora, deputare: & ſuper hoc magnum exercitum armigerorum ſecum duxit ad eandem Urbem, & illum ad fines Campaniæ, juxta introitum ipſius regni, verſus Capuam ſeu prope Cepanum deſtinavit. Sed præfatus rex Ladislaus econverſo non minorem exercitum ad obviandum hoſtibus recollegit, quem prope caſtrum, Arx nuncupatum, in quodam loco, diſtante forſan per quinque vel ſex milliaria Italica ab illo exercitu prædicto, collocavit. Sed iſtos exercitus mediavit quidam fluvius ſeu amnis, qui ſemper ſatis impetuoſè aquis vehementibus fluit.

Cumque ibi per aliquot dies, tempore vernali, dicti exercitus, unus ab iſto, & alius ab alio latere dicti fluminis permanſiſſent, Capitanei exercitus eorum, Balthaſaris & Ludovici Regis, quadam die menſis Maii, circa veſperam, improviſis hoſtibus prædictum flumen tranſiverunt, ipſos hoſtes, dum cœnare vellent, alacriter invadendo, & reſiſtentes eis hoſtes hujusmodi quosdam ceperunt, quosdam vi repulerunt ſeu fugarunt, pedeſtres & equeſtres in magna copia, inter quos erant aliqui magni capitanei, & etiam quamplures Comites & Barones, nec non aliqui alii proceres, ad ipſum Balthaſarem captivi poſtea deducti.

Et dum hæc agerentur, prædictus Ladislaus rex, videns ſuos in illo conflictu deficere, abinde conſulendo ſibi ipſi ad caſtrum, Rottaficta nominatum, conſiſtens in quadã rupe altiſſima & non multum diſtante ab eodem loco conflictus, cum paucis, de ipſo ejus exercitu aufugit, timens, quod dictus exercitus eorum, Balthaſari & regis Ludovici eum continue ſequerentur, nec non, quocunque deveniret, obſiderent.

Dicti autem Capitanei, & eorum ſocii de prædicto exercitu eorundem, Balthaſa-

ris & regis Ludovici, videntes, in dicto loco conflictus quam plura vaſa aurea & argentea poſita in menſis, ubi rex ipſe Ladislaus cœnare debebat, ne illa prædicta amitterent, præfatum regem Ladislaum, & alios, de exercitu ſuo fugientes, tunc ulterius proſequi non curabant: Sed vaſa ipſa aurea banderia dicti regis Ladislai & cujusdam legati dicti Domini Angeli, tunc Gregorii, exiſtentis cum eodem rege Ladislao in illo conflictu, nec non plures equos, & devictorum hoſtium arma ceperunt, inter ſe hujusmodi ſpolia dividendo. Sicque dictus Ladislaus, nemine ipſum ulterius perſequente, illud grande imminens ſibi periculum tunc evaſit.

Et interim quod illa fiebant, Rex Ludovicus præfatus & Dominus Cardinalis S. Angeli, natione Romanus, qui erat legatus ejuſd. Balthaſaris, in eodem loco, ubi prius dictus exercitus præfatorum, Balthaſari & regis Ludovici, ab alio latere dicti fluminis collocatus extiterat, ut præfertur, permanſerunt, ſed neſcio quare, niſi forſan de conſequenda victoria contra eorum hoſtes hujuſmodi dubitabant: tamen finaliter ipſa victoria contra eundem Ladislaum regem, ipſis, Balthaſaro & Ludovico regi parata erat, ſi eorundem, Balthaſaris & Ludovici regis Capitanei & exercitus præfatos adverſarios acriter percuſſiſſent, & non ad prædandum ita repente avidi & intenti fuiſſent. Nec habet ibi locum: Quam bene pugnatur, & quam bene ſternitur hoſtis. Et infra paucos dies poſtea dicta banderia, in ſignum victoriæ, ad Romam tranſmiſſa fuerunt: quæ ipſe Balthaſar de turri baſilicæ, principis Apoſtolorum de urbe prædicta, in altum publice poni fecerat, ut ab omnibus dictam baſilicam intrantibus & exeuntibus viderentur. Et demum, proceſſione ſolemni facta in ipſa urbe per eundem Balthaſarum cum Dn. Cardinalibus & aliis prælatis multis, idem Balthaſar ad majorem confuſionem regis Ladislai & Dn. Angeli, tunc Gregorii, præfatorum, ipſa banderia in luto, in contemptum retro dictam proceſſionem publice trahi fecit, quod tamen diſplicuit multis curialibus, & aliis, magis mature res illas fortuitas videntibus, & aſſerentibus, quod tales deſpectus nil facerent ad propoſitum, niſi quod eorundem, Ladislai regis, ſuorumque auxiliatorum animos, ad reſiſtendum adverſariis magis viriliter, & ad offendendum eos vehementius provocarent. Poſtea vero, eodem rege Ludovico ad Gallias redeunte, & in ejuſdem anni revolutione, quaſi illo tempore, ſicut fuit ille conflictus prædictus, rex Ladislaus dolo cepit quendam potentem Capitaneum dicti Balthaſaris. & ſibi ſatis infeſtum, habentem aliqua fortalitia contigua terris Ladislai prædicti, quem incarceravit, & donec ipſe Ladislaus rex cum eodem Balthaſare concordavit, continuo detinuit captivatũ. Et poſt hoc quendam potentem capitaneum ipſius Balthaſaris, nominatum Fortza, pecunia circumvenit, illumque ſibi attraxit. Et tunc præfatus Balthaſar cœpit de potentia ſua diffidere, quod eundem Ladislaum regem deinceps vincere aut debellare non poſſet, propter inconſtantiam & avaritiam capitaneorum ipſius Balthaſaris, in quibus, tractu temporis defecit. Quod conſiderans dictus Ladislaus rex, in principio meſſis miſit exercitum prope Romam, ſatis tamen inutilem & imbellem, qui monaſterium monialium S. Agnetis, extra muros urbis, intravit, & poſtquam ibi pernoctavit, mane facto de ipſo monaſterio uſque ad portam præfatæ urbis, quæ reſpicit prædictum monaſterium, ac ſi illam violenter ingredi vellent hoſtes, ipſi unanimiter acceſſerunt, & quaſi nullam reſiſtentiam illic invenerunt, niſi quod quidam parvus capitaneus Theutonicus, qui ad ſtipendia dicti Balthaſaris militabat, dum præfatus exercitus ad ipſum monaſterium eadem die rediret, inſequendo eoſdem hoſtes aliquos equos violenter cepit ipſorum, & abduxit ad urbem. Prædictus autem Paulus de Urſinis, qui tunc etiam erat magnus capitaneus ejuſdem Balthaſaris, in eadem urbe tunc exiſtens, quia ſocios ſuos illa vice non habuit, ſecum forſan omnes, & de quibus poſſet confidere, contra hoſtes ipſos pugnare non audebat, ſed tamen, quocunque iverant in diſtrictu Romano, eos ſequebatur à longe, forſan illa intentione, quod, ſi oportunitatem inveniſſet, cum ipſis bellum iniiſſet. Quibus taliter actis, ipſe Balthaſar qualitercunque ad vindictam ſe contra prædictum Dn. Carolum de Malateſtis, Dn Cardinalem de Urſinis creavit legatum ſuum in Marchia Anconitana, & in Romandiola, & cum illo deſtinavit competentem exercitum, cujus capitaneus generalis erat dictus Paulus de Urſinis, qui ad illas partes venientes, & forſan credentes, contra ipſum Carolum ſe pro dicto Balthaſare multa facere poſſe, tamen in illis etiam ſpe ſua fraudati fuerunt.

runt. Dictus enim Dn. Carolus adeo prudenter & potenter eis reſiſtebat, quod vix manus ſuas domum cum rebus & perſonis eorum evaſerunt.

Nec etiam juvit eundem Balthaſarum, quod eo tempore, quo proſpere contra eundem Ladislaum regem ſibi ſucceſſit in guerris antedictis, multos Cardinales, quoſdam ſcilicet proceres: & alios magnæ literaturæ de novo creavit, aſſerens, quod per hoc ſe armis & ſcientia vellet peramplius communire, ipſamque urbem & ejus diſtrictum potenter tunc teneret, quoniam per ipſum Ladislaum regem, ejuſque auxiliatores, ſubditi & fideles dicti Balthaſaris, & præſertim in ipſa Romandiola, Campania, necnon Tuderto, Æmilia, & quibuſdam aliis terris ejuſdem Romanæ eccleſiæ habitantes plurimum vexarunt in perſonis & bonis eorum. Propter quæ dictus Balthaſar, mente conſternatus, repperit modum cum dicto Ladislao rege concordandi, mediantibus pecuniis & quibuſdam magnis promiſſionibus, per ipſum Balthaſarem præfato regi Ladislao per aliquos mediatores factis. Sed quantæ fuerunt illæ pecuniæ, & quales erant ipſæ promiſſiones, pauci noverunt: Sed diverſi de hoc diverſa loquebantur. Audivi tamen de quodam, tunc obedientiæ dicti Dn. Angeli, tunc Gregorii, quod idem Balthaſar dictum Ladislaum regem, ut ab ipſo Angelo, tunc Gregorio recederet, dictumque Balthaſarum pro Papa deinceps haberet, cum ſumma centum millium florenorum, ſibi per quendam Florentinum per ipſum Balthaſarem tranſmiſſorum, ſophiſticaſſet. O miſera pecunia etiam quales & quantos in illis partibus corrumpere aut decipere conſuevit, ut ſæpe de fide ad perfidiam declinarent. Et quando pax, ſeu concordia illa ſic ſub nive facta ſeu cooperta fiebat, adhuc Dn. Angelus, tunc Gregorius, cum ſuis Cardinalibus & curialibus in civitate Cajeta maritima, non remote ab ipſa Campania, ſub protectione ipſius Ladislai regis reſidebat, tamen hujuſmodi tractatum concordiæ in principio penitus ignorabat. Et dictus rex Ladislaus illa tempeſtate ad eundem Dn. Angelum, tunc Gregorium, quadam vice veniens, &, depoſito caputio ſeu pileo de capite, ipſum Dn. Angelum, tunc Gregorium, more ſolito honorabat: dictus vero Dn. Angelus, tunc Gregorius, de prædicta concordia ſecrete informatus, eidem regi publice dixit: cariſſime Dn. rex, quare cum adverſario meo concordaſtis, me inſcio penitus & excluſo; Qui quidem rex conſtanter negabat dictam concordiam ſe feciſſe: attamen die ſequenti, per quendam de ſuis, ipſi Dn. Angelo, tunc Gregorio, intimari fecit, quod infra certum tempus, tunc expreſſum, etiam nimis arctum, cum ſuis ſe ab eodem regno Siciliæ abſentaret. Et tunc primum ipſe Dn. Angelus, tunc Gregorius, cognovit dictam concordiam proceſſiſſe, ſibique atque ſuis, ſi diutius illic remanerent, quoad perſonas & res ipſorum, maxima pericula imminere.

Et convenientes ilico, inſimul ipſe D. Angelus & ſui curiales valde timebant, ac titubantes neſciverunt, quam viam pro eorum ſalvatione, in tanta perplexitate poſiti eligere poſſent. Et dum ſic parum perhæſitaſſent, applicuerunt illic duæ magnæ naves, mercibus oneratæ, una videlicet de Oriente, & alia de Occidente. Cives autem Cajetani audientes, quod rex ipſe taliter fecerat, erant male contenti, quia dictum Dn. Angelum, tunc Gregorium, ſuoſque curiales dilexerunt, merces hujuſmodi emerunt ſubito ad illum finem, quod ſic naves illæ, mercibus exoneratæ, ab eisdem Dn. Angelo, tunc Gregorio, ſuiſque curialibus conducerentur, ſicuti factum fuit inſtanter: in quibus præfati, Dn. Angelus, tunc Gregorius, & ſui curiales, velis in ſublimi protenſis, per altum pelagus navigarunt der multas dieras, quouſque ad eandem Marchiam Anconitanam, ſub protectione dicti Dn. Caroli de Malateſtis, ad quædam ejus loca maritima, cum vento proſpero, & abſque omni periculo pervenerunt. Interim autem quod hæc fiebant, prædictus Balthaſar, continue in eadem urbe cum ſua curia reſidens, infra aliquot menſes valde ſolicite perquiſivit, quibus modis & viis ditiores curiales ſuos, necnon etiam quam plures cives Romanos poſſet exactionare, prout fecit. Vocavit igitur ad ſe aliquos notabiles hujuſmodi curialium, ſcilicet prothonotarios, referendarios, ſcriptores & abbreviatores literarum apoſtolicarum: qui credentes, quod aliqua ſecreta cum eis haberet pertractare, ad eundem intrepide acceſſerunt. Venientibus autem ad palatium Papale, & inveſtigantibus ad quid vocati eſſent, reſpondebatur eis ulterius, quod irent & invenirent certos Dn. Cardinales ad hoc deputatos, qui ipſis intentionem dicti Dn. Papæ manifeſtare deberent: quos ipſi

 Cardi-

Digitized by Google

Cardinales, ad ſe venientes, ſalutabant dicendo, quod dictus Balthaſar magnas pecunias haberet, pro utilitate Eccleſiæ tunc exponere, & in hoc ipſorum ſuffragio indigeret. Et ſive illi affirmarent, vel negarent, neceſſe fuit ut ſolverent, & quouſque ſolverent, eis abinde recedere non licebat. Et ſic fecit de omni partium ſtatu curialium prædictorum, ſicque multas pecuniarum ſummulas reportavit, & quam plures cives Romanos, præſertim ditiores, per Senatorem urbis paulatim accerſiri fecit, à quibus etiam, ad ſe venientibus, Senator ipſe ex parte prædicti Balthaſaris pecuniarum ſummas quam plurimas, etiam per detentionem plurimorum, ex ipſis civibus, donec ſolverent, exigebat. Et fuerunt tunc horrendæ gabellæ in urbe prædicta, potiſſime de vino: & granum tam care vendebatur, ita, quod pro pecunia etiam rubrum pro novem florenis Romanis, absque partium importunitate vix reperiebatur venale, qualem menſuram vidi pro uno floreno in eadem urbe, diverſis temporibus, venundari. Ita quod propterea multi ſexus utriusque homines, tam cives Romani, quam curiales, nec non peregrini, tunc in ipſa urbe exiſtentes, victualium cariſtiam ſeu inediam non modicam ſuſtinebant. Nihil enim dictus Balthaſar dimiſit intactum in talibus, unde lucrari non vellet: nec dimiſit etiam quærere ſeu exigere de fabris & mareſcallis equorum in eadem urbe: nec non de illis, qui fecerunt cochlearia & ollas & lebetes, nec non lampades, gabellas de operibus eorundem: & immutare antiquam monetam urbis prædictæ, & alia multa ſimilia attentavit, quæ per præſens in urbe ipſa inſolita & inaudita fuere, per quæ Romanos & Curiales ipſos ad iracundiam concitavit, & in illis minime conſequebatur effectum, quia ipſi fabri equos ferrare, & alii artifices ſeu mœchanici in eorum artibus laborare nolebant, donec retractaretur per ipſum Balthaſarum illud mandatum ſeu edictum de ſolvendis ei per ipſos mœchanicos gabellis de operibus eorundem. Nec venditores victualium in eadem urbe volebant eandem monetam novam accipere, & apothecas clauſerunt eorundem, quouſque dictus Balthaſar etiam illud edictum ſuum de illa moneta publice, per vicos & plateas dictæ urbis, per vocem præconis publice retractaret. Multas etiam tunc temporis in diverſis regnis & provinciis, ſuæ obedientiæ, indulgentias & peccatorum remiſſiones venales, per aliquos avidos ſuos quæſtuarios, clericos & laicos, pro exigendis pecuniis fecerat publicari: unde contra ipſum una voce valde multi dicebant, quod ſanam conſcientiam non haberet: ac muros antiqui burgi S. Petri de ipſo ejus palatio, usq; ad caſtrum S. Angeli, ut de eodem palatio ad prædictum caſtrum quando vellet per eundẽ murum intrinſecus, per quendã meatum, tranſire, ipſumq; tranſeuntem nemo videre poſſet, non paucis ſumtibus etiam illa tempeſtate fecerat reparari. In illo muro ſeu meatu conſueverunt olim, ad perpetuam pœnitentiam agendam, includi adulteræ & aliæ publicæ peccatrices, aliquæ ipſarum videlicet invitæ, ac aliæ voluntariæ, multæque de fidelium eleemoſynis ſuſtentabantur toto tempore vitæ ſuæ. Et aliquando quosdam venientes ad dictum palatium ſibi ſuſpectos, ad dictum caſtrum per præfatum murum adduci, & in illo caſtro detineri fecit invitos. Habuit etiam tunc temporis publicam guerram cum præfecto urbis, qui adhærebat ipſi regi Ladiſlao, forſan aliud facere non præſumens, ut ſe ſuosque ſecurius conſervaret, quos gentes armigeræ dicti Balthaſaris valdè prius infeſtabant & damnificabant in perſonis & rebus eorundem. Ex præmiſſis advertendum eſt, quod, qui fortuna ſibi favente in aliquo conflictu abutitur, aut illam negligit, quod raro ad votum ſibi poſtea cedit.

Poſtquam autem dictus rex Ladiſlaus forſan ab ipſo Balthaſare, quoad promiſſas pecunias ſibi, ut præfertur, habebat intentum, rex ipſe in regno ſuo & aliis terris ſibi ſubjectis, in omni ſtatu & gente, ad ſonum tubæ fecerat publicari, qualiter ipſe cum præfato Balthaſare amicabiliter concordaſſet, ipſum haberet in Papam & dominum ſingularem, mandans omnibus, tam clero, quam populo, ſibi ſubjectis in omni ſtatu & gradu, ſub formidabilibus pœnis, quod ipſi Balthaſaro, ut vero & unico Papæ reverenter & humiliter obedirent: de quo clerici & laici communiter illarum partium mirabantur. Credebatur aliter, & dicebatur etiam à multis, quod in capitulis ſeu articulis pacis & concordiæ hujuſmodi, inter Balthaſarem & regem Ladiſlaum prædictos, conceptis conditum erat, quod dictus Balthaſar plures eccleſiaſticos Prælatos ejuſdem regni Siciliæ, per ipſum regem præfato Balthaſari nominandos, ipſorum prælaturis privaret, eiſque alios, quos vellet rex, ipſe ſurrogare deberet, ſperabant-

rabantque dicti curiales, quod per reductionem prædicti regni Siciliæ ad obedientiam prædicti Balthaſeris, multa eis lucra reſultarent, ſufficiens boni vini & aliarum rerum delicalium copia ad eandem urbem de cætero duceretur, & etiam aliorum victualium, propter hujuſmodi concordiam, inter Balthaſarum & regem præfatos initam, etiam in ipſa urbe, infra longa tempora non deeſſet: ipſeque Balthaſar, pace illa firmata, deinceps ab importuna earundem gabellarum exactione quieſceret in urbe prædicta, cum tunc guerras eum non oporteret habere, ſed, ſi vellet, poſſet omnimoda quiete gaudere, ſed fruſtra. Concepit enim intrinſecus, & aliquando quibuſdam ſuis caris dicebat, quod gabellam vini duntaxat annuatim in urbe prædicta pro ejus utilitate uſq; ad ſummam centum millium florenorum auri augere ſeu extendere vellet, quamvis uſque ad medietatem illius ſummæ florenorum gabella vini in ipſa urbe ſingulis annis non aſcenderet, ipſiuſque gabellæ augmentum præfatis Romanis & curialibus nimis eſſet exoſum. Sperabant etiam Ladislaus rex præfatus, ſuique officiales in eodem regno, quod ſubditi dicti regis, præſertim in terris maritimis conſtituti, mitterent in manibus ſuis vina & victualia, quorum ingens copia ſeu ubertas in ipſo regno præcipue fuit, & eſt, ut frequenter ad eandem urbem multum bene pro hoc lucrari poſſent dicti ſubditi, ſicque ipſi, ad ſolvendum impoſitiones & tallias eidem regi, deinceps eſſent proniores. Ab alia vero parte præfatus Balthaſar credidit ſe poſſe mutare aut privare archiepiſcopos, epiſcopos, nec non abbates monaſteriorum, & etiam inferiores prælatos ac beneficiatos ſeculares & regulares dicti regni Siciliæ, eiſque alios ſurrogare, pro ſuo libitu voluntatis, ut ſic recentes pecunias ſemper acquireret ab eiſdem. Fuit etiam pactum inter eoſdem, Balthaſarem & regem, ut fama erat, quod omnes illi prælati & ceteri beneficiati, qui proviſiones beneficiales ab eodem Dn. Angelo, tunc Gregorio, in ipſius regno Siciliæ, & terris ſubjectis dicto Ladislao regi, receperant, novas proviſiones ſuper illis ab eodem Balthaſare, infra trimeſtre tempus, à tempore dictæ publicationis factæ, ut præfertur, petere, aut reportare deberent: Et per hoc etiam ipſe Balthaſar magnas pecuniarum ſummulas credidit reportare. Unde poſtquam ipſa concordia fuerat inchoata, & in eodem regno Siciliæ præſentata, ut præfertur, præfatus Balthaſar, ſuæ avaritiæ conſulens, incepit petentibus concedere privationes contra pleroſque conſiſtentes in regno, & terris nominatis, dicto Ladislao tunc ſubjectis, paucis autem, aut nullis prælatis & aliis clericis, infra dictum trimeſtre tempus ad eandem urbem mittentibus aut venientibus, pro eiſdem novis obtinendis proviſionibus, quas gratis ſe reportare poſſe nullatenus confidebant, præfatus Balthaſar cœpit iraſci, quaſi per ipſum regem Ladislaum, per hoc in eisdem pactis exiſteret defraudatus, quia non venerunt etiam tunc reges & principes aut eccleſiaſtici prælati vel clerici, de illis inſulis aurum ad præſepe Domini deferentes, & neſciens dictus Balthaſar, qualiter caute contra eundem regem ſe poſſet propterea vindicare, aliquibus etiam Romanis ſtimulantibus ipſum, inconſultis motibus ſtatuit, quod ultra gabellas de vino forenſi, quod ad urbem ipſam pro tempore vehebatur, in portu dictæ urbis ab antiquo ſolvi conſuetas, de qualibet vegete vini pro gabella deinceps duo ducati, antequam vinum illud venderetur in urbe, perſolvi deberent. Unde mercatores & nautæ, qui vina forenſia illic apportarunt, adeo gravati fuerunt, quod de cætero aliqua vina illuc deferre noluerunt, aſſerentes, quod vina ſua utilius pro eis in partibus ipſorum vendere poſſent. Quod cum dictus Ladislaus rex audiret, valde ex hoc fuit ira commotus, mandans ſuis ſubditis ſub formidabili pœna, quod nullus eorum vina ſeu victualia duceret, aut duci faceret, ad urbem ſæpe dictam, & qui contrarium faceret, de qualibet vegete etiam taliter ſolitam gabellam efficaciter ſolveret ſuis gabellatoribus, duos ducatos auri: quamvis una illic veges vini comunis vix duobus ducatis auri vendi conſueverit, aliquoties me vidente: & ſic inter ipſos duos, Balthaſarem & Ladislaum regem, modicum perduravit dicta concordia, utriusque ipſorum avaritia ſtimulante: attamen non fuit detecta diſcordia, quæ inter eos latitabat, quouſq; dictus Ladislaus rex urbem ipſam taliter qualiter cepit, ut inferius deducetur. Hæc autem inconvenientia aliqua indicia figurabant, quia, dum quadam vice, in feſto Pentecoſtes, dictus Balthaſar veſperas ſolemnes in capella majori ſui palatii, prope baſilicam S. Petri, ut moris eſt, celebraret, dum inciperetur hymnus, Veni creator Spiritus, ilico adfuit & volavit illic in alto bubo ſeu noctua.

noctua. Hujus rei novitatem multi curiales ibidem exiſtentes mirabantur. Et eiſdem temporibus, dum ipſe Balthaſar, in porta eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, arma ſua in medio armorum ſeu inſignium quorundam aliorum depingi feciſſet, fulgure infra paucos dies deſtructa fuerunt, eiſdem aliis armis ſeu inſignibus remanentibus ſalvis.

In primo anno Pontificatus dicti Balthaſaris moriebatur Iodocus, marchio Moraviæ, fratruelis D. Sigiſmundi, moderni regis Roman. in Romanor. regem pauco elapſo tempore prius electus, & ejus loco, conſentiente Dn. Wenceſlao rege Bohemiæ, & fratre dicti Sigiſmundi, per Dn. principes electores Imperii, in Francofordia dictus Dn. Sigiſmundus, tunc & nunc etiam rex Ungariæ in regem Romanor. fuit electus, qui poſtea cum Venetis, ſuper quibuſdam arduis cauſis tunc diſcrepabat, in eundem Balthaſarem tunc Papam, tanquam arbitratorem, & amicabilem compoſitorem concordarunt, & miſſis per eos ipſorum procuratoribus & oratoribus ad urbem, in qua dictus Balthaſar tunc reſidebat. Qui, licet illic dictum negotium ſolicitaſſent, ipſe tamen Balthaſar finaliter illud dimiſit intactum. Videns autem ipſe Rex Romanor. quod nihil proficeret in hoc apud eundem Balthaſarem, miſit eodem anno tempore hyemali, ad partes Foro Iulii in Italiam aliquos capitaneos cum certo exercitu, qui ſtipendiarios eorundem Venetorum in magno numero valde, circa quoddam foſſatum novum, quod ipſi Veneti in præſidium eis fieri fecerunt, tunc laborantes, quadam die atrociter invaſerunt, & plures eorum interfecerunt, & aliquos captivarunt, quibus manus dextras amputarunt, ſicque alios ad terendam viam abire permiſerunt, reliqua multitudine fugæ ſubſidio evadente: per quod ipſos Venetos, ſuoſque ſubditos vicinos, adeo timor & tremor invaſit, quod, ſi dictus exercitus, habita ipſa victoria, repente ad Paduam & Terviſium tranſitum feciſſet, juxta multorum judicia de illis etiam victoriam ſubito reportaſſent, quod tamen neglectum fuit, pro eo, quia exercitu ipſo præfati Dn. regis, in quorundam caſtrorum expugnatione tunc in partibus illis laborante, interim Præfati Veneti Paduam & Terviſium gentibus armorum & aliis, ad reſiſtendum hoſtibus neceſſariis munierant. Poſtea vero aliquot menſibus elapſis, ipſe Rex Romanor. perſonaliter illas partes intravit, & licet etiam tentaſſet Veronam eripere de manibus Venetorum, in hoc tamen finaliter non profecit, ac demum anno tertio Pontificatus dicti Balthaſaris, mediantibus quibuſdam viris, ipſe Rex & Veneti treugas, ex tunc usque ad quinquennium duraturas, invicem fecerunt, ſub eadem conditione, quod, quæ utraque pars, ſive jure belli, ſive alias, de juribus alterius occuparet, interim quiete per ſe retinere deberet. Quo facto dicti Veneti terras Romani Imperii, quas detinuerant tunc, & adhuc detinent, valde fortificarunt: Sed ante adventum dicti regis ad partes illas, eis, quos præmiſerat, ut præfertur, bene ſucceſſit, ac plures civitates & fortalitia Venetorum impugnantes ea viriliter infra breve tempus ceperunt. In revolutione vero ipſius anni, quo dicta concordia inter eoſdem, Balthaſarum & Ladiſlaum regem facta fuit, circa feſtum Paſchæ, plures ex Curialibus & Romanis inceperunt de hujuſmodi concordia dubitare, ipſeque Balthaſar multos de die in diem ſtipendiarios, pedites potiſſime, fecit conſcribi in urbe prædicta, & præſertim pro majore parte de ipſo regno Siciliæ oriundos, qui nec Deum, nec homines præ oculis habentes, multa facinora perpetrarunt: & mirabantur ipſi curiales, quod tantam fidem adhibuit ipſis ſtipendiariis, prout fecit. In principio vero menſis Maii, eodem anno, prædictus Ladiſlaus rex cum grandi exercitu ad ipſam Romanam Campaniam caſtrametatus eſt, ubi Friſolonis & alia nobilia caſtra, quæ prius dicto Balthaſari obediebant, etiam taliter qualiter ſuæ ditioni ſubjecit. Nec his contentus, ſed etiam contra Comitem de Taliocotis, de domo Urſinorum de Roma, qui noviter quandam neptem dicti Balthaſaris duxit uxorem, prædictum duxit exercitum, cujus etiam plura caſtra obtinuit, aliqua per pacta, aliqua violenter. Quibus peractis, dictum duxit exercitum ad diſtrictum Romanum: quod ſentientes prædicti curiales & Romani, pro majori parte inceperunt peramplius dubitare, ſeu nutare, nonnullis eorum aſſerentibus, quod illa de ſcitu & voluntate prædicti Balthaſaris fierent. Quod cum ipſe Balthaſar ſentiret, oſtendens, quod curiales & Romanos ipſos, contra impetum regis, & ejus exercitus prædictorum bene defendere vellet, elegit aliquos ex eiſdem curalibus, ut exiſtimo,

ad ali-

Digitized by Google

ad aliqua alia miniſteria magis aptos, quam ad illud, ad quod deputavit eoſdem, quibus commiſit cuſtodiam quarundam terrarum, urbis ejuſdem longe ab hominum habitatione dictæ urbis diſtantium, & certa illa loca, ubi putabatur, quod prædicti, Ladislaus Rex & ejus exercitus eandem urbem qualitercunque vellent intrare. Sed illa cuſtodia non fuit proficua in tempore oportuno: quia ipſi deputati, & alii vigiles, ſive cuſtodes murorum dictæ urbis, ut videbatur, non erant bene ſoliciti ad cuſtodiendum ita turres hujuſmodi, quoniam pauci hoſtes reſpective de ipſo exercitu regis ſæpedicti facientes magnum foramen, per quod urbem ipſam, noſtris non videntibus, nocturno tempore in matutino crepuſculo intraverunt juxta, eccleſiam, quæ S. Crucis in Jeruſalem appellatur, & ibi, uſque ad clarum diem, ſeu orto jam ſole, uſque poſt horam tertiarum, vel circiter, inter ſe, an ulterius progredi, vel ad eorum exercitum redire vellent, deliberantes. Et quia dictus Balthaſar non dedit ordinem, neque deputavit aliquem certum Capitaneum, qui hoſtibus ipſis reſiſteret manu forti, tam Curiales, quam Romani, qui illic occurrebant ad videndum hoſtes ipſos, & eis, ſi poſſent, reſiſtendum, territi, & ſe non opponendo hoſtibus ipſis viriliter, ut debebant, catervatim ad lares proprios redierunt. Unde hoſtes ipſi, in ſe confortati, & non videntes ullam vel modicam reſiſtentiam, quam timerent forſan, quingenti eorum fugientes ipſos Cardinales inſecuti ſunt, & infra tres horas vel quatuor, Romam occuparunt, valde multas domos curialium hujuſmodi ſpoliando: & hoc contigit potiſſime, quia Romani præfati, ut communiter dictum Balthaſarem habebant exoſum, propter infeſtas gabellas & onera, quibus continue afflixit eoſdem: & quia etiam dubitabant, ſi prædicti hoſtes de ipſius Balthaſaris voluntate ad urbem ipſam ſic veniſſent: aliquí etiam eorundem Romanorum ſecrete partem dicti Regis tenuerunt, ſtipendiati per ipſum more veteri Romanorum. Quot autem ibi tunc, & diu poſtea, ſæva & mala fiebant, maxime in eoſdem curiales, ſcilicet perſonas & bona ipſorum, quæ omnia prædæ deripiebant, nimis eſſet tædioſum horrendumque calamo exarare.

Prædictus vero Balthaſar, certificatus poſt eandem horam primarum de introitu hoſtium præfatorum ad eandem urbem, ut præfertur, non confiſus de palatio ſuo & muris dicti burgi, quos, ut præmittitur, multum ſumtuoſe reformari fecit, neque de caſtro S. Angeli, quamvis illud reputetur quaſi inexpugnabile & fortiſſimum, quod in illis poſſet ſe ab hoſtibus præſervare, ſed equum velociter aſcendens fugit verſus Sutrium, quem ipſi Cardinales pro majori parte etiam eadem hora ſubito ſequebantur: quorum tamen plærique, quia tunc tempus erat calidum, quo ſegetes recolligi debebant, terendo viam ſiti labore & æſtu defecerunt, ſeu per itinera mortui ceciderunt. Aliqui etiam eorum per inſequentes hoſtes nos per novem milliaria, vel circiter, ab eadem urbe, pauci tamen interfecti, ſed pro magna parte rebus & equis eorum, quæ apud eos tunc reperiebantur, ſpoliati & alias male tractati fuerunt. Tunc etiam ſpoliabantur plures eorundem curialium per ſtipendiarios dicti Balthaſaris, hinc inde per itinera, quæ tranſierunt, quum tamen eis auxilio potius eſſe debebant: ita, quod in illa fuga admodum pauca erat eiſdem curialibus ſecuritas, niſi quod, ut imminentia tunc pericula evaderent, fortuna juvabat. Et niſi Deus ipſos curiales ſuperſtites miſericorditer conſervaſſet, illa, die propter ipſa itinera gradientes, viſibiliter in ore gladii eorundem hoſtium periiſſent. Nullus enim ipſorum Curialium & aliorum fugientiũ, etiam armatorum, nobiſcum videbatur habere animum ſe defendentium, licet in decuplo plures eſſemus numero, quam inſequentes hoſtes ſæpe dicti. Et ſecunda hora noctis dictus Balthaſar timens, ut videbatur, quod dicti hoſtes eum in Sutrio, ſi illic remaneret diutius, obſiderent, fugit ulterius verſus Viterbium illa nocte: quem multa turba dictorum Curialium aſſociabat, tamen majori parte ipſorum curialium illa nocte in Sutrio remanente. Erant enim laſſati, ſeu fatigati nimis ipſa die in itinere, tam ipſi, quam equi eorum, & ſic abſque ipſorum gravi diſpendio illa nocte non potuiſſent ulterius equitaſſe: ſed illi, qui extra portas Sutrii excluſi remanſerunt, ſpoliabantur rebus eorum: nec in hoc erat reſpectus ad aliquem, ſed indifferenter dives & pauper à ſpoliatoribus vexabatur. Vidi illa die currere pedeſtres aliquos ſenes & debiles per iter hujuſmodi, qui prius tunc in eadem urbe quiete viventes adeo delicati fuerunt, quod vix pro ſolatio equitaſſent. Poſtquam

Digitized by Google

quam autem ipſe Balthaſar, cum magna caterva eorundem curialium ad Viterbium, die ſequenti immediate pervenerat, uſque ad tertium diem remanſit ibidem: & tunc ulterius, uſque ad civitatem Montisflaſconenſem acceſſit. Et interim cæteri curiales, inter quos eram, ipſum de die in diem ſequebantur: quos ſuis Capitaneis & gentibus armorum recommendare non curabat, ſcilicet ne eos ſpoliarent, aut permitterent ab aliis male tractari. Et dum eſſemus ultra caſtrum Crepalica, verſus Viterbium, vidimus quendam cuneum armigerorum prædicti præfecti, non multum remote à nobis congregatum, ac ſi nos invadere vellent, unde timor & tremor ceciderunt ſuper nos, & ambulavimus in illo timore ulterius per plura milliaria: ſed videntes demum, quod ipſi armigeri de illo loco, ubi ſtabant nullatenus ſe moverent, reſumtis viribus alacriter uſque ad Viterbium peregimus iter noſtrum, & dum intramus portas Viterbii, multas illic reperimus matronas honeſtas, triſtes & plangentes, nobiſque tunc in tot adverſitatibus conſtitutis compatientes: ubi etiam intelleximus, quod quamvis præfectus ipſe nobis potuiſſet per iter hujuſmodi nocuiſſe, hoc tamen noluit, mandans omnibus ſuis Capitaneis & ſtipendiariis, & ejus ſubditis, ne injurias aut damna nobis inferrent. Eſt enim præfectus ipſe, ut dicitur, vir Deicola, pacificus, & honeſtus. Et ſucceſſive, dum adhuc ipſe Balthaſar in Monteflaſcone ſtaret, prædictus Ladislaus rex ſcripſit illis de Sutrio, nec non Viterbienſibus, ac etiam Montisflaſconenſibus, & quibuſdam aliis ſubditis eccleſiæ Romanæ, qui partem dicti Balthaſaris tunc fovebant in illa regione, quod ſe ſubjicerent eidem regi, ſi perſonarum & rerum ſuarum pericula vellent evitare, ac ſuper hoc ei ſubito reſponderent: ipſique Balthaſari etiam tunc ſcripſit, quod intenderet ſibi ſuos nuncios ſeu oratores eveſtigio mittere ſpeciales, deſiderans, quod eorum adventum ad ſe illic vellet præſtolari, unde maxima perplexitas apud illos, quibus taliter ſcripſerat, orta fuit: & quid facerent in illo principio, penitus ignorabant. Erat enim tunc tempus meſſium, ut prædictum eſt, de quibus parum habitatores illarum partium uſque tunc collegerunt. Timentes autem, quod, ſi dicto regi ſubito ſe non darent, gentes ſeu armigeri ipſas ſegetes & eorum vineas penitus devaſtarent: quod conſiderans Balthaſar præfatus, & de illis partibus recedens, iter ſuum verſus civitatem Senarum continuavit, ubi etiam per aliquot dies repauſando, & coram ſe dictis curialibus convocatis ſeu accerſitis oſtendit, ſe illis compati, & flendo, quod eis, qui ſpoliati erant, gratias dare vellet, quas peterent, ſponte promiſit. Unde dicti curiales fuerant pro magna parte, poſt tot tribulationes de tam magnifica promiſſione gaviſi. Poſtquam autem ibidem Senis per dies aliquot ſteterat, ulterius iter ſuum verſus Florentiam egit, & interim Ladislaus rex pene omnes terras illarum partium, ſcilicet provinciæ patrimonii B. Petri in Tuſcia, nec non etiam prædictam Campaniam ac Barones urbis, circumcirca ipſam urbem, nec non in vicinis caſtris & terris ſuorum rectorum, præſidio deſtinatis, habitantes etiam ſibi ſubjecit, nec non novam monetam in eadem urbe cudi fecit, ac Senatorem & alios officiarios ſuos pro ipſius urbis regimine deputavit: nec non omnia, quæ ſibi placuerunt, diſpoſuit in eadem: ac etiam demum, interfecto caſualiter ex ictu bombardæ ſeu pixidis Capitaneo, prædicti caſtri S. Angeli, qui illud pro ipſo Balthaſaro tunc gubernabat, & quodam alio per illos, qui in dicto caſtro erant, ex ſe novo Capitaneo creato, is, de novo creatus, infideliter agens, quia pecuniis & promiſſis per ipſum Ladislaum regem per internuncios corruptus, infra pauca tempora dictum caſtrum regi præfato traditione aſſignavit, adjecta illa conditione, quod omnia bona curialium, quæ in ipſorum fuga ab urbe prædicta pro ſalva cuſtodia ad fidas manus prædicti Capitanei defuncti depoſuerant, ſibi remanerent, quod etiam rex ipſe ſibi conceſſit valde libenter. Ipſe autem proditor cum eiſdem bonis, quæ erant multa & precioſa valde, cum aliquibus navibus oneratis verſus Neapolim transfretando mare, dum ad provinciam dicti regis perveniret, ipſum præfatus rex alacri vultu recipiens, ei quandam terram in eodem regno Siciliæ dedit, cujus ipſum Comitem fecit, illa tamen intentione, ut cito apparuit, quod eam non diu poſſideret, quodque rex ipſe, qui erat valde avidus ſeu avarus, poſtea hujuſmodi bona, quæ illuc ſecum ipſe infelix proditor attulerat, ſibi poſſet auferre, prout fecit. Ordinavit enim rex ipſe, quod dictus proditor, poſtquam per aliquot menſes, tanquam ſecurus de omnibus remanſerat, ignominioſe in-

Digitized by Google

ſe interficiebatur, & ſub illo prætextu amiſit vitam, & ipſa bona, male quæſita, quæ extunc ſibi rex ipſe cupidus in omnibus vendicabat. Præfatus autem Balthaſar, dum hæc taliter agerentur, ſuam curiam in Florentia firmavit: ipſe vero prope Florentiam, in quodam hoſpitio Dn. Epiſcopi Florentini extunc, usque ad principium menſis Novembris anno MCCCCXIII. remanſit, & deinde ad Bononiam receſſit, quam XII. dicti menſis intravit, & interim ipſe, & ſui Secretarii tot exſpectantias & alias gratias, qualescunque petebantur ab ipſis, indifferenter omnibus vendiderunt, quod extunc, qui fuerunt primi exſpectantes, remanſerunt imi, ſcilicet in eorum exſpectivis gratiis ac earum effectibus poſtergati, & qui per hoc gravabatur, non reperit relevantem. Igitur Balthaſar, & ejus Secretarii prædicti, multis ditati pecuniis ex venditionibus ipſis, ad Bononiam tranſiverunt cum magna ſequela, & frequentia curialium prædictorum. Poſtquam autem idem Balthaſar illic ſteterat cum ſua curia aliquamdiu, circa finem dicti menſis Novembris ivit cum Dn. Cardinalibus nec non Secretariis, & quibusdam aliis curialibus, paucis tamen, ad partes Lombardiæ, ad habendum colloquia cum Dn. rege Romanor. qui tunc erat in partibus ipſis: cum quo in Lauda & Cremona per aliqua tempora remanens, & ibi dicto rege Romanor. inſtante, quod generale Concilium, celebrandum Conſtantiæ, convocaret, annuit: Et quod ſic fieret Balthaſar, nec non rex Romanor. & Cardinales prædicti concluſerunt: & infra paucos dies poſtea illic ſcribebantur epiſtolæ Balthaſari & regis Romanor. præfatorum, quæ ad diverſa regna & provincias Chriſtianorum prope & longe poſitas, ſuper illa materia mittebantur. Quibus peractis, dictus Balthaſar ad Bononiam rediit circa feſtum Paſchæ, præfato rege extunc etiam aliquandiu in eisdem Lombardiæ partibus remanente. Sed, cum prædictus Ladislaus rex ſentiret, quod ipſi Balthaſar & rex Romanor. in eisdem partibus Lombardiæ eſſent inſimul congregati, cauſa explorandi, quidnam illic inſimul agerent, quendam ſuum oratorem illuc deſtinavit, mihi notum, per quem etiam ſcripſit tunc aliquando Duci Mediolanenſi moderno, qui tunc erat in aliquali differentia cum rege Romanor. memorato, & illuc etiam miſerunt Veneti & Florentini ſuos nuncios ſeu oratores, ſcilicet ad Balthaſarum & Dn. regem Romanor. prædictos, ad tractandum & concludendum, mediante dicto Balthaſare, plurima pro ipſis Venetis & Florentinis cum eodem rege Romanor. qui tamen poſtea ſine fine abierunt. Præfatus autem Ladislaus rex, ex conventione hujusmodi Balthaſaris & ſuorum Cardinalium & regis Romanor. prædictorum fortiter dedignatus, & diſponens in mente ſua, ipſum Balthaſarem ejusque curiales, prout fecit in Roma, etiam Bononiæ, perſequi, & inde fugare, nec non bonis eorum ſpoliare: habuit enim adhoc dictus rex Ladislaus tunc temporis quosdam potentes auxiliatores, ſcilicet eundem Dn. Carolum de Malateſtis & plerosque alios, non longe à Bononia habitantes. Et quia etiam ipſe Balthaſar multos cives de ipſa Bononia, ne moverent ſeditiones, in populo ſibi ſuſpectos, & propter alias diverſas cauſas, extra Bononiam relegavit, nec non ad confinia poſuit, & alia loca, de quibus ſibi videbatur, & propterea intus & extra Bononiam multos ſibi æmulos ſuſcitavit, quos habebat merito formidare: & ne rumor in ipſa civitate Bononienſi contra eundem Balthaſarem propterea inſurgeret popularis, ſtatumque Bononienſem etiam tunc multaret, prout fecerunt, infra unum menſem, vel circiter, poſtquam abinde dictus Balthaſar ad urbem tranſtulit ejus curiam, & prout ſuperius tactum eſt, illuc ivit. Congregavit igitur dictus Ladislaus rex, circa principium menſis Iunii ejusdem anni valde magnum exercitum equitum & peditum, cum quo, ut dicebat, vellet dictum Balthaſarem in eadem Bononia obſidere, &, ſi forſan idem Balthaſar inde diverteret, eum quousque eſſet in Italia, perſequi non ceſſaret. Unde Cardinales, qui cum ipſo Balthaſare tunc erant, valde timebant, ignorantes quid facerent, ut ſe resque ſuas conſervare tute poſſent. Dubitabant enim Bononiæ, & in aliis locis contiguis remanere, ne male tractarentur, ſi hoſtes illi feroces, & valde multi, Bononiæ appropinquarent: quamobrem multi eorundem Curialium, compoſitis eorum ſarcinulis, pretioſiores illas verſus Ferrariam, & nonnulli Venetias transmiſerunt, & aliqui etiam receſſerunt, tam curiales, quam ſtudentes Bononiæ tunc ſcholares. Omnes enim nutabant, & timebant dicti Ladislai regis adventum, & per plures dies fama tunc publica erat Bononiæ, quod jam aliquot cohortes hujusmodi excercitus, de mandato præfati Ladislai regis

Digitized by Google

comitatum Bononienſem potenter intraſſent, & ultra XXX. milliaria Italica à Bononia non diſtarent.

Ipſe autem Balthaſar interim continue conſcripſit ſtipendiarios equites & pedites in magno numero, cum quibus credebat ſe & curiales, ſecum exeuntes è Bononia hujusmodi poſſe contra eorundem hoſtium impetus conſervare. Verum prædicti curiales, non immemores, quam male ſtipendiarii dicti Balthaſaris in fuga eorum ab urbe prædicta, ut ſuperius dicitur, ipſos curiales pertractarunt, & timentes, quod ſimiliter tractarentur per illos, qui ad ſtipendia dicti Balthaſaris Bononiæ militabant, magis timuerunt: dumq;, ſic omnes apud nos nutarent, timerentque valde multis diebus ipſi curiales, ecce gratum novum recepimus, ſcilicet, quod ipſe rex Ladislaus, exiſtens tunc in eodem exercitu, gravi & incurabili infirmitate tactus, retrocedere propterea, & ad urbem ipſam redire diſpoſuiſſe, prout & fecit, & prope urbem intrans navim, nec non ſecum ducens captivum Paulum de Urſinis, quem habebat valde exoſum, & interficere nitebatur, per mare verſus Neapolim, ubi, poſtquam cum vehementibus doloribus, quibus torquebatur in corpore, & præcipue igne ſacro in membro virili, juſto Dei judicio pervenerat, infeliciter obiit, antequam dimidiaret dies ſuos. Poſtquam autem de hoc nos curiales crebris nunciis & literis certificati fueramus, revixit in nobis ſpiritus noſter, & benediximus Domino uniformiter, qui nos ab hoſte, & viro maligno, taliter liberavit: & tunc primum fecimus abductas res noſtras ad ipſam Bononiam reportare. poſtea vero dictus Balthaſar Bononiæ remanens Eccleſiæ Colonienſi, quæ tunc vacabat, de novo paſtore, in menſe Auguſto providit: cujus proviſionis occaſione non modica emolumenta recepit. Quo facto, & negociis pro velle ſuo Bononiæ diſpoſitis, equis, veſtibus, nec non jocalibus & alio ornatu precioſo, ut ſplendidus ac dives in ipſo Concilio appareret, ibidem Bononiæ ſe fulcivit: & poſt hoc iter egit verſus Conſtantiam, ad celebrandum dictum generale Concilium, quod incepit agere prima die menſis Octob. & XX. die ejusdem menſis intravit Conſtantiam, anno Domini MCCCCXIV. credidit tamen Conſtantiæ per aliquot menſes remanere, & ibidem rebus, pro velle ſuo diſpoſitis, ſubito ad Bononiam redire, & illic more ſolito dominari. In quo tamen eum fefellit opinio, ſed ſperabat permaxime in pecuniis & theſauris, quibus dicebatur abundare, credensque per illos, & per alios modos ſuos ſubtiles, ſatis mundo cognitos, quos vellet in Germania corrumpere, ſeu ad conſentiendum ſibi in omnibus & per omnia inducere poſſet: ſed, Domino diſponente, dum firmius ſtare abſque impedimento crederet, cecidit in ærumnam & inextricabilem laborem, prout hæc alias ſcripſi, & abbreviando huic hiſtoriæ reddere volui in hæc verba.

Quare celebrentur generalia Concilia, aliquantulum in ſequentibus patet, & potiſſime, ut corrigantur in illis eccleſiaſtici exceſſus enormes quorumcunque Chriſtianorum, ſint etiam illi quantumcunque potentes. Ad quod certe faciendum unus ſolus, quantumcunque ſtatu ſublimis, vix aut unquam ſufficere poſſet. Quis enim à Papatu in Italia dictum Balthaſarem papam actualiter depoſuiſſet, executione ſubito ſubſecuta, attentis etiam potentiis, divitiis & aſtutia, quibus cæteros excellebat; Quis etiam Friderici Ducis Auſtriæ, principis ita potentis in divitiis & terris, ita etiam, quod potenti regi æquiparari videretur, pro eo quod ipſum Balthaſarem in gravem contumeliam & offenſam Concilii generalis, quod tunc celebrabatur, & adhuc celebratur Conſtantiæ, & Sereniſſimi Principis Dn. Sigismundi Romanor. & Ungariæ regis, & multorum principum & forenſium aliorum, quorum non erat numerus, eis inconſultis & inſciis, clanculò & nocturno tempore præſumſit abducere pro certa pecuniæ quantitate, ſibi per eundem Balthaſarum, tunc Papam, in caſtro Schafhauſen poſtea ex conventione mutua perſoluta, audaciam tam repente refrenaſſet, ſicuti contigit in utroque iſtorum, niſi dictum Conſtantienſe Concilium, Domino cooperante hoc feciſſet, ut ſit memorabile omnibus nunc & ſemper, ne in eorum potentia, aſtutia & divitiis confiſi ſimilia forſan attentare præſumant, & ne cadant à ſtatu eorum & quaſi ad nihilum etiam opprobrioſe, ſuis tamen culpis exigentibus, reducantur.

Dum celebraretur dictum Concilium Conſtantienſe, in principio ante fugam dicti Balthaſaris, tunc Papæ de Conſtantia, idem Balthaſar, tanquam ſibi ipſi male conſcius, & habens ſemper ante ſe in magno numero ſuos proxenetas & mediatores, cum quibus

Digitized by Google

quibus conſuevit Simoniam exercere, à qua usque ad ultimum terminum ſuæ depoſitionis non ceſſavit, quosdam Epiſcopos & alios, magnæ auctoritatis viros, de ipſo Concilio ſecrete, per diverſas gratias & promiſſiones ſophiſticavit & corrupit adeo, quod nihil ita ſecretum in ipſo Concilio fieret aut diceretur, quin illud, & per quos hoc dictum aut factum eſſet, ſingulis diebus revelaretur eidem: nec ſcivit obticere, quin & illud ſibi ſecretum revelatum aliis cito panderet, de quibus confidebat. Et valde etiam ipſe Balthaſar per medias perſonas impedivit, quod nationes, quæ ad ipſum Concilium convenerant, inſimul diu concordare & combinari non poterant, aut nolebant: Sicque dictum Concilium hic fruſtra interim erat. Et quia, quæ ita generaliter fiunt, diu occulta remanere non poſſunt, præmiſſa ad notitiam multorum de Concilio ipſo producta fuerunt: de quibus admodum mirabantur tum omnes illi, qui tractatibus dicti Concilii pro tempore intererant, priusque ſolemniter eidem Concilio juraſſent, quod ea, quæ tractarentur & fierent in ipſo Concilio, ſecrete tenerent. Et ut ipſe Balthaſar ſuum deſiderium in hac parte absque ſuſpicione ſecundum ſe atq; commodius adimpleret, ſæpe nocturno tempore pro illis ſuis, qui ſibi ſecreta hujusmodi revelabant, media nocte & quandoque poſtea per aliquot horas mittere, eosque ad ſe accerſiri fecit, abſolvendo eos à perjurio, & inveſtigando ab ipſis ſecreta hujusmodi, quæ die præcedenti immediate in ipſo Concilio eruperunt, qui dum pro majori parte de hoc per ipſum Concilium vocati fuiſſent, ipſi valedicto Pontifici & obtenta licentia, ab eodem Concilio ad propria redierunt.

Quibus ſic ſtantibus, quidam, ut præſumitur Italicus, multos articulos valde famoſos, & omnia peccata mortalia, nec non infinita quodammodo abominabilia continentes, contra eundem Balthaſarem, in eodem Concilio exhibuit in ſcriptis, tamen ſecrete, quod ſuper illis contra eundem Balthaſarem fieret inquiſitio, & provideretur inſtanter per Concilium memoratum. Quibus quidem articulis per aliquot majores nationum Germaniæ, Angliæ & Poloniæ perlectis, ipſi nullatenus conſentire volebant, quod dicti articuli publicarentur, aut contra ipſum Balthaſarum inquiſitio fieret hujuſmodi ſuper illis, & hoc propter honeſtatem. Et, ſi contrarium fieret, ut aſſerebant, per hoc macularetur ſedes Apoſtolica, & confunderentur enormiter etiam omnes de obedientia dicti Balthaſaris, & ponerentur in dubio promotiones & proviſiones, per ipſum factæ, & multa ſcandala exinde ſubſequi poſſent. Plerisque etiam aliis nobilibus viris aſſentientibus & conſulentibus, quod illa via inquiſitionis fieret, quæ compendioſa foret, & ipſi articuli & contenta in eis, ſaltem pro majori parte eſſent notoria ſeu manifeſta, & propterea modica vel nulla probatione indigerent.

Quibus etiam interim clanculo & proditorie ad notitiam dicti Balthaſaris deductis, ilico mente conſternatus eſt, & cœpit valde tremere & timere, ac etiam quosdam ſibi ſecretos Cardinales, & de quibus fiduciam habuit, donis & promiſſis allicere atque conſulere, quid eſſet in ea parte pro ejus honoris & conſervatione facturus, aſſerens, quod quædam, in ipſis articulis deſcripta, tanquam, homo peccando commiſiſſet, & aliqua non: & propoſuit tunc in mente ſua, prout & ore propalavit, quod ipſemet dictum Concilium vellet perſonaliter accedere, &, quæ de contentis in eiſdem articulis perpetraſſet, coram ipſo Concilio in publico fateri, fundans ſe in hoc, quod Papa propter quodcunque delictum, ut dicebat, niſi propter hæreſin deponi non poſſet. Et habito ſuper hoc conſilio cum quibuſdam aliis, etiam ſibi ſecretis, per ipſum quid facturus eſſet in illa perplexitate, ſibi conſulerent, reſponderunt, quod bonum eſſet, quod ipſe ſuper hoc inter ſe per dies aliquot melius deliberaret, & tunc, quid ſibi videretur conſultius, in Dei nomine adimpleret.

Concilium autem, ſeu majores deputati in eodem, ignorantes, quod ipſe Balthaſar prædictos articulos ſciret, & ea, quæ pro ſua excuſatione tractabat, dimiſſa eadem inquiſitionis via, acceſſerunt ad eum, rogantes unanimiter, ut viam ceſſionis ſui Papatus eligeret, ad hoc, quod alii contendentes de Papatu, illam ſimiliter acceptarent, quia alias non viderent modum aptum, quod præfata unio fieret in univerſali eccleſia pro hac vice. Ad quod ipſe læto animo, obſervata tamen, ex induſtria quadam gravitate, reſpondit, ſe facturum quid peterent, dum tamen ipſi alii duo contendentes idem facere vellent. Maluit enim illam viam per ſe, ut exiſtimo, amplecti, quam, prædicti articuli ad ejus dejectionem à Papatu admiſſi & probati

Digitized by Google

bati fuiſſent. Et dum prædictum Concilium illam oblationem ab eodem Balthaſare reportaſſet, facta fuit hic magna lætitia in clero & populo: &, ſolemni ſeſſione ſubſecuta, idem Dn. Balthaſar adimpleturus, quæ prius promiſerat, ut præfertur, ſolemniter vovit & juravit, de quo etiam prima facie exiſtentes in Concilio valde gaviſi fuerunt. Et quia poſtea hujuſmodi negotio, inter ipſos melius & clarius digeſto, eis viſum fuit, quod hujuſmodi promiſſio, quamvis grandis & bona eſſe videretur, forte tamen ad effectum dictæ unionis incerta, cum eſſet poſſibile aut contingens, quod forſitan alii duo contendentes de Papatu cedere nollent, vel alter eorum cedere nollet, & ſic hujuſmodi Concilium in ea parte ſupervacue laboraret, & tempus protraheretur in expenſis. Unde iterum, poſt plures tractatus, ſuper hoc per Concilium & illi præſidentes hujuſmodi habitos, in hoc concordabant, quod omnino ab ipſo Bathaſare magis certam & pinguiorem promiſſionem ſuper ceſſione ſua prædicta vellent habere ipſumque extunc pluries adiere, rogantes reverenter & humiliter, quod eos in hoc benigne vellet audire, & ipſam oblationem facere in publico uberiorem, nec non etiam certiorem & ſub teſtimonialibus literis ſuis juxta formam, quam in ſcriptis ſibi ſuper hoc tradiderunt. Sed in hoc eum invenerunt contradicentem, & de die in diem duriorem. Scivit etiam medio tempore multos principes, & alios potentes, nec non eccleſiaſticos prælatos, tunc hic exiſtentes, ſibi allicere, concedendo eis quæcunque petebant ab ipſo, non habendo reſpectum ad Deum, vel quemcunq; hominem: aut ſi ea, quæ petebantur ab ipſo, juſta forent, vel injuſta, aut rationabilia, vel concedi conſueta, ſperans, per hoc diviſionem facere in ipſo Concilio, ne procederet, aut per illud contra ipſum nil poſſet attentari. Quibus tamen non obſtantibus, deventum eſt ad hoc, quod dictam oblationem, prius factam per eum, ut præfertur, juxta vota petentium præter ſpem hominum ſimiliter in alia publica ceſſione aliqualiter efficaciorem certioremque fecit, de quo tantum gaudium factum fuit in eiſdem, clero & populo, extunc pluribus diebus durante, quod difficulter poſſet calamo exarari: ſed ipſas literas teſtimoniales ſuper hoc diu diſtulit, & recuſavit eidem Concilio tradere per ambages. Tunc ipſum Concilium inſtanter requiſivit dictum regem, quod ipſas literas à præfato Balthaſare, nomine dicti Concilii ſibi tradi peteret, quod contigit ea de cauſa, quia plures egregios Prælatos de ipſo Concilio prædictus Balthaſar, dum ab eis talia peterentur, etiam in publico verbis injurioſis & opprobrio vehementer afflixit, incutiendo eis & aliis per hoc timorem, quod niſi ſibi placita de cetero coram eo loquerentur, aut peterent ab ipſo. Quamobrem multi eorum territi, quantumcunque eſſent etiam viri eminentes, coram ipſo loqui de cetero non audebant niſi ea, quæ ſibi, ejuſque aſſiſtentibus hic & adhærentibus placuerunt. Aliàs enim omnes, qui dictam vnionem, ut fieret, puro corde hic laborabant, per ipſos, Balthaſarum & ei adhærentes proditores, nominabantur & pro eorum hoſtibus habebantur.

Rogabat etiam obnixe, & obtinuit tandem ab ipſo rege præfatum Concilium, quod promiſit & juravit ſponte, quod habitis literis teſtimonialibus & procuratorio ſufficienti ab eiſdem, Balthaſare & Concilio, perſonaliter accedere vellet regem Arragoniæ & Petrum de Luna, qui propterea per mare uſque ad civitatem Nicienſem vel villam Francam, quæ eſt portus dictæ civitatis in provincia, per totum menſem Julii tunc currentem vellet inſimul convenire, ad tractandum finaliter cum ipſo rege Roman. de concordia unionis ejuſdem. Quod ſentiens dictus Balthaſar allegavit, quod hoc non eſſet, niſi inutiliter perdere tempus, ipſe enim vellet illucire, vel prope ad aliquam civitatem perſonaliter, ad tractandum cum eodem Petro per medias perſonas, qualiter compendioſius dicta concordia fieret: & ſic non expediret hujuſmodi tempus in longum differre: Et quod ſic fieret, ipſe Balthaſar fortiter inſtabat. Concilium vero hujuſmodi, & multi præſtantiores ex illis, hic tunc pro magna parte exiſtentes, conſiderantes, quod, ſi ſic fieret, per hoc hujuſmodi Concilium diſſolveretur, quia non eſſent diſpoſiti illi, qui hic tunc erant, ire remote ad partes Galliæ, & ſub incerto: timebant enim, ſi id procederet, quod tunc fieret, ſicut factum fuit in caſu ſimili, quando Gregorius ad Lucam, & ipſe Petrus ad caſtrum Portus Veneris in Riparia Januenſi, ad faciendam tunc eandem concordiam, prout diu ante ſolemniter jurarunt & voverunt, cum ſuis curiis & curialibus acceſſerunt, & tandem nihil, quoad dictam unionem inſimul concludentes, ſine fine receſſerunt, totam Chriſtianitatem

Digitized by Google

tatem per hoc nequiter defraudando. Exiſtimabant enim Concilium, & ei præſidentes prædicti, quod ſimilia etiam nunc fierent per ipſos, Balthaſarum & Petrum, ſi ad contigua inſimul venirent.

Pendentibus vero iſtis taliter indiſcuſſis, venit ad Conſtantiam prædictus Fridericus, Dux Auſtriæ, fingens ſe longius ire, nec cum Balthaſare habere aliquod commercium ſingulare, aut propter eum huc veniſſe: tamen plures de ipſo Concilio inceperunt aſſerere, quod eundem Balthaſarem abducere vellet. Et quia de hoc timor & murmur inter nos erat, quidam potens & nobilis forenſis, ſimiliter tunc hic exiſtens, notus eidem Duci, ei dicebat: Domine Dux de vobis dicitur, quod certos habetis tractatus cum Papa, ita quod eum pro pecunia, per ipſum vobis promiſſa, velitis abducere: cavete vobis, conſulo, ne talia perpetretis. Cui reſpondiſſe fertur Dux ipſe, quod prædictum Balthaſarem non adverteret, ipſiuſque pecunias penitus non curaret. Sed nihilominus, rumor de contrario inter nos magis ſuccrevit, & in tantum, quod forte die immediate præcedenti diem fugæ prædicti Balthaſaris de Conſtantia, præfatus rex Romanorum, humilians ſe more ſuo, ad eundem Balthaſarem reverenter acceſſit, quem reperit paulo poſt horam veſperarum, ſuper lectum repauſantem: Cui dictus rex ait, Sancte pater, quomodo ſtat perſona veſtra. Ille autem occaſionem quærens dicebat, quod aliqualiter diſturbatus foret, quia aer hic eſſet ſibi contrarius, & eum pati non poſſet. Qui quidem rex reſpondit, quod erant circumcirca ipſam civitatem Conſtantienſem multa loca fortia & amœna, pro perſona ipſius Balthaſaris ſatis idonea & tuta, quorum pro ſua manſione quemcunque, & quandiu vellet, recipere & retinere poſſet, rogando eum quantum potuit, ne ab eadem civitate Conſtantienſi, niſi prædicto Concilio finito recederet: & ſi utique abinde recedere vellet, illud non faceret ſecrete, aut minus honeſte: quia rex ipſe omnino paratus erat ſibi & omnibus ſecum exiſtentibus ſalvum conductum firmiter obſervare: imo ipſum Balthaſarem, quocunque ire vellet, in partibus iſtis, & etiam alibi, ſi & in quantum illud ab ipſo rege peteretur, promte & fideliter aſſociare. Et ad hoc dictus Balthaſar reſpondit: quod nullatenus, niſi dicto Concilio diſſoluto, abhinc recedere vellet, credens forte, quod eo recedente, abhinc illud diſſolveretur omnino. Sed omni ſero, ut apud nos publica fama erat, & apparebant indicia multa, dictus Balthaſar coram quibusdam ſuis domeſticis, ipſi regi Romanorum obſequebatur, aſſerens eum eſſe pauperem, aut bibulum, fatuum & barbarum, quodque de ipſo Balthaſaro quæreret per intermedias perſonas pecunias ſibi tradi, ut eum in Papatu quomodolibet conſervaret. Quod tamen ſalva reverentia dicentis, ſc. quod rex ab eodem Balthaſare quæreret habere pecunias, omnino caruit & caret veritate: illaque etiam pene omnes Palatini & dicti Balthaſaris domeſtici, prout ab eodem Balthaſare audiverant, multis de noſtris in ipſo concilio publice affirmabant: etiam ipſi regi temere detrahens, quem tamen rex ipſe, licet ſibi ſæpe recitata forent, patientiſſime tolerabat, nullam proinde quærendo aut faciendo vindictam. Sed ecce qualiter ipſe Balthaſar ſua promiſſa, regi Romanorum & Concilio præfatis facta, obſervavit, in ſequentibus patet. Et quomodo dictus Balthaſar potuit juſte querulari, quod aer ipſe ſibi eſſet contrarius, ut prætertur? quia, licet civitas Conſtantienſis ſit parva, reſpectu aliarum civitatum Germaniæ, eſt tamen in ſe pulcra, & in ſitu amœniſſimo collocata, ubi eſt aer ſalubris, omni nationi & ætati conveniens. Ibi etiam ſunt lacus & flumina recentia, in quibus pro magna parte civitas collocatur, intus & extra navigabilia. Bona politia viget in eadem civitate, & extra & prope ſunt vineæ, campi, horti, prata & nemora per omnia, recte ac ſi eſſet ager, cui benedixit Dominus. Et difficile eſſet conſimilem locum, ubi ſingula pro vita hominum neceſſaria & ſalubria convenirent inſimul, reperire: taceo, quod de omni provincia & regione Chriſtianorum illuc veniunt, & abinde recedunt forenſes & ibi ſtant ad eorum beneplacium tutè.

Die XXI. menſis Martii, proximè præteriti, in ſeptimana de paſſione Domini, dictus Balthaſar, habitu mutato, ſerò, in forma laici indutus mettertius in crepuſculo, ordinante dicto Duce de Conſtantia, & equitando receſſit ad caſtrum Schafhuſen, diſtans per quatuor milliaria Alamanica ab ipſa Conſtantia, ſuper flumine Reni, & medietatem itineris egit taliter equitando illa nocte, & aliam medietatem transfretavit in navi, ſic quod adhuc in ortu diei illuc pervenit, in feſto S. Benedicti confeſſoris: &

Digitized by Google

ris: & erat tunc valde exhilaratus ex hoc, quod taliter receſſerat, publice aſſerendo & gloriando, quod tunc plena libertate gaudebat, & fingendo, quod Conſtantiæ tutus non erat, quamvis nullus unquam illic ſibi aliquod impedimentum ſeu vim vel injuriam intuliſſet, aut metum incuſſiſſet.

In Dominica verò Ramiſ-palmarum, ſummo mane, duo Cardinales, ſc. Piſanus & Placentinus, recedentes ſecretè de Conſtantia ipſum Balthaſarem ſecuti fuerunt: & ead. die poſt prandium etiam de Chelancho & de Branbaciis, nec non Barenſis, & ſucceſſive quidam alii Cardinales, etiam de Conſtantia recedentes, dictum Balthaſarem ſequebantur, ſimiliter multi Officiales & Curiales eos de Schafhuſen, pro tunc etiam de Conſtantia ſecuti fuerunt.

Sed in bona quarta feria redierunt huc, ſcilicet ad Conſtantiam, de Schafhuſia quatuor Cardinales: & illa die fuit congregatio illorum, qui erant de Concilio, & interfuit Rex ipſe. Et illuc acceſſerunt ſex Cardinales & ample multum locuti fuerunt contra ipſum Concilium ſcilicet, quod diſſolutum eſſet propter abſentiam & receſſum dicti Balthaſaris. Et eis reſponſum fuit acriter per plures, de ipſo Concilio viros, magnæ auctoritatis, & ſcientificos, ſcilicet, quod Papa non eſſet ſupra Concilium, ſed eſſet ſub Concilio: & facta illic contentio magna hinc inde. Quibus ſic ſtantib. reperta fuit in portis majoris eccleſiæ Conſtantienſis affixa quædam ſcedula papyrea, in qua citabantur omnes officiales Papæ, ſcilicet, quod ſub pœna excommunicationis & privationis ſuorum officiorum, ipſum Papam ad Schafhuſiam, infra paucos dies, & in ſeptimana ſancta ipſa, ſequerentur. Sed ilico dicta ſcedula per quoſdam de prædicto Concilio perlecta & depoſita, & ad eandem congregationem deportata fuit, ignorantibus Cardinalibus ipſis, qua per quendam venerabilem Epiſcopum in ipſa congregatione perlecta, idem Epiſcopus dixit eiſdem Cardinalibus, tunc præſentibus: reverendi patres, nos credebamus, quod huc, pro bono pacis & concordiæ veniſſetis, ſed duxiſtis contra nos fel vobiſcum. Ad quod reſponderunt, quod utique pro bono pacis huc rediiſſent: at ille, quare igitur portaſtis citationem contra officiales Dn. Papæ, & curiales hic exeuntes in præjudicium hujus ſacri Concilii, & eam, nobis irrequiſitis & inſciis publicaſtis, quod tamen conſtanter Cardinales ipſi negabant. Et tunc idem Epiſcopus prædictam ſcedulam protulit in medium, eamque ibidem in publico legit, de quo prædicti Cardinales aliquantulum fuerunt ſtupefacti, dicentes, quod de ipſorum mandatis hoc non proceſſiſſet. Sed bene erat verum, quod dicta ſcedula, die immediate ſequenti, in eiſdem partibus affigi & publicari debebat. Et, ſuſcitato majori clamore contra eos, in congregatione præfata, ipſi Dn. Cardinales, inſalutato hoſpite, abierunt. Sed ipſa die immediate ſequente, ad placandum dictum Concilium, tempus ſequendi præfatum Balthaſarum in eadem ſcedula deputatum, dicti Dn. Cardinales ad aliquot dies, auctoritate ejuſdem Balthaſaris, ut dicebant, prorogarunt, per hoc reddentes ſe Concilio hujuſmodi magis ſuſpectos, quia ipſi Cardinales ultimo, quod ratione non potuerunt illic, tunc clamoribus defendere voluerunt.

Die autem Veneris Sancta his ſtantibus, circa horam meridiei, ipſe Balthaſar receſſit de Schafhuſia, tempore valde pluvioſo, nec celebrato per eum ſeu coram ipſo illa die officio divino, tranſivit equeſter verſus caſtrum Laufenberg, conſiſtens etiam ſuper flumen Reni, omnibus Cardinalibus qui prius eum ſecuti fuerunt, remanentibus in Schafhuſia, & dum eſſet extra & prope Schafhuſen, accerſivit tabellionem & teſtes, & coram illis publice proteſtabatur, quod quicquid ipſe Conſtantiæ juravit, vovit & promiſit, illud vi & metu feciſſet, & non alias, & propterea illud efficere non teneretur: & eandem proteſtationem poſtea pluries repetiit in aliis locis, ad quæ devenit, tamen in quibuſdam ſuis epiſtolis, hinc inde directis, ſcripſit oppoſitum, ſcilicet, quod de Conſtantia non fugiſſet ea de cauſſa, ut unionem non faceret, quantum in eo eſſet, imo ipſam facere vellet.

Die Mercurii immediate poſt octavas Paſchæ, in crepuſculo matutino, idem Balthaſar etiam, mutato habitu ſolito, receſſit de illo caſtro Laufenberg met-tertius vel quartus, & equitavit verſus caſtrum Friburg, Conſtantienſis diœceſis, quod unum eſt de melioribus opidis ſive caſtris, Chriſtianis inexpugnabile, pulcherrimis ædificiis & ſtratis ſive plateis amplis & bene diſpoſitis, & alias ita bene ornatum, quod eſt mi-

Digitized by Google

eſt mirabile videre: & per omnes vicos ejus eſt decurſus aquarum: & ſunt in eo quatuordecim monaſteria diverſorum ordinum, virorum & mulierum, & alia multa miranda, & per omnia ſpecioſa, ampla & amœna, ita quod ipſe Dn. Balthaſar & illi, qui ſecum erant Curiales, intrantes ipſum opidum, illudq; conſpicientes ita eſſe notabile, de hoc valde commirati fuerunt, & ſunt homines illius opidi valde civiles, bene ſcientes regere ſeu politicare, ubi etiam ſunt bona victualia, & in optimo foro.

Poſtquam autem dictus Balthaſar per aliquot dies manſit in Friburg, tranſtulit ſe ad opidum Briſacum, etiam ſuper dictum flumen conſiſtens, confiſus ſibi tractatus facere per medias perſonas cum Duce Burgundiæ, qui habet terras, non multum abinde diſtantes, ut eum abduceret, ſeu abduci faceret de Alamania, conduceretque per partes Galliæ uſque ad Avinionem, & ſuper hoc jam erant conducti plures ſtipendiarii, in propinquo exiſtentes, & adventum dicti Balthaſaris ad ipſos pluribus diebus & noctibus præſtolantes. Sed res interim detecta fuit quibuſdam fidelibus dicti Dn. regis, potentibus in partibus illis: quod cum ſciret ipſe Balthaſar, non audebat ſe committere ipſis conductis gentibus, ſed fugit etiam tunc habitu mutato conſueto ad opidum Nuenburg, ſuper eodem flumine conſiſtens: ſed illico ſuperveniente rumore, falſo tamen, quod prædicti fideles ejuſdem Dn. regis Romanor. præfatum Balthaſarum & ſuos curiales, tunc ſecum exiſtentes, in eodem opido Nuenburg obſidione conſtringere vellent, ipſi timore vano percuſſi, nullo per eos ordine obſervato, ſicut oves errantes fugerunt ab eodem opido, ambulantes illa die, & nocte immediate ſequente, ab invicem diſperſi iter agentes, iterum ad dictum caſtrum Friburg., ad quod ſic fugientes tandem reverſi fuerunt.

Eadem autem die venerunt illic ad Friburgum ambaxatores valde nobiles, ſc. duo Cardinales ac plures Epiſcopi, & etiam nonnulli abbates, cum decenti comitiva, illuc miſſi, per dictum Concilium, ad eundem Balthaſarem, requirentes eum, quod conſtitueret procuratores in ipſo Concilio ad cedendum pro eo papatui, & ipſe eligeret, ſi vellet, aliquem alium locum, in quo ſtaret, quouſque dictum Concilium aliud de ipſo, pro publica utilitate Chriſtianitatis ordinaret: aut dictum Concilium contra eum ad privationem procedere vellet. Quibus in craſtinum, paulo poſt horam primarum, adhuc jacens in lecto, & ſcalpendo ſe inferius inverecunde, reſpondit ſatis aſpere, aſſerens tamen, quod dictum procuratorium poſt eos ad Conſtantiam mittere vellet, prout poſtea fecit, per Dn. Bertold. de Urſinis Comitem, quod oſtenſum ipſi Concilio fuit inſufficiens judicatum. Eodem tempore petita fuerunt in publica congregatione Conſtantiæ, pro parte dicti Balthaſaris, tunc Papæ, ab ipſo concilio multa valde anormala per certos Card. ſc. quod ſi deberet eandem ceſſionem facere, tunc vellet, quod ſibi ante omnia provideretur per ipſum Concilium, ita quod toto tempore vitæ ſuæ eſſet legatus de latere irrevocabilis Dn. Papæ, qui eſſet pro tempore, per totam Italiam: item, quod haberet ſemper ſub ſe Bononiam & ejus Comitatum in temporalibus, ſimiliter Comitatũ in ea provincia, in qua Aviniona præfata, & multæ aliæ civitates nobiles ſituantur: & cum hoc emerent ſibi annuos reditus ad ejus vitam XXX. ducatorum auri ſc. decem in Venetiis, 10. Florentiæ, & 10. alia Ianuæ Et, ſi una civitas non ſolveret, ſeu duæ non ſolverent aliquando, 3. teneretur, ſeu duæ tenerentur, non ſolventis, ſeu ſolventium partium ſupplere defectus: & quod ipſe Balthaſar nulli deberet eſſe ſubjectus, & nihilominus Cardinalis remanere, & cum aliis Dn. Cardinalib. de emolumento capellæ participare, & nulli unquam teneretur reddere rationem de illis, quæ fecit hucusq;, & quæ faceret in futurum, ſed quod eſſet omnino ſui juris, & à cujuslibet dominio & poteſtate prorſus liber & immunis: & quædam ſatis irrationabilia, quærendo ſubterfugia ſibi concedi publicè poſtulavit, quæ omnia erãt impoſſibilia dicto Concilio, ſc. quod ea poſſet adimplere. Et ſic per hæc conſequentia, quoad factum ceſſionis Papatus, ſpontè & liberè faciendæ, prout juravit & vovit idem Balthaſar, præcedentia cognoſci poterant manifeſto, ſc. quod erant doloſa, ſimulata & conficta. Tunc conſiderantes ex præmiſſis ſtatim recitatis rationes prædictæ, quod præfatus Balthaſar nunquam habuiſſet animum, quod ſponte ſua Papatu cedere vellet, ſed quod truſabatur, de ipſis tempora inutiliter redimendo. Sperabat n. ſemper evadere poſſe, & ad partes Galliæ cum adjutorio dicti Ducis Burgundiæ pervenire, ſe ita durum tenuit, concilium penitus pro tunc non curando: & qui ſecum erant non aliud acclamarunt,

Digitized by Google

marunt, niſi ad Burgundiam, illud ſæpius repetentes, Simoniam ibi libere exercebant, prout prius apud nos tunc exiſtentes facere conſueverunt, & eos, qui de nobis, pro aliquib. negociis expediendis acceſſerunt ad ipſos, verbis male tractabant, aſſerentes eos eſſe ſchiſmaticos excomunicatos, & alias pro poſſe gravabant, neſcientes quæ latebant.

Die autem Mercurii X. Aprilis ſex Cardinales, qui tunc erant in Schafhuſia, mandarunt huc pro ſaluo conductu ad Dn. regem & concilium hujuſmodi, & illud obtinuerunt in pleniori forma.

Die ultima dicti menſis Aprilis, venit præfatus Fridericus Dux cum paucis ad Conſtantiam, ſub ſalvo conductu ejuſdem Dn. Regis Romanor. ad præſentandum ſe regi & concilio memoratis, & impetrandum, ſi poſſet, veniam de commiſſis per ipſum, pro eo, quod dictum Balthaſarem ſic abduxit.

Die tertia menſis Maii venerunt ad Concilium oratores Dn. Joannis, archiepiſcopi Moguntini, & per Concilium admiſſi fuerunt procuratores dicti archiepiſcopi, in quem archiepiſcopum ipſe Balthaſar plurimum confidebat, quod ipſe eum cum quibuſdam aliis potentibus partium Germaniæ eundem Balthaſarum deberet eripere ſeu abducere violenter, ſed fruſtra, ut experientia docuit: nullo enim baculo contra percutientem virgam potuit ſuſtentari.

Die quarta dicti menſis Maii redierunt ad Conſtantiam de Schafhuſia de Brankariis prædictus, & de Columna nationis Romanæ, & Tricurienſis nationis Neapolitanæ, nepos dicti Balthaſaris, Cardinales.

Item eadem die redierunt ad Conſtantiam multi literarum apoſtolicarum ſcriptores, & alii officiales & curiales, qui cum ipſo Balthaſare fuerunt in Friburgo, & cum eo ulterius tranſire ad lucra captanda ſe poſſe credebant: ſed deficiente illic melle, muſcæ ulterius fruſtra volare non curarunt. Interim prædictus Fridericus Dux in publica congregatione Conſtantiæ, genibus flexis, diu coram ipſo dicto rege Romanor. aſſiſtentibus ſibi quibuſdam Principibus, & ei gratiam per ipſum Dn. regem impendi humiliter poſtulantibus, de eo quod abduxit eundem Balthaſarem, ut præfertur, dedit ſe & omnia ſua ad manus dicti Dn. regis. Nec aliquis miretur de hoc, quod Dux præfatus per eandem deportationem Papæ, quam fecit, adeo commovit eundem Dn. regem, quod proponebat eum omnino deſtruere, & fuerunt tunc præſentes plures principes & magnates, qui prædictum Dn. regem Rom humiliter rogaverunt, ut ab eadem ira quieſceret, ipſiſque ad vindicandum tantam injuriam & offenſam, Deo & concilio ac regi prædictis illatam, in ea parte dimitteret, quod rex ipſe noluit facere: ſed infra paucos dies poſtea congregavit multitudinem maximam bellantium equitum & peditum, forſan XL. millia, vel circiter, numero, de quibus fecit fieri ſex exercitus, quos direxit in diverſis locis dominii dicti Ducis, ad obſidendum & capiendum terras ejuſdem Ducis, prout fecerunt de multis, quas infallibiliter omnes expugnaſſent, prout apud nos fama eſt, niſi ſubito Dux ipſe ſe & ſua eidem Dn. regi dediſſet, prout fecit, ut præfertur. Quo facto Dn. rex de præconcepta ira aliqualiter placatus, dictos exercitus revocavit, eundem tamen Ducem arreſtando ſub juramento præſtito, ne de ipſa Conſtantia recederet, niſi cum voluntate dicti Dn. regis, & omnia quæ ſibi promiſerat, efficaciter impleſſet: quorum aliqua Dux adimplevit, quædam autem forſan adimplere nequivit, impediente Dn. Erneſto fratre ſuo: & ea de cauſſa adhuc hic remanet in arreſto. Et ſic rex ipſe in hoc ſecutus eſt illud: Sit itaque vigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderate ſæviens: ſit pietas, ſed non plus quam expediat parcens.

Die XXI. menſis Maii præfati prædictus Balthaſar tunc Papa, pervenit ad opidum Celle, diſtans à Conſtantia per duo milliaria Alamanica, illuc deductus de Friburg, de mandato & ordinatione Concilii prædicti: & ipſe rex Romanor. recepit in ſuam poteſtatem dictum opidum Friburg, cum octo aliis, ſibi adjacentibus opidis ſive caſtris, quæ erant prius Ducis ſæpedicti, & in eodem caſtro Celle bene fuit cuſtoditus die noctuque dictus Balthaſar, prædicto Concilio diſponente.

Die XXV dicti menſis Maii, quo incepit ſextus annus Pontificatus ipſius Balthaſaris, fuit facta ſeſſio ſolemnis Conſtantiæ, in qua fuerunt publicati LV. articuli criminoſi, omnia peccata mortalia & inerrabilia crimina continentes, & etiam probati contra ipſum Balthaſarem, tunc Papam.

Eodem

Digitized by Google

Eodem die fuerunt deſtinati certi oratores per dictum Concilium, ad eundem Balthaſarem, certificando eum de illis, quæ ipſa die facta fuerunt in ſeſſione prædicta, certificantesque ipſum etiam, quod depoſitionis ſententiam contra eum ferre vellent: &, ut fama eſt, in hoc conſenſit, quod fieret: rogavit tamen obnixe, ut, quanto honeſtius fieri poſſet honori & ſtatui ſuo, prædictum Concilium provideret, quod & factum fuit.

Die XXIX. menſis Maii prædicti fuit facta ſolemnis ſeſſio Conſtantiæ, & in illa finaliter depoſitus idem Balthaſar, nec non carceri adjudicatus pro pœnitentia peragenda, quousque proviſum eſſet Romanæ eccleſiæ de ſummo Pontifice: & quod ille de ipſo Balthaſare diſponeret, prout ſibi videretur, & quod interim bene tractaretur. Et ſic verificatum eſt illud, quoad ipſum Balthaſarem, qui voluit inter vos primus eſſe, erit vir ſervus: & merito hæc paſſus eſt, quia Deum præ oculis non habuit, & quod fractum erat, non alligavit, & quod abjectum, non reduxit.

Die ultima menſis Maii prædicti dicebatur apud nos, quod dictus Balthaſar ipſam ſententiam approbaſſet, ſcripſit enim ipſi Dn. regi Romanor. ei ſupplicando & reducendo ſibi ad memoriam plurima beneficia, quæ ei contulerat, quod eum benigne tractaret. Veruntamen multum amaricavit mentem dicti regis in hoc, quod diffamavit eum, prout ſuperius continetur: & cum hoc etiam cum eſſet in prædictis caſtris & opidis, ubilibet conquerebatur de ipſo Dn. rege, injuſte tamen, quod ſalvum conductum ſibi infregiſſet, ipſumque in Conſtantia male pertractaſſet, & multa ſimilia, per quæ conabatur ipſum regem multipliciter lædere, & apud reges & principes mundi enormiter diffamare: & de illa materia famoſas epiſtolas ad diverſa regna multis magnatibus deſtinavit.

Poſt hoc, in principio menſis Junii, prædictus Balthaſar ductus fuit ad caſtrum Gotleven, prope Conſtantiam, ſub cuſtodia prædicti Concilii per aliquot dies, & ibi licentiati fuerunt ſui familiares, & ad Conſtantiam venerunt, ne illis cooperantibus evadere poſſet &c. Quo ſtante, aliquos, Conſtantiæ tunc exiſtentes ſibi ſecretos, per quendam ſibi ſecretum rogabat, ut ſibi aliqua conſolatoria ſcriberent, ſic afflicto, quod tamen ipſi facere non audebant, quod ſcripta eorum ad notitiam dicti Concilii pervenirent, & ſic ſuſpecti haberentur in illo. Et quia etiam idem Balthaſar hoc tarde poſtulabat, quia, cum in honore eſſet atque potentia conſtitutus, prudentum & fidelium ſuorum ſana ſibi facta conſilia, ut vitam ſuam emendaret & bene ageret, deridebat & efficere non curabat: ſenſit igitur illud demum in effectu, quid vultis, in virga veniam ad vos? Summus itaque locus bene regitur, cum is, qui præeſt, viciis dominatur.

Poſt hoc traditus & recommendatus fuit cuſtodiæ Dn. Ludovici, Comitis Palatini Reni, qui eſt princeps probus, prudens, & bonæ famæ, & eſt hic apud nos poſitus ad cuſtodiam prædicti Concilii, in abſentia prædicti regis Romanor. per dictum Dn. regem Romanorum, qui eundem Balthaſarem benigne pertractat, ſibique providet de omnibus oportunis, & habet duos capellanos honeſtos ſecum, dicentes officium, & coram eo celebrantes, & quosdam honeſtos nobiles, ſibi in menſa miniſtrantes, in loco ſpacioſo & delectabili, non cathenatus, non conſtrictus: & ita de aliquibus audivi, qui bene ſciunt.

Noviſſime autem, ſcilicet quarta die menſis Julii, magnificus Dn. Carolus de Malateſtis, procurator dicti Errorii, ad illud ſufficienter conſtitutus pro ipſo Errorio ceſſit, in publica congregatione & ſeſſione ſolemniter celebrata, omni juri, quod dicto tunc Errorio, nunc autem reverendo patri Dn. Epiſcopo Portuenſi, quomodo libet competiit, aut competere unquam potuit in Papatu.

Hic etiam nuper, ſcilicet VI. die menſis Iulii prædicti, fuit per prædictum Concilium condemnatus, degradatus, & tandem curiæ ſeculari, & demum igne combuſtus eſt quidam pertinaciſſimus hæreſiarcha, natione Boemus, vocatus Ioannes Huſs, magiſter in artibus, & in ſacra Theologia, non obſtante, quod ſub ſalvo conductu dicti Dn. regis Romanor. de Boemia huc veniſſet, & ipſo Dn. rege tunc etiam hic præſente. Quia dictum Concilium, quod ſic ipſe Ioannes Huſs condemnandus foret convictus, nec errores ſuos volens revocare, per longum proceſſum præhabitum determinavit & concluſit. Alter vero pertinax hæreticus, etiam natione Boemus, no-

mine Hieronimus, hic captus detinetur, &, quod idem judicium de ipſo fiat, ſicut factum fuit de altero, ut præfertur, præſtolatur: ut, quorum communis fuiſſet exceſſus contra Deum & fidem catholicam, etiam communis ſit interitus. Citius enim mori, etiam morte ſæviſſima, elegerunt, quam vellent à ſuis erroribus reſilire, illosque juxta ſanctiones canonicas abjurare: & ſic ipſa Conſtantia facta eſt hoc tempore quoddam purgatorium perverſorum. Audientes autem hæc alii hæretici in civitate Pragenſi, quæ eſt caput regni Boemiæ, qui errores ipſorum duorum hæreticorum ſequuntur & fovent, ut apud nos fama eſt, & ſunt valde multi & potentes, ilico inſimul irruentes domos quamplures catholicorum presbyterorum Pragæ, & opinionibus eorum contrariorum impetuoſe deſtruxerunt, ipſorum aliquos in gladio peremerunt, & quosdam in flumen Multæ, quod penetrat Pragam, ſubmerſerunt: domum archiepiſcopi Pragenſis circumvallarunt, tamen dictus archiepiſcopus manus eorum ſed vix, evaſit. Et multa alia ſæva & horribilia, contra Dei miniſtros & eccleſias, temere commiſerunt. Et ecce ſic neceſſarium eſt, quod fiat unio vera in eccleſia univerſali, temporibus iſtis, etiamſi non eſſet alia cauſſa, quam multiplicatio iſtorum hæreticorum & ſchiſmaticorum in diverſis provinciis atque regnis. Multi etiam alii nobiles actus hic per Concilium facti ſunt, gratia brevitatis omiſſi.

Die autem Jovis XVIII. præſentis menſis Julii, Dn. rex præfatus, accepta benedictione à Dn. Cardinalibus, hic exiſtentibus XV. numero vel circiter, nec non à plæriſque aliis venerabilibus patribus Epiſcopis, in ipſo Concilio congregatis, receſſit, iter agendo verſus eaſdem partes Galliæ, ſtipatus quatuor millibus equitibus, cauſſa colloquium habendi cum eiſdem, rege Aragonum & Petro, ut ſuperius tactum eſt: & tenet indubie rex Romanor. quod ipſe Petrus etiam cedat, prout fecit tunc Errorius præfatus, nunc Portuenſis Epiſcopus, ut præfertur, ut perfecta unio in univerſali eccleſia, concedente Domino, eveſtigio ſubſequatur.

SEQUITUR QUÆDAM ORDINATIO, FACTA in eodem Concilio.

SAnctiſſima generalis Conſtantienſis Synodus, eccleſiam Catholicam repræſentans, ad exſtirpationem præſentis ſchiſmatis, ac erroris eccleſiæque reformationem, in capite & in membris faciendam, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad facilius, liberius & utilius unionem eccleſiæ conſequendam, pronunciat, decernit, ſtatuit, & ordinat, quod ſi contingat ſedem Apoſtolicam quovis modo vacare, in prima illius vacatione ad electionem futuri ſummi Pontificis, nullo modo procedatur ſine deliberatione & conſenſu hujus ſacri Concilii generalis: &, ſi contrarium fieret, illud ſit ipſo facto, auctoritate dicti ſacri Concilii, irritum & inane, nulluſque electum contra hoc decretum in Papam recipiat, nec illi, ut Papæ, quoquo modo adhæreat, nec obediat, ſub pœna fautoriæ dicti ſchiſmatis, & maledictionis æternæ, punianturque hoc caſu eligentes, & electus, ſi conſentiat, ac illi adhærentes pœnis, per hoc ſacrum Concilium ordinandis. Suſpenditque dicta ſancta Synodus pro bono unionis eccleſiæ omnia jura poſitiva, etiam in Conciliis generalibus edita, & ipſorum ſtatuta, ordinationes, conſuetudineſque, & privilegia, quibuſcunque conceſſa, & pœnas, contra quoſcunque editas, in quantum dictum decretum impedire poſſent quoquomodo.

SEQUITUR SENTENTIA DEPOSITIONIS Balthaſar Coſſa, olim Joannis Papæ XXIII.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, amen. Sacroſancta generalis Conſtantienſis Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, invocato Chriſti nomine, ſolum Deum præ oculis habens, viſis articulis, in hac cauſſa contra Dominum Joannem Papam XXIII. formatis & oblatis ac probationibus eorum factis, ejuſque ſubmiſſione ſpontanea, una cum toto proceſſu hujus cauſſæ, habita matura deliberatione ſuper eiſdem, per hanc noſtram ſententiam definitivam, quam profert in his ſcriptis, pronunciat, decernit & declarat, receſſum, per præfatum Dn. Joannem Papam XXIII. ab hac civitate Conſtantienſi & dicto ſacro Concilio generali, clandeſtine, hora ſuſpecta, in habitu diſſimulato & indecenti, factum,

ctum, fuiſſe & eſſe illicitum, eccleſiæ Dei in dicto Concilio notorie ſcandaloſum; pacis & unionis ipſius eccleſiæ turbativum & impeditivum, ſchiſmatis inveterati nutritivum, à voto, promiſſione & juramento, per ipſum Dn. Ioannem Papam Deo & eccleſiæ ac huic ſacro Concilio præſtitis, deviativum, ipſumque Dn. Joannem papam Simoniacum notorium, bonorum & jurium. nedum Romanæ, ſed & aliarum eccleſiarum & plurium aliorum locorum piorum dilapidatorem notorium, malumque ſpiritualium & temporalium adminiſtratorem & diſpenſatorem fuiſſe & eſſe, ſuis deteſtabilibus inhoneſtisque vita & moribus, eccleſiam Dei & populum Chriſtianum ſcandalizantem, ante ejus aſſumtionem ad Papatum, & poſt usque ad iſta tempora; ipſumque per præmiſſa eccleſiam Dei & populum Chriſtianum notorie ſcandalizaſſe & ſcandalizare, poſtque monitiones debitas & caritativas, iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmiſſis malis pertinaciter perſeveraſſe, ſeque ex hoc notorie incorrigibilem reddidiſſe, ipſum propter præmiſſa & alia crimina, in proceſſu dictæ cauſſæ contra eum deducta & contenta, tanquam indignum, inutilem & damnoſum, à Papatu & omni ejus adminiſtratione ſpirituali & temporali, amovendum, privandum & deponendum fore, & eum dicta ſancta Synodus amovet, privat & deponit, univerſos & ſingulos Chriſticolas, cujuscunque ſtatus, dignitatis vel conditionis exiſtant, ab ejus obedientia, fidelitate & juramentis abſolutos declarando: inhibendo inſuper univerſis Chriſti fidelibus, ne eundem, à Papatu, ut præmittitur, ſic depoſitum, de cætero in Papam recipiant, ſeu eum Papam nominent, aut illi tanquam Papæ adhæreant, ſeu quoquo modo obediant: & nihilominus ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, ſupplet dicta ſancta Synodus omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum intervenerint, eumque ad ſtandum & morandum in aliquo loco bono & honeſto, ſub cuſtodia tuta ſereniſſimi Principis Domini Sigiſmundi Romanorum & Ungariæ regis &c. univerſalis eccleſiæ advocati & defenſoris devotiſſimi, nomine dicti ſacri Concilii generalis, quamdiu dicto ſacro Concilio pro bono unionis eccleſiæ Dei videbitur expedire, condemnandum fore, & eadem ſententia condemnat. Alias vero pœnas, quæ prædictis criminibus & exceſſibus inferri deberent, juxta Canonicas ſanctiones dictum Concilium arbitrio ſuo reſervat declarandas & infligendas, ſecundum quod rigor vel miſericordiæ ratio ſuadebit.

Item decernit, ſtatuit & ordinat dicta ſancta Synodus, pro bono unionis eccleſiæ Dei, quod nullo unquam tempore, reeligatur in Papam dictus Balthaſar de Coſſa, nuper Joannes Papa XXIII. nec Petrus de Luna, Benedictus XIII nec Angelus Corario, Gregorius XII. in ſuis obedientiis ſic nominati, & ſi contrarium fieret, illud ſit ipſo facto irritum & inane, nullusq;, cujuſcunq; dignitatis & præeminentiæ, etſi Imperali, Regali, Cardinalatus vel Pontificali dignitate præfulgeant, eis, vel eorum alteri, contra hoc decretum, ullo unquam tempore obediat, ſeu adhæreat, ſub pœna fautoriæ ſchiſmatis prædicti & maledictionis æternæ, ad quas, contra præſumtores, ſi qui in poſterum fuerint, etiam cum invocatione brachii ſecularis & alias rigide procedatur.

Item decernit dicta ſancta Synodus, quod quatuor generales Judices deputati debeant vocare prælatos abſentes ad Synodum, & punire non venientes, prout de jure, ac ſecundum Deum videbitur expedire.

Die Tertia menſis Auguſti venerunt nova ipſi Concilio, quomodo Angelus Corario, olim Gregorius Papa XII. nunc Epiſcopus Portuenſis, poſtquam intellexit ceſſionem ſui Papatus, per dictum Dn. Carolum de Malateſtis procuratorem ſuum, ad hoc per eum ſolemniter conſtitutum, publice factam, ut ſuperius tactum eſt, convocatis ſuis curialibus & Cardinalibus, nec non prælatis & clero, qui ſibi ut Papæ tunc adhærebant & credebant in partibus illis, in publico Conſiſtorio gaudenter & ſponte approbavit, laudavit & confirmavit omnia in ea parte geſta pro ipſo, per dictum Carolum: quo facto ilico depoſuit mitram pontificalem, nec non colobium & omnia Pontificalia ſeu inſignia Papalia, etiam ibidem præſentibus omnibus, cum ſolemni Proteſtatione, quod illa nunquam de cætero reſumere vellet, imo omni modo, quo poſſet procurare intenderet, quod præfata unio fieret in eccleſia univerſali.

Die quarta menſis Auguſti venerunt nova prædicto Concilio, qualiter præfatus rex Romanor. perveniſſet, cum magna reverentia & honore receptus ubique locorum in partibus Gallicanis uſque ad civitatem Narbonenſem, quæ ſuper mare Oceanum

 in par-

Digitized by Google

in partibus Tholoſanis conſiſtit, & ibi ad ipſum regem Romanor. per plures dies poſtea venit rex Arragonum ſupradictus, ut hic fama eſt, cum magno apparatu per terram, aſſerens, quod prædictus Petrus illic etiam infra paucos dies poſtea per mare venire deberet, quod ſi faceret, prout ſibi promiſerat, ſe facturum, etiam ſponte ſuo Papatui cedere deberet, quacunque difficultate ſemota: & ſi hoc facere nollet, ipſum Petrum captivare, ac captum regi Romanor. vellet infallibiliter aſſignare, & ſic præſtolamur de hoc bonum nuntium, de eo quod extunc contigit nova, ut ſperamus, grata cito referentem.

Die XII. menſis Septembris dictus Hieronymus de Boemia, qui fuit de hæreſi Joannis Huſs ſuſpectus, & propterea diu in carceribus Conſtantiæ detentus, hora veſperarum, coram nationibus in eccleſia majori Conſtantiæ excuſavit ſe de hæreſi, & in ſcriptis recognovit, ſe credere & tenere, quicquid doceret & teneret Sancta & Romana eccleſia, & ſubmiſit ſe Concilio Conſtantienſi.

Die XVIII. menſis Septembr. venerunt nova de Ungaria, de interfectione Turcorum & triumpho Chriſtianorum illic habito: ſed adhuc dubium eſt, ſi ſit ita: & de hoc poſtea nihil ſenſimus in effectu, ſed contrarium, ſcilicet, quod ipſi Turci multos Chriſtianos valde noviter in illis partibus trucidaſſent, & magnam catervam Chriſtianorum captivos ſub ſervitute miſerabili abduxiſſent.

Eadem die venerunt nova de rege Romanorum de Perpiniano, quomodo rex ipſe erat cum rege Arragonum & Petro de Luna ibidem in tractatibus unionis, & quod ſperabat cito venire cum bonis & certis novis, de quibus novis fuit facta lætitia magna hic inter forenſes: quia Dn. rex Arragonum tunc temporis, & diu antea, valida infirmitate detentus, & Petrus de Luna præfatus in caſtro fortiſſimo Perpiniano tunc reſidens, ac in ſua pertinacia perſeverans, quæſivit ſubterfugia diverſa, & qualiter ipſum regem Romanorum impediret, ne, quoad ipſam unionem, in univerſali eccleſia faciendam, proficere poſſet, ut de ipſo Petro verificaretur illud: Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.

Interim quod Dn. Sigismundus rex Romanorum & Ungariæ fuit Conſtantiæ in Concilio generali, circa feſtum Paſchæ Turci in magna multitudine venerunt usque ad regnum Bosnæ, vocati per præfectum illius regni, quem ipſe rex ad cuſtodiam ipſius regni deputavit, corruptus pecunia & promiſſis per Venetos, æmulos ejuſdem, & deinde latentes ad regnum Dalmatiæ, circa mare & in Sclavoniam velociter currentes, viam nocturno tempore usque ad calidas aquas Veſprimienſis diœceſis pervenerunt, ubi multos nobiles & plebejos utriusque ſexus rapientes, captivos detinuerunt, & illas terras, usque ad fines Alamaniæ pervenientes, multas eccleſias & loca eccleſiaſtica, nec non villas campeſtres quaſdam ignis incendio, & reliquas aliis modis violenter deſtruxerunt, & valde multos Chriſtianos interfecerunt, & ultra octo millia ſecum captivos abduxerunt.

Poſtea vero, circa feſtum aſſumtionis B. Mariæ, ad dictum regnum Boſnæ redeuntibus ipſis Turcis in manu forti eis occurrebant multi nobiles de Ungaria, armati pro defenſione Ungariæ, qui erant ſex millia vel circiter, ibi bello cum parte ipſorum Turcorum, & illa victa, ſecundario eadem die pugnarunt cum alia parte, & illam ſimiliter vicerunt circa horam veſperarum, & fuit inter eos ille Capitaneus, Boſnæ proditor & falſus Chriſtianus, qui, dolens de iſtis victoriis Chriſtianorum, ſeduxit eos, inducens, ut tertium prælium committerent etiam cum Turcis ipſa die: quibus reſpondentibus, quod jam laſſati erant, nec poterant ea die peramplius pugnare: reſpondit proditor, quod pauci eſſent in vicinia eorundem Turcorum, quos de facili etiam pugnando cum eis vincere poſſent: quibus credentibus dictis hujuſmodi proditoris, & eum ſequentibus, acceſſerunt intrepide ad quendam locum, ubi maximus numerus ipſorum infidelium fuerat congregatus, ita quidem nulla proportio fuit inter Chriſtianos, quoad illum numerum & ipſos infideles: qui quidem Chriſtiani ſubito per Turcos ipſos circumdati, & omnes interfecti, ac eorum valde multi nobiliores victi in captivitate detenti fuerunt. Quo facto, ad interiora partium Dalmatiæ & Slavoniæ prædicti Turci victores, dantibus eis paſſum quibuſdam capitaneis Chriſtianis, in partibus illis uſque ad terras Comitis Ciliæ in Alamania, & fines diœceſis Saltzeburgenſis, & terrarum eccleſiæ Aquilegienſis pervenerunt,

omnia

Digitized by Google

omnia loca, ſanctas eccleſias, villas, terras Chriſtianorum flamma & cædibus hominum, nullis eis tunc reſiſtentibus Chriſtianis, & ipſorum Rege tunc exiſtente in partibus Gallicanis, pro unione in eccleſia facienda, devaſtarunt. Quibus peractis, ultra XXX. millia Chriſtianorum ſecum in perpetua & miſerabili ſervitute abduxerunt, & tranſitum facientes prope terras Venetorum, illas & earum habitatores non offenderunt, & circa medium menſis Septembris iterum reverſi ſunt ad eaſdem regiones, cum majori multitudine, quam prius unquam fuiſſe dicuntur, ad conquirendum totum regnum Ungariæ, quod Deus avertat. Quibus tamen vadunt obviam multi Theutonici armigeri, de locis finitimis inſimul congregati, pro defenſione terrarum Alamaniæ, ſi poterunt, à manibus hoſtium perverſorum, adhuc dicto rege Romanor. agente ubi ſupra in partibus Gallicanis.

Die V. menſis Septembris fuit ſcripta una litera miſſiva in Tiburto, prope Romam, huc ad Conſtantiam per quendam virum veracem & nobilem directa, & inter alia habens iſta: Scientes, quod nuper, præteritis meſſibus, exilem valde habuimus fructum hic recollectionem, eo quod nedum in territorio Tiburtinenſi, ſed & caſtrorum vicinorum mures maximi, ſicut porcelli, meſſes illas, ultra omnem humanam æſtimationem devaſtarunt. Audiviſtine mutationem dominii urbis, paucis gratam, ſed revera magni doloris, & iræ Dei contra nos ſignum? utinam graviora nos non involvant. Nam plus quam centum de valentioribus exiciis, cum brachio reginæ Neapolitanæ, & ejus conſortis Comitis Marcii, quem pridem duxit in maritum, mediante genere Urſinorum, prætendunt de novo hanc patriam ſubjugare, niſi Deus obſiſtat. Et quia nuper Romani per vim recuperarunt pontem Molini, indignatus ad hoc Comes Carariæ, vicarius dictæ reginæ, ſpoliavit Romanos omnibus pecudibus, quas ad partes Falliacotze & alios harum partium montes in magno numero deſtinarunt: quid ergo, niſi miſericordia Dei nos conſoletur, quod lamentationes Jeremiæ nos repetere oporteat, formidamus? Et hæc ſunt nova miranda, prius non viſa in partibus illis & crebreſcentibus guerris, cauſſante dicta regina & diviſione ipſorum Romanorum, ſcilicet quod ibi tangit, ubi loquitur de Urſinis.

De menſe Novembri venerunt nova, qualiter Dn. Joannes rex Portugalliæ, collecta magna claſſe galearum & navium, per mare Africum navigando & credens invadere terras illius Sarraceni, qui ſe regem Granatæ appellat, prope Hiſpaniam ſupra mare Oceanum: Et dum appropinquaret eiſdem terris, dicti Sarraceni, impulſu ventorum contrariorum, nec non tempeſtate maris vehementi verſus Africam, ſeu partes Tunicii, de menſe Auguſto, proxime præterito, ad portum cujuſdam civitatis magnæ, fortis & potentis, quam Cente illic vulgus appellat, & poſſeſſa tunc erat per Sarracenos, quæ eſt magna ad inſtar Bononiæ, ut fertur, habens etiam tria fortalitia, ſeu tres arces, & fuit opibus & mercantiis valde repleta: & etiam multi Januenſes mercatores, cauſſa exercendi merces tunc morabantur in eadem. Sarraceni vero ſeu incolæ dictæ civitatis videntes, quod dicti Chriſtiani applicuerunt eis pro magna parte, ne civitatem ipſam ingredi poſſent, defendendo ſe alacriter cum conchis & ſagittis aliquandiu reſtiterunt, ſed demum victi & pro magna parte interfecti per Chriſtianos, reliquis ilico fugientibus ad civitatem, illosque inſequentibus velociter Chriſtianis, ipſi Chriſtiani una cum prædictis fugientibus, portas dictæ civitatis potenter & viriliter ingreſſi ſunt, & ſtatim eam obtinuerunt cum conſilio dictorum Januenſium, præambulo & firmato pacto inter eos, quod ipſi Portugalenſes eoſdem mercatores Januenſes non læderent in perſonis & rebus eorum, etiam ipſa tria fortalitia infra paucos dies viriliter expugnarunt, eaque & dictam civitatem eorum dominio ſubdiderunt, interficiendo Sarracenos illic repertos. Et ſic ipſi Portugalenſes de ſpoliis Sarracenorum victorum vehementer ditati, ac illic ſuis navibus oneratis, ad propria de menſe Septembri proxime præterito redierunt, dimiſſa ſufficienti cuſtodia pro civitate & fortalitiis antedictis, quæ infra unum annum propter eorum fortitudinem & victorum multitudinem per potentiam, ut fama eſt, non viciſſent, niſi ita repente, auxiliante Domino, portam ipſam, ut præmittitur, ingreſſi fuiſſent, ejuſdem civitatis habitatoribus & incolis improviſis, quam ſi dicti Chriſtiani poterunt retinere, aliis Sarracenis, in confinio poſitis, poſſunt eſſe ſatis infeſti.

Eodem tempore hic nova ſcivimus, quod rex Angliæ cum maxima navium claſ-

ſe in-

Digitized by Google

ſe intraſſet Normanniam, accepiſſet violenter maris portum opidi Herflot, quod eſt fortiſſimum, & tunc fuit ſub ditione regis Francorum conſtitutum, & per ipſos Gallicos valde multis armigeris & defenſorib. communitum, qui omnes capti ad Angliam captivi perducti fuerunt, eodem opido ſub ditione regis Angliæ remanente: ſed infra dies paucos, litargia exercitum ejuſdem regis Angliæ illic horribiliter invadente, ita quod exinde valde multi dietim morerentur, dimiſſis cuſtodibus, in eodem opido ſufficientibus, & expulſis exinde indigenis Gallicis, rex ipſe Angliæ cum LX. millibus, præter vectores curruum & carrucarum, qui erant numero duo millia vel circiter, per terram, & reliqui per mare in Angliam revertebantur. Sed dum rex ipſe veniſſet prope * * * *, qui quidem locus diſtat à Colleſio per * milliaria, & interim, quod ſic per terram iter egit, principes, magnates & militia Galliarum ſe adunarunt cum quibuſdam finitimis nobilibus, & etiam habentes in eorum exercitu ultra mille Italicos, quorum capitaneus erat Burigaldus, qui dudum rexit Januam, pro eodem rege Francorum: & idem exercitus Gallicorum continebat, ut fama eſt, ad omne minus centum millia pugnatorum: & commiſſo prælio, ſicut indictum fuerat tempeſtive, Anglici fuere victores, quamvis infra triduum ante, niſi panem pro cibo & aquam pro potu habuiſſent: ubi fuerunt quinque millia, quingenti & ultra Gallici inter magnates nobiles & armigeros interfecti, mille & quingenti capti, & ad Angliam ipſam perducti, inter quos ſunt plures Duces, Comites & Barones ac milites, quorum Ducum duo, ut dicitur, pro liberatione ſuarum perſonarum à captivitate exhibent quadraginta millia Francorum auri. Ipſi enim Gallici, more ſuo, alacriter bellare inceperunt, ſed invenientes Anglicorum reſpective paucorum fortem reſiſtentiam, & ipſos cum ſagittis acutis jaculantium, de bello turpiter fugerunt, nunc mille nunc plura millia, non educentium gladios vel ſagittas contra ſe pugnantes Anglicos ſæpedictos. Unde tantum non fefellit illud antiquum dictum videlicet: Gallorum multa ſunt & repentina conſilia. Item: Ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer & promtus eſt animus, ſed mollis & minime reſiſtens ad calamitates ferendas.

Die XXIIX. dicti menſis Novembris intraverunt Ambaxiatores Samoytarum, de novo converſorum, ad fidem catholicam, ſexaginta vel circiter numero viri, ſatis proceræ ſtaturæ: qui habitant inter Livoniam & Lituaniam, prope Pruſſiam: & terra eorum, quam inhabitant, vocatur Semigallia, omnibus bonis referta, excepto, quod non creſcit ibi vinum: & ſunt ſub regimine conſtituti Vitoldi, alias, Alexandri Ducis Lituaniæ, & conſueverunt prius eſſe aliquandiu ſub regimine Magiſtri & fratrum Hoſpitalis S. Mariæ Theutonicorum de Pruſſia. Et receſſerunt die prima menſis Martii.

Quartadecima die menſis Decembris multæ literæ miſſivæ ad nos productæ fuerunt, aliquæ de Perpiniano, aliquæ de Narbona, in quibus continebatur, quod rex Romanorum voluit recedere de Narbona, & iter ad nos redeundi arripere: ſed Hiſpaniæ, Arragoniæ & Navarræ reges, nec non Fuxi & Armeniaci Comites, & Ambaxiatores regis Scotorum, atque multorum aliorum magnatum adhuc exiſtentium in Perpiniano, per eorum nuncios, ipſi Dn. regi Romanorum directos ad Narbonam, dictum Dn. regem Romanorum ſtrictiſſime rogarunt, ne ita repente recederet ſine fine, ſed ſuos Oratores cito eis deſtinaret, cum quibus ſperabant invenire bonum modum, ſeu ordinem, pro unione prædicta: & quod ipſum Petrum de Luna cedere ſuo Papatui oporteret, quod ſi non faceret, ſibi obedientiam in regnis & partibus illis ſubtrahere, eumque terra marique perſequi vellent. De quo ipſe rex Romanorum gaviſus, miſit e veſtigio quoſdam ſuos ſolemnes Oratores ad Perpinianum: quibus illuc advenientibus & cum magno deſiderio nobilium & popularium receptis, ordinatum & concluſum fuit, quod daretur dilatio XV. dierum præciſe ipſi Petro, infra quos haberet cedere, aut ut hæreticus in perſona & rebus ſuis perſequi deberet. Ipſe vero Petrus hoc ſentiens, quoſdam illarum partium potentes donis & promiſſis ſophiſticavit pro ſe, more ſuo creando quatuor eorum caros in magnos Antiſtites, & unum eorum in Cardinalem, & quibuſdam ex eiſdem potentibus, qui pro ſe aut ſuis nolebant habere tales eccleſiaſticos honores, dedit aliquas pecuniarum ſummas in promptu, quod eum juvarent, ut tutus abinde per mare recedere poſſet, prout fecerunt. Et poſtquam pervenit

Digitized by Google

venit cum galeis ſuis ad caſtrum Colibriæ maritimum, inſecuti fuerunt eum Ambaxiatores illarum civitatum, ſcilicet, Barſabonæ, Cæſar-Auguſtæ, Valentiæ, Majoricæ, Dertuſæ, Jeronæ, Perpinianæ, & quarundam aliarum magnarum civitatum, ſecus mare conſiſtentium, uſque ad dictum caſtrum Colibriæ, & ibi obſiderunt eum, & taliter ſpoliarunt ſeu nudarunt ipſas galeas remis & aliis inſtrumentis, inibi repertis, quod abinde ulterius recedere non poterat. Quid autem ſubſecutum ſit, ignoramus: ſed quod dicti ambaxiatores earundem civitatum in hoc concluſiſſent, eſſentque concordes, quod nollent amplius ſtare ſub obedientia dicti Petri, ſive cederet, ſive non, ipſi nihilominus huic Concilio intenderent adhærere, dictumque perſequi, pro eo, quod toties ſponte juraſſet & voviſſet Deo & ſanctis ejus ſolemniter, & in ſcriptis ante perverſum ejus Papatum & in illo etiam, quod ipſe ſemper paratus eſſet, velletque ſponte cedere dicto ejus Papatui, quotieſcunque ſuper hoc requireretur, & ſibi adhærentibus & alteris, vel alii, alterius & aliarum obedientiæ vel obedientiarum nominatus ſeu nominati, in ejus vel eorum obedientia ſeu obedientiis, Papa vel Papæ etiam ſponte cedere vellet: & iterum contra juramenta & vota ſua prædicta temere veniret, ea nolendo adimplere, ſubterfugia quærendo, & ne ipſa unio fieret, fugiendo.

In feſto S. Thomæ Cantuarienſis, infra feſta natalis Domini, poſt prandium, venerunt ad Conſtantiam aliquæ nobiles perſonæ de Norbona, apportantes tres literas miſſivas & clauſas: duas ſcilicet Concilio, & tertiam Comiti Palatino Reni, hic exiſtenti, quarum duæ fuerunt regis Roman. & tertia oratorum, dicti Concilii directorum, cum ipſo Dn. rege Roman. per præfatum Concilium ad regem Aragonum & Petrum de Luna, pro unione, in univerſali Eccleſia reformanda, prout ſuperius tactum eſt: & prædictæ literæ fuerunt ead. die in publica congregatione nationis Germanicæ lectæ, continentes in effectu, quod uſque ad XV. diem præſentis menſis rex Romanorum & Oratores ex una parte, & Aragonum prædicti, nec non alii reges & magnaces, qui prius fovebant partem dicti Petri, & erant de ipſius obedientia, ex alia veniſſent ad concluſionem unionis prædictæ, indubiè ſubſequendam, excuſantes ſe ic. rex Romanorum & oratores prædicti, quod per prius eidem Concilio de illa materia certa nova non ſcripſerint ea de cauſa, quod licet multa ſolicitè & continuè, exiſtentes inſimul in partibus illis de prædicta materia pertractaſſent, illa tamen de die in diem immutata fuiſſent, & valde ſub dubio ſeu incerto, uſque ad ipſam diem XV. & qu penitus inſperata & inutilia attentata fuiſſent, & quod de his punctatim, ſeu magis clare, infra paucos dies vellent per quoſdam ex eiſdem oratoribus etiam mittendos ad Conſtantiam, prædictum Concilium informare. Et perlectis dictis literis, ſtatim fuit facta lætitia magna præſentibus, & ipſa nova grata audientibus, & campanæ eccleſiarum Conſtantienſium, in augmentum lætitiæ hujuſmodi, pulſabantur. Fuit etiam tunc magnus concurſus illico ad magnam eccleſiam per ipſam Germanicam, & alias nationes, hic etiam exiſtentes in celebratione Concilii memorati, quorum valde multi præ nimio gaudio plorabant: cæteri vero una voce, Te Deum laudamus devotiſſimè concinebant. Retulerunt etiam in publico ſive coram ipſis nationibus bajuli earundem literarum, quod non poterant ore promere aut dicere, quam ingens & celebre gaudium factum fuit in partibus Hiſpaniæ & Aragoniæ, nec non vicinis regionibus toti populo, & omnibus habitatoribus in partibus ipſis de illa jocunda concluſione univerſalis pacis & unionis eccleſiæ prædictæ, ſi datum ſit deſuper, ut ſperamus, ſubito ſubſequenda. Die Lunæ, infra eadem feſta natalis Domini, Conſtantiæ, ſolita hora, facta fuit ſolemnis proceſſio, in qua fuerunt Dn. Cardin. & alii etiam Prælati inferiores, illic ad generale concilium congregati, qua peracta, fuit celebrata in majori eccleſia, cum non modica frequentia ac lætitia cleri & populi Conſtantienſis, Miſſa de Spiritu S. multis etiam tunc præ gaudio flentibus illic, ac eis & aliis pro tanto bono Deum collaudantibus, ex quibus nobis fertilis ſpes datur à Domino, quod dicta unio fieri debeat in univerſali eccleſia citò, prout in præcedentibus recitatur. Eadem die venit huc de Boemia quidam familiaris prædicti Hieronymi Boemi, apportans de regno Boemiæ quandam literam, patentem ſcriptam, & 400 & 50. duobus ſigillis ſigillatam, & totidem Boemorum, inter quos ſunt plures Barones ac milites & militares, nec non armigeri populares & plebei, qui omnes unanimiter erant & ſunt de ſecta quondam

Digitized by Google

Joannis Huſs etiam Boemi, & archihæretici, hic propterea alias combuſti. In qua quidem litera reprehenderunt hoc ſacrum concilium de hoc, quod dictus Joannes, auctorizante præfato Concilio, & eo nolente ſuos errores abnegare, taliter judicatus & punitus fuit, aſſerentes, quod ipſe erat vir ſanctus & juſtus, nec ſimilis ſibi reperiatur in bonitate & ſanctitate, quodq; per hoc dictum Concilium peccavit & malefecit, & propterea ipſi noluerint, nec velint adhærere & obedire. Et adeo multiplicati ſunt prædicti hæretici in partibus illis, ut publica fama laborat, quod etiam reverendus pater, Dn. N. Epiſcopus Lithomislienſis, qui licet ſit magnus, nobilis, & etiam potens opere & ſermone in regno prædicto, & alias fuerit per ipſum Concilium ad dictum regnum deſtinatus, ad exſtirpandum hæreſes hujusmodi de illo, & illic veniens cum literis multis dicti Concilii, nec non adhibita per eum omni diligentia, ad expurgandum dictum regnum de hæreticis & hæreſibus hujusmodi & reddendum Domino plebem perfectam: veruntamen in hoc hucusque perficere non potuit, nec poteſt. Sunt enim adeo dicti hæretici contra eum, ſibique adhærentes, pertinaciter coadunati in eorum perfidia, quod vix audet exire, & ſatis dubitat de perſona & bonis ipſius. Et ſic modicum profecimus, mittendo ipſum ad procurandum ſalutem in natione perverſa, quæ ipſum Ioannem Huſs prædicat & concelebrat quaſi pro apoſtolo, ſeu martyre glorioſo: populus ſtultus & inſipiens utinam intelligeret & noviſſima provideret. Et ecce quantum periculum eſt in Chriſtianitate, cum capita præſidentium ad invicem obliquantur: vel qualiter prudenter & bene procedant ſingula eis ſuppoſita, non reſpiciunt diligenter.

In principio menſis Januarii venerunt nova Concilio, qualiter Decanus & Capitulum eccleſiæ Argentinenſis, in quodam loco Argentinenſis diœceſis, Wilhelmum de Deys, de progenie Baronum de Deys in Brabantia natum, qui ut Epiſcopus Argentinenſis eandem eccleſiam per 10 & 8 annos & ultra rexit, & tamen nullum ſacrum ordinem habuit, ad ſe vocarunt, quem venientem ad ipſos ſtatim manu forti ceperunt, & ſecum ad civitatem Argentinenſem captivatum adducentes, in quodam ergaſtulo incluſerunt. Quod cum dictum Concilium in veritate ſentiret, miſit illuc ſolemnes Ambaxiatores, ſc. Patriarcham Conſtantinopolitanum, & quosdam alios magnæ auctoritatis viros, ad videndum in eo caſu de remediis oportunis, pro liberatione illius captivi à manibus Decani & Capituli prædictorum, qui illuc venientes, & ſuper iſta materia cum præfatis Decano & Capitulo pluribus habitis colloquiis, modicum profecerunt. Impoſuerunt enim prædicti, Decanus & Capitulum, eidem Dn. Wilhelmo, quod ut merus laicus dictæ eccleſiæ tamdiu præfuiſſet, & etiam non curaſſet in ſpiritualibus & temporalibus debite gubernare, & cum hoc tot caſtra & bona immobilia ipſius Eccleſiæ alienaſſet, quod ultra XXX millia flor. auri valerent, & plura alia ſibi impoſuerunt, aſſerentes etiam, quod eum non ut clericum, ſed tanquam laicum, notorie carentem clericalibus tonſura & habitu, cepiſſent, non illa intentione, quod ipſum offendere, ſeu injuriari ſibi, ſed ut ab eo rationem ſuæ adminiſtrationis exigere vellent. Quibus ſic ſtantibus, illic ſupervenerunt Dn. Ioannes, archiepiſcopus Maguntinenſis, & Marchio Badenſis, cum non modica equitum comitiva, laborantes etiam inſtanter pro relaxatione prædicti captivi, ſed finaliter in hoc proficere non potuerunt. Sed præfati, Decanus & capitulum hoc negocium in diſpoſitione dicti Concilii, certis conditionibus adjectis, poſuerunt: & ſic ipſi noſtri Oratores abinde recedentes, XIIII. die dicti menſis ad Conſtantiam reverſi fuerunt, die immediate ſequenti ea, quæ peregerunt in præmiſſis, coram nationibus hic exiſtentibus, publice retulerunt.

Eodem tempore aliud novum deductum eſt, quomodo Dn. Wilhelmus de Monte, frater Ducis Montenſis, qui etiam ut Epiſcopus ſeu electus Padebornenſis eccleſiæ Padebornenſis per decem annos, vel circa, præfuit ut purus laicus, nunquam incedendo interim in clericalibus habitu & tonſura, & tandem ad differentiam veniens cum Præpoſito & capitulo ejuſdem eccleſiæ, nec non etiam civibus Padebornenſibus atque univerſitatibus plurium opidorum adhærentibus illis, quos ut ejus hoſtes in bonis & rebus diu publice perſequebatur, villas & curtes campeſtres eccleſiæ prædictæ ignis incendio ac ſpoliis & rapinis totaliter devaſtando, ac crudeliter habitatores civitatis, opidorum nec non villarum hujuſmodi pertractando, ita quod dictam eccle-

Digitized by Google

eccleſiam in ſuis bonis & reditibus pene deſtruxit. Quibus ſic ſtantibus ab Errorio in archiepiſcopum Colonienſem, quia eccleſia Colonienſis per obitum bonæ memoriæ Friderici, archiepiſcopi Colonienſis, paſtore carebat, quamvis eſſet laicus & parum literatus, ita quod vix unam literam in vulgari Theutonico ſciret legere, eſſetque obedientiæ tunc ipſius Balthaſaris tunc Papæ, ambitione ſeductus ſe procuravit promoveri, habens autem fortem contradictorem, ſcilicet Dominum Theodoricum de Morſe, quem prædictus Balthaſar, tunc Papa, eidem eccleſiæ Colonienſi in archiepiſcopum præfecerat, eidem Dn. Theodorico archiepiſcopo etiam diu guerram publicam & periculoſam valde movit, deſtruendo villas & curtes: & domos campeſtres ejuſdem eccleſiæ Colonienſis, & ejus ſubditos qualitercunque potuit devaſtavit, & tandem cum dicto Dn. Theodorico archiepiſcopo, quibuſdam viris magnæ auctoritatis mediantibus, ad compoſitionem amicabilem dicitur deveniſſe, ita quod habebit neptem dicti Dn. Theodorici archiepiſcopi in uxorem, videlicet filiam Comitis de Tekenborg in Weſtvalia, & ſororis dicti Dn. Theodorici archiepiſcopi, conjugum: dictuſque Dn. Theodoricus archiepiſcopus ſibi de dote, cum qua onera hujuſmodi matrimonii poterat, ſi prudenter agat, ſupportare commode, præfato Dn. wilhelmo, ut condictum eſt inter partes, liberaliter providebit. Et ecce quales fructus producunt, & honorem impendunt nobiles laici, quæ cathedralibus eccleſiis in epiſcopos præficiuntur; nimirum, quod non ſunt paſtores animarum, ſed potius mercenarii, ſive lupi, ea conditione præſidentes ipſis eccleſiis, illarumque fructus & emolumenta conſumendo, & non ut proſint, ſed præſint, quouſque forſan ad aliquod temporale dominium, ad quod aſpirant, valeant pervenire.

Die XXIIX. menſis Januarii reverſi fuerunt ad Conſtantiam Oratores ſeu nuncii, dudum per prædictum Concilium, cum præfato rege Romanor. ad regem Arragonum & Petrum de Luna prædictos, ut ſuperius dictum eſt, deſtinati: & die immediate ſequenti, hora conſueta, retulerunt ſummarie coram multitudine, quæ illic effecerunt, & in quibus punctis negocium, pro quo illuc iverant, pertractandum, ipſis abinde recedentibus, remanebat. Et perpaucos dies ante plures alii diverſarum nationum, etiam de Perpiniano huc venientes, retulerunt, qualiter ibi dicebatur, quomodo dictus Petrus, poſt adventum ejuſdem regis Romanor. ad partes illas, cum præfato rege Arragonum & magnatibus regni Aragoniæ quaſi communiter & ſecrete pertractaſſet, quod ipſi promiſiſſent eidem, quod eum non defererent unquam, & ſub tali vana ſpe remanens ejus perverſo Papatui cedere noluiſſet. Quod cum ipſe rex Romanor. ſentiret, dedignatus inde, in præſentia omnium ibi congregatorum publice dixiſſet: quod licet ipſe pro bono unionis eccleſiæ illuc veniſſet, ordinatione Concilii, & requiſitione regis Aragonum prædictorum, ad laudem Dei regna ſua in magno periculo dimittendo, attamen ibi diu fruſtra ſtetiſſet, per ambages & promiſſiones partis alterius, in eluſionem catholicæ fidei ductus. Unde totus populus & Oratores ac nuncii majorum civitatum regni Aragoniæ illuc miſſi, commoti dixerunt, quod eidem regi Romanor. aſſiſtendum & adhærendum eſſet in hac parte, & ſibi vellent aſtare ſeu aſſiſtere in hoc ſancto negocio unionis ſæpe-dictæ: & ipſi regi Romanor. publice quaſi divinos impendentes honores, ac ſi ſanctificatus exiſteret, tangere veſtes, quibus indutus erat, permaxime confluxerunt, eo tamen, quantum potuit, renitente. Videntes autem rex Aragoniæ & ſui magnates prædicti, quod ſoli contra totum populum, ſic ad factum unionis ejuſdem uniformiter inclinatum, timuerunt de impreſſione aut ſeditione, ſcilicet, ne populus ipſe in eos & dictum Petrum inſurgeret, ac male perderet, clanculum eidem Petro conſuluerunt, ut quantocyus abinde recederet ad locum tutum pro ejus manſione: quia ipſi eum contra prædictum populum, ut timebant, tueri non poſſent.

Quibus auditis, & cogitato etiam per ipſum Petrum, quod revera factum hujuſmodi taliter ſe haberet, ad quoddam caſtrum ſatis forte, mare ſulcando cum galeis ſuis aufugit, in quo ſtando per plures dies interim per ipſos reges magnates ac populum, nec non ambaxiatores, in Perpiniano tunc præſentes, concluſum & ordinatum fuit ſub juramento, & quibuſdam pactis neceſſariis adhibitis, quod omnino dictus Petrus ad cedendum infra certum terminum ſibi dandum conſtringi deberet: alioqui ſubtraheretur obedientia in omnibus regnis & partibus, quarum habitatores

Digitized by Google

res & incolæ ſibi haĉtenus adhæſerunt. Et cum hæc ipſi Petro nunciata fuiſſent, obſtinato animo dicebat, quod cedere nollet: unde nuncii ad eum deſtinati propterea, ſicut in mandatis habebant, tempus cedendi hujuſmodi ſibi abbreviarunt: propter quod iracundia vehementius incaleſcens, eiſdem nunciis reſpondebat, quod ſi in eodem regno Aragoniæ tute ſtare non poſſet, ſperaret bene & cito venire ad locum, ubi ſibi contrarios non timeret: injungens eiſdem nunciis & oratoribus, ad eum miſſis, ut ea mittentibus ipſos ſui parte referrent, & infra paucos dies poſtea ad Sardiniam, per mare navigando, fugæ ſubſidio declinaſſet, ubi per quendam potentem illius inſulæ receptus, in quodam ejus caſtro forti collocatus reſidet de præſenti: & adduntetiam aliqui, quod Dominus Petrus, poſtquam acceſſit ad Sardiniam, ut præfertur, fecit quoſdam proceſſus valde pœnales contra regem Aragoniæ, & ejus regnum hujuſmodi, ſcilicet regem & ſibi adhærentes in ea parte excommunicando, & regnum hujuſmodi interdicendo, & alia plura faciendo, quæ potuit ſcriptis & dictis, per quæ dictam unionem, ne fieret, quomodolibet impediret. Quod ſi eſt ita, credendum eſt, quod dictus Petrus, qui eſt quaſi decrepitus, diu in ipſa inſula ſanus remanere non poterit, ubi viget frequenter aer corruptus, inficiens forenſes, ad ipſam inſulam accedentes, ſicut ego pluries fieri vidi, quamvis ipſa inſula ſit fertilis & abundans victualibus, ſcilicet, grano, vino & lacte & ſimilibus permaxime, & etiam ſatis fortis & amœna: & ſic ſperandum eſt, quod cito habebimus dictam unionem, velit nolit Petrus, ipſo Domino annuente, & ipſum Concilium ſui gratia feliciter dirigente. Aſſerunt etiam aliqui, quod quidam frater Vincentius, ordinis fratrum Prædicatorum, eloquens valde & ſermocinator egregius, nec non Theologus profundus, habens gratiam & favorem communis populi, qui libenter audit ſermones ejuſdem, qui per multos annos in Latinis & vulgaribus ſermonibus publice prædicando, quod dictus Petrus eſſet verus Papa, & quod libenter, pro bono unionis prædictæ, ſponte ſuo Papatui cedere vellet, cum ad hoc conſpiceret tempus optimum, quia ſic dictum fatrem & alios plæroſque decepit ſed videns noviter ipſe Vincentius, quod dictus Petrus fidem verbis & promiſſis ejus hujuſmodi non daret, in eodem tempore oportuno totaliter declinavit ab ipſo, prædicando publice per dictum regnum, in diverſis provinciis & locis, per quæ tranſitum extunc fecit & facit, contra eundem Petrum, quod ſit vir pravus, & fallax, & fictus, decipiendo populum Dei, quodque juſte perſequendus ſit uſque ad mortem ab omnibus Chriſtianis, & perſequens aut interficiens eum mereatur** Et hunc ſequitur in hoc maxima turba, quocunque vadit, devotorum Chriſtianorum, ut audiat hujuſmodi ſermones, & divinis eloquiis per ipſum ſedulo informentur. Affirmant etiam plures advenientes, quod dicto Petro, in craſtino feſti Epiphaniæ proxime præteriti, ſubtracta fuit obedientia in Aragoniæ prædicto, nec non Hiſpaniæ, Caſtellæ, & Navarræ regnis, atque Fuxi & Armeniaci Comitatibus, & aliquibus aliis vicinis locis, in quibus dicta obedientia tunc vigebat: & hoc etiam per literas aliquorum huc directas verificatur.

Die ultima menſis Januarii fuerunt inſimul congregatæ omnes nationes, exiſtentes Conſtantiæ in Concilio generali, in eccleſia majori, tempeſtive: & ibi Dn. Archiepiſcopus Turonenſis, unus de oratoribus, qui ex parte dicti Concilii cum eodem Dn. rege Roman. miſſus erat ad regem Aragonum & Petrum de Luna, pro ipſa unione pertractanda, reverſus pridie in præſentia totius multitudinis, valde pulcrum & prolixum ſermonem fecit in Latino, narrans in præſentia aliorum Oratorum, qui in illa legatione per ipſum Concilium ſibi conjuncti fuerant & ſecum iverant, & huc noviter redierunt, per ordinem, totum proceſſum habitum per ipſos dictum regem Rom. & Oratores cum rege Aragonum & Petro prædictis, à principio uſque ad finem, & inter alia dicens, quod quamvis dictus Petrus eoſdem, Dn. Regem Romanor. & ſibi adjunctos, per frivolas & vagas dilationes dierum multorum, & promiſſiones inanes, atque per verba generalia in ſuſpenſo diutiſſime detinuiſſet, ipſique oratores hoc conſiderantes quandoque tenuiſſent, quod res, pro qua illuc iverant pertractanda, nunquam illum finem, qui præſtolabatur, habuiſſet, & de hoc inter ſe mutuo conferentes dolentes exiſterent, ipſe tamen Dn. rex Romanor. hoc ſciens eos placide confortabat, dicendo, quod non dubitaret, quin per gratiam Dei ſperatum

Digitized by Google

tum finem utique reportarent, & quam prudenter ac profunde validis & efficacibus rationibus & auctoritatibus frequentius ipſe Dn. rex Romanor. eundem Petrum etiam in publico, de tanta capitis duritie ac inſtabilitate mentis ſuæ arguendo confutabat, & continue iter illud agendo, nec non in illis partibus ſtando tamdiu & redeundo, nec ipſe neque alter plene dicere poſſet, & in effectu dictum Dominum regem Romanorum ad æthera ſummis præconiis extollendo, adjiciens, quod licet eſſet tanta multitudo equitum, diverſarum nationum & linguarum cotidie cum ipſo Dn. rege Romanor. quod tamen, Domino diſponente, tantus fuit amor & reverentia & animorum concordia inter ipſos, quod nunquam inter ſe in aliquo diſcrepabant, ſed fuit omnibus una voluntas, qualiter illic fructuoſe tranſiſſent: nec non fine optato hujuſmodi, pro quo ierant ad concilium ipſum, poſſent cum gaudio revenire: quodque Dominus rex Aragonum, & ejus primogenitus inter alios reges & magnates, qui tunc etiam pro ipſa unione facienda erant inſimul congregati, ſe valde in promiſſis ſuis, & ad eundem effectum tendentibus, probe ac laudabiliter habuiſſent, & capitula ſuper hoc ibi per utramque partem facta, nec non ſigillis, ſignis & juramentis vallata, etiam per ipſum Dominum archiepiſcopum coram eadem Concione publice perlecta, dictus rex Aragonum firmiter & ad unguem obſervaſſet, ac etiam tempus ſubtractionis obedientiæ dicto Petro rationabiliter anticipaſſet, videns, quod niſi per ambages tempus redimendo & homines decipiendo laborabat.

Et licet etiam ipſi noſtri Oratores dicto Petro aliquandiu dixiſſent, & juramenta, promiſſa & vota ſua, de facienda prædicta unione, quantum in eo eſſet, emiſſa ſponte, ac totiens ejus literis divulgata, per mundum nunc deberet attendere, nec non efficaciter adimplere, non tamen ex hoc verecundabatur, imo illa ejus juramenta & vota, per excuſationes in pactis & paralogiſmos palliare taliter qualiter conabatur. Affirmavit demum præfatus archiepiſcopus, quod ipſe rex Romanorum iturus eſſet inſtanter ad regnum Franciæ, ad ordinandum, ſi poſſet, aut totaliter pacem, vel ſaltem longam treugam inter Franciæ & Angliæ reges, cum illud multum eſſet utile pro unione ſæpedicta.

Dicuntur etiam apud nos aliquæ aliæ cauſſæ ſatis ponderoſæ, quare dictus Dominus rex Romanorum recto tramite huc non rediit cum eisdem Oratoribus noſtris: quarum una eſt: quod multi, de Italia hic exiſtentes, in eodem Concilio murmurabant inter ſe, dicentes, quod ipſe Dominus rex Romanorum ficte ageret, nec non Papam ad ejus voluntatem hic eligi vellet, ad hoc, ut ſic ejus conditionem faceret meliorem, & ſuper hoc ſcriptis eorum, ad diverſa loca directis, nequiter eum diffamarunt: quod aliquando ipſum Dominum regem Romanorum non latebat, tamen patienter hæc & alia multa ſimilia, contra ejus majeſtatem perperam & injuſtè facta, tolerabat.

Et, ut durante dilatione data adhærentibus olim dicto Petro, quod in eodem Concilio debeant ſaltem per nuncios idoneos comparere, ut aliquid utilitatis efficeretur, nec non taliter obloquentium ſibi ſiniſtras ſuſpiciones evaderet, placuit ſibi ad Franciam tranſitum facere, prout fecit, tamen huc debito tempore, ut confidimus, reverſurus, & ſi poterit, auxiliante Domino, & ejus pia opera confirmante, ad faciendam pacem & treugam longam, inter ipſos contendentes reges Franciæ & Angliæ, hoc tempore procurare, tunc velit ex toto corde laborare apud omnes reges occidentales & alios principes ſeculares, de via & modis expedientibus pro refrenatione Sarracenorum & infidelium, & liberatione catholicorum à jugo miſerabili & invaſionibus eorundem, & forſan etiam pro terreſtri liberatione è manibus infidelium prædictorum, per paſſagium generale hic creato novo Pontifice, ſi annuat divinitas, hic indicendum: ſicut factum extitit in civitate Claromontenſi in Alvernia, jam trecentis annis aut circiter elapſis, in Concilio generali, per Urbanum Papam ſecundum celebrato, etiam tempore ſchiſmatis, quod tunc vigebat in Romana eccleſia, inter ipſum Urbanum & Wicbertum, archiepiſcopum Ravennat. prout ſuperius tactum eſt, in quo fides catholica in acquiſitione regni Hieroſolymitani, & multarum egregiarum tunc civitatum, quas ipſi Sarraceni tunc occupabant in partibus tranſmarinis, tunc valde profecit, prout in geſtis tunc temporis, per ipſos Chriſtianos in eisdem partibus, de hoc miranda ſcribuntur.

Hoc autem tempore valde multiplicati ſunt & fortificati Turcæ, circa partes Albaniæ

Digitized by Google

baniæ & Græciæ, nec non Romaniæ degentes, & in tantum, quod pene omnes illas & plures vicinas regiones Chriſtianorum ſibi per potentiam & crebras invaſiones ſubdiderunt. Et quia quamplures Chriſtiani, inter eos exiſtentes, non habentes ſpem liberationis eorum à miſerabili ſervitute, in qua exiſtunt, propter hujusmodi deſperationem à fide ipſa, quomodolibet apoſtatarunt, nec non galeas & naves in adjutorium ipſorum Turcorum ſeu infidelium armarunt, cum quibus jam mare ſulcant in magno numero valde, nec non terras & loca Chriſtianorum, prope ipſum mare conſiſtentia, violenter invadunt & diruunt, ac ſolo coæquant, reſiſtentes homines utriusque ſexus abducunt: ſenes vero & debiles interficiunt, & eccleſias ac loca ſancta in nihilum redigunt, & infinita alia mala contra ipſos Chriſtianos quaſi penitus derelictos impotentes attentant.

Et vero, niſi eis cito ab eisdem Chriſtianis reſiſtatur viriliter & potenter, valde timendum eſt, ne alia loca & terras ipſorum Chriſtianorum illic conſiſtentium, & quæ ipſi Chriſtiani adhuc inhabitant, prædicti Turci & apoſtatæ Chriſtiani cum eis, aut ſibi ſubjiciant, vel deſtruant, prout de aliis feciſſe dicuntur.

Hæc autem mala contingunt propter maximas diviſiones, quæ ſunt inter Chriſtianos, hodiernis temporibus: & quia ſubditi præſertim in Italia non bene recognoſcunt dominos eorundem, nec illis ſubeſſe curant, & in ſuperbiam vehementer erecti, & quæcunque eis adjacent, civitates & loca ſibi ſubjiciunt, & illis per potentiam dominantur, nec ad Deum, nec ad hominem habendo reſpectum

Hæc faciunt multæ civitates in Italia, more ſervilium perſonarum, quæ, ut dicit Rabanus, contra ſuos dominos & dominas ſolent inſoleſcere, & quando metus eas non reprimit, contra eorum imperium invido animo ſuperbire.

Prima die menſis Februarii nova fuerunt apud nos, qualiter commune civitatis Bononienſis concordaſſet cum Brachio de Peruſio, capitaneo gentium armigerarum dicti Balthaſaris, cujus cuſtodiæ Comitatum Bononienſem, interim quod eſſet circa generale concilium occupatus, idem Balthaſar, tunc exiſtens Bononiæ, duxerat committendum, quod dictus Brachius, receptis ab eisdem Bononienſibus ſumma LXXX. millium ducatorum auri, eis caſtrum & munitiones dicti Comitatus, quæ dictus Brachius ex commiſſione præfati Balthaſaris, vel alias occuparat, ipſis Bononienſibus per totum menſem Februarium, in quo jam ſumus, libere & abſolute aſſignare deberet, illa tamen adjectione, quod interim Dn. Epiſcopus Senenſis, gubernator hactenus civitatis & Comitatus prædictorum pro ipſo Balthaſare & in ejus abſentia, nec non Michael nepos ejusdem Balthaſaris, cui dictus Balthaſar arcem Bononienſem mirandæ fortitudinis, quam de novo conſtruxit, interim quod circa præfatum Concilium occuparetur, commiſerat cuſtodiendam, nec non quidam alii fideles & amici dicti Balthaſaris, cum eorum familia & bonis mobilibus omnibus, ſeu ſalvis perſonis & rebus omnibus ipſorum, per Bononienſes ipſos repræſentarentur eidem: ſicque factum extitit, quoad eosdem Bononienſes, & ſic populus iterum incepit regere Bononiæ, & præſcripti per ipſum Balthaſarem cives Bononienſes ad ipſam civitatem valde in magno numero redierunt. Sed quamdiu regimen illud populare durabit, futurus declarabit eventus. Sed de Roma, & ejus ſtatu miſerabili, etiam hic nova dicta die fuere, ſcilicet quod ſæpe-dictus Paulus de Urſinis multum conculcaret Romanorum, nec non vicinorum caſtrorum habitatores, crebris damnis & prædis, ita quod propterea dicti Romani peſſime ſtarent.

Vaccas enim & oves, nec non alia animalia raperentur à ſtipendiariis: vineas autem & agros colere, de quibus ipſi Romani ſoliti erant prius vivere, extra ipſam urbem, & ligna de ſilvis ad eandem urbem dietim adducere tute non poſſent: unde creſceret in urbe ipſa victualium cariſtia, & aliis multis diſpendiis dicti Romani hodie ſubderentur, nec ſpes eis eſſet, qualiter ab illis poſſent oppreſſionibus liberari.

His novis additum fuit, quod dictus Paulus ſub tuitione & conniventia ſupradicti Dn. Jacobi, Comitis Marchiæ, cui noviter nupſit præfata Dn. Johanna, ſoror carnalis ſupradicti regis Ladiſlai, faceret, ut præfertur, quicquid dictus Comes tanquam potens rex, & pro ejus voluntatis libitu, Neapolitanos & alios regnicolas per ſe & aliquos capitaneos Gallicos regeret, in hoc modicum ad eandem Dominam habendo reſpectum: & propter hoc Domina & Neapolitani prædicti eſſent male contenti, nec non contra

contra præfatum Dn. Jacobum inceperant murmurare. Igitur caveat ſibi de ipſis, conſulo, ſi inter eos diu deſideret converſari.

Die IV. Februarii fuit facta ſeſſio hic in majori eccleſia, in qua erant approbata & ratificata capitula, per regem Aragoniæ, ſibique adhærentes eccleſiaſticos Prælatos, & alios, prius de obedientia prædicti Petri, ſuper eadem unione in Romana eccleſia, ſi Deus annuat, facienda, concepta & per noſtros Oratores ſeu nuncios illinc eadem Dn. rege Roman. ut præmittitur deſtinatos adducta, & ſuper quibus erit per hujusmodi Concilium literaliter eidem regi Aragonum & ſibi adhærentibus citiſſime & pleniſſime reſpondendum.

Die V. dicti menſis Februar. circa horam veſperarum intravit Conſtantiam quidam de ordine fratrum Minorum, vocatus generaliter de Fuxis, natione Gaſco ſeu linguæ Occitanæ, quem ſupradictus Balthaſar tunc Papa, reverſus de Florentia ad Bononiam, in illo principio poſt ejus fugam de urbe prædicta, cum quodam Bononienſe nunc legato in urbe prædicta, creavit in Cardinalem: & fuit per Cardinales & Curiales exiſtentes Conſtantiæ, in hujusmodi ejus introitu, benigne receptus, & usque ad hoſpitium ſuum valde honorifice aſſociatus.

Item eadem V. die dicti menſis Februarii habuimus alia nova, quomodo ſupradictus Rex Romanorum fuiſſet noviter in Lugduno, & quod rex Franciæ illuc ſibi miſiſſet non modicam florenorum auri quantitatem, & ulterius progreſſus ejus verſus Pariſios direxiſſet, aſſociatus mediocri comitiva nobilium virorum, ſcil. mille equitum vel circiter, quodque omnia ſibi per iter proſpere ſuccederent.

Item eadem die, qua ſupra, imminente, alia nova dicebantur, ſcilicet, qualiter Scoti, hoſtes regni Angliæ, ipſum regnum nuper intraſſent iterato, cum maxima multitudine armatorum per mare, ſolito more navigantes, & credentes Anglicos ſe poſſe in perſonis & bonis vehementer offendere.

Ipſi autem Anglici, de eorum adventu ad ſe tempeſtive proviſi, in magna fortitudine in eorum navibus etiam in mari hujusmodi Scotis occurrerunt, & duriſſimo bello inter partes hinc inde commiſſo, Scoti finaliter devicti & interfecti fuerunt.

Eadem die nova hic relata ſunt, quod cum modernus magiſter & fratres ſupradicti hoſpitalis B. Mariæ Theutonicorum Ieroſolymitanorum in Pruſſia & Livonia, de quibus ſupra fit mentio, noviſſime falſo rumore audiviſſent, qualiter modernus archiepiſcopus Rigenſis, actu exiſtens apud eundem Dominum regem Romanorum in partibus Gallicanis exteriorem depoſuiſſet habitum eorundem fratrum, quem diu deferebat. Quia magiſter, qui tunc erat ejusdem hoſpitalis, & prædicti fratres, mediante non modica pecuniæ quantitate, à ſupradicto Bonifacio VIII. in ejus obedientia vocato, Pontificatus ſui anno V. paulo poſt quam de Peruſio fugit, tunc in Aſſiſio cum ſua curia reſidente, in illo diſturbio, quod archiepiſcopus Rigenſis, qui extunc eſſet pro tempore, ipſum habitum exteriorem cum cruce in eo conſueta publice deferre deberet, ut ſic in capite & in membris, ac ſpiritualiter & temporaliter dicta metropolis perpetuo magiſtris & fratribus ipſis ſubjecta penitus remaneret, quomodolibet impetrarunt. Ea de cauſa dicti modernus Magiſter & fratres ira commoti ſunt contra ipſam metropolim, & ejus damnum & præjudicium permaximum perpetrarunt.

Et ecce, quales in illis fratribus nutrivit & nutrit alumnos ſimplex & fidelis populus Germanorum: qui quidem fratres olim ſub typo fervidæ ſanctimoniæ & ſummæ devotionis, quam ad protectionem Catholicorum & propagationem catholicæ fidei in partibus illis contra paganos, qui tunc potiſſimè ſub Pontificatu Gregorii Papæ IX. & circa illa tempora, ſcilic. jam CC & L. annis elapſis, easdem & vicinas partes in maxima multitudine incolebant, & Chriſtianis circumcirca tunc agentibus continuè erant vehementer infeſti, videbantur habere, cum aſſiſtentia & adjutorio quorundam Principum & aliorum procerum dictæ Germaniæ, ſucceſſivè dictas partes bellando, in illo principio & ex tunc, diu & ſtrenuè contra ipſos paganos, & varia ſorte demum Pruſſiam, Eſtoniam, Curiam & alias quasdam regiones propinquas ipſorum tunc paganorum, ipſi fratres diu in hoc bella gerendo ſuæ ditioni ſubdiderunt, & eas extunc tenuerunt & tenent manu forti. Livonia vero, in qua dicta metropolis exiſtit, fuit in Epiſcopatus diviſa & ſucceſſive cum adjutorio præſertim Henrici VI. Imperator. nec non filii ejus Friderici II. Auguſti in temporalibus etiam archiepiſcopo Rigenſi, qui tunc

voca-

vocabatur Epiſcopus Livoniæ & Tarbacenſis, atque illis Epiſcopis illius inſulæ omnino ſubjecta, quam ex tunc & potiſſimum hoc ſchiſmate in Romana eccleſia durante, dicti fratres taliter qualiter guerris & aliis modis ſibi ſubdiderunt, duas ſcilicet ipſas eccleſias, primo liberas & opulentas, ancillas & ſubditas faciendo. Et ecce qualiter his diebus moderni magiſter & fratres, in arctum primum converſi, quicquid eis eſt utile, licere putant. Quia non modo, prout olim facere conſueverunt, pugnant contra ipſos paganos & incredulos, ſed Chriſtianos, eis non ſubditos & vicinos. Et vix aliquos ſinunt pacificos remanere: & quod deterius eſt, quicquid eis placet, ſibi conantur potenter & omnimode uſurpare: nec ad libertatem eccleſiaſticam aut reverentiam, ſeu jus vel juſtitiam habendo reſpectum. Et quam ſubtiles ſint exactores, & per quot exquiſitas vias maximas ſibi cumularint, & inceſſanter accumulent temporales divitias, puto quod vix aliquis crederet, niſi perſonaliter hoc vidiſſet. Unum tamen bonum eſt apud ipſos, quod terras & populos ſibi ſubjectos ſolicite & bene defendunt ab invaſionibus quibuscunque & diu ſemper viguit & viget in eisdem terris, ſalva diſſenſione, quæ inter eos & prædictum regem Poloniæ, ipſisque hinc inde adhærentes, infra 5. annos proxime lapſos, ipſis tamen fratribus, ut fama laborat, cauſſantibus, ut ſuperius tactum eſt, nimis auſterè fuerat ſuſcitata.

Eodem die ex novis ſupervenientibus recenter de regno Aragoniæ intelleximus, qualiter dictus Petrus de Luna, in ejus caſtro, ad quod de Perpiniano fugit, noviſſime conſtitutus, & convocatis in unum Cardinalibus ſuis, atque omnibus Prælatis & ejus officialibus, qui tunc erant apud ipſum, Cardinalibus ſub graviſſimis pœnis injunxit, ut eo decedente alium eligerent in Papam loco ſui. Et ecce qualis eſt vir iſte mirabilis! qui adeo induratus ſeu obſtinatus eſt in malo propoſito, quod nec propter Deum, nec ſalutem, aut pacem cunctorum Chriſtianorum, ut dictum tollatur aliquando ſchiſma de medio, inclinatur ad ipſius ſalvationem animæ, ad periculum corporis ſui propter hujusmodi ſchiſma, quod tamdiu pertinaciter fovit & fovet etiam, imminens ei non habendo reſpectum. Advertite igitur, quomodo ſeipſum is impendet pro defenſione Catholicæ fidei, ſi hoc fieri expediret, qui eſt ætate quaſi decrepitus, &, pro temporali dignitate retinenda, quaſi ſub dubio certat.

Circa finem menſis Februarii procuratores Regis Poloniæ, per organum vocis advocati ſui coram nationibus propoſuerunt excuſationes dicti regis, quare inductus fuit ad movendum guerram magiſtro & fratribus ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum de Pruſſia: & fuerunt multi articuli, horrenda continentes, ibi recitati contra eosdem magiſtrum & fratres. Sed pro eo, quod advocatus alterius partis ad replicandum non fuit ariſatus, ut dixit, ei petenti ſtatutus fuit terminus ad replicandum ad alium diem, quod & fecit etiam coram nationibus ipſis excuſando ipſos magiſtrum & fratres: & aſpera multa & terribilia contra ipſum regem eructavit in publico, volens innuere, quod rex ipſe illos eſſet permaxime injuriatus, & quod propterea foverent juſtam cauſam ſe defendendi in armis & invadendi terras & ſubditos dicti regis jure belli. Et fuerunt ibi facti hinc inde vehementes clamores: & poſtea ipſæ nationes receſſerunt abinde.

Die ultima dicti menſis Februarii venit ad Conſtantiam quidam religioſus nobilis, cum decenti comitiva equitum miſſus per regem Aragoniæ, & habens literas credentias duplices ad Concilium, & fuit valde honorifice receptus ibidem, & aſſociatus etiam per multos uſque ad ejus hoſpitium de noſtris. Qui poſtea die lunæ immediate ſequenti, coram nationibus ipſis de mane fecit ſolemnem arendam, ſeu collationem, in Latino, de commiſſis ſibi referendis per eundem regem Aragonum, in dicto Concilio: & retulit proceſſum, pro majori parte habitum per reges Romanorum & Aragonum, & alios magnates, & etiam eccleſiaſticos Prælatos utriusque obedientiæ, & quomodo ipſe Petrus nullatenus induci potuit, nec ratione, vel alias, quod cedere vellet ſuo perverſo Papatui: ſed continue magis induratus fuit ad hoc faciendum: & qualiter fugiſſet tandem ad quoddam caſtrum firmiſſimum, in ipſo regno conſiſtens, credens evadere ſeu ulterius fugere poſſe, ſed quod induſtria ipſius regis Aragonum per terram & aquam bene & ſolicite cuſtodiretur, ne poſſit evadere ullo modo, exhortando valde pulchrè in ipſo ejus ſermone Concilium ſæpedictum, ut nullum ex eis tæderet mora, quæ contingeret ex duritia dicti Petri: quoniam jam

Digitized by Google

facta fuiſſet, aut cito fieret vera unio univerſalis eccleſiæ: quia indubitanter cito fieret per gratiam Dei, cooperante ipſo rege Aragonum, omnibus viis & modis utilibus & expedientibus, ad illud adjiciens, quod rex ipſe Aragonum ſemper ſummopere hoc affectaſſet, & affectaret etiam effectu ſubſequente complere.

Item penultima die menſis Maii Fridericus, Dux Auſtriæ, hoſpite inſalutato à Conſtantia receſſit. In principio menſis Aprilis venit novum, quod nuper de menſe Martio pluit ſanguinem de cœlo in Praga, de quo omnes homines ibidem erant ſtupefacti.

Die Dominica paſſionis Domini venit ad Conſtantiam quidam parvus Baro, ſed crudelis & magnus tyrrannus, habens duo caſtra, quorum unum erat fortiſſimum, non multum diſtans à via, qua itur de Rinegge ad Velkirchen Conſtantienſis diœceſis, in montanis ad manum rectam, juxta publicum iter de Bavaria in Italiam per illas partes. Ille tenebat in dicto caſtro fortiori frequenter peſſimos prædones, qui plærosque itinerantes illac pro tempore aliquando interfecerunt, & rebus ſuis ſpoliarunt, habens ſecum quendam peſſimum prædonem, familiarem ſuum, qui conſuerat explorare volentes tranſire ad Italiam in Conſtantia & Schafhuſia, & poſtmodum tradere eos ſociis ſuis. Et volens in eadem ſeptimana tranſire de Conſtantia ad Schafhuſiam, in navi per Renum inceſſit fortiter armatus à capite ad pedes, habens ſecum quandam amaſiam ſuam in navi. Quod cum relatum eſſet hic regentibus, ſtatim miſerunt poſt eum ipſorum ſervitores in alia navi curſu veloci, qui apprehendentes eum ilico extraxerunt ipſum violenter de navi, in qua erat, & ſic armatum tenentes per capillos capitis ſui in aquis vehementibus, donec ſpiritum emiſit, & occubuit in eiſdem. Interim vero dicti regentes miſerunt ad hoſpitium, in quo dictus Baro hoſpitabatur, reperientes in lecto circa horam primarum adhuc dormitantem, ipſum compulerunt ſe induere veſtibus ſuis, & ſic indutum ilico traxerunt ad publicos carceres, ubi ipſum extunc per plures dies valde ſtricte ac loco terribili detinuerunt, volentes eum, juxta ipſius demerita, ferire ſententia capitali: ſed multis intervenientibus precibus pro eo, deventum fuit ad hoc, quod per totam diem paraſceves traderet ipſa caſtra ad manus regentium, aut die ſequenti immediate ſubiret ſententiam antedictam, nec illud ulterius differret.

Quod factum fuit ita, quod ipſa caſtra tunc ad manus dictorum regentium pervenerunt, tamen jam tractus fuit extra carceres in vigilia Paſchæ, ut decapitaretur. Sed illa aſſignatione facta, fuit repoſitus ad eoſdem carceres, & ſub bona cuſtodia, non tamen ita ſtrictè, ſicut fuit ante. Quo facto ſtatim ipſi regentes miſerunt artifices, non obſtante feſto Paſchali inſtanti, ad ipſum caſtrum principale, quod fuit quodammodo inexpugnabile & fortiſſimum, habens fortiſſimam turrim & murum in circuitu, continens in latitudine XIV. pedes ad omne minus, ipſumque caſtrum igne incenderunt, & viribus deſtruxerunt & deſtruunt, ita quod lapis ſuper lapidem non remanebit. Ipſe autem detentus hæc audiens, infra Paſchalia feſta fortiter ingemuit, & dolore tactus incautè prorupit in aliqua verba comminatoria. Quod audientes aliqui cuſtodes ipſius, hæc retulerunt regentibus ipſis, qui propterea indignati ipſum ilico in arctiori cuſtodia fortiter compeditum, & etiam manicis ferreis ligatum poſuerunt. Et ſic plærique tyranni, ſtante hoc ſacro generali concilio digni digna receperunt, ſola divina juſtitia taliter hæc negocia dirigente.

Eodem tempore quidam magnus eccleſiaſticus Prælatus ſecretè tractavit cum capitaneo caſtri, in quo Balthaſar, olim Joannes Papa XXIII. detinebatur, & detinetur, quod ipſum libere abire permitteret; quod ſi factum fuiſſet infra unam horam, vel duas, ad talem locum perveniſſet, ubi ſecurus fuiſſet, & veriſimiliter per violentiam extrahi non potuiſſet. Quod ſentiens Comes Palatinus Reni, qui eum ex parte generalis Concilii Conſtantienſis in ejus habet cuſtodia, ac valde laudabiliter pertractavit hucuſque, & hic tunc fuit, ne ille tractatus ſortiretur effectum, ilico ad illas partes tranſitum fecit, & comperta veritate ipſum capitaneum, etiam in Reno, tanquam reum & convictum, ut hic dicitur, ſubmergi fecit. Cujus quidem Dn. Comitis reditum ad nos de die in diem præſtolamur. Scriptum Conſtantiæ, in feſto S. Marci Evangeliſtæ, quod occurrit infra eadem feſta Paſchalia.

Die ultima menſis Aprilis fuit ſeſſio in majori eccleſia Conſtantienſi, & fuit pro-

Digitized by Google

rogata declaratio, quæ tunc debebat fieri contra capitulum majoris eccleſiæ, ac regentes & commune civitatis Argentinenſis, ſuper captivitate & detentione Dn. Wilhelmi, electi Argentinenſis &c. uſque in diem Sabbati proximum. Et eadem die poſt prandium receſſerunt eorum oratores abhinc, forſan XL. equites vel circa.

Eadem die in ſeſſione prædicta fuerunt lectæ literæ de obitu regis Arragonum, quod deceſſiſſet prima die dicti menſis Aprilis, & Senior filius ſucceſſiſſet in regno, cui in extremis injunxiſſet, quod firmiter & conſtanter proſequeretur viam unionis univerſalis eccleſiæ, per eundem defunctum regem, una cum Dn. rege Romanor. & oratoribus hujus ſacri Concilii inceptam, juxta capitula ac vota & promiſſa, ſuper hoc hinc inde facta, quodque dictus filius adhuc ſit bene diſpoſitus, ipſumque viam, ſibi ſuper hoc datam, per patrem prædictum fideliter perſequi velit.

Non apparet Imperium in regno Arelatenſi, ſeu Burgundiæ, quod immediate reſpicit ad Romanum Imperium, & quod Otto primus, magnus Auguſtus à Boſone, ultimo rege Arelatenſi ſeu Burgundiæ, jam D. vel circiter elapſis annis acquiſivit, & eidem Romano Imperio incorporavit & univit, & quod fuit & eſt valde neceſſarium eidem Imperio. Potuit enim Imperator vel rex Romanor. pro tempore, vicinos ex illo compeſcere Italos, nec non Gallicos, & alios ſibi rebelles, per mare & per terram: nec non multa commoda conſequi, prout per trecentos annos, & ultra, per ipſos Imperatores factum fuit aliquando. Sed infra centum annos, aut circa, propter diverſas diviſiones & novitates, in ipſo Imperio interim ſuſcitatas, ac deſidiam & negligentiam Imperatorum & regum Romanor. qui interim fuerunt, eorum ſalva reverentia, ipſum regnum multipliciter diſſipatum extitit, & eſt in manibus alienis, ſcilicet, multorum eccleſiaſticorum Prælatorum, nec non etiam ſecularium principum & aliorum procerum & potentum. Et ſic incolæ & habitatores illius regni, propter taciturnitatem & negligentiam eorundem Imperatorum, & regum Romanor. qui fuerunt infra centum annos aut circa, ut præfertur, quaſi ſub tyrannide fuerunt, & ſunt multifarie oppreſſi: & ſi à gravaminibus & ſententiis eis illatis, in quibus ad Romanam ſeu regalem curiam, pro relevamine obtinendo * contraire vellent, non audent, ſed præſumuntur extra provincias ipſius regni, quæ ſeptem ſunt numero, tranſire: nec aliquis ſuperior, aut locum tenens Imperatoris, vel regis Romanor. ipſis in partibus illis deputatus eſſe videtur, prout olim deputari conſuevit, uſque ad obitum Friderici ſecundi Auguſti, prout legi in diverſis ſcriptis factum fuiſſe. Et ſic prædicti habitatores & incolæ magis opprimuntur à dominantibus ipſis: & ſtat illud regnum quaſi ſine capite, ſive rege. Sed quam damnabile illud eſt, quiſque prudens agnoſcit. Poſſet igitur illi regno, ſaltem per unam cartam regiam ſuper hoc aliqualiter provideri, & poteſtas cognoſcendi de cauſis civilibus & etiam criminalibus quibuſcunque committi Dn. Comiti Sabaudiæ, qui eſt præſtantior in illo regno, & fidelis Imperio ab antiquo: vel alteri potenti & fideli regiæ majeſtati in partibus illis: vel ſaltem aliquod lumen Imperialis clementiæ incolis & habitatoribus ipſis, quoad factum juſtitiæ, illuceret. Idem etiam deberet fieri in partibus Italiæ, ſcilicet in Tuſcia, Lombardia & contiguis provinciis: & tunc appareret fidelibus Imperii, etiam in illis regionibus, quod non eſſent omnino derelicti ab Imperatore, ſaltem quoad factum juſticiæ, & ſe melius & fidelius pro ipſo Imperio pro tempore conſervarent, & non fierent tunc tot guerræ & deſtructiones terrarum, ſicut, propter defectum juſtitiæ & capitis, videlicet, Imperatoris, qui ſuper hoc non providet, continue fiunt, ita quod quicunque Capitaneus, vel alter tyrannus, quodcunque ſibi placet delictum, ac etiam crimen læſæ majeſtatis, totiens quotiens, & in quos ſibi placet, committit impune, nemine ſibi dicente, cur hoc facis? etiam cauſante negligentia & deſidia ſimili ſi videatur.

Unde paſſim tam in Italia, quam in regno Arelatenſi prædictis, quod dolendum eſt, quod vix aliquis reperiatur ibidem, qui publice audeat dicere, quod ſit Imperialis aut fidelis Imperio, propter multitudinem tyrannorum, ſibi uſurpantium continuo jura Imperialia in eiſdem partibus.

Qualem autem rationem Deo reddituri ſunt illi Imperatores, & reges Romanor. deſides ſeu negligentes in perniciem reipublicæ, & qui tenentur de jure eccleſiam & eccleſiaſticos viros, nec non etiam ſeculares ac pupillos, viduas & pauperes defendere &c.

&c. Sed in deliciis ſtantes, talia facere non curarunt. Provideatur igitur, ſi placet in talibus, ut ſaltem appareat aliquando diligentia, quoad ipſam rem publicam, cum moderamine juſtitiæ gubernandam &c.

Die Sabbati penultima menſis Maii Ieronymus de Boemia, magiſter in artibus, ſed non in ſacris ordinibus conſtitutus, magnus & craſſus, ſatis eloquens, ſed imprudens, inſignis & pertinax hæreticus, de ſecta quondam Ioannis Wiclef Anglici, & ſupradicti Iohannis Huſs, etiam Boemi, hæreticorum inſignium & valde pertinacium: qui quidem Iohannes Huſs in hoc Concilio generali, quandiu hic detentus in carceribus noluit errorem ſuum revocare, finaliter condemnatus & traditus ſeculari curiæ: & flamma combuſſit peccatorem.

Et ſic etiam iſte Ieronymus noluit revocare ſuos errores & hæreſes: Sed illis firmiter inhæſit, quamvis eos prius in publico hic abiuraſſet, tamen poſtea dixit publice, quod in hoc erraſſet, imo mentitus fuiſſet, & quod nunquam ita male feciſſet, ſicut, quod illos articulos, quos prædicti Iohannes Wiclef & Johannes Huſs tenebant, negaſſet: imo, quod ipſe Iohannes Huſs fuiſſet literatiſſimus & ſanctiſſimus Theologus, & in fide catholica populi optimus informator: & quod ipſe Ieronymus prædictis, Iohanni Wiclef & Iohanni Huſs crederet in omnibus illis, quæ ipſi circa fidem catholicam ſcripſerunt, & prædicarunt, & in publica concione Prælatorum & aliorum de Concilio hujusmodi in majori eccleſia Conſtantienſi congregatorum, quædam circa hæc plene, ſeu ſatis apte & reliqua ſyllogiſtice & ſatis obſcure ſeu ambigue proferebat.

Et arguit etiam Dn Cardinales & alios prælatos, ibidem præſentes, de pompa veſtium, multitudine familiarium, nec non exceſſu ſeu faſtu, quem habebant in equitatu & pinguibus equis, nec non ſuperbia, ambitione, voluptatibus & aliis conſimilibus multis. Improperabat etiam in publico Alamannis dicendo, quod eſſent præſumtuoſi, & vellent ubique per orbem dominari: ſed quod Italici in hoc eis reſiſterent, & providenter agerent: ſicque factum fuiſſet ſæpe in Boemia, ubi volentes etiam dominari Alamanni, ut aſſerebat, violenter exinde repulſi, & male tractati fuiſſent. In quo ſaltem, quoad ipſos Alamannos, in collum ſuum mentitus eſt, ſicut apparet in multis & authenticis antiquis hiſtoriis, præſertim in geſtis Saxonum, quæ non fallunt, qualiter Otto primus, magnus Auguſtus, natione Saxo, jam quingentis annis vel circiter elapſis, per multos annos bellando cum Duce Boemorum, qui tunc erant neophyti vel pagani, tandem ipſum Ducem & cum eo centum Boemianos & Moravianos, eorum incolis & habitatoribus diu reſiſtentibus, diverſis bellis ac cæde & flamma deſtructis, in opido Nova Colonia, ſuper Albiæ ſeu Muldaviæ flumen ſito, Pragenſis diœceſis, recepit in deditionem, & ſibi ac Romano Imperio perpetuo & omnino ſubjecit, ipſique Duci inſignia dedit, nec non in eisdem Boemia & Moravia verbum Dei per aliquos Sanctos viros prædicari, ac incredulos ad orthodoxam fidem ibidem converti fecit, & ſub tributo ſolvendo ſibi ſuisque ſucceſſoribus eos poſuit & conſtrinxit. Et nunquam poterant ex tunc Boemi & Moravi prævalere, ac eorum Duces & reges, quin ſemper Alamanis ac Imperatoribus & Regibus Romanorum nollent vellent, ſubditi remanerent. Nimirum erant enim Boemi, eorum reverentia ſalva, homines valde beſtiales, feroces & inciviles: & ſic oportuit, quod aliorum potentium & civilium, veluti eorundem Saxonum & Alamanorum, tam circa cultum & ceremonias ejusdem fidei catholicæ, quam legibus ipſorum Saxonum, quibus adhuc utuntur in Boemia & Moravia prædictis, regimini ſubderentur. Et vix trecentis annis elapſis Dux tunc Boemiæ in Herbipoli creatus fuit rex, non tamen abſque ſolutione pecuniæ valde in magna quantitate, per Imperatorem, qui tunc erat, ſcilicet Henricum V. computando ab Henrico I. patre dicti Ottonis primi Auguſti: qui quidem Henricus, primus fuit in ordine hujus nominis, quamvis in urbe Roma, ſeu alibi, diadema imperiale non recepiſſet: ipſum tamen Imperium & Germaniam, & pro majori parte Galliam diu laudabiliter & ſtrenue rexit. Et pro eo rex Boemiæ exiſtens pro tempore, eſt miniſterialis & vaſallus Imperatoris, ſeu Regis Romanorum etiam exiſtentis pro tempore Dapifer ejus: forſan pro eo, quod Boemi conſueverunt & ſolent multum comedere, & non parum bibere ac frequenter: ut ſic etiam Imperator vel rex Romanorum exiſtens, pro tempore habens talem Dapiferum, eo ſplendidiorem ac lautiorem menſam ſemper haberet. Patet etiam in multis hiſtoriis, quomodo Duces & Boemiæ reges, qui fuerunt pro tempore, ſervierunt, & oportuit ſervire

juxta eorum poſſe cum hominibus armatis Ottoni I. nec non Henrico prædictis, ac Lothario III. nec non multis aliis regibus & Imperatoribus Romanorum: & clarum eſt, quod Johannes, avus moderni Dn. Sigismundi Regis Roman. fuit natione Alamanicus, ſcilicet de Lucilburga, Trevirenſis diœceſis oriundus, ex quo Carolus IV. Imperator Romanor. dicti Iohannis regis filius, & ab ipſo Carolo Imperatore Dn. Sigismundus rex præfatus, & Dn. Wenzeslaus modernus rex Boemiæ, nec non Marchiones Moraviæ, qui fuerunt infra LX. annos proximos, tanquam à ſtipite deſcenderunt, qui utique omnes Alamani fuerunt. Hic etiam Ieronymus multas terras & provincias circumivit, & maxime circa Alamaniam, inquirendo illic, ſi forſan ibi errores & hæreſes, quas ipſe dogmatizabat & fovebat, ab incolis earundem provinciarum, ſeu ſaltem aliquibus ipſarum foverentur: & ſi quos tales illic reperit, eis cordialiter ſe adjunxit, & quicquid ibi erronee ſeu male conceperant, & tenebant, fidem ipſam tranſcripſit, & ſuis ſequacibus in eadem Boemia, ad confortandum ipſos magis & magis in eorũ erroribus, ſolicite deſtinavit: & ſi potuit, vel audebat, in eisdem extraneis provinciis ſimplices in eisdem erroribus informavit, prædicando & dogmatizando ipſos errores hæreſeos eſſe tenendos atque ſequendos, & pleroſque per hoc decepit, officium prædicationis, quod ſolis ſacerdotibus competit, ſibi temere uſurpando. Hic etiam publice in eadem concione ſe jactabat, qualiter manibus propriis ſubmerſiſſet, nec non etiam quam plures enſe ſuo ſeu gladio interemiſſet, & nonnullos vulneraſſet, & verberaſſet egregie, & cum hoc apud ipſum Dn. Wenzeslaum regem, & aliquot alios potentes dicti regni ſecrete ordinaſſet & procuraſſet, quod valde multi presbyteri clerici & laici & præſertim Alamani, & in eodem regno Boemiæ de ipſius Boemiæ regis mandato & ordinatione cæſi, & bonis eorum ſpoliati, nec non alias turpiter de ipſo regno pulſi aut perpetuo relegati fuiſſent, pro eo, quod ipſi præfatis Iohanni Huſs & ſibi in eorum prædicationibus & articulis reſiſtebant, attentabant eccleſiaſtica beneficia vel temporalia, honores & officia in ipſo regno Boemiæ aſſequi vel tenere, aſſerens ſe in hoc bene feciſſe, ne ipſi forenſes, maxime Alamani, dominari vellent eisdem Boemis invitis: & in hoc oſtendit ſe, & publice confeſſus eſt, quod tam ipſe, quam dictus Iohannes Huſs de viliſſimis plebejis geniti, & ruſtici quadrati, tamen in univerſitate ſtudii Pragenſis tunc indigni & pauperes clericuli, pietatis intuitu informati ſeu inſtructi fuerunt per nobiles magiſtros & graduatos, maxime in ſacra Theologia & artibus nationis Germanicæ, qui dictam Univerſitatem ab ejus inſtitutione primæva, usque quo ipſis Iohanne Huſs & Ieronymo, eorumque ſequacibus & hæreticis procurantibus, nullis ipſorum magiſtrorum & graduatorum exigentibus demeritis, ſed ſtimulante malitia & invidia ipſorum Boemorum, nondum octo annis elapſis, turpiter & violenter expulſi fuerunt, pro eo, quod ipſi Alamani nolebant ipſis erroribus implicari, nec eos fovere, ſed ipſis Boemis errantibus in hoc pro viribus etiam publice in ſcholis & eccleſiis & alias ubilibet reſtiterunt. Et ecce retributionem, quam ipſi errantes & magiſtri Boemi eorum inſtructoribus, & magiſtris, ſcandalizando etiam & deſtruendo per hæc & alia eorum flagitia per maxime dictam Univerſitatem, retribuerunt. Etiam valde multa alia ſcelera turpiſſima & crudelitates exercuerunt, & fieri procurarunt, ipſi Iohannes Huſs & Ieronymus ac eorum complices in eodem regno & in civitate Pragenſi, contra catholicos obedientes ſedi Apoſtolicæ, & illos, ubicunque poterant, impediverunt, & inhumaniter perſecuti fuerunt, non habendo reſpectum ad ſedem prædictam: & eccleſiaſticas cenſuras parvi pendebant, quaſi Papa & alii eccleſiaſtici prælati nullam ſuper eas haberent auctoritatem ſeu eccleſiaſticam poteſtatem, & quæcunque eis placuerunt, cum aſſiſtentia & favore multorum procerum, in eodem regno ipſos pro veris catholicis colentium, ſeducendo populum in maxima multitudine perverſis eorum dogmatibus, nec curando in aliquo etiam archiepiſcopum Pragenſem & alios locorum ordinarios in partibus illis, imo etiam ipſis detrahendo, eosque perſequendo, & per populum contra eos ſeditiones fieri toto poſſe procurando, interdictum eccleſiaſticum, apoſtolica vel ordinaria auctoritatibus, in eccleſiis vel eccleſiaſticis locis Pragæ, & alibi in eodem regno, propter ipſos hæreticos & eorum fautores, juſte ac rationabiliter poſitum etiam publice violarunt, & per alios perſecutionibus ſævis, ſpoliis, minis, verberibus & terroribus violari fecerunt, nihil penitus, quod ad obedientiam apoſtolicæ ſedi prædictæ exterminium tenderet omittendo, & tandem ipſe Jeronymus dignis digna recipiens, hic

fina-

Digitized by Google

finaliter condemnatus de hæreſi, & etiam curiæ ſeculari traditus, & ipſo die, qui fuit Sabbatum, XXX. menſis Maii, hora X. Spiritum, igne combuſtus, miſer efflavit. Et dum ligatus duceretur ad mortem cantavit publice ſymbolum ſcilicet. Credo in unum Deum &c. licet tarde, & continue loquebatur, quouſque deceſſit, ſeu os ad loquendum potuit aperire, obſtinatiſſimus in prædictis ſuis erroribus, in vita & in morte, præſumtione diabolica & damnabili perſeverans.

Die prima menſis Junii venerunt ſeu intraverunt ad Conſtantiam Ambaxiatores regis Portugaliæ, qui ſemper fuit de obedientia VI. & ſuorum ſucceſſorum in eadem obedientia, & etiam Balthaſaris, tunc Johannis Papæ XXIII. cum decenti comitiva, hora veſperarum vel quaſi, & fuerunt per curiales, quorum valde multi eis equeſtres obviam iverunt, & alios de Concilio hic exiſtentes, honorifice recepti, & per civitatem ipſam aſſociati.

Die Mercurii tertia, præſentis menſis Junii, delati fuerunt Decanus & capitulum eccleſiæ Argentinenſis, nec non Proconſul, magiſtri-civium & communitas civitatis Argentinenſis, incidiſſe graves cenſuras & pœnas juris latas in captivatores & verberatores ſuorum Epiſcoporum, pro eo, quod alios ceperunt & detinuerunt, & detinent captivum Dn. Wilhelmum de Deys, electum Argentinenſem ſupradictum, imponentes ei, quod quamvis ipſam eccleſiam ut Epiſcopus per XX. annos vel circiter rexiſſet pacifice, tamen nondum in ſacris ordinibus conſtitutus exiſteret, nec non contra juramentum, per eum præſtitum, ut moris, in ejus promotione ad ipſam eccleſiam, & inconſulto ipſo Papa, aliqua caſtra & proprietates ejuſdem eccleſiæ alienaſſet: quia timebant, quod reſidua etiam, quæ adhuc poſſidebat, ſimiliter alienaret, niſi ipſum caperent, aut alias reſiſterent manu forti, prout poſt ipſorum captivantium per eorum apparitores ſeu advocatos in hujuſmodi Concilio ſæpius & ſolemniter allegabant.

Eadem die fuit lata ſententia diffinitiva condemnatoria, contra quendam inſignem Simoniacum, de partibus Leodienſibus oriundum, qui per XV. annos & ultra, ſemper tali viliſſimo lucro, quod ſibi reſultabat de Simonia, valde ſuccrevit & dilatatus fuit in officiis & eccleſiaſticis titulis, licet alias eſſet brevis quodammodo, ſicut gravis ac ruſticus, & malæ conditionis erat, tamen ſemper aſtutus, ut haberet potentes defenſores, ut liberius idipſum tranſgredi poſſet.

Hic etiam fuit mediator inter Balthaſarem, tunc Johannem Papam XXIII. ejuſque Secretarios, qui ut communiter vendiderunt omnes gratias beneficiales plus offerenti, anticiparunt Datas, & quandoque unum beneficium vacans, ſub eadem Data, pluribus ambitioſis & concurrentibus vendiderunt, & inauditas per prius à ſeculis in talibus baratarias exercuerunt. Ad quod ipſe condemnatus ſcilicet Johannes Creyt nominatus ſcivit ipſis conſulere, & novas edere formas attamen juſtitia & ratione carentes, & à Stylo Cancellariæ Apoſtolicæ penitus diſcrepantes. Et per hoc & alia fuit valde ditatus: Sortiebatur tantum prædas cum Balthaſare & ſuis Secretariis antedictis, & diligebatur ab ipſis. Unde nullis ejus exigentibus meritis, ſed prece & pretio importunus tantum exiſtens periculoſus procurator, in Romana curia factus eſt literarum apoſtolicarum abbreviator, quæ ſunt officia honeſta & lucrativa, ſolum bene literatis ac idoneis & bene meritis viris debita ad exercendum ſeu regendum. Et quamvis ex illis potuiſſet honeſte vixiſſe, ſi voluiſſet, tamen non potuit manus ſuas à ſordibus lucrativis retrahere, quia difficile eſt conſueta relinquere: ſed procurabat toto poſſe, prout prius ſolitus erat facere, & pro omnibus ad eum venientibus pro pecunia ſupplicationes ſignari per ipſum Balthaſarem, tunc Papam, ſub Datis & formis, quibus vellent, & ad deſiderium eorum præſtolantium quoruncunque, pro ſe etiam obtinuit ab eiſdem Balthaſare & Secretariis mirabiles gratias, & illarum prætextu valde multa beneficia vacantia in eiſdem partibus ambivit, & ſibi uſurpavit, quorum XXX. & plura vendidit, & pecunias pro ſe exinde recepit, nec non luxurioſe & voluptuoſe vivendo, ſolum in talibus inſaniis & cupiditatibus verſabatur: nec his erat contentus, ſed volens ubique lucrari, ſe fieri procuravit Comitem Palatinum per Sereniſſimum principem, Dn. Sigiſmundum regem Romanor. modernum, & illud officium etiam exercuit, creando etiam cauſa lucri captandi plures Notarios publicos ſeu tabelliones, ut exiſtimo, ſibi pares. Hic etiam Paulo, magno capitaneo Romanæ eccleſiæ, & Dn. Nicolao ejus fratri de Urſinis, qui tunc erant val-

Digitized by Google

de potentes, apud ſummos Pontifices tunc exſiſtentes, ita quod nemo auderet eis contradicere in curia memorata, modis omnibus ſe adjunxit, & pluribus annis in eadem curia ſub eorum umbra & protectione, quæcunque voluit, fecit. Et ecce quam magnum honorem illi ſummi practicantes finaliter de ipſorum officialium amico ſive clientulo, quem tantum prætulerunt viris virtuoſis, reportarunt.

Eadem die in veſperis rediit & intravit Dn. Ludovicus Palatinus, locum tenens dicti Dn. regis in hujusmodi civitate & Concilio, qui jam abſens per duos menſes vel circa, ſua negocia in partibus inferioribus Regni dirigendo. Hic enim, ut dicitur, diligit eundem Dn. electum Argentinenſem, eumque vellet pro poſſe juvare.

Eadem die hic in publica concione lectæ ſunt literæ excuſatoriæ Dn. Iohannis, archiepiſcopi Maguntinenſis, continentes in effectu, quomodo hic à quibusdam æmulis ſuis falſo denunciatus exiſteret, quod ipſe ad hoc intenderet ſeu inſtaret, per quod hujusmodi Concilium diſſiparetur: ac etiam, ut prædictus Balthaſar à carceribus liberaretur, & ſuper hoc etiam acquiſivit aliqua caſtra & loca fortia, non remota à loco ſeu caſtro, in quo Balthaſar cuſtoditur, aſſerens quod non fuiſſet, nec eſſet, ſuæ intentionis, quod ſic faceret, ſeu facere vellet: ſed ſemper paratus eſſet pro poſſe dictum Conciliũ dirigere & juvare. Et alia multa continebant prædictæ literæ, hic gratia brevitatis omiſſa: quia ſufficit taliter eſſe ſcriptum, maxime ſi ſubſequatur effectum.

Tenor vero ſententiæ, de qua ſupra ſit mentio, ſequitur, & eſt talis.

Chriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes, & habentes præ oculis ſolum Deum, de Iuriſperitorum conſilio, per hanc noſtram ſententiam, quam proferimus in his ſcriptis, pronunciamus, decernimus & declaramus, dictam perverſam gratiam exſpectativam præfato Iohanni Creyt, per Balthaſarum, olim Iohannem Papam XXIII. ut dicitur, conceſſam, ſeu per ipſum Iohannem Creyt à dicto olim papa extortam, tanquam exorbitantem, & de falſitate ſuſpectam, ac præter & contra ſtylum Cameræ apoſtolicæ expeditam, una cum ejusdem gratiæ proceſſu, ſeu proceſſibus ſecutis, etiam cum ejusdem perverſæ gratiæ, & inde omnium ſecutorum effectu nullius fuiſſe, & exiſtere roboris vel firmitatis: ipſamque perverſam gratiam in regiſtro literarum apoſtolicarum alibi, ubi regiſtrata ſeu notata ſit aut fuerit, ſeu reperiatur, caſſandam, annullandam, & abolendam fore, ac caſſari, annullari & aboleri debere: ac caſſamus, annullamus & abolemus: nec non lacerandam fore, & lacerari debere, atque perverſæ gratiæ hujusmodi proceſſui ſeu proceſſibus, & aliis omnibus inde ſecutis in judicio & extra, nullam fidem adhibendam fore, neque adhiberi debere, dictoque Iohanni Creyt, & aliis quibuscunque, conjunctim & diviſim, inhibendum fore, & inhibemus, ne dicta perverſa gratia & ejus effectu utantur, ſeu acceptando, ſeu alias quoquomodo acceptando ſe juvare præſumant Et quia ipſum Iohannem Creyt reperimus de falſitate dictarum literarum valde ſuſpectum, & de Simonia multiplici & notorie infamatum, ideo eundem Iohannem Creyt ab officiis & beneficiis eccleſiaſticis quibuscunq;, donec de prædictis coram nobis, aut nobis ſurrogandis, vel coram ſede Apoſtolica, aut ab ea deputando, ſe purgaverit, ſuſpendendum fore, & ſuſpendimus.

* Mirabitur fortaſſis aliquis, cur, cum Libri Titulus Rerum Germanicarum Scriptores promittat, primo loco Johannis XXIII. Pontificis Maximi, de rebus Italicis agens, poſita ſit. Præterquam autem, quod libellus ille ob præſtantiam ſuam, & raritatem (quamvis enim Avus meus ante ſexaginta annos eum ex MSto publicavit, paucis tamen lectus eſt, & hodie non comparet amplius) in his Tomis conſervandus videbatur, nullibi quoque non Res Germanicas attingit Autor Germanus, Weſtphalus, candideque ea nobis narrat, quæ Indulgentiarum Præcones pontificii in Germania & vicinis regnis tum temporis tentarunt, ſimili penè impudentia, qua ſub Leone X. initio ſuperioris ſeculi Tetzelius id operis aggreſſus eſt, incomparabili Romanæ Sedis damno. Merentur etiam legi, quæ de Boëmia, à Germanis ſubjugata narrat, ſuntque imprimis notabilia, quæ de Regno Arelatenſi diſſerit p. 46. Equidem in aliis ſuis libris etiam graviter perſtringit Imperatorum Germanicorum ſocordiam & negligentiam, res Imperii in Italia Galliaque non curantium, & *lib. 2. de Schiſm. c. 25.* & *Tractat. VI. Nem. Un. c.*

Digitized by Google

Un. c. 33. Carolum IV imprimis eo nomine graviter accuſat, quem tamen defendunt præclari viri, *Goldaſtus*, *Conringius*, *Schurtzfleiſchius*, & *Boguſl. Balbinus l. 3. c. 2. Epit. Rer. Bohemicarum* p. 381. qui ultimus Niemium, Epiſcopum Virdunenſem, (Verdenſem dicere debebat) Carolo iniquiorem eſſe, & ab Eccleſia damnatum Scriptorem, monet. Quæ tamen hoc loco de negligenti rerum Italicarum & Gallicarum cura Imperatoribus objicit, ea veriſſima ſunt, proſtantque in eam rem plurimorum querelæ. Nec minus vera ſunt, quæ de utilitate, Imperio ex poſſeſſione Regni Arelatenſis proveniente, docet: cui planè gemina ſunt ea, quæ habet *Gervaſius Tilberienſis*, Regni Arelatenſis ſub Ottone IV Mareſchallus, in *libro Otiorum Imperialium deciſ. 2. cap. 12.* ubi Imperatorem ſuum ita alloquitur: *Ecce enim audacter loquor & fidelitate, qua tibi teneor, denuntio, quod inter omnes Imperii tui regiones non eſt angulus imperio tuo commodior, ſicque omnibus confinibus tuis Regi Francorum, Regibus Hiſpanorum, Barbaris Gentilium, Terræ ſanctæ, Italiæ tuæ regno, Siciliæque dominio, conterminalibus tuis, terribilis aut opportunus ac neceſſarius, quàm Regnum eſt Arelatenſe. Quod, ut in antiquiſſimis Imperii Regiſtris continetur, Biſuntina, Tarantaſienſi, Lugdunenſi pro capite ſuo antiquiſſimo, Viennenſi, Arelatenſi, Aquenſi, Ebredunenſi provinciis circumcluditur, quaſi retinaculis, commonitoriam faciens ſententiam ſua ſtrenuitate acceſſusq; facultate Regno Francorum maritimo patenti, adituq; facili, terræ Hiſpanorum ac Gentilium Africanorum, levi ac brevi Alpium Cottiarum tranſitu in ultimo Lombardorum regno Ianuenſibus, Piſanis ac Siculis, aliisque tuo Imperio ſubjectis, adjutorium ex tua facultate ferre potes, aut ex contrario tuo motu nocumentum.* Cui adſtipulatur *Paulus Æmilius*, quando *Rer. Gallic l. 3 p. 98.* ita ſcribit: *Munus Rudolphi habere ſibi filioq;, quam dari aliis Conradus malebat; & non parum virium Germani Proceres acceſſurum rebus ſuis ducebant, Burgundiorum regno ſibi contributo, quod, excluſo Ducatu, qui Franco Regi ſine controverſia parebat, ſi quis veterum memoriam repetat, Sequanos, Allobrogumque & Arelatenſium regias urbes complecteretur, ac ab extremis Germanorum finibus ad mediterraneum mare pertineret, opportunum Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Africæq; rebus conſiliisq; expediendis, ac conatibus capiendis, ut Auguſtum nomen Germaniæ finibus & anguſtia clauſum prodire in totius orbis terrarum lucem & priſtinam majeſtatem tandem poſſit.* Quæ quidem loca huc adducere libuit, quia totum illud Regnum nondum planè excidit Imperii Germanici juribus, etiamſi à potentiſſimo Galliarum Rege detineatur. Aliàs, quæ hoc loco, & in aliis libris ſuis, narrat *Niemius* de acquiſito Regno Arelatenſi per Ottonem M. à Boſone ultimo ejus Rege, non conveniunt cum iis, quæ ſcriptores ſynchroni & fide digni narrant, quamvis Niemii, nec primi, nec ſolius, error ille ſit. Quomodo autem revera res ſeſe habeat, egregie contra *Niemium* exponit *Conringius l. 1. de fin. Imp. Germ. c. XII.*

Quæ alias in Hiſtoria Niemii occurrunt, illuſtrare nunc, nec lubet, nec neceſſe eſt. Dictio horridior, alicubi interpretem requirit, frequentesque in eo occurrunt Phraſes & loquendi modi, quos ex Italico aut Germanico ſermone depromptos, aut alias Barbaros eſſe, quilibet peritus linguarum facile judicare poteſt, quales ſunt, *in alto & baſſo compromittere, in groſſo vendere, habere ſymbolum, carnis identitate jungi, mentiri in collum ſuum*, quæ ultima phraſis Germanicæ plebi uſitatiſſima eſt. Non explicabo voces illas omnes, ſed quaſdam tantum, quia peritioribus id facile eſt, alii vero præſtare id etiam non ita magna opera poſſunt, poſtquam incomparabile *Gloſſarium Caroli du Freſne, Dn. de Cange*, publicatum eſt, quo de hiſtoria medii ævi maximè meritus eſt.

P. 9. Meminit veſtium *vario & ſerico ad inſtar veſtium togatarum & egregiarum perſonarum ſubductarum & ſeu foderatarum, quas mercatores & nummularii portaverint.* Occurrit autem vox illa *Varium* in aliis quoque medii ævi ſcriptoribus. Ex noſtris *Albertus Abbas Stadenſis in Chronico* ad Ann. 1183. ita: *Henricus Scholaſticus Bremenſis Archiepiſcopum excuſavit, quod VARIUM non ferret, niſi cum, ſuis veſtibus alicui erogatis, mantellum clerici aut militis induiſſet.* Nomen autem *vario* dederunt mures quidam, *vares*, ſeu *varii*, dicti, ex quorum pellibus fiebat, cujuscunque etiam terræ mures illi indigenæ fuerint. Ex Hungaria advectos perſvadet verſus *Gvillermi Britonis Armorici Philipp.* l. 9. v. 384.

Et quas huc mittit VARIAS Hungaria pelles

ubi commentator *Caſp. Barthius*, infinitæ aliàs lectionis vir, non videtur vim vocis percepiſſe, ſed *varias* accepiſſe pro *varii generis pellibus*, luxus cauſa adhibitis, de quibus loca quædam adducit. *Iulius Cæſar Scaliger comm. in Ariſtot. hiſtor. anim.* l. 2. c. 130. mures hos *Varios idcirco à pellitoribus appellari*, ſcribit, *quoniam ventre tantum albo ſint, dorſo fuſciuſculo:* quomodo pantheræ à *Plin.* l. 8. cap. 7. *variæ*, & à *Palladio* inter maximi meriti equos collocatur *Varius cum pulcritudine, ni-*

Digitized by Google

gro vel albineo vel badio mixtus, apud *Palladium de re Ruſt. Menſ. Mart. tit.* XIII. *Foderatas* autem veſtes itidem dixit, more illius ævi, id eſt, ut ipſe ſe explicat, ſubductas aut ſuffultas pellibus, aut alia materia. Vox eſt Italis illo ſenſu uſitata, ut ex Vocabulario della Cruſca apparet. Origo autem eſt ex Germanica voce *Foder*, quam ſuperiores Germani mutant in *Futter*. Nec conſentire hic poſſum doctiſſimo *Octavio Ferrario*, qui in originibus Linguæ Italicæ à Latino *foras* deducit. Equidem non tantum celebris illius viri (quem ante hos viginti & quinque annos maximo cum applauſu optimas literas in Athenæo Patavino profitentem audivi, & à quo maxima humanitate exceptus & eruditiſſimis colloquiis ſæpius dimiſſus ſum) reliqua ſcripta omnia maximi æſtimo, ſed etiam *Origenes* ejus *Italicæ Linguæ*; ut tamen verum fatear, propter minus plenam Germanicæ linguæ notitiam ſæpius impingit, & ex Latina operoſè & inconvenienter deducit, quæ ex Germanica facillimè & dextrè explicare poterat, uti ſæpius in hoc opere noſtro oſtendemus. Sanè, longè rectius idem *Ferrarius* in explicanda origine vocis *Fodri*, quo annona ſignificatur, eam à *Foder, Futter*, voce Germanis pabulum denotante, deducit, quæ viciſſim eſt à *voeden* vel *föden*, paſcere. Nec tamen *facere* poſſum cum doctiſſimo Gloſſarii autore Dn. *de Cange*, qui *fodero* eſſe à *fodro* exiſtimat, quod, *qui ad fodrum ſeu pabulationem proficiſcantur, inde redirent omnibus rebus inſtructi ac onerati, dicerenturque eſſe bene foderati.* Sine dubio enim eſt à Germanico *foder*, quo denotatur id, quod veſti ſubtexitur, & alias *underfoder* quoque dicitur.

P. 12. *Machinarum & pyxidum ictibus* & deinde, *ictu bombardæ ſeu pixidis*, ſcribit: ex quibus ultimis verbis facile patet, quid per pixides intelligat autor, tormenta ſcilicet illa ignivoma minora, quæ ſola manu regi poſſunt, & aliàs *bombardæ* à bombo & ardore, aliàs *ſclopeta* à ſclopo, hoc eſt, ſono illo, quem buccis inflatis & dein exploſis, edimus, vocantur. Cur autem *pixides* dictæ, ſolis Germanicam linguam callentibus notum eſt. Pyxis, Græca originatione, vaſculum ex buxo denotat, productâ tamen deinde ad vaſcula & capſulas ex quacunque materia vocis ſignificatione. Tale vaſculum Germanis dicitur Büſſe / Büchſe. Cum igitur à Germanis, decurrente ſeculo XIV, ſive per Bartholdum Schvvartz Colonienſem, ſive per Conſtantinum Anelitzen Friburgenſem, novæ illæ machinæ ignivomæ eſſent inventæ, minores oblongæ ab illis Büſſen/ Büchſen vocatæ ſunt, & hinc factum eſt, ùt Germani, qui Latine exprimere vocem illam vellent, *pyxides* vocarent, tam vaſcula illa, quam bombardas, eodem Germanico ſcilicet & Latino vocabulo. Non igitur temerè hanc vocem *pyxis* pro *bombarda*, niſi apud Germanum ſcriptorem invenias. *Johannes* tamen *Turocius* ſive *de Thvvrocz*, Hungarus, qui Chronicon ſuum Rer. Hungaricarum Matthiæ Corvino Regi dicavit, in Johanne Hunniade c. 46. ita loquitur: *caſtris bellicis machinarum, PIXIDUM, ac aliorum tormentorum hoſtem ferientium ingeniis munitis & refertis.* Licuit ſanè rei noviter inventæ novum dare nomen, ſed rectius meo judicio Germanicam vocem Büchſe / Büſſe per *Buchſiam, Buſiam, Buſiam* expreſſiſſent, quam per pyxidem. Et vero, ut hoc obiter addam, Italorum *Archibuſio*, & Gallorum *Arquebuſe*, quorum utrumque bombardam vel ſclopetum denotat, ratione poſterioris vocis, Germaniæ non originem minus quàm ipſum inſtrumentum inventionem illi, debet, eſtque à Büſſe Italorum *Buſio* & Gallorum *Buſe*. Nimis enim longè petita eſt derivatio à *buco*, quod Italis foramen ſignificat, qua *Polydorus Vergilius l. 3. de rer. invent. c. XI.* ſibi placet, quamvis illo doctiores *Voſſius l. de vit. ſerm. 3. c. 21. & Ferrarius in orig. lingv. Ital.* eam non improbent.

Quod P. 29. ſcribit, *truſabatur de ipſis*, expono, illudebat ipſis. Pulcra ſunt, quæ de hac voce habet *Voſſius l. 2. de vit. ſerm. c. 18.* monetq; eam in inſcriptione, quæ Polæ eſt in Dalmatia, extare eodem ſenſu, conjungique *truffas, nugas & ambages*. Prudenter tamen deinde concludit, aut vocem hanc eſſe antiquiorem, quam exiſtimetur, aut inſcriptionem illam Polanam eſſe recentiorem: quod poſterius crediderim, cum apud neminem alium antiquum hæc vox occurrat. *Voſſius* à Græca τρυφῆ, quæ delicias & luxum notat, Germanicum *truffen* deliciari, jocari, deducit, ſcribitque Ungaris quoque *trefa* jocum eſſe. Cur igitur non *truſare* ſit à Germanico illo *truffen* potius, quam à *Stropha*, quod vult *Ferrarius in Origin.* cum vox illa nata demum ſit, poſtquam Germanicæ gentes Italiam intrarunt? An hinc quoque eſt Germanica vox *treuffler*, deceptor, nugator?

P. 35. *Conchas* nominat, per quas intelligo naves ſeu naviculas, in formam conchæ effictas, ex quibus ſe defenderent. Ita enim aliquando vocem illam ſumi docuit *in Gloſſario Freſneus*. Sunt præterea quædam voces, quibus ipſe *Niemius* explicationem addit, ut p. 10. *baratoribus, ſcilicet luſoribus taxillorum*, quamvis generalis vox ſit, & de quibusvis impoſtoribus uſurpetur. p. eadem *de Lictoribus ſeu Manigoldis* loquitur: quam vocem in nullo Gloſſario, ne *Freſnei* quidem, invenias. Eſt autem vox Italica, & lictorem ſeu carnificem denotat, cujus originem in Latio quærit *Ferrarius* à *manicis ferreis, quibus noxios alligant, veluti manicatores aut manicarii.* p. 12. occurrit, *Arx vel Rotta* ubi legendum *Rocka*, eſt enim Italorum *Rocca*. *Gobelinus Perſona*, æqualis ejus, in *Coſmodrom.* p. 259. edit. prim. *Arx, quæ vulgo Rocka dicitur.* CLL. Viri *Menagius* & *Ferrarius* in Originibus Gallicis & Italicis, à *rupe* deducunt, ut ſit *rupes, rupeca, ruca, & roccha, ſicut & roccia.* p. 28. *ſtratis* explicat, *plateis amplis.* Vox frequens medii ævi ſcriptoribus, Germanis, Anglisque *Straſſe, Straet.* Vide *Wilhelmi Waats Gloſſarium* pag. 211. ubi viam Regiam aliquando *The Straet*, frequentius plateas civitatum ita appellari ſcribit. p. 18. vocem *cariſtia*, itidem ſimilibus ſcriptoribus non infrequentem, uſurpat, ſed malè explicat per *inediam*, ſignificat enim caritatem annonæ, familiaris illo ſenſu Italis.

GOBE-

GOBELINI PERSONÆ
DECANI BILFELDENSIS ET OFFICIALIS PADERBORNENSIS
COSMODROMIUM
Hoc eſt:
CHRONICON UNIVERSALE
Complectens Res Eccleſiæ & Reipubl. ab O.C. usque ad A. C. 1418.

Digitized by Google

LECTORI
HENRICVS MEIBOMIVS
Junior.

POſt *Niemii* libellum ſecundo loco collocamus GOBELINI PERSONÆ, ipſius æqualis, COSMODROMIUM. Non quidem ille ſui tantum ævi res geſtas, aut Germanicas Saxonicasq;, perſecutus eſt, ſed altius exorſus Chronicon Univerſale ab Orbe Condito conſcripſit, ideoq; inter initia non niſi ea proponit, quæ ab aliis jam tum ſcripta ſunt, & melius quoque ſcripta: communi tum errore, ut quicunque ex ſacri ordinis hominibus (quorum præ aliis hoc erat ſtudium) non adeo multorum ſui ævi annorum res geſtas poſteris deſcribere vellet, luculentius facturus opus, ab orbe condito uſque per male conſutas imperfectasque ex priſcis Hiſtoricis relationes, & uti ipſi appellabant, Deflorationes, lectorem latè circumductum brevi ſui temporis hiſtoria ſatiaret. Quales complures extant inter Germanicos Scriptores à *Freheris*, *Scardiis*, *Urſtiſiis*, *Reuberis* aliisque editos. *Gobelinus* tamen, poſt antiquiora illa expoſita, gratiorem lectionem ſuam reddit, quod imprimis gentium Germanicarum hiſtoriam compendio explicet, earundemq; origines, migrationes, colonias, religionem, & quomodo tandē Chriſti doctrina imbutæ eam in finibus ſuis propagarint. Sub finem vero voluminis exquiſita narratione ea comprehendit, quæ ſub Pontificibus Romanis Urbano VI. Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. in Italia contigerunt, quæque ipſe vidit & audivit. Quod opus eruditum, copioſum & luculentum, multis antehac viſum & lectum, typis tamen nunquam excuſum, Avus meus, de publico bene meriturus, ex duobus MStis codicibus, Francofurti apud Andreæ Wechelii hæredes, anno ſuperioris ſeculi ultimo, impreſſum publicavit, fuitq; illud ab Hiſtoriæ, Germanicæ imprimis, ſtudioſis magno applauſu exceptum, & per Europam diſtractum. Quis vero fuerit *Gobelinus*, ex vita ab Avo meo conſcripta, & teſtimoniis Scriptorum quorundam patebit.

VITA

VITA
GOBELINI PERSONÆ,
DECANI BILVELDIENSIS ET OFFICIALIS PADERBORNENSIS.

NAtus eſt GOBELINUS PERSONA in antiqua Saxonia, quæ nunc Weſtphalia dicitur. Locum natalem non expresſit; annum, quo primum lucem vidit, indicavit. Fuit is à nato Chriſto 1358. A prima ætate literis adhibitus pro iſtius temporis conditione plurimum in illis profecit. Sæculum, quo vixit, planè fuit barbarum: cumprimis verò in Germania & Galliis literæ planè conticuerant. Sola Italia ad puritatem Latini ſermonis quaſi poſtliminiò aſpirare videbatur. Fuit ea non poſtrema Gobelini felicitas, quòd Italos nactus eſt præceptores, quibus ſe informandum tradidit. Conſtat tum temporis Romæ & alibi per Italiam floruiſſe Franciſcum Petrarcham, & Johannem Boccatium Poëtas: qui una cum aliis quam-multis literarum & linguarum ſtudia, 700. ferè annis tetra barbarie oppreſſa, ab interitu vindicabant: quibus mox alii ſucceſſerunt. Italiam Gobelinus penè luſtravit univerſam, ut ex hoc opere manifeſtum ſit. In curia Romana diu hæſit, & tam ipſis Pontificibus, quam reliquis aulæ proceribus, puta Cardinalibus & Epiſcopis, familiaris fuit. Quæ res ipſi ad beneficia Eccleſiaſtica aditum patefecit, ſicut primo ſacerdos inauguraretur. Factum id anno 1386. Triennio poſt rector capellæ S. Trinitatis in Eccleſia Paderbornenſi conſtituitur: cùm jam annum ætatis ageret 31. Plurimùm autem & capellam ipſam & ædes ad ſacerdotium hoc pertinentes exornavit, inſumtis in ſtructuram aureis numis 80. Præfuit deinde Paderbornæ templo forenſi eccleſiaſtes: cumque ſub annum Chriſti 1405. conſules ejus loci ſtatutum quoddam condidiſſent, quod & pontificum Decretis, & Imperatorum ſanctionibus adverſari videbatur, ipſe pro concione illud reprehendere, & auctores, ut antiquaretur, monere & cogere non deſtitit. Quare invidia cœpit deflagrare, civibus eum nunc avaritiæ, nunc ambitionis accuſantibus. Tulit injurias iſtas ad tempus, emendationem ſperans: quæ cum non ſequeretur, odia autem ingraveſcerent, tempeſtati cedendum ratus, ſacerdotium illud cum alio commutavit, publico docendi munere hac occaſione levatus. Credibile eſt munus officialis (is eſt Epiſcopi in certa parte diœceſis vicarius) tunc ei demandatum fuiſſe. In illo cum ea verſaretur fide & diligentia, qua par erat, odia maleferiatorum hominum effugere & evitare non potuit. Inprimis vero monachos familiæ Benedictinæ Paderbornenſes offendit. Nolebant iſti reformari, ut vocant, & Epiſcopo Wilhelmo illud omnino volenti ſuperbè & contumaciter ſeſe oppoſuerunt. Cui cum officialis in hoc negocio operam ſedulè navaret in periculum venit. Cucullati enim cum apertè homini nocere non poſſent, ad artes, flagitioſis uſitatas decurrerunt, & veneno cibis inſperſo eum è medio tollere conati ſunt. Sed ille re detecta abiit Bilveldiam comitatus Ravensburgici metropolim, curia ſua cum jurisdictione eo ſecum tranſlata. Reclamatum quidem fuit à Capitulo: ſed nec manſuro defenſio promiſſa, neque reformationis negotium promotum eſt. Bilveldiæ Gobelinus Decanatu potitus eſt, quando vero id factum ſit, non ſatis liquet. Tandem negociorum pertæſus, cum religio eum arctior inceſſiſſet, in monaſterio Bodekem, nuper reformato, cucullum induit, atque ibi precibus deinceps & literarum ſtudiis vacavit. Quo anno extinctus ſit, indagare non potui: unum conſtat, cum finem huic operi imponeret, quod anno Chriſti 1418. factum eſt, ſexagenarium

Digitized by Google

narium fuiſſe. Otium toto vitæ ſuæ tempore deteſtatus eſt, ac Philoſophiæ in juventute, in virili ætate Theologiæ & Juri Pontificio operam quàm diligentiſſimè impendit. Auguſtinum legit præ reliquis ſcriptoribus intentè: atque inde eſt, quod hujus auctoris verba & ſententias ſubindè uſurpet. Iſidorus non minus ei familiaris fuit, ex quo integras pagellas exſcripſit. Præter Coſmodromion, quod in lucem nunc damus, alia ingenii ſui monumenta reliquit, quæ ipſe inculcat:

Tractatus de Legenda undecim millium virginum, Colonienſis cleri cenſuræ oblatus.

Hiſtoria ſeu Cantus de Feſto viſitationis S. Mariæ, à Johanne PP. confirmatus.

Poema de rebus geſtis Urbani VI. PP.

Aliud Poema de geſtis Ruperti Epiſcopi Paderbornenſis & nonnullis ejus anteceſſoribus.

Verùm in carmine Gobelinus infelix fuit. Redolent enim verſus ejus ſuperioris ſæculi barbariem. Proſa tolerabilior eſt, ornamentis ſuis non carens: etſi alicubi Gobelinum dormitaſſe inficiari non poſſumus. Res quas deſcribit magna collegit diligentia, ſumma perſcripſit fide: neque in eo quicquam deſideres, niſi quòd, more ſui ſimilibus uſitato, Papæ contra Imperatores plurimum tribuit. Sicuti contrà hoc notatu dignum, quòd Legendam de XI. millibus Virginum, & de S. Catharina in dubium vocare auſus fuit. Sanè rationes in medium adfert non elumbes, ſed ex veritate hiſtorica depromptas: neque temeritate quadam res, temporis quadam præſcriptione in Eccleſia pro veris habitas in dubium vocat, ſed veritatis inveſtigandæ ſtudio circumſtantias probè & penſiculatè examinat, ne vel ipſe nimia credulitate ſuſpecta amplecti, vel alios, ut idem faciant, quod non minus delictum eſt, ſupino ac præpoſtero ſilentio induxiſſe videretur. Opus hoc, quod noſtra opera nunc prodit, licet typis expreſſum hactenus nondum fuerit, non tamen latuit. Lectum eſt à multis Hiſtoricis, & in Scriptoribus noſtri ſæculi frequens ejus mentio, nec contemnenda auctoritas. Nobis dignum viſum fuit, quod publicum fieret: itaque rem egimus cum fide & cura. Nacti ſumus exemplaria duo, unum à Matthæo Dreſſero Viro Cl. alterum ab amico quodam nobis tranſmiſſum eſt: ſed lacerum & in fine mutilum. Utriusque codicis beneficio integrum Coſmodromion damus: à quo vel partem revellere, vel quicquam ejus omittere religio nobis fuit. Etſi enim ea, quæ ſub primis ætatibus referuntur, ab aliis ſcriptoribus, tam Græcis quàm Latinis, copioſius & elegantius expoſita ſint, inveniet tamen lector ea inſperſa & immixta, quæ cognitu non indigna cenſebit. Unum illud mirari ſatis non poſſum, quòd, cum σύγχρονοι fuerint Theodoricus de Niem & Gobelinus, ac uno eodemque tempore Romæ in aula Pontificia vixerint, officiaque publica adminiſtrarint, neuter alterius mentionem faciat, maximè cum uterque ex diœceſi Paderbornenſi originem traxerit. Verùm cauſſam ejus rei odorari mihi videor. Gobelinus enim in ſchismate Papali partibus Urbani plurimum favit: à quo Niemius ita diſſentit, ut Urbani mores, conſilia & facta acerbè inſectetur & reprehendat. Qui volet cognoſcat utrumque, Niemium in libris 4 de ſchiſmate & in Nemore Unionis (quos libros lectu utiles & jucundos Simoni Schardio Juris conſulto debemus) & Gobelinum in poſtremis hujus voluminis capitibus,

Quantoperè Gobelinus univerſalem Eccleſiæ Romanæ reformationem deſiderarit, opus hoc evolventi manifeſtum fiet. Vidit ipſe eccleſiam tam in capite, quàm in membris omnibus plurimum laborare, plæraque olim rectè conſtituta à prima ſua ordinatione degeneraſſe, ideoque ſalutarem emendationem requiri. Fecit itaque ſuo loco quod potuit, & de collegiis canonicorum & monaſteriis, in quæ jurisdictionem habebat, reformandis multùm laboravit. Exempla ejus conatus ſunt in Coſmodromio, & aliud ex ſequenti epiſtola apparet. Eam ab amico nobis tranſmiſſam tecum, benevole Lector, communicare volumus: tu ſtudiis noſtris fave & have.

Gobelinus Decanus Eccleſiæ S. Mariæ novi oppidi Bilveldenſis Paderbornenſis diœceſis, commiſſarius ad infraſcripta à reverendiſſimo in Chriſto patre & domino noſtro, Domino

Digitized by Google

Domino Theodorico archiepiſcopo Colonienſi, & adminiſtratore ac paſtore eccleſiæ Paderbornenſis, ſpecialiter deputatus, Venerabilibus viris, Dominis Capitulo, ſingulisque Canonicis & Vicariis ac perſonis eccleſiæ S. Mariæ prædictæ ſalutem in Domino ſempiternam. Literas reverendiſſimi patris & domini noſtri archiepiſcopi & adminiſtratoris ſupradicti nos recepiſſe noveritis tenoris infraſcripti. Theodoricus Dei gratia archiepiſcopus Colonienſis, ſacri Imperii per Italiam archicancellarius & adminiſtrator ac paſtor eccleſiæ Paderbornenſis, Honorabili viro, Domino Gobelino Perſon, Decano eccleſiæ S. Mariæ Bilveldenſis Paderbornenſis diœceſis ſalutem in Domino. Expoſito nobis per illuſtrem Wilhelmum de Monte, Comitem de Ravensberg, Patronum dictæ eccleſiæ veſtræ, ac noſtrum affinem cariſſimum, quòd pridem dum ipſe adhuc Electi eccleſiæ Paderbornenſis & confirmati fungebatur officio, ipſe circa Reformationem morum & conſuetudinum eccleſiæ veſtræ prædictæ, & præſertim ab officii divini & eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia, quæ in majori & cæteris collegiatis eccleſiis civitatis & diœceſis Paderbornenſis viget, & nonnunquam à libris eccleſiæ veſtræ præfatæ, & præſertim illis, qui ſuper obſervantia divini officii ſunt conſcripti, plurimùm exorbitantium ſingularem gerebat affectum, quem guerris quidem primùm & occupationibus arduis, deinde præfatæ eccleſiæ Paderbornenſis ceſſione intervenientibus, ad effectum perducere non valebat: Supplicatoque nobis inſtanter per eundem Comitem & Patronum, ut hujusmodi ejus pium deſiderium auctoritate noſtra ordinaria, qua in dicta Paderbornenſi fungimur Eccleſia, ad deſideratum ipſius perducere dignaremur effectum. Nos ex debito paſtoralis officii omnem circa præmiſſa erroris occaſionem cupientes adimere & ſolerter attendentes, quòd membra à capite diſſidere non convenit, ſupplicationibus Comitis & Patroni prædicti, ut puta pietate & ratione gravidis, favorabiliter annuentes, vobis Decano prædicto, auctoritate noſtra ordinaria ſupradicta committimus & mandamus, quatenus ordinem & modum obſervantiæ divini officii & cæremonialium ejusdem, ſecundum continentiam librorum prædictæ veſtræ eccleſiæ, ſeu modum & obſervantiam majoris, aut aliarum eccleſiarum collegiatarum civitatis & diœceſis prædictarum, prout diſcretioni veſtræ magis viſum fuerit expedire, in ſcripturam certam expenſis capituli veſtri colligatis: quam quidem ſcripturam in formam libelli redactam à ſingulis perſonis præfatæ eccleſiæ veſtræ, prout ad eas, & earum quamlibet pertinebit, faciatis inviolabiliter obſervari: contradictores & rebelles eadem auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo: conſuetudinibus ipſius eccleſiæ contrariis, & juramento, quod vos & alii de obſervandis Statutis vel conſuetudinibus ejusdem eccleſiæ veſtræ in genere præſtitiſtis, non obſtantibus: ſuper quibus, ſi opus fuerit, auctoritate noſtra ſupradicta vobis diſpenſandi concedimus poteſtatem, & etiam quantùm ad perſonam veſtram præſentibus diſpenſamus. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Arnsberg anno Domini 1416. menſis Februar. die undecima.

Digitized by Google

TESTIMONIA
QVORVNDAM CLARISSIMORVM VIRORVM
DE
GOBELINO PERSONA
Ejusque
COSMODROMIO.

Matthias Flacius Illyricus in Catalogo teſtium veritatis editionis Argentinenſis, pagina 586.

DOctor GOBELINUS Decanus in BILEFELDT ſcripſit Hiſtoriam, titulo COSMODROMIUM: in quo cùm multa alia notatu digna ſunt, tum illud non minimè, ubi oſtendit Legendam, vel Fabulam potius, Catharinæ merum figmentum eſſe.

David Chytræus in Chronico Saxonico libro 3.

DE hiſce Eccleſiis (Weſtphalicis) earumque Epiſcopis usque ad annum 1400. & 1500. ſecutis, tum alii aliquot ſuperiores, ut GOBELINUS Decanus Bilfeldenſis, qui tempore Concilii Baſileenſis ſcripſit, & Wernerus Rolevingius, tum verò imprimis Metropoleos Saxoniæ Auctor Albertus Crantzius diligenter explicavit.

Suffredus Petri Juriſconſultus lib. 2. de origine Friſiorum cap. 5.

SAxo gentis Saxonicæ conditor ad Hadelerium appulit anno ante natum Chriſtum 300. quod non modo Scriptores noſtri prodiderunt, ſed & Warnerus quoque Weſtualus diſertè ſcripſit: ſicut & ante illum Joannes de Eſſendia, & Henricus de Hervordia & GOBELINUS.

Idem ejuſdem libri cap. 15.

SAxones per Albim appuliſſe in Holſatiam anno ante natum Chriſtum 300. Annales noſtri referunt, quibus conſentiunt Warnerus Rolevinck & GOBELINUS & complures alii. Annales noſtri referunt Brunonios eodem tempore per Albim paulò altiùs ſubvectos inter Albim & Viſurgim conſediſſe, ibidemque provinciæ ſuæ caput Brunſuicum ædificatum de nomine fundatoris appellaſſe. Ex horum poſteris tandem Angrinarios cum Chamavis trajecto Viſurgi ſedibus ſuis expuliſſe Bructeros, Warnerus Rolevinck & GOBELINUS, & alii Saxones, mox ubi Holſatiam occupaſſent, in Weſtvaliam penetraſſe ſcribunt.

Hermannus Hamelmannus Theologus libro 2. illuſtr. virorum Weſtphaliæ.

GOBELINUS primò Decanus BILFELDENSIS, poſtea monachus in Bodekem, in Coſmodromio dicit, legendam de S. Catharina eſſe fabulam. Idem Hamelmannus lib. 3 Genealogiarum ſubinde Gobelini Coſmodromion allegat.

Chriſtianus Cleinſorgius Juriſconſultus in Chronico Comitum Lippienſium manuſcr.

Quemadmodum inter cæteros GOBELINUS PERSONA quondam Decanus Bilfeldenſis & Officialis Paderbornenſis, & poſt eum Bernhardus Wittius & alii teſtantur.

Reinerus Reineccius in Oratione de Hiſtoria ejusque dignitate.

ACcepimus Paulum Æmilium in Gallicam ſuam Hiſtoriam annos 30. impendiſſe. GOBELINUM in COSMODROMIUM 42 Meminit enim is, incoaſſe ſe temporibus Bonifacii IX Pontificis, abſolviſſe Martini V. anno primo, qui incidit in annum Chriſti 1418. Sic ut intermedium tempus eos, quos dixi, annos præcisè exprimat.

Petrus Albinus Electoris Saxon. Hiſtoricus in progymnaſ. Novæ Hiſtoriæ Saxonicæ, pagina 233.

UNam tantùm Hiſtoriam de Caroli M. contra Saxones expeditionibus ex GOBELINO, & quæ alia ad Widekindi M vitam (non enim hanc hiſtoriam hoc tempore latiùs nobis perducendam eſſe duximus) pertinentia in COSMODROMIO ſuo ſcripſit, addemus, in qua ille quidem (nam eo in loco ubi auctor vixit plæraque geſta ſunt) NON INDILIGENTER neque INFELICITER explicat.

Idem

Idem ibidem pagina 246.

HÆc de bello Saxonico, & aliis rebus præcipuè ſub Widekindo geſtis, GOBELINUS, in quibus MULTA ſunt JUCUNDA COGNITU. Apparet enim eum pro captu ſæculi, in quo vixit, NON VULGARI & ERUDITIONE & DILIGENTIA atque STUDIO indagandarum rerum ad Hiſtoriam pertinentium fuiſſe. Idem auctor in Chronico Miſnenſi ſæpiſſimè Gobelinum laudat.

Joannes Jacobus Friſius in additionibus ad Bibliothecam Geſneri.

BAlduinus (*rectiùs Gobelinus*) parochus Paderbornenſis ſcripſit hiſtoriam univerſalem ab orbe condito uſque ad annum Chriſti 1418.

Albertus Crantzius in contexenda metropoli Gobelini Coſmodromio plurimum uſus eſt, integrasque ex eo pagellas deſcripſit, nomen verò ipſius reticet. Videatur Metropoleos lib. 1. cap 16. 28. lib 4. cap 4. lib. 7. cap. 28. lib. 9 cap. 5. lib. 10. cap. 1. 2 & 35. Hermannus Kerſenbroch conſarcinator catalogi Epiſcoporum Paderbornenſ. maluit Gobelinum penè totum exſcribere, quàm vel ſemel nominare.

Joh. Gerb. Voſſius L. III. de Hiſtoricis Latinis, Part. IV. c. IX.

SUb Sigiſmundo Imperatore loco non exiguo erat doctor Gobelinus Perſona, decanus in Bilefeld. Hiſtoria is ſua celebratur, quam inſcripſit Coſmodromium. Ipſe autem ait, ſe inchoaſſe id opus temporibus Bonifacii IX. qui ſedere capit Anno CIↃ CCCLXXXIX. vivereque deſiit Anno. CIↃ CCCCIV. Producit autem illud ad uſque annum alterum Martini V. qui aliquibus III. vocatur, hoc eſt, ad Ann. CIↃCCCCXVIII. Ex quibus liquet, diu opere eo fuiſſe occupatum: minus interim, quàm Chriſtianus Maſſæus, qui ſuis Chronicorum libris plus impendit annis L. *Gobelinum* hunc, ſed ita, ut non nominet, exſcribit Crantzius in Metropoli ut *lib. 1. c. 16. & 28. l. 4. c. 4. l. 7. c. 28. l. 9. c. 5. l. 10. c. 1. 2. & 35.* Ac ſimiliter, ut jam aliis monitum, Hermannus Keſenbroch in Catalogo Epiſcoporum Paderbornenſium haurit ſua hoc de fonte Gobelini: quem tamen nuſpiam nominat. Fidelius egit Canonicus ille regularis prope Nuſſiam, qui Chronicon magnum Belgicum compoſuit. Nam & ille multa quidem ex eo depromit: ſed non diſſimulato auctore. Gobelino etiam, non Surius modo, verum Molanus quoque tribuit vitam S. Meinulphi, Paderbornenſis Eccleſiæ Diaconi ac confeſſoris, quem Carolus M. de ſacro fonte ſuſceperat. Eam Surius ad d. V. Octobris collectioni ſuæ inſeruit, ſed interpolatam ac ſtylo mutato. Ita autem, prout in MSto repererat, edidit Chriſtophorus Browerus: miraculis tamen brevitatis cauſa omiſſis, quod apud Surium legi poſſent. Sed fortaſſe vitæ ejus autor eſt, vel Johannes Gobelinus, ſcriptor rerum memorabilium, quæ Pii Papæ temporibus contigerunt: vel Gobelinus alius, utroque hoc antiquior, Imp. Alberti Auſtriaci æqualis, qui à Papa ad Anglos legatus fuit, & ſtatuta arbitraria, item de pœnitentia ſcripſit.

---

* MIrum eſt, *Voſſium*, cum Avi mei editionem viderit, eaque uſus ſit, (uti ex eo ſatis patet, quod *Hermanni Kerſenbrochii* meminit, & *Crancii* loca, ad unum omnia, ab avo meo adducta, fideliter deſcribit) primi tamen Editoris non meminiſſe. Potuiſſet vero ex iis etiam, quæ de *Gobelino* notaverat Avus meus, ſuam narrationem inſigniter augere, imò inde potuiſſet diſcere, *Balduinum, Parochum Paderbornenſem, qui hiſtoriam univerſalem ab orbe condito usq; ad an. Chr. 1418.* memorante *Joh. Jac. Friſio in addit. ad Bibliothecam Geſneri* ſcripſit, eſſe eundem cum *Gobelino*, vitiumque deſcriptoris interveniſſe, cum *Friſium* ſecutus *Voſſius* novum nobis Hiſtoricum Balduinum, à Gobelino diverſum, procudat, & *lib. 3. cap. V. de Hiſt. Lat. ad an. 1418.* collocet. Aliàs de Meinolphi vita à *Chriſtophoro Brovvero* inter *Sidera illuſtrium & ſanctorum virorum* edita, à *Surio* antea interpolata, quam *Gobelino* tribuunt *Surius* & *Molanus*, rectè dubitat *Voſſius*. Neque enim, ubi

in

in *Coſmodromio* ſuo *ætat. 6. cap.* 40. de Meinolpho agit *Gobelinus*, eumque poſt mortem, & in vita miraculis claruiſſe, natalemque ejus in diœceſi Paderbornenſi celebrari notat, ſe vitam ejus ſcripſiſſe vel verbulo indicat. Et vero ſtylus vitæ illius, non interpolatæ, ut à *Brovvero* edita eſt, longè vetuſtior cenſendus, rectèque de eo ſcribit *Brovverus*: *Character ſermonis tritum illud cacoëthes rythmicæ locutionis habet, quod ingenioſe, ùt putabant, Iſocolis & Antiſtœchis efficiebant.* At tale nihil in noſtro Coſmodromio. Ex eadem vero ratione etiam probare nequeo ſuſpicionem *Voſſii*, alteri Joh. Gobelino ſub Pio II. Papa, vel alteri ſub Alberto Imp. tribuenti hanc vitam. Neuter enim eo modo ſcripſit. Fortaſſis verò non eſt Coſmodromii autor *Gobelinus Perſona*, Decanus Bileveldenſis, ſi credimus viro doctiſſimo, & multæ lectionis, *Vincentio Placcio in Catalogo Pſeudonymorum n.* 407. Poſtquam enim librum ab Avo meo publicatum produxit, ſubjungit. *Hoc opus à Pio II. Pontifice conſcriptum eſſe, multos notaviſſe, ſcribit Th. Raynandus de mal & bon. libris part. 1. Erot. 10 §. 1. p. m. 117.* Quod tamen nullo modo mihi perſuadere poſſum, cum ſub Gobelini nomine Coſmodromium ab omnibus, qui ab ejus ætate non adeo remoti fuerunt, citetur. Neceſſe eſt ergo hic ſubſit error aliquis, tam *Raynandi*, quam *Placcii*: quod jam obſervavit aliquo modo, qui notas & animadverſiones in Voſſii de Hiſtoric. Lat. libros ſcripſit *Sandius. pag.* 325. & jam manifeſto oſtendam. Ita enim loquitur *Raynandus*: *Opus Gobelini Perſonæ, ab autore Pio II. eſſe ei ſuppoſitum, multi notarunt.* Nullam ergo facit ibi mentionem Coſmodromii, ideoque ſine dubio intellexit *Joh Gobelini* (de quo pluribus *Voſſius lib. 3. cap. 10.*) Vicarii Bornenſis, opus, quo ea, quæ Pii II. Papæ temporibus acciderunt, conſcripſit, quod fortaſſis à nonnullis (rectè an ſecus, non diſputo) ipſi Pio II. tributum fuit. Nam & *Ludovicus Jacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia lib. 1. pag. 189.* inter Pii II. ſcripta refert *de rebus à ſe geſtis, à Joanne Gobelino editis, lib. 1.* In eo tamen erravit quoque *Rainandus*, quod illum *Johannem Gobelinum* appellet *Perſonam*, quod nomen Decano Bilveldenſi, Coſmodromii autori, ſolum competit. Verum hæc hactenus. Annum mortis *Gobelini* ignorare ſe notat Avus meus, nec ego illum novi. Locum tamen ſepulturæ ejus docuit me *Monachus Nuſſienſis*, *Autor Chronici magni Belgici*, *pag.* 361. Edit. Piſtorii. Cum enim de Martini V. in Papam Romanum electione verba *Gobelini*, quæ in fine Coſmodromii habentur, adduxiſſet, hæc ſubjicit: *Hucusque Chronica Gobelini, Decani in Bilenvelde, in Bœdeken ſepulti, in monaſterio Canonicorum Regularium Wyndeſemenſium, quæ Coſmodromium, id eſt, mundi curſum inſcripſit.*

PRIMA

PRIMA ÆTAS MVNDI.

FINIBUS ſeculorum, qui in nos venerunt, emenſis attentiùs, ſignisque in ſole & luna ac ſtellis, quas Dominus luminaria in firmamento fecit eccleſiæ, crebreſcentibus, dum poſt longum religionis ambitionisque ſecularis agonem, auro caritatis, argento puritatis, fortitudinis ære & ferro diſciplinæ redactis in favillam, vidi quòd juris decreti gloria, imò ipſum jus naturale, mirante ſyntheriſi, extra limites æquitatis exſulabat, & lapis offenſionis, ac petra ſcandali, duabus domibus Iſraël, qui percuſſerat ſtatuam, implevit univerſam terram, viſiones capitis mei conturbaverunt me. Verùm, quia plerumque ſic turbatæ mentis anxietas, præcedentium rebus geſtis ætatum, una cum ſe moventibus, diſcretionis in lancibus appenſis, aut ſuæ turbationis cauſam juſtificatam ſentit, aut conſolatione, licet tenui, mitigatur: mens mea propterea, quæ modernis novit occurriſſe temporibus, in priorum diſcurſus ſeculorum ſuæ qualiscunque ſtabilitatis laxavit habenas. Dum verò ſingularum mundi ætatum tempora avida curioſitate rimari nititur, rapido curſu temporum tantùm fertur in præceps, quòd nullo rerum geſtarum quietatur occurſu: donec in ea, quæ ante omnia tempora, ſeu in initio temporum facta ſunt, ſcriptura ſancta dictante, caligantibus licet oculis, defigit aſpectum. Perinde ætatibus igitur, ſic ſeculis jam decurſis, invenio mundi curſum in ſex ætatum ſpacia per majorum ſcripta diſtingui. Hinc eſt, quòd ea, quæ in diverſis libris ſparſim contenta perſpexi, unà cum his, quæ modernis temporibus acciderunt, voluminis unius contextu comprehendere cupiens, præſentem librum, quem COSMODROMIUM, id eſt, mundi curſum, de ſex ætatum mundi decurſu, confeci. Cùm igitur librorum, rerum geſtarum ſeries complectentium, tanta in nominibus hominum & locorum, ac ipſis numeris annorum invenitur diverſitas, quòd de eis Doctores antiqui ſe ad plenum expedire non poſſint, nemo, qui præſentis libri ſcripta perlegerit, fruſtra miretur, ſi ea, quæ hic legerit, aliis, quæ ante perſpexit, non omnino concordant. Nam, ut dicit Iſidorus lib. XV. Etymolog. (*cap. 1.*) Nec hiſtoricos, nec commentatores varia dicentes, imperitè condemnare debemus: quia antiquitas ipſa creavit errorem. Legant igitur præſentem librum, quibus placet, ut attento unà mecum illo Davidico (*Pſal. 143:*) Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt, declinando vitia, virtutes ſectando, ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei.

CAPUT PRIMUM.

PRima igitur ætas mundi, incipiens ab Adam, primo homine, per duo millia annorum, & annos CCXLII. protenſa deſcribitur. Sed quia omnium generatio rerum, (*Verba Boethii de conſolat. Philoſ. proſa 6. lib. 4.*) cunctusque mutabilium naturarum progreſſus, & quicquid aliquo movetur modo, cauſſas, ordinem, formas ex ipſius Dei creatoris omnium ſtabilitate ſortitur, ab eadem tanquam primo principio dignè me ſumere dicendorum reor exordium. Deum quippe (*lib. 5. proſa 6.*) eſſe & æternum & omnium ratione degentium commune judicium eſt. Quid autem Deus ſit, diverſorum diverſa fuit opinio. Cicero enim volens definire Deum dixit: (*1. Tuſculanar. quæſt.*) Deus mens quædam eſt ſoluta & libera, ſecreta ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno. Item Plotinus Platonicus Deum ſummum omnium creatorem, quem nos dicimus verum Deum, ſic à Platone prædicari aſſeverat, (*Verba Auguſtini lib. 9. de C. D. cap. 16.*) quod ipſe ſit ſolus, qui non poſſit penuria ſermonis humani, & quavis oratione vel modicè comprehendi, vix autem ſapientibus viris, cum ſe vigore animi, quantùm licuit, à corpore removerunt, intellectum hujus Dei, id quoque interdum velut in altiſſimis tenebris rapidiſſimo coruſcamine lumen candidum intermicare. Multi ſiquidem Philoſophorum unum eſſe Deum, qui cuncta creavit, ſcribunt. Alii quidam etiam hoc addi-

Digitized by Google

addiderunt, quod Deus cuncta per verbum ſuum & fecerit, & regat, & verbum Dei ſit, quo cuncta moderentur. In hoc non ſolum legi, ſicut primi, ſed & Evangeliis conſona ſcribunt. Unde beatus Auguſtinus lib. VIII. de civitate Dei (*cap. 9.*) dicit: Quicunque Philoſophorum de Deo ſummo & vero iſta ſenſerunt, quòd & rerum creatarum ſit effector & lumen cognoſcendarum & bonum agendarum: quòd ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ & felicitas vitæ, ſive Platonici, Ionici, Pythagoræi, Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Perſæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hiſpani aliique reperiuntur, qui hoc viderint, ac docuerint, eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. Hinc eſt quod dicitur tertii de conſolatione Philoſophiæ proſa tertia: Vos quoque ô terrena animalia, tenui licet imagine, veſtrum tamen principium ſomniatis. Finaliter verò Auguſt. de Deo ſic dicit: Quo intellectu homo Deum capit, qui ipſum intellectum ſuum, quo eum vult capere, nondum capit? Intelligimus Deum ſi poſſumus, & in quantum poſſumus, ſine qualitate bonum: ſine quantitate magnum: ſine indigentia creatorem: ſine ſitu præſentem: ſine habitu omnia continentem: ſine loco ubique totum: ſine tempore ſempiternum: ſine ſui commutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Hic Deus creator omnium, decem nominibus appellatur apud Hebræos. Primum nomen eſt Heli, quod alii Deum, alii etymologiam ejus exprimentes ἰσχυρὸς, id eſt, fortem interpretati ſunt: ideo quia nulla infirmitate opprimitur, ſed fortis eſt & ſufficiens ad omnia perpetranda. Secundum nomen eſt Eloi: Tertium Eloë, quod utrumque in latinum dicitur Deus. Quartum nomen dicitur Sabaoth, quod vertitur in latinum Deus exercituum ſive virtutum. Quintum eſt Elion, quod in latinum interpretatur excelſus, quia ſupra cœlos eſt. Sextum nomen eſt Eieie, id eſt, qui eſt: Deus enim ſolus æternus eſt, hoc eſt, quia exordium non habet, & eſſentiæ nomen verè tenet. Hoc enim nomen ad ſanctum Moyſen per angelum eſt delatum. Quærenti enim, quod eſſet nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum ex Ægypto liberandum, reſpondit: Ego ſum qui ſum, & dices filiis Iſraël, qui eſt, mittit me ad vos, tanquam in ejus comparatione, qui verè eſt: quia incommutabilis eſt, eaque commutabilia facta ſunt, quaſi non ſint. Quod enim dicitur fuit, non eſt: & quod dicitur erit, nondum eſt. Deus autem eſſe tantum novit; fuiſſe, & futurum eſſe non novit. Solus enim pater cum filio & Spiritu ſancto veraciter eſt: cujus eſſentiæ comparatum eſſe noſtrum non eſſe eſt. Septimum nomen eſt Adonai, quod interpretatur generaliter Dominus. Octavum nomen eſt Ia, quod ponitur in fine Alleluja, quod propriè in Deo ponitur, quia inviſibilis eſt. Nonum nomen eſt Sadai, id eſt, omnipotens. Dicitur autem omnipotens, quod omnia poteſt. Dicitur enim omnipotens faciendo, quod vult: non patiendo, quod non vult: quod ſi ei accideret, non eſſet omnipotens. Unde propterea quædam non poteſt, quia eſt omnipotens: nam qui hoc poteſt, quod ei non expedit, & quod non decet poteſt, qui quanto magis poteſt, tanto magis adverſitas & perverſitas poſſunt in illum, & ipſe minus contra illas. Qui ergo ſic poteſt, non potentia facit, ſed impotentia: non enim dicitur ideo poſſe, quia ipſe poſſit, ſed quia ſua impotentia facit aliud in ſe poſſe. Decimum nomen eſt Tetragrammaton, hoc eſt, quatuor literarum, & dicitur ineffabile, non quod dici non poſſit, ſed quia finiri ſenſu & intellectu humano nullatenus poteſt, & ideo, quia de Deo nihil dignè dici poteſt, ineffabilis eſt. De hoc nomine dicit Origenes homil. XIIX. in lib. Numerorum: Nomen Dei vero certo quodam literarum ſigno ſcribitur apud Hebræos, & hoc tetragrammaton dicitur, & aliter ſcribitur Deus apud eos indifferenter ſignificans Deum quemcunque &c.

CAPUT II.

DEUM omnipotentem creatorem creaturarum omnium in principio creationis ſex diebus operatum fuiſſe, & ſeptima die quieviſſe, ſcriptura ſancta commemorat. Prima quidem die, ut doctores Chriſtiani teſtantur, Deus in lucis nomine condidit Angelos. Secunda die in firmamenti appellatione cœlos. Tertia die in diſcretionis vocabulo ſuperficiem aquarum & terræ: Quarta die condidit luminaria cœli: Quinta die condidit animantia ex aquis; Sexta die fecit animantia ex terra & hominem, quem appellavit Adam. Septima die quievit ab omni opere, quod patraverat. Cujuſmodi autem fuerint hi dies, aut perdifficile nobis, aut etiam impoſſibile eſt cogitare,

Digitized by Google

quanto magis dicere: prout refert beatus Auguſtinus, lib. XI. de C. D. (*Cap. 7.*) dicit enim: videmus quippe iſtos dies notos non habere veſperam, niſi de ſolis occaſu, nec mane, niſi de ſolis exortu. Illorum priores tres dies ſine ſole peracti ſunt, qui quarto die factus refertur. Et primitus quidem lux verbo Dei facta atque inter ipſam & tenebras Deus ſeparaſſe narratur & eandem lucem vocatam diem, tenebras autem noctem. Sed qualis illa ſit lux, & quo alternante motu, qualemque veſperam & mane fecerit, remotum eſt à ſenſibus noſtris: nec ita ut eſt, intelligi à nobis poteſt, quod tamen ſine ulla hæſitatione credendum eſt. Quod etiam Deus dicitur ſeptimo die quieviſſe ab omnibus operibus ſuis, nequaquam accipiendum eſt pueriliter, tanquam Deus laboraverit operando, qui dixit, & facta ſunt verbo intelligibili & ſempiterno, non ſonabili & temporali. Sed requies Dei requiem ſignificat eorum, qui requieſcunt in Deo, ſicut lætitia domus ſignificat lætitiam eorum, qui lætantur in domo. Ubi de mundi conſtitutione ſacræ literæ loquuntur, non evidenter dicitur utrum, vel quo ordine creati ſint angeli: ſed ſi prætermiſſi non ſunt, vel cœli nomine, ubi dictum eſt: In principio fecit Deus cœlum & terram, vel potius lucis hujus, de qua dictum eſt; Fiat lux, ſignificati ſunt. Nimirum ergo, ſi ad iſtorum dierum opera Dei pertinent angeli, ipſi ſunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cujus unitas ut commendaretur, vel commemoraretur, non eſt dictum dies primus ſed dies unus. Nec alius eſt dies ſecundus, aut tertius, aut cæteri, ſed idem ipſe unus ad implendum ſenarium vel ſeptenarium repetitus eſt, propter ſenariam vel ſeptenariam cognitionem: ſenariam ſcilicet operum, quæ fecit Deus, & ſeptenariam quietis Dei. Hæc autem propter ſenarii numeri perfectionem, eodem die ſexies repetito, ſex diebus perfecta narrantur: non quia Deo neceſſaria fuerit mora temporum, quaſi qui non potuerit omnia creare ſimul, quæ deinceps congruis motibus peragerent tempora: ſed quia per ſenarium numerum eſt operum ſignificata perfectio. Numerus quippe ſenarius primus completur ſuis partibus, id eſt ſexta ſui parte, & tertia & dimidia: quæ ſunt unum, & duo & tria: quæ in ſummam ducta, ſex fiunt. Partes autem in hac conſideratione numerorum illæ intelligendæ ſunt, quæ quotæ ſint, dici poteſt: ſicut dimidia, tertia, quarta: & deinceps ab aliquo numero denominatæ. In ſeptimo autem die, id eſt, eodem die ſepties repetito, qui numerus etiam ipſe alia ratione perfectus eſt, Dei requies commendatur, in qua primum ſanctificatio ſonat. Sunt autem quidam ſtultè dicentes: Quid fecit Dominus priuſquam fecit cœlum & terram? quibus reſpondet beatus Auguſtinus lib. confeſſion. XI. (*cap. 12.*) dicens: Ecce reſpondeo dicenti: quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram? Reſpondeo non illud, quod quidam jočulariter eludens quæſtionis violentiam: Alta, inquit, ſcrutantibus gehennas parabat: aliud eſt videre, aliud ridere: hæc non reſpondeo. Libentiùs enim reſponderim, neſcio quando neſcio: quàm illud unde irridetur, qui alta interrogavit, & laudatur, qui falſa reſpondit. Sed dico te Deus noſter omnis creaturæ creatorem. Et ſi cœli & terræ nomine omnis creatura intelligitur: audenter dico, antequam Deus faceret cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid niſi creaturam faciebat? & utinam ſic ſciam, quicquid utiliter ſcire cupio, quemadmodum ſcio, quod nulla fiebat creatura, antequam fieret ulla creatura. At ſi cujuſquam volatilis ſenſus vagatur per imagines retrò temporum, & te Deum omnipotentem & omnicreantem cœli & terræ artificem, ab opere tanto, antequam id faceres, per innumerabilia ſecula ceſſaſſe miratur: evigilet atque attendat, quia falſa miratur. Et infra ſubdit, nec patior quæſtiones hominum, qui pœnali morbo plus ſitiunt, quam capiunt & dicunt: quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram? aut quid venit ei in mentem, ut aliquid faceret, cùm antea nunquam aliquid fecerit? Da illis Domine, bene cogitare quid dicant & invenire, quia non dicitur nunquam, ubi non eſt tempus. Qui ergo dicitur nunquam feciſſe, quid aliud dicitur, niſi nullo tempore feciſſe? Videant itaque nullum tempus eſſe poſſe ſine creatura tua & deſinant iſtam vanitatem loqui. Sicut ergo noſti in principio cœlum & terram ſine varietate notitiæ tuæ, ita feciſti in principio cœlum & terram ſine diſtinctione actionis tuæ, qui intelligit confiteatur tibi: & qui non intelligit confiteatur tibi. (*Pſalm. 145.*) O quàm excelſus es, & humiles corde ſunt domus tua. Tu enim erigis eliſos, & non cadunt quorum celſitudo tu es.

CAPUT III.

SEd quia in præſenti libro, non ſolum tempora, verum etiam loca in quibus hominum facta ſunt geſta, narrantur, pleraque recitabo, priuſquam ad alia progrediar, ut legentibus ex hoc plenior eorum cognitio proveniat, partes famoſiores mundi, tam maris, quàm terræ ſuccinctè recitabo. Aqua igitur, quæ terram circuit, quia in modum circuli ipſam terram ambit, Oceanus, ſive mare Oceanum nuncupatur, & à proximis regionibus ſibi diverſa ſortitur vocabula. Mare verò magnum, ſive mediterraneum, eſt mare, quod ab occidente ab oceano influit terræ aridæ, & per medium terræ diffuſum partes mundi, videlicet, Europam, Africam, & Aſiam ab invicem determinat. Unde ubi primum ab Oceano limes magni maris aperitur, in occidente dicitur fretum Gaditanum, à Gadibus, videlicet columnis Herculis, quas ipſe ibidem poſuit: vel à nomine inſulæ, quæ Gadis dicitur, de qua infra. Deinde ubi primum ipſum mare Hiſpaniis infunditur, ſinus ille dicitur Ibericus, deinde Balearicus, poſtea ſinus Gallicus, qui Narbonenſem provinciam alluit. Unde ſinus maris dicitur magnus receſſus maris intra ipſam terram, & vocatur ſinus, quia naves in eo tutæ à procellis quieſcunt. Poſt Gallicum ſinum ſequitur Liguſticus à Liguria provincia Italiæ dictus, qui juxta civitatem Januam exiſtit. Deinde ſequitur mare Tyrrhenum, ſive ſinus Tyrrhenus, qui cæteras partes Italiæ verſus Auſtrum tangit, quem Græci Jonium appellant, & dicitur mare Tyrrhenum, à Tyrrhenis nautis, qui ſe in eum præcipitaſſe dicuntur: ſed dicitur mare Jonium, à quodam rege Athenienſium, qui dictus fuit Io: à quo Athenienſes & Iones dicti ſunt ab Ion, quod eſt vir fortis. Alii dicunt, quòd Io fuit filia Inachi, quæ in ſpecie vaccæ illud mare ſecundum fabulas tranſiit & inde mare Ionium dictum ſit: Et eſt propriè mare, quod eſt inter Græciam & Siciliam, & ſic pars ejus eſt ſinus Adriaticus, ſive mare Adriaticum, ab Adria civitate dictum: vel, ut alii volunt, ab ἀδρη vel ἀδρὸς quod eſt petra: quia ille ſinus cæteris ſinibus magis petroſus eſt. Unde Ovidius faciens mentionem tranſitus ſui per mare, quando ductus fuit in exilium lib. 1. Triſtium *(Eleg. 3.)* ſic dicit:

Nos tamen Ionium non noſtra findimus æquor
Sponte, ſed audaces cogimur eſſe metu.

Mare Siculum eſt, quod Siciliam inſulam alluit. Deinde Creticus ſinus, qui in Pamphiliam & Ægyptum pertendit. Deinde Helleſpontus, qui in ſeptentrionem retorquens anfractibus magnis juxta Græciam & Illyricum in anguſtias ſeptem ſtadiorum ſtringitur: quo Xerxes ponte navibus facto in Græciam commeavit: & quia in eo mari Helles quædam fœmina ſubmerſa eſt, ſinus ille Helleſpontus appellatur. Notandum eſt etiam, quòd, ut dicit Iſidorus lib. XIV. Etymolog. *(cap. 4.)* Illyricus generaliter omni de Græcia dicitur. Poſt Helleſpontum ſequitur ſinus, qui dicitur Boſporus. Deinde Ponticus ſinus ampliſſimus à tergo Mæotis paludibus adjacens. Mare Caſpium eſt ſinus maris Oceani in ſeptentrione: Similiter ſinus Perſicus & ſinus Arabicus ſunt receſſus maris Oceani in meridie, & dicitur mare Rubrum, non quòd aqua ſit rubea, ſed terra. Et ſic etiam mare Oceanum à proximis regionibus diverſa ſortitur vocabula, ut mare Gallicum, Germanicum, Britannicum &c.

CAPUT IV.

TErra trifariè diviſa eſt: *(Iſidorus Etym. lib. 14. cap. 2. & 3.)* Una pars ejus dicitur Aſia, quæ dimidiam partem Orbis continet, & incipiens ab Oriente, Meridie & ſeptentrione complexis, verſus occidentem mari magno finitur, & dicitur Aſia, à nomine cujusdam mulieris, quæ olim in partibus Orientis imperium tenuit, & continet in ſe provincias & regiones infra ſcriptas. Paradiſus eſt locus in orientis partibus conſtitutus: cujus vocabulum ex Græco in Latinum vertitur Hortus. Porrò Hebraicè Eden dicitur, quod in Latinum delitiæ interpretatur, & utrumque eorum junctum facit hortum delitiarum. Eſt enim omni genere ligni & pomiferarum arborum conſitus, habens etiam lignum vitæ. Non eſt ibi frigus, non æſtus: Sed perpetua aëris temperies: E cujus medio fons prorumpens totum nemus irrigat: & in quatuor flumina dividitur, & poſt peccatum hominis aditus illius loci intercluſus & muro igneo, cujus penè cum cœlo incendium, cinctus eſt. Prima Provincia poſt Paradiſum eſt India, ab Indo flumine dicta, quo ab Occidente clauditur: à meridie mari Oceano, à ſeptentrione Caucaſo monte terminatur. Parthia ab Oriente incipit à flumine Indo, à me-

à meridie habet mare Rubrum: à ſeptentrione Hircanum fluvium: ab Occidente Salũ fluvium. Aſſyria ab occidente incipit ab India: à meridie Mediam regionem tangit: ab occidente Tigrim fluvium: à ſeptentrione Caucaſum montem, ubi portæ Caſpiæ ſunt, à quibus mare Caſpium dictum eſt. Et dicitur Aſſyria ab Aſſur filio Sem, qui eam regionem poſt diluvium primus incoluit: Sed Parthia dicta eſt à Parthis, qui profecti ſunt à Scythia, & regionem illam occupaverunt. & lingua Scythica Parthi interpretatur fugaces: quia ſuos fugiendo progenitores terras alienas coluerunt. Media à rege Medo dicta eſt, & ab occaſu Parthia: à ſeptentrione Armenia: ab ortu Caſpiis & à meridie Perſide clauditur, & penultima ſyllaba hujus nominis Media eſt producta, unde Ovidius:

Nunc ego Medeæ vellem frenare Dracones.

Perſia ſive Perſis, aut Perſida, à Perſo rege dicta, habet ab oriente Indos; ab occaſu mare Rubrum: ab Aquilone Mediam: ab Auſtro mare Oceanum. Meſopotamia eſt regio inter duo flumina ſita, quæ ſunt Tigris, quod habet ab oriente, & Euphrates, quod habet ab occidente, & à ſeptentrione inter montem Caucaſum & Taurum, quos à meridie ſequitur Babylonia, deinde Chaldæa, noviſſimè Arabia. Notandum quòd Caucaſus mons, de quo dictum eſt, ſicut ſcribit Jordanus Epiſcopus in Chronica ſua, ſurgit ab Indico mari, & quà meridiem reſpicit, Sole invaporatus ardeſcit flamma. Quà à ſeptentrione patet, rigentibus ventis eſt obnoxius & pruinis. Mox in Syriam curvato angulo reflexus, licet amnium plures emittat, in Aſianam tamen regionem Eufratem Tigrimque navigeros ad opinionem maximam perennium fontium copioſis fundit uberibus. Tunc in ſeptentrionem revertens, Scyticas terras jugum ante fatum magnis flexibus pervagatur, atque ibidem opinatiſſima flumina in Caſpium mare profundens, continuato jugo ad Riphæos uſque montes extenditur: qui Riphæi dicuntur, ab impetu ventorum, quemadmodum ῥιφὴ interpretatur impetus. Indeque Caucaſus mons, Scythicis gentibus dorſo ſuo terminum præbens, ad Pontum uſq; deſcendit, conſertisque collibus Iſtri fluenta contingit, quo amne ſciſſus dehiſcens in Scythia quoque Taurus vocatur. Sciendum etiam eſt, quod licet Tigris & Eufrates effluunt de Paradiſo, tamen dictum eſt, eos oriri ſub Caucaſo monte; quia poſtquam egreſſi ſunt de Paradiſo, per quaſdam regiones tranſeuntes, à terra abſorbentur, & poſtea ſub Caucaſo monte iterum oriuntur: Similiter & alia duo flumina Paradiſi videlicet Nilus, qui alio nomine dicitur Gihon, à terra abſorptus, non longè ſurgit ab Atlante monte, & Ganges, qui & Phiſon dicitur, in locis Caucaſi montis ſurgere dicitur. Babylon urbs erat tam nobilis, ut Chaldæa, Aſſyria & Meſopotamia in ejus nomen aliquando tranſierint, ſed modò deſolata dicitur. Arabia à thure dicta eſt, quod aris imponebatur: ut vocatur etiam Saba à filio Chus, & habet ab oriente ſinum Perſicum: ab occidente ſinum Arabicum & à ſeptentrione Chaldæam. Syria à quodam Syro dicta, ab oriente Euphrate flumine: ab occidente mari magno & Ægypto terminatur, tangens à ſeptentrione Armeniam & Cappadociam: à meridie ſinum Arabicum. Phœnicia à Phœnice fratre Cadmi dicta, in qua Tyrus civitas quondam à Phœnicibus condita, habet ab oriente Arabiam: à meridie mare rubrum. Palæſtina provincia Philiſtinam urbem quondam habuit, quæ poſtea eſt dicta Aſcalon, ex qua regio Palæſtina dicta erat: & habet ab oriente mare rubrum: à meridie Judæam, à ſeptentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur: ab occaſu Ægyptio limite terminatur. Judæa regio Palæſtinæ, à Juda filio Jacob dicta eſt: eò quòd reges de tribu terram illam tenuerunt: in qua civitas Jeruſalem umbilicus terræ habitabilis & longitudo ejus à vico Arſa ad vicum Juliadem: latitudo ejus à monte Libano uſque ad Tiberiadis lacum extenditur. Samaria provincia dicta à Samaria civitate, jacet media inter Judæam & Galilæam. Galilæa provincia Palæſtinæ eſt. Pentapolis eſt regio in confinibus Arabiæ & Palæſtinæ, ſic dicta à quinque civitatibus, quæ igne cœleſti perierunt: inter quas Sodoma & Gomorra fuerunt. Nabathæa à Nabath filio Iſmaël dicta pars eſt Arabiæ. Ægyptus quæ prius Ærea dicebatur, ab Ægypto Danai fratre poſtea ibi regnante, nomen accepit. Hæc ab oriente Syriæ & mari Rubro conjuncta eſt: ab occaſu Libyam habet: à ſeptentrione mare magnum: à meridie verò introrſus recedit protendens uſque ad Æthiopes, & eſt regio cœli imbribus inſueta, & pluviarum ignara. Bactria regio à Bactro fluvio orientis dicta eſt. Scythia ab oriente Indiam habet: à ſeptentrione Mæotides paludes: ab occidente mare Caſpium: à meridie jugum

 Cau-

Caucaſi montis. Hircania regio dicta eſt à ſylva, quæ Scythiæ ſubjacet, habens ab oriente mare Caſpium : à meridie Armeniam : à ſeptentrione Albaniam : ab occaſu Iberiam. Albania à colore populi nuncupata eſt, eò quod albo crine naſcantur. Hæc ab oriente ſub mare Caſpium ſurgens per oras ſeptentrionalis Oceani, usque ad Mæotides paludes per deſerta & inculta extenditur. Armenia, ab Armeno Jaſonis Theſſali comite dicta, ſita eſt inter Taurum & Caucaſum, & à Cappadocia usque ad mare Caſpium protenſa eſt. Iberia regio eſt Aſiæ prope Pontum Armeniæ conjuncta. Cappadocia ab ipſa urbe ſua nominata, in capite Syriæ ſita, ab oriente Armeniam tangit: ab occaſu Aſiam minorem : ab Aquilone mare Cimmerium & Hemiſcirios campos, quos habuerunt Amazones: à meridie verò Taurum montem habet, cui ſubjacet. Cilicia & Iſauria usque ad Cilicum ſinum extenduntur, qui ſinus ſpectat contra inſulam Cyprum. Aſia minor ab occidente Cappadocia cingitur: ab aliis partibus mari circumdatur. Nam à ſeptentrione Pontum Euxinum habet : ab occaſu Propontidem : à meridie Ægyptium mare, & habet provincias Bithyniam, Phrygiam, Galatiam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam, Iſauriam, Lyciam atque Ciliciam. Bithynia priùs erat dicta Beritia, deinde Migdonia : poſtea à Bithynio rege Bithynia. Ipſa etiam dicitur major Phrygia : in ea eſt Nicomedia urbs, in qua Hannibal ſumto veneno periit. Galatia dicta eſt à Gallis, qui in auxilium regis Bithyniæ evocati, peracta victoria, regnum cum eo diviſerunt, & modò dicuntur Galatæ, & priùs dicebantur Gallogræci : Sed priusquam illo venerant dicebantur Galli Senones, prout intra dicetur. Phrygia nuncupata eſt à Phrygia Europis filia. Hic Europs ſecundus rex Sicyoniorum licet primus in titulo annum XXII. agebat in regno Sicyonum, quod poſtea dictum eſt Achaia, eo tempore, quo natus eſt Abraham. Hæc provincia etiam dicta eſt Dardania, à Dardano Jovis filio. Hic profectus de Corintho civitate primus venit in Phrygiam. Eſt autem regio Trojadis ſuperjecta habens Galatiam à meridie : Lycaoniam ab oriente : ab occidente Helleſponto mari terminatur, cujus regio Troja eſt, quam ex ſuo nomine appellavit Tros Trojanorum rex. Duæ ſunt autem Phrygiæ : Major, quæ habet Smyrnam : Et Minor, quæ habet Ilium & Lycaoniam. Cariam Hermus fluvius diſcernit à Phrygia. Lydia à Lydo rege nominatur : cujus frater Tyrrhenus nomine cum ingenti multitudine inde exiit, & quædam loca Galliæ occupavit, & inde mare Tyrrhenum à Tyrrhenis nautis dictum eſt, ut ſupra dictum eſt. Hæc Lydia conjungitur ab occidente minori Phrygiæ : ab ortu Smyrnam urbem habet. Iſauria ex ſitu loci cognominata perhibetur eò quod undique aperta aurarum flatibus pateat. Cicilia à quodam Cilice rege, fratre videlicet Cadmi, dicta perhibetur : quæ habet ab occaſu Lyciam : à meridie mare Perſicum : & à tergo montis Tauri juga. Lycia nuncupata eò quod ab oriente Ciliciæ juncta ſit. Nam habet ab ortu Ciliciam : ab occaſu & meridie mare : à Septentrione Cariam.

CAPUT V.

Europa ſecunda pars orbis, dicitur ab Europa filia Agenoris, quam Jupiter ab Africa raptam Cretam advexit. (*Iſidorus lib. 14. cap. 4.*) Europa itaque incipit à flumine Tanai, deſcendens ad occaſum per Septentrionalem Oceanum, uſque ad fines Hiſpaniæ : cujus pars occidentalis & meridionalis, à Ponto conſurgens tota mari magno conjungitur, & in inſula Gadibus finitur. Prima Europæ regio eſt Scythia inferior, quæ à Mæotidis paludibus incipiens inter Danubium & Oceanum Septentrionalem uſque ad Germaniam porrigitur. Hujus prima pars Alania eſt, quæ ad Mæotides paludes uſque pertingit. Poſt hanc Dacia, quæ à Teutonicis Rucia dicitur, & ibi eſt Gothia. Germania à germinando populos dicta poſt Scythiam inferiorem à Danubio inter Rhenum fluvium Oceanumque concluſa eſt. Germania multas habet provincias, de quibus Scriptores antiqui, qui circa deſcriptiones terrarum magnam fecerunt diligentiam, nihil omnino ſcripſerunt: quia temporibus eorum forte Latinis, ſeu etiam Græcis incognitæ fuerunt : & non eſt facilè invenire cauſſas, ſeu origines nominum earum, vel etiam urbium contentarum in iiſdem, cum priuſquam Germania fidem Chriſti ſuſcepit, non fuerunt aliqui, ut videtur, qui in partibus illis ſtudium literis adhibuerunt. Subjiciam tamen quaſdam provincias, prout nunc in uſu ſunt, ſecundum nomina earum à parte Orientali incipiendo, ut ſunt Livonia, Pruſſia, Saxonia, cujus pars eſt Wephalia, quæ eſt inter Weſeram & Rhenum

num

num fluvios. Item Holſatia eſt pars Saxoniæ circa littus maris Oceani. Similiter & Phriſia, ſeu Phriſonia, quæ tangit Holſatiam ab occidente, & Weſtphaliam habet à meridie, & mare Oceanum à Septentrione. Saxones dicti ſunt à loco, qui dicitur Saxum Marpeſiæ, unde ad Germaniam progreſſi ſunt, prout dicetur infra. Et habet Saxonia à meridie Miſniam, Thuringiam & Haſſiam, quæ olim de partibus Franconiæ, ſive Franciæ orientalis fuerunt: quæ quidem Franconia eis adjacet à meridie. Et poſtquam Saxonia fidem Chriſti ſuſcepit, ipſa verſus Orientem ultra Albiam fluvium, qui ipſam nunc interſecat, dilatata eſt: Quia regio illa ultra Albiam Sclavis, ſeu Wandalis, inhabitabatur, quorum plurimi adhuc in rure citra Albiam reperiuntur. Item Weſtphalia pars Saxoniæ à Weſtphalis inhabitatoribus ipſius dicta. Unde Weſtphali interpretantur occidentales nutantes ſeu dubitantes. Cùm enim Karolus M. rex Francorum Saxones ſubegit fidei Chriſtianæ gladio, Chriſti fidem ſuſceptam ſæpe dimiſerunt: & quia iſti Weſtphali verſus occidentalem partem Saxoniæ ſiti ſunt, & occidens eorum lingua Weſt dicitur, cumque ipſi primùm inter cæteros Saxones fidem Chriſtianam receperint, poſtea maluerunt Weſtphali, quàm Saxones appellari: maximè ad hoc auxilium præſtante privilegio, quod Karolus conceſſit eiſdem: quoniam intra patriam eorum duntaxat certa loca privilegiavit pro fidei defenſione, in quibus certo modo judicium celebratur, quod ipſi Frigeding appellant: nec cuiquam licet extra loca, ad hoc decreta, hujuſmodi judicium exercere, quantacunque ille præeminentia exiſtat: & hæc provincia uſque ad Rhenum extenditur. Ubi notandum, quod Rhenus, unus inter tres maximos fluvios Germaniæ, ſurgit inter Alpes in pede montis, qui vulgo Sethiner dicitur in diœceſi Curienſi, & , ut conjicio, à lacu Lemanno, qui ab alia parte dicti montis exiſtit, per cataractas aquam trahit, & fluit per ſtadia quaſi quinque millia trecenta triginta magnis auctus fluminibus, & tandem per tria oſtia mari Oceano influit. Fluit n. ab origine fontis ſui unico defluxu, & eodem nomine, quaſi per ſtadia quatuor millia ſeptingenta ſeptuaginta, & tunc in loco, qui dicitur Lobet, in duos defluxus dividitur: quorum unus verſus occidentem declinans vulgo Wael dicitur, ſupra quod Nimegen opidum ſitum eſt: ſimiliter & Tile opidum, ubi quondam XI. millia virginum de Oceano navigando recepta ſunt: & cùm ad locum, qui Woretheim dicitur, pervenit, flumini quod Maſe nominatur, commiſcetur, & ſic totum flumen deinceps Marowe appellatur, donec juxta Dordrecht mari Oceano influit. Alia verò pars Rheni, quæ magis ad Septentrionem declinat, nomen priſtinum retinet: & cum à loco ſupra dicto Lobet quaſi per ſtadia LX. defluit, iterum in duo flumina ſe dividit juxta locum qui dicitur Iſſelorde/ quorum fluminum unum, verſus Aquilonem magis ſe dirigens, Iſſele appellatur, & juxta opidum Campen in Oceanum mare decurrit. Aliud flumen Rheni nomen retinet: donec ad locum Eulenbergen nominatum pervenit, ibique nomen mutat, & deinde Lecke nuncupatur, donec juxta opidum Dordrecht ſupradictum Oceano miſcetur. Item rurſus ab Oriente incipiendo verſus meridiem provinciæ Germaniæ ſunt: Cracovia, Polonia, Bohemia, Sclavonia, quæ provinciæ omnes utuntur lingua Gothica, vel Sclavonica. Deinde à meridie Moraviæ eſt Auſtria, quæ à meridie habet Styriam, cui ultra conjungitur Carinthia, uſque ad Italiam protenſa. Auſtria ab occidente habet Bajoariam, ſeu Bavariam, cui ſuccedit ab occidente Suevia, in qua oritur Danubius, in villa quæ dicitur Dinoweſchingen: & veriſimile eſt, quòd à lacu Conſtantienſi per quem Rhenus fluvius tranſit, fons Danubii aquam trahit. De hoc fluvio ſic ſcribit Jordanes epiſcopus in Chronica ſua (*De rebus Geticis.*) Danubius in Alemannicis arvis exoriens, LX. habet à fonte ſuo flumina uſque ad oſtia in Pontum vergentia, per MCC. paſſuum millia hinc inde ſuſcipiens flumina in modum ſpinæ, quæ coſtas ut cratem intexunt. Omnino ampliſſimus eſt, qui lingua Beſſorum Iſter vocatur, ducentis tantùm pedibus in altum aquam alveo habet profundam. Hic etenim amnis inter cætera flumina immanis omnes ſuperat præter Nilum. Item ab Auſtria verſus Orientem per defluxum Danubii deſcendendo ſunt provinciæ Mœſia, Pannonia, & videtur quod iſtæ provinciæ modò dicuntur Hungaria: quia, ut dicit Iſidorus, habent ab Euro Thraciam: à meridie Macedoniam, & ab occaſu Styriam, & poſt tempora Iſidori Hungari occupaverunt Pannoniam, expulſis inde Hunis, ſeu Avaribus: quæ quidem Hungaria provinciis ſupradictis terminatur.

Digitized by Google

minatur. Thracia à Tyras filio Japhet dicta eſt: huic ab oriente Propontis & urbs Conſtantinopolis oppoſita eſt: à meridie Ægeo mari adhæret: quod mare dicitur Ægeum, à promontorio, quod in mare prominet, & formam capræ repræſentat, quæ Græca lingua αἶγος dicitur: & habet ab occaſu Macedoniam. Hæc provincia ſeu pars ejus, nunc dicitur Bulgaria. Græcia à Græco rege vocata eſt, qui cunctam eam regionem tenuit. Sunt autem provinciæ Græciæ ſeptem: quarum prima ab occidente Dalmatia eſt, quæ ab oriente adhæret Macedoniæ; à Septentrione Mœſiæ: ab occaſu Iſtria terminatur: à meridie Adriatico ſinu clauditur. Advertendum eſt, quòd provincia, quæ circa littus Adriatici maris inter Italiam & Hungariam protenditur, Sclavonia dicitur: ſed poteſt inter partes Hungariæ computari. Secunda provincia eſt Epirus, à Pyrrho Achillis filio dicta: cujus pars Chaonia dicta eſt, quæ antea Moloſſia fuit nominata, à Moloſſo filio Pyrrhi, quem de Andromacha habuit: ſed poſtquam occiſus eſt Pyrrhus Oreſtis inſidiis, Andromacham Helenus ſuſcepit tenuitque regnum privigni. Et hic Helenus fratrem ſuum Chaonem in venatu per ignorantiam occidit: unde ad ſolatium fratris extincti hanc provinciam Chaoniam nominavit. Tertia provincia eſt Hellas, dicta à rege Hellene, à quo & Græci primò Hellines nuncupati ſunt. Ipſa eſt Attica terra, ab Acte primo dicta. Nam Grajus quidam Græciæ indigena fuit, ex cujus filia Attis nomine Attica terra nominata fuit. Hæc inter Macedoniam & Achaiam media jacet, Arcadiæ à Septentrionali parte conjuncta: in ea eſt urbs Athenarum. Sunt autem Helladis duæ provinciæ Bœotia & Peloponeſus. Bœotia à bove dicta eſt: Nam Cadmus Agenoris filius ſororem ſuam quærens Europam, veniensq; ad Græciam Thebas civitatem conſtruxit in loco, in quo bovem requieviſſe conſpexit, & inde provinciam à bove Bœotiam nominavit. In hac provincia nati ſunt Apollo & Hercules major. Peloponeſus à Pelope rege vocata eſt. Quarta provincia eſt Theſſalia, à Theſſalo rege cognominata: quæ ad meridianam plagam Macedoniæ conjuncta eſt: cujus præcipua civitas eſt Theſſalonica, ubi fuit patria Achillis, & origo Lapitharum, de quibus dicitur, quòd ipſi primùm equos frenis perdomuerint & uſum domandorum equorum repererint, & dicti ſunt Lapithæ à Lapitha filia Apollinis. Sed uſum mulorum dicitur reperiſſe Naa nepos Eſau: qui, ut Judæi aſſeruerunt, equarum greges ab aſinis in deſerto primus fecit aſcendi. Item in Theſſalia provincia eſt mons Apollini quondam conſecratus, qui Parnaſſus dicitur. Quinta provincia eſt Macedonia, in exordio ab Emathio rege dicta: ſed Macedo Deucalionis maternus nepos, poſtquam accepit ibi principatum, mutavit vocabulum, & vocavit eam Macedoniam. Ab oriente habet Ægeum mare: à meridie Achajæ adjacet: ab occaſu Dalmatiæ: à Septentrione Mœſiæ. Hæc fuit patria Alexandri M. & in ea eſt mons Olympus, qui excellenti vertice tantus attollitur, ut in ejus cacumine, nec venti, nec nubes ſentiantur. Sexta provincia eſt Achaja, ab Achæo rege dicta. Hæc peninſula eſt: nam abſque Septentrionali parte, qua Macedoniæ jungitur, undique ſepta eſt mari. Hujus caput eſt urbs Corinthus. Arcadia ſinus Achajæ eſt. Ipſa eſt & Sicyonia à Sicyone rege, à quo & regnum Sicyonium dicebatur. Sunt etiam duæ inſulæ Græciæ in mari videlicet Creta & Cyclades, de quibus infra patebit. Septima provincia eſt Lacedæmonia, à Lacedæmone filio Semeles, qui in provincia condidit Mycenas urbem, ubi regnum tenuit Agamemnon. Pannonia provincia Europæ, dicta eſt ab Alpibus Appenninis, quibus ab Italia ſecernitur, & dicitur modo Hungaria. Hiſtria ab Iſtro flumine, id eſt, Danubio nominatur. Italia olim à Græcis populis occupata, magna Græcia fuit appellata. Deinde à regis Saturni nomine Saturnia, mox & Latium dicta, eò quòd idem Saturnus, à Jove ſedibus ſuis pulſus, ibi latuerit. Poſtremò ab Italo Siculorum rege, ibi regnante, Italia nuncupata eſt. Cujus ſitus longitudine amplius, quam latitudine à Circio in Eurum extenditur: à meridie Tyrrheno mari: ab Aquilone Adriatico mari clauditur: ab occiduo Alpium jugis finitur. Prima provincia Italiæ eſt Venetia pro nunc autem dicitur Forum Julii, cujus caput eſt Aquileja: nam Venetia non tantùm conſiſtit civitate, ſed in pluribus. Unde Liguria & Æmilia, licet ſint diſtinctæ provinciæ Italiæ, ut patebit infrà, tamen pars Venetiarum, ſeu Venetiæ aliquando nominantur, videlicet Diſt. XVII. §. Hunc etiam. De Origine Venetorum ſic ſcribit Titus Livius de conditione urbis libro 1. Poſt bella Trojana, facta ſeditione in regno Paphlagoniæ, Heneti quidam, gentes ejuſdem

regni,

regni, inde propulſi venerunt ad Trojam, & cum Antenore in magna multitudine mittentes ſe in mare, venerunt in vicinum ſinum Adriatici maris, & occupaverunt partes maritimas in parte Italiæ, & inde per inhabitatores partium earundem Veneti quaſi Venientes Heneti ſunt appellati: & inde provincia illa Venetia dicebatur: quæ poſtea Forum Julii, ex eo, quòd Julius Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat, nuncupata. Et inde fortè dicitur, quòd Antenor fuerit conditor Venetiarum: Non quòd condiderit Venetias, urbem videlicet Venetorum, ubi corpus S. Marci, ſeu ejus reliquiæ conſervantur: Quia illa anno Dominicæ nativitatis XII. incepta perhibetur: ſed quod in eadem provincia primam condidit civitatem, quæ Cerviſium à quibuſdam eſſe creditur. Secunda provincia Italiæ eſt Liguria: ſic dicta à leguminibus, quorum eſt ſatis ferax. In qua ſunt civitates Mediolanum, Ticinum, quæ & Papia dicitur, Verona & Papia: & hæc uſque ad Gallorum fines extenditur: nunc autem dicitur Longobardia, ſeu corrupto nomine Lombardia, à Longobardis, qui venientes ad Italiam ſedes ſibi in ea vendicabant. Inter Liguriam & Sueviam, quæ eſt pars Germaniæ, inter Alpes ſunt duæ provinciæ, videl. Rhætia prima & Rhætia ſecunda: in quibus, ut refert Paulus Diaconus in geſtis Longobardorum, (*Lib. 2. cap. 15.*) Græci habitare noſcuntur. Sed modò pro majori parte utuntur lingua Teutonica, ut expertus ſum: quia ego aliquando profectus ab Italia verſus Alemaniam in diœceſi Curienſi, audivi villanos ſibi mutuo loquentes, & ego non omnino intelligens verba, quamvis Italicam linguam pleniùs intellexi, quæſivi ab eis, qua lingua loquerentur? me expedire non poterant: nihilominus penè omnes linguam Teutonicam ſciebant ibidem habitantes. Ubi notandum eſt, quod Teutonici à proprio eorum idiomate, quod in ſuperiori Alemania Deudſch/ & ab inferiori Germania, ſecundum diverſitatem regionum, Dudeſch nominant, appellati ſunt. Iidem dicuntur Alemanni à lacu Lemanno, qui eſt in Suevia, in diœceſi Auguſtenſi: quia habitantes circa lacum illum inter utentes lingua Teutonica, Romanis irrumpentibus Alpes, primò forte cogniti ſunt: & ſic eos à lacu, circa quem habitabant, Alemannos Romani nominabant: & ſic deinceps cæteræ gentes lingua Teutonica utentes, propter identitatem idiomatis, ut Latinis videbatur, ab hiſtoriographis Alemanni vocati ſunt. Unde Lucanus (*Lib. 1. Pharſal.*) hujus lacus mentionem faciens dicit:

Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Et ſic patet, quòd Alemannia & Teutonia idem eſt, quæ licet multas in ſe habeat provincias, eodem tamen utitur idiomate: ſed Germania major eſt, continet enim gentes multarum linguarum. Quinta provincia Italiæ Alpes Cocciæ dicitur à Coccio, earum rege, quem ſcribit Paulus Diaconus (*l. 2. c. 16.*) temporibus Neronis fuiſſe, & in hac provincia civitas Januenſis eſt. Sexta provincia eſt Thuſcia, dicta à thure, quod gentes illius Diis ſuis offerre ſolebant, in qua eſt urbs Roma. Nunc autem provincia, in qua Roma ſita eſt, diſtincta à Thuſcia reputatur, & vocatur patrimonium Eccleſiæ, & continet Peruſium, Viterbium, Cornetum. Septima provincia eſt Campania, à Capua civitate, quæ in ea ſita eſt, nominata: ab urbe Roma incipiens uſque ad Siler Lucaniæ flumen protenditur: & ſic continet in ſe Neapolim & Salernum: ſed modò provincia continens Neapolim dicitur terra Laboris: & eſt diſtincta à Campania: & ut quidam aſſerunt, dicitur terra laboris propter ubertatem: quia ibi terra laboret fructus per ſe producendo, plus ibi quàm alibi. Octava provincia eſt Lucania, quæ nomen à quodam luco accepit: & à Silere fluvio inchoat cum Brictia, uſque ad fretum Siculum per oram maris Tyrrheni protenditur: in qua Rhegium poſitum eſt. Unde Salluſtius dicit: Rhegium Græca lingua dicitur, quaſi abruptum. (*Citantur hæc verba Salluſtii ab Iſidoro lib. 13. Etymol. cap. 18. & lib. 14. cap. 6.*) Nam dicit inſulam Siciliæ unam terram cum Italia fuiſſe, ſed per humilitatem terram inter Siciliam & Rhegium mari obrutam, aut per anguſtiam ſciſſam, & inde Rhegium ultimam civitatem Italiæ ῥήγνυμι quaſi abruptum nominatam. Unde Lucanus (*lib. 2.*) de eodem:

Longior Italia donec confinia Pontus
Solveret incumbens, terraſq; repelleret æquor:
At poſtquam gemino tellus eliſa profundo eſt,
Extremi colles Siculo ceſſere Peloro.

Iſtud fretum, quod fretum Siculum dicitur, & Italiam ac Siciliam dirimit, trium tantum milliarium Italicorum latitudinis eſt. Nona provincia eſt in Alpibus Ap-

pennis, quæ inde originem capiunt, ubi Alpes Cocciæ finiuntur, in qua Urbinum & mons Bellius ſunt Et Alpes illæ dictæ ſunt Appenninæ, à Pœnis hominibus, eò quod Hannibal dux exercitus eorum per illas tranſitum habuerit, dum verſus Romam tendebat, & eadem de cauſſa montes dirimentes Italiam à Gallia Alpes Appenninæ dici videntur. & idem nomen comprehendit montes dirimentes Italiam à Germania. Sic etiam Lucanus montes interſecantes Italiam ab Ancona verſus Piſam, quamvis ſuperius diſtinctis nominibus deſcripti ſunt, unius nominis ac etiam montis vocabulo nominat, & ibidem terram altiùs elevatam, quàm in omni Europa, excepto monte Olympo, affirmat, dicit enim: (*lib.* 2.)

Hoſtis in occurſum ſparſas extendere partes,
Umbroſis mediam quà collibus Appenninus
Erigit Italiam, nulloq; à vertice tellus
Altiùs intumuit propiusq; acceſſit Olympo.
Mons inter geminas medius ſe porrigit undas
Inferni ſuperiq; maris: collesq; coërcent
Hinc Tyrrhena vago frangentes æquore Piſæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Decima provincia eſt Æmilia, à Liguria incipiens verſus Ravennam tendens: in qua Placentia, Parma, Bononia & forum Cornelii, quod Immola dicitur. Undecima provincia dicitur Flamminia, quæ inter Alpes Appenninas & mare Adriaticum eſt: in qua eſt Ravenna tantum. Ravenna dicitur aliquando Æmilia civitas, & eccleſia Ravennenſis Æmilienſis. Dicitur autem Flamminia & Æmilia à conſtratis viis, quæ ab urbe Roma procedunt, & ab his, à quibus conſtratæ ſunt viæ. Nunc tamen Flamminia & Æmilia reputantur partes Lombardiæ. Poſt Flamminiam Picenus duodecimus occurrit, habens ab Auſtro Appenninos montes: ex altera parte Adriaticum mare, in quo ſunt civitates Firma, Aſculum & Ancona: ſed provincia illa modo dicitur Marchia Anconitana, & ibidem eſt Adria civitas. Nunc tamen provincia, cui hæc civitas adſcribitur, dicitur Abrutia. Picenus verò dicitur, quia cum habitatores provinciæ illius à Sabinis illuc properarent, in eorum vexillo Picus depictus erat. Tredecima provincia eſt Valeria: cui Nurſia adjecta eſt, & inter Umbriam, Campaniam, Picenumque conſtituitur: in quibus Tybur, Reate & regio Marſorum exiſtunt: & de Nurſia S. Benedictus ortus fuit. Quarta decima provincia eſt Samnia, ſeu terra laboris, ad mare Adriaticum: in qua ſunt urbes Aufidus, Samnium, à qua provincia nomen habet, & Beneventum metropolis. Nunc autem in valle provincia illa communiter appellatur vallis Beneventana. Decimaquinta provincia eſt Apulia, conſociata ſibi Calabria: in qua ſunt urbes Luceria, Sipontus, Brundusium & Carentus: & habet Apulia in ſiniſtro cornu apertum mercimoniis Hydruntum. Cæteræ provinciæ Italiæ ſaltem ſecundum idioma ſunt inſulæ maris, de quibus infra dicetur. Sciendum tamen, quòd plures Provinciæ Italiæ mutaverunt nomina antiqua: quædam in plurima nomina diviſa, & aliquarum nomina tranſierunt in nomina provinciarum ſibi adjacentium, quarundam antiqua nomina abolita ſunt: immo nomina innovata à conſuetudine declinant. Unde diſtrictus civitatis Bononienſis & loca circumvicina Romandiola quoque appellata inveni, quod in libris antiquis non reperi: & patebit infrà in locis ſuis. Gallia provincia Europæ à candore populi nuncupata eſt: γάλα enim Græcè lac dicitur. Hanc ab oriente Alpium juga tuentur: ab occaſu Oceanus includit, & à meridie Pyrenæi montis prærupta: à Septentrione Germania: cujus initium Belgica, in qua Treviris civitas eſt, & finis eſt Aquitania. Unde Gallia triplex dicitur, videlicet, Gallia Braccata, Gallia Togata & Gallia Comata. Notandùm, quòd ſint plures provinciæ inter Alpes & Oceanum, circa ripam Rheni fluminis verſus Galliam proſpicientes protenſæ, quæ in libris antiquis inter Galliæ partes reputantur: omnes tamen utuntur lingua Teutonica, & ideo inter provincias Teutonicas à modernis computantur: & ſunt Alſatia, Brabantia, Selandia, Flandria, Hollandia. Unde antiqui conſiderabant diviſiones provinciarum ſecundum limites & terminos montium, & ſylvarum ac marium: ſed vulgares moderni attendunt tales diſtinctiones ſecundum differentias idiomatum. Unde accidit, quòd illa civitas, quæ eſt in aliqua provincia ſecundum unam conſiderationem, eſt in alia ſecun-

ſecundum aliam conſiderationem. Hiſpania provincia Europæ ab Ibero amne nuncupata eſt Iberia: poſtea à Spano Spania, nunc verò dicitur Hiſpania: & eadem provincia dicta eſt Heſperia, à ſtella Heſpero propter occaſum. Hæc à Septentrione Pyrenæis montibus clauſa: ab aliis partibus mari undique cincta eſt. Et continet in ſe regna quinque: videlicet regnum Aragoniæ, regnum Navarræ, regnum Caſtellæ, & regnum Portugalliæ, quod ceu pars ejus Gallicia dicitur. Legitur enim, quòd poſt bella Trojana quidam frater Ajacis, eò, quod cum multitudine venerat, & à Gallis, quos inhabitatores ibi invenit, provinciam Galliciam nominavit. Libya, quæ & Africa dicitur, tertia pars orbis eſt. Dicta eſt autem Libya, à Libya filia Epaphi filii Jovis, quæ imperium occidentis tenuit: & dicitur Africa ab Afro, quem dicunt aliqui ex poſteris Abrahæ de Cetura genitum fuiſſe. Et verſus Orientem incipit ab Ægypto pergens juxta meridiem per Æthiopiam uſque ad Atlanem montem: à Septentrionali parte mari conjuncta clauditur. Hæc habet provincias Libyam Cyrenenſem, Pentapolim, Tripolim, Byzantium, Carthaginem, à Carthagine civitate magna dictam, Numidiam, Mauritaniam, Fitifenſem, Mauritaniam Cæſarienſem: & dicitur Mauritania à nigredine hominum: quia μαῦρον Græcè, Latinè nigrum dicitur, Tingitanam & circa ſolis ardores verſus meridiem Æthiopiam. De ſpecificatione nominum & etiam ſituum provinciarum Africæ ſupra dictarum, quia rarò occurrunt, circa infra dicenda, cauſſa brevitatis ſuperſedere intendo.

CAPUT VI.

INſulæ dictæ ſunt, quòd in ſalo, hoc eſt in mari, poſitæ ſint. Britannia Oceani inſula eſt inter occidentem & ſeptentrionem: quam quidam tradunt appellatam à Britone, filio naturali Priami regis Trojanorum, qui poſt excidium Trojæ, expulſis inde Gigantibus, eam occupavit: ſed poſtea ab Anglis, qui de gente Saxonum exierunt, occupata, Britonibus expulſis vel ſubjugatis, Anglia dicta eſt & deinde alia inſula Occidentis, ad quam Britones confugerant, Britannia appellata eſt uſque in hodiernum diem. Et ſic duæ ſunt Britanniæ, una quæ major dicitur, & eſt Anglia, alia minor. Thyle eſt ultima inſula Oceani ultra Britanniam. Orcades inſulæ juxta Britanniam in Oceano numero XXXIII. ſunt, quarum XX. deſertæ ſunt, & XIII. inhabitantur. Scotia, quæ & Hibernia dicitur, proxima Britanniæ inſula eſt, & ab Africo in Boream porrigitur. Gades inſula eſt, quæ dirimit Europam ab Africa: in qua Herculis columnæ videntur, & unde Tyrrheni maris faucibus Oceani æſtus immittitur. Eſt autem à continenti terra CXX. paſſibus diviſa. Hanc Tyrii à rubro mari profecti occupantes, in lingua ſua Gades, id eſt, circumſeptam nominarunt, pro eo, quòd circumſepta ſit mari, & inde fretum Gaditanum mare interjacens nominatur. Et ſic videtur quòd Gades Herculis à nomine ipſius inſulæ appellantur. Sunt tamen aliæ maris inſulæ in ſeptentrione, de quibus in Chronicis & hiſtoriis antiquis ſaltem ſub nominibus conſuetis nihil invenio: videlicet Norwegia, Dacia, quæ tamen convenientiùs Dania diceretur ad differentiam Daciæ, de qua ſupra dictum eſt, quemadmodum inhabitantes eam Dani vocantur. Deinde eſt inſula Suetiæ & quædam aliæ, quarum nomina mihi non nota ſunt. Sunt & inſulæ maris Oceani in meridie, & in Indico mari: de quibus ab antiquis ſatis ſcriptum eſt: Sed quia in ſequentibus rarò eis, vel nunquam utendum erit, ipſis brevitatis gratia dimiſſis, ad declarationem Inſularum maris mediterranei, quæ in ſequentibus frequentiùs occurrunt, me converto. Cyprus eſt inſula & regnum, à Cypro civitate ſic dicta. Creta eſt inſula Græciæ. Hæc prima remis & ſagittis uſa eſt: equeſtres turmas primò docuit. Abydus inſula in Europa ſuper Helleſpontum poſita, ab anguſto & periculoſo mari ſeparata, & ἄβυδος Græcè dicta, quòd ſit introitus Helleſponti, in quo Xerxes pontem fecit ex navibus. Coos inſula adjacens provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus eſt: quæ arte lanificii, ut Varro refert, prima in ornamento fœminarum inclaruit. Cyclades inſulæ antiquitus Græciæ fuerunt & ſunt numero LIII. & metropolis earum eſt Rhodus. Delus inſula Cycladum dicitur à δῆλον, quod eſt manifeſtum. Nam poſt diluvium, quod Ogygii temporibus dicitur accidiſſe, prima apparuit: & etiam dicta eſt Ortygia, eò quòd in ea coturnices aves, quas Græci ὄρτυγας vocant, primum viſæ ſint. Rhodos inſula Cycladum prima eſt ab Oriente, in qua roſæ capitolium dicitur eſſe inventum, dum ibi civitas conderetur: ex quo inſula & urbs Rhodos eſt appellata. In hac urbe

Solis coloſſus fuit æreus, LXX. altitudinis, & in ipſa inſula C. coloſſi minores fuerunt. Unde coloſſus dicitur quaſi colens oſſa: & fuit ſtatua, vel Pyramis, juxta ſepulcrum, & in memoriam & honorem defuncti collocata. Tenedos una ex Cycladibus à ſeptentrione ſita: in qua olim civitas quædam à Tene quodam condita eſt. Nam Tenes iſte informatus, quòd cum noverca ſua concubuiſſet, fugiens in hanc inſulam vacuam cultoribus obtinuit eam, & inde dicta eſt Tenedos. Carpathus inſula una ex Cycladibus, à meridie poſita contra Ægyptum: à qua Carpathium mare appellatum eſt: & eſt ita vocata propter celerem fructuum maturitatem, & eſt inter Rhodum & Ægyptum ſita. Cythera inſula una ex Cycladibus, à parte occidua ſita, ſic vocata eſt, quòd ibi Venus ſit orta. In hac inſula Paris rapuit Helenam. Icaria inſula una ex Cycladibus, quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Miconium procurrentibus ſaxis inhoſpitalis eſt, & nullis finibus portuoſa: dicitur autem, quod Icarus Cretenſis ibi naufragio perierit; & de ejus exitu loco nomen impoſitum eſt. Naxos inſula à Dionyſio dicta, quaſi Dianaxos, quòd fertilitate vitium vincat cæteras terras, à Delo XIX. millibus paſſuum ſeparata. Melos ex numero Cycladum à rotunditate dicta eſt, eò quòd ſit rotunda. Chios inſula Syra lingua interpretatur, eò quod maſtix ibi gignatur: Syri enim maſticem Chion vocant. Samos inſula eſt in mari Ægeo, & in ea nati ſunt Pythagoras, & Sibylla Samia. In hac etiam inſula vaſa fictilia primùm facta referuntur, & inde dicuntur vaſa Samia. Sicilia à Sicano rege priùs Sicania, deinde à Siculo fratre Itali Sicilia dicta eſt: ipſa etiam dicitur Trinacria, propter tria promontoria ejus. In ea eſt mons Ætna, igne ardens continuè. Dicitur quòd terra hujus inſulæ omnibus terris prior aratro pro ſeminibus procreandis proſciſſa eſt, & omnis ambitus ejus clauditur ſtadiorum trium millium ſpacio. Ab hac inſula verſus ſeptentrionem fere LX. milliaribus Italicis mons jacet in mari, qui à vulgo Strumuli vocatur, & quotidie fumum & ignem exhalat, & undique mari cinctus: & ædificia diruta apparent in eo, & arboribus conſitus eſt, prout expertus ſum, dum prope eundem alias navigando pertranſii. Tapſus inſula ſtadiis x. à Sicilia jacet. Æoliæ inſulæ ſunt partes Siciliæ, ab Æolo, quem Poëtæ deum ventorum finxerunt, appellatæ: & eædem inſulæ Vulcaniæ appellantur, eò, quòd ſicut & Ætna ardeant: & ſunt novem, & quædam earum ab initio non fuerunt, ſed poſtea mari editæ uſque nunc permanent. Stœchades inſulæ Maſſilienſiũ ſunt in fronte Narbonenſis provinciæ, qua Rhodanus fluvius in mare exit. Sardinia à Sardo Herculis filio dicta eſt: mel hujus inſulæ amarum eſſe dicitur, quia ipſa abundat abſinthio. Corſica inſula à Corſo duce quodam dicta eſt. Hæc etiam à Græcis dicitur κύρνη, à Cyrno Herculis filio. Quidam dicunt Corſicam inſulam à Corſa quadam muliere appellatam. Ebolus Hiſpaniæ inſula eſt. Baleares inſulæ ſunt duæ propè Hiſpaniam, in quibus fuit origo fundarum, quibus lapides jaciuntur, & inde Baleares dictæ ſunt: nam βάλλειν Græcè emittere dicitur, & inde eſt baliſta.

CAPUT VII.

Iſtis generalibus ſic præmiſſis, propoſitum principale aggredior. Primò igitur hominem Deus fecit ex limo terræ ſecundum corpus, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ: hoc eſt animam creavit, quam corpori facto univit, & vocavit eum Adam: & fecit Deus hunc hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſui, non pueriliter hoc intelligendum eſt, quaſi Deus habeat corpus per membra diſtinctum, ut homo: ſed quando dicitur, homo creatus eſt ad imaginem Dei, intelligendum eſt de anima. Unde Auguſtinus confeſſion. lib. VI. *(cap. 3.)* Homo ad imaginem Dei factus eſt, quantum ad animam, in qua ſunt memoria, intelligentia & voluntas: quæ tres potentiæ una ſunt anima. Unde Origenes homelia 1. ſuper Geneſin: Is qui ad imaginem Dei factus eſt, interior noſter homo eſt, inviſibilis, & incorporalis & incorruptus: ſi quis verò hunc corporeum putat eſſe, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, Deum ipſum corporeum, & humanæ formæ videtur inducere, quod ſentire de Deo manifeſtè impium eſt. Cùm enim in Scripturis ſanctis manus, vel pedes Dei, vel ſimilia dicuntur, ipſa vocabula non propriè, ſed transſumtivè ponuntur. Unde Auguſtinus lib. XVII. de C. D. Nec ſe ſecundum hoc credat homo in carnis effigie factum ad imaginem Dei. Adduntur & alia utique hoc modo, & dicitur Deo, ſub umbra alarum tuarum protege me: ut intelligant homines, de illa ineffabili natura, non propriis, ſed tranſlatis rerum vocabulis iſta dici. Item Beatus Ambroſius in Hexaemer. tractatu ſextæ

tæ diei, (*cap.8.*) ſic dicit: Non caro poteſt eſſe ad imaginem Dei condita: ſed anima noſtra, quæ libera eſt, & diffuſa cognitionibus atque conſiliis huc atque illuc, quæ conſiderando ſpectat omnia. Hunc ſiquidem primum hominem Deus formavit in agro Damaſceno, & deinde transtulit eum in Paradiſum, & ibi miſit ſoporem in eum, & interim ſpiritus ejus cœleſti curiæ intererat. Unde & ſpiritum Prophetiæ obtinuiſſe creditur. Et extraxit Deus unam coſtam de latere ejus, & ex illa formavit mulierem, quam Evam nominavit. Et non formavit eam de capite, ne viro dominaretur: nec de pede, ne à viro contemneretur: ſed de latere formavit eam, ut amoris mutui vinculo jungeretur. Adjecit autem Deus præceptum homini in Paradiſo, videlicet, ut cuſtodiendo Paradiſum de ligno, quod erat in medio Paradiſi, non guſtaret: & pœnam ſubjunxit, videlicet, quacunque die comederet ex eo, deinde foret moriturus. Diabolus verò, qui jam de cœlo cecidit, prout Scriptura ſancta innuere dicitur, ubi dicit, Diviſit lucem ac tenebras, invidens homini, ſpeciem ſerpentis aſſumſit, & mulierem dolo circumveniens decepit eam, falſo promittens ei, quòd ſi de ligno prohibito guſtaret, morte non plecteretur, ſed magis Deo ſimilis efficeretur. Cui mulier credidit, & de fructu prohibito guſtavit, ac viro ad guſtandum tradidit: qui ſimiliter guſtavit: quo facto ſtatim membrorum genitalium ſtimulum & inobedientiam ſentientes, de nuditate ſua erubuerunt. Unde Auguſtinus lib. XIII. de C.D. Poſtquam præcepti facta transgreſſio eſt, confeſtim gratia deſerente divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt: Unde etiam foliis ficulneis, quæ fortè à perturbatis prima comperta ſunt, pudenda texerunt, quæ priùs eadem membra erant, ſed pudenda non erant. Senſerunt ergo novum motum inobedientis carnis ſuæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ. Et ergo omnes homines propter inobedientiam carnis de membris genitalibus verecundantur, & non de aliis membris. Et Auguſtinus lib. XIV. de C. D. (*cap.13.*) ſic dicit: Omnes gentes à ſtirpe Adæ procreatæ usque adeo tenent inſitum pudenda velare, ut quidam Barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lavant. Propter transgreſſionem Dominici mandati ſuprà dicti ſic primi parentes expulſi ſunt de Paradiſo voluptatis, & hujus mundi miſeriis cum ſua poſteritate dediti ſunt. Adam ergo primus homo rebus nomina impoſuit in ea lingua, quæ poſtea dicta eſt Hebræa. Et ipſe cognovit Evam uxorem ſuam, quæ concepit & peperit ei filium, quem vocavit Cain. Deinde concepit, & peperit alium filium, quem vocavit Abel. Creditur deinde Adam docuiſſe filios ſuos Deo offerre decimas & primitias. Unde Cain agricola factus Deo obtulit de frugibus, & Abel factus paſtor ovium obtulit Deo de ovibus: & reſpexit Deus ad oblationem Abel: quia ſine fraude obtulit, & oblationem Cain deſpexit, quia fraudulenter obtulit. Unde Cain fratrem ſuum Abel odivit, & tandem eum occidit, quando ipſe Abel erat annorum XV, ut quidam tradunt: alii dicunt annorum C. Nec putandum eſt, quòd illi duo tantùm, & non plures erant filii Adam: immò plures filios & filias habuit, de quibus Scriptura non loquitur. Adam poſtquam erat CC. annorum, vel ſecundum textum Geneſis C. annorum, quod tamen poteſt intelligi poſt mortem Abel, genuit filium ſibi ſimilem, quem vocavit Seth: & deſcendentes ab illo ſunt vocati filii Dei, quia Deum invocaverunt: ſed deſcendentes de Cain vocati ſunt filii hominum. Cain accepta ſorore ſua Themec, ut dicit Philo, vel, ut alii dicunt, Salmana, genuit ex ea filium Enoch. Et tunc condidit civitatem in India, quam ex nomine filii Enoch nominavit. Et deinde ſex alias civitates condidit, &, ut dicit Joſephus, (*Antiquitat. lib. I. cap. 3.*) ſuos ad latrocinia & rapinas invitavit: ſimplicitatem hominum ad menſurarum & ponderum inventionem permutavit: terminos terræ primus poſuit, & timens quos lædebat, ſuos in urbibus, quas ædificavit, collegit. Enoch filius Cain accepit uxorem de filiabus Seth, & genuit filium, quem vocavit Zizam, qui genuit Manihel, qui genuit Mathuſalem, qui genuit Lamech. Sed Auguſtinus lib. XV. de C. D. (*cap. 20.*) ponit hunc ordinem Enoch, Gaidad, Manihel, Mathuſalem, Lamech, & quòd non oportet iſtos reputari primogenitos. Lamech iſte, qui fuit ſeptimus ab Adam, primus Bigamiam introduxit: quoniam duas accepit uxores, licet quidam Judæi aſſeruerunt, Adam habuiſſe duas uxores: quod reprobat gloſſa primæ ad Timoth. primo. Philo dicit quòd Adam poſtquam genuit Seth genuit XI. filios & IIX. filias. Uxores Lamech fuerunt Ada & Sella. Ada peperit Jabel, qui invenit portatilia paſtorum, id

 eſt,

Digitized by Google

eſt, tentoria ad immutanda paſcua. Item ipſa peperit Jubal, qui primò adinvenit conſonantias Muſicales: & quia audiverat Adam prophetaſſe de duobus judiciis, videlicet Aquæ & Ignis, ne periret ars inventa, ſcripſit eam in duabus columnis, in qualibet totam: una marmorea, altera lateritia: quarum altera non dilueretur diluvio, altera non ſolveretur incendio. Sella uxor Lamech genuit Tubalcain, vel ſecundum alios Tobel. Hic ferrariam artem invenit: quo fabricante, frater ejus Jubal, de quo dictum eſt, ſono malleorum delectatus, ex ponderibus eorum proportiones & conſonantias muſicales excogitavit. Sed Græci dicunt Pythagoram hujus artis fuiſſe inventorem: Alii Linum Thebanum, alii Zethum & Amphiona muſica arte primum claruiſſe affirmant. Noëma ſoror Tubalcain invenit artem variæ texturæ.

CAPUT IIX.

SEth filius Adam genuit Enos. Is primò incepit invocare nomen Domini: quia, ſecundum aliquos, ipſe excogitavit quædam verba deprecatoria, vel certum modum orandi Deum. Enos genuit Cainan, qui genuit Malalech, qui genuit Jared, qui genuit Enoch. Non autem arbitrandum eſt, ut dicit Auguſtinus, (*lib. 15. c. 20.*) quòd iſti omnes ſint primogeniti, ſed tales quos ordo ſucceſſionis poſcit, ut perveniatur ad Noë. Enoch, qui fuit ſeptimus ab Adam, translatus eſt à Deo, nec mors ejus inventa eſt, & ipſe quasdam literas invenit, & quosdam ſcripſit libros, & ſub ipſo Adam intelligitur mortuus. Apparet à primo homine literarum exordium emanaſſe: cujusmodi autem literæ hæ fuerint, non conſtat. Literarum uſus propter memoriam repertus eſt: nam ne oblivione fugiant, literis alligantur. In tanta enim rerum varietate nec diſci audiendo poterant omnia, nec memoria contineri. Abraham invenit literas Chaldæorum & Syrorum, quæ cum literis Hebræis numero & ſono concordant, ſed ſolis characteribus diſcrepant. Literæ Hebrææ cœperunt à Moiſe per legem. Iſis regina Ægypti filia Inachi de Græcia veniens in Ægyptum literas Ægyptiorum tradidit. Græcarum literarum uſum Phœnices primò invenerunt, & ergo adhuc principia librorum Phœniceo colore ſcribuntur. Cadmus Agenoris filius literas Græcas XVII. à Phœnicia in Græciam primus attulit. His Palamedes filius Naupli, in Trojano bello perſeverans, adjecit tres literas. Pythagoras Samius Y literam ad exemplum vitæ humanæ primus formavit: cujus virgula inferiore deſignavit primam ætatem, quia teneram nec ad virtutes, nec ad vitia adhuc inclinatam, & ſuperioribus virgulis duplicem ſtatum, quarum dextra eſt ardua, & ad beatam vitam tendens, ſiniſtra eſt facilior, ad labem & interitum deducens. Carmentis nympha, dicta Carmentis, quia carminibus futura canebat, ſed propriè dicta Nicoſtrata, literas Latinas reperit. Et hæc Carmentis erat mater regis Latini, qui tempore belli Trojani regnavit in Italia, ubi nunc eſt Roma. Salluſtius ludimagiſter K literam Latinis adjecit, ut in ſono diſcrimen faceret harum literarum C & Q. Et nec Græca, nec Hebræa lingua habet hanc literam: unde ſupervacua dicitur, quòd nulli nomini Latino convenit, hoc nomine Kalendas excepto. Item ſciendum quod X litera uſque ad tempora Auguſti apud Latinos nondum erat: ſed pro ea C & S ſcribebantur: unde duplex vocatur: & inde eſt, quod quando X ingreditur compoſitionem ſequente S, litera S ſubtrahitur: ut exulto, exurgo. Item Latinitas duas literas mutuavit à Græcis, Y videlicet & Z, propter nomina Græca: & hæc apud Romanos uſque ad tempora Auguſti non ſcribebantur, ſed pro Z duæ SS ponebantur: & ergo duplex vocatur. Enoch qui fuit translatus, genuit Mathuſalem, qui vixit DCCCCLXIX. annis, cujus temporibus naſcebantur Gigantes ſuper terram. Unde Joſephus (*Antiquit. lib. 1. cap. 4.*) dicit: Angeli Dei multi cum mulieribus concubuerunt, & filios injurioſos genuerunt, qui propter confidentiam fortitudinis Gigantes dicti ſunt. Sed Methodius dicit ſeptingenteſimo anno ſecundæ Chiliadis, hoc eſt, ſecundi millenarii filii Seth concupierunt filias Cain, & orti ſunt Gigantes in Hebron, & in Thani civitate Ægypti: qui à civitate illa dicti ſunt Titanes. Mathuſalem genuit Lamech, qui genuit Noë. Hic Noë placuit Deo, & cum erat D. annorum, vel ut alii tradunt, CCC. annorum genuit tres filios: Sem, Cham & Japhet. Iſtis temporibus malitia hominum tantum crevit in terra, quòd Deus decrevit mundum purgare diluvio: & dixit ad Noë: Pœnitet me feciſſe eos: & erunt dies eorum CXX. anni. Quæ verba non ſunt ſic intelligenda, quaſi prædictum ſit, poſt hoc homines CXX. annos vivendo non tranſgredi, ſed intelligenda ſunt,

ut

Digitized by Google

ut dicit Auguſtinus LXV. de C. D. (*cap. 24.*) Hoc Deum dixiſſe, cum circa finem D. annorum eſſet Noë, id eſt, CDXXC. vitæ annos ageret, quos more ſuo ſcriptura D. vocat, nomine totiùs maximam partem plerumque ſignificans, ſexcenteſimo quippe anno vitæ Noë, ſecundo menſe factum eſt Diluvium, ac ſi CXX. anni prædicti ſunt futuræ vitæ hominum periturorum, quibus tranſactis diluvio delerentur. Unde dixit Dominus ad Noë, ut faceret arcam de lignis levigatis & liniret eam intus & foris bitumine. Et fecit Noë ſicut præcepit ei Dominus: & fecit arcam longitudinis CCC. cubitorum: latitudinis L. & altitudinis XXX. & complevit eam in C. annis, prout teſtatur Auguſtinus (*cap. 27.*) ubi ſupra. Et cubitus iſti dicuntur fuiſſe Geometrici, non communes hominibus: ita ut unus eorum haberet VII. pedes, vel IX. cum cubitus communis habeat pedem unum cum dimidio. Poſtquam completa eſt arca, Noë cum uxore ſua, & tribus filiis ſuis, & uxoribus eorum, introductis de ſingulis animalibus ſecum, juxta mandatum Dei intravit in arcam, & factum eſt diluvium ſuper univerſam terram: ita ut aqua tranſcenderet omnes montes cubitis XV. Et ſalvatus eſt Noë cum illis qui ſecum erant in arca: & manſit Noë in arca propter aquam diluvii per unum annum, & decem dies, juxta quoſdam: & decreſcentibus tandem aquis, arca requievit in montibus Armeniæ. Iſtud diluvium erat univerſale ſuper omnem terram: ſed poſtea facta ſunt diluvia partialia. Nam tempore Jacob patriarchæ factum eſt diluvium in Achaja, cum rexit Ogygius Eleuſinam, cujus ipſe conditor fuit: & dicitur diluvium Ogygii in Chronicis. Deinde temporibus Moyſi & Amphitryonis, qui tertius poſt Cecropem regnavit in Græcia, factum eſt diluvium, unde plurimi perierunt, paucis liberatis per refugia montium, & maximè in monte Parnaſſo, in cujus circuitu Deucalion regno potiebatur: & illud in Chronicis vocatur diluvium Deucalionis. Petrus Manducator dicit, quòd de diluvio Noë in hiſtoriis Barbarorum legitur: ſed Euſebius dicit, quòd nulla hiſtoria gentilis ſcribit de partibus, quæ fuerunt ante tempora Nini regis Aſſyriorum. In primo diluvio, quod ſub Noë, ut dictum eſt, factum eſt, finitur prima ætas mundi.

SECUNDA ÆTAS MUNDI.

CAPUT PRIMUM.

SECUNDA ætas mundi incipit à Diluvio, quod factum eſt anno creationis Adæ MMCCXLII. Sed Philo dicit MDCLII. & protenditur per annos DCCCCXLII. ſecundum Euſebium. Sed ſecundum Sulpitium per MLXX. annos. Unde Auguſtinus XV. de C. D. (*cap. 10.*) Inter Hebræos & noſtros codices de ipſo numero annorum nonnulla videtur eſſe diſtantia, quod ignoro, qua ratione ſit factum. Et durat ſecunda ætas mundi uſque ad nativitatem Abrahæ. Noë poſtquam egreſſus eſt de arca ædificavit altare Deo, & obtulit holocauſtomata, tunc Deus revelavit ſibi, ut dicit Philo, reſurrectionem mortuorum, diem judicii & unicuique ſecundum opera ſua ſe daturum, & aliud cœlum & terram aliam futuram, habitaculum ſempiternum. Et poſuit Deus teſtamentum ſuum ad Noë: quòd ampliùs aquis diluvii homines delere non vellet, dans ei in ſignum fœderis arcum in nubibus, videlicet Iridem, qui tunc primum apparuiſſe creditur. Et ut tradunt Sancti, prout refert Iſidorus, Iris non videbitur in nubibus ante judicium per XL. annos. Tunc conceſſit Deus hominibus veſci carnibus: prohibuit tamen comedere homines carnes cum ſanguine, id eſt, animal ſuffocatum. Priùs enim comederant homines fructus arborum & terræ: & inde eſt quod fagus & faba dicuntur à φάγει Græco, quod eſt comedere in Latino: quia ante uſum panis erant hominibus in eſcam. Attamen quoniam panis nomine ſignificatur omne illud, quod mandi ſolet, poſt ci-

bos

Digitized by Google

bos fructuum fiebat panis de frumento & granis, & frangebatur in pila & inde frumentum dicebatur. Poſtea uſus molarum inventus eſt, & facta farina, & inde panis confectus eſt. Noë cœpit colere terram, & invenit vitem: & poſtquam bibit vinum inebriatus eſt, & dormivit denudatus: quod filius ſuus Cham videns, deriſit eum: ſed fratres verenda patris cooperuerunt. Quare Noë evigilans, & hæc cognoſcens, maledixit Cham in filio ſuo Chanaan. Et Noë poſtquam vixit poſt diluvium CCCL. annis mortuus eſt, & facti ſunt omnes dies Noë DCCCCL. annorum. Nam ante diluvium plures homines DCCCC. annos tranſierunt, quamvis nemo ad mille pervenerit. Nec, ut dicit Auguſtinus de C. D. (*lib. 15. cap. 12.*) ullo modo audiendi ſunt illi, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, id eſt, tantæ brevitatis, ut unus annus noſter decem illos habuiſſe credatur. Prorſus etiam tunc dies tantus fuit, quantus & nunc eſt, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinant. Tantus menſis, quantus & nunc eſt: quem luna & cœpta & finita concludit. Tantus annus, quantus & nunc eſt: quem XII menſes lunares, additis propter curſum ſolarem quinque diebus & quadrante conſummant. Anno ſecundo poſt diluvium filius Noë genuit Arphaxat, qui genuit Sala, qui genuit Heber. Hic Heber genuit Phalec: cujus temporibus ædificata eſt turris, & facta eſt confuſio linguarum.

CAPUT II.

A Diluvio ad confuſionem linguarum quidam computant DXXV. annos, alii CCCXLII. Unde temporibus Heber omnes gentes procreatæ de ſtirpe Noë, ipſo adhuc vivente, ut ſcribit Philo, convenerunt in unum, ut eligerent tres principes. Filii Sem elegerunt Jectam, filium Heber, fratrem Phalec: filii Cham elegerunt Nemroth gigantem, nepotem Cham: & filii Japhet elegerunt Phenec, filium Dodanim, pronepotem Japhet: & convenerunt omnes in campum Sennaar, ubi Nemroth ædificavit Babylonem, & dixerunt ad invicem: Ecce futurum eſt, ut diſpergamur ab invicem, unusquiſque à fratre ſuo, & in noviſſimis erimus alterutro nos expugnantes. Nunc ergo venite, ædificemus turrim, cujus caput erit usq; ad cœlum, & faciemus nobis nomen, & gloriam ſuper terram, & accipiamus lapides, & ſcribamus ſinguli quique nomina noſtra in lapidibus, & incendamus eos igni, & erit quod peruſtum fuerit in luto & latere. Et ſic habentes lateres pro ſaxis, & bitumem pro cæmento, ædificaverunt turrim, quam cum in altitudinem V. millium paſſuum & CLXXIV. elevaverunt à terra, Deus confudit linguas eorum, ut unus alium non intelligeret. Et, ut dicit Philo, mutavit effigies eorum, ut unus alium non agnoſceret: & ſic ædificare ceſſabant, & diviſi ſunt in orbem, & tot linguæ eſſe cœperunt, quot tunc gentes erant de filiis Noë procreatæ, videlicet LXXIII. ſecundum quoſdam: vel ſecundum alios LXXII. Deinde Nemroth ædificavit Ediſſam civitatem Armeniæ. Heber autem & filius ejus Phalec non conſenſerunt aliis in ædificatione turris: quare priſtina lingua remanſit in illis: quæ inde ab Heber Hebræa lingua dicta eſt. Sed dicitur quòd illa Hebræa lingua, qua vulgus utebatur, jam evanuit: ſed literalis lingua adhuc manet, ut notat Johannes Andreæ in cap. prim. de magiſtr. in clement. De Sem filio Noë gentes infra ſcriptæ deſcenderunt. A primogenito ſuo Elam Elamitæ principes Perſidis: à ſecundo filio ſuo, qui dictus eſt Aſſur, Aſſyrii: ab Arphaxat tertio filio Chaldæi: à Lydo quarto filio Lydii: ab Aram quinto filio Syri, quorum metropolis fuit Damaſcus. Filii Aram nepotes Sem fuerunt quatuor Chus, Ul, Gether & Meſa. Chus Trachonitidis conditor fuit, qui inter Palæſtinam & Cœleſyriam tenuit principatum: ubi poſtea habitavit Job. Ab Ul deſcenderunt Armeni: A Gether Carmenii ſeu Carii. A Meſſa deſcenderunt hi, qui dicuntur Mæones. A Sala filio Arphaxat Samaritæ. Ab Heber filio Sale Hebræi; à Jectan filio Heber Judæorum gens: à Sala filio jectan Bactriani. Filii Cham quatuor fuerunt, videlicet Chus à quo Æthiopes orti ſunt: Meſtraim à quo Ægyptii: Phut à quo Libyi: à quo & Mauritaniæ fluvius Phut dicitur. Chanaan à quo Afri & Phœnices & X. gentes Chananæorum. Quidam dicunt, quòd Chus filius Cham genuit Nemroth, & Nemroth genuit Aſſur: & forte ex hoc moti, quòd dicitur in Geneſi: & de terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Ninivem. Sed Auguſtinus lib. XVI. de C. D. (*cap. 30.*) dicit: Aſſur, unde Aſſyrii dicti ſunt, non fuit de ſtirpe Cham: ſed de ſtirpe Sem. Unde apparet de ſtirpe Sem exortos fuiſſe illos, qui poſtea regnum Gigantis Nimroth obtinuerunt, à quibus Belus deſcendit. Ex nepotibus Cham

Digitized by Google

Cham ſex fuerunt filii Chus: Saba, à quo Sabæi, qui dicuntur Arabes: Hevila, à quo Getuli in parte remotioris Africæ eremo cohærentes Sabata, à quo Sabatani, qui poſtea Aſtabari dicti ſunt. Rema verò & Chuſa antiqua nomina mutaverunt. Unde nominibus minus uſitatis cauſa brevitatis omiſſis famoſiora nomina ponam. A Celſa filio Meſraim filii Cham, orti ſunt Philiſtim, quos veteres Allophylos, nos verò Palæſtinos vocamus. Filii Chanaan XI. fuerunt: quorum primus Sidon, à quo Sidones, & urbs eorum, quam in phœnice condiderunt, Sidon vocatur. Secundus Ethæus, à quo Ethæi. Tertius Jebus, à quo Jebuſæi, qui condiderunt Jebus, quæ poſtea dicta eſt Salem, quando Melchiſedech in ea regnavit: deinde dicta eſt Jeruſalem: demum ab Adriano Ælio Ælia dicta eſt. Quartus filius fuit Amorræus, à quo Amorræi. Quintus Gergæſſeus, à quo Gergeſæi. Sextus Evæus, à quo Evæi: ipſi ſunt Gabaonitæ, à civitate eorum Gabaon. Iſti condiderunt Gazam opidum Palæſtinæ, & dictum eſt Gaza, eo quòd Cambyſes rex Perſarum ibi recondidit theſauros ſuos. Perſarum enim lingua theſaurus gaza dicitur: Septimus Arachæus, qui Achas condidit opidum contra Tripolim in radicibus Libani ſitum. Octavus Aſeneus, à quo Aſenæi. Nonus Aradius, à quo Aradii. Decimus Amareus, à quo Syriæ nobilis civitas, quæ vocatur Cœles. Undecimus Amathæus. Hæ ſunt gentes de ſtirpe Cham, quæ à Sidone usque ad fretum Gaditanum, omnem meridianam partem tenent. Filii Japhet ſeptem nominantur: Gomer, à quò Galatæ, id eſt Galli: Magog, à quo Gothi & Scythæ. Madaja, à quo Medos quidam deducunt. Javan, à quo Jones, id eſt, Græci: Tubal, à quo Hiſpani & quidam Italos ſuſpicantur. Moſoch, à quo Cappadoces. Tyras, à quo Thraces. Filii Gomer nepotis Japhet: Aſcanes, à quo Sarmatæ. Riphan, à quo Paphlagones. Cothorma, à quo Phryges. Filii Javan Eliſa, à quo Græci, qui dicuntur Eliſæi: unde quinta lingua Græca Æolis, ſive Æolica dicitur. Tharſis, à quo Cilices, ut Joſephus (*lib. 1. cap. 7.*) arbitratur. Unde & metropolis eorum Tharſis vel Tharſus appellatur. Cethim, à quo Cithæi, i. e. Cyprii. Dodanim, à quo Rhodii: cujus filius Favet primò præcepit fieri naves maris, ut quidam arbitrantur. Alii dicunt, quòd Lydii primò navim fabricaverunt, & humanis uſibus pervium mare fecerunt, ut dicit Iſidorus lib. 19. Etymol. Hæ ſunt gentes de ſtirpe Japhet, quæ à Tauro monte ad Aquilonem, mediam partem Aſiæ, & omnem Europam, usque ad Oceanum Britanicum poſſident, nomina & locis & gentibus relinquentes, de quibus poſtea immutata ſunt plurima. Plura enim gentium mutata, quàm manentia vocabula apparent: quibus poſtea nomina diverſa dedit ratio. Namque Indi à flumine Indo dicti ſunt, quod à parte occidentali eos includit. Seres à proprio opido nomen ſortiti ſunt, gens ad Orientem ſita, apud quos lana de arboribus contexitur. Gangaridæ populi ſunt inter Aſſyrios Indosque habitantes circa Gangem fluvium. Casdæi, qui nunc Chaldæi, à Caſeth filio Nachor fratris Abrahæ cognominati ſunt. Syri à Syro, qui fuit nepos Abraham ex Cethura. Quia de origine plurimarum gentium ſupra in ſpecificatione partium & provinciarum orbis dictum eſt, & de origine quarundam infra dicetur ſuis in locis, quantum ad hæc præmiſſa ſufficiant.

CAPUT III.

POſt diluvium anno DXXXI. Phalec genuit Ragau: cujus temporibus dii primùm adorantur. Quorum origo talis fuiſſe deſcribitur: fuerunt quidam viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis, homines, qui eos dilexerunt, ſimulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatium: ſed paulatim hunc errorem, perſuadentibus Dæmonibus, ita poſteris conſtat irrepſiſſe, ut quos illi pro ſola nominis memoria honoraverunt, ſucceſſores deos æſtimarent atque colerent, ut teſtatur Iſidorus lib. IIX. Etymolog. unde ſubdit: Simulacrorum uſus ortus eſt, cum ex deſiderio mortuorum conſtituerunt imagines, vel effigies, tanquam receptis in cœlum, pro quibus ſe in terris Dæmones ſuppoſuerunt, & ſibi ſacrificari à deceptis & perditis perſuaſerunt. Unde Auguſtinus IIX. de C. D. (*cap. 24.*) dicit: Dæmon ſimulacro arte impia colligatus ab homine factus eſt Deus, tali homini, non omni homini. Unde Hermes Ægyptius, qui Triſmegiſtus dictus eſt, de diis Ægyptiorum ad Aſclepium dicit: quoniam proavi noſtri multum errabant, circa Deorum rationem increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem, qua efficerent deos. Cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem,

eamque miſcentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas Dæmonum, vel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis divinisque myſteriis. Per quas Idola & bene faciendi & male vires habere potuiſſent. Hic Hermes ſcribit *(ibid. cap. 26.)* Mercurium avum ſuum, fuiſſe primum inventorem medicinæ, & translatum in cœlum, & homines invocantes eum curare. Et ille Mercurius alio nomine Hermes major eſt dictus. Non autem ſufficit malignis hominibus perſuadere ſe coli; imo quoque cogunt invitos. Unde refert Auguſtinus lib. IV. de C. D. *(cap. 26.)* Tito Latino ruſtico Romano patrifamilias dictum eſt in ſomnis, in ſenatu nunciaret, ut ludi Romani inſtaurarentur; qui cum poſtera die juſſa facere non auſus eſſet, ſecunda nocte ſeveriùs imperatum eſt. Amiſit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum eſt homini, quod major ei pœna, ſi non faceret, immineret. Cùm etiam ſic non audiret, in morbum incidit acrem & horribilem. Tum vero ex amicorum ſententia ad magiſtratus rem detulit, atque in lectica allatus eſt in ſenatum, expoſitoque ſomno, & recepta valetudine, pedibus ſuis ſanus abſceſſit. Tanto ſtupefactus miraculo ſenatus, quadruplicata pecunia, ludos cenſuit inſtaurari. Quis non videat, qui ſanum ſapit, ſubditos homines malignis dæmonibus, à quorum dominatione non liberat, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, vi compulſos eſſe exhibere talibus diis talia, quæ recto conſilio poterant turpia judicari? In illis certè ludis Poëtica numinum crimina frequentabantur; qui ludi cogentibus numinibus juſſu Senatus inſtaurabantur. Quid enim turpius feſtis Liberi? ut dicit idem Auguſtinus lib. VII. de C. D. *(cap. 21.)* cujus ſacra ad tantam turpitudinem, ut ſcribit Varro, devenerunt, quòd in Italiæ compitis in ejus honorem pudenda virilia colerentur, non ſaltem aliquo verecundiore ſecreto: ſed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies feſtos cum honore magno ſellis impoſitum, prius per rura in compitis, & usque in urbem poſtea vectabatur. In opido autem Lavinio unus Libero totus menſis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitioſiſſimis uterentur, donec illud membrum per forum transfectum eſſet, atque in loco ſuo requieſceret. Cui membro inhoneſto materfamiliàs honeſtiſſima palàm coronam neceſſe erat imponere. Sed videlicet Liber placandus fuerat pro eventibus ſeminum: ſic ab agris faſcinatio repellenda, ut matrona hoc facere cogeretur in publico, quod nec meretrix, ſi matronæ ſpectarent, permitti debuit in theatro. His in hujusmodi erroribus homines implicati ſingulis rebus Deos, vel Deas præficientes, creaturas, pro creatore coluerunt. Alii homines mortuos: alii ignem: alii aquam: alii Solem: alii Lunam, vel ſtellas. Ut autem atteſtatur Auguſt. de C. D. lib. VII. *(cap. 2.)* Inter omnia numina gentium XII. mares & IIX. fœminæ fuerunt, quæ fuerunt præ cæteris numina electa, videl. Janus, Jupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber Pater, Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Veſta. Omnes ſiquidem Deos utriusque ſexus, ſi & ſexum habent, Plato & alii Philoſophi bonos æſtimari debere dixerunt. Unde Auguſt. IV. de C. D. *(cap. 18.)* de hoc loquens ſic dicit: Quomodo ergo Dea fortuna aliquando bona eſt, aliquando mala? an fortè quando mala eſt, Dea non eſt? ſed in malignum Dæmonem repente convertitur. Nec, ut dicit Iſidorus, lib. III. Etym. *(cap. 70.)* miranda gentilium dementia, quæ non ſolum piſces, ſed etiam arietes, & hircos & tauros, urſas & canes, cancros, & ſcorpiones translata credidit, & docuit. Sed quocunque ſuperſtitionis modo hæc ab omnibus nominentur, ſunt tamen ſidera, quæ Deus in mundi principio condidit ac certo modo diſtinguere tempora ordinavit. Sed nonnulli pulchritudine & claritate pellecti, in lapſus ſtellarum cœcatis mentibus corruerunt, ita ut per ſupputationes noxias, quæ matheſis dicitur, eventus rerum præſcire conentur: quos non ſolum Chriſtianæ religionis Doctores, ſed etiam gentilium Plato, Ariſtoteles atque alii, rerum veritate commoti, concordi ſententia damnaverunt dicentes: confuſionem rerum potius de tali perſuaſione generari. Nam ſi genus humanum ad varios actus naſcendi neceſſitate premeretur, cur aut laudem merentur boni, aut mali legum percipiunt ultionem? Hinc eſt quod beatus Auguſtinus V. de C. D. *(cap. 1.)* dicit: illi qui ſine voluntate Dei aliquando opinantur decernere ſidera, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumve patiamur, ab auribus omnium repellendi ſunt: non ſolum eorum, qui veram religionem tenent, ſed qui deorum qualiumcunque, licet falſorum, volunt eſſe cultores

Digitized by Google

tores. Hæc enim opinio quid aliud agit, niſi ut nullus omnino colatur, aut rogetur Deus? Illi verò qui poſitionem ſtellarum quodammodo decernentium qualis quisque ſit, & quid ei proveniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate ſuſpendunt, ſi easdem ſtellas putant habere hanc poteſtatem traditam ſibi à ſumma illius poteſtate, ut volentes iſta decernant, magnam Deo faciunt injuriam: in cujus velut clariſſimo ſenatu ac ſplendidiſſima curia opinantur ſcelera facienda decerni: Quale deinde judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœleſtis neceſſitas adhibetur, cùm Dominus ille ſit ſiderum & hominum? Aut ſi non dicunt ſtellas accepta quidam poteſtate à ſummo Deo arbitrio ſuo iſta decernere: ſed in talibus neceſſitatibus ingerendis illius omnino juſſa compleri: itàne de ipſo Deo ſentiendum eſt, quod indigniſſimũ viſum eſt de ſtellarum voluntate ſentire? Quod ſi dicuntur ſtellæ ſignificare potius iſta, quàm facere: ut quaſi locutio quædam ſit illa poſitio prædicens futura, non agens: Non enim mediocriter doctorum hominum fuit iſta ſententia: non quidem ita loqui ſolent mathematici, ut verbi gratia, Mars ita poſitus homicidam ſignificat, ſed non facit. Item lib. confeſſ. IV. (*c.3.*) idem dicit de eodem: Bonum eſt confiteri tibi Domine, neq; ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, ſed meminiſſe Dominicæ vocis: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Quam totam illi mathematici ſalubritatem interficere conantur, cùm dicunt: De cælo tibi eſt inevitabilis cauſa peccandi. Et Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars: ſcilicet ut homo ſine culpa ſit, caro & ſanguis & ſuperba putredo: culpandus autem ſit cœli ac ſiderum creator & ordinator. Item Ambroſius in Hexaëmer. in tractatu de opere quintæ diei, ſic dicit: Nonnulli vanitatum tentaverunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit unusquisque, qui natus eſt, cùm hoc non ſolùm vanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus; impoſſibile pollicentibus. Unde legitur in vita S. Clementis, quòd pater ejus Fauſtinianus fuerit huic ſcientiæ Mathematicæ deditus, & dixit, dum adhuc paganus erat, uxoris ſuæ, videlicet matris Clementis, ſchema nativitatis fuiſſe, videlicet, quod habuit Martem cum Venere ſupra centrum: Lunam verò in occaſu, in domo Martis, in finibus Saturni. Et expoſuit hoc ſignificare, eam adulteram futuram & ſervum amare proprium, & peregrè in aquis perituram: & aſſeruit hæc omnia ſic eveniſſe: & propter hoc non poſſet fidem habere de providentia. Quoniam quæcunque geneſis unicuique dictaret, neceſſe eſſet ea evenire. Sed beatus Petrus hæc omnia falſa & erronea eſſe per exhibitionem operis oſtendit, cùm ei uxorem ſuam adhuc vivam & caſtam aſſignavit. Ex ſuperius recitatis quidam moti, hominibus mortuis, quos aliis potentia, robore, fortitudine, ingenio, vel induſtria inſignes arbitrati ſunt, ſtellas certas conſecrantes, easdem ſtellas nominibus ipſorum hominum appellabant: quos tandem poſteri æſtimantes translatos in cœlum, pro Diis coluerunt. Unde ſummus Planetarum ab ipſis Saturnus eſt appellatus. Hic Saturnus quondam rex Cretæ expulſus de regno per filium ſuum Jovem fugit in Italiam ad Janum primum, ut quidam dicunt, regem Italiæ & ibi docuit rudes homines agros colere, domos ædificare, & nummos æreos primus inſtituit. Unde poſt mortem pro Deo colebatur ab ipſis, & ſummus Planetarum ei eſt conſecratus. Sed iſta, & quæ ſequuntur, de iſtis hominibus, quibus ſic ſtellæ conſecratæ dicuntur, interpretationes, quas gentiles de his diis, & eorum factis, & ſacrificiis crediderunt, magis videntur eſſe fabuloſa poëtica, quàm veridica hiſtoriographorum. Unde Iſidorus IIX. Etymolog. dicit: Quædam nomina deorum ſuorum gentiles per vanas fabulas ad rationes phyſicas conantur traducere: eaque in cauſſis elementorum compoſita eſſe interpretantur: Sed hoc à poëtis totum fictum eſt, ut deos ſuos ornarent aliquibus figuris: quos perditos ac dedecoris infamia plenos fuiſſe hiſtoriæ confitentur. Videtur autem quòd ipſi Poëtæ propter turpitudinem facti nullam interpretationem ſacrificiorum, ſeu nominum ipſorum deorum poſuerunt. Unde Auguſtinus lib. VII. de C.D. (*cap. 24.*) dicit, Deæ magnæ, quæ Tellus, Ops, Veſta & Terra dicitur Galli caſtrati ſerviebant. Hoc comparando ad ſacra Liberi, de quibus ſupra dictum eſt, Auguſtinus ubi ſupra ſubdit: Ibi faſcinatio agrorum timetur, hic membrorum amputatio non timetur. Demum ſubjungit: Itemque de mollibus eidem matri magnæ contra omnium virorum mulierumque verecundiam conſecratis, qui usque in hodiernum diem, madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, inceſſu fœmineo, per plateas vicosque Carthaginis, etiam à

iam à populis, unde turpiter viverent, exigebant: nihil Varro dicere voluit, nec uſpiam me legiſſe commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit matris magnæ omnes deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis. Et dicit Auguſt. ibid. Vix autem delectorum deorum quiſpiam fuit, qui non in ſe notam contumeliæ inſignis acceperit. De Jano quidem mihi non facilè quicquam occurrit, quod ad opprobrium pertineat. Unde Janus apud ipſos gentiles Deus initiorum dicebatu. Saturnus dicebatur deus ſationum. Genius deus rerum gignendarum. Unde quidã vocabant eum deum naturæ. Vulcanum ignem mundi gentiles dixerunt. Neptunum aquas mundi dicebant: Et Orcum terrenam & in fimam & in timam partem mundi. Liberum & Cererem propoſuerunt ſeminibus: illum maſculinis, illam fœmininis, vel illum liquidis, illam aridis. Cererem etiam perhibent, & Junonem Minervam, Æthera, vel etiam Lunam eſſe dixerunt. Veſtam quoque dearum maximam putaverunt, quod ipſa ſit terra. Idem dicit Iſidorus lib. IIX. quod Dis, qui & Orcus, etiam dicebatur Pluto. Et Liber dicebatur à liberamento, quòd mares in coëundo ejus beneficiis emiſſis ſeminibus liberentur. Idem dictus fuit Lyæus à potu. Idem dictus fuit Dionyſius à monte Niſo, qui eſt in India, ubi eſt nutritus. Juno dicitur dea aëris, & ſoror Jovis. Minerva dea ſcientiarum. Hæc Iſidorus. De cæteris diis & deabus electis dicetur infra. Secundus Planetarum dicitur Jupiter. Hic Jupiter filius Saturni ipſum Saturnum expulit de regno Cretæ, & regnavit pro eo: & pro ſummo Deo apud gentiles colebatur. Unde Varro doctiſſimus Romanorum, ut teſtatur Auguſt. lib. XIX. de C. D. *(cap. 22.)* Deum, quem ſummum putavit, Jovem appellavit: & hunc Jovem, ut teſtatur Euſebius, Cecrops, qui primus regnavit in Græcia, prius deum nominavit, & bovem ei immolabat. Et dixerunt gentiles, hunc Jovem habere poteſtatem eorum omnium, quæ fiunt. In hoc ſiquidem Jove omnes ſtellas, tanquam deos, ſe colere putabant, quamvis ſingulis ſupplicabant. Unde Auguſtinus IV. de C. D. *(cap. 11.)* hunc errorem eorum deridendo dicit: Si autem omnes ſtellas ideo colunt, quia in Jove ſunt quem colunt, iſto compendio poſſent in illo uno omnibus ſupplicare. Sic enim nemo iraſceretur, cùm in illo uno omnibus ſupplicaretur, nemo contemneretur, potiùs quam cultis quibusdam juſta iraſcendi cauſſa illis, qui prætermiſſi eſſent, multò numeroſioribus præberetur, præſertim cùm eis de ſuperna ſede fulgentibus, turpi nuditate diſtentus præponeretur Priapus. Tertius Planetarum eſt Mars, & dicitur Mars, quia per mares bellum, cujus ipſe deus eſt, exercetur, & Græcè vocatur Gradivus. Hunc Martem Gothi apud ſe quondam dixerunt ortum, & victimæ ejus fuerunt mortes captivorum: opinabantur enim bellorum præſidem aptè humani ſanguinis effuſione placandum. Quartus planetarum eſt Sol, quem gentiles conſecraverunt Apollini, & inde Solem Apollinem vocabant. Hic Apollo invenit artem medicinæ, & quia videbantur vitam præſtare hominibus curando eos, gentiles conſecraverunt ei Solem: cujus calore cuncta animantia vivunt: & etiam dicitur Titan & Phœbus, quia præſtitit auxilium contra Titanes. Quintus Planetarum eſt Venus. Hæc quidem ſoror Jovis à Saturno genita dicitur, & propter pulcritudinem ejus translata in cœlum à gentibus credebatur: & Dea eſt amoris. Et dicitur Venus à vi, eo quòd ſine vi fœmina virgo eſſe non deſinit. Sextus Planeta dicitur Mercurius. Hic Mercurius fuit nepos Atlantis, qui Atlas aſtronomiam invenit. Et Mercurius de filia Atlantis genitus, multarum artium fuit inventor, & in numero deorum reputatus eſt, & vocatur deus ſermonum: & dicitur Mercurius quaſi medius currens, quia ſermo medius currit inter homines. Luna eſt infimus Planetarum, & illam gentiles conſecraverunt Dianæ, quæ dicitur fuiſſe ſoror Apollinis, & dicebatur dea venatorum. Alii dicunt eandem fuiſſe filiam Agenoris, & ſororem Cadmi, & dicta fuit Proſerpina. Apud quosdam dicta fuit Nanea ut in II. lib. Macchabæor. *(cap. 1.)*

CAPUT IV.

Ab iſtis ſeptem nominibus Planetarum apud gentes diverſas nominantur dies anni. Unde gentiles quemlibet diem nominabant à Planeta, quem credebant dominari in prima hora talis diei, & credebant quemlibet Planetam dominari per unam horam. Cùm igitur Sol inter omnes Planetas clarior & efficacior eis videbatur, primam illi diem attribuebant: & in prima hora illius diei præcipuè dominari dicebant. Secundam horam attribuebant Veneri: tertiam Mercurio: quartam Lunæ: quintam Satur-

Saturno: ſextam Jovi, & ſeptimam Marti, & deinde octavam horam Soli nonam Veneri, & ſic aſcendendo & deſcendendo ſecundum nomina Planetarum uſque ad horam XXIV incluſivè. Ipſa hora XXIV cedit Mercurio: Et ergo prima hora ſequentis diei cedit Lunæ, quæ dies ſecunda dicebatur dies Lunæ, & ſic de aliis diebus computando, dies tertia dicitur dies Martis: dies quarta dies Mercurii: dies quinta dies Jovis: dies ſexta dies Veneris, & dies ſeptima dies Saturni. Et iſta ſatis apparent in lingua Latina, ſive Romana, licet poſtquam fidem Chriſtianam Itali receperunt, aliqua nomina dierum ob reverentiam utriuſque teſtamenti ſunt mutata: quia dies Solis dicitur dies Dominica, quod tractum videtur de Apocalypſi, & dies Saturni dicitur Sabbathum, quod habetur ex veteri teſtamento, & ex Evangeliis. Et hunc modum in nominatione dierum aliæ gentes videntur ſervare: ut Teutonici, licet in omnibus provinciis Teutoniæ non eodem modo. Unde dies Solis dicitur Sunnentag: dies Lunæ dicitur Maentag: dies Martis dicitur Dingestag. Unde Ding in antiquo vulgari ſonat judicium, prout patet in his vocabulis, Holtgeding/ Frigeding; & quia judicium mortis gentiles attribuebant Marti, dies Martis Dingestag apud gentiles Teutonicos dicebatur: Et in ſignum iſtius judicium quoddam occultum, concernens pœnam morte puniendorum in certis caſibus in partibus Weſtphaliæ præcipue die Martis celebratur; quod quidē judicium incolæ Friding appellant. Dies Mercurii dicitur Godensdag. Unde Deus, qui apud Romanos Mercurius dicebatur, prout legitur in geſtis Longobardorum, (*P. Diaconus lib. I. cap. 9.*) dum adhuc gentiles erant, Godan vel Wodan dictus erat. Saxones cum eiſdem Longobardis invadentes Italiam eiſdem vocabulis uſi ſunt, prout experientia docet. Unde in partibus Weſtphaliæ dicunt Godensdag/ & in partibus Geldriæ & circumvicinis dicunt Wodensdag/ vel per Syncopen Weanstag. In partibus Saxoniæ, quæ modò Saxonia dicitur, hæc dies vocatur medium ſeptimanæ, quod Saxones videntur à Thuringis, eis vicinis traxiſſe. Dies Jovis dicitur Donnerstag/ id eſt, dies tonitrui: quia gentiles poteſtatem tonandi attribuebant Jovi tanquam ſummo deorum. Dies Veneris dicebatur Fritage: Unde Venus dicebatur dea amoris, & ut mihi videtur, ſalvo judicio meliori, Venus apud quoſdam Teutonicos dicta eſt Freige/ dum adhuc gentiles erant: Unde habemus adhuc verbum vulgare Frien/ quod eſt ob copulæ carnalis amorem conſenſum in alium vel aliam dirigere, ſeu ad conſenſum hujuſmodi provocare, vel ſaltem conſenſum propalare. Et iſtud videtur ſatis alludere iſti, quod ſuperius dictum eſt, de interpretatione Liberi & Cereris: quia ſic Libero attribuitur, quod mares ejus beneficiis in actu Venereo per emiſſionem ſeminis liberantur. Sic & Cereri artribuitur in fœminis hoc idem. Sed quia nomina Deorum & Dearum apud diverſas gentes confundebantur, ita quòd illa dea, quæ apud aliquas gentes dicebatur Venus, apud alias dicebatur Ceres, apud alias Veſta: apud alias dicebatur Freyge ſecundum interpretationem idiomatum, quamvis apud alias gentes illa erant nomina diverſorum deorum vel dearum. Unde Auguſtinus IV. de C. D. (*cap. 10.*) dicit: Eandem Terram, Cererem & eandem etiam Veſtam volunt: cùm ſæpius Veſtam non niſi ignem eſſe perhibeant, & ideo illi virgines Soli ſervire, quòd ſicut ex virgine, ita nihil ex igne naſcatur. Et ſubdit: Aliquando Veſtam non erubeſcunt etiam Venerem dicere. Ergo ſi eadem dea Venus, quæ & Veſta & Ceres dicta eſt, cujus beneficiis fæminæ liberabantur in coitu, ſicut beneficiis Liberi ipſi viri, rectè lingua Teutonica hæc dea Freyge appellatur. Dies Saturni, ſive Sabbatum, dicitur Satertag apud quoſdam Weſtphalos: apud alios dicitur Sonnenavend/ vel corrupto nomine Sunnavend/ quod ſonat, vigilia Solis, quaſi dies illa deſerviret diei ſequenti propter reverentiam Solis, vel diem feſtum, quem gentiles agebant in die Solis. Nam vigilias feſtorum per Eccleſias inſtitutas, ſeu etiam quemlibet diem, qui diem alicujus ſancti præcedit illi appellant Avend. Superioris tamen Alemanniæ nationes hunc diem vocant Sambſtag/ quia fortè cùm adhuc gentiles erant, ſub tali nomine Saturnum nominabant. Prædicti ſeptem dies apud Judæos nominantur à Sabbato, ut prima Sabbati: ſecunda Sabbati &c. De aliis autem mos Eccleſiaſticus obtinuit, quòd dicimus feria ſecunda, feria tertia & ſic de aliis: & dicuntur feriæ, ut dicit Iſidorus lib. V. Etymolog. (*cap. 30.*) à fando, quod nobis in eis in officio divino vel humano fandum eſt. Et ſic quilibet dies appellatur feria. Vel feria dicitur à feriendis victimis, & ſic ſoli dies feſti dicuntur feriæ: videlicet

Digitized by Google

licet in quibus ſacrificia præcipuè fieri ſolebant, & ſic dicimus diem celebrem diem eſſe feriatam, & die feriata non eſſe judicandum. In ſupra ſcripto numero dierum omnes gentes totius orbis, quantumcunque ſint diverſarum linguarum, concordare dicuntur: quòd utique à primo homine videtur eſſe transfuſum: quem cùm Deus perfectum fecit, veriſimile eſt, eum illa, quæ poſtea Moyſes de creatione mundi ſcripſit, non ignoraſſe. Dies tamen ſecundum diverſas nationes diverſimodè incipitur. Unde Iſidor. lib. v. Etym. (*cap. 30.*) Dies ſecundum Hebræos incipit à veſpera: Secundum Ægyptios abortu Solis: Secundum Perſas ab occaſu Solis: Secundum Athenienſ. à ſexta hora diei: Et ſecundum Roman. à media nocte. Anno DCIII. poſt diluvium Ragau genuit Sarug, vel Serug. Cujus temporibus incipit regnum Scytharum, ubi primus regnavit Thamus. Hic Ragau tempore nativitatis filii ſui Sarug demonſtrato filio de Abraham ſic dicitur prophetaſſe: Ex iſto naſcetur in quartam generationem, qui ponet habitationem ſuam ſuper excelſa, & perfectus vocabitur & immaculatus: & pater gentium erit. Eo tempore cœperunt homines inſpicere in aſtris, & inchoaverunt imaginari ex his, & divinationes facere, & filios ſuos & filias tranſire per ignem. Deinde poſt diluvium anno DCCXCIII. Sarug genuit Nachor, cujus tempore ortum eſt regnum Ægyptiorum, cui præerant Thebæi. Nachor, poſt diluvium anno DCCCLXXII. genuit Thare: cujus temporibus orta ſunt regna Aſſyriorum & Sycioniorum. Thare vero poſt diluvium anno DCCCCXLII. genuit Abraham, & poſtea genuit Nachor & Aron fratres ejus: & ſic finitur ætas mundi ſecunda.

TERTIA ÆTAS MUNDI.

CAPUT PRIMUM.

TERTIA mundi ætas incipiens à nativitate Abrahæ protenſa uſque ad tempus, quo David unctus eſt in regem, continet ſecundum ſupputationem plurimorum annos DCCCCXL. Et quia jam quædam regna mundi orta fuerunt, & hiſtoriographi ſeriem narrationis ſuæ ſucceſſione regum continuant, ego deinceps eoſdem imitari deſiderans, ſecundum regum illuſtrium ſucceſſiones ſequentia texam. Inter omnia regna mundi duo traduntur magis glorioſa, videl. regnum Aſſyriorum & regnum Romanorum: quorum unum in oriente, alterum in occidente incepit. Et incipiente quodammodo regno Romanorum, videlicet, in loco, ubi poſtea Roma ædificata eſt, regnum Aſſyriorum deficiebat: non tamen, quòd alterum eorum per alterum diſſolutum exiſtat: ſed quibuſdam aliis regnis intercurrentibus, à regno Aſſyriorum ad regnum Romanorum, per diſſolutionem unius ab alio factam, perventum eſt. Regnum igitur Aſſyriorum per annos MCCXLV. ſub regibus XXXVI. protenſum eſſe ſcribitur: ſed computato tempore, quo Belus ante Ninum regnavit, ſunt anni MCCC. Unde Belus, qui fuit de ſtirpe Sem, regnavit apud Aſſyrios annis LXV. Sed quia finibus ſuis contentus extera regna petiiſſe non legitur, à Nino filio ejus ordo regum illuſtrium incipitur. Hic Ninus primus bella fovens, finibus ſuis nequaquam contentus, humanæ ſocietatis fœdus interrupit, exercitus ducens, aliena vaſtare, liberos populos aut trucidare, aut ſubjicere cœpit, univerſamque Aſiam, exceptis ſolis Indis, uſque ad Libyæ fines nova ſervitute perdomuit, & regnavit annis LII. Hujus Nini anno XLIII. natus eſt Abraham, regnante apud Sicyones in Græcia Europe, ſecundo rege Sicyonum, anno regni ſui XXII. Quem Europen in eodem regno præceſſerat Ægialeus, regnans annis LII. & eodem tempore Thebæi regnabant in Ægypto. Et etiam iſto tempore Zoroaſtres, ſeu Zaroës, regnabat apud Bactrianos. Hic reperit artem magicam & à Nino prælio victus eſt: de quo dicit Auguſtinus lib. XXI. de C. D. (*cap. 14.*)
Ferunt

Digitized by Google

Ferunt riſiſſe Zoroaſtrem, quando natus eſt, nec ei boni aliquid monſtroſus riſus ille portendit. Nam magicarum artium fuiſſe perhibetur inventor, quæ quidem illi nec ad præſentis vitæ vanam felicitatem contra ſuos inimicos prodeſſe potuerunt. De iſtis artibus magicis notandum eſt, quòd non fiunt, niſi per dæmones. Unde Origenes homilia XIII. in lib. Numeror. Magorum miniſtri ſunt angeli refugæ, & ſpiritus maligni, & dæmonia immunda. Conſtat eſſe quoſdam dæmones malos, qui invocati à magis adſunt eis ad malum, non ad bonum. Item Auguſtinus lib. XXI. de C. D. (*cap. 6.*) dicit: Illiciuntur dæmones per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipſi aſtutiſſima calliditate ſeducunt, vel inſpirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos diſcipulos ſuos faciunt, plurimorumque doctores. Neque etiam potuit niſi primùm ipſis docentibus diſci quid quiſque illorum expetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur, unde magicæ artes, earumque artifices extiterunt. Ninus poſt mortem Beli patris ſui fecit fingi imaginem in ſimilitudine patris, promittens impunitatem delinquentibus confugientibus ad eam. Et inde ſuccedente tempore hic Belus ab Aſſyriis appellatus eſt deus, & ex hoc aliæ gentes traxerunt modum faciendi Idola, ſive imagines, defunctis hominibus: qui tandem à ſucceſſoribus Dii appellati ſunt. Alii dicunt, quòd Belus habuit filium, qui in pueritia mortuus eſt, & illi fecit imaginem, de qua jam dictum eſt, & iſtud fuit primum idolum, quod factum eſt. Et huic Deo videtur conſonum eſſe illud, quod legitur in lib. Sapientiæ cap. XIV. Acerbo luctu dolens pater citò ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Cùm igitur iſtud idolum apud gentiles primùm celebriùs colebatur, diverſæ gentes deos ſuos cum hac additione Bel nominabant. Unde Moabitæ deum ſuum, ſeu Idolum, ſuper monte Phægor collocatum, Belphægor nominabant, quod dicebatur ſimulacrum ignominiæ, quia cum magno membro virili factum erat. Et ille deus apud Latinos dicebatur Priapus, & deus hortorum. Fuit autem iſte Priapus, ut dicit Iſidorus lib. VII. Etymolog. (*c. 11.*) quidam de Lampſaco civitate Helleſponti, de qua pulſus erat propter virilis membri magnitudinem, cujus ſimulacri turpitudinem Auguſtinus IV. & VI. de C. D. ſic exprimit: Nunquid Priapo mimi non etiam ſacerdotes enormia pudenda fecerunt? Unde Origenes homilia XX. in lib. Numer. Beelphægor eſt nomen Idoli, quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur. Hinc eſt quòd in III. lib. Regum dicitur: Aſa rex Juda amovit matrem ſuam, ne eſſet princeps ſacris Priapi. Et credebant gentiles hunc deum ſibi conferre fœcunditatem. Unde, ut dicit Auguſtinus VII. de Civ. Dei. Apud gentiles in celebratione nuptiarum ſuper Priapi caput nova nupta ſedere jubebatur. Et iſtud idolum Judæi in deriſum gentium, quæ circa eos in terra promiſſionis habitabant, propter ſpurcitiem immolaticii cruoris, Beelzebub nominabant, quod eſt dictum deus vel vir muſcarum. Ninus rex Aſſyriorum ampliavit Ninum civitatem, quam Judæi dicunt Niniven: & poſtquam regnavit per annos LII. ictu ſagittæ occubuit. Et regnavit Semiramis uxor ſua poſt eum annis XLII. Hæc virum animo, habitu fœminam gerens, non contenta terminis, quos à viro ſuo, tunc ſolo bellatore in L. annis acquiſitos ſuſceperat, Æthiopiam bello oppreſſam imperio ſuo adjecit: quam præter illam & Alexandrum M. nemo intravit. Ipſa ampliavit Babyloniam, cujus murus deinde fuiſſe legitur ex cocto latere L. pedum latitudinis & CCC. pedum altitudinis & in circuitu habuit milliaria LX. & habuit portas C. & Euphrates fluvius tranſivit per medium civitatis. Ultimis temporibus Semiramidis Arphaxat filius Sem, & Phalec filius Heber, & Nachor mortui ſunt. Et Abraham habitavit in Chaldæa. Hæc regina Semiramis uſum braccarum invenit, & à filio ſuo Nino, cum eum pro concubitu interpellaret, refertur occiſa.

CAPUT II.

ZAMEIS, Qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis, tertius rex Aſſyriorum regnavit annos XXXIIX. Eo tempore apud Cretam regnavit Cres primus rex Cretenſis, à quo Creta dicta eſt, & dicitur quòd Jupiter ab eo nutritus ſit. Item iſto tempore Tha-

Digitized by Google

re Thare pater Abraham cum filiis ſuis & uxoribus, & cum Loth nepote ſuo, filio videlicet Aram, egreſſus eſt Chaldæa. Et hic Aram mortuus eſt in Ur Chaldæorum ante iſtum egreſſum. Ubi notandum eſt, quòd Chaldæi adorabant ignem pro Deo: quia ignis omnia conſumit, & calor vitam miniſtrat, & ignis lingua Chaldæorum Ur appellatur. Quicunque igitur apud eos recuſavit ignem adorare, hunc mittebant in caminum ignis, ut Deus eorum ſe in eum vindicaret Cumq; Abraham adhuc vocatus Abram, & quidem alii ſecum numero XI. ut dicit Philo, non conſentirent eis, traditi ſunt cuſtodiæ, ut per duces populi igne comburendi judicarentur. Nocte igitur ſuperveniente XI. viri auxilio ducis, qui ſtirpis eorum fuerat, fugerunt, & ſolus Abram ſperans in DEUM, fugere renuit, & dixit ad principem, eum cum cæteris fugere exhortantem: Non movebor de loco hoc: quoniam ſi fugerem in montes, fortè in beſtias incidam, & propter incredulitatem meam devorabunt me. Unde die ſequente à populo interrogatus, ubi XI. viri remanſiſſent, reſpondit: Nocte, me dormiente, fugerunt. Et tunc populus miſit Abram in Ur, id eſt, in ignem, quem in camino accenderant, & Abram à DEO liberatus eſt, & de viris circumſtantibus flamma combuſſit LXXXIV. millia & L. prout legitur in libris Philonis. Quidam tamen dicunt, quòd Aran frater Abrahæ ſecum remanſerit, & ambo miſſi ſunt in caminum: ſed quia Aran dubitavit, in igne periit, & de hoc notat gloſſa in cap. *Cùm igitur* XXV. quæſt. prima. Alii credunt quòd Ur quædam fuerit civitas Chaldæorum, in qua Aran mortuus ſit: & inde ſcriptum ſit quòd Aran mortuus ſit in Ur Chaldæorum. Poſt mortem Tharæ, anno hujus regis Aſſyriorum regni XXIII. facta eſt promiſſio ad Abram, cùm ipſe erat LXXV. annorum in Haram. Dixit enim ſibi Deus, quòd egrederetur de terra & de cognatione ſua, in terram, quam erat oſtenſurus ei, & in illa Deus ei benedicere vellet, quòd in ſemine ejus benedicendæ eſſent omnes cognationes terræ. Abram itaque credens his verbis egreſſus eſt inde, & venit in terram Chanaan: ubi apparens ei Dominus dixit: Semini tuo dabo terram hanc. Quare Abraham ædificavit ibi altare Domino, qui ei ibi apparuit. Deinde fame invaleſcente in terra illa, Abram deſcendit in Ægyptum, & habitavit ibi, & Loth filius Aran deſcendit cum eo: & poſtquam ditatus eſt ibi, reverſus eſt in terram Chanaan: ubi ipſe & Loth propter multitudinem ſubſtantiæ eorum ab invicem ſeparati ſunt, & Loth habitavit in Sodomis: Abraham autem habitavit in loco inter Bethel & Ai, ubi ante fecerat altare Domino, & poſtea habitavit juxta vallem Mambre, quod eſt in Hebron, & ibi ſimiliter ædificavit altare Domino. Poſt hæc Sodoma capitur ab hoſtibus & Loth cum cæteris civibus captivus abducitur: quod dum percepit Abraham, armavit vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & aliis ſuis convocatis, perſecutus eſt eos, qui Loth abduxerunt & apprehenſis eis, bellum commiſit & vicit: & Loth cum omni ſubſtantia ſua & univerſo populo reduxit. Eo tempore Melchiſedech rex Salem, quæ eſt Jeruſalem, qui erat ſacerdos Dei altiſſimi, egreſſus eſt obviam Abrahæ à cæde hoſtium revertenti, & obtulit ei panem & vinum atque benedixit ei: & Abraham dedit ei decimas. Hunc Melchiſedech dicunt Judæi fuiſſe Sem filium Noë, quod ex Geneſis textu prædoceri non poteſt, cùm ibi ſcriptum ſit, quod Sem poſt diluvium ſupervixit D. annis minus duobus: Et Abram natus eſt poſt diluvium anno DCCCCXLII. Item dicunt, quòd Sem condiderit Salem: Sed Joſephus in libro de Judaico bello (*lib. 7. cap. 16.*) dicit: quòd quidam potentiſſimus Judæorum condidit Salem, qui paterna voce juſtitiæ rex appellabatur. Erat quippe talis, & ideo ſacerdotium Deo primus exhibuit, & Melchiſedech rex juſtitiæ interpretatur. Item dicunt Judæi, quòd omnes primogeniti à Sem filio Noë, uſque ad ſacerdotium Aaron fuerant ſacerdotes, & immolabant Deo: ad patris dexteram ſedebant, ciboſque duplicatos receperunt: & hæc eſſe primogenita, quæ vendidit Eſau fratri ſuo Jacob. Quidam dicunt, Abram hoc tempore inſtituiſſe annum Jubilæum: primò propter victoriam, & propter remiſſionem captivorum: Unde Jubilæus annus remiſſionis dicitur: & ſtatuit annum quinquageſimum ſemper pro Jubilæo obſervandum, ita quod anno illo ſervi, & captivi redirent ad libertatem, & exules reſtituerentur in patriam, & poſſeſſiones ad priſtinos poſſeſſores redirent: & dicunt quòd tunc Loth erat L. annorum, vel, ut alii dicunt, quia Abram peritus aſtrorum vidit, quòd intemperies aëris, quæ fit elevatis, vel depreſſis planetis, ſemper uſque ad L. annos ad temperiem redit, & quod vidit fieri in aſtris, hoc

Digitized by Google

hoc voluit in terris imitari. Abraham habuit diſpenſatorem domus ſuæ Eliezer nominatum, cujus erat filius Damaſcus nomine, qui poſt hæc condidit Damaſcum, & ipſe Abraham non habebat liberos, & quia Sara uxor ejus erat ſterilis, timuit Abraham, quod iſte Damaſcus heres ſuus futurus eſſet. Quare ſermo Dei factus eſt ad eum: Hic non erit heres tuus: Sed qui egredietur de utero tuo: & in numero ſtellarum jubebatur ſemen ſuum conſiderare, quod credidit Abraham. Unde prædixit ei Deus, quod ſemen ſuum fieret peregrinum in terra non ſua CCCC. annis, & generatione quarta debebat illuc reverti: quod poſtea completum eſt in Ægypto: quando filii Iſraël premebantur ab Ægyptiis: & hæc preſſura duravit tantum poſt mortem Joſeph per CXLIV. annos: licet CCCCXXX. fuerint à repromiſſione ABRAHAM uſque ad tempus legis. Cum igitur non haberet liberos ABRAHAM, uxore ſua eum ad hoc cogente, ingreſſus eſt ad Agar ancillam ipſius Saræ Ægyptiam: quæ concepit & peperit ei filium, quem vocavit Iſmaël, à quo dicti ſunt Iſmaëlitæ: qui & ab Agar dicti ſunt Agareni, & poſtea nominaverunt ſeipſos Saracenos, quaſi de Sara ſint geniti falsò gloriantes, & illud nomen obtinuerunt. Et quando Iſmaël natus eſt, Abraham erat annorum LXXXVI. Poſtquam incepit Abraham eſſe XCIX. annorum, promiſit ei Deus filium ex uxore ſua Sara: & licet ipſa erat nonagenaria, Abraham tamen credidit Deo, & tunc ſtatuit Deus cum eo fœdus circumciſionis omnis maſculini ſexus, & tunc primùm vocavit eum Abraham, quod interpretatur pater multarum gentium, cùm priùs vocaretur Abram, id eſt, pater excelſus. Et tunc Sara, quæ dicitur fuiſſe filia fratris Abraham, ſoror Loth, primò hoc nomine Sara à Deo vocata eſt, cum antea dicta fuerit Sarai: & ipſa concepit & peperit filium ſuum Iſaac. Cùm igitur Abraham erat XCIX. annorum, circumcidit carnem præputii ſui, & filii ſui Iſmaël, qui tunc XIII. annorum erat, & omnes vernaculos ſuos circumcidit, ſicut præcepit ei Deus: ſed Iſaac filium ſuum circumcidit octavo die Nativitatis ſuæ juxta præceptum Domini, & ſic deinceps deſcendentes ab Abraham per ſacramentum circumciſionis ab aliis gentibus Deo conſecrati ſunt. Sed Ambroſius in quadam epiſtola, quam direxit ad Conſtantium, ſcribit Ægyptios circumcidere illos, quos in ſacris ſuis effici volunt ſacerdotes: & æſtimant hanc circumciſionem eſſe quaſi quandam purgationem hominis, ad obtinendam ſapientiam magici carminis, Geometriæ & Aſtronomiæ. Item ſubdit, quòd ipſe repererit in veterum hiſtoriis Æthiopum Arabum & Phœnicum aliquos erga ſuos uſos circumciſione ad deſtruendum inſidias dæmonum, contra illos hoc eis valere arbitrantes. Judæi dicunt, quòd Abraham primò advexit formam denarii in terram Chanaan. Cùm Loth habitaret in Sodomis, miſit Deus duos angelos in ſpecie juvenum Sodomam, ut nunciaret Loth, quòd exiret ipſe, uxor, ac filiæ ejus cum viris quibus erant tradendæ ad nuptias: quia Dom. propter homines, qui habitabant in Sodomis, civitatem illam vellet deſtruere, laſcivia immutantes naturalem uſum concubit. humani. & inde adhuc hujuſmodi peccatū Sodomiticum peccatū picitur. Unde cives iſti videntes juvenes prædictos intraſſe in domum Loth, juvenes ipſos, ut eis ebuterentur, ſibi tradi petebant: quos dum Loth precibus avertere non poterat, obtulit eis duas filias virgines, ne ita malè agerent in viros, præſertim hoſpites ſuos: Sed ipſi nolentes acquieſcere, tentabant fores domus vi impetere. Quare Angeli percutientes eos cæcitate, ut oberrantes tota nocte oſtium domus invenire non poſſent, ipſum Loth cum uxore ſua, & duabus filiabus, manè eduxerunt de civitate injungentes eis, quòd ad montana pergerent, nec poſt tergum reſpicerent. Poſtquàm igitur Loth ingreſſus eſt urbem Sægor in montanis, pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorram, & ſuper tres alias civitates ſulphur & ignem à Domino de cœlo & ſubvertit incendio civitates has, & locus harum civitatum factus eſt lacus, & dicitur Mare mortuum: quia nihil in eo mergi poteſt, ſed ſolum id quod vita caret. Uxor autem Loth audiens clamorem pereuntium, reſpexit poſt tergum: quare ſtatim in ſtatuam ſalis converſa eſt. Loth verò non audens manere in Sægor cum filiabus ſuis, aſcendit ultra in montana, & requievit in quadam ſpelunca. Timentes igitur filiæ ſuæ omnes maſculos regionis periiſſe, & ne ſemine patris ſui fraudarentur, inebriaverunt Loth vino, & dormientes cum eo cognitæ ſunt ab eo, & conceperunt. Et major peperit filium, & vocavit eum Moab, à quo Moabitæ: Et minor peperit filium, quem Ammon vocavit, à quo deſcenderunt Ammonitæ. Nec Loth ſenſerat, quando filiæ

ſuæ ad ſe acceſſerant, vel quando ſurrexerant. Eo tempore Ragau ſive Rehu mortuus eſt.

CAPUT III.

ARius quartus rex Aſſyriorum regnavit annos xxx. cujus decimo anno natus eſt Iſaac, de quo ſupra dictum eſt; qui cum eſſet xL. annorum duxit uxorem Rebeccam, filiam Bathuëlis, filii Nachor fratris Abraham, puellam xI. annorum. Et hæc puella creditur prima fuiſſe, cujus conſenſus ad matrimonium contrahendum à parentibus eſt requiſitus. Sciendum eſt, quòd tradunt hiſtoriæ, quòd dum Iſaac naſcitur, & Abraham erat C. annorum, tunc erat centeſimus annus decimæ & ſeptimæ dynaſtiæ apud Ægyptios, & viceſimus ſextus annus repromiſſionis. Unde poſtquam regnum Ægypti non aliquis rex, ſed populus unius civitatis ſeu congregationis, tenuit, & tempus regiminis illius vocabatur Dynaſtia. Et cùm natus eſt Abraham incepit xvI. dynaſtia, & duravit per annos cxc. & per totum illud tempus regnabant Thebæi, id eſt populus illius civitatis, quæ dicitur Thebæ, à qua & regio Thebaida dicitur. Eſt & alia civitas in Græcia Thebæ dicta, quam condidit Cadmus: cujus cives dicti ſunt Thebani: ac etiam quoddam opidum Judææ dictum eſt Thebes, de quo habetur in lib. Judicum, (*cap. 9.*) cujus incolæ dicuntur Thebitæ.

Aralius v. Aſſyriorum rex regnavit annis xL. cujus temporibus Cres regnavit apud Cretam, ut quidam ſcribunt. Hujus Aralii anno xvII. Sara uxor Abraham mortua eſt: Et ultimo ejus anno Eſau & Jacob gemini nati ſunt, Eſau alio nomine dictus eſt Edom, & inde terra, quam inhabitavit, dicta eſt Edom, & Idumæa. Et Jacob alio nomine dictus eſt Iſraël: Unde Iſraëlitæ, qui poſtea à Juda filio Jacob, dicti ſunt Judæi.

Baleus, qui & Xerxes, ſextus rex Aſſyriorum regnavit annos xxx. Cujus anno primo incepit regnum Argivorum, apud quos primus regnavit Inachus. Hujus filia fuit Jo, quæ in Ægyptum veniens Ægyptiis primùm literas dedit: & inde apud eos dea reputata eſt, & mutato nomine dicta eſt Iſis, & dea Lanigera nuncupata eſt, & alias appellatur Ceres. Unde Auguſtinus libro octavo de C. D. Iſis uxor Oſyris regis dea Ægyptia, dum parentibus ſuis, qui omnes reges fuiſſe ſcribuntur, ſacrificaret, invenit hordei ſegetem, atque inde ſpicas marito regi, & ejus conſiliario Mercurio, demonſtravit. Unde Ægyptii eandem Cererem eſſe volunt, & ab hoc nomine cereviſia potus, qui de hordeo præcipuus fit, dicitur, & etymologiſatur, cereviſia, Ceréris vis in aqua. Hujus regis an. xv. Abraham dum eſſet annorum CLXXV. mortuus eſt. Et xvIII. ejuſdem Sale filius Arphaxat moritur. Et eodem tempore, ut quidam dicunt, Apis primùm in Ægypto deus putatus eſt, quem Serapim vocant. Iſaac poſtquam ſenuerat, caligantibus jam oculis ejus, mandavit Eſau filio ſuo, ut adferret ſibi de venatione ſua, ut comederet & benediceret ei, priuſquam moreretur. Unde Eſau pro mandato patris implendo exiſtente in venatione, Rebecca magis diligens Jacob induit eum veſtibus optimis ipſius Eſau, & occiſis hœdis, quorum pellibus manus & brachia Jacob texit, & carnibus coctis, ſub ſpecie Eſau ipſi patri ſuo, quaſi de venatione ſua pulmentum factum ſit, ſuaſit offerre, ut ipſe Jacob benedictionem patris prææriperet: qui matris conſilio acquieſcens, patrem manibus hirſutis, & veſtimentorum fragrantia fallens, quamvis pater in voce ejus hæſitavit, dicens: Vox quidem Jacob, manus autem Eſau: benedictionem à patre ſuſcepit. Propterea Eſau odivit Jacob, & morti eum tradere cogitat. Quod mater intelligens, mittit Jacob ad Laban fratrem ſuum in Meſopotamiam, donec Eſau ira quieſceret. Cumque Jacob in hac via circa Luzam urbem Samariæ nocte requievit, vidit in ſomnio ſcalam deſcendentem de cœlo ad terram, & Dominum innixum ſcalæ: quare urbem illam Bethel, id eſt, domus DEI, nominavit. Et poſtea ipſe quodam præſagio civitatem Judæ Ephrata vocavit Bethlehem, id eſt, domus panis, quia Chriſtus panis vitæ æternæ ibi naſciturus erat. Veniens igitur Jacob ad Laban avunculum ſuum, ſervivit ei ſub condictis certorum temporum annis xx. videlicet, ut daret ſibi filias ſuas in uxores: pro quibus ſervivit ſibi xIv. annis, videl. pro qualibet earum vII. annis: & reliquis annis ſervivit ſibi pro gregibus. Unde elapſis vII. primis annis, tradidit Laban filiam ſuam majorem Liam Jacob in uxorem, & dedit ei ancillam nomine Zelpha. Deinde tradidit Laban filiam ſuam minorem Rachel ſibi cum ancilla Bala. Ex his quatuor mulieribus

ieribus Jacob genuit XII. filios & unam filiam. Filii Liæ fuerunt Ruben, Simeon, Levi, Judas, Iſaſchar, & Zabulon. Filii Rachel fuerunt Joſeph & Benjamin: Filii Balæ Dan & Nephthalim. Filii Zelpha Gad & Aſer. Et Dina fuit filia Liæ. Ex prædictis XII. filiis Jacob ortæ ſunt XII. tribus Iſraël. Cumque Jacob ditatus fuerat apud Laban, ipſe cum liberis & uxoribus receſſit, & cùm pervenit ad vadum Jaboc, transmiſſis uxoribus & liberis ac gregibus univerſis trans aquam, ipſe ſolus circa flumen remanſerat, & ibi apparuit ei nocte angelus in ſpecie viri & luctabatur ſecum tota nocte, & quæſivit angelus ab eo, quod nomen eſt tibi: Ait ergo, Jacob: & dixit angelus: Nequaquam ultra appellatur nomen tuum Jacob, ſed Iſraël. Et tangens eum angelus in femore, & ſtatim emarcuit nervus in femore Jacob, & deinceps claudicavit, & propter hoc filii Iſraël non comederunt deinceps de nervo femoris. Deinde Jacob pervenit ad terram Emor Evæi, & emit ab ipſo Emor partem agri, in qua fixit tabernaculum, & erexit ibi altare, & invocavit ibi fortiſſimum Deum Iſraël. Dina vero filia Jacob egreſſa ibi videre mulieres regionis illius, rapta eſt à Sichem, filio Emor principis terræ illius, qui oppreſſit eam, & hoc fratres Dinæ ægrè nimis ferentes, inierunt fœdus cum Emor & Sichem, ac cæteris habitatoribus terræ illius in dolo, videlicet, ut circumcideretur omnis maſculus apud eos, & ſimiliter habitarent in terra illa, & Sichem obtineret Dinam in uxorem. Unde circumciſis omnibus maribus in terra Emor, Simeon & Levi fatres uterini Dinæ, tertia die circumciſionis, quando maximus dolor vulnerum eſſe ſolet, cum ſuis ingreſſi ſunt urbem & interfecerunt Emor & Sichem, & omnem maſculum urbis in ore gladii, & tulerunt Dinam ſororem ſuam de domo Sichem. Et poſt hoc cæteri fratres filii Iacob ex toto depopulati ſunt urbem, & mulieres ac parvulos abduxere captivos: & factum iſtud Iacobo patri eorum omnino diſplicuit. Hic Emor fundaverat urbem Sichem & Græce & Latine Sicima dicitur, & vocavit eam Sichem à nomine filii ſui.

CAPUT IV.

ARmatrites VII. rex Aſſyriorum regnavit annos XXXIIX. & anno ejus primo incepit XVII. Dynaſtia apud Ægyptios, & regnabant paſtores annis CIII. Item iſtis temporibus Jacob revertitur ad patrem ſuum in civitatem Arbeæ, quæ dicitur alio nomine Hebron. Item hoc tempore fuiſſe Job creditur. Unde dicunt Judæi, quod Job poſt flagella duxit Dinam filiam Jacob in uxorem, & ex ea ſuſcepit filiam, de qua & Putiphare eunucho & principe militiæ Pharaonis regis Ægypti nata eſt Aſſeneth, quam poſtea Joſeph duxit uxorem. Et ſic Judæi nituntur Joſeph excuſare de matrimonio alienigenæ. Alibi legitur, videl. in libro Philonis, quòd poſtquam Simeon & Levi vindicabant ſororem ſuam Dinam, accepit eam in uxorem Job, & genuit ex ea XIV. filios & VI. filias: videlicet VII. filios, & tres filias ante tentationem: & ſimiliter VII. filios & III. filias poſt tentationem. Et poſteriores, tam filios, quàm filias, eisdem nominibus vocavit, quibus vocaverat priores. Quidam dicunt fuiſſe Job pronepotem Eſau: Sed Ebræi dicunt, eum proceſſiſſe de Loth. Alii dicunt, quòd Nachor filius Abrahæ habuit IIX. filios, quorum primogenitus dictus eſt Hus, à quo deſcendit Jacob. Et inde dicitur in principio libri Job: Vir erat in terra Hus. Alium filium habuit Hus, à quo deſcendit Balaam, & in libro Job ille Balaam vocatur Eliu Buzites. Ego autem legi in quodam prologo in librum Job, quòd Job fuit rex Idumææ, & habitavit inter Arabiam & Idumæam, & habuit uxorem Arabiſſam, & fuit genitus ex uno de filiis Eſau, & erat quintus ab Abraham, & in Geneſi appellatur Jobab, & illud quodammodo conſonat AUGUSTINO XIIX. libro de C. D. *(cap. 47.)* & in homelia ſuper Evangelio: Liber Generationis. Sed GREGORIUS in moralibus ſuper Librum Job videtur intendere, quòd Job fuerit tempore Judicum. ANNO XX. hujus regis Aſſyriorum mortuus eſt SEM filius Noë, quem Judæi Melchiſedech credunt. Quod ſi ita eſt, potuit eſſe, quòd ipſi Abraham obtulit panem & vinum, ut ſupra dictum eſt. Sed ſcriptura parentes Melchiſedech non commemorat: & ergo beatus Paulus dicit eum filio Dei ſimilem, quia initium generationis non habuit, id eſt, non invenitur in ſcriptura generatio ejus ſub hoc nomine Melchiſedech. Item eodem tempore Phoronæus filius Inachi, ſecundus rex Argivorum, regnat apud Argivos, qui primus Græcis leges judiciaque conſtituit. A quo Telchines patria, pulſi Rhodum inſulam occupabant, quæ prius Ophiuſa.

Belochus IIX. rex Aſſyriorum regnavit annis XXXV. Hujus anno X. mortuus eſt Heber filius Sale, & XXIV. anno ejus Joſeph naſcitur. Et XXXIII. anno ejus factum eſt diluvium in Achaia, quod dicitur Ogygi. Iſtis temporibus narrat Joſeph patri ſomnia præſaga futurorum: videlicet, quæ ſignificabant eum futurum dominum fratrum ſuorum. Vidit enim manipulos ſe colligere cum fratribus, & manipuli fratrum ſuorum incurvabant ſe verſus manipulum ſuum. Item vidit Solem & Lunam ac Stellas adorare ſe. Inſuper ipſe accuſavit fratres ſuos de crimine peſſimo, videlicet, de Idololatria, & propter hæc odium fratrum ſuorum incurrit, ita ut tandem quærerent occidere eum: ſed quibusdam non conſentientibus, venditus eſt ab eis mercatoribus ambulantibus per viam: qui venientes in Ægyptum vendiderunt eum ibidem. Et fratres ejus finxerunt apud patrem eorum Jacob ipſum à beſtia devoratum.

Caput V.

Baleus IX rex Aſſyriorum regnavit annis LII. cujus anno IV. Joſeph cum eſſet annorum XVI. venditur à fratribus. Et ſequenti anno Iſaac cum eſſet annorum CLXX. mortuus eſt. Joſeph igitur ductus in Ægyptum emtus eſt à Putiphare eunucho, principe exercitus Pharaonis. Hic Putiphar dicitur habuiſſe filiam Pharaonis uxorem, & poſtea factus eſt ſacerdos Heliopoleos, & exſectus eſt propter ſacerdotium, & Eunuchus eſt vocatus. Alii dicunt, quod quia ipſe Joseph emerat ad turpes actus, ergo Deus exiccavit genitalia ejus, & inde dictus eſt Eunuchus. Anno VII. hujus regis, Apis cœpit regnare rex apud Argos tertius rex eorum, qui regnavit annis XXX. Hic X. anno regni ſui condidit civitatem in Ægypto, quæ Memphis eſt vocata: in qua civitate primùm charta facta eſt. (*Iſidorus lib. 6. cap. 10.*) & fiebat de papyro, id eſt, junco, & inde charta dicta eſt papyrus. Et dicitur charta, quia carptim papyri tegimen decerptum glutinatur. Sed pergamenum habuit originem in Pergamo civitate, & inde Pergamenum dicitur: & etiam dicitur membrana, quia de membris pecudum trahitur. Sed modus ſcribendi cum ſtylo incepit à Græcis, Thuſcis &c. Hic Apis rex Argivorum, præficiens fratrem ſuum regno, profectus eſt cum multo populo in Ægyptum, ibidemque mortuus eſt: quem cùm Ægyptii ſic mortuum pro Deo venerari incœperant, templum ei conſtructum eſt: ſed quia priusquam templum conſummabatur, ipſe in Sarcophago ſervabatur: & cum ſarcophagus lingua Ægyptiorum σορὸς dicitur, primum Sorapis, quaſi σορὸς, id eſt, ſarcophagus Apis, & ſucceſſu temporis mutato o in e dictus eſt Serapis: & maximus deus Ægyptiorum reputatus eſt. Unde conſtitutum eſt ab eis, ut quicunque diceret eum fuiſſe hominem, capite puniretur & ſimilis pœna erat apud eos de Iſide Dea eorum, de qua dictum eſt ſupra cap. III. Eodem tempore Joſeph, domino ſuo Putiphare abſente, à domina ſua ſuper concubitu interpellatur, & ipſe renuens à domina ſua apud dominum, quaſi vim mulieri facere voluiſſet, falsò accuſatur. Unde dominus ejus, uxoris ſuæ verbis credulus, Joſeph carceribus tradidit: ubi Joſeph pincernæ & magiſtro piſtorum regis ſomnia prudenter exponit, prout rei eventus comprobavit. Poſtea rex ſomnium vidit, & cùm nemo eſſet, qui hoc ſibi interpretaretur, Joſeph ad conſilium pincernæ, jam in officium reſtituti, eductus de carcere regi ſomnia interpretatur. Quare rex præferens eum cunctis ſapientibus Ægypti, tradidit ei Aſſeneth filiam Putipharis in uxorem: & quia juxta interpretationem ſomniorum regis Joſeph tempore fertilitatis collegit frumentum & granum multum, unde tempore famis ſalvata eſt Ægyptus, rex nomen ejus mutando, vocavit eum ſalvatorem mundi: & tunc erat Joſeph annorum XXX. Aſſeneth uxor Joſeph peperit ei duos filios: quorum unus dictus eſt Manaſſe, & alius Ephraim. Cumque invaluit fames in omni terra, miſit Jacob decem filios in Ægyptum pro frumento, & venientes ad Joſeph, ſuper frumento vendendo à rege conſtitutum, non noverunt eum: ipſe tamen eos noverat, nec eis ſe indicavit. Loquebatur autem eis per interpretem, ſimulans ſe linguam eorum non intelligere, exploratores terræ ipſos aſſerens eos terruit, & de multis interrogavit. Tandem confitentibus ei, quòd ipſi omnes unius Viri filii eſſent, & minimus frater eorum cum patre domi reſideret, ipſe coëgit eos unum de ſe dimittere apud eum, quem cuſtodiæ traderet, donec minimum fratrem adducerent ad eum. Quare, derelicto ibi Simeone fratre, cum frumento abierunt, & poſtea juxta condictum cum Benjamin, fratre eorum minimo, ad ipſum redierunt. Quem cum Joſeph vidit, commota ſunt viſcera ſua ſuper eo, quoniam

Digitized by Google

niam frater ejus uterinus erat, erumpebantque lacrymæ ejus: & intravit in cubiculum, & flevit, donec lota facie egreſſus ad eos, juſſit eos diſcumbere, & bene ſunt epulati. Tunc commiſit ſaccos eorum frumentis impleri, & pecuniam, quam attulerant ad ſaccos reponi, Scyphumque ſuum argenteum ſacco minoris includi. Quod cum factum eſſet, & ipſi jam viam recedendi inceperant, Joſeph ſubitò miſit poſt eos, & fecit eos, tanquam furti reos, comprehendi. Cumque compertum eſt, Scyphum eſſe in ſacco fratris eorum minimi, ipſi omnes reverſi ad Joſeph adoraverunt eum ſuper terram, & gratiam poſtulabant. Et ſic ſomnium, quod patri & fratribus Joſeph narraverat, impletum eſt. Tandem cùm Joſeph fratres ſuos quaſi furti reos duriùs arguiſſet, & Benjamin ſic in ſervum retinere ſe velle diceret, ipſe diutius ſe continere non valens, manifeſtavit ſe eſſe Joſeph fratrem eorum, quem vendiderant, & conſolatus eſt eos, & munera dedit eis, atque patri ſuo munera miſit, mandans ei, quòd ad eum venire feſtinet in Ægyptum, ne fame vexetur: quoniam adhuc anni quinque famis ſuperſint. Et ſic XXX. hujus regis anno, Jacob deſcendit in Ægyptum cum filiis ſuis, & omni ſupellectili ſua: & erant omnes, qui egreſſi erant de femore Jacob, deſcendentes in Ægyptum LXX. Et dedit ei Joſeph ex mandato regis Pharaonis terram Geſſen, quæ erat optima terra Ægypti. Deinde fame perdurante, Joſeph venditione frumenti totam Ægyptum acquiſivit Pharaoni, & in ejus ſervitutem redegit: ita quòd omnes habitantes in Ægypto, præter ſacerdotes, datis omnibus, quæ poſſederant, pro frumento, tandem receptis ſeminibus à Joſeph pro agris ſeminandis, promiſerunt regi quintam partem ſe daturos, tantùm ſibi retentis quatuor partibus omnium, quæ creſcebant in Ægypto. Anno ultimo hujus regis, Argus filius Apis rex Argivorum regnum accepit, & regnavit annis LXX. & ab eo Argivi dicti ſunt, & poſt mortem à ſuis pro deo colebatur, & ſacrificiis honoratus eſt: qui honor adhuc eo vivente cuidam Homogyro, à fulmine percuſſo, delatus eſt, eò quòd ille primùm boves aratro junxit. Et tunc Græcia primò cœpit habere ſegetes. Anno hujus regis XLV. Jacob Patriarcha, qui & Iſraël, anno vitæ ſuæ CXLVII. mortuus eſt. Et cùm hic ſe ſenſit morti propinquum, caligantibus oculis ſuis, filiis Joſeph Manaſſe & Ephraim ante ſe ſtatutis, Manaſſe ad dexteram, & Ephraim ad ſiniſtram, immutatis manibus poſuit dextram ſuper caput Ephraim, & ſiniſtram ſuper caput Manaſſe, atque benedixit eis. Videns autem Joſeph, quòd pater ejus manus mutavit ſuper capita filiorum, graviter accepit, & dixit ad patrem: Non ita convenit, pater, quia hic eſt primogenitus meus, demonſtrando Manaſſen. Cui pater ait: Scio, fili mi, ſcio, & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur, ſed frater ejus minor major illo erit. Poſt hoc Jacob, vocatis filiis ſuis XII. benedixit eis per ſingulos, cuilibet eorum futura annuncians: & cùm benedixit filium ſuum Judam inter cætera prophetando de Chriſto, & de vocatione gentium dixit: Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, fili mi, aſinam ſuam. Et finitis benedictionibus filiorum ſuorum, defunctus eſt, poſtquam habitavit in Ægypto XVII. annis: & reductus eſt per filios ſuos in terram Chanaan, & ſepultus eſt in Hebron, in ſepulcro patrum ſuorum Abraham, & Iſaac: quoniam ita adjuravit filios ſuos. Hic locus dicitur diſtare à Calvariæ loco ferè XXX. milliaribus, & vocatus fuit alio nomine Arbee, ac etiam Mambre. Et ſepulti ſunt ibi Adam & Eva: Abraham & Sara: Iſaac & Rebecca: Jacob & Lia, & Joſeph.

Alcadas X. rex Aſſyriorum regnavit annis XXXII. & anno ejus II. Sparta condita eſt à filio Phoronei. Item hujus tempore dicitur fuiſſe Prometheus, qui invenit uſum annulorum: & in quarto digito poni annulum debere dixit, quia ab illo quædam vena pertingit ad cor.

CAPUT VI.

Mamitus XI. rex Aſſyriorum regnavit annis XXX. cujus anno XXX. cùm Joſeph eſſet annorum CX. mortuus eſt. Et cum vicinus eſſet morti, adjuravit fratres ſuos, ut cum Dominus educeret eos de Ægypto, ipſi ſecum oſſa ſua deferrent. Hujus regis ultimis temporibus Callichias Pirantis filius primus ſacerdotio functus eſt apud Argos.

Mancaleus XII. rex Aſſyriorum regnavit annis XXX. cujus temporibus Atlas, frater Promethei, aſtrologiam invenit: & iſtis temporibus perdurat ſervitus Hebræorum

rum in Ægypto. Et de iſto Atlante dicit Auguſtinus (*de C. D. lib. 18. cap. 8.*) Eo tempore quo natus eſt Moyſes, fuiſſe perhibetur Atlas, ille magnus Aſtrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii majoris: cujus nepos fuit Mercurius, qui Triſmegiſtus dictus eſt, cujus temporibus in Ægypto viguit ſcientia, quam Ægyptii ſcientiam Ægyptiorum vocant. Hic Atlas dicitur habuiſſe filiam Electram nomine, ex qua Jovis genuit Dardanum: qui exiſtens in Italia, reſponſo à diis accepto, locum mutavit, & per Thraciam Samum delatus eſt, quam Samothraciam nominavit. Deinde venit in Phrygiam, quam ex nomine ſuo Dardaniam nominavit, & ab eo reges Trojani duxerunt originem. Et quia Atlas ſupradictus fingitur à Poëtis ſuſtentare cœlum, quidam mons nimiæ altitudinis exiſtens in Africa Atlas dictus eſt.

Sphærus XIII. rex Aſſyriorum regnavit annis XX. Eo tempore Suris indigena fuiſſe perhibetur, à quo Syria dicta eſt. Item eo tempore Æthiopes, ab Indo flumine conſurgentes, juxta Ægyptum conſederunt. Hujus regis anno XIIX. poſt nativitatem Abrahæ CCCCXXV. natus eſt Moyſes, & à filia Pharaonis ſalvatus ex aqva in filium adoptatur. Mandavit enim rex Ægypti, omnes infantes Hebræorum maſculos ad flumen projici: ne populus Hebræus nimis accreſcens, fortè expelleret Ægyptios de terra. Erat autem vir Hebræus in Ægypto nomine Amram, de tribu Levi, cujus uxor Jochabed peperit filium, & abſcondit eum tribus menſibus, vocavitque nomen ejus Melchiel. Tandem diutius non audens cælare eum, fecit fiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine, & poſuit infantulum in fiſcellam, & expoſuit eam in carecto ripæ fluminis. Et ſic defluente fiſcella, filia Pharaonis veniens cum puellis ſuis ad flumen, juſſit ſibi fiſcellam adferri. Qua aperta vidit infantem vagientem, miſertaque ejus ipſum adoptavit in filium, & vocavit nomen ejus Moyſes, quia de aqua ſalvavit eum. Moys enim lingua Ægyptia aqua dicitur. Et dum filia Pharaonis infantem recepit de fiſcella, accurrit Maria ſoror infantis, tanquam caſu veniret, & exhibuit ſe ad providendum infanti de nutrice, ſi filiæ Pharaonis gratum eſſet. Quæ illud gratanter accipiens, juſſit ad ſe nutricem adduci. Adduxit igitur Maria matrem infantis, & tradidit ei filia Pharaonis puerum nutriendum. Et legitur in libro Philonis, quòd hæc Maria ſoror Moyſis, quando Moyſes naſcebatur, hujusmodi habuit viſionem, quam parentibus narravit, videlicet, vir quidam aſtitit ei in byſſina veſte, & dixit ei, Vade, & dic parentibus: Ecce quod naſcetur de vobis in aqvam projicietur, quoniam per eum aqva ſecabitur, & faciam per eum ſigna, & ſanabo populum meum, & ipſe ducatum ejus aget ſemper. Poſtquam Moyſes ablactatus eſt, recepit eum filia Pharaonis: & rex videns puerum elegantis formæ, dilexit eum. Quadam igitur vice dum proceſſiſſet puer in ætate infantiæ, rex jocando cum eo, coronam dei ſui poſuit ſuper caput infantis: ſed puer auferens coronam de capite ipſam projecit in terram. Quod ſacerdotes Idolorum videntes, dixerunt: Hic puer eſt futurus inimicus Deorum noſtrorum. Unde ſvaſerunt regi, ut interficeret eum. Rex igitur, conſilio ſuper hoc habito, fecit adferri prunas ardentes, volens probare, an puer ex induſtria hoc feciſſet. Puer verò, oblatis ſibi prunis, carbonem ardentem ſuſtulit, & manu poſuit ad os, & ſic anteriorem partem lingvæ aduſſit: & ex hoc balbutiens lingua remanſit, & inde poſtea, dum Dominus ſibi apparuit in Horeb, fertur dixiſſe: impeditioris lingvæ ſum. Et ſic puer evaſit inſidias ſacerdotum. Sed Origenes III. homilia in Exodum dicit: Moyſes erat, quantum ad Ægyptios, ſonoræ vocis, & eloqventiæ incomparabilis: ubi autem cœpit audire vocem Domini, & eloqvia divina ſuſcipere, tunc ſenſit exilem & gracilem vocem ſuam, tardamqve & impeditam eſſe ſuam lingvam intelligit.

Caput VII.

Mamillus XIV. Rex Aſſyriorum regnavit annis XXX. Hujus temporibus Moyſes didicit omnem Philoſophiam Ægyptiorum, & literas Hebræorum poſtea reperit, & etiam hiſtorias primus ſcripſit. Eo tempore Æthiopes invaſerunt Ægyptum, & Ægyptii à diis ſuis reſponſum receperunt, quòd expediret eis contra Æthiopes auxilium alicujus, qui eſſet Hebræus. Quare Moyſes factus eſt dux exercitus Ægyptiorum contra Æthiopes. Ut autem poſſet prævenire Æthiopes fugientes, deliberavit exercitum ducere per quoddam deſertum: ſed quia deſertum illud præ multitudine ſerpentum hominibus invium videbatur, ipſe collegit multitudinem ciconiarum. Cumqve per deſertum tranſiit, ſerpentibus ciconias objecit, ſicqve fugatis ſerpentibus,

Digitized by Google

bus, deſertum tranſiit, ac Æthiopes in civitate regia obſidione concluſit. Cum verò civitatem vi capere non poterat, Thamus filia regis Æthiopum, videns Moyſen elegantis formæ, ex condicto prodidit ei civitatem: videlicet, ut ipſe eam acciperet in uxorem, quod & factum eſt. Poſt hæc dum Moyſes deſideraret redire in Ægyptum, & uxor ei non acquieſceret, ipſe tanquam peritus ſcientiæ aſtrorum duas imagines ſculpſit in gemmis, hujus efficaciæ, ut altera memoriam, altera oblivionem conferret. Cumqve paribus annulis eas inſeruiſſet, alterum, videlicet oblivionis, uxori tradidit, alterum ipſe ſibi retinuit. Cœpit ergo mulier amoris viri oblivіſci, & ipſe in Ægyptum liberè reverſus eſt. Anno XII. hujus regis Aſſyriorum in Theſſalia primus regnavit Emon. Item circa idem tempus Hercules primus vicit Antæum. Item eodem tempore Catillas quadrigam junxiſſe fertur.

Sparametus XV. rex Aſſyriorum regnavit annos XL. Hujus anno IV. incepit regnum Athenienſium, ubi primùm regnavit Cecrops, qui regnavit annis L. Hic Cecrops bovem immolans primus Jovem appellavit, & ipſe natione Ægyptius erat. Iſtis temporibus Moyſes videns quendam Ægyptium injuriam irrogare cuidam Hebræo, zelo fraternæ dilectionis accenſus, Ægyptium illum occidit. Quod factum dum ad notitiam regis pervenit Moyſes ad pœnam quæritur: quare ipſe fugit in terram Madian. Ubi notandum, quòd, ut teſtatur Ambroſius in Hexaëmeron circa principium, (*l. I. cap. 2.*) Moyſes fugit in Æthiopiam, & pervenit ad civitatem, quæ Madian dicebatur, à quodam filio Abrahæ, quem ei genuit Cetura: & ibi Moyſes ſe junxit affinitate ſacerdoti civitatis, videlicet, illius viri, qui primatum gentis tenebat ibidem: & ergo ſacerdos dicebatur. Hic proprio nomine vocabatur Raguel, agnominatus Jethro, & cognominatus Cineus fuerat. Hic habuit filiam nomine Sephoram, quam dedit Moyſi in uxorem. Cumque poſtea Moyſes quadam vice paſcebat oves in monte Horeb, apparuit ſibi Dominus in flamma ignis, in medio rubi, & vocavit eum: qui cum appropinquaret rubo juſſus eſt ire in Ægyptum, ut educeret filios Iſraël ex Ægypto. Et cùm dubitaret, revelatum eſt ei nomen Domini, & doctus eſt ſigna, quæ facturus erat coram Pharaone, & filiis Iſraël. Moyſes pergens in Ægyptum ſigna fecit coram Pharaone, & rex non credidit verbis ejus, neque ſignis: ſed per incantatores ſuos ſimilia ſigna fieri juſſit: quæ omnia ipſi fecerunt præter unum, videlicet, quòd ex pulvere terræ, virga percuſſo, cyniphes Moyſes produxit, quibus tota Ægyptus replebatur. Unde malefici in hoc ſigno deficientes, quod tamen minimum videbatur, dixerunt: Hoc digitus Dei eſt, id eſt, hoc ſpiritus Dei eſt. Ubi notandum, quòd legimus decem plagas principales à Domino Ægyptiis illatas. Prima, quòd omnis aqua in terra Ægypti converſa eſt in ſanguinem. Secunda, quòd omnia loca in terra Ægypti repleta ſunt ranis. Tertia, quòd cyniphes videlicet muſcæ minutiſſimæ repleverunt totam Ægyptum. Quarta, quòd muſcæ magnæ repleverunt terram. Quinta erat mors pecudum. Sexta, quòd puſtulæ tanquam veſicæ turgebant in hominibus. Septima fuit grando percutiens vites & ſegetes. Octava, brucus corrodens omne quod viride erat. Nona, tenebræ denſiſſimæ tribus diebus. Decima erat mors primogenitorum, tam in hominibus, quàm in jumentis. Nec dicendum eſt, quòd hodie una plaga, & cras altera Ægyptii afflicti ſunt: quia forte determinandum non eſt in quanto tempore: quia ſine multo intervallo temporis forte hæc facta non ſunt. Ex his plagis Ægypti tractum eſt, quòd quidam dies dicuntur dies Ægyptiaci, quorum duos in ſingulis menſibus notamus ad memoriam tantum. Non enim credendum eſt, ut dicit Iſidorus, quòd Ægyptii, licet aſtrorum periti, deprehenderunt hos dies nefaſtos in incoatione operis, itineris, vel minutionis: ſed tantum ad memoriam vocati ſunt. Et ſic forte Ægyptii notaverunt hos dies, ut videtur ex dictis Iſidori: & præſertim illos dies, quibus plagæ factæ ſunt: quod ſi ita eſt, ſequitur, quòd per unum annum ad minus bis plagis vexati ſunt. De electione verò dierum ſeu reprobatione dicit Auguſtinus lib. V. de C. D, (*cap. 7.*) Jam illud quis ferat, quòd in eligendis diebus nova quædam ſuis actibus fata moliuntur? Non erat videlicet ille natus, ut haberet admirabilem filium, ſed ita potius, ut contemtibilem gigneret: & ideo vir doctus elegit horam, qua miſceretur uxori. Fecit ergo fatum, quod non habebat, & ex ipſius fato cœpit eſſe fatale, quod in ejus nativitate non fuerat. O ſtultitiam ſingularem! eligitur dies ut ducatur uxor. Credo propterea, quia poteſt in diem non bonum, niſi eliga-

tur, incurri & infeliciter duci. Ubi eſt ergo, quod naſcentium ſydera decreverunt? An poteſt homo, quod ei jam conſtitutum eſt, diei electione mutare: & quod ipſe in eligendo die conſtituerit, non potuerit ab alia poteſtate mutari? Propter plagas Ægypti creditur Cecrops egreſſus Ægyptum, & in Græcia condidiſſe urbem, quam Atten vel, ut dicit Iſidorus, (*lib. 15. cap. 1.*) vocavit eam ex ſuo nomine Cecropiam, quam Amphytrion, qui tertius poſt eum regnavit, ibidem Minervæ conſecravit, & nomen ipſi civitati Athenæ dedit: nam Minerva Græcis ἀθήνη dicitur. Sed verius videtur ex aliis ſupradictis, quòd Cecrops, antequam plagæ factæ ſunt in Ægypto, egreſſus fuerat Ægyptum, cum Moyſes nondum miſſus à Deo erat in Ægyptum, quando jam Cecrops regnaret in Græcia. Creditur etiam Dionyſius Bacchus propter plagas prædictas egreſſus Ægyptum: qui Græcis uſum vitis oſtendit, & ergo apud eos in numerum deorum reputatus eſt. Anno XXIV. hujus regis Aſſyriorum, Deucalion cœpit regnare apud eos, qui circa Parnaſſum montem habitabant: & XII. anno regni ejus factum eſt diluvium in Theſſalia, quod dictum eſt diluvium Deucalionis. Et eodem tempore factum eſt incendium ſub Phaëthonte.

CAPUT IIX.

Aſcatades XVI. rex Aſſyriorum regnavit annis XL. Hujus anno V. condita eſt Corinthus. Et anno ejus IIX. nativitatis Abrahæ DV. repromiſſionis CCCCXXX. Moyſes annorum LXX. educit filios Iſraël ex Ægypto. Quartadecima enim die menſis primi, id eſt, Aprilis, quem Judæi Niſan appellant, eduxit Dominus per Moyſen filios Iſraël de Ægypto: & nocte illa comederunt agnum Paſchalem primò, & percuſſit Dominus eadem nocte omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito regis usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & ſimiliter in animalibus. Et non erat domus in Ægypto, in qua non jaceret mortuus ea nocte, præterquam in domibus filiorum Iſraël, quæ erant in poſtibus & ſuperliminaribus ſignatæ ſanguine, prout Deus præceperat Moyſi. Unde ſurgentes Ægyptii coëgerunt filios Iſraël exire de Ægypto, ne omnes perirent. Et dum exierunt Dominus præceſſit eos in columna nubis per diem, propter ardorem ſolis: & in nocte per columnam ignis, ut eis monſtraret viam, per quam graderentur. Et egredientes filii Iſraël de Ægypto erant fere DC. millia peditum virorum, abſque parvulis & mulieribus: Et nullus inter eos erat infirmus. Et hæc eſt dies Paſchæ apud Hebræos, quæ Græcè Phaſe, id eſt, tranſitus dicitur. Notandum, quòd Paſcha quandoque veſpera illa dicitur, quando agnus immolabatur. Unde illud: Scitis quia poſt biduum Paſcha erit: Quia Chriſtus dixit feria tertia illa verba: & tota dies præcedens illam veſperam Paſcha dicebatur. Unde illud, Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? Et Paulus dicit: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Item VII. dies ſequentes videlicet dies azymorum dicebantur Paſcha, ut ibi: Non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha, id eſt, mundi comederent in Paſcha. Cumque Moyſes voluit educere filios Iſraël de Ægypto, oſſa Joſeph ſecum abducere voluit, juxta quod adjuraverat fratres ſuos: ſed de eo tempore Nilo fluvio plus ſolito inundante aqua, ſepulcrum Joſeph minimè poterat inveniri. Quapropter Moyſes nomen dictum Tetragrammaton ſculpſit in lamina aurea, & illam poſuit ad aquam, quæ ſupernatavit, & locum ſepulcri oſtendit. Et ſic oſſa reperta ſunt, quæ leguntur prophetaſſe. Unde legitur de Joſeph Eccleſiaſtici XLIX. Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt. Hebræi tamen dicunt, quòd ovis ex improviſo aſtitit juxta eos, quæ locuta eſt ad eos, ob quam rem deduxerunt eam ſecum multo tempore per deſertum, & vocaverunt eam ovem Joſeph. Etiam de credunt illud Pſalmi (79.) eſſe ſcriptum: Qui deducis velut ovem Joſeph. Egredientibus autem filiis Iſrael de Ægypto, Pharao rex Ægypti pœnitentia ductus, quòd filios Iſrael dimiſerat, congregato exercitu, perſecutus eſt eos. Videntes autem filii Iſrael Ægyptios venientes, timuerunt valdè. Ut legitur In libro Philonis in, tres ſententias conſilia eorum diviſerunt. Nam tribus Ruben, Iſaſchar & Zabulon & Simeon dixerunt: Venite & mittamus nos in mare: melius eſt nos in aqua mori, quàm ab inimicis concidi. Tribus autem Gad, Aſer, Dan & Nephtalim dixerunt: Non: ſed revertamur cum eis, & ſi voluerint nobis dare vitam, ſerviemus illis. Sed tribus Levi, Juda, Joſeph & Benjamin dixerunt: Non ſic, ſed accipientes arma noſtra pugnemus cum eis, & erit Dominus nobiſcum. Tandem Moyſes ex præſcripto Domini

mini virga percuſſit aquam maris rubri, & diviſa eſt in diviſiones: ita quòd unaquæque tribus per ſe ingrederetur, prout tangit Origenes homilia v. in Exod. Et ſic tranſierunt filii Iſraël ſiccis pedibus per ſinum Perſicum maris rubri. Ægyptii verò per ſequentes eos operti ſunt fluctibus, ita quòd nec unus ſupermanſit: & ſic liberavit Dominus filios Iſrael die illa. Et Ægyptiorum qui ſubmerſi ſunt erant L. millia equitum, & CC. millia peditum. Et demum filii Iſrael manebant circa mare VII. diebus: Et quolibet die acceſſerunt ad littus maris cantantes canticum, quòd Moyſes eos docuit, videlicet: Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt. Et viri canebant ſeorſum & mulieres ſeorſum. Et hoc repræſentatur, quando ſeptem diebus Paſchalibus fons baptiſmatis ad veſperas cum ſolennitate viſitatur, & legitur Pſalmus: *(113)* In exitu Iſraëlis de Ægypto. in quo fit mentio de maris receſſu, & etiam de receſſu Jordanis ſub Joſue facto. Fit etiam mentio in eodem pſalmo de collium exultatione: Quia dicunt Hebræi quòd quidam montes in deſerto ipſis inclinati ſunt præbentes eis tranſitum. Poſtquam filii Iſrael receſſerunt de mari venerunt in deſertum Sur, ubi ei obdulcoratæ ſunt aquæ amaræ per immiſſionem ligni, quod Dominus oſtendit Moyſi. Deinde venerunt in Helim, ubi erant XII. fontes aquarum & LXX. palmæ, & caſtrametati ſunt juxta aquas. Profectique ſunt de Helim: & venit omnis multitudo contra Moyſen & Aaron: dixeruntque ad eos filii Iſrael: Utinam mortui eſſemus per manum Domini in Ægypto, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus carnes in ſaturitate. Cur induxiſtis nos in deſertum iſtud: ut occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt vobis per ſingulos dies. Die autem ſextò parent quod inferant: & ſit duplum, quàm colligere ſolebant per ſingulos dies. Et dixit Dominus ad Moyſen: Audivi murmurationes filiorum Iſraël, loquere ad eos: veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus, ſcietiſque quòd ego ſum Dominus Deus veſter. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix operuit caſtra: maneque res jacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine terræ minutim, & quaſi pilo tunſum in ſimilitudine pruinæ ſuper terram. Quod cùm vidiſſent filii Iſraël, dixerunt ad invicem Manhu? quod ſignificat: quid hoc eſt? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte panis eſt, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum: & inde Manna dictum eſt, quo cibo uſi ſunt filii Iſraël XL. annis in deſerto. Terebant enim illud, & in panem redigebant, cujus ſapor erat in ore cujuslibet ſecundum propriam voluntatem: & ad ignem durabat, & ad ſolem liquefiebat: & quilibet accepit pro ſe menſuram, quæ Gomor dicebatur: & qui plus accipiebat, non habebat magis: & qui minus, ſufficiebat tamen. Et mandavit Dominus, quòd nullus relinqueret Manna, quod ſibi ſupereſſet, in tabernaculo ſuo usque ad mane. Sed quidam reſervabant contra mandatum Dei, & illud computruit: & ſcaturiit vermibus. Illud autem, quod remanſit in campo, ſole incaleſcente evanuit. Recepit etiam Aaron de mandato Moyſi vas, & implevit illud Manna, & poſuit in tabernaculum teſtimonii ad futuram memoriam. Et venerunt in hunc locum filii Iſrael die XV. menſis ſecundi poſtquam egreſſi ſunt de Ægypto. Ubi ſciendum, quod triplex eſt annus apud Hebræos: videlicet uſualis, quo utuntur in contractibus, quem habent communem nobiſcum. Alius eſt Legitimus, quo utuntur in legitimis, videlicet, quæ agunt ſecundum legem. Hujus anni tertio menſe & quarto die, egreſſi ſunt filii Iſraël de monte Sinai. Unde Exodi cap. XIX. legitur, quòd tertio menſe in hac die, quæ eſt Kalend. Junii, venerunt ad montem Sinai: & poſt tertia die, quæ erat quinquageſima à Phaſe, & Græcè dies dicitur Pentecoſtes, acceperunt legem, & anno ab hoc revoluto receſſerunt. Tertius eſt annus emergens: In memoriam enim liberationis ſuæ cœperunt annos ſuos numerare ab exitu de Ægypto, ſicut Græci à prima Olympiade: Romani ab urbe condita: Chriſtiani à nativitate Chriſti. Et hujus anni ſecundo menſe, viceſima die, egreſſi ſunt de monte Sinai. Poſtquam receſſerunt de deſerto Sin, venerunt ad montem Horeb, & ibi Moyſes percuſſit petram virga, & egreſſæ ſunt aquæ, & biberunt filii Iſraël.

CAPUT IX.

Poſtquam igitur filii Iſrael venerunt in deſertum Sinai, receperunt legem quinquageſima

Digitized by Google

geſima die à Phaſe. Unde adveniente die, prout legitur in libro Philonis, voces & chorus cantantium, ſplendor & vox pſalmi ſonabant fortiter: & pavor factus eſt omni populo, qui erat in caſtris. Et ecce montes ardebant igni, & terra tremuit, & conturbati ſunt colles, & montes volvebantur, & abyſſi ebulliebant, & omne habitabile movebatur, & cœli plicabantur, & hauriebant aquam, & flammæ ignis exardeſcebant, & tonitrua & fulmina frequentabantur, & venti & procellæ perſtrepebant, aſtra congregabantur, & angeli præcurrebant: quousque Deus poneret legem ſempiterni teſtimonii filiis Iſrael: & tradidit Dominus Moyſi duas tabulas lapideas, ſcriptas ex utraque parte digito Dei, quæ continebant decem præcepta. Et interim quod Moyſes accipiens has tabulas erat cum Domino in monte, populus coëgit Aaron & Hur: quos Moyſes populo præfecerat, ut facerent ei deos: cumque illi recuſaverunt, populus irruens in Hur ipſum ſputis ſuffocavit. Quare Aaron timore coactus, poſtulavit inaures aureas mulierum, & ex illis formavit vitulum conflatilem, quem populus adoravit. Quoniam populus viderat Ægyptios Jovem in forma tauri venerari: licet etiam in forma arietis eundem Jovem venerari ſolebant, prout teſtatur Origenes homilia quarta in Exodum. Moyſes vero poſtquam XL. diebus & XL. noctibus jejunans cum Domino fuerat in monte, juſſu Domini deſcendit de monte, & portavit tabulas in manibus. Cumquè audiverat populum ſaltantem & cantantem circa vitulum, iratus tabulas confregit: quoniam, ut dicit Philo, ſcripturam tabularum vidit deletam. Et accedens vitulum confregit: & miſit in aquam: & ex illa potavit populus, & quicunque habuit in voluntate ſenſus ſui, quòd perficeretur vitulus, conſcindebatur lingua ejus: vel, ut alii dicunt, pulvis apparuit in barba ejus. Si quis verò coactus in timore conſenſerat, ſplendebat viſus ejus. Quare Moyſes juſſit interfici omnes, qui voluntariè conſenſerant: & ceciderunt una die quaſi XXIII. millia hominum. Deinde Moyſe orante pro populo, Dominus præcepit ei: ut duas tabulas ſimiles prioribus excideret. Et illis factis montem aſcendit & fuit iterum cum Domino XL. diebus, & XL noctibus jejunans. Quibus tranſactis ipſe deſcendit de monte cum tabulis continentibus ſcripta in ſe decem præcepta Domini, & apparuit tanta claritas in facie Moyſi ex conſortio ſermonis Domini, quòd filiis Iſrael facies ejus cornuta videbatur: nec audebant reſpicere in eum, & ipſe hoc ignorabat. Sed poſtquam cognovit ipſe, poſuit velamen ſuper faciem ſuam, & ſic loquebatur ad eos. Quanto autem tempore duravit claritas in facie Moyſi, & an ſemel aut pluries acciderit, ignoratur. Sed tradunt Hebræi, quòd Moyſes tertio die aſcendit in montem ad impetrandum eis veniæ certitudinem: & iterum fuit cum Domino XL. diebus & XL. noctibus jejunans. Cumque rediit cum certitudine veniæ, erat nona dies ſeptimi menſis & ſic in craſtino ſolennitatem agentes pro venia data affixerunt animas ſuas jejunantes, videlicet decima die menſis: & inde eadem dies, dies propiciationis dicta eſt. Pro quo notandum, quòd Judæi primò habuerunt ſeptem feſta, videlicet, Sabbatum in qualibet ſeptimana: Neomeniam in principio cujuslibet menſis: Paſcha XIIII. luna Aprilis: Pentecoſten L. die poſt Paſcha, in memoriam datæ legis: Feſtum tubarum prima die Septembris, in memoriam liberationis Iſaac: Feſtum propiciationis decima die Septembris: Feſtum Scenopegiæ, quod fixionem tabernaculorum ſonat XV. die Septembris. Et poſtea habuerunt alia feſta, videlicet feſtum Encæniorum, hoc eſt dedicationis templi, & feſtum Sortium de hiſtoria Eſther. Dies propiciationis, de quo jam dictum eſt, etiam dicebatur dies Afflictionis: quia ea die jejunabant homines & jumenta & pueri ſeptennes, & agebatur ea die memoria mortuorum. Item eadem dies expiationis dicebatur: quia ea die purificabant tabernaculum & altare per ſanguinis aſperſionem à contagiis, quæ contraxerant per totum annum à peccatis miniſtrantium. Et ea die ſacerdos tollebat vitulam ruffam & duos hircos pro peccato & arietem in holocauſtum: & ſtatuebat duos hircos in oſtio tabernaculi, mittebatque ſortem ſuper utrumque, ut ſciretur quis Domini eſſet, & quis populi fieret, cujus ſors exibat, offerebat illum pro peccato populi, & cujus ſors non exibat, illum reſervabat vivum. Et immolabat vitulum pro peccato ſuo & domus ſuæ, tollebatque de ſanguine hirci & vitulæ & thuribulum plenum prunis, multumque tollens thymiamatis intravit ultra velum, aſpergens ſepties digito de ſanguine coram propiciatorio ad Orientem, & ſepties pavimentum

Digitized by Google

mentum nulluſque erat cum eo in tabernaculo, dum populum expiabat, in quem modum quidem ſemel in anno altaria lavant vino. Poſt hæc egrediebatur ſacerdos ad hircum viventem, ponenſque utramque manum ſuper caput ejus confitebatur generaliter peccata filiorum Iſrael, & imprecans ea capiti ejus, mittebat eum in deſertum per hominem ad hoc paratum. Et ſic populus erat expiatus à peccatis anni illius. Et hoc facto, ſacerdos, depoſitis veſtibus lineis, induebatur veſtibus Pontificalibus, & offerebat Domino arietem. Vitulum autem & hircum, de quorum ſanguine facta erat expiatio, ferebant extra caſtra, & comburebant igni, tam pelles, quàm carnes eorum. Ex his cineribus fiebat aqua aſperſionis, qua per totum annum purificabatur immundus: Et in hunc modum dicitur confici Chriſma. (*Videtur hic in Gobelino hiatus eſſe.*) poſt ſupradicta Beſeleel fecit arcam fœderis, ſeu teſtamenti de lignis Setim, & veſtivit eam intus & foris auro puriſſimo, & cætera fecit, quæ ad locum Dei pertinebant, juxta quod Moyſes ex præcepto Domini indicavit ſibi. Anno X. Aſcatadis regis Aſſyriorum ſupradicti Moyſe fratrem ſuum Aaron fecit ſummum ſacerdotem primum apud Hebræos, & conſtituit filios ſuos ſacerdotes minores. Poſthæc Aaron & Maria ſoror ejus murmuraverunt contra Moyſen pro uxore ejus Æthiopiſſa: & propter hoc Maria percuſſa eſt lepra à Domino, & ejecta extra caſtra ſeptem diebus, & poſtea ſanata eſt à Domino ad preces Moyſi, & revocata in caſtra: ſed Aaron pœnituit, antequam vindicta venit in eum. Cumque filii Iſrael in deſerto Pharam moram traherent, Moyſes miſit XII. viros, de qualibet tribu unum, ad explorandam terram promiſſam: qui poſt XL. dies reverſi ſunt apportantes botrum unum cum palmite in vecte, & de aliis fructibus terræ: ſed ipſi omnes fecerunt populum deſperatum, & concitaverunt murmur contra Moyſen, præter duos, videlicet Caleb filium Jophone, de tribu Juda, & Oſee, filium Nun de tribu Ephrahim, quem Moyſes Joſue nominavit. Hi duo conſolabantur populum: ſed populus noluit eos audire & imprecabatur ſibi ipſi mortem in deſerto futuram. Quare Dominus iratus contra populum, decrevit omnem populum natum à XX. annis & ſupra, moriturum in deſerto, infra XL. annos, ſecundum quod XL. diebus in exploratione terræ perſeveraverant præter Caleb & Joſue. Et populus propter hoc luxit, & pœnituit ac jejunavit, & hoc erat jejunium ſecundum apud eos. Anno XII. hujus regis Aſſyriorum templum Apollinis Delphici ab Erichtione fabricatum eſt. Item anno XVII. vitis à Dionyſio invenitur, non à filio Semeles, ſed à Dioniſio Baccho. Poſtquam Moyſes fratrem ſuum ex præcepto Domini (*Num.* 6.) ſummum conſtituit ſacerdotem, Dathan & Abiron de tribu Ruben, & Core de tribu Levi, cum quibuſdam aliis, volebant ſibi vendicare ſacerdotium contra ordinationem Moyſi: quare terra aperuit ſe, & deglutivit Dathan & Abiron cum omni ſubſtantia eorum. Et Core volens offerre ignem Domino, igne egrediente de thuribulis, una cũ viris CCL. hoc idem tentantibus, conbuſtus eſt: quapropter populus congregatus ſequenti die Moyſen & Aaron lapidibus obruere voluit: quare Moyſes & Aaron fugientes in tabernaculum fœderis abſconderunt ſe: & ignis egreſſus à Domino combuſſit quatuordecim millia hominum & ſeptingentos. Poſt hoc dixit Dominus ad Moyſen, ut tolleret XII. virgas ſingulas continentes nomen principis unius tribus, & cum hoc unam virgam continentem nomen Aaron, & illas poneret ad tabernaculum fœderis, & quæcunque germinaret, illius tribum elegiſſet Dominus ad ſacerdotii dignitatem. Quod cum factum eſſet, Moyſes ſequenti die ingreſſus tabernaculum fœderis, invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt. Et ſic oſtendit Deus, ſacerdotes & miniſtros elegiſſe ſe de tribu Levi, ſummo ſacerdotio tantum Aaron, & filiis ſuis reſervato. Cumque filii Iſrael reſidebant in deſerto Cades, iterum dedit eis Deus aquam de petra, quæ quidem aqua dicta eſt aqua contradictionis: ubi Moyſes & Aaron incurrerunt indignationem Domini, eò quòd non glorificaverunt eum ibi coram populo: cum Dominus præceperat Moyſe percutere petram virga: quia Moyſes dixit ad populum: Audite rebelles, num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Et propterea noluit Dominus, quòd ipſi introducerent populum in terram promiſſionis. Deinde populus parvipendens Manna dixit: (*Num.* 21.) Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo, & ergo Deus miſit in populum ignitos ſerpentes, qui interfecerunt plurimos: ſed dum populus pœnituit, Moyſes ex præcepto Domini fecit ſerpentem æneum, &

N 2 quicun-

Digitized by Google

quicunque illum aſpexit, à morſu ſerpentum ſanabatur. Poſt hoc populus divertit in terram Amorrhæorum: cumque Amorrhæi tendebant filiis Iſrael inſidias in montibus, Dominus oppreſſit Amorrhæos rupibus montium, & montes inclinati, ut Judæi dicunt, tranſitum præbuerunt filiis Iſrael: & tunc occiderunt Sehon regem Amorrhæorum, qui contra eos venerat: & deinde ſimili modo occiderunt Og regem Baſan cum filiis ſuis.

CAPUT X.

BAlac rex Moab, audiens famam filiorum Iſrael, timuit valdè: & miſit pro Balaam ariolo, qui habitavit in Meſopotamia, ut dicit Philo, ut veniret ad ſe, & malediceret filiis Iſrael. Audivit enim, quod Deus eorum pugnavit pro eis: unde credidit ſi Balaam male diceret eis, Deus poſtea eos non defenderet: quia, ut dicit Philo, hic Balaam in diebus Sephor patris Balac, maledixit Amorrhæis inimicis ejus, & ceciderunt coram eo. De iſto Balaam dicit Origenes homilia XIII. in librum Numerorum: Fatendum eſt in quibusdam plus poſſe, & plus verba valere quàm corpora? quod exercitus multarum gentium nequiverat efficere, quod ferro & armis non poſſet obtineri, hoc verbis efficitur: & non dico ſanctis verbis, vel Dei verbis, ſed verbis quibusdam, quæ inter homines habentur: quæ quo modo nominē, neſcio: ſunt tamen inutili arte compoſita, cujus artis vocabulum illud ſit, quod unicuique appellare libet. Item de hujuſmodi verbis idem dicit homilia XX. in Joſuæ librum: Quare dicitur à gentibus, quod per carmina quædam, quæ precationes appellant, quibus iſtud artis eſt, inſuſurrata, nominibus quibusdam compellatis, quæ & ne illi quidem, qui invocant, norunt, ex ſolo vocis ſono vel ſopiuntur ſerpentes, vel etiam de cavernis protrahuntur abſtruſi: ſæpè autem & in corporibus humanis tumores, aut furfures vel alia hujuſmodi, vel voce ſola reprimere dicuntur. Hinc Balaam, ut ſubdit Origenes de eo ubi ſupra, famoſiſſimus erat in arte magica, & in carminibus præpotens: non enim habent poteſtatem, vel artem verborum, ad benedicendum: ſed habent ad maledicendum. Dæmones enim ad maledicendum invitantur, non ad benedicendum & ideo, quoniam expertus in talibus in opinione erat omnibus, qui erant in Oriente: niſi enim experimenta ejus plurima præceſſiſſent, quòd frequenter maledictis hoſtem vertiſſet armatum, non utique præſumſiſſet rex hoc poſſe fieri ſermonibus, quod ferro & acie vix poſſet impleri. Venerunt igitur nuncii Balac cum divinaculis ad Balaam. Unde Origenes, ubi ſupra: In illis divinationis artibus, quas curioſitas humana compoſuit, ſunt quædam, quæ ſcriptura quidem divinacula nominavit: gentilis autem conſuetudo vel tripodas, vel cortinas, vel aliis hujusmodi vocabulis appellat, quæ quaſi ad hoc ipſum conſecrata moveri ab eis & contrectari ſolent. Scriptura ſanè divina ex hoc quodam vernaculo ſermone nominavit in Prophetis, quod indumentum tradunt Prophetantium: Balaam igitur mercedis, quam Balac ei promiſerat cupidus ad eum venire deſiderabat: ſed primò prohibitus fuit à Deo, & non ivit: ſecundò vocatus & à Domino ire juſſus ſub condicto aſina ſua ſtrata profectus eſt. Dumque per viam tranſiit, habuit angelum Dei contra ſe cum gladio evaginato ſtantem in via, & obſiſtentem ſibi: quia mutavit propoſitum, ut populo malediceret: cumque aſina angelum videns, quem Balaam minimè vidit, ſe à via divertit, Balaam eam tertiò ad viam reducere cupiens nec perficere volens, iratus aſinam graviter percuſſit: quare aſina angelum declinare neſciens ſub pedibus Balaam cecidit in terram, & dixit: Quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertiò? & ſtatim Balaam, cùm ad verba aſinæ reſpondit, angelum vidit. Unde perterritus, quamvis, ut aſſuetus monſtris, ad vocem aſinæ non expavit, cecidit in terram, & angelum adoravit. Angelus autem increpavit eum, eò quòd intentio ſua eſſet perverſa, & Deo contraria: permiſit tamen eum proficiſci ſub condicto, quòd aliud non diceret, quam id, quod Dominus vellet. Balaam igitur ultrò profectus venit ad regem: qui in adventu ſuo gaviſus, duxit eum ſuper excelſa montis Baal: ubi Balaam videns extremam partem populi Iſrael in campis, erexit aras, & ſacrificium impoſuit, prout in augurando ſibi mortis fuerat & conſulto Domino dixit: de Aram adduxit me Balac, rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Jacob: propera, & deteſtare Iſrael. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur? Moriatur anima mea morte juſtorum & fiant noviſſima mea

Digitized by Google

mea horum ſimilia. Hæc verba cùm rex graviter acciperet, reſpondit Balaam: Num aliud loqui poſſum, niſi quod juſſerit Dominus? Unde Origenes ubi ſupra dicit: Res quidem prophanis ſacrificiis gerebatur, & divinatio magica arte perquiritur, volens tamen Deus ibi abundare gratiam, ubi ſuperabundavit peccatum, adeſſe dignatur. Deinde rex Balac duxit Balaam ſuper verticem montis Phaſga. ubi Balaam erectis aris, ut prius etiam, conſulto Domino dixit: Non eſt Deus ut homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur. Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo. Non eſt Idolum in Jacob: nec videtur ſimulacrum in Iſrael. Dominus Deus ejus cum eo eſt, & clangor victoriæ regis in illo. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis. Ecce populus ut leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: Non accubabit, donec devoret prædam & occiſorum ſanguinem bibat. Tunc dixit rex ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas, & aſſumpto eo inde duxit eum ſuper verticem montis Phogor, & ædificatis aris, ut priùs, atque irruente in ſe ſpiritu Dei, Balaam dixit: (*Num. 24.*) Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cujus obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus: Quam pulcra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſraël! ut valles nemoroſæ, & horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri propè aquas. Fluet aqua de ſitula ejus, & ſemen ejus erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus & auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis. Devorabunt gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis. Accubans dormivit ut leo, & quaſi leæna, quam nullus ſuſcitare audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit, in maledictionem reputabitur. Iratus igitur Balac contra Balaam, comploſis manibus ait: Ad maledicendum inimícis meis vocavi te, quibus econtrario tertiò benedixiſti: revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnificè honorare te, ſed Dominus privavit te honore diſpoſito. Reſpondit Balaam aliud ſe dicere non poſſe, niſi quod Dominus jubet. Et rurſus ſumpta parabola ait: Dixit auditor ſermonum Dei, qui novit doctrinam altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos; Videbo eum, ſed non modò: intuebor illum, ſed non propè: Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab, vaſtabitq; omnes filios Seth: De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis. Heu! quis victurus eſt quando iſta faciet Deus? venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; Hebræos, & ad extremum etiam ipſi perdentur. Surrexitque Balaam, & reverſus eſt in locum ſuum, quem poſtea occiderunt filii Iſrael gladio, quando invaſerunt fines Madian. Ipſe tamen Balaam cupidus mercedis, dedit conſilium Balac contra filios Iſrael, videlicet, quòd mitteret ad caſtra eorum fæminas pulcras cũ venalibus rebus, & ſi viri ſe cum illis commiſcerent, mulieres facile allicerent eos ad ſacrificandum diis ſuis, & ad guſtandum de ſacrificiis deorum ſuorum, & ſic Deus populi Iſrael iraſceretur populo: & ita factum eſt. Unde quidam nomine Zambri de tribu Simeon, intravit ad mulierem Madianitidem, vidente Moyſe & omni turba: quare Phinees, filius Eleazar, filii Aaron, arrepto pugione perfodit ambos in locis genitalibus, virum & mulierem, & avertit furorem Domini à populo: De quo ſcriptum eſt: (*Pſ. 105.*) & ſtetit Phinees, & placavit, & ceſſavit quaſſatio: quoniam occiſi ſunt Moyſe jubente XXIIII. millia hominum, qui ſic decepti peccaverant Domino. Poſthæc vocavit Dominus Moyſen in montem ut oſtenderet ei terram, quam daturus erat filiis Iſrael, & dixit ei: Demonſtrabo tibi locum in quo Iſrael ſerviet mihi annis DCCXL. prout legitur in libro Philonis. Poſt hoc tradetur in manus inimicorum, & demolient eum, & circumdabunt eum alienigenæ: te autem accipiam, & dormificabo te cum patribus tuis, & requiem dabo tibi in dormitione tua, & ſepeliam te cum pace, & lugebunt te omnes angeli, & militiæ contriſtabuntur: nullus autem angelorum, aut hominum, ſciet ſepulcrum tuum, in quo incipies ſepeliri, donec viſitem ſeculum, & excitabo te, & patres tuos de terra, in qua dormietis, & venietis ſimiliter & inhabitabitis habitationem immortalem: quæ non tenetur in tempore, quemadmodum hoc erit in conſpectu meo, tanquam nebula currens, & etiam tanquam dies tranſiens heſternus. Et eſt, cum appropinquavero viſitare orbem, jubebo annis, & præcipiam temporibus, & abbreviabuntur, & accelerabun-

lerabuntur aſtra, & feſtinabit lumen Solis in occaſum, & non permanebit lumen Lunæ, quoniam feſtinabo excitare vos dormientes. Dixitq; Moyſes: ſi adhuc potero petere de te, Domine, juxta multitudinem miſericordiæ tuæ, non indigneris mihi quanta quantitas temporis tranſiit, & quanta ſuperſit. Et dixit Dominus ad eum: Iſtic me vel apex magnus momento plenitudo, & cyathi guttam & omnia complevit tempus: quatuor enim ſemis tranſiit, & duo ſemis ſuperſunt. Et audiens Moyſes repletus eſt ſenſu, & mutata eſt effigies ejus in gloria, ſecundum os Domini, & ſepelivit eum, juxta quod promiſerat ei. Hæc Philo. Et planxerunt Moyſen filii Iſrael xxx. diebus, & inde peractio triceſimorum dierum defunctorum ſumſit exordium, quemadmodum & Aaron totidem diebus jam ante planxerunt, ſicut & Jacob patriarcham XL. diebus planxerant in Ægypto, quem poſtea ductum ad ſepeliendum in terra Canaan ſeptem diebus planxerunt. Unde modus peragendi ſeptem diebus primos depoſitionis defunctorum traxit exordium. Moyſes verò priusquam moreretur, ſcripſit Deuteronomium, qui legis Evangelicæ figura fuit: quia totius legis repetitio benedictiones legem obſervantium & horribiles maledictiones transgredientium eam continens: & juſſit eum in arca recondi, qui in ea poſtea remanſit incognitus plus-quam octingentis annis uſque ad tempora Joſiæ regis Juda. Et in hoc libro ſcripſit Moyſes carmen heroicum: (*cap. 32.*) Audite cœli quæ loquor, quod aliorum omnium carminum antiquiſſimum eſt. Uſus quidem carminum tam apud Græcos, quàm apud Latinos longior eſt, quàm uſus proſarum. Primus enim apud Græcos Pherecydes Syrus ſoluta oratione ſcripſit: apud Romanos autem Appius Cæcus adverſus Pyrrhum ſolutam orationem exercuit. Iſtis etiam temporibus Lacedæmon condita eſt, à Lacedæmone filio Semeles. Item Arcas filius Jovis, Pelaſgis in deditionem redactis, regionem eorum Arcadiam nominavit. Item Ægyptus, quæ priùs Aëria dicebatur, tunc primùm ab Ægypto ibi regnante, nomen accepit.

CAPUT XI.

AMyntes XVII. rex Aſſyriorum regnavit annis XLV. Hujus anno II. Dardanus condidit Dardaniam, & genuit filium, qui dictus eſt Erichthonius, qui poſt eum regnavit in Phrygia. Anno IX. hujus regis Moyſes moritur, ut ſupra dictum eſt, & JEſus Nave populo ducatum præbet. Hic JEſus ſecundum quandam translationem dictus eſt Anſes: ſecundum aliam dicitur Oſee, & à Moyſe vocatus eſt Joſua, & ipſe poſt mortem Moyſi duxit filios Iſraël in terram promiſſionis: & ſicut ſiccatum eſt mare rubrum coram filiis Iſraël ducente populum Moyſe: ſic Jordanis fluvius, ducente Joſua populum, ſiccatus viam præbuit filiis Iſraël. Unde ingreſſis ſacerdotibus, portantibus arcam fœderis, partes aquæ inferiores ipſius fluminis omnino defluxerunt, & quæ deſuper venerunt in modum montis conglobatæ ſunt, donec omnis populus tranſivit. Poſtquam populus tranſivit Jordanem, Dominus dixit ad Joſue, ut faceret ſibi cultros petrinos, & circumcideret omnes maſculos: quia qui circumciſi erant in Ægypto omnes in deſerto mortui ſunt, & in deſerto populus incircumciſus remanſerat. Et deinde, cum comederunt de frugibus terræ, defecit Manna, nec ultra uſi ſunt filii Iſraël cibo illo. Deinde obſederunt Jericho civitatem, & conſtituit Joſua juxta mandatum Domini, quòd ſacerdotes portarent arcam fœderis, ſeptem ſacerdotibus præcedentibus cum buccinis, quibus mos erat uti in Jubileo, & univerſis bellatoribus præcedentibus, omnique vulgo ſequente, & ſic cum ſilentio circumirent civitatem ſeptem diebus, qualibet die ſemel, quod ſic factum eſt: ſoli enim ſacerdotes cum buccinis ſonabant. Septimo autem die ipſis circumeuntibus civitatem, Joſua mandavit omnem populum fortiter clamare, quod ut factum eſt, ceciderunt muri civitatis, & filii Iſraël ingredientes civitatem, deſtruxerunt eam, & interfecerunt omnes habitatores ejus, præter Rahab meretricem & parentes ejus, quoniam illa nuncios & exploratores filiorum Iſrael receperat hoſpitio, & non prodidit eos populo civitatis. Et hanc poſtea Salmon princeps tribus Juda duxit uxorem, & generavit ex ea Booz. Poſtquam deſtructa eſt Jericho, Joſua locum maledixit, & anathematizavit, & imprecabatur mortem filiis illius, qui eam reædificaret: & poſt filii Iſrael ceperunt urbem Ai. Deinde habitatores Gabaon inierunt fœdus cum filiis Iſrael, ut parcerent eis: quod audientes vicini eorum, convocaverunt ſe & convenerunt quinque reges cum exercitu magno contra Gabaonitas, qui miſerunt ad Joſua, ut defen-

Digitized by Google

ut defenderet eos. Joſua verò cum ſuis adveniens fugavit omnes, & cùm fugerent, miſit Deus lapides grandinis magnos de cœlo, & ceciderunt gentes coram filiis Iſrael tam grandine, quàm gladiis interfectæ. Et tunc dixit Joſua ad ſolem: Sol contra Gabaon non movearis, & Luna contra vallem Achialon. Steterunt Sol & Luna: & facta eſt dies illa longa ſpacio duorum dierum. Captis etiam quinque regibus ſuprdictis, fecit eos proſterni in terram, & juſſit principes filiorum Iſrael calcare pedibus cervices eorum: deinde ſuſpendit eos ſupra quinque ſtipites contra ſolem, & demum percuſſit omnes reges regionis illius, qui erant XXX. & unus. Videtur autem hic rex appellari princeps alicujus præcipuæ civitatis, à regimine populi ſic dictus. Et deſignavit Joſua VII civitates fugitivorum, ad quarum quamlibet confugere poterat, quicunque occiderat aliquem inopinatè, & non ex propoſito, & ibidem ſecurè reſidere, donec ſummus pontifex, qui illo tempore præeſſet, moreretur, & eo mortuo, ille poterat redire ad locum ſuum, ſine contradictione amicorum ipſius occiſi, juxta quod Dominus Joſuæ ordinare mandavit. Et poſtquam Joſua factus eſt centum & decem annorum, mortuus eſt. Circa hæc tempora Erichthonius rex Athenienſium, cujus parentes Vulcanus & Minerva dicuntur fuiſſe, primus in Græcia quadrigam junxiſſe perhibetur. Erat enim jam apud alias nationes. Hic Erichthonius dicitur habuiſſe pedes draconis, & propter turpitudinem pedum dicitur inveniſſe uſum curruum. Iſtis temporibus Danaus per quinquaginta filias, fratris ſui Ægypti quinquaginta filios occidit, evadente unico, qui Danao interfecto poſt ipſum regnavit. Item eo tempore Phœnix & Cadmus fratres de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti apud Tyrum & Sidonem regnaverunt. Item Europæ filiæ Phœnicis mixtus eſt Jupiter, quam poſtea Aſterius rex Cretenſium duxit uxorem, ab ea Rhadamantum & Sarpedonem generans, qui poſtea regnaverunt in Lycia.

CAPUT XII.

BElochus XVIII. rex Aſſyriorum regnavit annis XXV. ſub quo Othoniel ſive Senex cum patre ſuo Cenez idem nomen habens, ſecundum aliquos, præfuit filiis Iſrael. De iſto Cenez ſcribitur in libro Philonis: Cenez poſt mortem Joſuæ, dum Allophyli quærebant pugnare contra filios Iſrael, examinavit per omnes tribus & inveſtigabat quorum cor receſſit à Domino: ut peccatoribus deletis è medio filii Iſrael contra hoſtes poſſent prævalere. Et cùm pervenit ad tribum Aſſer, invenit apud illos ſeptem ſimulacra aurea, quæ abſtulerant Amorrhæis: & vocabantur apud illos ſanctæ nymphæ, & erant inventa poſt primum diluvium à ſeptem viris peccatoribus, videlicet, Chanaan, Phut, Sebach, Nemroth, Elac, Deul, Suah. nec erat jam talis ſimilitudo in ſeculo ſculpta manu artificis, vel picturæ varietate diſtincta, & in eis erant ſeptem lapides precioſiſſimi de terra Evilach, quare dicebantur inæſtimabiles: quia tanquam lucernæ in nocte lucebant, & projecti in ignem extinguebant ignem, & gladius ceſſit eis, & omne ferrum ſimiliter: Et libros reperit, quorum ſcripturam aqua non poterat delere, ſed aqua ſuperfuſa conſtringebatur in glaciem. In tribu Gad quidam mœchati fuerunt alterutrum uxores ſuas. Quidam de tribu Iſſachar interrogabant per dæmones. Quidam de tribu Caleb, qui fuit de tribu Juda, volebant facere vitulum. Quidam de tribu Ruben volebant immolare diis habitantibus terram. Quidam de tribu Levi volebant probare tabernaculum ſi ſanctum eſſet. Quidam de tribu Zabulon volebant comedere carnes filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, & ſcire ſi Deus curam de iſtis habeat. Quidam de tribu Dan voluerunt vivere ſecundum modum Amorrhæorum, & illa ſcripta erant in libris abſconſis, ſub monte Abrahet. Quidam de tribu Nephtalim voluerunt facere, quæ fecerunt Amorrhæi, & illa erant abſcondita ſub tabernaculo Elam. Quidam de tribu Manaſſe contaminarunt Sabbata. Quidam de tribu Ephraim volebant filios ſuos tranſire per ignem. Quidam de tribu Benjamin volebant librum legis intendentes perſcrutari, utrum manifeſtè ſcripſiſſet Deus, quæ erant in eo, an Moyſes docuiſſet ea. Horum omnium numerus extendebat ſe ad ſex millia centum & decem homines. Et licet Deus omnes ipſos manifeſtavit ipſi Cenez, voluit tamen Cenez, quòd quilibet eorum proprio ore confiteretur peccatum ſuum, quod & factum eſt: & juſſit Deus eos omnes igne cremari cum bonis ſuis: libros verò & lapides prædictos juſſit poni in certum locum, & per angelos deleri. Poſt hoc armavit Cenez CCC. millia virorum, & tunc quidam incentores murmurabant adverſus

cum

Digitized by Google

eum dicentes: ecce nunc ſolus operaturCenez cum muliere ſua,& concubinis in domo ſua; & nos mittet in pugnam, ut in conſpectu inimicorum noſtrorum conteramur. Quod cum renunciatum eſſet Cenez à pueris ſuis, juſſit viros illos comprehendi numero XXXVII. & in carcerem recludi, & populo neſciente proceſſit contra Amorrhæos. Deus autem miſit ei angelum Getheliel ſuperpoſitum occultis, & operantem inviſibiliter, & Cervil angelum cooperantem ejus, & percuſſit Getheliel Amorrhæos cœcitate, ita ut videns unusquisque proximum æſtimaret adverſarium, & interficerent ſe alterutrum, & ſuſtinebant brachia Cenez, ne concideret, & percutiebat Cenez de Amorrhæis XLV. millia virorum, & reliqui fugerunt in montana. Et cum Cenez voluit diſſolvere manum ſuam de romphea, non potuit, quia indiſſolubiliter adhærebat ſibi manubrium rompheæ, & ipſe reſpiciens vidit virum Amorrhæum fugientem, & apprehendit eum & dixit ad illum: Scio quia Amorrhæi periti ſunt, & nunc demonſtra mihi, quomodo diſſolvam manum meam de manubrio gladii iſtius, & dimittam te: & dixit Amorrhæus: Accipe virum de Hebræis, & interfice eum, & calente adhuc ſanguine illius ſuppone manum tuam excipiens ſanguinem ejus, & exſolvetur. Et dixit Cenez; vivit Dominus, quia ſi dixiſſes accipe virum de Amorrhæis, accepiſſem ex his virum, & ſalvaſſem te, Sed quoniam dixiſti de Hebræis, ut odium tuum oſtenderes, os tuum erit ſuper te, & interfecit eum Cenez, & calentem ſanguinem ſuſcepit in manum, & diſſoluta eſt romphea de manu. Poſt hoc rediens produxit viros detractores, quos tenuit incluſos, & interrogavit eos dicens: quid videntes de me murmurabatis in populo; qui dixerunt: quid nos interrogas, quos DEUS tradit? & nunc præcipe igne nos comburi: quia non pro hoc peccato, quod nunc locuti ſumus, moriemur, ſed quia conſenſimus viris prioribus, qui in peccatis ſuis arſi ſunt: & fugimus populum, & ergo recte traditi ſumus in tractionem tuam: Et dixit Cenez: Si ergo ipſi adverſum vos teſtificamini, in quo vobis miſerebor? Et juſſit Cenez eos igne comburi, & principatus eſt Cenez populo LVII. annis: & dum appropinquaſſent dies ejus, ut moreretur, inſiluit in eum ſpiritus ſanctus, & extulit ſenſum ejus, & cœpit prophetare dicens: Ecce nunc video, quod non ſperabam, conſidero, quod non cognoſcebam, Audite nunc, qui habitatis ſuper terram: Ecce flammas non ardentes video, & audio venas expergefactus de ſomno, quibus non eſt fundamentum, neque faſtigium montium ſuſpenſorum fundamenti conſidero: Sed omnia ibi apparentia & inviſibilia, quibus non eſt locus in totum, & cum oculus non ſciat, quid videat, cor meum adinveniat, quid dicat, de flamma autem, quam video non ardentem, vidi: & ecce à ſcintilla aſcendit, & ſubſtravit ſibi quaſi ſub dumum, & erat ſimilitudo ſubſtrati tanquam arena oriens in modum ſentis, & dum factum eſſet fundamentum, vidi, & de vena illa excitabatur quaſi ſpumam ebullientem: & ecce dum mutavit ſe tanquam in illud fundamentum: inter medium autem fundamentum ſuperioris & inferioris de lumine inviſibilis loci advenerunt, quaſi imagines homines & perambulabant: Et ecce vox dicens: Hæc fundamenta erunt hominibus & habitantibus in eis ſeptem millia, & fundamentum inferius ſubſtratum erat: ſuperius autem de ſpuma erat fundamentum, & quæ proceſſerunt de luce inviſibilis loci Jeruſalem qui inhabitabunt & non ejus hominis & erit cum peccaverit mihi & completum fuerit tempus extinguetur ſcintilla, & pauſabit vena, & ſic mutabuntur. Et factum eſt cum locutus fuiſſet Cenez verba hæc expergefactus eſt & reverſus eſt ſenſus ejus in eo, ipſe autem neſciebat quæ locutus fuerat, neque quæ viderat, & cum ceſſaſſet loqui, defunctus eſt. Hæc Philo. Sed in libro Judicum de prædictis factis Cenez nihil dicitur. Poteſt tamen eſſe verum, quod ubi dicitur in libro Judicum, filii Iſraël poſt mortem Joſuæ conſuluerunt Dominum, quis deberet eſſe dux belli & Dominus reſpondit: Juda erit dux belli, quod iſte Cenez fuerit dux belli: quoniam ipſe fuit de tribu Juda. Item Philo dicit poſt mortem Cenez populo præfuiſſe Zebul annis XXV. quem dicit de filiabus Cenez, quæ tres erant, dediſſe maritos: quia filios non reliquerat: & demum poſt Cenez ponit Deboram. Sed ego deinceps ſequar librum Judicum, & Chronicas Euſebii. Iſtis temporibus Cadmus reperit literas Græcas. Hic Cadmus habuit filiam, quæ dicta fuit Semele, ex qua poſt hæc natus eſt Dionyſius qui latinè Liber pater dictus eſt.

Bellopares XIX. Rex Aſſyriorum regnavit annis XXX. quo tempore Ehud judex Hebræorum

Digitized by Google

bræorum fuit. Iſte Ehud præfuit populo annis xxc. & utebatur utraque manu pro dextra. Ejus temporibus Eglon rex Moab filios Iſraël ſibi ſervire coegit: quare Ehud veniens ad eum cum muneribus, & ſecum habens colloquium, in cœnaculo interfecit eum, & latenter exiens per poſticum clauſis foribus cœnaculi fugit: & congregato exercitu contra Moabitas, jam de morte regis ſui turbatos percuſſit ex eis circiter x. millia virorum. Anno IV. hujus regis Minos F. Æropis regnat in Creta. Item Erichthonius F. Dardani genuit filium, qui dictus eſt Tros, ſeu Trous, qui condidit Trojam & ab eo regio Dardaniæ Troja dicta eſt. Item eo tempore Hercules Pirithoum penè devoratum à Cerbero cane miræ magnitudinis Aidonei regis Moloſſorum, qui rex & Orcus dictus eſt, liberavit: & inde fabula eſt quòd Hercules canem vicerit inferni. Notandum eſt, ut dicit Auguſtinus lib. XIIX. de civitate Dei, (*cap. 12.*) quòd plures fuerunt Hercules: ſicut & plures fuerunt Anthæi: ſimiliter fuerunt plures Liberi patres.

CAPUT XIII.

LAmprides xx. rex Aſſyriorum, regnavit annos XXXII. Iſtis temporibus Tros regnavit apud Dardaniam. Et apud Pythiam vates prima fæmina hexametris verſibus futura cecinifſe narratur. Tros genuit duos filios: primus dictus eſt Ilus, qui condidit Ilium, & genuit filium Laomedontem, qui fuit pater Priami: quorum unus poſt alium regnabat apud Trojam. Alius filius Troi fuit dictus Aſſaracus, qui genuit Capyn, qui genuit Anchiſen, qui fuit pater Æneæ. Alii credunt quòd Capys fuit pater Laomedontis, ut teſtatur Ovid. in x. Metamorph. Et quòd Laomedonte fundante Ilium, Apollo & Neptunus verſi in homines, fuiſſent adjutorio Laomedonti pro mercede: ſed hæc fabuloſa ſunt. Iſtius regis Aſſyriorum temporibus adhuc Ehud præfuit Judæis. Et dicunt quidam quod temporibus Ehud factum ſit bellum inter undecim tribus Iſraël & tribum Benjamin, de quo legitur in fine libri Judicum. Alii credunt, quòd factum eſt ſtatim poſt mortem Joſuæ antequam filii Iſraël habuerunt Judices. Cujus quidem belli exordium Philo ponit hoc modo: Quidam nomine Michas de conſilio matris ſuæ fecit ſibi Idola: fecit enim tres effigies puerorum & vitulorum: tres leones & aquilam & draconem & columbam. Et factum eſt, ut omnes qui ſeducerentur, venirent ad eum, & erat iniquitas ejus multiformis, & irreligioſitas ejus aſtuta. Poſt hoc Ebel Levites venit in civitatem Noba, quæ erat in tribu Benjamin, & duxerat ſecum uxorem ſuam: ſed viri peccatores civitatis mulierem violenter ſibi ablatam nequiter oppreſſerunt abutentes ea tota nocte donec ſpiritum exhalaret. Alias etiam, ut quidam tradunt, transgreſſa fuit in virum ſuum, & cum Amalechitis concubuerat: quare Deus ſic tradidit eam. Vir igitur manè conſurgens, & aperto oſtio invenit uxorem ſuam mortuam: quare ipſe commotus conſcidit cadaver uxoris in XI. fruſtra, miſit ad quamlibet tribum fruſtrum unum querulando de violatoribus uxoris ſuæ. Quare XI. tribus convenerunt in Silo, ubi fixerant tabernaculum pro arca Domini, poſtquam venerant in terram promiſſionis & conſuluerunt Dominum, an deberent procedere ad bellum contra fratres ſuos, videlicet tribum Benjamin: & reſpondit Dominus quod ſic. Miſerunt ergo nuncios ad tribum Benjamin, ut traderent hujus flagitii reos, qui noluerunt tradere eos, ſed procedentes contra XI. tribus ad bellum, percuſſerunt ex eis XXII. millia virorum. Deinde reſidui de XI. tribubus conſuluerunt Dominum, & reſpondit eis, ut prius reſponderat. Congreſſis igitur ipſis, ceciderunt ſecundò ex eis XIIX. millia virorum. Cum autem ter Phinees filius Eleazari attentè oraret in Silo, quærens à Domino cauſſam cladis iſtius, Dominus reſpondit, quòd propter peccata Michæ hoc ipſis accidiſſet, quem transgrediendo legem domini fuerunt ſecuti, & nullus ex eis curavit legem Domini defendere. Et adjunxit Dominus, ſi tertiò aſcenderent contra filios Benjamin, poſſent obtinere victoriam. Quare pœnitentiam ſuper legis transgreſſione agentes, tertio proceſſerunt ad bellum. Filii verò Benjamin arbitrantes ſe, ut priùs, fortiter acturos, proceſſerunt ad bellum: ſed fugati ſunt, & ceciderunt ex eis XXV. millia virorum: & de omni tribu Benjamin ſuperfuerunt DC. viri, qui non fuerunt inventi in bello, quia fugerant in deſertum. Et poſt hoc filii Iſrael Micham & matrem ejus apprehenderunt, & eos igne cremabant. Hoc tempore apud Ægialeos regnat Sicyon XIX. rex eorum, à quo & ipſi Sicyones dicti ſunt. Soſares XXI. rex Aſſyriorum regnavit annis XV. Hujus temporibus

bus Ehud adhuc perſtitit apud Hebræos, & Sagmar, alias Semegad, filius Anach percuſſit de Philiſtim DC. viros vomere. Item circa hæc tempora Alomon Crotonienſis creditur primus inveniſſe fabulas. Item iſtis temporibus Perſeus, à quo Perſidia dicta eſt, & qui Perſepolin civitatem Perſici regni caput condidit, dimicavit adverſus Perſas, Gorgonæ meretricis capite deſecto, quæ propter eximiam pulcritudinem ita ſpectatores ſuos mentis impotes reddebat, ut vertere eos putaretur in lapides. Item iſtis temporibus condita eſt Cyrene in Lybia. Eodem etiam tempore Dionyſius, qui Liber pater dictus eſt, adverſus Indos dimicans Nyſan urbem juxta indum fluvium condidit & eam L. millibus hominum adimplevit. Hic Dionyſius habuit in exercitu ſuo multas fæminas, quæ Bacchæ ſunt appellatæ non tam virtute nobiles quam furore. Et quidam ſcribunt hunc Liberum victum & occiſum à Perſeo: tum Deus habitus eſt, & inſtituta ſunt ſibi ſacra, vel potius ſacrilegia: de quorum rabioſa turpitudine poſt tam multos annos ſenatus ſic erubuit, ut in urbe Roma talia prohiberet.

Lampares XXII. rex Aſſyriorum, regnavit annis XXX. Cujus temporibus imperavit Hebræis Debora & Barac. Unde Debora prophetes uxor Lapidoth judicabat populum XL. annis: Eo tempore filii Iſrael propter peccata ſua traditi erant ſub manu Jabin regis Canaan: cujus militiæ princeps erat Siſara, habens in comitatu ſuo DCCCC. currus falcatos. Vocavit autem Debora Barac filium Abinoem, de tribu Nephtalim: qui congregato exercitu pugnavit contra Siſaram in torrente Ciſon, & vicit eum. Siſara autem exiliens de curru pedibus aufugit, & venit ad tabernaculum Cinæi cognati Moyſis, inter quem & regem Canaan pax erat. Egreſſa igitur Jael uxor Cinæi excepit eum, & ei petenti potum, dedit utrem lactis, vel, ut dicit Philo, miſcuit vinum cum lacte: qui bibit, & poſtmodum ſopori ſe dedit. Jael vero, ipſo dormiente, accepit clavum tentorii, & poſuit ad tempus capitis ejus, & deſuper malleo percuſſit, & per cerebrum Siſaræ dormientis transfixit: & ſic Siſara deficiens mortuus eſt. Iſtis temporibus incepit regnum Laurentum, quod poſtea dictum eſt Latinorum & deinde appellatum eſt Romanorum: ubi Picus F. Saturni regnum primus accepit, prout Auguſt. XVIII. de C. D. (*cap. 15.*) ſcribit. Item regnum Argivorum, quod duravit per annos DXLIV. defecit & transfertur ad Mycenas: & hoc factum eſt anno XVIII. hujus regis Aſſyriorum: & regnavit apud Mycenas primus Pelops, qui regnavit LIX. annos. Item circa hæc tempora Apollo invenit artem Medicinæ, ſed medicinam jumentorum Cyron quidam Græcus invenit.

CAPUT XIV.

PANNIAS rex Aſſyriorum regnavit annis XLV. Iſtis temporibus regnavit Thebis Amphion, quem dicunt cantu citharæ ſaxa moviſſe, hoc eſt, dura corda quaſi ſaxa immobilia. Iſtis temporibus Gedeon liberavit filios Iſrael. Hic Gedeon dictus alias Jerobaal filius Joas de tribu Manaſſe judicabat annos XL. Unde poſt mortem Deboræ prophetis requievit terra VII. annis, & illo tempore, ut dicit Philo, ſurrexit quidam maleficus de ſacris Madian, nomine Aod: hic tempore noctis oſtendit populo Solem maleficiis ſuis, tanquam dies clariſſima eſſet, & dixit, hoc poſſe deos Madianitum & hoc Hebræi non habent in lege ſua: quare ſeductus eſt populus, & coluit deos Madianitum: & ergo tradidit eos Deus in manus Madian, & poſtquam pœnituerunt ſuſcitavit Deus Gedeon, qui liberavit eos. Dum enim multæ nationes orientalium cum Madianitis conveniſſent contra filios Iſrael, & Gedeon in civitate Ephra ſub quercu purgaret triticum, ut panem pro fuga ſibi faceret, apparuit angelus confortans eum, & annuncians ſibi, quod ipſe liberaturus eſſet Iſrael. Gedeon Angelo obtulit ſacrificium, & ad præceptum angeli de nocte cum famulis conſurgens, deſtruxit aram Baal, & ſuccidit lucum ejus, & aliam aram erexit domino Deo. Similiter quicunque viri opidi infra mane ſurrexerant & viderunt aram deſtructam, quam erexerunt, quærebant, quisnam hanc rem feciſſet? Et dictum eſt eis, quòd Gedeon F. Joas. Quare congregati ad Joas dixerunt: trade nobis filium tuum Jerobaal ut moriatur, quia aram Baal deſtruxit: & reſpondit Joas, & dixit: Nunquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? Si deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffobit aram ejus; & inde Jerobaal Gedeon eſt appellatus. Deinde Gedeon petiit ſignum in vellere, dicens ad Dominum: Ponam hic vellus lanæ, & ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſcio quòd per manum meam liberabis Iſrael, & ita factum eſt: Et iterum ſecundo petiit, quod ros caderet in

Digitized by Google

ret in omnem terram, & in ſolo vellere eſſet ſiccitas, quod ſimiliter factum eſt. Unde Gedeon congregato exercitu dixit, quod omnes formidoloſi & timidi manerent: talibus recedentibus, Gedeon obtinuit x. millia virorum, & recedentium erant xx. millia. Illos igitur qui remanſerant produxit ad aquam, & juſſit eos potare de flumine : & illos, qui curvatis genibus biberunt, poſuit ſeorſim: eos autem, qui projiciendo aquam ad os biberunt, ſeparavit ab aliis, qui erant ccc. viri: & illos recepit tanquam magis magnanimos, & dedit ſingulis hydras terreas, habentes ab intra laternas abſconditas, & buccinas tradidit eis: & de nocte caſtra inimicorum latenter acceſſit, & juſſit, ut ſinguli facerent ſic, quemadmodum eum facere conſpicerent. Cum igitur ſtarent per gyrum caſtrorum, Gedeon inſonuit buccina, & omnes qui erant cum eo, & confractis lagenis clamabant: Gladius Domini & Gedeonis. Et ſic una manu tenebant laternas, & alia manu buccinas. Conturbatis igitur caſtris inimicorum, unusquisque eorum contra alium inſurrexit, exiſtimans inimicum ſe percutere, & mutua cæde ſe pervadentes ceciderunt ex eis cxx. millia virorum. Alii verò fugientes comprehenſi ſunt à ſociis Gedeonis, quos dimiſerat. & Gedeon ad ſe perductis regibus eorum Oreb & Zeb eos occidit. Poſt hoc Gedeon petiit à populo dextralia ſeu inaures, & dedit ei populus dextralia & inventum eſt pondus eorum talenta duodecim, ſeu mille ſeptingenti Sicli auri: & fecit Gideon ex his Idola, & adoravit ea. Et noluit Deus in vita ſua eum propter hoc punire, ex eo quod ipſe deſtruxerat Baal, ne dicerent cultores Baal, quod Baal vindicaſſet ſe de eo, quod pater ejus dixerat, poſtquam deſtruxit Baal: Si Baal eſt Deus, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram ejus: Sed transtulit Deus vindictam in filios Gedeonis. Habuit enim LXX. filios de pluribus uxoribus, & unum de concubina, qui dicebatur Abimelech. Iſte poſt mortem patris omnes fratres ſuos præter unum comprehenſos occidit, & obtinuit principatum anno & menſibus VII. & tandem, dum oppidum Thebes oppugnaret, fragmine molæ, à muliere de turri demiſſo, percuſſus interiit: ſed ipſe ſentiens ex hujusmodi percuſſione mortem non poſſe evadere, dixit ad armigerum ſuum: evagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur, quod à fæmina interfectus ſim: & ſtatim mortuus eſt. Eo tempore Dædalus fuit, qui primus ſtatuas disjunctis pedibus fecit, & inde eſt, quod fabulæ de eo dicunt, quod fecerit ſimulacra ſe moventia. Ipſe dicitur primum recepiſſe à Minerva artem fabricandi arietes & tecta. Idem primus menſas & ſedilia excogitavit, & Icarus fuit ejus filius, qui mari Icario nomen dedit. Iſte Dædalus dicitur ſtruxiſſe Labyrinthum, qui eſt in Creta. Ubi notandum, quod, ut dicit Iſidorus XV. Etymolog. *(cap. 2.)* Labyrinthus eſt perplexis parietibus ædificium, in quod ſi quis introiret ſine glomere lini, exitum invenire non valet: cujus ædificii talis eſt ſitus, ut aperientibus fores tonitruum intus terribile audiatur. Deſcenditur centenis ultra gradibus, intus ſimulacra & monſtriferæ effigies, in partes diverſas tranſitus innumeri per tenebras, & cætera ad errorem ingredientium facta, ita ut de tenebris ejus ad lucem venire impoſſibile eſſe videatur. Quatuor ſunt Labyrinthi. Primus Ægyptius: ſecundus Creticus: tertius in Lemno: quartus in Italia, omnes ita conſtructi, ut diſſolvere eos nec ulla ſecula quidem poſſint, ut teſtatur Iſidorus. Anno XXI. hujus regis Aſſyriorum facta eſt navigatio Argonautarum, videlicet, Jaſonis & Herculis pro aureo vellere, de quibus in hiſtoria Trojana ita ſcribitur: Cùm regnum Theſſaliæ quidam nomine Peleus, à fratre ſuo Æſone ſibi delatum obtineret, Jaſon filius Æſonis in ſenio conſtituti, flore juventutis ac virtutibus pollens omnibus, ipſius regni principibus & popularibus erat acceptus. Unde Peleus præſumſit, ſe per eundem Jaſonem poſſe regno privari, & propter hoc callidis in ſe conſiliis diſquiſivit, quomodo absque notabili culpa ſui vitam Jaſonis perdere poſſet. Fuit itaque eo tempore in inſula Colchis rex quidam nomine OEtes ſeu Etheus, ut dicit Ovidius XII. Metamorphoſ. qui habuit arietem vellus geſtantem aureum, quem ſub cuſtodia dei Martis protectum, rex ille omnibus prædam ejus tentare volentibus permiſit accedere. Quicunque enim hunc arietem rapere cupiebat, habebat primò neceſſe contra boves, igneas flammas emittentes, dimicare, quos ſi poſſet ſuperare haberet neceſſe eos aratro jungere, & terram arare : quo facto reſtabat pugnare cum dracone terribili, quem ſi ſuperaret, dentes ejus evelleret, & in terra jam aratro proſciſſa eos habebat ſeminare: ex quibus homines procreati ſubito mutua cæde ſe perimerent. Quibus ſic peractis aries ſine difficultate aureo vellere

ctum à Jaſone & Hercule. Poſtquam Jaſon reverſus eſt Theſſalonicam, Hercules volens vindicare injuriam, quam ſibi & ſociis ſuis rex Laomedon repellendo eos à terra ſua, dum pro aureo vellere navigarent, impudenter irrogaverat, quoſdam reges & principes Græciæ congregavit, videlicet, Peleum regem Theſſaliæ, Thelamonem regem Salaminis fratrem Pelei, & Caſtorem ac Pollucem fratres reges provinciæ Spartanæ, & ducem Neſtorem de inſula Pylos. Cum his Jaſon & Hercules verſus Phrygiam navigando ſe dirigunt, & dum circa Solis occaſum portum quendam, qui Sigæum dicebatur, intraverant, conſilio habito exercitum ſuum in duas partes dividunt: quarum una verſus Ilium, quæ Troja minor dicta eſt, ſub noctis ſilentio ſe dirigit, ut exeuntibus Trojanis civitatem tendat inſidias: & altera pars, die illucente, patentem procedit in campum Trojanos ad bellum provocando. Græcis itaque apparentibus in campo, Trojani arma capiunt, & Græcos bello appetunt: qui dum bello ſe mutuo invadunt, Græci ex inſidiis erumpentes civitatem capiunt, & occiſis maſculis univerſis, civitatem relinquentes, ad bellum, quod geritur in campo, feſtinant: Unde bellum durius committitur, & rege Laomedonte occiſo ab Hercule, Trojani fugiunt, qui cædi ſupererant: & Græci victoria obtenta ad civitatem redeunt, & navibus ſpoliis onuſtis cum virginum & nobilium mulierum præda recedunt. Inter ipſas virgines abductas erat puella miræ pulcritudinis Heſione nomine, filia regis Laomedontis, quæ data eſt Telamoni regi in præmium virtutis: quia ipſe primus civitatem victor intravit, unde Ovidius XI. Metamorphoſ.

Nec pars militiæ Telamon ſine honore receſſit
Heſioneque data petitur.

Quidam dicunt, ut Dio hiſtoricus, quod Hercules quandam aliam filiam Laomedontis abduxit captivam, quam dedit Telepho filio ſuo uxorem: qui poſtea factus eſt rex Gothorum, & regnum ejus fuit Mœſia ſeu Myſia, habens ab oriente oſtia Danubii: à meridie Macedoniam: ab occaſu Hiſtriam, & à ſeptentrione Danubium. Hic habuit bellum cum Græcis, in quo Therſandrum ducem Græciæ interemit, & Achillem, Ajacem, Diomedem, & Ulyxem fugavit. Sed non videtur veriſimile, quod iſte Telephus fuerit filius Herculis, cum in hiſtoria ſcribatur, quod Telephus F. Herculis fuit cum Græcis, quando ſe conferre volebant ad Trojam contra Priamum regem: & ipſe cum Achille ſubegit inſulam Meſſanam, quam credunt eſſe Siciliam, de qua miniſtravit Græcis victualia per tempus obſidionis Trojæ, quæ poſtea facta eſt: niſi diceretur, quod ipſe poſtea fuiſſet cum Græcis pacificus. Sed videtur obſtare quod dicitur in hiſtoria Gothorum: Telepho rege Gothorum defuncto, Ariphilis filius ejus ſucceſſit ei in regnum, ex Priami Phrygum regis germana progenitus, qui bello volens intereſſe Trojano, ut parentibus, puta Priamo & ſuis ferret auxilium, ſtatim cùm veniſſet extinctus eſt. Niſi tunc forte diceretur, quod poſtquam pater ejus cum Achille inſulam Meſſanam obtinuit, & durante obſidione Trojana pater deceſſiſſet, & poſtea filius ſuccedens in regnum, ſe verſus Trojam contuliſſet, magis favens generi materno, quam paterno. Sed Ovid. metamorph. VI. dicit de quadam filia Laomedontis regis, quam Antigonem vocat. Dicitur etiam, quod Jaſon cum Medea fuit poſtea de urbe Theſſalonica pulſus: & privignus ejus fuit Medus, qui poſtea Medeam civitatem conſtruxit, & ab illo Media regio, & Medi ſunt appellati: & producitur e ante a. Unde Ovidius lib. 3. Triſtium. *(eleg. 8.)*

Nunc ego Medeæ vellem frenare dracones.

CAPUT XVI.

Poſtquam Ilium, ſive Troja prima, fuit à Græcis deſtructa, ſupererat quidam filius Laomedontis nomine Priamus: qui percipiens in partibus remotis, qua cum exercitu eo tempore moram traxit, exitium parentum & patriæ, celeriter ſuos verſus patriam cœpit dirigere greſſus. Et poſtquam domum reverſus eſt, ſubditis regni ſui congregatis, Trojam in ea magnitudine & pulcritudine reſtauravit, quod nuſquam legitur civitas aliqua tantæ magnitudinis ac tanti fuiſſe decoris. Unde murus ejus in circuitu erat altitudinis CC. cubitorum, & turres, non multum ab invicem diſtantes, excreſcentis altitudinis, ſuper murum eminebant. Introitus & exitus in ſex portis fuerant, nec erat in ea ædificium aliquod tam parvum, quod ſuper terram marmore decoratum in altitudine LX. cubitorum non foret erectum: & erat longitudo ejus trium die-

Digitized by Google

um dictarum, & totidem latitudo ejus, & in eminentiori loco, ſuper cujusdam rupis excelſæ ſummitatem, ipſe Priamus ædificavit pro ſuæ habitationis hoſpitio famoſum habitaculum, quod Ilion ſeu Ilium, nominavit. In hac civitate diverſorum genera ludorum inventa fuiſſe dicuntur, videlicet ludus taxillorum, ludus aleæ & ludus ſcacchorum: licet quidam dicunt, quod prædicti à Græcis in otio Trojani belli ſunt inventi, ſed veriſimile eſt, quod ab utrisque, videlicet Græcis & Trojanis ſunt inventi. Dicit autem Iſidorus lib. XVIII. Etim. (*cap. 60.*) Ludus aleæ inventus fuit à Græcis in ocio Trojani belli, per quemdam militem Alea dictum: & ab illo ludus ipſe nomen accepit. Et Ovidius in libro de vetula dicit: quod Ulyxes fuit inventor ludi Scacchorum: quem ipſe invenit in ocio Trojani belli: & commendat ſubtilitatem ingenii inventoris declarans, quomodo ludus ipſe factus eſt ad inſtar motus cæli. Unde videntur errare, qui dicunt, quod temporibus Evilmerodach filii Nabuchodonoſor ludus ille ſit inventus. Priamus rex Trojanorum habuit uxorem nomine Hecuba: ex qua genuit V. filios & III. filias. Primogenitus vocabatur Hector inauditæ ſtrenuitatis miles, virtute maxima bellicoſus. Secundus filius dicebatur Paris, alio nomine Alexander, omnium juvenum ſpecioſiſſimus. Tertius dictus fuit Deiphobus vir ſtrenuus, & conſiliorum perſpicuus. Quartus nominabatur Helenus vir multæ ſcientiæ, & ſagacitatis. Quintus filius dictus erat Troilus multum virtuoſus in bello. Filia primogenita dicta fuit Creuſa & ipſa fuit uxor Æneæ. Secunda vocabatur Caſſandra in multis artibus perita, & habuit notitiam futurorum: Unde quidam tradunt eam fuiſſe unam de Sibyllis. Tertia dicta fuit Polyxena puella miræ pulcritudinis. Præter quinque filios ſupradictos rex Priamus habuit XXX. filios naturales de diverſis concubinis, qui omnes erant viri bellatores. Poſtquam rex Priamus ſecundum quod in animo ſuo propoſuerat Trojam perfecerat, de conſilio ſuorum fidelium miſit in Græciam ad regem Telamonem, qui ſororem ſuam Heſionem tenebat, & alios principes Græciæ, ut ſororem ſuam ſibi reſtituerent, quam captivam de Troja abduxerant, & hanc legationem Antenor vir illuſtris & multæ ſagacitatis explevit: ſed ipſe ab omnibus, quos ad hanc reſtitutionem faciendam de Græcis acceſſit, eſt cum indignatione repulſus: de quo cum rex Priamus per Antenorem de Græcia reverſum plenius informatur, concipit in animo ſuo exercitum dirigere contra Græcos: quare conſilio communicato omnibus ſuis ſuadet, ut contra Græcorum ſuperbiam eum ſtudeant juvare fideliter & filios ſuos ad hoc ſpecialiter adhortari conatur. Quorum quidam à bellis abſtinendum eſſe ſuadebant ut Hector: alii, ut Patris & Deiphobus & Troilus, bellum ſuadent attendandum. Unde finaliter rex miſit Paridem & Deiphobum filios cum navibus gentibus armorum onuſtis in Græciam, qui navigando ad inſulam Cytheram, in quo eodem tempore feſta Veneris peragebantur, pervenerunt. Erat autem prope hanc inſulam regnum cujusdam regis, qui Menelaus dicebatur, & regnum ejus Lacedæmonia poſtea dictum eſt: cujus uxor Helena nomine, omnium mulierum Græciæ pulcerrima, ad feſta Veneris eodem tempore venerat: quam Paris ibidem ſpoliato templo rapuit, & omnia cum multis captivis Trojam usque perduxit. Cumque Caſtor & Pollux, fratres Helenæ, ſororis ſuæ raptum, fama deferente, percipiunt, navibus celeriter præparatis, mari ſe committunt, & raptores ſororis inſequuntur: ſed oborta tempeſtate maris ipſi cum ſuis ſunt ſubmerſi: & quia mors eorum diu manſit incognita, quidam finxerunt eos translatos in cœlum, & ſignum Zodiaci, quod Gemini appellatur, conſtituiſſe. Paris autem cum ſuis ſalvus perveniens Trojam à patre honorificè receptus eſt. Sed Caſſandra dixit propter hoc Trojam à Græcis deſtruendam, ſicut & prædixerat, quando Paris cum exercitu ſuo in Græciam ſe conferre diſpoſuit.

CAPUT XVII.

MENELAUS rex ob uxoris ſuæ raptum nimio dolore ſtimulatus, amicos ſuos convocat, & ab univerſis Græciæ principibus auxilia contra Trojanos implorat: qui omnes precibus ſuis annuentes convenerunt ad eum numero LXIX. reges, principes, duces & comites: inter quos præcipue fuerunt Agamemnon rex Mycenarum frater ipſius Menelai: Achilles F. Pelei regis Theſſaliæ: Ulyxes rex Achajæ: Diomedes de regno Argivorum, & Palamedes F. regis Naupli. Congregatus eſt igitur exercitus eorum habens naves MCCLII. continentes DCCCVI. millia armatorum. Cumque convenirent in portu Theſſalonicæ, miſerunt ad conſulendum Apollinem in inſulam Delphos,

Digitized by Google

phos, & de futura victoria ac Trojæ deſtructione reſponſum receperunt: tamen poſtquam portum Tenedon, quem in primo progreſſu ad partes Phrygiæ armis obtinuerant, & ſex milliaribus à Troja diſtabat, primò attigerunt, infra unius anni ſpacium verſus Trojam ſe conferendo mari ſe committere non audebant. Inter hæc rex Priamus multos reges & principes congregavit, ita quòd una cum incolis regni ipſe habuit DCLXXVI. armatorum, & Hectori filio ſuo totius exercitus ducatum commiſit. Græci verò, poſtquam plus anno in portu Tenedo ſteterant, oportunitate captata, ſe cum navibus ſuis conferunt verſus Trojam. Trojani verò Græcos videntes arma capiunt, & Græcos à litore arcere conantur: Unde bellum inſtauratur: & impulſu navium improviſo multi de Græcis ſunt ſubmerſi. In hoc bello HECTOR regem Philardorum Proteſilaum nomine, qui in fortitudine ſua mirabiliter contra Trojanos prævaluit, ictu gladii ſui duas dimidiavit in partes, non obſtantibus armis: & ſic mortuus eſt. Et Achilles vulneratur, ſic quòd ſequenti die bellum ingredi non valebat. Et propter crebros acceſſus navium Græcorum ad litus, & Trojanorum accurſus ex adverſo, ipſi invicem, nunc illi, nunc iſti decies & octies retrocedere ſunt coacti: donec, nocte ſuperveniente, à bello ceſſatum eſt: in qua quidem nocte Græci tentoria ſua fixerunt in campum. Illucente igitur die ſequenti, vir bellicoſus & ſtrenuus Hector dux Trojani exercitus univerſos bellatores ſuos mandavit armari, & aciebus ordinatis civitatem egreſſus, contra Græcos bellum inſtaurat. Et Agamem non rex Mycenarum, quem Græci ducem exercitus ſui conſtituerunt, aciebus ſuis ordinatis, ex adverſo procedit ad bellum. In hoc bello Hector mirabilia commiſit, omnes acies Græcorum in fortitudine ſua penetrans, in primo congreſſu Patroclum quendam principem Græciæ, intimum amicum Achillis, occidit. Inter tria millia armatorum equitum Hector pedes ſe defendit, ita quòd nec equum ejus de manibus ſuis eripere poterant: nec eum intercipere, & tandem eis invitis equum aſcendit, & in fortitudine equi ipſius per acies diſcurrit: ac poſtquam plus quam M. homines interfecit, vulneratus eſt à Mneſtheo duce Athenarum: quare bellum egreditur, & vulnere ligato revertitur, & adhuc plus quam M. homines occidit: inter quos Merionem de regno Cretæ peremit: & tandem occurrit ei Telamonius Ajax, filius Heſiones ſororis regis Priami, qui fortiter ei reſiſtebat, ita ut Hector miraretur, quiſnam is eſſet. Jam enim Trojani prævalebant adverſus Græcos, quod ignem in naves Græcorum injicere, & eorum deprædari tentoria tentaverunt. Ad petitionem Ajacis Hector, dum eum amitæ ſuæ filium eſſe cognovit, ſuos à bello revocavit: & illo die deinceps à bello ceſſatum eſt. Cecidit autem in hoc bello Caſſibalus frater naturalis Hectoris, quem rex Thoas occidit. Sequenti vero die, Trojanis ad bellum, Hectore præcipiente, paratis, Græci petunt inducias: & per duos menſes treugæ firmatæ ſunt: quibus tranſactis rurſus ad bellum procedunt, in quo Hector & Achilles conveniunt, ambo ſe ſternunt ab equis, & durum deinde certamen inter eos committitur, donec per notos ſuos ab invicem ſeparati ſunt. Hector vero poſtquam dimiſit Achillem, multos occidit: nam Archilochum & Protenorem regem, quolibet eorum uno ictu gladii, non obſtantibus armis, per medium diviſo peremit: & ſimiliter quendam militem eorum duas diviſit in partes. Quapropter nocte ſequenti Græci conveniunt de morte Hectoris tractaturi: deſperabant enim omnes in victoria, quamdiu Hector ſupereſſet. In tertio vero bello cecidit rex Hyſpon ſenex ex parte Trojanorum: Hector & Achilles acriter mutuo pugnant: Paris Menelaum lethaliter vulnerat, & rex Thoas à Trojanis capitur, quem rex Priamus volebat occidere, ſed Hector & Æneas noluerunt ei in hoc conſentire. In quarto bello Achilles interfecit regem Lariſſæ, qui dictus fuit Hyſpon grandis, & erat filius gigantis: & Diomedes regem Antipum occidit: Hector tres reges Græcorum interfecit: Æneas regem Amphicum peremit: deinde Achilles quendam regem, qui Philis dicebatur, occidit. Item in eodem bello Hector duos reges, & quendam ducem Salaminæ occidit. Et in eodem bello rex Epiſtropus, de partibus orientis, Græcis multa intulit incommoda, & præcipue in virtute cujusdam ſagittarii monſtroſi, quem ſecum adduxerat. Hic enim ſagittarius ab umbilico ſurſum erat homo, & tectus corio piloſo, & ab umbilico deorſum erat quaſi equus, & habuit oculos flammeos, & viſu ſuo terruit equos, ut ipſi, quamvis calcaribus urgerentur, retrocederent. Hic multos Græcorum ſuis ſagittis occidit: & tandem in hoc bello Diomedes cum neceſſitate compul-

compulſus interfecit. Græci etiam Anthemonem, virum nobilem de Trojanis, captum ad ſua tentoria duxerunt. Deinde cum ſequenti die in quinto bello multi Græcorum cecidiſſent, Græci petunt à Priamo inducias trium menſium, quas eis conceſſit, licet Hectori diſpliceret: quia Hector videbat Græcos belli cæde fatigatos. His treugis durantibus commutati ſunt quidam captivi, & Hector ad caſtra Græcorum ſe contulit abſque armis. Unde Achilles inter cæteros principes eorum eum lætanter ſuſcepit, ſed alterutrum inter plurima verba commoti ad iram, duellum ſibi mutuo indixerunt: ſed reges & principes utriuſque partis noluerunt conſentire in pacta, ſub quibus volebant duellare, videlicet, ſi Hector vinceret, à Troja Græci recederent, Trojanos ſuper Helenæ raptu de cætero non moleſtaturi: & ſi Achilles vinceret, Trojani Græcis eſſent perpetuo ſervituri: quamvis rex Priamus, de fortitudine Hectoris plenarie confiſus, in hoc caſu ſe committere fortunæ conſenſit. Trium itaque menſium elapſis induciis, iterum proceditur ad bellum, quod per dies XXX. continuatum eſt: in quibus multi ceciderunt ex utraque parte, ſed plures de Græcis. Hector duos reges occidit, & contra Achillem una vice tantum inſtabat, quod mille viros, qui Achillem juvabant, interfecit. Achilles duos Duces occidit: ceciderunt etiam in his XXX. diebus ſex filii naturales regis Priami. Unde rex Priamus petit inducias ſex menſibus, quæ conceſſæ ſunt. Quibus elapſis ſecutum eſt bellum, quod continuatum eſt per dies XII. quare propter fætorem cadaverum Græci petunt inducias xxx. dierum: quia magna mortalitas invaſit exercitum in caſtris. Evolutis xxx. diebus uterque procedit ad bellum. Andromacha vero Hectoris uxor, nocte præcedente hoc bellum talem prodidit viſionem: quod ſi Hector illa die ad bellum procederet, mortem evadere non poſſet: quare ipſa diligenter rogat eum, ut ſaltem illo die à bello deſiſtat: ſed ipſe verba illa vana judicans, uxoris ſuæ monitis obtemperare renuit. Quare Hecuba mater ejus & ſorores ſuæ, cum Helena, & aliis nobilibus mulieribus cum lacrymis eum rogant à bello deſiſtere: ſed cum precibus earum nec lacrymis moveretur, venit Priamus pater ejus ad ipſum, & eum jam equo inſidentem multis precibus vix avertit, & ad palatium reduxit: nec tamen Hector arma depoſuit. In hoc bello Margariton filius naturalis Priami occiſus eſt ab Achille, quod cùm ad Hectoris pervenit notitiam, ipſe vindicaturus fratrem, bellum furibundus ingreditur, multos proſternit: tres duces peremit, & Achillem graviter vulnerat. Unde Achilles bellum egreditur, vulnereque ligato regreditur, & conſiderans Hectorem circa captionem cujuſdam regis occupatum, ipſum non advertentem adventum ejus, lancea ſic graviter vulneravit, quòd ipſe cadens in terram mortuus eſt: quod videns rex Edemon ſic graviter percuſſit Achillem, quòd ipſe ſemivivus ad tentoria delatus eſt. Hic quidem in bellis ſuperioribus præter principes & duces, quos occidit xix. reges de Græcis manu ſua peremerat. Unde Græci de morte ejus maximè gaviſi ſunt: petunt tamen duorum menſium inducias, quæ eis conceſſæ ſunt: & interim Hector ſepultus eſt in templo Apollinis magnificentia regali. Cumque poſt inducias ſupradictas ad bellum proceſſum eſt, cecidit ex parte Trojanorum rex Perſarum: & deinde iterum treugæ factæ ſunt, inter quas dies anniverſarius obitus Hectoris inſtabat: quo die Achilles Trojam intrabat viſurus ab intra decorem civitatis: cumque intravit templum Apollinis, vidit Polyxenam ſororem quondam Hectoris, ad ipſius ſepulcrum anniverſarii obitus ſui diem plangentem, cujus captus amore languidus effectus eſt: ita ut magis virginis illius, qua pulcriorem ſe non vidiſſe teſtatus eſt, amorem ſibi conquirere, quàm Græcorum de Trojanis victoriam cogitavit. Eo tamen ſic æſtuante, ipſe Troilum fratrem Hectoris induſtrioſè occidit: & nihilominùs ad Hecubam reginam pro matrimonio cum Polyxena contrahendo nuncium ſecretum deſtinavit. Hecuba verò regina appetens filios ſuos vindicare, ei doloſè conſentit: & dum ad eam in templum Apollinis treugis durantibus venit cauſſa deſiderii perficiendi, ea tradente à Paride ibidem occiſus eſt: & Palamedes Filius regis Naupli occidit Deiphobum fratrem Hectoris, quem Paris eadem die rurſus interfecit. Et tandem in bello viceſimo Paris & Ajax ſe mutuo interfecerunt. Sed quis iſte Ajax fuerit non plènè conſtat. Nam Telamonius Ajax clàm occiſus fuit de nocte, & Ajax Oileus poſt receſſum Græcorum de Troja naufragium pertulit, & ſe natando ſalvavit: ſed Ovidius xii. Metamorphoſ. de Ajace, quòd dictus fuit Olenius, dicit,

Non ea

Digitized by Google

Non ea Tydides non audet Olenius Ajax.

Si ergo diverſi fuerunt Ajax Oileus & Ajax Olenius, poteſt eſſe, quòd Ajax Olenius à Paride occiſus eſt.

CAPUT XVIII.

POST mortem Achillis Græci miſerunt pro filio ſuo Neoptolemo, qui alio nomine Pyrrhus dicebatur, ut veniens patris ſui mortem vindicaret. Et poſtquam mortui ſunt Hector, Deiphobus, Paris & Troilus, filii Priami, ipſe quamvis requireretur à Græcis ad bellum, civitatem aperire recuſavit, quia ſpem habuit de quodam ſuccurſu fideli. Erant enim in partibus Orientis quædam fæminæ bellicoſæ ſine viris, in quadam habitantes provincia, quarum adoleſcentium cura potiſſima fuit armis bellicis inſudare. Iſtæ fæminæ originem traxiſſe ſcribuntur à Gothis: Eo namque tempore, quo Joſeph natus eſt, Gothi multiplicati in partibus ſeptentrionis, egreſſi cum rege ſuo Berig aptiores ſibi ſedes quærebant: & cum ad terram navibus ſuis appulerunt, invaſerunt fines Wandalorum, ipſisque ſuperatis proceſſerunt ad Scythiam. Cumque poſt mortem Berig, Filimer quintus rex Gothorum, filius Gadarici, expeditionem faceret in Scythia, reperit in populo ſuo quasdam magas mulieres, quas Gothico ſermone Alirumnas dixerunt, easque habens ſuſpectas de medio ſui proturbat, longèque ab exercitu fugatas in ſolitudine coëgit errare: quas ſylveſtres homines, quos nonnulli Faunos vocant, per deſertum vagantes dum vidiſſent, & earum complexibus in coitu ſe commiſcuiſſent, genus hominum ferociſſimum ediderunt, qui Hunni appellati ſunt, & inter Mæotidas paludes per multa ſecula latuerunt: de quibus infra ſuo loco dicetur. Poſt mortem Filimer regis Gothi ad mare Ponticum procedebant, & regnante apud eos Taunaſe, veſoſis rex Ægypti bellum eis intulit, quem Taunaſis rex Gothorum usque in Ægyptum fugavit: & in revertendo pene totam Aſiam ſubjugavit. Unde quidam de ſuis provincias ſubjugatas contuentes omni fertilitate pollere, deſertis ſuis ſponte in Aſiæ partibus reſederunt, de quibus Parthi progreſſi feruntur: unde Parthi eorum lingua fugaces interpretantur. Sic etiam Gepidæ à Gothis progreſſi, nomen à re ſortiti ſunt: nam Gepánta in lingua eorum tardus dicitur, & naves eorum, quando Gothi egreſſi ſunt inſulam Scanziam, tardius venerunt. Poſt mortem Taunaſis cum ſucceſſores ejus in partibus alienis expeditionem facerent, fæminæ Gothorum à quadam vicina gente tentantur in prædam, quæ ut à viris ſuis doctæ fuerant, fortiter reſtiterunt, hoſtesque ſuos ſuper ſe venientes viriliter abegerunt. Qua patrata victoria, fretæque majori audacia, arma capiunt, & duas audaciores eligunt in Duces, quarum una dicta fuit Lampeto, alia dicta fuit Marpeſia. Lampeto patrios fines defendebat & Marpeſia agmine fæminarum ſumpto, exercitum duxit in Aſiam, diverſasque gentes ſuperans, aut pace concilians, ad Caucaſum montem pervenit: ibique certum tempus demorans loco nomen dedit ſaxum Marpeſiæ: in quo loco poſtea Alexander M. portas conſtituens eas Pylas Caſpias nominavit. Et ab iſto loco, qui dictus eſt ſaxum Marpeſiæ, Saxones ſunt appellati, quos idem Alexander ex Macedonibus quaſi fideliores ſibi, eligens ad cuſtodiam reliquit ibidem: & poſt mortem ejus inde egreſſi ſunt, prout infra ſuo loco dicetur. In hoc loco fæminæ prædictæ commanentes confortatæ ſunt: unde egreſſæ Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam omniaque Aſiæ loca æqua felicitate domuerunt: Epheſum civitatem condiderunt, & in ea templum Dianæ, quod miræ pulcritudinis fuit, fabricaverunt, & ſic tandem ad ſocias ſuas in cautes Marpeſias redierunt. Quæ veritæ, ne earum proles rareſceret, à vicinis gentibus concubitum petierunt, factis nundinis ſemel in anno, ita ut futuris temporibus eadem die revertentibus in id ipſum, quicquid partus maſculini edidiſſet mater patri redderet: quicquid vero fæminei ſexus naſceretur, mater ad arma bellica erudiret. Et quia ſic habitabant ſine viris, dictæ ſunt Amazones, quaſi ἅμα ζῶσαι: vel dictæ ſunt Amazones, eo quod habebant dextras mammas aduſtas, ne ſagittarum jactus impediretur, & hanc quam aduſſerant mammam nudabant: unde Amazon quaſi ἄνυ μάζου ut dicit Iſidorus. Et hæ fæminæ tenuerunt regimen usque Alexandrum M. qui eas omnino delevit: quoniam partim ab Hercule, partim ab Achille olim deletæ fuerunt, & deinde Alexander eas usque ad internecionem delevit, ut teſtatur Iſidorus. Dicitur enim, quod Hercules & Achilles habuerunt bellum cum Hippolyta regina Amazonum, & ſuperata ea abſtulerunt

ſibi baltheum, quod ipſa regi Getarum abſtulerat in bello, & utrumque bellum actum fuerat juxta fluvium Thermodoontem. Unde Ovidius IX. Metamor. loquens de morte Achillis dicit:

Ac ſi fœmineo fuerat tibi Marte cadendum
Thermodontiaca malles cecidiſſe bipenni.

In hiſtoria tamen Alexandri Magni legitur, quòd ipſe ſuſceperit has fœminas in gratiam: ſed alii, ut Iſidorus & Jordanes epiſcopus, dicunt, quòd Alexander eas omnino delevit: quamvis quidam adhuc eas eſſe affirmant, prout legitur in libello Johannis de Mandavilla. Sed conſtat, quòd Romani poſt mortem Alexandri omnia regna Orientis uſque Indiam ſubegerunt virtute bellorum: nuſquam tamen legitur, quòd ipſi habuerint bellum cum Amazonibus. Item poſtquam fides Chriſtiana uſque ad fines orbis terræ per Apoſtolos Chriſti & alios ſanctos perducta eſt, ita ut aliqui eorum fines Indiæ penetrarint, nuſquam tamen legitur, quod aliquis eorum Amazonibus prædicaverit, ut Paulus Diaconus eccleſiæ Romanæ in geſtis Longobardorum (*l. 1. cap. 15.*) teſtatur Amazones fuiſſe deletas, antequam Longobardi originem habuerunt. Eo igitur tempore quo Troja obſeſſa eſt à Græcis, regnabat apud Amazones regina quædam, nomine Pentheſilea virgo nimium bellicoſa, Hectorem propter ſtrenuitatis ſuæ famam multum diligens, & videre eum deſiderans. Hæc audito, quod Græci Trojam obſederant, cum mille puellis multa ſtrenuitate pugnantibus apud Trojam ſe contulit pugnatura. Cumque Trojam pervenerat, audito quod Hector jam mortuus fuerat, nimium triſtis effecta, petit ſe contra Græcos ad bellum admitti. Unde Pentheſilea cum puellis ſuis & Trojanis procedens ad bellum multa contra Græcos certamina geſſit: infraque unius menſis ſpacium plusquam X. hominum millia ex utraque parte perierunt. Et tandem in ultimo bello Pyrrhus filius Achillis Pentheſileam gladio percuſſit, eamque in fruſta concidit, & ceciderunt una die circiter X. millia Trojanorum. Et puellæ Pentheſileæ videntes dominam ſuam mortuam, tanquam deſperatæ in Græcos irruerunt, & de eis plusquam duo millia perierunt, & omnes puellæ occiſæ ſunt præter XL.

Caput XIX.

Cum igitur poſt bella prædicta Trojanis non erat oportunitas aperiendi civitatem cauſa belli, Antenor & Æneas, præcipui conſiliarii regis Priami, de traditione civitatis cum Græcis tractare cœperunt. Et tandem, ſi ipſi cum ſuis ſalvari poſſint, civitatem Græcis tradere ſpondent, quod tandem, poſtquam bellatum eſt annis X. menſibus VI. diebus XII. multis cum rege Priamo doloſis tractatibus præhabitis, perfecerunt. Cum enim de pace, inter Trojanos & Græcos certo modo ſervanda, juramenta præſtari deberent, rex Priamus juravit ſimpliciter, pacem ſe ſervaturum, & auri & argenti pondera ac frumenti menſuras juxta modum & formam, quibus Æneas & Antenor hæc una cum Ulyxe & Diomede, qui ex parte Græcorum ad hoc ordinati fuerunt, fieri ordinaverant, ſe ſoluturum: Græci vero fraudulenter juraverunt, videl. ſe pacem ſervaturos eo modo, quo per ipſos compoſitores erat ordinatum. Cum igitur ipſi compoſitores tractaverant, ſub ſpecie pacis & concordiæ Græcis civitatem ipſam tradendam, Græci præſumſerunt, ad pacem ſimpliciter obſervandam ſe non eſſe obligatos. Die igitur ad hoc ſtatuto veniente, Græci naves ſuas auro & argento atque frumento juxta ordinationem compoſitorum onerantes, à terra recedere ſimulabant: nocte vero ſuperveniente Antenor & Æneas portam civitatis clam aperiunt, & Græcos intromittunt. Unde Græci ſuper Trojanos irruunt, & indifferenter quoscunque apprehendunt morti tradunt, traditorum amicis intra domos illorum, certis interſignis ſignatas, ſervatis illæſis.

Priamus rex hac clade cognita, fugit in templum Apollinis: in quo à Pyrrho interfectus eſt. Caſſandra fugit ad templum Minervæ: quæ capta viva ſervata eſt, & poſtmodum data eſt Agamemnoni regi Mycænarum in præmium, quia ipſa dux totius exercitus Græcorum fuerat. Hecuba regina ex nimio dolore quaſi verſa in rabiem, dicitur lapidibus fuiſſe obruta. Alii dicunt eam abductam vivam. Polyxena ſoror Hectoris à Pyrrho ſuper ſepulcrum Achillis occiſa eſt. Helenus frater Hectoris quoniam ſemper bellum diſſuaſit, liber dimiſſus eſt. Hic Helenus dicitur fuiſſe ſacerdos in templo Minervæ, quæ Pallas etiam dicitur: & captus cum Palladio, hoc eſt, imagi-

Digitized by Google

imagine Palladis, ſeu Minervæ, de qua imagine ſeu ſimulacro Trojani confidentiam habuerunt, quod, quam diu illud ſimulacrum eſſet intra mœnia civitatis, civitas ipſa nequaquam periret, & illud Ulyxes traditione Antenoris acquiſivit. Unde Ovid. 13. Metamorph.

Priamidemque Helenum rapta cum Pallade captum. In hiſtoria vero Trojana legitur, ſacerdotem ipſius Minervæ dictum Thoas, & hic auro corruptus tradidit voluntarie Palladium. Auguſtinus tamen 1. de C. D. *(cap. 2.)* videtur velle, quod ſacerdotes Minervæ occiſi ſunt clam, & tunc ſimulacrum eſt ſublatum. Dicit enim: Nec ideo Troja periit, quia Minervam perdidit. Quid enim priùs ipſa Minerva perdiderat, ut periret? An fortè cuſtodes ſuos? Hoc ſanè verum eſt, illis quippe interemtis potuit auferri. Neque enim homines à ſimulacro, ſed ſimulacrum ab hominibus ſervabatur. Quomodo ergo colebatur, ut patriam cuſtodiret & cives, quæ ſuos non potuit cuſtodire cuſtodes? Inſuper Græci propter ſtrenuitatem Hectoris Andromacham ejus uxorem, & filios diverſos dimiſerunt liberos, & Pyrrhus filius Achillis eam duxit uxorem. Helena Menelao reſtituitur: quam tamen multi principes Græcorum morte dignam aſſeruerunt. Demum Græci mœnia Trojæ & palatia ipſius, nec non Ilium partim ferreis inſtrumentis, partim igne dejecerunt. Capta eſt utique Troja à quadringenteſimo quarto anno Nini regis Aſſyriorum: ſive à nativitate Abrahæ anno octingenteſimo triceſimo quinto: à nativitate Moyſi anno quadringenteſimo decimo: ſub rege Aſſyriorum xxv. prout infra patebit. Sicut etiam de aliis jam ſimul propter condependentiam rerum geſtarum ſupradictis ſuis in locis, quibus temporibus acta ſunt, infra dicetur.

CAPUT XX.

AGamemnon rex Mycenarum, princeps exercitus Græcorum, poſt Trojæ captionem principes ad colloquium convocavit, & de duobus quæſivit. Primum erat, an fides ſervari debeat traditoribus civitatis, videlicet Antenori & Æneæ? ad quod reſponderunt, quòd utique fides eis eſſet ſervanda. Secundum, quis deberet eſſe modus in diſtributione rerum ipſius civitatis? & reſponderunt, quòd modus diſtributionis deberet attendi ſecundum merita, & labores unius cujusque. Unde orta eſt diſſenſio inter Ajacem Telamonium & Ulyxem de Palladio, videlicet, quis eorum illud obtineret, quoniam Ajax omnibus regibus & principibus ſe præferendum æſtimavit in præmio: quia in bellis præ aliis majora fecerat: nec fuit aliquis inter eos, qui ſe ei æquiparare præſumeret. Sed Ulyxes conſilio ſuo & diverſis aſtutiis aſſeruit eſſe factum Trojæ excidium: quoniam ipſe Palladium Trojanis abſtuliſſet, quod ſi factum non fuiſſet nihil Ajacis fortitudinem Græcis profuiſſe: tandem principes poteſtatem adjudicandi Palladium digniori arbitrio Agamemnonis & Menelai tradiderunt, qui adjudicaverunt illud Ulyxi. Qui Ulyxes Helenam à morte, qua eam dignam multi principes & maximè Ajax aſſeruerunt, ſuis verbis dulcibus liberatam, Menelao reſtitui ordinavit. Quare Ajax commotus ad iram ægrum oſtendit animum contra Ulyxem. Unde quadam nocte ſequente Ajax in tentorio ſuo clam jugulatus eſt: de quo Pyrrhus præ cæteris multum anguſtiatus, verba minatoria contra Ulyxem & Agamemnonem quaſi de morte Ajacis ſuſpectos, multa diffudit: quare Ulyxes navibus ſuis onuſtis de nocte à Troja receſſit, & in Aulidem inſulam navibus applicuit: in qua duæ mulieres ſorores regnabant: quarum una Circe vocabatur, quam Ulyxes tandem gravidam fecit, & ipſa filium peperit, qui Telegonus appellatus eſt. Et legitur, quòd iſtæ duæ ſorores incantatrices & magæ fuerunt, ita quòd ſocios Ulyxis in beſtias converterunt: deinde Ulyxes recedens incidit in manus piratarum, & ſpoliatus rebus omnibus dimiſſus eſt. Et deinde poſt alia multa pericula venit in Cretam: ubi rex Idomeneus eum honorificè ſuſcepit, cui Ulyxes narravit pericula, quæ paſſus erat, & quomodo ad quoddam oraculum deorum venerat, & ibi de omnibus, quæ interrogavit à diis, reſponſum obtinuit, præterquam de anima ſua, videlicet, ubi illa poſt mortem corporis eſſet manſura. Et rex Idomeneus dedit Ulyxi duas naves cum omnibus neceſſariis: & ſic ad regnum ſalvus pervenit, & lætanter receptus eſt ab uxore ſua Penelope: quæ inter cæteras mulieres principum, qui fuerunt in obſidione Trojæ, de caſtitate, quam marito abſente ſervavit, eſt commendata. Et demum Ulyxes anno vitæ ſuæ CIII. à filio ſuo Telegono, quem Circe pepererat, dum ipſe patrem viſurus venerat,

Digitized by Google

jaculo inopinatè vulneratus obiit: & regnavit poſt eum Telemachus filius ejus in regno Achajæ, annis LXX. Sed Telegonus regnavit in regno matris ſuæ annis LX. De diſſenſione ſupradicta, quæ fuit inter Ajacem & Ulyxem, dicit Ovidius lib. XIII. Metamorph. quod ipſa fuerit pro armis Achillis, quæ unus præ alio ſibi nitebatur vendicare, & propter hoc Pyrrhus fuit vocatus, ut ipſe arma patris indueret. Cæteris verò principibus Græcorum cum magna præda recedentibus, multi eorum naufragio perierunt: Unde Ocætus frater Palamedis, bello Trojano peracto, malè informatus de modo mortis fratris ſui, quem Paris in bello ſagitta interfecerat, videlicet, quod à Græcis fuiſſet occiſus, & quòd falsò impoſuiſſent ſibi crimine traditionis exercitus Græcorum, & literam quandam, traditionis modum in ſe continentem, apud eum inventam, narrantem de certo pondere auri, quod pro traditione recepiſſet, quod fraudulenter in lectum ſuum repoſitum inventum fuiſſet, ab æmulis ſuis, in deſertis montibus regni ſui circa mare plurimos focos accendit, ut Græcos navigantes faceret errare: & hujus occaſione multi ex Græcis credentes ſe portus accedere, navibus inter ſcopulos inopinatè colliſis, naufragium paſſi ſunt: & de illo periculo Ajax Oileus natando vix nudus evaſit. Agamemnon rex ſalvus domum perveniens ab uxore ſua Clytemneſtra amore ſimulato ſuſceptus, ab Ægyſto famulo ſuo Clytemneſtræ adultero, ipſa procurante, in lecto ſuo noctu occiſus eſt: Sed Oreſtes filius Agamemnonis, matre & Ægyſto comprehenſis, matrem publicè occidit, & Ægyſtum è furca ſuſpendit. Pyrrhus filius Achillis Andromacham, uxorem quondam Hectoris, ſecum abductam, duxit uxorem: & poſtea non contentus uxorem Oreſtis rapuit. Quare Oreſtes Pyrrho, in Delpho inſula volenti ſacrificare Apollini, inſidiatus, ipſum occidit. Andromacha verò eodem tempore de Pyrrho prægnans erat, & peperit filium, quem Achilleiden nominavit. Hic, poſtquam adolevit, fratrem ſuum uterinum, filium Hectoris, qui Laomedon dictus erat, in tantum dilexit, quòd ei regnum Theſſaliæ ſponte dimiſit. Menelaus cum Helena uxore ſua ſalvus pervenit in regnum ſuum. Diomedes cùm voluit redire domum in regnum, quod antea dictum regnum Argivorum, tunc verò ſub ditione regis Mycænarum fuerat, prohibitus eſt ab Ægea uxore ſua: quoniam ipſa fuerat ſiniſtrè informata, quòd frater ejus Therſander, qui cum Diomede ſe verſus Trojam contulerat, & à Telepho rege Mœſiæ, ut ſupra dictum eſt, priusquam Trojam perveniret, in via occiſus eſt, ſtudio Diomedis fuiſſet interfectus: quare Diomedes poſt receſſum Græcorum à Troja, Trojam reverſus eſt, & factus eſt princeps reliquiarum civitatis: quoniam à vicinis tentabatur in prædam, à quibus Diomedes eos defendit: & tandem Diomedes ab uxore ſua eſt revocatus: ſed dicitur, quòd non fuit reverſus in regnum ſuum, ſed ſociis ſuis converſis in volucres, ipſe inter deos vivus translatus eſt. Pro quo ſciendum eſt, quòd de Ulyxe & Diomede ſupradictis tradunt hiſtorici: quòd ſocii Ulyxis carminibus Circes mutati ſunt in beſtias: ſocii Diomedis in volucres. Unde Auguſtinus XVIII. de C. D. (*cap. 16.*) de gentilium erroribus circa præmiſſa ſic dicit: Diomedem fecerunt deum, quem pœna divinitus irrogata perhibent ad ſuos non revertiſſe, ejusque ſocios in volucres fuiſſe converſos, non fabuloſo poëticoque mendacio, ſed hiſtorica atteſtatione confirmant. Item templum aſſerunt eſſe in inſula Diomedæa, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia, & hoc templum circumvolare has alites, aquam roſtris verſus templum aſpergere, Græcis blandire, & alienigenis eſſe infeſtas. Deinde ſubjungit: (*cap. 17.*) quòd Varro commemorat de ſociis Ulyxis & de Arcadibus converſis in beſtias & lupos. Et ſubdit, (*cap. 18.*) quòd ipſe conſtitutus in Italia audivit de quadam regione dici illarum partium, quòd per quasdam mulieres talibus malis artibus imbutas faciunt miniſtrari viatoribus, quibus vellent, in caſeo aliquid hujusmodi, unde mutarentur in jumenta, & portarent annonam cum aliis jumentis: & poſt multa dicit firmiſſimè tamen tenendum eſt: Omnipotentem Deum omnia poſſe facere, quæ voluerit, ſive vindicando, ſive præſtando, nec dæmones aliquid operari ſecundum naturæ ſuæ potentiam, quia & ipſa angelica creatura eſt, licet proprio vitio ſit maligna, niſi quod ille permiſerit, cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla. Nec ſanè dæmones naturas creant, ſi aliquid tale faciunt, ſed ſpecie tenus quæ à vero Deo ſunt creata commutant, ut videantur eſſe quod non ſunt. Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem ulla ratione crediderim Dæmonum arte vel poteſtate in membra,

Digitized by Google

membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti, ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſive ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum, neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci: ita ut corpora ipſa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, ſed multò gravius atque vehementius quam ſomno ſuis ſenſibus obſeratis. Phantaſticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie appareret ſenſibus alienis, talisque etiam ſibi homo eſſe videatur, ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera: quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur à dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim verò onerum corpora, partim jumentorum falſa cernentibus. Nam quidam nomine Præſtantius patri ſuo contigiſſe indicabat ut venenum illud per caſeum in domo ſua ſumeret, & jaceret in lecto ſuo quaſi dormiens qui tamen nullo modo poterat excitari. Poſt aliquot autem dies eum evigilaſſe dicebat, & quaſi ſomnia enarraſſe, quæ paſſus eſt, caballum ſe ſcilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulaſſe militibus, quæ dicitur retica, quoniam ad retia deportatur. Quod ita ut narravit factum fuiſſe, compertum eſt: quæ tamen ei ſua ſomnia videbantur. Indicavit & alius ſe domi ſuæ per noctem antequam requieſceret vidiſſe venientem ad ſe quendam Philoſophum ſibi notiſſimum, ſibique expoſuiſſe nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluiſſet. Et cùm ab eodem Philoſopho quæſitum fuiſſet, cur in domo ejus fecerit, quod in domo ſua petenti negaverat. Non feci, inquit, ſed me feciſſe ſomniavi. Ac per hoc alteri per imaginem phantaſticam exhibitum eſt vigilanti, quod alter vidit in ſomnis. Proinde quod homines dicuntur, mandatumque eſt literis, à diis vel potiùs dæmonibus, Arcades in lupos ſolere converti, & quod *Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyxis*, ſecundum iſtum modum mihi videtur fieri potuiſſe, quem dixi: ſi tamen factum eſt. Diomedeas autem volucres non mutatis hominibus factas, ſed ſubtractis credo fuiſſe ſuppoſitas: neque enim dæmonibus judicio Dei permiſſis hujusmodi præſtigiæ difficiles eſſe potuerunt: quia ſocii Diomedis nusquam ſubitò apparuerunt, perdentibus eos ultoribus angelis malis, in eas aves pro illis occulte aliis ex locis, ubi eſt hoc genus avium, ad ea loca perductæ ſunt, ac repentè ſuppoſitæ, creduntur eſſe converſi. Quòd autem Diomedis in templum aquam roſtris adferunt, & adſpergunt, & quòd blandiuntur Græcigenis, atque alienigenas perſequuntur, mirandum non eſt fieri dæmonum inſtinctu: quorum intereſt perſuadere deum factum eſſe Diomedem, ad decipiendos homines, ut falſos deos cum veri Dei injuria multos colant.

CAPUT XXI.

TRoja deſtructa, & civibus ejus hinc inde diſperſis, multæ terræ & inſulæ per eos ſunt occupatæ. Dicitur enim, quòd Brutus, unus de filiis naturalibus regis Priami, cum multitudine Trojanorum diutius per mare navigando, tandem venit ad inſulam quandam Oceani, quam gigantes quidam incolebant: eisque ſuperatis inſulam ipſam obtinuit, & à nomine ſuo deinde Brutania, & poſtea mutata litera Britannia dicta eſt, quæ demum Anglia nominata eſt, prout infra dicetur. Item dicitur, quòd Antenor cum multis Trojanis & Paphlagonibus occupavit partes Venetiarum, prout ſuperius dictum eſt. Æneas verò, Antenore procurante, Græcorum indignationem incurrit, ex eo, quòd Polyxenam filiam regis Priami occultaverat, ne in Græcorum manus incideret, quæ tamen prodita à Pyrrho occidebatur, & propterea Græci Æneæ exilium indixerunt. Unde Æneas petiit ſibi dari naves illas, cum quibus Paris profectus fuit in Græciam, quando rapuit Helenam, & tempus ad reformandum eas indulgeri, & datæ ſunt ipſi naves XXII. & tempus ad reformandum eas indultum eſt. Recedentibus verò Græcis à Troja, Æneas cum ſuis ſeditionem movit contra Antenorem & in tantum contra eum laboravit, quòd cives Trojani, qui remanſerant, Antenori exilium indixerunt, & ſic uterque traditorum dominandi Trojanis poteſtate, quam affectaverant, fraudatus eſt. Æneas igitur recedens à Troja primò venit in Macedoniam: deinde in Siciliam: tandem tertio anno poſt excidium Trojæ venit in Italiam, ubi regi Latino affinitate conjunctus eſt, prout infra patebit. Item quidam dicunt, quòd Æneas habuit fratrem quendam, qui Phrygas dictus fuit, cum quo egreſſa ſit multitudo Trojanorum: qui tandem elegerunt ſibi ducem Franci-

onem nomine, & deinde orti ſunt Franci. Sed alii dicunt, quòd deſtructa Troja, magna multitudo Trojanorum occupavit quaſdam terras Pannoniæ, qui poſtea dicti fuerunt Sicambri, usque ad tempora Valentiniani Imp. qui ortus eſt de iisdem partibus, eosque ſubactos à Romanis libertati reſtituit, & à tributo liberavit: propterea, quia ipſi debellaverunt Alanos Romanis rebelles, & ſic ipſi lingua vulgari appellati ſunt Francken/ quod ſignificat idem, quod liberi: & de his infra dicetur. Et quod Franci orti ſunt à Trojanis etiam videtur innuere Paulus Diaconus in prologo homiliarum per eum collectarum, ubi ad Karolum magnum loquens verſificando ſic inquit:

Luxque decusque	*Atque togatæ*
Magne tuorum,	*Arbiter urbis,*
Karole princeps,	*Dardanidæq;.*

Gloria gentis.

Unde Dardanidæ, hoc eſt, Trojanæ gentes, quoniam à Dardano traxerunt Trojani originem, ut ſupra dictum eſt.

CAPUT XXII.

Mitræus xxv. rex Aſſyriorum annis xxvii. Sub quo Judæis præerat Jair annis xxii. Hic Jair habuit xxx. filios, qui erant principes ſuper xxx civitates Galaad. Ipſe Jair dicitur coluiſſe Baal, & ſeduxiſſe populum: & cum quadam vice vii. viros ſibi contradicentes miſit in ignem, ipſi per angelum liberati ſunt, & M. viri circumſtantes igne conſumti ſunt, & ignis progreſſus ſtatuam Baal & ipſum Jair conſumſit. Iſte Jair habuit uxorem, de qua ſuſceperat filios: & habuit concubinam, de qua ſuſceperat filium, qui dictus eſt Jephte: ſed filii legitimi ejecerunt Jephte ab hereditate patris. Poſtea verò, dum Jephte factus eſt vir potens, venerunt fratres ſui ad eum cum aliis filiis Iſrael, & rogaverunt, ut ipſe dux eorum contra filios Ammon eſſet, quia oppreſſerant eos: ipſe verò improperans eis, quòd eum ejeciſſent de domo patris ſui, recuſavit principatum: tandem tamen victus precibus profectus eſt cum eis, & principatum tenuit annis vi. vel ſecundum alios annos x. Hic Jephte cum egrederetur ad bellum, vovit Deo, ſi triumpharet de inimicis, quicquid primò ſibi occurrit de domo ſua, dum reverteretur, illud vellet Deo immolare: ſed quia ſtultè vovit, obviam habuit, in revertendo de bello cum victoria, filiam ſuam unicam: unde contriſtatus eſt. Sed quia vovit Deo votum reddere voluit: nec ſe filia recuſavit immolari, ſed tempus ſibi petiit indulgeri, quo virginitatem ſuam plangeret, & conceſſit ei pater ſpacium menſium duorum & ipſa per hos duos menſes cum aliis virginibus advocatis per montes vagabatur, plangens ſe virginem morituram, & ſic poſt planctum ad patrem reverſa Domino immolata eſt. De impertinentiis ſacrificiorum dicit Auguſtinus lib. xv. de C. D. *(cap. 7.)* Rectè offertur ſacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo ſacrificandum eſt. Non autem rectè dividitur, dum non diſcernuntur rectè vel loca, vel tempora, vel res ipſæ, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur: vel hi quibus ad veſcendum diſtribuitur, quod oblatum eſt: ut diviſionem intelligamus hic diſcretionem ſive cùm offertur, ubi non oportet, aut quod non ibi, ſed alibi oportet: ſive cum offertur, quando non oportet, aut quod non tunc, ſed alias oportet: ſive cùm id offertur, quod nuſquam & nunquam penitus debuit: ſive cum electiora ſibi ejusdem generis rerum tenet homo, quàm ſunt ea, quæ offert Deo: ſive cum ejus rei, quæ oblata eſt, fit particeps profanus, aut quilibet, quem fas non eſt fieri. Hujus regis Aſſyriorum tempore Priamus regnavit in Troja. Item iſtis temporibus Carthago condita eſt. Item xxiii. anno hujus regis Hercules agonem Olympiacum conſtituit, à quo usque ad primam Olympiadem ſupputantur anni ccccxxx. Item ultimo anno hujus regis factum eſt bellum Amazonum contra Thebas.

Tautanes XXVI. rex Aſſyriorum regnavit annis XXXII. Hujus anno tertio Minos rex Cretæ in Sicilia arma contra Dædalum movens, à filiabus Cocali occiditur. Item anno ejus iix. Hercules in Libya occidit Antæum. Item anno ix. ejusdem Menelaus maritus Helenæ regnat in Lacedæmone: & Jephte, de quo ſupra dictum eſt, judex & dux Hebræorum eſt. Deinde Eſebon poſt Jephte præerat Judæis annis ſeptem & alio nomine dictus fuit Ebeſſa, & natus fuit de Bethlehem, & habuit xxx. filios & totidem filias. Sed Philo dicit, quòd poſt Jephte judicavit Addo annis iix. & poſt eum Elon annis xx. Item iſtis temporibus apud Mycenas regnat Agamemnon annis xv. de quo ſupra dictum eſt. Item anno xi.

hujus

Digitized by Google

hujus regis Aſſyriorum Hercules incidens in morbum peſtilentem ob remedium dolorum ſe flammis injecit. Unde dicitur, ut tangit Ovidius IX. Metamorph. quod Dejanira uxor Herculis audiens, quòd aliam ei ſuperinduxit mulierem, miſit ei veſtem pretioſam, ſed veneno infectam, qua in ſacrificiis Jovis pro ſolennitate uteretur, cumque Hercules in hac veſte Jovi ſacrificaret, veſtis ex flamma ſacrificii calefacta eſt, & adhæſit cuti ipſius & carni indiſſolubiliter, & venenum usque ad viſcera ejus transfuſum eſt, & ſic ob nimium dolorem flammis ſeipſum donavit, & mortuus eſt anno ætatis ſuæ LII. quidam tamen dixerunt eum ante hoc tempus XXX. annis periiſſe. Anno prædicti regis XVI. Paris, qui & Alexander, Helenam uxorem Menelai rapuit, unde bellum Trojanum ortum eſt. Anno ejusdem XX. & anno V. belli Trojani Amazones venerunt in ſubſidium Priamo. Anno ejusdem XXII. Labdon apud Judæos tenuit principatum. Anno ejus XXV. capta eſt Troja à Græcis, & tertio dehinc anno, vel, ut alii volunt, octavo, Æneas venit in Italiam ad Latinum regem agri Laurenti, & accepit filiam ejùs in uxorem Laviniam nomine: ſed Turnus filius regis Hetruſcorum hoc ægrè ferens, quoniam Lavinia ei fuerat deſponſata, regi Latino & Æneæ bellum indixit: & in illo bello Æneas Turnum occidit, & rex Latinus interfectus eſt, & Æneas regnum ſolus obtinuit. Iſte Latinus linguam Latinam correxit, & regnum Laurentum ab eo regnum Latinorum dictum eſt, quod poſtea regnum Romanorum nominatum eſt. Sciendum eſt, quòd ut dicit Iſidorus IX. Etymolog. (*cap. I.*) lingua Latina quadruplex fuit: Prima, quæ fuit ſub Jano & Saturno. Secunda ſub Latino, & hæc propriè Latina dicitur, qua ſcriptæ erant XII. tabulæ. Tertia fuit Romana, qua uſi ſunt Poëtæ, ut Virgilius, Ovidius & alii. Quarta fuit Mixta, quæ per ſolœciſmos corrupta eſt, & ea vulgus utebatur. Ante Latinum regnaverant in Italia in agro Laurenti, Janus, Saturnus, Picus & Faunus per annos circiter CL. Æneas condidit civitatem non longè à loco, in quo nunc eſt Roma verſus Orientem, quam à nomine uxoris ſuæ Lavinium appellavit. Æneas etiam quando de Parthenope, id eſt, Neapoli navigavit verſus oſtium Tiberis, ipſe in loco, ubi mater ſua deceſſit Cajeta, civitatem condidit, & eam à nomine matris Cajetam nominavit: pater verò ipſius Anchiſes in Sicilia ante deceſſit. Item ut ſcribit Iſidorus, (*lib. 10. cap. 50. Etym.*) Æneas primus docuit nobiles Romanos ſaltare: & poſtquam Æneas tribus annis regnavit, fulmine percuſſus interiit, uxore ſua Lavinia gravida relicta. Poſt mortem Æneæ filius ejus Aſcanius de uxore ſua priore Creuſa filia regis Priami genitus, regnavit Latinis, annis XXXIIX. Et Lavinia noverca ejus timens eum, ut quidam dicunt, fugit in ſylvam. Alii dicunt, quòd caſu divertit ad ſylvam, & peperit ibi filium, & ideo vocavit eum Sylvium: atque inde reges Latinorum Sylvii cognominati ſunt.

CAPUT XXIII.

Teuteus XXVII. rex Aſſyriorum regnavit annis XL. Anno ejus II. Aſcanius filius Æneæ Albam longam condidit. Anno ejus VI. Pyrrhus filius Achillis ab Oreſte occiſus eſt in templo Apollinis Delphici, proditione ſacerdotis Macharei, & hoc tempore quidam Homerum fuiſſe dicunt. Iſtis temporibus Judæis præeſt Samſon. Hic nunciatus fuit ab angelo, qui dixit matri ſuæ, quod novacula ſuper caput ejus aſcendere non deberet. Samſon poſtquam ad ætatem pervenit adultam, volens ducere uxorem de Philiſtim, ivit per vineam quandam, & occurrit ei leo, quem ipſe quaſi hædum diſcerpſit: Et poſtquam iterum pergens per eandem vineam examen apum invenit in ore leonis mortui, & accepit mel & comedit, & deinde ſodalibus ſuis Philiſtæis, qui ei aſſiſtebant in nuptiis, propoſuit problema ſub hac forma: De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo: quod ad informationem ſponſæ, ab ipſo Samſone edoctæ, ſolverunt, dicentes: quid fortius eſt leone? & quid dulcius eſt melle? quare Samſon reliquit eam, & pater mulieris eam alteri tradidit. Propter hoc Samſon captis CCC. vulpibus vivis, faces ligavit ad caudas earum, quibus incenſis & vulpibus dimiſſis, tempore meſſis, combuſſit omnes ſegetes Philiſtinorum. Unde Philiſtini congregati contra filios Iſrael, petierunt ſibi tradi Samſonem: quare filii Iſrael convenientes, quæſiverunt Samſonem, & invenerunt eum in quadam ſpelunca. Samſon igitur ſub conditione exiit ad eos, videlicet, quod non interficerent ipſi eum: & ſic juraverunt ſibi. Poſtquam verò egreſſus eſt ad eos, ipſi ligaverunt eum ſeptem funibus novis, & ita duxerunt eum vinctum ad Philiſtæos, & Philiſtini eo tempore

temporedominabantur Iſrael. Cum Samſon vidit Philiſtæos venientes, ipſe ruptis funibus, quibus ligatus erat, quaſi filis factis de ſtuppa, videns prope ſe in terra cadavera ſini, mandibulam apprehendit, & percuſſit de Philiſtim mille viros, & reliqui per campum diſperſi fugerunt, & Samſon fatigatus ſitivit vehementer: quare petivit aquam ſibi dari à Domino ad refocillandum ſe, & ſtatim de molari mandibulæ aſini egreſſæ ſunt aquæ, & bibit Samſon ex ea. Poſt hoc Samſon adamavit meretricem quandam in Gaza, ad quam cum ingreſſus eſſet, Philiſtini obſervabant eum, ut cùm egredi vellet civitatem, ipſi apprehenderent eum: Samſon autem in medio noctis ſurrexit, & apprehendit portas civitatis, & in humeris ſuis eas ad montana tranſtulit. Deinde adamavit Samſon mulierem meretricem in valle Sorec, quæ vocabatur Dalila: hæc recepta à Philiſtæis pecunia tradidit eum: cùm enim ei indicaverat, in quo fortitudo ſua conſiſteret, videlicet, quamdiu ſuper caput ſuum novacula non aſcenderet, ipſe tantæ fortitudinis perſiſteret, ipſa, eo dormiente, raſit de capite ejus ſeptem crines, & vocavit Philiſtæos: qui apprehendentes eum eruerunt oculos ejus, & vinxerunt eum in carcere. Et poſtea congregatis Satrapis univerſis Philiſtinorum, cum populi multitudine eductus eſt Samſon, ut illuderent ei: ipſe verò, comprehenſis duabus columnis, quibus tota domus ſuſtinebatur, concuſſit eas, & cecidit domus, & oppreſſit omnes principes Philiſtinorum, & populum multum, ad tria millia virorum, & mortuus eſt Samſon in medio eorum: poſtquam præeſſe cœperat filiis Iſrael anno XX. Poſt mortem Samſonis, XVIII. anno regni hujus regis Aſſyriorum, Heli ſacerdos ſumſit principatum, & tenuit ſecundum Hebræos annis XL. ſecundum LXX. interpp. XX. Sub eo incipiunt geſta libri Ruth.. Unde Ruth fuit mulier gentilis, de genere Moabitarum: tamen Booz de tribu Juda, ex filiis Iſrael, eam duxit uxorem jure propinquitatis: quoniam quidam de familia Booz egreſſus cum parentibus ſuis de terra Iſrael in terram Moab tempore famis duxerat eam uxorem, & illo mortuo, ipſa cum ſocru ſua venit in terram Juda, & quidam propinquus illius defuncti diſcalceavit ſe coram judicibus civitatis, & ſic ſecundum legem ceſſit ipſi Booz, ut duceret eam. Pro quo notandum, quòd præceptum legis fuerat, quòd ſi vir ſine filiis decederet, frater ejus, ſeu alius propinquior illius, relictam ejus ducere uxorem debebat, & filium primogenitum ex ea à defuncto nominare, & ejus hæreditatis ſucceſſorem nutrire. Et hoc dicebatur in lege ſemen fratris ſui ſuſcitare: ſi autem frater, ſeu propinquus defuncti, noluit eam ducere, tunc, ut quidam dicunt, mulier interpellabat judices in porta, & accerſito eo mulier coram eis tulit calceamentum de pede ejus, & ſpuit in faciem ejus: & dicebatur domus ejus domus diſcalceati, opprobrium in Iſrael. Alii dicunt, quòd ſi ille, qui ducturus fuiſſet mulierem jure propinquitatis neglexit, ſeu noluit ducere eam, alius, qui ducebat eam, iſtum diſcalceabat & inde dicunt Iohannem Baptiſtam dixiſſe de Chriſto: non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus. Quandoque nullus ducturus erat mulierem jure propinquitatis, & tunc mulier ſeipſam diſcalceabat: quumque frater, non interpellante muliere, confitebatur coram judicibus, ſe nolle habere eam, & tunc ipſe ſeipſum diſcalceabat, & ſic legitur in hiſtoria Ruth: Sed quocunque fiebat modo prædictorum, in opprobrium non ſervantis legem fiebat. Anno regis Aſſyriorum ſupradicti XXI. Hectoris filii Ilium receperunt expulſis Antenoris poſteris, Heleno patruo eorum ipſis ſubſidium ferente. Unde dicitur, quòd Helenus, poſtquam dimiſſus eſt à Græcis, contulit ſe in Ægyptum, & fundavit civitatem, quam vocavit Trojam, quæ poſtea dicta eſt Epirus. Item anno ejus regis XXIX. Amazones templum Dianæ miræ pulcritudinis effuſis opibus fabricaverunt. Item anno ejus XXXV. Aſcanius filius Æneæ Julium filium procreavit, à quo familia Juliorum orta eſt, & propter ætatem parvuli, quia necdum regendis civibus idoneus erat, Sylvium poſthumum fratrem ſuum reliquit hæredem, qui regnavit annis XXIX. & tertius fuit in ordine poſt Æneam inter reges Latinorum.

CAPUT XXIV.

THyneus XXIIX. rex Aſſyriorum regnavit annis XXX. cujus anno IX. regnum Sicyoniorum, quod per annos DCCCLXXII. porrectum fuiſſe traditur, ceſſavit. Anno ejuſdem XVIII. capta eſt arca Domini, & Heli ſacerdos mortuus eſt. Heli ſacerdos, quamvis bonus erat, non tamen correxit filios, & ergo ipſe & filii ſui uno die mortui ſunt,

Digitized by Google

ſunt, & ſacerdotium à domo ſua ablatum eſt. Nam dum Allophylos filii Iſrael bello appeterent, quia premebant eos, ipſi tulerunt ſecum arcam Domini in bellum, & dum congrederentur bellando, Ophni & Phinees filii Heli portabant arcam in medio bellantium, & venit contra eos, ut dicit Philo, Goliath, quem poſtea David interfecit, & occidit eos: & Saul filius Cis, qui poſtea factus eſt rex, levis pedibus, fugiens de bello nunciavit Heli, filios ſuos interfectos, & arcam Domini captam: quo audito, Heli cadens de ſella, ſuper quam ſedit, fractis cervicibus expiravit: & tunc Samuel, qui erat commendatus Heli, non erat præſens apud Heli. Mater enim Samuelis Anna, cùm ipſe parvulus erat, obtulit eum Domino in Silo, ubi tunc locus orationis erat: & poſtquam factus eſt octo annorum, vocavit eum Dominus de nocte: Samuel, Samuel: qui ſurgens currit ad Heli, dicens: Ecce ego, quid vocaſti me? & reſpondit Heli: heu mihi nunquid ſpiritus immundus ſeduxit filium meum Samuel? & interrogavit eum, quotiens eſſet vocatus, & ille reſpondit bis. Heli dixit cujus vocem cognoſcebas? & ipſe dixit tuam. Et dixit Heli: in te video ſignum, quod habebunt homines ab hodierna die usque ad ſæculum: quoniam ſi clamaverit alter bis alium per noctem, vel meridie, ſcient quoniam ſpiritus peſſimus eſt: ſi autem adjiciet ter clamare, ſcient, quia angelus eſt. Et abiit Samuel & dormivit, & audivit ſecundò vocem de cœlo, & currens ad Heli dixit, ſe audiviſſe vocem patris ſui Elchanæ, & intelligens Heli Dominum eum vocare dixit: in duabus vocibus, quibus clamavit ad te Dominus, aſſimilatus es patri & magiſtro: nunc autem tertio Deo. Et dixit: vade & dormi, & ſi te vocaverit: ſi adimpleta magis fuerit auris tua dextra intende, Phinees ſacerdos præcepit nobis dicens: dextra audit Dominum per noctem, ſiniſtra autem angelum. Et ideo, ſi dextra audieris, dicito: dic quid vis: tu enim plaſmaſti me: ſi autem ſiniſtra audieris; dic veni, & annuncia mihi. Cumque arcam Domini Philiſtim ceperunt, ut dictum eſt, poſuerunt eam in templum Dagon dei ſui, quem manè repererunt jacentem in terra. Quare crucifixerunt ſacerdotes ſuos, & ſecunda die ſimili modo factum eſt: & manſit arca in terra Philiſtim ſeptem menſibus, & percuſſit Dominus Philiſtæos in ſecretiore parte natium, & computruerunt extales eorum & mortui ſunt prægnantes eorum LXXV. millia, lactentium puerorum LXV. millia, lactantium mulierum LV. millia, virorum XXV. millia. Hæc Philo. Quare Philiſtim, ſeu Allophyli, ad conſilium divinorum, ſeu ſacerdotum ſuorum, remiſerunt arcam Domini in terram Iſrael, ſuper plauſtrum novum, duabus vaccis fœtis præcedentibus, & plauſtrum trahentibus, & mures aureos, quia mures demoliebantur terram eorum, & anos aureos appenderunt arcæ in honorem Dei Iſrael; & ceſſavit plaga ab eis, prout divini eorum prædixerant: de quorum præſcientia Origenes homilia XVI. in lib. Numerorum ſic dicit: Præſcientia divinorum, qui dederunt conſilium Allophylis de arca Domini remittenda, à dæmonibus fuit, & idem dicit ibidem de hujusmodi divinis: Gentilium divinorum ritus credidit omne, quod per qualemcunque ſpiritum profertur. Filii autem Iſrael recipientes arcam duxerunt eam in domum Aminadab. Poſt mortem Heli ſacerdotis Samuel judicavit ſolus annis XII. & poſtea cum Saule annis XIIX. & Samuel primus inſtituit choros religioſorum pſallentium Dominò, & dicebantur prophetare, id eſt, Deum jugiter laudare: & inde dicitur in lib. Regum à Samuele ad Saulem: habebis obvium cuneum prophetarum. Anno XXVI. ſupradicti regis Aſſyriorum Æneas Sylvius quartus rex Latinorum cœpit regnare, & regnavit annis XXX. & uno.

CAPUT XXV.

DErcillus XXIX. rex Aſſyriorum regnavit annis XL. Iſtis temporibus quidam dicunt Homerum fuiſſe, & eſt magna diverſitas hiſtoriarum de eo, videlicet, quo tempore fuerit. Anno tertio hujus regis incœpit regnum Lacedæmoniorum, ubi primus regnavit Euriſtheus. Eodem anno incœpit regnum Corinthiorum, ubi primus regnavit Alethes. Anno primo hujus regis Saul primus rex Hebræorum cum Samuele cœpit regnare. Cum enim Samuel ſenuerat, & filii ejus rectè non judicarent, ſed accipientes munera perverterent judicia, congregati ſunt filii Iſrael ad Samuelem, & petiverunt ſibi conſtitui regem: conſtituit igitur Samuel propheta, juxta quod Dominus ei indicaverat, Saul filium Cis de tribu Benjamin in regem, &, ut legitur in libro Philonis, Saul quando Samuel ei primo indicavit ſermonem de regno, dixit: quis ego

ſum? & quæ domus patris mei? ut dicat Dominus meus verbum iſtud: Non enim intelligo quæ dicis, quia Juvenis ſum. Cui Samuel quaſi prædicens, non ſemper regnum apud domum Saul manſurum, & prophetam nomine Jeremiam futurum. Quis dabit verbum tuum perſeverare usque in finem, ut longævus ſis? tantum intende, quia aſſimilabuntur verba tua verbis prophetæ, cui nomen erit Jeremias. Interim ergo quòd Saul cuſtodivit ſermonem Domini fortiter egit, & defendit filios Iſrael ab Allophylis, & percuſſit eos. Cùm autem præterivit verbum Domini parcendo Agag regi Amalech propter theſauros, ut dicit Philo, quos ſibi tradere promiſerat, abſtulit Dominus regnum ab eo, & tradidit illud David filio Iſai Bethelehemitæ de tribu Juda, & in ſignum ejus egreſſus eſt ſpiritus Domini à Saul, & exagitavit eum ſpiritus malus. Quare David vocatus eſt à Saul, ut pſalleret coram eo in cithara, ut levius ferret dolorem, quando vexaret eum ſpiritus malus. Dicitur enim, quòd harmonia triſtem triſtiorem facit, & lætum reddit lætiorem: & quidam dæmones ſunt, qui harmoniam ferre non poſſunt. Cantavit itaque David coram Saul pſalmum hujuſcemodi, prout in libro Philonis ſcriptum eſt: Tenebræ & ſilentium erant antequam fieret ſæculum, & locutum eſt ſilentium, & apparuerunt tenebræ. Et factum eſt tunc momentum in compaginatione extenſionis, quod appellatum eſt ſuperius cœlum: inferius vocatum eſt terra. Et poſt hæc facta eſt tribus ſpirituum veſtrorum. Et nunc moleſta eſſe noli, tanquam ſecunda factura: Si quo minus, memorare Tartari, in quo ambulas, aut non audire ſufficit tibi? quoniam per ea, quæ conſonant in conſpectu tuo, in multis pſallo. Aut immemores, quoniam de reſalutatione caumatis multa nata eſt veſtra creatura? Arguet aut de petra nova, unde natus ſum, de qua naſcetur poſt tempus de lateribus meis, qui vos domabit. Et cùm hymniſaret David, pepercit ſpiritus Saul. Poſt hoc procedentibus filiis Iſrael contra Philiſtæos ad bellum, egreſſus eſt de caſtris Philiſtinorum vir ſpurius, nomine Goliath, altitudinis ſex cubitorum & palmi, & exprobrando agminibus Iſrael, petiit ex Iſrael ſibi mitti virum, cum quo iret in ſingulare certamen: & contra eum proceſſit David adhuc juvenis, & quia antea, dum Samuel unxerat eum ſecretè in regem, coram patre & fratribus ſuis, leo & urſa rapuerunt tauros, quos paſcebat in montibus, ipſe David inſecutus eos, percuſſit ipſos lapidibus, & occidit eos: & tunc audivit Dominum ſic dicentem: Ecce in lapidibus tradidi in conſpectu tuo feras iſtas, & hoc erit tibi ſignum, quoniam lapidibus interficies poſt tempus inimicum populi mei. Tunc recepit David ſeptem lapides, vel, ut habetur in lib. Regum, quinque & in illis ſeptem lapidibus, ut dicit Philo, ſcripſit nomina patrum ſuorum Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes & Aaron, ac nomen fortiſſimi: & miſit ei Dominus angelum Hermel, præpoſitum ſuper virtutem, & dixit David ad Goliam: Audi virum antequam moriaris: nonne erant ſorores duæ mulieres unde nati ſumus ego & tu? & erat mater tua Orpha, & mater mea Ruth: & elegit ſibi Orpha deos Allophylorum, & abiit poſt eos: Ruth autem elegit ſibi vias fortiſſimi, & ambulavit in eis & nunc nati ſunt de Orpha tu & fratres tui tres qui poſt mortem tuam incident in manus meas: & deinde David, miſſo lapide in fundam, percuſſit Goliath in fronte: qui cadens in terram, & videns angelum dixit ad David: tu me non ſolus occidis, ſed qui tecum eſt, cujus ſpecies non eſt ſicut ſpecies hominis. Et abſtulit David caput Goliæ, & portavit ad Saul: & erexit angelus Domini faciem David, quòd nemo agnoſcebat eum: ita ut Saul interrogaret, quiſnam eſſet? Poſt hoc conſiderans Saul, quòd Dominus eſſet cum David, & à ſe receſſiſſet, cogitavit eum tradere in manus Allophylorum: & promiſit ei dare filiam ſuam Michol in uxorem, ſi centum percuteret de Philiſtim. David igitur percuſſit ducentos de Philiſtim, & dedit ei Saul filiam ſuam in uxorem. Et poſt hoc Saul magis timuit David, & tandem publicus ejus inimicus effectus eſt. Et David fugiens à facie Saul venit ad Abimelech ſacerdotem: qui audiens eum & pueros ſuos, videlicet, famulos ipſius mundos à mulieribus dedit eis ad comedendum panes propoſitionis, quos ſolis ſacerdotibus veſci licebat: quoniam panes laicos non habebat, & tradidit ei gladium Goliath. Quod dum ad notitiam Saul pervenerat, fecit occidere ſacerdotes Domini, Abimelech, videlicet, cum viris LXXXIV. & ſalvatus eſt ſolus Abiathar, filius Abimelech, qui nunciavit hæc David, & cum hoc Saul percuſſit civitatem Nobem, & occidit omnes de domo Abimelech homines tria millia: & hæc permiſit Dominus,

Digitized by Google

Dominus, quia contaminabant ſancta, & ambulabant in viis filiorum Heli: ſed qui populus ſiluit ad hoc, tradidit Dominus poſtea populum in manus Allophylorum, quando Saul cecidit in bello. Item Saul abſtulit maleficos de terra & habentes Pythoanes: &, ut dicit Philo, Saul non fecit hoc zelo legis, ſed ut nomen faceret ſibi. Alii dicunt, quòd ideo hoc fecit, quia ſpiritus maligni per illos pronunciabant David regem eſſe futurum. Cùm igitur Samuel obierat, Saul conſuluit mulierem Pythoniſſam, & petiit ſibi ſuſcitari Samuelem, ut conſuleret eum ſuper eventu belli futuri. Hæc mulier ſola relicta fuit de illis, & habitavit in Endor latitando, & dicitur fuiſſe mater Abner, qui fuit princeps militiæ Saul: & hæc mulier licet frequenter vidiſſet Saul, non tamen novit eum tunc, quia mutavit habitum ſuum. Et dixit hæc mulier ſuſcitando Samuelem, quòd ipſa per annos XL. ſuſcitaſſet mortuos, ſed nunquam talem ſpeciem vidiſſet, qualem tunc vidit: & reſpondit Samuel ſuſcitatus: ut quid inquietaſti me, ut levares me? & putavi, quòd appropinquaſſet tempus reddendi rationem operum noſtrorum: & ergo noli gloriari rex, neque tu mulier, vos enim non eduxiſtis me, ſed ea traditio, in qua dixit Dominus mihi cum viverem, ut adveniens nunciarem tibi, quòd peccaveras jam ſecundò negligenter Deo: propterea poſt redditionem animæ meæ conturbata ſunt oſſa mea, ut dicerem mortuus, quod audieram vivens. Nunc ergo craſtinò tu & filii tui mecum eritis: traditio populi in manus Allophylorum. Circa prædicta ſciendum eſt: quòd Apollo hac arte ſuſcitandi mortuos primò uſus fuiſſe dicitur: & inde à nomine ipſius, quo ipſe Pythius ſeu Pythonius dicebatur, eò quòd Pythonem ſerpentem in monte Parnaſſo interfecit, ſpiritus maligni, qui miniſtrant in talibus, Pythones dicti ſunt. An autem Samuel verè ſuſcitatus fuerit, vel ſpiritus malignus talem ſpeciem repræſentaverit, multis dubium eſt. Ex verbis ſupra recitatis, quæ ponuntur in libro Philonis, videtur, quòd verè ſuſcitatus ſit. Sed Auguſtinus ſcribens de hoc ad Simplicianum, ut dicit gloſſa ſuper librum Regum, neutrum horum determinat, dicens: Si verè ſuſcitatus fuit, hoc non fuit factum virtute ſpiritus maligni, ſeu mulieris: ſed virtute divina, quæ latuit ſpiritum malignum & ipſam mulierem: ſi autem fictè ſuſcitatus eſt, tunc Diabolus talem ſpeciem repræſentavit. Alibi tamen Auguſtinus determinat, ut habetur XXVI. q. V. Nec mirum, videlicet, quòd Samuel non erat verè ſuſcitatus, ſed Diabolus talem ſpeciem fictè repræſentavit, potuit tamen vera pronunciare permiſſione Dei: quamvis Diabolus verum, in quantum à Deo permittitur & ei conceditur pronunciat, non ut doceat, ſed ut decipiat. Poſtquam Saul hanc mulierem Pythoniſſam conſuluit, ſequenti die commiſſum eſt bellum inter filios Iſrael & Philiſtim: & victi ſunt filii Iſrael, & Saul fugiens, cùm à viris ſagittariis nimiùm urgeretur, ſuper gladium proprium incubuit, & ſic ſeipſum occidit, poſtquam poſt mortem Samuelis regnavit annos XX. ut Joſephus ſcribit. Anno Dercyli XXVII. regis Aſſyriorum Latinus Sylvius cœpit regnare Latinis & regnavit annis L. & ſequenti anno factus eſt incurſus repentinus Amazonum per Aſiam.

QUARTA ÆTAS MUNDI.

Caput Primum.

QUARTA ætas mundi incipiens à David, videlic. à primo anno regni ſui, uſque ad transmigrationem Babylonis, per Annos CCCCLXXXVI. protenditur. Viceſimo octavo anno Dercyli regis Aſſyriorum, David cœpit regnare, & regnavit annis XL. ſeptem videlicet annis in Hebron ſuper tribum Juda, & XXXIII. annis ſuper XII. tribus Iſrael. David cum leonibus, quaſi cum agnis luſit, & DCCC. viros armatos uno impetu interfecit.

terfecit. Habuit etiam ſecum viros fortiſſimos bellatores. Unde Joab princeps militiæ David expugnavit Jebus, quæ eſt Jeruſalem, & ergo David fecit eum principem totius exercitus. Et David ædificavit montem Sion, reliqua verò urbis extruxit Joab. Item Jesbaam inter tres fortiſſimos levavit haſtam ſuam contra ccc. vulneratos. Eleazar filius patrui David, ſtetit in campo, & defendit populum à Philiſtæis, & percuſſit eos, donec deficeret ejus manus, & obrigeſceret cum gladio. Semma ſimili modo defendit gladium: & hi tres robuſtiſſimi interrumpentes per media caſtra Philiſtinorum attulerunt aquam de ciſterna Bethlehem ad David, quam aquam David tamen bibere noluit: ſed effundens eam in terram immolavit eam Domino. Item Abiſai frater Joab levavit haſtam ſuam contra ccc. quos interfecit. Item Bananias filius Joiadæ deſcendit ad leonem in ciſternam, & interfecit illum. Ipſe habens virgam tantum in manu ſua aggreſſus eſt virum Ægyptium dignum ſpectaculo, qui erat altitudinis cubitorum quinque & habuit lanceam in manu habentem ferrum, ut liciatorum texentium: & abſtulit vi lanceam ab eo, & interfecit ipſum. Item David & Abiſai ſoli deſcenderunt in caſtra Saul noctu, quando Saul perſequebatur David, & tulerunt haſtam & ſcyphum, de quo Saul bibit, de capite ejus dormientis ſub tentorio: & voluit Abiſai transfigere Saul, ſed prohibuit eum David, nolens occidere dominum ſuum, quamvis inimicum. Poſtquam David erat confirmatus in regno, & debellaverat inimicos ſuos undique per circuitum, peccavit Domino, & adamavit Berſabee, uxorem Uriæ Ethæi, qui fuit unus inter XXXVII. fortiores electos, & imprægnavit eam, & poſtea ſcripſit ad Joab principem militiæ, obſidentem civitatem Rabba in terra filiorum Ammon, ut ipſe procuraret Uriam ab inimicis occidi: quod & factum eſt. Deinde David duxit Berſabee in uxorem, & ipſa peperit filium, qui ſeptima die poſtquam natus eſt percuſſus à Domino mortuus eſt: quamvis David pro vita ipſius infantis cum lacrymis & jejuniis oravit ad Dominum. Unde Natham propheta miſſus à Deo venit ad David, & corripuit eum pro hac re, & prædixit ei, quòd perſecutionem à proprio filio paſſurus eſſet, & puer, quem Berſabee ei pepererat, erat moriturus in brevi. David habuit filium primogenitum nomine Ammon. Hic adamavit Thamar ſororem ſuam, filiam David, & ſororem uterinam Abſolon puellam ſpecioſiſſimam, & oppreſſit eam vi: quare poſtea Abſolon interfecit eum, & inde fugit ad Tholomai regem Geſſur. Deinde Abſolon reconciliatus David patri ſuo, attraxit ad ſe verbis dulcibus univerſum populum: ita quod tandem præſumſit populi favore ſuffultus invadere regnum. Unde poſt lapſum IV. annorum ipſe congregavit exercitum, & venit contra David patrem ſuum. David verò intelligens, hanc perſecutionem ſibi in vindictam peccati evenire, patienter ſuſtinuit, & fugit de Jeruſalem cum DC. viris fortiſſimis bellatoribus, qui tempore perſecutionis, quam David ſuſtinuit à Saul, cum ipſo David in ſylvis & montibus latitabant: & Abſolon intravit Jeruſalem, & concubuit cum uxoribus patris ſui: & propter hoc David, cùm poſtea rediit in Jeruſalem poſt mortem Abſolon, noluit de cætero eis commiſceri: ſed ipſæ in viduitate permanſerunt uſque in diem mortis David. Et deinde factum eſt bellum inter exercitum David & Abſolon, & Abſolon victus fugit, & mulus, cui inſidebat, currens ſubter denſam quercum capillis Abſolon vento & aëre ſublevatus pertranſiit, & Abſolon cæſarie ſuſpenſus in quercu à Joab tribus transfixus lanceis interiit. Quod audiens David nullo modo conſolari voluit: ſed aſcendens in cœnaculum per ſingulos paſſus flevit, dicens: fili mi Abſolon, Abſolon fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te Abſolon fili mi, fili mi Abſolon? Non enim erat in omni terra Iſrael vir pulcer, ut Abſolon fuit: à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat macula in eo, & ſemel in anno tondebat capillos, quando gravabat eum cæſaries, & ponderabat capillos ipſos ducentis ſiclis pondere publico. Poſt hæc David habuit quatuor bella cum Philiſtæis: in quorum primo Jesbibenob Philiſtæus, cujus haſtæ ferrum ccc. uncias appendebat, niſus eſt percutere David, quia deficere videbatur: ſed Abiſai frater Joab defendit David, & interfecit Philiſtæum: quare viri David noluerunt permittere, quòd David deinceps cum ipſis proficiſceretur ad bellum: & ſic reliqua bella viri David cum Philiſtæis peregerunt. Et illis factis Dominus dedit requiem David ab omnibus inimicis ſuis, & ipſe cantavit Domino pſalmum: (*17.*) Diligam te Domine virtus mea. Videns igitur David, quod habebat requiem ab omnibus inimicis ſuis, fecit

fecit deſcribere univerſos bellatores regni ſui & inventi ſunt DCCC. millia de Iſrael, & de Juda D. millia pugnatorum: & propter hanc elationem David, miſit Dominus peſtilentiam in populum tribus diebus, & mortui ſunt de populo LXX. millia virorum: ſed cùm David cognoſcens peccatum ſuum de hoc egit pœnitentiam, & ædificavit altare juxta conſilium Gad prophetæ, miſertus eſt Dominus populo. Uxor David Berſabee peperit alium filium, quem vocavit Salomon. Hunc filium ſuum David præ cæteris filiis ſuis regem conſtituit, & in ſolio ſuo fecit collocari, dum ipſe adhuc vixit. David propoſuit ædificare domum Domino: ſed quia multum ſanguinem humanum effudit, ipſe prohibitus eſt à Deo: & dictum eſt ſibi, quòd filius ejus deberet hoc facere. Quare David Salomon filio ſuo commiſit ædificare domum Domino, & tradidit ei plurima in lapidibus, lignis, auro & argento ad hoc neceſſaria: aſſignavit enim ei auri talenta c. millia: argenti talenta mille millia: ſed æris & ferri non erat numerus: & dedit de peculio ſuo in theſauros domus Domini auri de Ophir tria millia talenta, & ſeptem millia argenti probatiſſimi: & ultra hæc dederunt principes & univerſus populus auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia. Et quamvis David templum ædificare non debuit, conſtituit tamen certos ordines & modos ſacerdotum & Levitarum, quantum ad miniſterium unius cujuſque in templo Domini faciendum: & conſtituit tantum filios Aaron ingredi ſancta Sanctorum. Et quia XXIIII. familiæ erant de domo Aaron, videlicet XVI. de Eleazar, & VIII. de Ithamar, diviſit per ſortes vices eorum. Unde dicitur de Zacharia, patre Johannis Baptiſtæ, in Evangelio, quòd ipſe fuit de vice Abia: & hic Abia fuit octavus in ordine, quem David conſtituit. Conſtituit etiam David quatuor viros ad faciendum pſalmos, id eſt, Aſaph, Heman, Ethan & Dithim: & cum reduxit arcam de domo Aminadab patrui ſui in Jeruſalem, poſt annos XX. revocatam ab Azotis, prædictos quatuor viros præeſſe cantionibus inſtituit, unicuique eorum aſſignans viros ſucclamantes LXXII. & unus quidem eorum feriebat cymbalum, alter citharam, alius tuba cortea ſuperexaltans. In medio autem eorum ſtabat David tenens pſalterium: arca autem antecedebat ſeptem choris: populus autem univerſus ſequebatur poſt arcam. Iſtis temporibus prophetabant Gad, Nathan, & Aſaph.

CAPUT II.

EUpales XXX. rex Aſſyriorum regnavit annis XXXIIX. Anno ejus XVI. Mycena in Italia condita eſt, & anno ejus XXVII. Carthago, ut quidam volunt, à Carchedone Syrio condita eſt. Alii dicunt, quòd Dido filia ejus eam condidit anno CXLIII. poſt excidium Trojæ. Anno ejus XXXII. Salomon templum Domini incoavit anno quarto regni ſui menſe ſecundo, & perfecit ipſum per annos ſeptem: habuit enim portantes in humeris ſuis onera LXX. millia virorum, & habuit LXXX. millia cædentes lapides in montibus: & præpoſiti ſingulis operibus abſque ſupradictis erant tria millia trecenti. Colliguntur ſecundum Hebraicam veritatem à tempore egreſſionis filiorum Iſrael de Ægypto, uſque ad ædificationem templi anni CCCCLXXX. ſed ſecundum ſupputationem libri Judicum anni DC. ut dicit Euſebius: ſecundum Sulpitium anni DLXXXIIX. ſecundum Joſephum anni DII. A diluvio anni MCCLXXVII. Sed Joſephus dicit MCCCC. Anno XXXVII. hujus regis Aſſyriorum Alba Sylvius ſextus rex Latinorum cœpit regnare, & regnavit annis XXXIX. Salomon rex à Deo magnificatus eſt ſapientia & divitiis ſuper omnes reges: eratque cibus Salomonis per ſingulos dies XXX. cori ſimilæ, & LX. cori farinæ: X. boves pingues, & viginti boves paſcuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum & bubalorum, atque altilium avium. Omnia vaſa, de quibus potabat rex Salomon, erant aurea, & univerſa ſupellex domus Saltus libani, quam ipſe ædificaverat magnificentia ſingulari, erat de auro puriſſimo & in diebus ejus argentum non reputabatur. Congregavit etiam currus CCCC. & equites XII. millia, quos diſpoſuit per civitates regni, aut ſecum habebat in Jeruſalem. Salomon non conſtituit de filiis Iſrael ſervire quenquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri ejus & principes & præfecti & duces curruum & equorum, & omnes gentes in terra promiſſionis, quas filii Iſrael non exterminaverant, Salomon fecit ſibi tributarias. Erant autem principes ſuper omnia opera Salomonis præpoſiti DL. qui habebant ſubjectum populum, & ſtatutis operibus imperabant. Præce-

Digitized by Google

Præcedebat etiam ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & ipſe erat ſapientior cunctis hominibus: locutus eſt tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus quinque millia; & diſputavit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, usque ad hyſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de jumentis & volucribus & reptilibus & piſcibus. Ipſe etiam adinvenit quendam modum exorcizandi, ut dæmones expellerentur ab obſeſſis: & veniebant de cunctis populis audire ſapientiam Salomonis. Unde regina Saba, videlicet, regalis civitatis Æthiopiæ, audita fama ejus, venit tentare eum in ænigmatibus: & docuit eam Salomon omnia, quæ propoſuerat: nec fuit ſermo, qui latuerat eum. Quamobrem ipſa magnificavit Salomon, & dedit ei CXX. talenta auri, & aromata multa nimis & gemmas pretioſas. Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas: accepit namque filiam Pharaonis regis Ægypti in uxorem, & cæteras de gentibus duxit uxores, quibus ardentiſſimo amore copulatus eſt: fueruntque ſibi uxores, quaſi reginæ, DCC. & concubinæ CCC. & averterunt cor ejus, poſtquam ſenuerat, ita ut ipſe coleret Idola gentium. Unde Auguſtinus XIV. de C. D. (*c. 11.*) Nec Salomonem credibile eſt putaſſe idolis ſerviendum eſſe: ſed blanditiis fæmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: nec ideo minus reus ſed ſciens prudensque peccavit. Indignatus igitur Dominus contra Salomon, regnum ſuum poſt mortem ejus diviſit: nec voluit Deus hoc facere eo vivente, propter David patrem ſuum. Poſtquam Salomon regnavit annis XL. mortuus eſt, & dimiſit regnum filio ſuo Roboam. Alii tamen dicunt, quòd Salomon regnavit annos LXXX. Et dicunt quod ſcriptura tantùm commemorat annos quibus Deum idolis non offendit: ſed poſtremum verius eſt.

CAPUT III.

LAoſtenes XXXI. rex Aſſyriorum regnavit annis XLV. & ſub eo Salomon conſummavit templum. Iſtis temporibus prophetabant Sadoc & Ahias Silonites: & ſecundum aliquos hoc tempore Carthago condita eſt. Anno ejus regis XXX. regnum Iſrael diviſum eſt. Unde Jeroboam filius Nabat fuerat conſtitutus à Salomone ſuper tributa univerſæ domus Joſeph: & poſtquam Salomon in cultura Idolorum Domino peccavit, Jeroboam quadam vice ſolus pergens per campum, invenit juxta viam Ahiam Siloniten prophetam, qui dixit ei, quod poſt mortem Salomonis ipſe eſſet regnaturus ſuper X. tribus Iſrael, & filius Salomonis ſuper duas tribus tantum. Quod dum ad notitiam Salomonis devenit, ipſe quærebat interficere Jeroboam: quare Jeroboam hoc intelligens fugit in Ægyptum, & permanſit ibi uſque ad mortem Salomonis: & mortuo Salomone reverſus eſt in terram Iſrael, & venit cum univerſa multitudine filiorum Iſrael ad Roboam filium Salomonis, & petierunt filii Iſrael, quod ipſe mitius agere vellet cum eis, quàm pater ejus Salomon feciſſet cum eis, & tunc ipſi parati eſſent ſervire ei. Roboam verò conſilio ſeniorum, qui dixerant ei, quòd ipſe primo dulcia verba populo reſponderet, contemto, reſpondit populo verba dura dicens: Pater meus aggravavit jugum veſtrum, ego vero addam. Quare populus congregatus, elegit ſibi Jeroboam filium Nabat in regem ſuper X. tribus Iſrael: & deinceps regnum ejus dictum eſt regnum Iſrael, & remanſerunt tantum duæ tribus, videlicet tribus Juda, & tribus Benjamin ipſi Roboam: & deinceps regnum ejus dictum eſt regnum Juda, quia reges ejus tantum fuerunt de tribu Juda. Jeroboam confirmatus in regno, duos vitulos aureos fecit, quos præcepit adorari: ne populus iret in Jeruſalem ad adorandum Dominum in templo, quod Salomon fecerat, nec ſic fortè recederet ab eo: & poſuit vitulum unum in Bethel, & alium in Dan & amovit ſacerdotes de tribu Levi, & fecit ſacerdotes quoscunque indifferenter. Quare omnes ſacerdotes & Levitæ de cunctis locis Iſrael venerunt ad Roboam, & habitabant in regno ſuo. Cumq; Jeroboam in die ſolemni, quem conſtituerat in Bethel, ſtaret ante altare, quod extruxerat, & idolis thus incenderet, venit propheta de Juda, & creditur fuiſſe Gad vel Addo, ſecundum aliquos, & prophetavit contra altare in Bethel rege Jeroboam audiente dicens: Altare, Altare hæc dicit dominus: Ecce naſcetur filius domui David, Joſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc ſuper te thura ſuccendunt: & oſſa hominum incendet ſuper te: hoc erit in ſignum, quod locuturus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur & effundetur cinis, qui eſt in eo. Hæc audiens Jeroboam extendendo manum ſuam mandavit, ut apprehenderetur homo ille,

& manus

& manus quam extenderat aruit: & non poterat eam ad ſe retrahere: altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari: & rogavit rex Prophetam, ut oraret pro eo, quod factum eſt, & ſanata eſt manus regis: & invitavit rex hominem Dei ad prandium, qui recuſavit, quia dictum fuit ei à Domino ne in illo loco comederet & biberet. Cùm propheta ille per aliam viam, quam venerat, juxta præceptum Domini recederet, ſeductus eſt à quodam ſene qui ſedens in aſino velociter ſecutus eſt eum, & dixit ſe eſſe prophetam à Deo miſſum, ut ipſum reduceret ad domum ſuam, ut cum eo panem comederet: cui propheta credidit, & reverſus eſt cum eo. Poſtquam igitur hic homo Dei ab illo ſene receſſit, occidit eum leo in campo, & projecit cadaver ejus ad viam, & ſtabat juxta illud, nec comedebat de illo: nec aſinum, cui homo Dei inſederat, læſit quicquam: quod percipiens ſenex ille, qui eum ſeduxerat, venit ad locum illum, & tulit cadaver ejus, & ſepelivit in ſepulcro ſuo. Et prophetia hujus hominis Dei impleta eſt poſt CCCLX. annos, prout patebit infra. Roboam filius Salomonis habuit uxores XIIX. & concubinas LX. & genuit XXIIX. filios & LX. filias. Cumque filii Juda etiam eo tempore tranſgrederentur legem Domini idolis ſerviendo, afflixit eos Seſac rex Ægypti. Aſcendit namque quinto anno Roboam in Jeruſalem cum curribus MCC. & LX. millibus equitum, & cepit civitates Juda munitiſſimas, & tulit de Jeruſalem theſauros domus Domini, & domus regis, & ornamenta plurima, & reverſus eſt in Ægyptum. Anno XXXIIX. Laoſthenis regis Aſſyriorum Ægyptus Sylvius apud Latinos cœpit regnare, & regnavit annis XXIV.

Caput IIII.

Piriciades XXXII rex Aſſyriorum regnavit annis XXX. Cujus ſecundo anno Roboam poſtquam regnavit annis XVII. mortuus eſt, & regnavit pro eo filius ejus Abia, & XIIX. anno Jerobam cœpit regnare, & percuſſit de viris Jerobam in bello L. millia virorum, quod Deus permiſit, quia Jeroboam Dominum reliquit. Hic Abia habuit uxores XIV. & procreavit XXII. filios, & filias XVI. Et poſtquam regnavit tribus annis mortuus eſt, & regnavit Aſa filius ejus pro eo. Hic Aſa fecit quod erat rectum coram Domino, & purgavit univerſas ſordes idolorum, quæ fecerunt patres ejus. Et matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, in loco quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron. Excelſa tamen, videlicet, loca in montibus excelſis idolis conſecrata, non abſtulit. Ipſe habuit in exercitu ſuo portantium ſcuta & haſtas de Juda CCC. millia, de Benjamin CCLX. millia; & venit contra eum Sara Æthiops, habens in exercitu ſuo decies centena millia. Aſa tamen, quia ſperavit in Domino, vicit eum. Poſt hoc Aſa petiit auxilium regis Syriæ contra regem Iſrael, quod Domino diſplicuit: & miſit ſibi prophetam Anani nomine, qui increpavit eum, quod ipſe diffiſus de auxilio Domini quæſivit auxilium hominis alienigenæ: ſed Aſa prophetam illum malè tractavit: quare de populo Aſa ex vindicta Domini multi mortui ſunt, & ipſe XXXIX. anno regni ſui vehementiſſimè pedes doluit, & magis quæſivit auxilia medicorum, quam Domini: quod imputabatur ei à Domino. Unde ex eadem infirmitate, poſtquam regnavit annis XLI. mortuus eſt: & regnavit Joſaphat filius ejus pro eo. Anno ſecundo Aſa regis Juda, Nadab filius Jeroboam regnavit ſuper Iſrael: & poſtquam regnabat duobus annis, inſidiatus eſt ei Baaſa de domo Iſaſchar, & occidit eum, & regnavit pro eo, & delevit omnes de ſemine Jeroboam, prout locutus fuerat Dominus per Achiam prophetam: nihilominus ipſe manſit in peccatis Jeroboam idolis ſacrificando. Quare Dominus miſit ad eum prophetam Jehu, filium Anani prophetæ, qui increpavit eum, & prædixit ſemen ſuum deſtruendum, ſicut per eum deſtructum fuit ſemen Jeroboam: ſed ipſe Baaſa prophetam illum occidit: & poſtquam regnavit annis XXIV. mortuus eſt, & regnavit Hela filius ejus pro eo: qui regnans duobus annis, à ſervo ſuo Zambri interfectus eſt, anno XXVII. regis Aſa, & regnavit Zambri VII. diebus, & interfecit omnes de domo Baaſa juxta prophetiam Jehu prophetæ. Exercitus autem regis Helæ exiſtens in caſtris in terra Philiſtim, percipiens quod Zambri occidiſſet regem, conſtituit ſibi regem Amri principem militiæ exercitus. Et Amri ſtatim obſidione Gebbethon ſoluta, venit & obſedit Zambri in Therſa: unde Zambri deſperatione tactus, ſuccendit domum regiam in Therſa & ſeipſum flammis extinxit. Deinde Amri emit à Somer partem montis, in quo erat civitas Mareon duobus talentis argenti, & repa-

& reparavit civitatem & vocavit eam Samariam à Somor & Moreon, quæ poſtea Græcè Samaria dicta eſt à Senacherib rege, qui cuſtodiam regionis poſuit ibi: & ab ea deinde tota regio illa Samaria dicta eſt. Hanc urbem poſtea Antiochus captam ſolo coæquavit, & Herodes à fundamentis inſtaurans ipſam in honorem Auguſti, Auguſtam, id eſt, Græco ſermone Sebaſtiam appellavit. Et in hac urbe Amri poſuit ſedem regni, quæ antea fuerat in Therſa: & poſtquam regnavit annis XII. mortuus eſt, & regnavit Ahab filius ejus pro eo, anno XXXIIX. regis Aſa. Iſtis temporibus prophetabant Ahias, Jehu, Azarias, qui & Addo. Anno regni Piriciadis XVII Latinis regnare cœpit Capys octavus rex, & regnavit annis XXIIX. Hic Capys condidit Capuam civitatem Campaniæ, unde & provincia Campaniæ dicta eſt, & ibi uſus campanarum primò repertus eſt, unde & Campana nomen accepit.

CAPUT V.

OPHRATEUS, XXXIII. rex Aſſyriorum, regnavit annis XX. Sub iſto in Juda regnavit Joſaphat, & in Iſrael Ahab. Joſaphat timuit Dominum, & miſit ſacerdotes & Levitas in omnes civitates Juda, ut docerent populum legem Domini, ne tranſgrederentur illam, & habuit viros bellatores fortiſſimos ſecum in Jeruſalem decies centena millia, & octoginta millia, præter illos, quos habuit in ſingulis urbibus. Venit autem contra eum maxima multitudo gentium: ſed ipſe non confiſus in multitudine pugnatorum ſuorum, ſpem ſuam ponens in Dominum, indixit jejunium populo univerſo, & fudit preces ſuas coram Domino. Surrexit igitur Hiaziel Levites de medio turbæ, & ſpiritu prophetico prædixit, Dominum pro eis pugnaturum, inter cætera ſic inquiens: O Juda & Jeruſalem nolite timere, cras egrediemini & erit Dominus vobiſcum. Unde ſequente die, cum Joſaphat egreſſus fuiſſet cum exercitu ſuo, vertit Dominus inſidias inimicorum ſuorum contra ſeipſos, & ipſi mutuò ſe cæde trucidabant, & totum campum cadaveribus repleverunt: ita quod populus Joſaphat per tres dies non potuit ſpolia mortuorum deportare. Poſt hoc Joſaphat contraxit amicitias cum Ochozia rege Iſrael, qui peſſimus erat, & hoc Domino diſplicuit: unde miſit ei prophetam Eliezer, qui increpavit eum. Joſaphat ſex filiis ſuis dedit munera auri ac argenti, ac civitates munitas in Juda, & filio ſuo Joram dedit regnum: & poſtquam regnavit annis XXX. mortuus eſt. Anno XXXIIX. regis Aſa patris Joſaphat, regnavit Achab filius Amri in Iſrael. Hic Achab malus erat, & duxit uxorem Iezabel, filiam regis Sidoniorum, quæ concitavit eum ad multa mala perpetranda. Hæc Iezabel occidit prophetas Domini, & perſecuta eſt Eliam, qui fugit à facie ejus: prophetabat ſiquidem Elias eo tempore, & Eliſæus poſt eum. Propter peccata Achab & Iezabel clauſit Dominus cœlum, ne plueret ſuper terram: & non pluit annos tres, & menſes ſex: & facta eſt ſiccitas, & magna fames in terra Iſrael: & poſt hoc Elias rurſum aperuit cœlum, & dedit pluviam ſuper terram. Elias diſceptavit cum prophetis Baal coram Achab & univerſo populo, proponens eis, ſi ad invocationem eorum Baal poſſet ſacrificium eorum igne non ſuppoſito, accendere, quod Baal crederetur eſſe Deus: Si autem Baal hoc non poſſet, & Dominus Deus Eliæ ad invocationem ejus ſacrificium accenderet, quòd crederent Deum Eliæ Deum eſſe, & non alium. Quod cum omnes approbarent, Prophetæ Baal numero CCCCL. invocabant Baal à mane uſque ad meridiem, & ipſe non exaudivit eos. Elias autem illudebat eis dicens: clamate voce magna, deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Ipſi autem incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine: & poſtquam nihil profecerunt, Elias invocavit Dominum, & cecidit ignis Domini de cœlo, & voravit holocauſtum, & ligna & lapides: quare populus credidit verbis Eliæ, & ad juſſum ejus apprehendit prophetas Baal, & occidit eos in torrente Ciſon. Cum Elias tempore ſiccitatis ſe abſconderat à facie Achab, pavit eum Dominus in loco ſolitario per corvos, qui attulerunt ei panem & carnes manè & veſperi. Poſt hæc Elias ad præceptum Domini ivit in Sarepta Sidoniorum, & moratus eſt apud mulierem viduam, quæ pavit eum, & ſeipſam cum omni familia ſua, pluribus diebus de farina tam pauca, quantum poterat pugillus capere: cujus filium Elias ſuſcitavit à morte, & creditur ille fuiſſe Jonas propheta. Iſtis temporibus Achiel de Bethel reædificavit Jericho, & cum jecit fundamenta mortuus eſt Abiram primogenitus ejus, & cum portas

Digitized by Google

portas muniret, mortuus eſt Segud noviſſimus filius ejus, juxta verbum maledictionis, quam imprecatus fuit Joſue reædificanti eam, prout ſupra dictum eſt. Poſtquam Elias fugit à facie Jezabel in deſertum, ſedit ſubter juniperum, & dormivit: & ſuſcitavit eum angelus Domini oſtendens ſibi ſubcineritium panem, & vas aquæ & dixit: Surge & comede: & cum comedit & bibit rurſum obdormivit: & iterum angelus dixit: Surge & comede: & ipſe ſurrexit, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius XL. diebus, quod non manducavit neque bibit usque ad montem OREB. Poſt hæc rex ACHAB concupivit vineam Naboth, viri Jeſraelitæ, qui cum nollet eam vendere Achab, Jezabel procuravit quosdam falſos teſtes contra eum, unde quaſi in mortem regis aliquid machinatus eſſet, ad mortem quamvis innocenter, judicatus eſt, & lapidatus, & eo mortuo Achab vineam liberè apprehendit: propter quod indignatus Dominus, miſit Eliam prophetam ad Achab, ut corriperet eum prophetando ſibi, quòd in eodem loco, in quo canes linxerunt ſanguinem Naboth, ipſi lincturi eſſent ſanguinem ſuum, & canes eſſent comeſturi carnes Jezabel in agro Jeſraël: quod & poſtea factum eſt. Nam Achab egreſſus ad bellum contra regem Syriæ de conſilio pſeudoprophetarum ei nunciantium proſpera eventura, quamvis Micheas propheta Domini mortem ſibi eventuram prædiceret, ſagitta percuſſus eſt, ita ut ſanguis decurreret de curru, in quo ſedit, in terram. Unde eodem die mortuus eſt. Jezabel autem regina poſtea per Jehu regem Iſraël, qui delevit omnem domum Achab, juſſa eſt præcipitari de porta civitatis Jeſraël, & ſic factum eſt. Anno XV. Ophratei regis Aſſyriorum Capetus filius Capys apud Latinos regnare cœpit, & regnavit annis XIII.

CAPUT VI.

OPHRATANES XXXIV. rex Aſſyriorum, regnavit annis L. Sub quo Joram, Ochozias, & Athalia regina & Joas in Juda regnaverunt. In Iſraël verò Ochozias filius Achab & Joram frater ejus, & Jehu regnaverunt, unus poſt alium. Iſtis temporibus prophetabant Abdias, Oſee & Micheas: & pſeudoprophetæ eodem tempore erant Sedechias & Eliezer. Joram filius Joſaphat regis Juda cùm ſe vidit confirmatum in regno, occidit fratres ſuos & quosdam de principibus, & ſecutus eſt vitam Achab regis Iſraël: propterea ſuſcitavit contra eum Dominus Philiſtæos & Arabes, qui vaſtaverunt terram Juda, & theſauros regis Joram tulerunt, & omnes filios ejus occiderunt, præter unum, qui junior natu fuit Ochozias nomine: & hic ſolus evaſit. Percuſſit etiam Dominus Joram plaga ventris peſſima, ut duobus annis langueſceret, ita quòd tandem viſcera ſua egeſſit, & ſic mortuus eſt: & regnavit filius ejus Ochozias, unum annum poſt eum: quia Jehu rex Iſraël occidit eum. Athalia autem mater ejus audiens eum mortuum eſſe, interfecit omnem ſtirpem regiam domus Joram: ſed Joſaba ſoror Ochoziæ, uxor Jojadæ ſacerdotis, occultavit Joas filium Ochoziæ, & tenuit eum clàm VI. annis: & interim regnavit ipſa Athalia. Septimo igitur anno Jojada ſacerdos, fretus auxilio principum & populi, unxit Joas filium Ochoziæ in regem in templo Domini; & Athaliam juſſit occidi gladio, & Joas erat VII. annorum, cùm regnare cœpiſſet, & XL. annis regnavit, & fecit quod erat rectum coram Domino, quamdiu Jojada conſiliarius ejus fuit, & reformari fecit domum Domini in cunctis, quibus indiguit, & deſtruxit domum Baal, quam Athalia impiiſſima ex ornamentis templi ornaverat. Poſtquam fuit Jojada CXXX. annorum mortuus eſt, & Joas ſeductus blanditiis principum, conſenſit eis, ut ſervirent ſculptilibus: Quare Dominus iratus eſt eis, & miſit eis prophetas increpantes, quos audire renuerunt, & Zachariam filium Jojadæ unum ex ipſis prophetis, juſſu regis lapidaverunt in atrio domus Domini, & non eſt recordatus Joas miſericordiæ, quam fecerat Jojada pater Zachariæ ſecum. Et ergo Joas, judicio divino ordinante, poſt plurima damna, quæ à Syris pertulit, per ſervos ſuos occiſus eſt, & regnavit Amaſias filius ejus pro eo. Ochozias filius Achab regnavit duobus annis. Hic in infirmitate ſua miſit nuncios ad conſulendum Beelzebub deum Accaron: quibus occurrens Elias propheta increpavit regem, & prædixit eum propter hoc de lecto ſuo non conſurgere. Quo audito, rex miſit quinquagenarium unum cum viris quinquaginta ad Eliam in montem, qui dixit ei: Homo Dei, rex præcipit, ut deſcendas: cui Elias: ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te & L. tuos, & ſtatim ita factum eſt. Rurſum miſit rex quinquagenarium principem eodem, qui ſimiliter cum ſuis igne conſumtus eſt. Iterum miſit tertium quinqua-

quinquagenarium principem cum L. ſuis, qui venit cum humilitate curvans genua ſua ad Eliam unde ex præcepto angeli Elias deſcendit, & cum eo profectus eſt ad regem, dixitque ei: Pro eo, quòd miſiſti ad conſulendum Beelzebub deum Accaron, quaſi non Deus in Iſraël ſit, de loco tuo non deſcendes, ſed morte morieris: & poſt hoc rex mortuus eſt, & regnavit Joram frater ejus pro eo, quia filium non habuit. Anno IIX. Ophratanis regis Aſſyriorum Tyberinus Sylvius x. rex Latinorum cœpit regnare, & regnavit annis VIII. & ab eo fluvius Albula propter colorem aquæ dicti Tyberis nominatus eſt, quia in eo ſubmerſus creditur. Anno ejuſdem regis Aſſyriorum XVI. Agrippa Sylvius filius Tyberini cæpit regnare Latinis, & regnavit annis XL. Cum Dominus voluit elevare Eliam, venit Elias cum Eliſæo diſcipulo ſuo ad Jordanem, & percuſſit Elias pallio ſuo flumen Jordanis, & diviſæ ſunt aquæ huc atque illuc, & tranſierunt ipſi per ſiccum. Cum tranſiſſent dixit Elias ad Eliſæum: pete à me quid vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te: dixitque Eliſæus, obſecro ut fiat duplex ſpiritus tuus in me, ad quem Elias: rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me, quando tollor à te, erit quod petiiſti. Iſtam petitionem Eliſæi quidam ſic intelligunt, quòd Eliſæus non petivit, quod erat eſſe ſupra magiſtrum ſuum: ſed ſicut Elias duplicem habuit ſpiritum, ſcilicet, ad prophetandum & ad miracula faciendum, quod ſic etiam talis duplex ſpiritus eſſet in Eliſæo. Alii credunt ſpiritum Eliæ duplicatum in Eliſæo per hoc, quod Eliſæus mortuus alium mortuum ſuſcitavit: ſicut etiam vivus mortuum ſuſcitaverat, quod non fecit Elias, niſi vivus. Poſtquam Elias reſpondit petitioni Eliſæi, Eliſæus vidit currum igneum cum equis igneis rapientem Eliam à ſe: & cum ſuſciperetur atque clamaret, cecidit pallium Eliæ ſuper eum: quo Eliſæus percuſſit aquas Jordanis, & primò non ſunt diviſæ, & percuſſit ſecundò dicens ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc? & diviſæ ſunt aquæ, & ipſe tranſivit & venit in Jericho: ubi miſit ſal in aquam, & ſanavit aquas regionis illius. Deinde venit in Bethel, & exierunt pueri parvi de civitate illudentes ei dicendo: aſcende calve, & ſtatim ipſe maledixit eis in nomine Domini: & egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu & laceraverunt ex eis XL. pueros. Poſt hoc Eliſæus tribus regibus, videlicet regi Juda, regi Iſrael, regi Edom, proficiſcentibus cum exercitu magno per deſertum Idumææ ſeptem diebus, in magna aquæ penuria dedit aquas abſque vento & pluvia in foſſas, quas ipſe juſſit fieri: bibitque exercitus & jumenta ipſorum, & proteſtabatur ſe hoc miraculum nequaquam feciſſe, niſi propter reverentiam Joſaphat regis Juda. Deinde Eliſæus ditavit quandam mulierem viduam per oleum. Dixit enim Eliſæus mulieri, quod peteret mutuo vaſa non pauca, & infunderet oleum illud modicum, quod ipſa dixit ſe habere in lechyto. Quod cùm mulier feciſſet, implevit ex illo paruo oleo omnia vaſa, quæ à vicinis accommodaverat, & ut juſſit ELISÆUS, oleum vendidit, & ſoluit creditoribus ſuis, & illud quod ſuperfuit pro ſuſtentatione ſui, & filiorum ſuorum, reſervavit, quod & ſuffecit ſibi.

Deinde ELISÆUS ſuſcitabat quendam puerum mortuum, quem priuſquam conciperetur, matri de prole quaſi deſperatæ, ante naſciturum promiſerat. Item quidam collegit herbas agreſtes pro pulmento faciendo & inter eas quaſdam peſtiferas & amaras ignoranter immiſcuit: & cum comedentes coram ELISÆO guſtaſſent, clamabant: mors in olla vir DEI Et ELISÆUS accipiens farinam immiſcuit eam pulmento: & omnis amaritudo ceſſavit, & comederunt. Poſt hæc ELISÆUS ſatiavit C. homines de XX parvulis panibus hordeaceis. Item ELISÆUS ſanavit Naaman Syrum à lepra, mandando ei, quod per ſe in Jordane lavaret ſepties, & eo facto ſanus efficeretur, & ita factum eſt: & cum ſanus factus erat Naaman ipſe obtulit ELISÆO munera: ſed ELISÆUS ea recipere noluit. Quare Gihezi famulus ELISÆI cucurrit poſt Naaman, & accepit ab eo nomine Eliſæi duo talenta argenti, & veſtimenta duplicia: quod agnoſcens ELISÆUS per ſpiritum induxit lepram Naaman ſuper Gihezi, qui manſit leproſus uſque in diem mortis ſuæ. Deinde cùm uni ex filiis prophetarum ferrum cecidiſſet de ſecuri ad fluenta Jordanis, Eliſæus miſit lignum in aquam, quod merſum eſt, & ferrum natavit ſuper aquam. Poſt hoc ELISÆUS uni de filiis prophetarum dixit, ut ungeret Jehu principem militiæ exercitus regis Iſrael in regem Iſrael, ut ipſe deſtrueret domum Achab; quod dum factum eſt, Jehu interfecit Joram regem Iſrael, & Ochoziam regem Juda: quod Dominus permiſit, quia amicitiam & fœdus

fœdus contraxit cum Ochozia. Inſuper Jehu omnem domum Achab ſubvertit. Reliquit Achab lxx. filios in Samaria, quos optimates civitatis ad mandatum Jehu interfecerunt, & miſerunt capita eorum ad Jehu in Iſrael. Poſt hoc Jehu congregavit omnes prophetas Baal in templum Baal, quaſi ibidem celebraturus feſtum: & cum omnes convenerunt occidit eos, & deſtruxit Baal, & templum ejus: non tamen receſſit à peccatis Jeroboam filii Nabath, & coluit vitulos aureos, quos ipſe Jeroboam fecerat: & demum Jehu poſtquam regnavit xxix. annis mortuus eſt, & regnavit Joachaz filius ejus pro eo. Poſtquam Eliſæus mortuus fuit, & in ſepulchro poſitus, quidam venientes cum quodam mortuo, & volentes eum ſepelire propè eundem locum, viderunt ſuper ſe venire latrunculos, & projicientes cadaver in ſepulcrum Eliſæi fugerunt: cum corpus autem Eliſæi tetigit cadaver, revixit homo & ſtetit ſuper pedes, & abiit.

Caput VII.

Acrazapes xxxv. rex Aſſyriorum regnavit annis xlii. Sub quo Amaſias in Juda: in Iſrael Joachaz & Joas unus poſt alium regnarunt. Amaſias poſtquam vidit ſe ſtabilitum in regno, jugulavit ſervos, qui occiderant patrem ſuum Joas: ſed filios eorum ſervavit. Et ipſe recenſuit populum ſuum à xx. annis & ſupra: & invenit ccc. millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, & conduxit de Iſrael c. millia robuſtorum: ſed Dominus miſit ſibi prophetam, qui dixit ei: quòd ipſe non miſceret ſecum Iſrael, quia Dominus non eſſet cum eis: dimiſit ergo eos juxta ſermonem Domini, & tamen cum populo ſuo proceſſit ad bellum contra Idumæos inimicos ſuos, & percuſſit ex his x. millia, & alia decem millia cepit, quos omnes viri Juda præcipitaverunt de ſummitate cujuſdam petræ præruptæ, & crepuerunt omnes. Amaſias poſtquam debellavit inimicos ſuos, abſtulit eis idola, quæ ipſe conſtituit ſibi in deos derelinquens Dominum Deum Iſrael: quare miſit ſibi Dominus prophetam, qui corripuit eum: ſed Amaſias prophetam illum ſpernens minabatur ſibi mortem inferre. Quapropter Dominus concitavit contra eum Joas regem Iſrael, qui percuſſo exercitu regis Amaſiæ cepit eum, & duxit eum in Jeruſalem, & dejecit murum Jeruſalem in longitudine cccc. cubitorum, & abſtulit omnem theſaurum domus Domini: & domus regis, & abiit. Poſt hoc facta eſt conjuratio contra Amaſiam in Jeruſalem, & ipſe fugit in Lachis, & interfecerunt eum: & regnavit pro eo filius Azarias, ſeu Ozias. Anno vi. Acrazapis regis Aſſyriorum Aremulus xii. rex Latinorum regnare cepit, & regnavit annis xix. Deinde Aventinus regnavit xxxvii. Hic nomen dedit monti Aventino Romæ, quia poſt mortem in eo ſepultus eſt. Anno Acrazapis xiix. Eliſæus propheta, de quo ſupra dictum eſt, moritur, & quidam credunt Carthaginem iſtis temporibus eſſe conditam. Ioachaz rex Iſrael, filius Jehu, plurima bella habuit cum rege Syriæ: ſed contritus eſt ab eo, ita ut de omni populo ſuo non obtineret niſi l. equites & x. currus & x. millia pedites. Et poſtquam mortuus eſt, regnavit filius ejus pro eo Joas, qui nimium prævaluit contra Amaſiam regem Juda.

Tonos concoleros, qui Græcè Sardanapalus dictus eſt, xxxvi. & ultimus rex Aſſyriorum regnavit annis xx. Hic condidit Tharſum: & ejus temporibus in Juda regnavit Azarias, qui & Ozias dictus eſt. Hic Ozias multas habuit victorias de inimicis ſuis. Habuit enim exercitum magnum valde, videlicet, trecenta & ſeptem millia virorum, & ſeptingentos, quibus omnibus præparavit clypeos, haſtas, galeas & loricas & factum eſt nomen ejus magnificum: ſed ex multis, quas habuit victorias, elevatum eſt cor ejus, ita ut officium ſacerdotum, ad quod tantum filii Aaron electi erant, ſibi uſurpare tentaret: accepit namque thuribulum, & voluit in templo incenſum offerre. Et cum ſacerdotes prohibuerunt eum, ipſe non curavit: imo minas intulit. Quare terræ motus factus eſt & ipſe Ozias lepra percuſſus eſt à Domino, & ſacerdotes ejecerunt eum de templo, & ipſe manſit leproſus uſque in diem mortis ſuæ. In illis temporibus in Iſrael regnavit Roboam, vel ſecundum alios libros, Jeroboam filius Joas. Hic plures terras recuperavit de manibus inimicorum Iſrael: & poſtquam mortuus eſt regnavit pro eo filius ejus Zacharias. Sardanapalus rex ita fuit voluptatibus deditus, ut in ſepulchro ſuo deſcribi faceret, ea ſola ſe habere mortuum, quæ libido ejus, cum viveret, hauriendo conſumſerat. Ipſe erat muliere corruptior:

Digitized by Google

ptior: inter ſcortorum greges fæmineo habitu colum tractans à nullo ſuorum videbatur: à præfecto autem Arbace, ſeu ſecundum alios Abarce, qui tunc Medis præfuit, viſus, atque execratione habitus eſt. Et hinc excitis Medorum populis, provocatus ad bellum vincitur, ſeque ardenti pyræ præ dolore injiciens, concrematur: ſicque Arbaces regnum capiens ad Medos illud tranſtulit: & ſic ceſſavit regnum Aſſyriorum, quod à primo anno Nini uſque ad hoc tempus perſeverarat, per annos MCCXL. computato autem tempore belli ſunt anni MCC. ut dicit Auguſtinus lib. XVIII. de C. D. (*cap. 21.*) Dicunt autem quidam, quod ab iſto tempore uſque ad Deiocem, quintum regem Medorum, res ſine principibus agebantur: & in medio hoc tempore Chaldæos propriè prævaluiſſe, quorum ſeparatim quædam ſucceſſiones regum feruntur: reliquæ quoque gentes principibus utebantur.

CAPUT VIII.

ABarces primus rex Medorum, regnavit annis XXIIX. cujus anno primo Procas Sylvius rex Latinorum cœpit regnare, & regnavit annis XXIII. Et anno ejus VI. incepit regnum Macedonum, ubi primus regnavit Caranus annis XXIIX. & in Juda adhuc regnat Ozias: in Iſrael regnavit Zacharias, & conjuravit contra eum Sellum filius Jabes, & interfecit eum, & regnavit pro eo: quem rurſus, poſtquam menſe uno regnavit, Manachen filius Gaddi interfecit, & regnavit X. annis poſt eum, maximè fultus adjutorio regis Aſſyriorum, id eſt, Chaldæorum ſecundum aliquos: cui dabat M. talenta argenti, ut eſſet ſibi auxilio. Et his temporibus prophetabant in Juda Oſee, Amos, Iſaias & Jonas. Anno Abarcis XXIII. Amulius rex Latinorum cœpit regnare, & regnavit annis XLIII. Hic Amulius habuit fratrem majorem natu, qui Numitor dictus fuit, quem etiam de regno expulerat, filiumque ejus Ægeſtum in venatione occidit, filiam quoque ipſius nomine Rheam, ut ſpem partus adimeret, deæ Veſtæ conſecravit: quæ poſtea gravida inventa, dum ſcelus ſuum nititur excuſare, à Deo Marte compreſſam ſe eſſe mentita eſt, & ipſa peperit gemellos, quorum primus dictus eſt Remus, ſecundus vocatus eſt Romulus: & quia Rhea legem deæ Veſtæ tranſgreſſa eſt, juſſu patrui ſui viva ſepulta eſt: & gemini in ripa Tiberis fluminis exponuntur, quos meretrix quædam, Lupa nomine, reperiens, eos ad Fauſtulum paſtorem regii armenti clàm detulit: quos uxor illius nutrivit, & ipſe eos poſtea inter paſtores converſari docuit. Et quia hæc meretrix communiter Lupa dicebatur, licet alii, ut Iſidorus, (*Lib. 18. Etymol. cap. 2.*) dicunt omnes meretrices propter rapacitatem turpis quæſtus lupas nominari, & inde cellulas meretricum lupanaria dici: quidam aſſeruerunt, hos geminos à Lupa videlicet beſtia tali lactatos: prout adhuc marmorũ cælaturæ in pluribus locis urbis oſtendunt Et ſic poſtea Romani crediderunt Martem fuiſſe patrem Romuli, de quo ſic ſcribit Auguſtinus. (*l. 3. c. 4. de C. D.*) An autem Mars ex concubitu filiæ Numitoris Romulum gignere potuerit in medio relinquimus. Nam penè talis quæſtio etiam de ſcripturis noſtris oboritur, qua quæritur, utrum prævaricatores angeli filiabus hominum concubuerunt unde natis gigantibus, vel nimium grandibus, aut fortibus viris, tunc terra repleta eſt. Creberrima autem fama eſt multique expertos ſe, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſſet, audiſſe confirmant. (*Aug de C. D. lib. 15. cap. 23.*) Sylvanos & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum: & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc immunditiem & tentare & efficere, pluresque tales aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur, non hic aliquid audio temerè definire: utrum aliqui ſpiritus elemento aëreo corporati (nam hoc elementum etiam eorum agitatur flabello, ſenſu corporis tactuque ſentitur) poſſint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo poſſint ſentientibus fœminis miſceantur. Hæc Auguſtinus. Sed fortè fieri poſſet, quod ſpiritus ille ſemen viri mira celeritate aliunde afferret, & mulieri per ſe ſic excitatæ ad libidinem, infunderet: quoniam artibus magicis fructus alieni in alienas terras transferri perhibentur, quod in legibus XII. tabularum Cicero commemorat ſtatutum graviter puniendum. Dicit autem Auguſtinus III. de Civitate Dei. (*cap 3.*) Non ergo credamus, ſi placet, Æneam fuiſſe Veneris filium. Ecce concedo, nec Romulum Martis. Soſarmus II. rex Medorum regnavit annis XXX. Cujus anno VI. Cœnus Secundus rex Macedonum cœpit regnare, & regnavit annis XII. Et ſub hoc rege in

Juda

Juda regnat Joatham filius Oziæ. In Iſrael verò regnat Phacee filius Manahem: contra quem conjuravit Phacee, filius Romeliæ, dux ejus, & interfecit eum poſtquam regnavit annis duobus. Joatham rex Juda multas urbes & turres ædificavit ac caſtella, & ſubegit filios Ammon, ita ut darent ſibi centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, & totidem coros hordei. Anno XIII. hujus regis Medorum incepit regnum Lydorum, ubi primus regnat Ardiſus. Anno ejuſdem XV. defecit regnum Lacedæmoniorum. Eodem anno prima Olympias apud Athenas acta eſt, in qua Chorebus Elienſis victor extitit: & ab ea Græci computant annos, & creduntur Chronicæ Græcæ veræ eſſe ab illo tempore. Unde Olympias prima apud Græcos conſtituta eſt apud Elidem urbem Græciæ, Eliis agentibus agonem, & quinquennale certamen, quatuor annis in medio vacantibus: & inde Elii certaminis tempus Olympiadem vocabant, quoniam apud Olympium montem actum eſt hujusmodi quinquennale certamen: & computatur ſpacium quatuor annorum & quintus annus Olympiadis ſequentis primus annus erat.

Anno hujus regis XIIX. Tyrimas tertius rex Macedonum cœpit regnare, & regnavit annis XXXIIX. Et anno ſecundo præcedente, Tiglath Philaſſar invaſit Samariam, prout patebit infra. Sub hoc rege, ut quidam volunt, anno ejus XXI. nati ſunt gemini Remus & Romulus; à quo Romulo Romanum imperium ſumſit initium.

CAPUT IX.

MEDIDUS III. rex Medorum regnavit annis XL. Cujus anno III. Achaz cœpit regnare in Juda, & regnavit annis XVI. & plurima mala fecit, & ſtatuas fudit Baalim: Ipſe adolevit incenſum in valle Hennon, & luſtravit filios ſuos in igne juxta ritum gentium: ſacrificavit in excelſis & collibus. Quare tradidit Deus regnum ejus in direptionem. Unde rex Syriæ magnam prædam tulit de regno ſuo. Phacee quoque rex Iſrael uno die CXX. millia de populo Achaz occidit, & tulerunt filii Iſrael CC. millia mulierum, puerorum & puellarum captivarum de Juda. Cumque vellent eos ducere in Samariam Obed propheta Dei dedit eis conſilium, ut remitterent eos, ne indignationem Domini incurrerent: quoniam nimium ſævierant in fratres ſuos, & ſic reſiſtentibus quibusdam de principibus non introduxerunt eos, ſed remiſerunt: deinde Idumæi percuſſerunt ſimiliter multos de Juda, item Philiſtæi. Inſuper rex Aſſyriorum vaſtavit Judæam, cui Achaz, ſpoliata domo Domini, miſit munera: & nihil profuit ei, nec Achaz motus omnibus his cladibus, immolavit diis inimicorum ſuorum, ut eſſent ſibi propitii: direptisque omnibus vaſis domus Domini, atque confractis, clauſit januas templi: & fecit ſibi altaria in univerſis angulis Jeruſalem, & in omnibus urbibus Juda. Rex autem Tiglath Philaſſar propter munera, quæ miſit ei Achaz aſcendit contra regem Syriæ, & vaſtavit Damaſcum, & Razin regem interfecit. Hic eſt Achaz, ad quem Eſaias propheta miſſus dixit: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Rex itaque Tiglath Philaſſar proceſſit contra Phacee regem Iſrael, & cepit multas civitates in Galilæa & univerſam terram Nephthalim: & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios. Quare Oſee filius Ela conjuravit contra Phacee regem Iſrael, & interfecit eum: & regnavit pro eo, & cùm regnaverat annis VII. venit contra eum Salmanaſſar, qui & Tiglath Philaſſar in lib. regum nominatur & de quo jam dictum eſt, & obſedit Samariam, & capto rege Oſee, pervagatus eſt omnem terram Iſrael, & duxit in captivitatem omnem populum Iſrael, & poſuit eum in civitatibus Medorum: & adduxit gentes de Babylone, & aliis locis, & conſtituit eas in civitatibus Samariæ: & inde Samaritani cuſtodes appellati ſunt. Et ſic ceſſavit regnum Iſrael in Samaria, poſtquam duraverat per annos CCL. Sed quia iſtæ gentes ſic adductæ intra Iſraël non timuerunt Deum Iſraël, immiſit Dominus in terram leones feroces, qui devaſtabant gentem illam: quo audito, rex Aſſyriorum remiſit unum de ſacerdotibus, quos inde abduxerat, ut doceret populum legitima Dei terræ illius: & ſic deinde gentes terræ illius coluerunt, & timuerunt Deum Iſraël: nec tamen dereliquerunt deos ſuos falſos, quos priùs coluerunt. Quod autem idem rex Aſſyriorum ſit Tiglath Philaſſar & Salmanaſſar, patet ex eo, quòd dicitur IV. Regum XV. Tiglath Philaſſar tranſtulit univerſam terram Naphthalim in Aſſyrios, & in libro Tobiæ dicitur, quod Tobias de tribu Naphthalim in diebus Salmanaſſar regis Aſſyriorum una cum aliis filiis Iſraël fuerat tranſlatus in regnum Medorum. Nec etiam quenquam moveat, quod iſte Tiglath

Tiglath-Philaſſar, ſeu Salmanaſſar dicitur rex Aſſyriorum, & tamen tranſtulit Iſraël in civitates Medorum, cum ſuperius dictum eſt, quod regnum Aſſyriorum jam fuerit translatum ad Medos: unde poſtquam regnum Aſſyriorum translatum eſt ad Medos, Babylonii & Chaldæi Babyloniam contra Medos ſibi vendicabant. Unde quidam reges eorum ſe adhuc nominabant reges Aſſyriorum, ut iſte Salmanaſſar, & filius ejus Senacherib: & quidem eorum, propter antiquam urbis Babyloniæ dignitatem, ſcribebant ſe reges Babylonis: cum in ea regnum Aſſyriorum habuit originem. Sed quia Arbaces præfectus Medorum, & tandem rex eorundem primus, plurima regna regibus Aſſyriorum ſubjecta obtinuit, ergo hiſtoriographi ponunt Tonoſconcoleron ultimum regem Aſſyriorum, & deinde in ordine regum illuſtrium ponunt reges Medorum. Anno IX. hujus regis Medorum Romulus XIIX. anno ætatis ſuæ, una cum fratre ſuo Remo, paſtorum & latronum congregans multitudinem, patruo matris Amulio rege occiſo, avum ſuum Numitorem in regnum reſtituit, & Romam condidit, & eam à nomine ſuo nominavit. Remus itaque montem Aventinum, Romulus Palatinum montem occupat: ad tutelam autem novæ urbis vallum ſufficere videbatur: cujus dum anguſtias Remus increpat ſaltu tranſiliens, juſſu fratris à Fabio duce ipſius Romuli, raſtro paſtorali occiſus eſt: & ſic Romulus obtinuit principatum. Erat autem in proximo locus, hunc aſylum fecit, promittens libertatem quibuſcunque criminibus obnoxiis. Unde ſtatim mira vis hominum Latini, Thuſcique paſtores: etiam transmarini Phryges, qui ſub Ænea: Arcades qui ſub Evandro, influxerant, & ita quaſi ex variis elementis congregavit corpus unum, populumque fecit Romanum. Romulus C. viros ex ſenioribus elegit, quorum conſilio cuncta ageret: quos ſenatores appellavit, de quibus X. elegit, quorum nomina, præſente populo, in tabulas aureas contulit: & illi dicebantur patres conſcripti. Poſtea verò tres fuerunt ordines Senatorum: primi illuſtres: ſecundi Spectabiles: tertii clariſſimi dicebantur. Romulus mille pugnatores elegit, quos à numero millenario milites appellavit: iſti cum ingrediebantur bellum contra hoſtes, manipulis fœni ſignabant ſe, ut ſe ab hoſtibus mutuò cognoſcerent: & inde poſtea milites manipli dicti ſunt. Sed ſigna vexillorum primus Jupiter feciſſe dicitur, videlicet, aquilam: cum enim proficiſceretur contra Titanes, apparuit ei in auſpicio aquila, quam indicium victoriæ legioni ſignum dedit. Deinde Apollo ſignum draconis ex morte ſerpentis Phytonis dedit: & demum Auguſtus ſignum pilæ, qua orbem deſignavit ſibi ſubjectum, ſignum dedit. Romulus poſtquam annis XXIIX. regnavit anno conditionis urbis XXXIX. dum quadam die concionem ante urbem haberet apud Capræ paludes è conſpectu repentè ablatus eſt. Diſcerptum eum aliqui à ſenatu putant, ob aſperius ingenium: ſed ſuborta tempeſtas, ſoliſque defectio, conſecrationis ſpeciem præbuerunt: cujus mox Julius Proculus fidem fecit, à ſe Romulum affirmans viſum, auguſtiore forma, quàm fuiſſet: & quod mandaſſet ſe pro numine accipi, & Quirinum in cœlo vocari: atque diis placitum, ut Roma gentium imperio potiretur: ſicque populus Romanus, qui contra Senatum intumuerat, repreſſus eſt. Solis enim defectionem, quæ certa ratione ſui curſus effecta eſt, imperita neſciens multitudo meritis Romuli ſic inducta tribuebat. Romani igitur Romulum diis multis prætulerunt, & Flaminem ei conſecrarunt: quod genus ſacerdotii adeo in Romanis ſacris excelluit, ut tres ſolos Flamines haberent tribus numinibus inſtitutos, Dialem Jovi, Martialem Marti, Quirinalem Romulo. Nam benevolentia civium velut receptus in cœlum Quirinus eſt poſtea nominatus, quoniam haſta longa utebatur, quæ lingua Sabinorum, quorum filias primi Romani ſocii Romuli raptas duxerunt uxores, Quiris dicitur: non tamen continuò ſimulacrum factum eſt, quoniam, ut refert Auguſtinus IV. de C. D. (*cap. 31.*) Varro dicit antiquos Romanos plus annos C. & LXX. deos ſine ſimulacro coluiſſe. Quod ſi adhuc manſiſſet, caſtius dii obſervarentur. De iſta deificatione Romuli dicit Auguſtinus XXII. de C. D. (*cap. 6.*) quod receptus in cœlum ſit Romulus inter deos creditum tenent literæ, non factum docent. Nullis quippe rerum ſignis mirabilium id ei verè proveniſſe monſtratur. Lupa quippe illa fratrum duorum nutrix, quod videtur quaſi magnum extitiſſe portentum, quale aut quantum eſt ad demonſtrandum Deum? Certè enim etſi non meretrix lupa fuit illa, ſed beſtia, cum fratribus portentum commune fuerit ambobus: frater tamen ejus non

non habetur Deus. Anno regni Medidi xx. Ezechias cœpit regnare in Judæa & regnavit annis xxix. Iſte fecit quod placitum erat coram Domino: excelſa diſſipavit, contrivit ſtatuas, ſuccidit lucos, & ſerpentem æneum, quem Moiſes fecerat in deſerto, confregit: quia uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum. Senacherib rex Aſſyriorum venit contra Ezechiam cum exercitu magno, & blaſphemaverunt ſervi ejus Dominum, quaſi non poſſet liberare Ezechiam de manibus regis Aſſyriorum: Quare deus miſit angelum, qui percuſſit una nocte in caſtris Aſſyriorum CLXXX millia hominum. Unde Senacherib rex perterritus fugit, & cum pervenit in civitatem ſuam Ninivem, in templo Dei ſui, à filiis ſuis occiſus eſt. Iſtis temporibus prophetabant Iſaias & Oſee. Et eodem tempore Sibylla Erythræa claruiſſe perhibetur.

CAPUT X.

DE Sibyllis magna eſt diverſitas hiſtoriarum, videlicet de nominibus & temporibus earum. Unde, ut dicit Iſidorus VIII. Etymolog. *(cap. 8.)* Omnes fœminæ vates dicuntur Sibyllæ: & dicuntur Sibyllæ, quaſi DEI mentem nunciantes hominibus, quoniam futura prædicebant. Et x. dicuntur fuiſſe Sibyllæ. Prima de Perſis fuit: Secunda Libyca: Tertia Delphica in templo Apollinis Delphici genita, quæ ante bella Trojana vaticinata eſt: Quarta Cimmeria in Italia: Quinta Erythræa nomine Erophyla in Babylone orta, quæ Græcis Ilium petentibus vaticinata eſt perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. Fuit autem dicta Erythræa, quia in eadem inſula ejus inventa ſunt carmina: & hæc nobilior & celebrior inter cæteras perhibetur: Sexta Samia, quæ Samonote dicta eſt, à Samo inſula, unde fuit cognominata: Septima Cumana nomine Amalthea, quæ novem libros attulit Tarquinio Priſco, in quibus erant decreta Romana conſcripta: ipſa eſt & Cumæa, de qua Virgilius: *(Ecl. 4.)* *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.*

Et dicta fuit Cumana, à civitate Cumis, quæ eſt in Campania, quaſi XII. milliaria à Neapoli verſus Gajetam, ubi adhuc quoddam ædificium rotundum, in parte dilapſum ſtans in campo, hujus Sibyllæ templum ſeu habitaculum fuiſſe narratur: Octava Helleſpontia, in agro Trojano nata, quæ ſcribitur Solonis & Cyri fuiſſe temporibus: Nona Phrygia: Decima Tiburtina nomine Albunea. Harum omnium carmina efferuntur, in quibus de DEO, & de Chriſto & de gentibus multa ſcripſiſſe comprobantur. Hæc Iſidorus. Auguſt. vero XIIX. de C. D. *(cap. 23.)* dicit de Sibylla Erythræa, quòd ipſa claruit Ezechiæ & Romuli temporibus. Unde dicit ſe vidiſſe quendam librum Græcè ſcriptum, qui dicebatur continere carmina Sibyllæ Erythrææ, & quosdam verſus in eodem contineri, quorum capitales literæ conjunctæ habebant hæc verba: Ιησοῦς Χριστὸς Θεοῦ ὑιὸς σωτὴρ, quod eſt Latinè: IESUS CHRISTUS Dei filius Salvator. Et iſtos verſus aſſeruit translatos eſſe in Latinum, ſecundum nomen infra ſcriptum: *(Vide Euſebium ἐν τῷ λόγῳ Βασιλικῷ, cap. 18.)*

Judicii ſignum, tellus ſudore madeſcet,
E cœlo rex adveniet per ſecla futurus:
Scilicet in carnem præſens ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celſum cum ſanctis, ævi jam termino in ipſo.
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipſe.
Quum jacet incultus denſis in vepribus orbis
Rejicient ſimulacra viri, cunctam quoque gazam:
Exuret terras ignis, pontumq; polumque
Inquirens, tetri portas effringet Averni.
Sanctorum ſed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, ſontes æterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes,
Eripitur Solis jubar & chorus interit aſtris.
Solvetur cœlum, lunaris ſplendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.

Non

Non erit in rebus hominum ſublime, vel altum.
Jam æquantur campis montes, & cœrula Ponti.
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni:
Sed tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miſerum varioſque labores.
Tartareumque chaos monſtrabit terra dehiscens.
Et coram hoc Domino reges ſiſtentur ad unum.
Decidet è cœlis ignisque & ſulphuris amnis.

Deinde ſubdit Auguſtinus ibidem: Nonnulli Erythræam Sibyllam non Romuli, ſed belli Trojani tempore fuiſſe ſcripſerunt. Et ita videtur ſentire Iſidorus, ut ſupra dictum eſt. Item ſubdit Auguſtinus: Quidam dicunt Sibyllam Erythræam dictam alio nomine Cumanam. Poſt hoc ſubjungit dicens, quòd Lactantius in quodam opere ſuo, (*lib. 4. cap. 18.*) quandam de Sibyllis, nomine proprio tamen non expreſſo, ſic ſcribit dixiſſe de Chriſto: In manus infidelium poſtea veniet: dabunt autem alapas manibus inceſtis, & impurato ore expuent venenatos ſputus. Dabit vero ad verbera ſimpliciter ſanctum dorſum: Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum, vel unde venit ut inferis loquatur, & corona ſpinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad ſitim acetum dederunt, inhoſpitalitate hanc monſtrabunt menſam. Ipſa enim, inſipiens gens, tuum Deum non intellexiſti: ſed ſpinis coronaſti. Templi verò velum ſcindetur, & medio die nox erit tenebroſa nimis in tribus horis Et morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto. Et tunc ab inferis regreſſus ad lucem veniet primus, reſurrectionis principio revocatis oſtenſo. Poſt hoc Auguſtinus in eodem libro (*cap. 24*) dicit, Sibylla Samia regnante Manaſſe in Judæa claruiſſe dicitur. Sibylla Cumana, de qua ſupra dictum eſt, à quibusdam creditur tempore Octaviani claruiſſe, & illi forte moventur his verbis, quæ in libro Ovidii, quem intitulavit de Vetula, inſerta reperiuntur:

Una quidem talis felici tempore nuper
Cæſaris Auguſti fuit anno bis duodeno: à
Regni nativitate ſui, quæ ſignificavit
Poſt annum ſextum naſci debere prophetam
Abſque maris coitu de virgine: cujus habetur
Tempus, ubi plus Mercurii vis multiplicatur.
Ejus erit concors complexio prima futuræ
Sectæ: nam nuſquam de ſignis ſic dominatur
Mercurius, ſicut in ſigno virginis: illic
Eſt ejus domus exaltatio, triplicitasq;
Per totum ſignum: nec non eſt terminus ejus
In primis ſeptem gradibus, ejusque Prophetæ
Typus habetur ibi, quamvis ſub ænigmate. namque
His & imaginibus, quæ deſcribuntur ab Indis,
Et Chaldæorum ſapientibus, & Babylonis,
Dicitur & veterum ſcriptis aſcendere prima
Virginis in facie prolixi virgo capilli,
Munda quidem, magnanimi, magnique decoris,
Pluris honeſtatis: & in ipſius manibus ſunt
Spicæ ſuſpenſis & veſtimenta vetuſta.
Sede ſedet ſtrata, puerumque nutrit, puero jus
Ad comedendum dans, ipſum puerumque vocat vir
Nam ſuper hoc puero ſunt olim multa locuti
Quidam, qui vitam ducebant ſpiritualem.
Tales dixerunt, quòd ſic de virgine naſci
Humanamque Dei ſit naturamque habiturus.
Sed via poſſibilis non eſt, hæc clauſa videtur
Porta meis oculis: quia non intelligo planè.

Hoc

Hoc unum novi quòd homo fieri Deus unquam
Non poſſit: nam quod ex tempore cœperit eſſe,
Æternum non eſſe poteſt: quia ſi cariturum
Fine ſit, idcirco, quòd ſit Deus amodo: ſaltem
Non ſine principio poterit fore: ſed quòd utroque
Non caret æternum, non æternum duo ponit.
Et quod ab æterno duravit hactenus, & quod
Duret in æternum, quare quod conditionis
Non erit æternæ, fieri nequit amodo tale.
Si Deus eſt igitur æternus, nemo Deus fit.
Hoc unum novi: ſed neſcio ſi Deus eſſe
Vellet homo. ſi vellet enim, tum ſumma voluntas
Non habeat, nec habere queat, quibus impediatur
Poſſet homo fieri: ſed qua ratione moveri
Poſſit ad hoc, ego non video: tamen undique vertor,
Undique perſcrutor, ſi poſſim fortè venire
In veriſimilem veramve probabilitatem,
Qualiter induci Deus ad quid tale volendum
Poſſet. certus enim ſum, quòd lex Mercurialis
Plurima naturæ contraria ſit poſitura.
Hoc unum video, quod cum Deus, ut retro dixi,
Cæleſtem motum præviderit eſſe ſtatutum,
Et ſibi de ſolis individuis ſpeciei
Cura ſit humanæ, vult fortè viam meditari,
Qua poſſint homines in fine reſurgere mundi.
Quare vult individuum ſpecialiter unum
Inter eos fieri, quod naturaliter ambas
In ſe naturas habeat, noſtramque ſuamque:
Ex unaque mori, rurſumque reſurgere poſſit
Ex alia: cujus virtute reſurgere poſſint
Omnes, poſt habitum per eam de morte triumphum.
Hoc eſſet certè dilectio maxima: ſed non
Miror, ſi ſummus ſit munera ſumma daturus:
Sed licet iſte foret Deus ac homo: non tamen ipſe
Naſci deberet, ſicut communiter illi
Naſcuntur, qui ſunt homines puri: quia tantum
Ac talem, per quem foret incorruptio danda,
Ex incorrupta quoque naſci matre deceret.
Hæc ſunt, quæ cecinit Cumanæ Muſa Sibyllæ
Nuper in urbe ſacra, quaſi cuncta fides oculata
Perdocuiſſet eam: vel in aure ſua ſonuiſſet.

An autem Ovidius hos verſus libro ſuo de Vetula interpoſuerit, mihi dubitandum meritò videtur: quia non congruit materiæ ipſius libri, & maximè ex eo, quia XIV. & XV. Metamorph. ipſe dicit Sibyllam Cumanam fuiſſe temporibus illis, quando Æneas venit in Italiam, bello Trojano peracto, & hoc etiam teſtatur Virgil. lib. VI. Æneid. Niſi forte dici poſſit, quòd omnes fæminæ ſacerdotes, apud Cumas ſolitæ dare reſponſa, dictæ fuerunt Sibyllæ Cumanæ diverſis temporibus. Habet enim communis opinio, quod tempore Octaviani Auguſti una de Sibyllis fuit, quæ in die nativitatis Chriſti ſignum in Sole, videlicet, virginem tenentem puerum in gremio oſtendit ipſi Octaviano. Et licet iſtæ Sibyllæ plurima prædixerunt futura, tamen non utimur dictis earum ad confirmationem fidei noſtræ, ſed ad refutandos gentilium errores. Unde Auguſtinus diſputans contra Manichæos (*contra Fauſtum Manichæum lib. 13. cap. 15.*) dicit: ſi quid veri de Deo Sibylla, vel Orpheus, aliive gentium vates, aut Philoſophi dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam; non tamen ad iſtorum auctoritatem complectendam. Quantum enim diſtat de Chriſti adventu inter prædicationem Angelorum & confeſſionem

Digitized by Google

Dæmonum: tantum inter auctoritatem Prophetarum & inter curioſitatem ſacrilegorum. Sciendum tamen eſt circa verſus Sibyllæ Erythrææ ſupra-ſcriptos, quod ſint numero XXVII. quamvis hæc verba ἰησοῦς χρειστὸς θεοῦ ὑιὸς σωτὴρ, quæ capitales literæ verſuum comprehendunt, ut dictum eſt, conſtant tantum ex XXIII. literis. Unde cùm non poterant inveniri dictiones latinæ, incipientes à literis competentibus prædictis verbis habentes conformem ſignificationem dictionibus Græcis, à quarum capitalibus literis prædicta verba conſtituuntur, neceſſe eſt ſubintelligi Y literam, quæ in Græco ponitur in ipſis dictionibus latinis ipſis Græcis correſpondentibus in capitalibus ipſorum verſuum. Et ſunt verſus quintus, nonus & decimus octavus, quorum primis literis dimiſſis & earum loco Y ſubintellecta, manifeſtè patent hæc verba: ἰησοῦς χρειστὸς θεοῦ ὑιὸς σωτὴρ. Item circa verſus Sibyllæ Cumanæ ſupraſcriptos notandum eſt, quod quidam computant initium monarchiæ Octaviani Auguſti, ab anno, quo ipſe vicit Antonium: quia tunc primùm ipſe eſt Auguſtus appellatus: & ſic computando Chriſtus fuiſſet natus anno XXX. imperii Octaviani, & ſic intelliguntur iſti verſus circa principium: ſed quia ante hoc tempus, quo victus eſt Antonius, Octavius ſimul cum Antonio regnavit annos XII. qui ſi ſuperadditi fuerint annis XXX. fiunt XLII. & ſic Chriſtus dicitur eſſe natus anno XLII. Octaviani. Anno Medidi regis Medorum XXVI. Perdiccas quartus rex Macedonum cœpit regnare, & regnavit annis LI. Et eodem tempore Catina & Syracuſa civitates in Sicilia conditæ ſunt.

CAPUT XI.

CArdiceas IV. rex Medorum regnavit annis XIII. cujus anno VII Romulus mortuus eſt: cui poſt annum ſucceſſit Numa Pompilius. In Judæa regnavit adhuc Ezechias, cujus vitæ adjecit Dominus XV. annos. Poſtquam Ezechias à Deo ita magnificè liberatus eſt, ipſe Deo non exſolvit condignas gratiarum actiones. Unde infirmatus ægrotavit usque ad mortem, & venit ad eum Eſaias propheta, & dixit ei: morieris & non vives. Flevit igitur Ezechias, quòd ſine liberis eſſet moriturus, & regnum Juda in eo ceſſare deberet: & oravit ad Dominum, & exaudivit eum Dominus, & adjecit vitæ ſuæ annos XV. Et cùm peteret ſignum ab Iſaia propheta, per quod ſcire poſſet, quòd Dominus ſanaret eum, Sol retroceſſit X. gradibus in cœlo, & dies longior factus eſt X. horis, quod ſignum videntes Chaldæi, nec cauſam naturalem invenire valentes, admirati ſunt valdè. Et audiens rex Chaldæorum, quòd hoc ſignum factum eſſet à Deo cœli, propter Ezechiam regem Juda, & quia Chaldæi ſolem adorabant, miſit Ezechiæ munera per nuncios ſuos ſolemnes, qui interrogarent de hoc portento, quod in ſole viſum fuerat. In quorum adventu Ezechias lætatus eſt, & oſtendit eis omnem theſaurum ſuum, & introduxit eos in loca ſancta, quæ non licuit gentibus ingredi. Quare iratus eſt Dominus contra eum, & miſit ei Eſaiam prophetam, qui increpavit eum, & prædixit ei, quòd omnia, quæ in domo ſua eſſent, ducenda forent in Babylonem, & filii, qui naſcituri eſſent de eo, deberent eſſe Eunuchi in palatio regis Babylonis. Et reſpondit Ezechias Eſaiæ: Bonus ſermo Domini quem locutus eſt: ſit pax & veritas in diebus meis. Eo tempore poſt mortem Romuli conſules per unum annum Romæ regnabant: deinde Numa Pompilius rex creatus eſt, qui primus apud Latinos numos imaginibus & circumſcriptionibus inſignivit, & ergo apud Latinos à nomine ipſius numus dictus eſt: ſed pecunia dicta eſt, quia antiquitus fiebat de pellibus pecudum: prout adhuc fit apud Ruthenos. De Numa Pompilio dicit Auguſtinus lib. VII. de C. D, *(cap. 35.)* Numa Pompilius ad quem nullus Dei propheta, nullus ſanctus angelus mittebatur, hydromantiam facere compulſus eſt: ut in aqua videret imagines deorum, vel potiùs ludificationes dæmonum, à quibus audiret, quid in ſacris conſtituere atque obſervare deberet. Quod genus divinationis idem Varro à Perſis dicit allatum, quo & ipſum Numam, & poſtea Pythagoram philoſophum uſum fuiſſe commemorat: ubi adhibito ſanguine etiam inferos perhibet ſciſcitari, & νεκρομαντείαν dicit vocari, quæ ſive hydromantia, ſive necromantia dicatur, id ipſum eſt. Quibus artibus hæc fiant ipſi viderint. Sed Numa Pompilius libros, harum artium cauſſas continentes ſub terra recondidit, qui poſt mortem ejus inventi & ſenatui præſentati à ſenatu comburi juſſi ſunt. Hæc Auguſtinus. Hinc eſt quod ſcribitur de Numa, quod ipſe dies faſtosque deſcripſit: cultum immortalium deorum docuit, & leges primus Romanis dedit. Ipſe etiam militibus ſtipendia ordinavit, & annum

apud

apud Romanos in XII. menſes diviſit adjectis Januario & Februario & poſtquam regnavit annis XL. vel ſecundum alios XLIII. vel ſecundum alios XXXIX. & ſemper in pace regnavit, morbo interiit.

CAPUT XII.

DEjoces V. rex Medorum regnavit annis LIV. Hujus temporibus Manaſſes filius Ezechiæ regnat in Juda. Hic peſſimus erat, & omnia ad cultum idolorum gentium habita antequam pater ejus cœperat regnare, & quæ pater ejus deſtruxerat, ipſe innovavit, & effudit ſanguinem innoxium multum in Jeruſalem, ac Iſaiam prophetam extra civitatem fecit ſerra ligna diſſecari. Tandem ipſe captus eſt ab exercitu regis Babylonis, & ductus eſt vinctus in Babylonem: ſed quia in carcere poſitus pœnitentiam egit ex toto corde ſuo, à Deo mirabiliter liberatus dicitur, & in regnum reſtitutus eſt: & poſtea Deum timuit, & poſtquam regnavit annis LV. mortuus eſt, anno Dejocis LI. Anno Dejocis XXIV. Argæus quintus rex Macedonum cœpit regnare & regnavit annis XXXIIX. Et eodem tempore ceſſavit regnum Athenienſium, & ordinati ſunt ex nobilibus viris principes. Anno XXXVI. ejuſdem Tullus Hoſtilius cœpit regnare apud Romanos. Hic primus Romanorum purpura & faſcibus uſus eſt, & ampliavit urbem adjecto Cœlio monte: & poſtquam regnavit XXXII. annis cum omni domo ſua arſit fulminis incendio. Iſtis temporibus Byzantium civitas condita eſt à Pauſania Spartanorum rege, quam poſtea Conſtantinus M. Conſtantinopolim nominavit. Hoc etiam tempore Sibylla Samia claruit.

Phraortes VI. Medorum rex regnavit annis XXIV. in Juda, poſtquam Ammon filius Manaſſe, regnavit annis duobus, & occiſus eſt à ſervis, regnavit Joſias filius Ammon. Hic Joſias in toto corde ſuo ſecutus eſt Dominum à tempore, quo erat octo annorum, cùm primo cœpit regnare. Cùm Joſias mandaverat colligi pecuniam oblatam in templo Domini, ut templum dignè reformaretur, repertus eſt liber Legis, videlicet, Deuteronomius, qui à tempore Moyſis uſque ad illud tempus manſerat incognitus, in arca Domini, qui cùm coram Joſia legeretur, ipſe vehementer timuit, & omnia, quæ ad cultum Domini in templo pertinebant, reformavit, & idola, & univerſa vaſa eis conſecrata confregit: lucos concidit per univerſam terram Juda & Jeruſalem. Et cùm veniſſet ad Bethel tulit oſſa ſacerdotum de ſepulcris, qui in diebus Jeroboam filii Naboth adolebant incenſum ſuper altare in Bethel quod fecerat Jeroboam, & combuſſit ea ſuper altare juxta ſermonem viri Dei, de quo ſcriptum eſt ſupra. Sicque Joſias mundatis omnibus, atque ariolis & phytonibus cunctis exterminatis undique, reverſus eſt in Jeruſalem & celebravit Phaſe Domino anno XIIX. regni ſui in lætitia magna. Et in tempore illo aſcendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Aſſyriorum, & occurrit ei Joſias cum exercitu ſuo, & inſtauravit bellum contra Pharaonem: quamvis Pharao ei per nuncios intimavit, quòd non veniret contra eum, & ibi Joſias ſagitta percuſſus eſt, unde & mortuus eſt, & luxit eum univerſus Juda & Jeruſalem: & maximè Jeremias propheta, qui fecit certas lamentationes ſuper eum, quibus poſtea uſi ſunt poſteri per plures annos poſt mortem ejus. Et poſtquam anno regni ſui XXI. mortuus eſt, regnabat Joachatz filius ejus pro eo. Iſtis temporibus claruit Thales Mileſius philoſophus. Hic ante alios cœli cauſſas atque vim rerum naturalium, contemplata ratione, ſuſpexit: ſicque Phyſicam apud Græcos primus perſcrutatus eſt, quam poſtea Plato deſcripſit. Item circa hoc tempus deſtructa eſt Ninive à rege Medorum, ut teſtatur Hieronymus in Jonam. Item eo tempore regnabat apud Romanos Ancus Martius. Hic pontem trans Tiberim inter montem Aventinum & Janiculum fecit, & pomœria muro complexus eſt, nec non Oſtiam civitatem in exitu Tiberis conſtruxit: & poſtquam regnavit annis XXIV. mortuus eſt. Anno VIII. Phraortis apud Macedones cœpit regnare Philippus, & regnavit annis XXXIIX.

CAPUT XIII.

CYaxares ſeptimus rex Medorum regnavit annis XXXII. ſub quo regnat in Judæa Joachatz ſeu Joatz, & ſuccedit Joachim, qui & Eliachim: deinde ſuccedit alter Joachim ſeu Joachin. Pro quo ſciendum quòd Joſias habuit tres filios, primus vocabatur Joachatz vel Joatz. Hic regnavit poſt mortem patris ſui Joſiæ tantùm menſibus tribus: quia Pharao Nechao veniens in Jeruſalem depoſuit eum, & duxit eum

in Ægyptum, fecitque regnare pro eo fratrem ejus Eliachim, filium Joſiæ alterum, & mutavit nomen ejus, & vocavit eum Joachim: & ille idem dictus eſt Jechonias, & eſt ille de quo dicitur in Evangelio, Joſias genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Anno enim tertio regis Joachim venit rex Babylonis Nabuchodonoſor, & cepit Judeam anno regni ſui primo, & factus eſt ei Joachim tributarius: & tunc tranſtulit rex Nabuchodonoſor partem vaſorum domus Domini, & Danielem cum ſociis ſuis. Poſt hoc Joachim rebellavit contra Nabuchodonoſor: quare veniens Nabuchodonoſor in Judæam, cepit eum, & vinctum duxit eum extra Jeruſalem, & ibi occidit eum: quare dicitur in libro paralipomenon, hoc eſt, in libro Dierum regum Juda & Iſrael, ductus eſt Babylonem, videlicet, juxta vulgi in Jeruſalem remanentis opinionem. Sed quia occiſus eſt propè Jeruſalem, in libro regum dicitur, dormiviſſe cum patribus ſuis. Et conſtituit Nabuchodonoſor Joachin filium Joachim regem, qui etiam dictus eſt Jechonias: & regnavit tribus menſibus in Jeruſalem, & decem diebus & ultima litera nominis ſui mutata eſt de nomine patris ſui, & hic eſt Jechonias, qui poſt tranſmigrationem Babylonis genuit Salathiel, & quia ipſe etiam regi Babylonis cœpit rebellare, captus eſt, & ductus in Babylonem: & hic eſt Joachim, quem Evilmerodach rex Babylonis, filius Nabuchodonoſor, eduxit de carcere & exaltavit eum, ut dicitur in libro Regum. Conſtituit autem Nabuchodonoſor Mathaniam tertium filium Joſiæ patruum Joachim, regem, & vocavit nomen ejus Sedechias. Hoc tempore apud Macedones regnavit Æropus annis XXVI. Item apud Romanos regnavit unus poſt alium Tarquinius Priſcus & Servius Tullius. Hic Tarquinius XII. populos Thuſciæ frequentibus armis ſubegit, & capitolium Romæ fabricare cœpit, & dum fundamentum fodiebatur, caput hominis ſine cæteris membris inventum eſt: & inde Capitolium dictum eſt, & poſtquam regnavit annis XXXIIX. à filiis prædeceſſoris ſui occiſus eſt. Deinde Servius Tullius foſſas circum urbis muros fieri fecit: & ejus ſolertia ita eſt ordinata reſpublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulis referrentur. Item eo tempore Claudia virgo Veſtalis accuſata de ſtupro, dedignata ſe humanitus purgare, aſcendit navem in alveo Tiberis, & ligata prora ipſius cum zona ſua dixit: ſi virgo ſum ſequere me: & ſic traxit navem contra ipſius fluminis impetum uſque ad urbem. Servius Tullius primus cenſum ordinavit, & poſtquam regnavit annis XXXIII. à genero ſuo Tarquinio, filia ejus non ignorante, occiſus eſt, & Tarquinius regnum obtinuit. Hoc tempore Maſſilia condita dicitur.

CAPUT XIV.

Aſtyages octavus rex Medorum regnavit annis XXXIIX. cujus octavo anno regnum Judæorum per Nabuchodonoſor deſtructum eſt. Nam Sedechias rebellans contra Nabuchodonoſor regem Chaldæorum, undecimo anno regni ſui captus, & excæcatus, ac ductus in Babylonem, carceri mancipatus eſt. Et Nabuchodonoſor quadam die ipſum Sedechiam eductum de carcere epulari fecit cum principibus ſuis, quamvis oculis orbatum, & juſſit ei potionem quandam laxativam propinari: unde Sedechias laxatus convivium ignominioſè fœdavit: & deinde in carcerem retruſus mortuus eſt. Poſtquam Sedechias captus eſt, eodem anno miſit Nabuchodonoſor rex Nabuzardan principem militiæ in Jeruſalem qui ſuccendit templum Domini, domum regiam, & univerſam civitatem: muros deſtruxit; omnes viros fortes duxit in Babylonem: pauperes terræ relinquens, ut terram colerent, quibus præfecit Godoliam, ſed Jeremiam Prophetam dimiſit liberum ire, quo voluit, prout rex ei mandaverat. Deinde Nabuchodonoſor anno regni ſui XXIV. perrexit in Ægyptum, & ea ſubverſa, rediens per Judæam omnes quoſcunque, etiam pauperes, duxit in Babylonem: ſicque terra Juda, & templum deſolata manſerunt annos LXX. Et ſic finis eſt quartæ ætatis mundi. Joſephus *(lib. 10. Antiquitatum Jud. cap. 11.)* ſcribit quod à primo anno regni Saul uſque ad hanc captivitatem fluxerunt anni DXXXII. Templum itaque Domini, poſtquam ſtetit annis CDXLII. incenſum eſt: ſed Joſephus ponit annos CDXXX. A nativitate Abrahæ anno MCCCCXXVI. & quadrageſimæ octavæ Olympiadis anno ſecundo, regnante Vaphre in Ægypto: ad quem reliquiæ Judæorum, qui remanſerant in Iudæa, confugerant. Et anno ab V. C. CLXII. His temporibus certantibus in agone τράγος, id eſt, hircus dabatur in præmium & inde Tragœdi

gœdi nuncupati ſunt. Circa præmiſſa æſtimo ponderandum quod à nativitate Abrahæ, qui fidei primatum ſuſcepiſſe legitur, anno MCCCCXXVI. templum deſtructum eſt, & Iudæorum gens ad perfidiam lapſa regno privata eſt. Unde timeo, quòd ſimili modo tanto numero annorum à nativitate Chriſti tranſacto, Romanæ eccleſiæ, jam nimium declinanti à priſtinæ fidei virtute, periculum imminebit, & populus Chriſtianus luet perfidiæ pœnam.

QUINTA ÆTAS MUNDI.

CAPUT PRIMUM.

QUINTA Ætas mundi incipiens à captivitate Iudæorum, qua ducti ſunt in Babylonem, & ab incenſione Templi usque ad Nativitatem Chriſti protendens, continet annos DXXCI. prout communius computatur. Anni igitur deſolationis memoratæ, ſecundum quoſdam, numerantur à tertio anno Ioachim, qui & Eliachim, usque ad XX. annum Cyri regis Perſarum: ſecundum alios à tertio decimo anno Ioſiæ patris Ioachim, quo anno Ieremias cœpit Prophetare, uſque ad primum annum Cyri: ſecundum alios, ab undecimo anno Sedechiæ usque ad ſecundum annum Darii tertii regis Perſarum. Deſolationis verò templi completi ſunt ſub Dario anni LXX. hujus rei teſtis eſt Zacharias Propheta (*cap 1.*) ſecundo anno Darii, cum dicit: Domine Deus omnipotens, quousque non miſereberis Ieruſalem, & civitatibus Iuda, quas deſpexiſti, hic ſeptuageſimus annus eſt? Nabuchodonoſor anno regni ſui, videlicet Chaldæorum XXVII. & ſecundo anno regni Ægypti, quod ipſe obtinuit, vidit viſionem de arbore: & ipſe regnavit annis XLIII. in regno Chaldæorum ſeu Aſſyriorum, & pater ejus, ſecundum Ioſephum, etiam vocabatur Nabuchodonoſor, & regnavit annis XXI. & dicunt quidam hunc Nabuchodonoſor, qui regnum Ægypti obtinuit, tantæ fortitudinis extitiſſe, ut Herculem actuum magnitudine tranſcenderet. Et poſt eum regnavit filius ejus Evilmerodach: licet quidam ſcribunt, quòd ipſe habuit fratrem majorem natu qui dictus Nabuchodonoſor minor regnavit ante eum aliquandiu. Iſte Evilmerodach abſolvit Joachim de carcere, & exaltavit eum: quanquam & quidam dicunt interim quòd Nabuchodonoſor fuit alienatis ſenſibus, Evilmerodach multa mala commiſit in regno: unde pater ejus, poſtquam reſtitutus eſt ſenſibus, eum in carcerem, in quo Joachim detinebatur, poſuit: & modò propter hanc ſocietatem carceris Evilmerodach Joachim exaltavit: & quia ipſe timuit patrem ſuum reverti à mortuis: quemadmodum alias de beſtia reverſus eſt ad formam humanam, ipſe, ad conſilium Joachim, patris corpus effoſſum in trecenta fruſta concidit, & trecentis vulturibus tradidit devorandum. Huic Evilmerodach ſucceſſit filius ejus Regaſſar, qui dictus eſt Negliſar: cui ſucceſſit Nabozardachus filius ſuus: quo mortuo ſucceſſit frater ejus Balthaſar: contra quem caſtrametati ſunt Darius & Cyrus, de quibus infra dicetur. Poſtquam deſolata eſt terra Juda per Nabuchodonoſor, filii Juda qui evaſerant captivitatem, deſcenderunt cum propheta Jeremia in Ægyptum: quamvis Jeremias hoc eis diſſuaſit, prædicens eos gladio & fame in Ægypto morituros, & in terra Juda poſſe ſalvari. Cumque eſſent in Ægypto, & idolis ſervirent, Jeremias increpavit eos aſſerens Nabuchodonoſor regem illuc venturum, & eos morti traditurum: Quare ſacerdotes inſurgentes contra Jeremiam ipſum lapidibus obruerunt: ſed Ægyptii ſepeliebant corpus ejus: ſciebant enim ipſum Dei prophetam eſſe, & ipſe orationibus ſuis fugavit aſpides & crocodilos, animalia videlicet venenoſa ab aquis Ægypti. Et dederat ſignum ſacerdotibus Ægypti: quòd quando virgo pareret, dii Ægyptiorum caderent. Unde ſacerdotes Ægyptiorum in ſecreto loco cujusdam templi fecerunt imaginem virginis

puerum bajulantis, & illam imaginem in ſpeciali habebant veneratione. Cumq; poſtea longo tempore Ptolemæus rex quæreret ab eis, quo hoc agerent nomine, dixerunt: paternæ traditionis eſſe myſterium, quòd à ſancto propheta acceperant majores eorum. Jeremias cùm adhuc eſſet in Jeruſalem ante deſolationem templi, præncſcens ipſum templum deſtruendum, arcam teſtamenti cum his, quæ in ea erant, tulit, & precibus ſuis eam abſorberi fecit in petra, ipſam petram ſignans digito, nomen Dei tetragrammaton ei impreſſit: & factum eſt ſigillum in ſimilitudine ſcripturæ, quæ ferro cavatur, & poſtea locus ille omnibus manſit incognitus. Et dixit Jeremias cum præſentibus: Dominus ex Sion receſſit ad cœlos, inde rurſus in virtute venturus, & eſt ſignum præſentiæ ejus, quando univerſæ gentes adoraverint lignum. Dixitque hanc arcam nemo producere poterit præter Aaron, & tabulas, quæ in ea ſunt, nullus aperiet ſacerdotum, nullus prophetarum, niſi electus Dei Moyſes: & in prima reſurrectione reſurget hæc arca, & exibit de petra, & ponetur in monte Sinai: & omnes ſancti congregabuntur ad eam regreſſum Domini ſuſtinentes, & adverſarium, qui quæſiturus eſt, interimere fugientes. Ezechiel propheta, cùm in tranſmigratione Joachim de Jeruſalem eſſet una cum aliis in Babylonem deductus, & ipſi tranſmigrati murmuraverunt contra Dominum, eò quòd adhuc ſtaret civitas Jeruſalem & templum, quæ prædixerat Jeremias peritura, & ipſi eſſent ducti in captivitatem, & qui remanſerant in terra Iuda, viverent quietè, prophetavit eis, civitatem & templum adhuc debere deſtrui, & increpavit eos de legis tranſgreſſione, & præcipuè quoſdam de tribu Dan, & de tribu Gad, qui intermixti erant tribubus Iuda, & Benjamin poſt tranſmigrationem, vel in ipſa tranſmigratione, & fecit circa eos prodigium magnum, quòd filii eorum & pecora univerſa perierunt à ſerpentibus: & prædixit eis, quòd tribus illæ non eſſent reverſuræ ad propria. Ipſi inſurrexerunt contra eum, & traxerunt eum equis per crepidinem ſaxorum, & ſic excerebratus mortuus eſt. Poſt annum tranſmigrationis XXV. Daniel propheta, ſecundum aliquos de tribu regia, ſecundum alios de tribu Levi, magnæ abſtinentiæ & caſtitatis fuit. Hic de mandato regis Nabuchodonoſor inter pueros regios nutritus eſt: ſed ipſe de cibis regiis, ne contaminaretur contra legem, comedere recuſavit. Ipſe cum Suſanna uxor Ioachim, falſo teſtimonio ſacerdotum, qui eam de adulterio accuſabant, condemnata traheretur ad mortem, populum revocavit ad judicium, & examinavit ipſos ſacerdotes ſeorſim, & convicit eos in verbis de falſo teſtimonio, atque Suſannam innocentem liberavit, & populus eoſdem ſacerdotes lapidavit. Quando Nabuchodonoſor rex ſtatuam vidit in ſomno, cujus caput erat aureum: pectus & brachia de argento: venter & fœmora ex ære, & tibiæ ferreæ, Daniel expoſuit viſionem illam de quatuor regnis ſibi invicem ſuccedentibus: non tamen expreſſit illa regna propriis nominibus eorum. Unde hæc regna fuerunt regna magis glorioſa, videlicet Aſſyriorum, Medorum & Perſarum, Græcorum & Romanorum: de quibus ſupra & infra dicitur, quando alterum altero diſſolutum eſt. Nabuchodonoſor propter multas victorias elatus eſt in ſuperbiam, & Deum cœli non cognovit: licet jam à prophetis Ieremia & Daniele, ſuam à Deo proſperitatem conceſſam fore, didiciſſet: quare à Deo humiliatus in beſtiam converſus eſt, prout ex viſione arboris, quam vidit in medio terræ, ſibi Daniel prædixerat. Hanc autem converſionem in beſtiam quidam credunt in corpore factam: ſed magis recipitur, quòd ipſe fuerat alienatus mente. Unde dicitur de eo, quòd licet decretum Dei percepiſſet, quòd ſeptem tempora, hoc eſt ſeptem anni deberent mutari ſuper eum, tamen ad preces Danielis Deus mutavit illos annos in ſeptem menſes. Unde quatuordecim diebus fuit mente alienatus: ita quòd videbatur ſibi, quòd ipſe eſſet beſtia, & deinde reſtitutus eſt ſenſibus, & XL. diebus egit pœnitentiam flendo continuè, ita quòd oculi ejus facti fuerunt ſicut caro. Deinde iterum diebus reſiduorum menſium uſque ad finem ſeptimi menſis iterum ſenſibus alienatus eſt: & poſtea integrè reſtitutus: non tamen regnabat, ut priùs, ſed conſtituebantur pro eo ſeptem judices, donec compleretur ſeptimus annus: quia tamdiu egit pœnitentiam non comedendo carnes, nec vinum bibendo, prout Daniel ei conſilium dederat. Notandum etiam, quòd propter expoſitionem ſeu interpretationem ſomniorum, quæ Daniel interpretatus eſt, quidam falsè intitulaverunt quædam ſuperſtitioſa judicia ſomniorum Danielis nomine, quibus fides adhibenda non eſt. Nabuchodo-

Digitized by Google

buchodonoſor poſtquam iterum poſt peractam pœnitentiam regnavit, magnificavit Deum cœli, & ſcripſit univerſis principibus regni mirabilia, quæ fecit Deus circa eum: & voluit Danielem facere cohæredem regni cum filiis ſuis, quod Daniel ſuſcipere renuit. Anno Aſtyagis XVI. Altades octavus rex Macedonum cœpit regnare, & regnavit annis XXIV.

CAPUT II.

QUomodo ab Aſtyage regnum Medorum ad Perſas ſit devolutum diverſitas eſt hiſtoriarum. Quidam enim dicunt, quòd Aſtyages vidit ſomnium, videlicet, quòd de genitalibus filiæ ſuæ oriretur vitis, quæ totam Aſiam occuparet. Vocatis igitur ad ſe conjectoribus, dictum eſt ſibi ab eis, quòd filia ſua eſſet paritura filium, qui toti Aſiæ eſſet dominaturus, ipſumque de regno ejecturus: Quare filiam tradidit in matrimonium cuidam militi plebejo, ne filius nobilis generaretur ab ea. Cumque ipſa poſtea filium peperit, rex parvulum cuidam ſecretario ſuo Harpalo dicto tradidit occidendum, qui ipſum cuidam paſtori commiſit deportandum. Paſtor igitur parvulum ſuſcipiens, eum ſub quadam arbore in ſylva depoſuit, & factum uxori ſuæ recitavit, quæ eodem tempore filium peperit. Unde ad petitionem uxoris paſtor regreſſus ad ſylvam, ut parvulum ad eam adduceret, venit ad locum, vbi infantem expoſuit, & invenit caniculam ſtantem circa eum, quæ ubera ei præbuit, & ipſum ab avibus defendit. Paſtor itaque infante recepto, ipſum ad uxorem deduxit, nomenque ei Sparcatus impoſuit, quod lingua Perſica catulus ſonat, & ſic mulier illa ipſum infantem in Perſide educavit. Cumque poſtea puer ille inter alios pueros coætaneos ſuos ſucceſſu temporis, filius paſtoris communiter reputatus, ludos pueriles exerceret, à pueris rex eorum eſt conſtitutus. Unde pueros ſibi inobedientes & rebelles ultra puerilia loca plagavit: ita quòd fama de eo pervenit ad regem: quare rex puerum ad ſe adductum interrogat: cur ſic ſæviat in pueros: ipſe intrepidè reſpondit: quia me regem conſtituerunt. Rex igitur admiratus audaciam, quædam ſigna generis ſui in eo deprehendens, vocari fecit ſecretè paſtorem, & didicit ab eo, quomodo puer iſte ad eum pervenit: & recepit rex puerum ad ſe, credens conjectorum verba ſuper hoc puero, & regno puerorum intelligenda, tradidit eum Harpalo, quaſi paſtoris filium nutriendum & filium parvulum ipſius Harpali, propter inobedientiam: quòd puerum aliàs ſibi traditum occidendum non occidit, necari fecit, & patri dedit ſecretè comedendum: & poſtea, ne quid infeliciſſimæ orbitati felix ignorantia ſubtraheret, infames epulas, oſtenſis cum capite manibus, patri improperavit. Poſtquam hic puer adolevit, & factus eſt vir ſtrenuus in armis, pluribus innotuit, quòd ipſe nepos regis eſſet. Cùm igitur quadam vice rex Aſtyages contra hoſtes ſuos congregaſſet exercitum, jam ſceleris, quod in Harpalum commiſerat immemor, ipſi Harpalo ſummam belli commiſit. Quare Harpalus Perſis dedit conſilium, ut Sparcatum in regem Perſarum elevarent, & ſic factum eſt, & vocabant eum Cyrus, quòd in lingua Perſica dicitur hæres. Quo comperto Aſtyages Darium conſobrinum ſuum adoptavit in filium, & congregato exercitu proficiſcitur contra Cyrum. Unde bellum apud Perſas inſtauratur. Fugientibus autem paulatim Perſis de prælio, uxores & matres eorum occurrunt eis, nudatiſque pectoribus clamant: Num in uteros matrum vel uxorum refugere vultis? propter quod Perſæ erubeſcentes redeunt ad bellum, & vincunt. In hoc bello ASTYAGES capitur, & Cyrus commiſit ſibi regnum Hyrcaniæ ad vitam ſuam, & Dario dimiſit regnum Medorum: ipſe autem apud perſas regnabat, & ſic Pompejus Trogus & quidam alii teſtantur. Alii aliter de translatione regni Medorum ad Perſas ſentiunt, videlicet, quòd Darius fuit filius Aſtyagis, frater matris Cyri, ſic quod Cyrus Dario ſucceſſit in regno Medorum. Hunc Darium dicit DANIEL fuiſſe filium Aſſueri: quare quidam dicunt Aſtyagem fuiſſe binomium: ſed communior opinio habet, quod prius dictum eſt; & ſic fortè Aſſuerus fuit quidam de ſtirpe regia Medorum, tamen non fuit rex, cujus filius fuit iſte Darius. Hic Darius & Cyrus ſimul caſtrametati ſunt contra Balthaſar abnepotem Nabuchodonoſor: unde factum eſt cum Darius & Cyrus obſiderent Babylonem, Balthaſar grande convivium fecit optimatibus ſuis, non curans de obſidione: nam in fortitudine civitatis confidebat. Habuit enim murum in circuitu ſui altitudinis L. cubitorum, & murus ipſe erat ex cocto latere interfuſo bitumine factus. Centum portas habuit, & circuitus

Digitized by Google

cuitus ejus comprehendebat quadringenta octoginta ſtadia, quæ faciunt milliaria Romana LX. Excedit igitur urbem Romam in milliaribus XIIX. Nam urbs Romana continet in circuitu una cum civitate Leonina milliaria XLII & habet turres CCCXLIX. Cùm igitur rex Balthaſar ſederet in convivio una cum principibus, uxoribus & concubinis ſuis, bibens de vaſis, quæ Nabuchodonoſor tranſtulit de templo Domini, & laudavit Deos ſuos: apparuit manus una de pariete contra candelabrum, & ſcripſit tria verba & evanuit. Quod videns rex turbatus eſt, & vocatis ariolis & magis dixit eis, ut legerent ſcripturam, & interpretationem ejus ſibi indicarent. Et cùm nullus eorum poterat legere eam, venit DANIEL, & legit eam dicens: Hæc eſt ſcriptura: Mane, Techel, Phares, hoc eſt, Numerus, appenſio, diviſio. Et dixit DANIEL, hic eſt ſenſus: Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud: & eſt dictum perſimile, pecunia quæ numeratur, tollitur & abſconditur. Item appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens, id eſt, juſto Dei judicio, quod Stateræ aſſimilatur, minus vivens, quàm putabaris. Item Diviſio, id eſt, diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Eâdem igitur nocte capta eſt civitas per alveum Eufratis: nam Cyrus fecit dividere Eufratem fluvium maximum per latitudinem campi in quadringentos ſexaginta alveos: & ſic aquis diviſis, Medi & Perſæ per alveum fluminis nocte civitatem intrabant, & BALTHASAR rege occiſo, Darius obtinuit civitatem & regnum. Nam Cyrus Dario tanquam ſeniori deferebat. Et poſt mortem Darii Cyrus hæc regna, ſcilicet, Perſarum, Medorum & Chaldæorum tenuit, poſuitque regiam ſedem apud Perſas: quia illi primò eum fecerant regem: & ſic Cyrus primus rex monarchiam tenuit. Darius poſtquam receſſit de Babylone, duxit ſecum Danielem in Medos, & conſtituit eum unum de tribus Satrapis, qui præerant omnibus Satrapis Provinciarum, quæ erant provinciæ centum viginti: & dilexerat eum rex præ aliis: quare principes invidentes ei doloſè procurabant apud regem, quòd ipſe fecit Edictum quòd nullus deberet petere à quocunque Deo vel rege, infra XXX. dies, niſi ab ipſo Dario rege: quicunque ſecus ageret, deberet mitti in lacum leonum. Sciebant enim, quod DANIEL omni die Deum ſuum tribus vicibus adorare ſolitus erat. Unde ſtatim accuſabant Danielem apud regem de transgreſſione edicti, & ſic invito rege miſſus eſt in lacum leonum: ſed Dominus concluſit ora leonum, & non contingebant eum. Rex igitur ſequenti die veniens ad lacum, eduxit Danielem de lacu, & æmulos ſuos mitti juſſit in lacum: qui cum immitterentur in momento à leonibus devorati ſunt. Anno primo Darii DANIEL intelligens ex dictis JEREMIÆ Prophetæ, adeſſe tempus liberationis Judæorum de captivitate Babylonicâ, oravit pro eis ad Dominum & apparuit ſibi angelus Domini & prædixit ſibi liberationem populi, reædificationem templi & civitatis Jeruſalem, & liberationem ſpiritualem per Chriſtum futuram, & tandem deſolationem templi perpetuam inter cætera ſic dicens: Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem tuam ſanctam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia: & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo & animadverte: ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem usque ad CHRISTUM Ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in auguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Has ſeptuaginta Hebdomadas ſi quis incipiet numerare à viceſimo anno Artaxerxis, ſeptimi regis Perſarum, à quo Nehemias, qui pincerna ejus fuit, obtinuit gratiam reædificandi muros Jeruſalem, reperiet eas in regno Neronis expletas, ſub quo Ieruſalem obſideri cœpta, anno ſecundo Veſpaſiani capta eſt: quia ipſæ faciunt quadringentos nonaginta annos, & ſecundum illos, qui ſic incipiunt, hujus Artaxerxis annus viceſimus, eſt annus urbis conditæ trecenteſimus ſeptimus. Alii computant has hebdomadas à perfectione templi ſub Dario facta, usque ad Hyrcanum, in quo defecit ſacerdotium: quorum ſententia hujusmodi eſt: ſeptem & ſexaginta duæ hebdomades, quæ faciunt annos quadringentos octoginta tres, fuerunt, in quibus Chriſti & ſacerdotes per unctionem conſecrati regnaverunt, ab inſtauratione templi ſub Dario facta, usque ad Hyrcanum, in quo noviſſimè

Digitized by Google

noviſſimè unctio & ſacerdotium defecit Judæorum. Quia anno Octaviani Auguſti decimo, Herodes ſuſcepit regnum Iudæorum. Alii verò eaſdem hebdomadas à viceſimo anno Artaxerxis computantes, in decimo octavo anno Tiberii, quo Chriſtus paſſus eſt finiri volunt, ſcribentes ſic: ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum &c. nulli dubium, quin hæc verba incarnationem Chriſti deſignent, qui tulit peccata mundi, & legem & prophetas implevit: notum quoque eſt, quòd ſeptuaginta hebdomades per ſeptenos diſtinctæ, quadringentos nonaginta annos conſumment. Sed notandum, quod eaſdem hebdomadas non ſimpliciter annotatas, ſive computatas, ſed abbreviatas aſſerit, occultè videlicet commonens, ut breviores ſolito annos noverit indicatos. Scito, inquit angelus, ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem usque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem & hebdomades ſeptuaginta duæ erunt, & rurſus ædificabitur platea, & murus in anguſtia temporum: quia Nehemia muros Jeruſalem reædificante, ædificatores unâ manu gladios tenentes ad reſiſtendum gentibus circum vicinis impedientibus eos, aliâ manu ædificaverunt. Ab hoc ergo tempore, id eſt, ex quo ei hæc licentia data eſt à rege, usque ad Chriſtum ducem venturum hebdomadas ſeptuaginta computa, & invenies annos duodenorum menſium lunarium quadringentos nonaginta: qui ſunt anni ſolares quadringenti ſeptuaginta quinque, ſiquidem Perſæ à præfato viceſimo anno Artaxerxis, usque ad mortem Darii ultimi regis Perſarum, regnaverunt annis ſedecim: ex hinc Macedones usque ad interitum Cleopatræ annis trecentis: inde Romani usque ad decimum ſeptimum annum Tiberii monarchiam tenuerunt annis quinquaginta novem, qui ſunt ſimul, ut dictum eſt, anni ſolares quadringenti ſeptuaginta quinque: & continentur circulis decemnovennalibus viginti quinque: & quia ſingulis circulis emboliſmi ſeptem accreſcunt, multiplica viginti quinque per ſeptem, & fiunt centum ſeptuaginta quinque, qui ſunt menſes emboliſmales, quadringentorum ſeptuaginta quinque annorum. Si ergo vis ſcire, quot annos lunares facere poſſunt hi menſes, partire centum ſeptuaginta per duodecim, & exeunt quatuordecim anni, & remanent menſes ſeptem. Hos igitur quatuordecim annos junge ad ſuperiores quadringentos ſeptuaginta quinque, & fiunt ſimul quadringenti octoginta novem: His adde & menſes ſuperfluos ſeptem, & partem octavi decimi anni Tiberii, quo paſſus eſt Dominus, & invenies à tempore præfinito, id eſt, à viceſimo Artaxerxis anno, usque ad paſſionem Domini, hebdomadas LXX. abbreviatas, hoc eſt, lunares annos quadringentos nonaginta: ſolares quadringentos ſeptuaginta quinque: ad ejus verò baptiſmum, quando unctus eſt ſanctus ſanctorum, deſcendente ſuper eum Spiritu ſancto in ſpecie columbæ, non ſolum hebdomades ſeptem & ſexaginta duas fuiſſe completas, ſed & partem jam ſeptuageſimæ hebdomadis videbis incoatam, & poſt hebdomadas ſexaginta duas, ſubaudi & ſeptem, inquit, occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui negaturus eſt eum. In fine ergo ſeptuageſimæ hebdomadis occiſus eſt Chriſtus, quam ideo, quantum conjici poteſt, ſegregavit à cæteris, quia de hac erat plura locuturus: nam & in illa Chriſtus crucifixus eſt, & à populo perfido, non modo in paſſione, verùm continuè ex quo à Johanne baptiſatus, prædicare cœpit, negatus eſt. Quod autem ſequitur: & civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis ejus &c. non ad LXX hebdomadas pertinet, ſed ad tempora ſequentia reſpicit, facta per Titum exprimit. Verum his per anticipationem prælibatis, mox ad exponendum hebdomadis, quam omiſerat, redit eventum. Confirmabit autem pactum hebdomada una, hoc eſt, ipſa noviſſima, in qua, vel Johannes Baptiſta, vel Dominus, & Apoſtoli prædicando ad fidem multos converterunt, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium: dimidium hebdomadis hujus decimus-quintus annus Tiberii Cæſaris erat, quando incoato Chriſti baptiſmate hoſtiarum purificatio fidelibus vileſcere cœpit. Item quod ſequitur: & in templo erit abominatio &c. ad ſequentia tempora reſpicit, cujus prophetiæ veritatem & hiſtoriæ veterum & noſtrorum hodieque temporum teſtatur eventus.

Caput III.

CYRUS primus rex Aſſyriorum regnavit annos XXXII. vel XXX. & à transmigratione Babylonis usque ad primum annum Cyri, ſecundum Euſebium, computantur anni XXX. & ipſe Cyrus multa regna ſibi ſubjugavit. De eo quippe, antequam cœpit

Digitized by Google

regnare, pluſquam ducentis annis Iſaias (*cap.* 45.) prophetaverat dicens: Hæc dicit Dominus, Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dextram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa regum vertam &c. Cyrus poſt mortem Darii, anno primo regnorum ſuorum, viſa hujuſmodi prophetia, de ſe dicta, remiſit captivitatem Judæorum de Babylone, & dedit eis licentiam reædificandi templum. Sed quia omnes quaſi jam nati erant in Chaldæa, non multum curavit populus regredi in Judæam. Oravit autem Daniel pro populo Deum, ut Dominus, qui ad preces ejus dedit regi voluntatem dimittere populum, etiam daret populo voluntatem aſcendendi: & ſic tandem tertio anno Cyri aſcenderunt in terram Juda quinquaginta millia hominum ſub Zorobabel duce eorum, & Jeſu filio Joſedech ſacerdote: adhortantibus eos Zacharia propheta nato in Chaldæa, & Aggæo juvene nondum propheta. Et de his aſcendentibus fuerunt primi de tribu Juda: poſtea de tribu Benjamin & Levitæ, & erant quadraginta duo millia quadringenti ſexaginta de Judæis. Cæteri erant homines promiſcui ſervi & ancillæ. Et ipſi conſtructo altari in Jeruſalem fundamenta jecerunt, cumque à vicinis gentibus impedirentur, opus ipſum usque ad Darium Hyſtaſpis filium manſit imperfectum. Amyntas nonus rex Macedonum cœpit regnare, & regnavit annis L. Cùm Cyrus maritimas urbes Græciæ occuparet, & Phocenſes ab eo fugati fugerant, venerunt navibus ad fines Galliæ, & Maſſiliam civitatem condiderunt, ut dicit Iſidorus, (*lib.* 15. *cap.* 1.) ſed Euſebius dicit aliter, ut ſupra dictum eſt: vel fortè ſunt diverſæ civitates ejusdem nominis. Poſtquam Cyrus multas gentes ſuo ſubegit imperio, & Deum, prout Iſaias prophetaverat, non cognovit, Scythis bellum intulit: & cum filium Thomyris reginæ Maſſagetarum cum tertia parte copiarum ſuarum aſtu occidiſſet, illa econtra diffidentiam cladis illatæ ſimulans deſperatione paulatim decedendo Cyrum in inſidias provocat: ibique inter montes compoſitis inſidiis, ducenta millia Perſarum, cum ipſo rege delevit, adjecta ſuper omnia annunciatione, quòd ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuit. Regina verò caput Cyri amputans, atque in utrem humano ſanguine plenum projiciens ait: Satia te ſanguine quem ſitiiſti: cujus per annos XXX. inſatiabilis perſeveraſti. Iſtis temporibus claruit Pythagoras Philoſophus, qui fugiens tyrannidem de inſula Samo venit in Italiam, & habitavit in Tarento, & ab eo nomen Philoſophorum primò habuit exordium. Nam cum antè Græci veteres Sophiſtas, id eſt, ſapientes, ut doctores ſapientiæ, ſemetipſos jactantius nominarent, iſte interrogatus, quid ſe profiteretur, verecundo nomine Philoſophum, id eſt, amatorem ſapientiæ ſe eſſe reſpondit, quoniam ſapientem profiteri arrogantiſſimum ei videbatur, ita deinceps poſteris placuit, ut quantalibet de rebus, ad ſapientiam pertinentibus, doctrina quisque vel ſibi, vel aliis videretur excellere, non niſi Philoſophus vocaretur. Iſte Pythagoras à quibusdam originem traxiſſe à Judæis, & ex hoc multa ſuæ doctrinæ fundamenta traxiſſe creditur, ut teſtatur Ambroſius, in epiſtola ad Irenæum. Et Auguſtinus VIII. de civitate Dei (*cap.* 2.) refert: Duo fuiſſe Philoſophorum genera: unum Italicum, ex parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, cujus auctor fuit Pythagoras: alterum Jonicum in eis terris, ubi nunc Græcia nominatur, cujus auctor erat Thales Mileſius: huic ſucceſſit Anaximander, cui Anaximenes, cujus adjutor factus Anaxagoras, ſimiliter & Diogenes. Anaxagoræ ſucceſſit Archelaus: hujus diſcipulus Socrates fuiſſe perhibetur, qui fuit magiſter Platonis. Iſti Philoſophi diviſi fuerunt in diverſas ſectas, & quidam eorum traxerunt nomina ab auctoribus ſuis: quidam à conventiculorum locis. Platonici dicti ſunt à Platone auctore eorum. Iſti animarum creatorem Deum, corporum angelos aſſerunt: per multos annorum circulos in diverſa corpora redire dicunt animas: quam opinionem etiam Pythagoras tenuit, quia dicit animam Euphorbi, qui in bello Trojano fuit occiſus, & de futuris vaticinari ſolitus erat, ut de eo in hiſtoria Trojani belli recitatur, in ſe intraſſe, prout refert Ovidius XV. Metamorph. Stoici dicti ſunt à loco, ſcilicet porticu, quæ erat Athenis: in qua depicta erant geſta ſapientum, atque virorum fortium hiſtoriæ, quoniam στοὰ Græcè porticus latinè dicitur. Hanc ſectam Zeno primus inſtituit: iſti animam cum corpore perire dicunt: dixerunt etiam non ſtultum, ſed ſapientem triſtem eſſe non poſſe. Academici à villa Platonis, ubi idem Plato docuit, dicti ſunt. Hi inter cætera opinantur, ſicut fatendum eſt, multa incerta & occulta eſſe, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere, ſic tamen

pluri-

Digitized by Google

plurima eſſe, quæ poſſunt & ſenſu capi, & ratione comprehendi. Hanc ſectam Arceſilaus, ſeu Archelaus, Cyrenaicus Philoſophus reperit, cujus ſectator fuit Democritus, qui dixit tanquam in puteo alto, ita ut fundus nullus ſit, ſic ita in occulto jacere veritatem. Peripatetici à deambulatione dicti ſunt, eò quòd Ariſtoteles auctor eorum deambulans diſputare ſolitus eſſet. Hi dicunt quandam particulam animæ eſſe æternam de reliquo ex magna parte mortalem. Cynici ab immunditia impudicitiæ dicti ſunt. Nam contra humanam verecundiam in propatulo coire cum conjugibus ſuis eis mos erat, cenſentes licitum honeſtumque eſſe palàm cum uxore concumbere, quia conjugium juſtum eſt. Unde de canibus, quorum vitam imitabantur, nomen traxerunt. Nam κύων Græcè, canis Latine dicitur. De ipſis Cynicis dicit Auguſtinus XIV. de civitate Dei: (*cap. 19.*) Genitales corporis partes ita libido ſuo juri quodammodo mancipavit, ut moveri non valeant, ſi ipſa defuerit, & niſi ipſa, vel ultro vel excitata ſurrexerit. Hoc eſt quod pudet, hoc eſt quod intuentium oculos erubeſcendo devitat: magisque fert homo ſpectantium multitudinem, quando injuſtè iraſcitur homini, quàm unius aſpectum, quando juſte miſcetur uxori. Hoc illi canini Philoſophi, hoc eſt Cynici, non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud quam caninam, hoc eſt immundam impudentemque ſententiam: ut ſcilicet, quoniam juſtum eſt, quod fit in uxore, palàm non pudeat id agere: nec in vico, nec in platea qualibet conjugalem concubitum devitare. Vicit tamen pudor naturalis opinionem hujus erroris. Nam etſi perhibent hoc aliquando gloriabundum feciſſe Diogenem, ita putantem ſectam ſuam nobiliorem futuram, ſi in hominum memoriam inſignior ejus impudentia figeretur: poſtea tamen à Cynicis fieri ceſſatum eſt: plusque valuit pudor, ut erubeſcerent homines hominibus, quàm error, ut homines canibus ſimiles eſſe affectarent. Unde & illum vel illos, qui hoc feciſſe referuntur, potius arbitror concumbentium motus dediſſe oculis hominum neſcientium quid ſub pallio gereretur, quàm humano premente conſpectu potuiſſe illam peragi voluptatem. Hæc Auguſtinus. Epicuræi dicti ſunt ab Epicuro quodam Philoſopho amatore vanitatis, & non ſapientiæ: quem etiam Philoſophi porcum vocaverunt, qui voluptatem corporis ſummum bonum aſſerens nulla divina providentia inſtructum eſſe, aut regi mundum, ſed ex atomis compoſitum. Gymnoſophiſtæ per Indiæ ſolitudines perhibentur philoſophari, adhibentes tantùm genitalibus tegumenta: qui Phyſici olim dicebantur, quia de naturis rerum tractabant, & etiam Theologi appellabantur, eò quod in ſcripturis ſuis de Deo dixerunt, quorum varia fuit opinio, quid Deus eſſet dum quærerent. Quidam enim corporeo ſenſu hunc mundum viſibilem ex quatuor elementis Deum eſſe dixerunt: ut Dionyſius Stoicus. Alii verò ſpiritualiter intellexerunt mentem eſſe Deum: ut Thales Mileſius. Quidam animum in omnibus commanentem & lucidum, ut Pythagoras, & ita crediſſe Varronem doctiſſimum Romanorum dicit Auguſtinus de civitate Dei lib. VII. (*cap. 6.*) Et inde in libro Catonis dicitur:

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt.

Contra quos Auguſtinus IV. de civitate Dei (*c. 12.*) ſic dicit: Si mundi animus eſt Deus, eique animo mundus ut corpus eſt, ut ſit unum animal conſtans ex animo & corpore. Et quamvis ſupradictorum Philoſophorum multi unum ſummum Deum eſſe confiterentur, tamen ne omnia neceſſitate fieri concedere viderentur præſcientiam Dei negabant. Unde Auguſtin. V. de civitate Dei (*cap. 9.*) dicit: Quoquomodo ſe habeant tortuoſiſſimæ concertationes & diſputationes Philoſophorum, nos ut confitemur ſummum & verum Deum, ita voluntatem ſummamque poteſtatem ac præſcientiam ejus confitemur. Nec timemus ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt. Quod Cicero timuit, ut oppugnaret præſcientiam: & Stoici, ut non omnia neceſſitate fieri dicerent, quamvis omnia fato fieri contenderent. Quid eſt ergo quod Cicero timuit in præſcientia futurorum, ut eam labefactare diſputatione deteſtabili niteretur? Videlicet quia ſi præſcita ſunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura eſſe præſcita ſunt. Et ſi hoc ordine venient, certus eſt ordo rerum præſcienti Deo: & ſi certus eſt ordo rerum, certus eſt ordo cauſſarum. Non enim aliquid fieri poteſt quod non aliqua efficiens cauſſa præceſſerit. Si autem certus eſt ordo cauſſarum,

rum, quo fit omne quod fit: fato, inquit, fiunt omnia quæ fiunt. Quod ſi ita eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullumque eſt arbitrium voluntatis. Quod ſi concedimus, inquit, omnis humana vita ſubvertitur: fruſtra leges dantur: fruſtra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur: neque ulla juſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt, &c. Nos adverſus iſtos ſacrilegos auſus atque impios, & Deum dicimus omnia ſcire, antequam fiant: & voluntate nos facere, quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus & novimus. Et infra: Non eſt autem conſequens, ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſſarum, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, ejuſque præſcientia continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſſæ ſunt. Atque ita qui omnes rerum cauſſas præſcivit, profectò in eis cauſſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſſas eſſe præſcivit. Iſtis temporibus apud Romanos regnabat Tarquinius Superbus ſeptimus rex Romanorum. Iſte excogitavit diverſa genera tormentorum, & propter nimiam crudelitatem, quam in populum Romanum exercuit, expulſus eſt ab urbe, anno regni ſui XXXV. Cùm enim Ardeam oppugnaret XIIX. milliaria ab urbe poſitam, filius ejus Sextus Tarquinius nocte armatus de caſtris egrediens Romam ingreſſus eſt, & nobilem Lucretiam, Lucretii nobilis Romani filiam, Tarquinii Collatini uxorem, per vim ſtupravit: quæ mox maritum & patrem, cum aliis amicis de caſtris vocans, vim quam perpeſſa eſt, pudibunda flendo conqueſta eſt. Quibus eam conſolantibus, nec hoc, quod per vim paſſa erat, pro crimine ducentibus, ipſa ait: nulla impudica exin Lucretiæ ſe defendet exemplo: & ferrum quod ſub veſte cælabat, ſubitò viſceribus immerſit. Unde populus Romanus commotus Ardeam, quam obſederat cum rege, relinquens Romam rediit, ipſumque Tarquinium regem venientem portis obſeratis excluſit. Et poſt hoc ipſe Tarquinius cum plurima bella populo Romano intuliſſet, tandem inter duos pontes à populo ligno percuſſus interiit. Sed Auguſtinus in III. de civitate Dei *(cap. 15.)* dicit, quòd iſte Tarquinius fundaverit Capitolium, & poſtquam à ſuis derelictus regnum recuperare non valuit, in opido Tuſculo quatuordecim annis quietus cum uxore ſua ſenuerit. De Lucretia verò I. de civitate Dei ſic dicit: Lucretia quòd ſeipſam quando adulterium pertulit, etiam non adulterata occidit, non eſt pudentiæ caritas, ſed pudoris infirmitas. Puduit eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ, etiamſi non ſecum: & Romana mulier laudis avida nimium verita eſt, ne putaretur, quod violenter eſt paſſa cum viveret, libenter paſſa ſi viveret. Poſtquam igitur Tarquinius excluſus eſt ab urbe, ceſſaverunt reges apud Romanos ab exordio ejus anno CCXLIII. & interim regnum Romanorum vix intra XX. milliaria ab urbe dilatatum eſt. Deinde novem annis ſine conſulibus, ſed ſub tribunis populus Romanus vixit: poſt quos ſingulis annis bini & bini rempublicam gubernantes, electi conſules ſunt appellati. Qui ordo uſque ad Auguſtum obtinuit privilegium per viros nongentos ſedecim, per quadringentos quinquaginta octo annos. Primi Coſſ. fuerunt Brutus & Collatinus. Conſules appellati ſunt à conſulendo civibus, vel à regendo cuncta conſilio: quos tamen ideo mutandos per annos ſingulos elegerunt, ut nec inſolens diu maneret, & moderatior citò ſuccederet. Inde autem duo pares, quia unus rem civilem, alter rem militarem adminiſtrabat. Sed Proconſules erant ſubjecti conſulibus: & dicti ſunt proconſules, eo quod vice conſulis fungebantur, ut teſtatur Iſidorus (*Lib. 9. c. 3.*) Sed quidam neſcientes originis hujus nominis rationem, & præ aliis videri volentes introduxerunt abuſivam ſignificationem hujus nominis Proconſul: aſſerentes illos dictos proconſules, qui conſulibus præſunt: qui antiquitus magiſtri civium ſeu Burgenſium, prout adhuc in vulgari nominantur, dicebantur. Exconſules autem dicti ſunt, qui jam à conſulatu exierunt ſive diſceſſerunt, peracto vicis ſuæ anno. Et hinc eſt quod, eodem tempore, videlicet poſt exactos reges nova dignitas Romæ creata eſt, quæ dictatura dicebatur, & erat major quàm conſulatus: & primus Dictator erat M. Valerius. Iſtis temporibus Pherecydes hiſtoricus clarus habetur.

Caput IV.

Cambyſes ſecundus rex Perſarum regnavit annis octo, & ab Eſdra vocatur Artaxerxes & Aſſuerus: non tamen eſt ille Aſſuerus, qui copulavit ſibi Eſther in uxorem.

In Judith

In Judith vero hiſtoria iſte Cambyſes vocatur Nabuchodonoſor. Huic Cambyſi pater ejus Cyrus conceſſerat, dum adhuc vixit, Niniven civitatem & regnum Aſſyriorum. Poſt mortem verò Cyri, quidam Arphaxat Medus ſurrexit in Ecbatanis civitate Medorum, & reformavit eam, & munivit eam inexpugnabiliter, quaſdam partes Mediæ ſibi concilians, ut tandem toti Mediæ imperaret. Nabuchodonoſor igitur, qui & Cambyſes anno XII. regni ſui videl. Aſſyriorum obtinuit Arphaxat in campo. Cumque poſt mortem Cyri patris ſui jam regnum Perſarum Cambyſes erat conſecutus, & hac obtenta victoria ipſe in tantam ſuperbiam eſt elevatus, ut non ſolum regem ſe diceret, ſed etiam Deum ſe appellaret. Et tandem à provinciis ſibi ſubjectis magis tributum, quàm pater ejus receperat, cœpit exigere: quare provinciales ſinguli contradicebant ei. Unde ipſe iratus, miſit Holofernem principem militiæ cum exercitu magno contra omnes provincias illas: qui cum omnia ubique vaſtaret, venit ad partes Judææ, & venit ad eum Judith vidua, mulier pulcerrima & caſta, quæ, ut quidam dicunt, ex parte patris erat orta ex tribu Ruben, & ex parte matris de tribu Simeon: & tribus annis in viduitate jam vixerat. Cujus pulchritudine Holofernes captus, invitabat eam ad convivium, & dum nocte ſecum concumbere nititur, ipſe nimio vino caleſcens obdormivit, & ſomno depreſſus à Judith capite truncatur, & ipſa caput ejus, Abra ſua ſecum comitante ad portas Bethuliæ, qua habitare ſolita erat, deportavit: quod cernentes Judæi qui Bethuliæ habitabant, convocatis ex urbibus vicinis fratribus ſuis contra Aſſyrios procedunt ad bellum, & mane facto facientes impetum contra exercitum Holofernis, ipſos Aſſyrios ducem ſuum ſine capite reperientes & conturbatos, fugere compulerunt, & perſecuti ſunt eos uſque ad terminos finium ſuorum, & intra 30. dies vix poterant colligere ſpolia eorum. Et poſt hoc Judith in viduitate permanens anno vitæ ſuæ centeſimo quinto in Bethulia civitate ſua mortua eſt. Cambyſes ſive Nabuchodonoſor deinde ingreſſus eſt Ægyptum, & vaſtans eam ædificavit Babylonem in Ægypto, & poſtquam reverſus eſt Damaſcum anno regni ſui Perſici octavo mortuus eſt. Iſtis temporibus habitabant apud Judæos Aggæus, Zacharias & Malachias.

Poſt mortem Cambyſis, cum filium non haberet, unus de ſeptem ducibus Perſarum, qui ſolebant judicare regnum, & Magi, à ſapientia dicebantur, Ereneides nomine, Pantapten filiam Cambyſis duxit in uxorem, non quaſi regnaturus, ſed quaſi conſervaturus regnum fratri Cambyſis, qui juvenis erat, abſens, & Nitingis vocabatur. Alii dicunt, quòd Cambyſes occidit Nitingin fratrem ſuum occultè, conſcio ſibi ſolo Ereneide, quare poſt mortem Cambyſis Ereneides ſic regnum uſurpare ſibi intendit: ſed poſtquam regnabat menſibus ſeptem, infirmatur, & cum ſenſit ſe moriturum produxit fratrem proprium, juvenem elegantis formæ, aſſerens illum eſſe fratrem Cambyſis, quia omnino ei ſimilis erat, & relicto illi regno mortuus eſt: ſed iſte auribus caruit, quoniam Cambyſes eas ſibi amputaverat, quia peccaverat in eum. Unde unus de ſeptem ducibus prædictis habens iſtum ſuſpectum, quod ipſe verè frater Cambyſis non eſſet, ſed magis Ereneidis, mandavit filiæ ſuæ, quam habuit inter concubinas regias ut veritatem ſuper hoc experiretur: quæ de nocte, eo dormiente veritatem agnoſcens, patri quod experta fuerat, indicavit. Quapropter duces prædicti convenientes eum occiderunt, & unum ex ſe regem eligere ſtatuerunt, qui filiam Cambyſis duceret uxorem. Unde ſtatuerunt certum diem, quo ante fores palatii diluculo convenirent, & cujus equus ibidem primo hinnitum faceret, ille rex efficeretur. Darius igitur Hyſtaſpis filius, unus ex eis, dixit magiſtro equorum ſuorum, ut nocte præcedente equam in loco illo, quo conventuri erant ipſi duces, equo ſuo ſupponeret, quod & factum eſt. Venientibus igitur ipſis ad locum juxta condictum, equus Darii ad ipſius equæ memoriam ſtatim hinnitum dedit, & ſic Darius rex factus eſt.

Caput V.

Darius igitur regnavit annis XXXVI. Huic Dario Zorobabel multum familiaris erat: de quo in tantum confiſus eſt, quod ipſe iterum cæpit templum Jeroſolymis ædificare, ſed principes provinciarum prohibebant eum, & Zacharias & Aggæus in contrarium adhortati ſunt populum ut ædificarent, aſſerentes Deum eis iratum, quod templum non reædificarent, & ſignum hujus eſſe dixerunt, quod multum ſeminaverunt,

verunt, & parum intulerunt. Placuit igitur tam principibus provinciarum, quam Zorobabel, ut res ad Darium referretur. Profectus eſt igitur Zorobabel cum nunciis principum, & honoratus eſt à rege ſic, quod ipſe cum duobus cubiculariis ipſius in cubiculo dormiebat. Rex verò noctem ducens inſomnem, propoſuit quæſtionem iſtis tribus, videlicet, quod eſt fortius inter hæc tria, Rex, vinum, vel mulier, & adjecit rex, quod quicunque prudentius ſolveret quæſtionem, hic honorandus eſſet à rege muneribus. Quilibet igitur horum trium unam partem defendere nitebatur, & Zorobabel mulierem dixit eſſe fortiorem, & hoc multis rationibus oſtendere conatus eſt. Tandem adjecit, quod ſuper omnia hæc eſſet veritas, quod multis rationibus oſtendit: quare præ cæteris à rege & principibus commendatus eſt, & rex dixit ad eum, quod ipſe peteret ab eo, quodcunque vellet, & petivit Zorobabel, quod liceret ei reædificare templum, & rex conceſſit ei, & mandavit principibus provinciarum, quod eſſent ei adjutorio in ædificando. Anno igitur ſeptimo Darii, qui erat quadrageſimus ſextus regni Perſarum, ſecundum quod in Evangelio legitur, videlicet, quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum, hoc eſt à prima licentia, quam dederat Cyrus, redeundi & reædificandi templum uſque ad ſeptimum annum Darii, quo completum eſt, & tot anni tranſierunt, & conſummaverunt templum, & celebraverunt dedicationem ejus XXIII. die menſis duodecimi. Quomodo autem & quando arcam receperunt incertum eſt: dicit enim Epiphanius, eam de latibulo petræ non egreſſuram ante diem judicii, prout ſuperius dictum eſt: quare veriſimile eſt, quod fecerunt aliam ſimilem priori, ſi tamen poſtea arcam habuerunt. Apud Macedonas regnat Alexander annis XLIII. Eo tempore Democritus philoſophus & Heraclitus cognomento tenebroſus, ac Anaxagoras Phyſicus clarent. Anno Darii XXIV. Pythagoras moritur. Anno XXX. ejuſdem Ægyptus recedit ab eo. Xerxes filius Darii regnavit annis XX. Iſte recuperavit Ægyptum, quæ à patre ſuo receſſerat, & Græciam vaſtavit & multa bella peregit. Anno enim regni ſui ſecundo recuperavit Ægyptum, & quinto anno venit Athenas, & incendit civitatem. Legitur de iſto Xerxe, quod dum Græciam vaſtare diſponeret, habuit ſeptingenta millia armatorum de regno, & ducenta millia de auxiliis. Habuit item roſtratas naves mille ducentas, onerarias tria millia: ut meritò inopinato exercitui immenſæque claſſi vix ad potum flumina, vix ad ingreſſum terras, vix ad curſum maria ſuffeciſſe memoratum ſit: Attamen Leonidas rex Spartanorum in anguſtis locis ei obſtitit: deinde ab Athenienſibus navali prælio ſuperatus eſt, & domum reverſus ſuis contemtibilis factus, ab Artabano præfecto ſuo occiſus eſt, qui regnavit poſt eum menſibus ſeptem. Et tunc Socrates natus eſt Thebis, & Zeuxis pictor agnoſcitur.

CAPUT VI.

Artaxerxes, qui & Longimanus dictus eſt, regnavit annis XL. Sub iſto Eſdras ſcriba, natus de ſtirpe Aaron, legem à Chaldæis incenſam, per inſtinctum Spiritus ſancti innovavit, & ipſe ab hoc rege licentiam obtinuit redeundi Jeruſalem ad docendum legem, quam renovavit. Et dicunt quidam, quòd Eſdras primò tradidit Judæis modum ſcribendi à dextris ad ſiniſtram, cum prius ad modum arantium ſcriberent, unde & exarare ſcribere dicitur. Hoc tempore Pherecydes ſecundus hiſtoriarum ſcriptor agnoſcitur. Apud Macedonas regnat Perdiccas annis XXVIII. Anno hujus Artaxerxis viceſimo, Nehemias exiſtens pincerna ejus & unus de filiis captivitatis obtinuit gratiam ab eo reædificandi muros Jeruſalem: quia quadam vice ipſe Nehemias exiſtens in caſtro Suſis in Perſide, audivit ibidem quoſdam peregrinos Hebraicè loquentes, interrogavit eos de ſtatu terræ Juda, qui dixerunt ei, urbem Jeruſalem eſſe ſine muris, & de nocte intrare latrunculos, qui plateas civitatis cadaveribus mortuorum ſæpe contaminarent. Nehemias motus his verbis petivit à rege licentiam reædificandi muros, & obtinuit, & veniens Jeruſalem ædificavit murum in duobus annis & menſibus quatuor, in magna tamen anguſtia: quia ædificantes una manu ædificabant, alia manu gladios tenebant propter continuum incurſum gentium vicinarum, quæ opus ipſum impedire cupiebant. Et muro completo Nehemias reverſus eſt ad regem: & interim Eſdras mortuus eſt. Poſt hoc iterum licentia regis Nehemias rediit in Jeruſalem, & invenit quoſdam de ſacerdotibus calcantes torcularia in ſabbato, & inferentes vinum & uvas, & omne onus in Jeruſalem: gentes quoque inferebant piſces, & vendebant

Digitized by Google

vendebant filiis Juda: ſed Nehemias increpabat eos, & prohibuit gentes intrare civitatem cum venalibus ſabbato: alioqui dixit, ſe miſſurum manus in eos, quia ipſe habebatur inſignis, tanquam dux miſſus à latere regis. Poſtquam verò Judæi reverſi in Jeruſalem multiplicari cœperunt, diviſi ſunt in hæreſes ſeu ſectas: quidam eorum dicti ſunt Phariſæi, id eſt diviſi: eò quòd certis traditionibus & obſervationibus inhærentes ab aliis diviſi eſſent. Alii dicti ſunt Sadducæi, qui interpretantur juſti, quod nomen ſibi jactanter vendicabant. Hi reſurrectionem negabant: animam cum corpore interire prædicabant, & quinque libros Moyſis tantum receptis, prophetarum vaticinia reſpuebant. Alii dicti ſunt Eſſæi, qui dicunt illum eſſe Chriſtum, qui docuit illos omnem abſtinentiam. Alii Morbonæi vocati ſunt, qui dicunt illum eſſe Chriſtum, qui docuit eos in omni re ſabbatizare. Geniſtæi fuerunt, qui gloriantur ſe de genere Abrahæ eſſe, eo quod progenitores eorum in transmigratione Babylonis tantum mulieribus ſui generis ſe miſcuerunt, cæteris mulieribus Babylonicis adhærentibus. Iſtis temporibus Romæ Porphyria virgo veſtalis accuſata de ſtupro viva defoſſa eſt. Apud Macedonas regnat Archelaus annis XXIV. Anno hujus Artaxerxis XII. Appius Claudius cujusdam civis Romani, qui dicebatur Virginius, filiam jam Attilio cuidam de plebe deſponſatam, propter pulcritudinem tentat violare: & cum eam precio allicere non valuit, uni de clientibus ſuis mandavit, ut eam tanquam ſervituti obnoxiam publicè apprehenderet, maximè cùm pater virginis tunc extra urbem in exercitu Romano exiſtebat in caſtris. Cumque virgo ad ludorum ſpectacula venit ad forum, ille eam tanquam domini ſui ancillam apprehendere tentat: ſed populus clamore nutricis ejus excitatus accurrit, ita ut ille miniſter injuriæ eam vi abſtrahere non auderet: quapropter ille idem puellam vocat in judicium, Appio pro tribunali ſedente. Cumque proponeret puellam in domo Appii fuiſſe natam, ipſamq; inde in domum Virginii furto fuiſſe translatam, & ſe id probaturum offerret, & ex adverſo pro parte puellæ foret allegatum, ut res ipſa ad patris puellæ differretur adventum, qui in poſſeſſione libertatis filiæ ſuæ exiſteret, Appius iniquam dedit ſententiam, videlicet, quod iſte, qui virginem impetiit, eſſet audiendus, non obſtantibus propoſitis ex adverſo. Cumque tumultus oriretur in populo, maximè ad inſtinctum Icilii ſponſi puellæ, tandem Appius decrevit rem differre in craſtinum, ut pater puellæ adveniret: ſed interim puella remaneret apud illum, qui eam ſuper ſervitute impetiit: tamen cùm Icilius plurima verba contra Appium commotus ira effunderet, Appius puellam miſit in domum patris reducendam, ſic tamen quòd ſequenti die iterum ſuis tribunalibus ſiſteretur; Quo facto Appius ſecrete mittit ad collegas ſuos in caſtra, ſcribens eis ne Virginio commeatum dent, atque ipſum etiam in cuſtodia habeant. Sed quia præventus erat per nuncios Icilii, pater puellæ venit, & filiam cum aliquot matronis, & cum multis amicis ſuis deducit ad forum, & inde poſt multas allegationes ab utraque parte propoſitas, Appius obſtinata mente cœcatus virginem decernit per ipſum impetitorem apprehendendam, pater itaque puellæ arrepto cultro, ait ad filiam: Hoc te uno, quo poſſum, modo filiam in libertam vindico, pectusque puellæ transfigit, reſpectans deinde ad tribunal, te inquit, Appi, tuumque caput hoc ſanguine ſacro: & ſtatim tantus populi tumultus eſt ortus, ut ſeditio populi in ſenatum tumeſceret: donec Decemviri magiſtratus inſignia depoſuerunt coacti, & iterum Tribuni plebis inſtituti ſunt: qui plebem in libertate conſervarent. Eodem anno Romani miſerunt legatos Athenas, petentes leges ab Athenienſibus, quæ apud eos ſervabantur: quæ eis traditæ ſunt & ex illis duodecim Tabulæ conſcriptæ ſunt. Iſtis temporibus Democritus, Empedocles & Hippocrates medicus, Hippias & Zeno & Parmenides philoſophi inſignes habentur: & ultimo anno hujus Artaxerxis Plato naſcitur.

Xerxes II. regnat apud Perſas menſibus duobus. Deinde regnat Sogdianus menſibus ſeptem: cui ſuccedit Darius cognomento Nothus, & regnat annis XIX. Cujus anno XVII. apud Macedonas regnavit Oreſtes annis tribus, poſt quem Archelaus regnat annis IV. Et eo tempore Dionyſius exercet tyrannidem in Sicilia.

CAPUT VII.

ARtaxerxes, qui à Judæis dictus eſt Aſſuerus, regnat apud Perſas annis XL. Hujus anno quarto regnat apud Macedones Amyntas annis ſex. Hoc tempore Socrates, falſo

falſo criminis accuſatus, ex adverſantium ſibi invidia, ab Athenienſibus morte damnatus venenum bibit, unde & mortuus eſt: ſed comperta innocentia mortis ejus, unus accuſatorum vi populi preſſus interiit: alter exilio perpetuo damnatus eſt. Socrates multos diſcipulos reliquit, quorum diſputatio quid ſummum bonum eſſet potiſſimè fuit. Finis autem boni appellatur, quo quisque cum pervenerit, beatus eſt, ſicut dicit Auguſtinus lib. octavo de C. Dei (*cap. 3.*) Inter diſcipulos Socratis non quidem immeritò excellentiſſima gloria claruit, qui omnino cæteros obſcuraret, Plato. Hujus Socratis ſectator fuit Apulejus, qui fecit librum quendam, quem intitulavit de deo Socratis: quem librum magis nominaſſet de dæmone Socratis, ſi de nomine non erubuiſſet, ut dicit Auguſtinus (*cap. 14.*) Scribit enim in eodem libro: non Deum illum fuiſſe, ſed dæmonem, videl. quoddam numen, ipſi Socrati amicitia conjunctum, & ſæpius ipſum Socratem commonuiſſe, ut ab agendo deſiſteret, quando id, quod agere volebat non proſperè foret eventurum, ſicut dicit Auguſtinus ſupra: ubi fortè homini ab illa arte faciendi deos alieno, & innocenti illi imputaverunt talem Deum, qui eadem arte excellere voluerunt. Iſte Socrates legitur aurum projeciſſe ad mare, ne divitiis occupatus in ſtudio philoſopiæ impediretur. Iſte Apulejus, de quo dictum eſt, in libro ſuo prædicto, dicit Dæmones iiſdem, quibus homines, animi perturbationibus agitari, irritari injuriis, obſequiis donisq; placari, gaudere honoribus, diverſorum ſacrorum ritibus delectari, divinationes augurum, aruſpicum, vatum, atque ſomniorum ad eos pertinere, & ab eis eſſe miracula magorum. Et dicit in eodem, Dæmones ſunt animalia genere, mente rationalia, animo paſſiva, corpore aëria, tempore æterna. Hujus Artaxerxis temporibus Diogenes Cynicus, de quo dictum eſt, agnoſcitur. Et his temporibus Athenienſes XXIV. literis uti cæperunt, cum antea XVI. tantum habuerint. Anno ejus XII. Atreus cœpit regnare apud Macedonas, & regnavit annis duobus, poſtquam regnavit Amyntas XVIII. Artaxerxes anno regni ſui XIII. præcepit per legatos univerſam Græciam ab armis diſcedere, & quieſcere in pace. Iſtis temporibus Plato philoſophus agnoſcitur. Hic peregrinatus in Ægyptum didicit ibi quæcunque ibi magna docebantur. Deinde in Italiam ubi Pythagoricam doctrinam comprehendit, & ſic jungendo Socraticam doctrinam atque Pythagoricam, philoſophiam in tres partes diſtinxit, videlicet in Moralem, quæ maximè in actione verſatur, qua Socrates excellebat: In Naturalem, qua Pythagoras viguit, & quæ contemplationi deputata eſt: Et in Rationalem, qua verum à falſo determinatur. Unde dicit Hieronymus in regula ad Euſtachiam virginem: Verè non ſine labore didiciſti tuam ſcientiam fatuam plurimo, quoniam mundus retinere non poterat mundi ſapientiam, inſequentem per diverſarum nationum & gentium regionumque partes infinitis ærumnis innumeriſque peragrando laboribus, nec tamen fatuiſſime ſcientiæ finem, qui eſt ſummum & optimum bonum, ad quod te naturæ movebat intentio, in orbe univerſo reperire ſciviſti, quem ſancti hi ruſtici hanc fugientes invenere in eremis latitantes. Et in illa peregrinatione Plato creditur vidiſſe libros divinos, prout refert Auguſt. VIII. de C. D. ſed illi libri nondum erant eo tempore in aliam linguam tranſlati: & ergo, ſi quid de libris illis ei conſtabat, per interpretem ſcire potuit: & qui hoc credunt de eo, moventur ex eo, quòd librum Timæum, quem fecit de conſtitutione mundi, quaſi ſimili modo incipit cum libro Geneſis. Sicut enim in principio Geneſis dicitur: In principio fecit Deus cœlum & terram: ita ipſe in principio libri ſui prædicti ponit Deum in conſtitutione mundi conjunxiſſe terram & ignem, intelligens cœli locum per ignem: & ponit duo media, quibus hæc extrema Deus copulaverit, videlicet aquam & aërem: unde putatur hoc intellexiſſe ex eo, quod ſcriptum eſt: ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquam. Parum quippe attendens quo more ſoleat illa ſcriptura appellare ſpiritum Dei, quoniam & aër ſpiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri poteſt. Quod autem Plato hos libros divinos viderit, ſeu eorum expers non fuerit, movet B. Auguſtinum VIII. de C. D. (*cap. 11.*) illud, quod Plato dicit, Deum incommutabilem talem eſſe, quod in ejus comparatione, qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea quæ mutabilia facta ſunt, quaſi non ſint, maximè concordat cum his verbis libri Exodi: Ego ſum qui ſum, & dices filiis Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos; quæ verba Auguſtinus credit nuſquam alibi fuiſſe ante tempora Platonis, quam in hoc libro ſcripta. Et ego ſimiliter credo, ſectatores Pla-

Digitized by Google

Platonis, viſis libris novi teſtamenti, aliqua de illis, quibus Platonem ſupra doctores novi teſtamenti extollerent, ſumſiſſe. Dicit enim beatus Auguſtinus VII. lib. confeſſionum, (*cap.* 9.) quoſdam libros Platonicorum ex Græco in latinum verſos ſe vidiſſe, in quibus legerit, non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus perſuaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: In eo vita eſt, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamvis teſtimonium perhibeat de lumine, non tamen eſt ipſa lumen, ſed verbum DEI DEUS eſt, verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognovit: quia verò in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomen ejus, dicit Auguſtinus in illis libris ſe non legiſſe. Et ſubdit: Item ibi legi: quia DEUS verbum non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex DEO natus eſt. Sed quia verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, dicit Auguſtinus ibi non legi. Et ſubjungit: Indagavi in illis literis variè dictum, & multis modis, quòd ſit filius in forma patris, non rapinam arbitratus eſſe æqualem Deo, quia naturaliter idipſum eſt: ſed quod ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſe factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus eum exaltavit à mortuis, & donavit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei patris, non habent illi libri. Et poſt multa ſubdit Auguſtinus: Domine dixiſti Athenienſibus per Apoſtolum tuum, quod in te vivimus & movemur & ſumus, ſicut & quidam ſecundum eos dixerunt; & utique inde erant illi libri. Hæc Auguſtinus. Unde ex fine hujus dicti videtur Auguſtinus fidem adhibere ei, quod ſupra dictum eſt, utque à Platonicis dicta fuerunt. Similiter & Origenes homilia XIV. in Geneſin dicit, quod quidam Philoſophi dixerunt, quòd Deus cuncta per verbum ſuum & fecerit & regat: & verbum Dei ſit, quo cuncta moderentur, & de illis ſuperius in principio libri dictum eſt. Anno XXXII. Artaxerxis Alexander cœpit regnare apud Macedones, & regnavit anno uno, & poſt eum regnavit Ptolomæus annis quatuor: poſt quem Perdiccas ſex annis. Anno Artaxerxis hujus XXXVIII. Dionyſius rex Siciliæ moritur, poſt quem junior Dionyſius regnum invadit. Sub quo Artaxerxe hiſtoria Eſther conſcripta eſt. Hic enim Artaxerxes, qui & Aſſuerus, tertio anno regni ſui, fecit grande convivium cunctis principibus & judicibus Perſarum, & præcepit reginæ Vaſthi, ut veniret in convivium, quæ venire contemſit: quare rex de conſilio principum decrevit, quòd Vaſthi regina non amplius ingrederetur ad regem, ſed ipſe puellam, quæ inter omnes regni ſui provincias ſibi placeret, aſſumeret in uxorem, & per univerſum regnum, quod extendebatur ab India uſque ad Æthiopiam, centum viginti continens provincias, decretum miſit, quòd viri in domibus ſuis eſſent domini, & uxores deberent eſſe ſubditæ viris ſuis. Adductæ ſunt igitur puellæ pulcritudine præcellentes de diverſis provinciis in civitatem Suſis, in qua tunc ſedes regia fuit. Mardochæus autem Judæus habitans in Suſis, habuit in domo ſua filiam fratris ſui defuncti, puellam miræ pulcritudinis, quæ Ediſſa ſive Eſther dicta fuit, & illam inter alias puellas tradidit regi præſentandam, & ipſa præ omnibus aliis regi placuit, & ipſe recepit eam ſibi in uxorem, nec ipſa regi genus ſuum, prout à Mardochæo docta fuerat, indicavit. Poſt hoc exaltavit rex quendam Amalechitam, nomine Aman, ſupra omnes principes regni, cui ſubditi regis genu flexo reverentiam exhibebant, præter Mardochæum, qui hoc lege prohibente cenſuit ſibi non licere: quod Aman conſiderans, & Mardochæum Judæum eſſe intelligens, dedignatur in ſolum Mardochæum vindictam facere, ſed maluit omnem in regno Aſſueri degentem Judæorum perdere nationem: & quadam callida perſuaſione obtinuit apud regem, ut omnes Judæi in regno ejus exſiſtentes, uno die perderentur, & deinde trabem excelſam in domo ſua erexit, in qua Mardochæum ſuſpendio jugulare voluit. Sed cum decretum iſtud, quod Judæi deberent interfici, ſub annuli

Digitized by Google

regii ſigillo publicè Suſis eſt appenſum, Eſther regina ad interpretationem Mardochæi regem & Aman ſimul invitat ad convivium & inter convivii delicias genus ſuum regi indicans, qualiter Aman in necem ipſius reginæ callidè machinatus fuerit, exponit, cum regem in necem totius nationis Judæorum fraudulenter induxit. Cum Eſther hæc cum multa lacrymarum effuſione proponeret, rex mutavit edictum & ipſum Amam in trabe, quam pro Mardochæo erexerat, ſuſpendi jubebat & Aman ſuſpenſo Judæi liberati ſunt, & deinde illum diem deinceps ſingulis annis feſtivum peragi ſtatuerunt. Iſtis temporibus Camillus dux Romani exercitus civitatem Veientum XVIII. miliaria ab urbe ſitam, Italiæ antiquiſſimam & ditiſſimam cepit, & invenit ſtatuam Junonis in ea, quam juſſit Romam deduci & quidam de militibus ſimulacrum jocosè interrogavit; an vellet ire Romam & ipſum reſpondit, volo. Et poſt idem dux cepit civitatem Volſcorum. Anno hujus Artaxerxis XV. Galli Senones Romam invaſerunt, ſolo Capitolino monte à juvenibus conſervato: cumque quadam nocte Galli Capitolium penè pervaſerant, Manlius dux eorum, qui Capitolium tenuerunt, ad vocem anſeris excitatus, mox cum ſuis arcem defendit à Gallis. Cumque poſtea, poſtquam Romani fidem Chriſti ſuſceperant, & ab hoſtibus impugnabantur fidei Chriſtianæ, quam malè ſervabant, & deſertioni deorum, quos prius coluerant, clades ſuas imputarent, Auguſtinus ſecundo de C D. (*cap. 22,*) hujus cladis memor, multitudinem deorum deridendo, reſpondet eis dicens: Hæc numinum turba ubi erat, cum longè antequam mores corrumperentur antiqui, à Gallis Roma capta & incenſa eſt? An præſentes fortè dormiebant? Tunc enim tota urbe in hoſtium poteſtate redacta, ſolus collis Capitolinus remanſerat, qui etiam ipſe caperetur, niſi ſaltem anſeres diis dormientibus vigilarent. Unde penè in ſuperſtitionem Ægyptiorum, beſtias avesque colentium, Roma deciderat, cum anſeri ſolennia celebrarent. Item in tertio de C. D. (*cap. 7.*) de excidio Trojæ loquens ſic inquit: Everſis & incenſis omnibus ſimulacris, ſolum Minervæ ſimulacrum ſub tanta ruina templi illius, ut ſcribit Livius, integrum ſtetiſſe perhibetur. Diis itaque Iliacis poſt Trojæ ipſius documentum qua tandem prudentia Roma commiſſa eſt? Dixerit quiſpiam jam eos Romæ habitare ſolitos quando expugnante Fimbria cecidit Ilium. Unde ergo ſtetit Minervæ ſimulacrum? Deinde ſi apud Romam erant, quando Fimbria delevit Ilium, fortaſſe apud Ilium erant, quando à Gallis ipſa Roma capta, & incenſa eſt. Sed ut ſunt auditu acutiſſimi motuque celerrimi ad vocem anſeris citò redierunt, ut ſaltem Capitolinum collem, qui remanſerat, tuerentur. Cæterum ad alia defendenda ſerius ſunt redire commoniti. De his quidem Gallis legitur, quòd Brennus rex Gallorum, qui apud Senonas urbem Galliæ regnabat, vini & aliorum victualium ac fructuum ab Italia in Galliam delatorum delectatione allectus, cum trecentis millibus Gallorum venit ad Italiam, & eam partem Italiæ, quam occupavit, Senogalliam nominavit. Et iſti Galli diviſerunt ſe in tres partes: centum millia eorum in Græciam ſe tranſtulerunt, qui non longe à Delphos inſula Græcorum gladiis extincti ſunt. Alia centum millia à rege Bithyniæ vocati in auxilium partes regni ſui obtinuerunt, & illi dicti ſunt Galatæ. Alia centum millia remanſerunt in Italia, & condiderunt Ticinum, quod Papia nunc dicitur, & condiderunt Mediolanum, quæ interpretatur, quaſi media lana, ex eo, quod quando ædificabatur, apparuit ſibi ſus, quæ pro media parte portabat lanam pro pilis. Item condiderunt Bergomum & Brixiam. Unde pars illa Italiæ Gallia ciſalpina ad differentiam Galliæ tranſalpinæ, de qua egreſſi ſunt iſti Galli, à Romanis dicta eſt. Cumque Galli prædicti quadam vice Cluſium civitatem Thuſciæ, Romanis fidelem, obſederunt, Romani mandaverunt eis, ut ab amicis & ſociis eorum recederent. Ex hoc igitur Galli commoti Romam adeunt, & occurrens eis Fabius Coſ. cum ſuis occiſus eſt ab eis. Gallis deinde mœnibus appropinquantibus, Romani ſeniores trabeis & ampliſſimo cultu veſtiti in curulibus ac ſellis propriis ſe poſuerunt, ut cum hoſtis veniſſet, cui nequaquam reſiſtere ſe poſſe cognoſcebant, unusquisque in ſua dignitate moreretur. Juventus vero, quam conſtat vix mille hominum fuiſſe, arcem Capitolini montis inſedit. Aderant interim Galli apertamque urbem intrant: ibi ſedentes in curulibus ſuis prætextatos ſenes velut deos venerati, mox eosdem, poſtquam homines eſſe liquebat, pari vecordia mactabant, facesque tectis injiciunt, & totam urbem ferro ignique vaſtant. Sex inde menſibus Capitolium obſederunt, & Manlius, ut ſpem hoſtibus demeret, quanquam in ſumma fame, tamen ad ſpem

fiduciæ

fiduciæ panes ab arce jaculatus eſt. Tandem cum jam obſidio Gallos fatigavit, mille pondo auri receſſum ſuum vendiderunt, & poſtquam receſſerant à Romanis penè trucidati ſunt circa annum ab V. C. CCCL.

CAPUT IIX.

ARtaxerxes II. qui & Ochus dictus eſt, regnavit annis XXVI. Hic Sidonem ſubuertit, & Nectanabon rege Ægypti in Æthiopiam pulſo, Ægyptum ſuo ſubegit imperio, Syriamque cunctam vaſtavit. Iſtis temporibus gravis peſtilentia Romam devaſtat, & terra aperuit ſe in foro, vaſtiſſimumque barathrum patuit, ad quod omnes perterriti, matronæque plurima de ſuis ornamenta jactabant. Unde aruſpices dixerunt, hoc barathrum claudi non poſſe, niſi aliquis juvenis clarus, genere Romanus, ſe in ipſum præcipitaret. Quare Marcus Curtius armatus cum equo ſe præcipitaret in ipſum, ſtatim clauſum eſt. Anno tertio Ochi Philippus pater Alexandri Magni apud Macedones cœpit regnare, & regnavit annis XXXI. Anno ejuſdem X. & Philippi VII. natus eſt Alexander M. de matre ſua Olympiade regina Macedonum. Cum enim Philippus rex Macedonum cum exercitu ſuo ageret in partibus remotis, Nectanabo rex Ægypti fugatus ab Artaxerxe, ut ſupra dictum eſt, de Ægypto, ſub ſpecie Magi venit in Macedoniam, & Olympiadem reginam verbis aſtutis decepit, ita ut ipſe concumberet cum ea. Aſſeruit enim ipſam de ſummo Deorum, videlicet Jove, quem Ægyptii Ammon nominabant, ab Ammon, quod in lingua eorum dicitur arena, quia Jupiter dicitur apparuiſſe Baccho redeunti de India in arena Libyæ, gravidandam, & filium de eo parituram. Origenes homelia quarta in Exodum loquens de ſuperſtitionibus Ægyptiorum dicit: Ægyptii Ammonem Jovem in ariete venerantur. Olympias verbis Nectanabonis credula, conceſſit ei locum dormiendi in palatio ſuo, ipſe verò magicis inſiſtens artibus, ſe in ſimilitudine Dei illius ſub ea forma, qua eum ipſi reginæ deſcripſerat, transformans, cubiculum reginæ acceſſit, & concumbens cum ea ipſam gravidam effecit: & deinde peperit filium, quem Alexandrum nominavit. Nectanabo igitur ſuis artibus Philippum regem deluſit, ut viſum ſit ei in ſomno, quod Deus Ammon cum uxore ſua concumberet: quare Philippus rex, quodammodo de adulterio eam habuit excuſatam: filium tamen, quem peperit, non ex toto dilexit. Et hinc eſt, quod Alexander poſtea in epiſtolis ſuis jactanter ſcribit ſe filium Ammonis Dei: licet in prioribus epiſtolis ſcribebat ſe filium Philippi. Alii dicunt, quòd Philippus verè fuit pater Alexandri, & non iſte Nectanabo. Cui dicto concordat illud, quod legitur in Chronica Euſebii, quòd Alexander X. anno hujus Artaxerxis natus ſit, & quod anno ejuſdem XVII. Nectanabo venit in Macedoniam. Iſtis temporibus floruerunt Ariſtoteles & Demoſthenes philoſophi. De Ariſtotele dicit Iſidorus ſecundo Etymologiar. Ariſtoteles vir in rerum expreſſione & ſermonibus faciendis prudentiſſimus, quando librum περὶ ἑρμηνείας, qui liber eſt ſubtiliſſimus nimis, & per varias formas interationeſque cautiſſimus, ſcriptitabat, calamum in mente tingebat. Ipſe etiam primus duas partes orationis, ſcilicet Nomen & verbum tradidit: & deinde Donatio octo partes orationis definivit. Item Auguſtinus octavo de C. D. *(cap. 12.)* ſic dicit: Ariſtoteles Platonis diſcipulus, vir excellentis ingenii, & eloquio Platoni quidem impar, ſed multos facile ſuperans, ſectam peripateticam condidit, plurimoſque diſcipulos præclara fama excellens vivo adhuc Platone congregavit. Item Hieronymus in regula ad Euſtochium: Attende & tu fatuorum ſapientum princeps Ariſtoteles: etſi fueris abſque dubitatione prodigium, grandeque miraculum in tota natura, cui pene videtur infuſum, quicquid naturaliter capax eſt hominum genus, quoniam ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Dominum, ſi caritas non informatur; ſi intellectus non captivatur ad fidem: ſi cor ad Chriſti fidem non inclinatur. Anno XXI. Artaxerxis Plato moritur, poſt quem Speuſippus Academiam tenuit. Circa hoc tempus inventa ſunt Romæ civium CLX. millia, & tunc Romæ CLXX. matronæ damnatæ ſunt propter potionem intoxicatam, quam maritis ſuis paraverant. Anno ejuſdem regis XXII. Cum Samnites duobus ſuperâſſent præliis Romani univerſos confines, qui à ſua ſocietate diſceſſerunt, in ditionem propriam redigunt. Anno ejuſdem XXIV. Alexander rex Epirotarum avunculus Alexandri M. à Samnitibus occiſus eſt.

Arſames F. Ochi regnavit annis IV. Eo tempore Iaddus Pontifex clarus habetur, & frater ejus templum in monte Garizim conſtituit. ANNO ejus II. Speuſippus mo-

ritur, cui ſuccedit Xenocrates. Anno ejus quarto Alexander M. incipit regnare apud Macedones. Legitur enim, quod Philippus pater ejus miſit eum cum exercitu contra Armenos, quos ipſe vicit, & interim quidam nomine Pauſanias, vir fortis & potens in regno congregavit exercitum contra PHILIPPUM dominum ſuum: cui occurrens ipſe Philippus rex commiſſo prælio graviter vulneratur, & eodem tempore Alexander reverſus ab Armenia, contra Pauſaniam cum exercitu ſuo ſe dirigit, & commiſſo prælio Alexander Pauſaniam gladio percuſſit, & deinde Philippus pater Alexandri moritur, & Alexander obtinet regnum.

Caput IX.

Darius Arſamis F. ultimus rex Perſarum regnavit annis XI. Hoc tempore Manlius Torquatus conſul Romanorum filium ſuum, eò quod contra imperium in hoſtes pugnaverat, virgis cæſum ſecuri percuſſit. Anno primo Darii Alexander adverſum Illyrios & Thraces feliciter dimicans ſubverſis Thebis in Perſas arma corripuit, & apud Granicum fluvium regis ducibus oppreſſis urbem Sardes cepit. Anno V. Darii Alexander cepit Tyrum civitatem cum maximo labore: deinde intravit Judæam: cumq; appropinquaret Jeruſalem, Jaddus ſummus pontifex cum ſacerdotibus & Levitis in veſtibus albis, ad angeli admonitionem proceſſit obviam ei, & ipſum cum reverentia ſuſcepit: quem videns Alexander de equo deſcendit, & nomen Dei, quod in lamina aurea ſculptum ſuper caput ſummi ſacerdotis agnovit, ſuppliciter adoravit: de quo cùm principes ejus admirarentur, dixit: cujus nomen ille portavit in fronte, in tali habitu apparuit mihi in ſomnis, & fiduciam obtinendi regnum Perſarum mihi præbuit. Deinde Alexander intravit templum Jeroſolymis, & ſecundum oſtenſionem ſacerdotis immolavit Domino. Non tamen, ut dicit Auguſt. XVIII de C. D. (*c.45.*) hoc fecit ad ejus cultum vera pietate converſus, ſed impia vanitate eum cum diis falſis putans eſſe colendum. Deinde Alexander profectus in Ægyptum, illam in deditionem ſuſcepit, & civitatem ædificavit, quam à nomine ſuo Alexandriam nominavit. Nam eo in loco Serapis maximus Ægyptiorum Deus ſibi in ſomnis apparuit, aſſerens facta ſua uſque in finem ſeculi memoranda: & cum Alexander quæreret ab eo, quali morte moriturus eſſet? reſpondit: Bonum eſt homini ultimum ſupplicium ignorare, tamen quia rogaſti me, dico tibi, poſt bibitam potionem mortem guſtabis in juventute: noli tempus aut horam inquirere, quia nullatenus tibi revelabo, dicetur enim tibi fatum tuum à diis orientalibus. Traditur etiam in quadam hiſtoria de factis Alexandri conſcripta, quod ipſe, antequam conderet Alexandriam, navali exercitu intraverit Italiam, & exegerit tributum à Romanis, & ab omnibus gentibus occidentis in Europa: quod tamen cum Chronicis & aliis hiſtoricis non concordat: dicitur enim in hiſtoria Romana, quæ maximè famoſa eſt, quod dum Alexander, ſubjugato oriente, eſſet in partibus Africæ, Papyrius Coſ. Romanorum bellum adminiſtravit contra Samnites, qui tantæ virtutis & ſtrenuitatis erat, quod credebatur impetum Alexandri M. ſi veniſſet, poſſe ſuſtinere: ubi ſatis innuitur, quod Alexander non venit in Italiam eo tempore: nec eum poſtea, vel ante veniſſe, eadem Romana hiſtoria alicubi commemorat. Unde multa de eo referuntur; & in diverſis libris ſcripta reperiuntur, quæ ſibi invicem diſſona & etiam contraria videntur: propter quod multa, quæ legi de factis ejus, ſcribere prætermiſi. Dicitur etiam, quòd Jaddus ſummus Pontifex oſtendit Alexandro Prophetias Danielis, in quibus declaravit ei, regem Græcorum regnum Perſarum diſſoluturum: quod Alexander accipiens de ſe dictum, Judæis conceſſit anno ſeptimo liberos eſſe à tributo. Darius audiens famam Alexandri, miſit ei quandam epiſtolam, in qua eum principem latronum appellavit, & mandavit ei, ſi contingeret ei in manus ſuas incidere, ipſe non ut regem, ſed latronum principem eſſet eum tractaturus, & in ſignum deſpectionis miſit ei jocalia puerilia, ut à bellis deſiſtens cum pueris ſibi ſimilibus ludum exerceret. Quare Alexander juſſit nuncios Darii comprehendere, & patibulo crucis affigi: qui cum miſericordiam poſtularent aſſerentes injuſtum, quod legationis officio ſuffulti pro domino ſuo punirentur, Alexander reſpondit: verba regis veſtri me ad hoc compellunt, qui vos ad me, non ut ad regem, ſed ut ad latronum principem deſtinavit: tamen Alexander dimiſit eos, & munera tribuit eis, ac Dario reſcripſit, quod per illa jocalia, quæ ſibi deſtinaſſet, jam in ſignum ſubjectionis ſibi tributa ſolviſſet. Poſt hoc Darius aliam ſibi miſit

Digitized by Google

miſit epiſtolam, & cum ea grana papaveris, inſinuans ei per hoc innumerabilem multitudinem ſuorum pugnatorum: Alexander verò perlecta epiſtola, ſemen papaveris dentibus comminuens, nunciis Darii reſpondit: video quod homines Darii multi ſunt, ſed fortes non ſunt, imo molles, ſicut hoc ſemen, & remiſit Dario epiſtolam cum paucis granis piperis, innuens ei per hoc, quòd ſicut multi ſeminis papaveris collectio pauci piperis virtute ſuperatur, ita multitudo militum Darii eſſet virtute Macedonum ſubjuganda. Iſtis temporibus Romæ Minutia virgo veſtalis ob ſtuprum lapidata eſt. Poſtquam Alexander Thebas ſubvertit, abiit * & ibi feſta celebravit. Interim Athenienſes præparabant ſe ad reſiſtendum Alexandro, gloriantes ſe Thebanis potentiores: ſed Alexander differens procedere contra eos, ipſos per internuncios ad ſui fidelitatem ſtuduit allicere: unde tandem ad conſilium Demoſthenis Philoſophi coronam quinquaginta librarum auri ei miſerunt, & cenſum ac tributa ſe deinceps ipſi daturos promiſerunt. Alexander tamen de nobilibus Athenienſibus, qui ei reſtiterant ccc. exilio damnavit, & illi ad Darium ſe contulerunt contra Alexandrum pugnaturi. Deinde Alexander Lacædemones ſubegit, & omnes provincias Græciæ: unde dicitur de eo in primo libro Macchabæorum, quod ipſe primus regnavit in Græcia, hoc eſt, toti Græciæ imperavit. Alexander volens ſe conferre in Aſiam, poſtquam omnes provincias Græciæ ſubegit, viros, quos minus ſtrenuos in armis novit, domi dereliquit, & cum cæteris contra Darium proficiſcens, habuit, ut quidam tradunt, quatuor millia equitum & quingentos: peditum verò XXXII. millia, & habuit naves CLXXX. cumque tentavit ingredi fauces anguſtas Aſiæ, occurrit ei Mnemon dux Darii cum ſexcentis millibus pugnatorum, & pugna commiſſa, vicit Alexander. Eratque ibidem templum Jovis in quo pendebat currus Gordii quondam regis Aſiæ funibus intextis, ſuper quo erat fatatum, quicunque ſolveret nodum illum, ille conſecuturus eſſet dominium totius Aſiæ: quem cùm Alexander tentaret digitis ſolvere, neque tamen ſciret, reſpiciens ad ſuos dixit: quid differt qua arte ſolvatur nodus? & extracto gladio nodum diſcidit, & deinde & ſeptem millia armatorum de partibus illis exercitui ſuo adjungens, inde contra Darium ad loca plana feſtinavit. Cumque venit ad Euphratem fluvium, habuit CC millia armatorum, & fixit ibi tentoria, fecitque fieri pontem claſſicum, & cum pontem tranſire omnes titubarent, præcepit Alexander, ut paſtores & cuſtodes gregum & armentorum cum animalibus primo tranſitum facerent: qui cum tranſiſſent, & adhuc exercitus tranſire timeret, Alexander cum fidelioribus ſibi tranſivit per ipſum pontem, & deinde totus exercitus eſt ſecutus. Poſt tranſitum omnium juſſit Alexander pontem diſſolvi, ne quis ſuorum fiduciam fugiendi retrorſum poſſet habere, quod tamen multis diſplicuit. Darius autem ex adverſo veniens habuit DC. millia bellatorum, & præferebatur Dario ſignum draconis ignei: commiſſoque prælio in primo congreſſu Alexander interfecit Aretham præfectum Syriæ: & tamen Saroa verbis probroſis & armis aggreſſus eſt Alexandrum, & in coxa vulneravit. Alexander nolens tamen interficere eum propter excellentiam ingenii ipſius: quoniam in aſtronomia ſapientiſſimus erat, equum ſuum divertit ab eo: ſed Meleager unus de exercitu Alexandri ſtatim interfecit eum, & poſt longum conflictum Perdiccas miſit ſagittam contra Darium, & transfixa caſſide, capitis oſſa tangebat. Quare Darius de curru, quo vehebatur, deſiliens in pedes fugit, donec equus oblatus eſt ei, cum quo fugiens Babylonem ſe recepit, & deinde cæteri fugerunt. Et mater, uxor ac liberi Darii ibidem capti ſunt: quoniam Perſis moris erat omnem domo familiam educere in campum contra hoſtes: & ceciderunt de exercitu Alexandri CXX. equites, & IX pedites, & Alexander vulneratus eſt in capite, & in hoc bello Clytus & Ptolomæus ſtrenuè certabant. In ſecundo bello Alexander habuit CCXX. millia pugnatorum. Darius habuit CCC. millia peditum & C. millia equitum; & in hoc bello tanta erat multitudo ſagittarum ex utraque parte, quod aër inde quaſi ex nubibus ſpiſſabatur, & duravit bellum ab ortu ſolis uſque ad occaſum. Et Alexander occidit elephantem, & unum gigantem, qui erat de partibus Ægypti, & dictus erat Geon. hic habuit clavam cum tribus nodis groſſis, & penetravit acies in fortitudine ſua, & dum Alexandrum nititur invadere, quindecim de Græcis percuſſit: cumque clavam contra Alexandrum erexit Alexander haſtam ſuam per linguam ejus transfixit, & cùm figeretur dejectus eſt in terram, & multis confoſſus vulneribus

 interiit

Digitized by Google

interiit, & tandem Darius equo aufugit, & Perſæ ſequuntur eum, & curribus falcatis verſis in fugam multitudo peditum conculcata eſt: & in hoc bello ambo reges vulnerati ſunt, & ceciderunt de Perſis octoginta millia peditum & decem millia equitum, & quadraginta millia capta ſunt. Ex Macedonibus verò ceciderunt pedites CXXX. & equites CXV. In tertio prælio, quod in menſe Majo actum eſt, Darius habuit CCCC. millia peditum, & centum millia equitum: attamen victus aufugit, & tot ceciderunt de Perſis, quòd Alexander continuis XXIV. diebus caſtrorum prædam percenſuit. Cumque deinde moto exercitu appropinquavit Babyloni, Mazæus præfectus Babylonis ſe & civitatem Alexandro tradidit, & Alexander cum magna gloria ingreſſus eſt Babylonem, & Darius à ſuis interfectus eſt, anno regni ſui ſexto, & ſic regnum Perſarum diſſolutum ad Græcos in perſona Alexandri M. translatum eſt.

CAPUT X.

ALEXANDER Magnus primus rex Græcorum poſt mortem Darii regnavit annis VI. cumque ſederet in throno aureo coronatus, vocavit occiſores Darii: qui prompto animo venientes ſperaverunt ſe ab Alexandro valdè honorandos; ſed Alexander juſſit eos capite puniri, quòd dominum eorum proprium occidiſſent. Aliqui tamen ſcribunt, eos fugiſſe, & poſtea unum eorum ab Alexandro occiſum & alterum ſibi reconciliatum: & illi ſic ſcribunt: Cum Darius exercitum ſuum, ut iterum cum Alexandro pugnaret, reparaſſet, duo de principibus ſuis, quos ipſe quamvis vilis nationis eſſent, exaltaverat: quorum unus Beſſus, & alter Narbazanes dicebatur, contra Darium conjurabant, ut ipſum interficerent, quod, cum jam prælium committi debuit, Dario innotuit: quapropter ipſe deſperatione tactus ſeipſum tentavit occidere: ſed per quendam de ſuis impeditus eſt, qui clamore facto multos Perſarum convocavit ad regem, & ortus eſt rumor, quòd rex mortuus ſit, & ſic Beſſus & Narbazanes cum maxima multitudine advenerunt, & Darium vinctum catenis abduxerunt in curru, ſperantes ſe gratiam Alexandri conſecuturos, ſi non evaderet manus ejus: aliàs, ſi evadere poſſet, ſe regnaturos: ſed Alexander hoc audito, ſtatim inſequitur feſtinanter, quod ipſi percipientes, juſſerunt Darium deſcendere de curru, ut cum eis equo aufugeret: ſed ipſe deſcendere renuit. Quare ipſi confoderunt eum, & equos, qui currum trahebant, ac vectores interfecerunt, ne veſtigium aliquod fugæ inſequentibus eos innoteſceret: & Beſſus fugit ad Bactrianos, quem poſtea Alexander, cùm Bactrianos ſubegit, comprehenſum cruci juſſit affigi. Narbazanes fugit in Hyrcaniam: & ille tandem Alexandro reconciliatus eſt. Cumque Darius ſic vulneratus jacebat in campo, Polyſtratus miles Alexandri caſu pervenit ad ipſum, cum quo in extremis locutus eſt, & inter ipſa verba expiravit, & deinde Alexander ſupervenit, & invenit eum mortuum: quamvis alii ſcribunt, quòd ipſe cum Alexandro locutus ſit in extremis. Poſt hoc, ut quidam tradunt, Alexander filiam Darii Roxanen duxit in uxorem. Alii dicunt eum nunquam duxiſſe uxorem. Poſtquam Alexander exivit de Babylone, & appropinquavit Perſepoli civitati, venerunt ei obviàm tria millia Græcorum, diverſis membris à Perſis miſerabiliter truncati: quapropter Alexander civitatem ipſam funditus deſtruxit. Deinde Alexander moto exercitu proceſſit contra Porum regem Indorum, qui habuit in exercitu multos elephantos cum curribus ligneis. Alexander tamen vicit eum. Poſtquam enim bellum per dies XX. actum fuit, Porus fugit, & Alexander campum obtinuit. Poſt hoc bellum Alexander divertit ad montes Caſpios, ut ipſe ſcribit in epiſtola, quam direxit ad Ariſtotelem magiſtrum ſuum, & homines illorum locorum eum gratanter ſuſcipientes, monuerunt ipſum, ne per certa quædam loca periculoſa incederet: quare recepit ſecum de partibus illis CL viros, qui ducerent exercitum per loca periculoſa, ut ad Porum regem citiùs poſſet pervenire: ſed illi magis faventes Poro quàm Alexandro, duxerunt eum per loca periculoſa: quare poſtea, dum exercitus pericula inopinata ſuſtineret, Alexander juſſit viros prædictos interfici: centum videlicet projici ad aquam, ut ab hippomadis devorarentur, & quinquaginta tres confractis cruribus & brachiis ſerpentibus devorandos juſſit exponi. Deinde Alexander miſit epiſtolam ad reginam Amazonum, Taliſtridam ſeu Taleſtrin nomine, ut ſibi tributum ſolueret: quæ primò recuſavit; ſed tandem ſoluit tributum multa encenia ſibi mittendo. Aliqui dicunt, quòd ipſa venit ad Alexandrum, & deſideravit imprægnari ab eo, & quod ita

Digitized by Google

ita factum ſit, & quòd ipſa per xxx. dies cum eo converſata ſit. Alii dicunt, quòd Alexander ipſas Amazones propter pertinaciam earum omnes delevit, prout ſupradictum eſt, & poſſet eſſe, quòd ſingula de prædictis vera eſſent, ſecundum diverſa tempora: quòd videlicet primò ſolviſſent tributum, & poſtea eas rebellantes deleviſſet Alexander. Deinde procedens per loca periculoſa exercitus multa patiebatur incommoda propter dracones, ſerpentes, & leones, ac alias beſtias diverſas. Quacam enim die venit ſuper eos beſtia miræ magnitudinis fortior elephanto, tria habens cornua, quæ priuſquam potuit occidi, interfecit XXXVI. milites & alios LII. bonculcando eos fecit inutiles. Poſt hoc Alexander venit ad partes Bactrianorum, qui eum benignè ſuſceperunt. Deinde venit ad locum, ubi rex Porus cum exercitu ſuo reſidebat, & commiſſum eſt prælium, & poſtquam multi ceciderunt, Porus rex captus eſt: licet aliqui dicant, quod Alexander occiderit eum. Et ſic Alexander obtinuit partes Indiæ, & Porum recepit in gratiam, & duxit eum ſecum per multa loca, & ipſum ut regem & amicum ſpecialem tractavit. Poſt hoc Alexander venit ad Gymnoſophiſtas, homines nudos, habitantes in cavernis: de quibus dictum eſt de philoſophis ſuprà in hac ætate, capitulo tertio. Cumque Alexander vidit eos, dixit eis, quòd peterent ab eo quid vellent: reſponderuntque da nobis immortalitatem. Quibus Alexander reſpondens dixit: Mortalis cùm ſim ego, quomodo immortalitatem dare poſſum? At illi dixerunt: ſi mortalis es, cur huc illuc diſcurris tanta mala committens? Poſtquam Alexander receſſit à Gymnoſophiſtis, venit ad ſtatuas quas Hercules quondam erexerat: quarum una earum erat aurea, altera argentea & earum longitudo erat cubitorum XII. latitudo verò duorum. Et, ut quidam ſcribunt, Alexander fecit eas perforari volens probare, an eſſent fuſiles, & miſit in eas MCCCC. aureos. Sed in epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem legitur, quòd iſtæ ſtatuæ ambæ erant aureæ, & una erat Herculis, & altera Liberi, & quòd Alexander Hercule & Libero placatis victimis, ipſas ſtatuas dejecit. Deinde progreſſus Alexander venit in locum deſertum & obſcurum, ut vix milites inter ſe noſcerentur, ſicque ambulantes iter dierum L. venerunt ad fluvium calidum, & viderunt mulieres ultra fluvium ſpecioſas, ſedentes in equis, habentes veſtes horridas & arma argentea: & fluvius tranſiri non poterat propter animalia venenoſa, ipſum flumen inhabitantia. Deinde ambulando per dies XXX venerunt ad ultimas ſilvas Indiæ, è quibus exierunt elephantes innumerabiles, infeſtantes eos. Unde Alexander dixit, quod quilibet acciperet porcum de quibusdam certis militibus, ut gregem porcorum provocarent ad grunniendum, & alii tubis ſonarent, & dum ſic fecerunt, elephantes territi fugerunt ab eis. In his ſilvis invenerunt mulieres habentes barbas prolixas uſque ad mammas, & capita plana, ac veſtes pelliceas, de quibus aliquas ceperunt, quæ interrogatæ Indica lingua unde venirent, reſponderunt: de venatione venimus. Deinde ambulantes per dies XV. paſſi ſunt infeſtationes à Pernocephalis, quos tamen occiderunt ſagittis. Deinde ambulaverunt per dies LX. & venerunt per campos deſertos, ubi ventus omnia tentoria eorum ſolvit è terra, & ſcintillæ igneæ cadebant è cœlo. Deinde tranſeuntes per dies viginti quinque venerunt in quandam maximam vallem, & tanto frigore ac nivibus ſunt fatigati, ut quingenti & ſex frigoribus morerentur: Et poſtea ſupervenit pluvia & diſſolvit nives, & deinde ceciderunt ardentes faculæ de aëre, quæ tentoria eorum combuſſerunt. Quare Alexander victimas ſuis Diis immolavit, & facta eſt ſerenitas maxima. Deinde venit ad flumen Paradiſi, quod Ganges dicitur, & caſtrametatus eſt ibi: viſique ſunt homines ultra flumen, qui interrogati, qui eſſent, reſponderunt: Brachmani ſumus: & quia latitudo fluminis propter animalia venenoſa, in ipſo natantia, tranſiri non poterat, fecit Alexander fieri naviculam parvam de viminibus, & veſtri corio & uni de militibus ſuis tradidit epiſtolam regi illius gentis deportandam: in qua ſcripſit Alexander, ſe deſiderare informari de moribus hominum illorum, cùm locus eſſet ſibi inacceſſibilis. Hic miles flumen navicula tranſiit, & regi illius gentis epiſtolam tradidit. Rex igitur gentis illius reſcripſit Alexandro hoc modo: Dingdimus Brachmanorum didaſcalus Alexandro ſalutem. & poſt pauca ſubjunxit: Nos ſiquidem Brachmani ſimplicem ac puram vitam ducimus & deorum culturam penitus evitamus: peccata non admittimus, nec ultra habere volumus, quàm ratio naturæ requirit; terras noſtras non aramus, & in ipſas ſemen non mittimus: nihil etiam ad

mandu-

Digitized by Google

manducandum quærimus, niſi quod terra ſine hominis labore ſponte producit: ſubitaneam mortem non facimus: nullum veſtimentum in varios colores tingimus: fæminæ noſtræ non ornantur, ut placeant: & cum ipſis non cauſa libidinis, ſed procreandæ ſobolis commiſcemur: ipſæ enim nullum ornamentum quærunt, niſi quod eis divina providentia conceſſit: balneis non utimur: ſolis ardore calemus, & aëris rore perfundimur: hominibus nobis ſimilibus non dominamur: crudele enim ducimus hominem premere ad ſervitutem, quem Deus, ſicut & nos, liberum procreavit: domos non facimus: in foſſis ſine aliqua ſolicitudine repauſamus: artem bene loquendi non diſcimus, ſed ſimplicitate, qua fruimur, quæ nos mentiri non ſinit, omnia enarramus: ludos nullos amamus, videmus quidem, unde corda noſtra lætantur, cœlum innumerabilibus ſideribus coruſcare, ſolem rubicundum & clarum: delectamur etiam in florigeris campis, in ſuavitate odoris, & avium cantilenis, & ſic noſtram vitam vobis enarravimus. Vita autem veſtra nobis dura videtur: per deos multa mala committitis. Nam teſtimonium poteſtis capere de Jove deo veſtro, & Proſerpina dea veſtra. Jupiter enim multas fæminas adulteravit. Proſerpina verò multos adulterii ſui fecit participes. Miſeri ergo adulteros deos colitis: nos in honorem deorum pecudes non occidimus: templa non conſtruimus, ubi ſtatuas aureas vel argenteas erigamus. Vos de omnibus veſtris Diis veſtris immolatis, ut exaudiant vos, non intelligentes, quòd Deus non precio ſanguinis vituli aut hirci vel arietis, ſed per bona opera & orationis eloquium provocetur. Exaudit Deus hominem propter verbum, quia per verbum Deo ſimiles efficimur. Deus verbum eſt, & ex eo omnia vivunt & conſiſtunt. Nos hoc verbum colimus: hoc amamus: hoc etiam veneramur. Vos non ſervitis uni Deo, qui ſolus regnat in cœlo, ſed diis pluribus obeditis. Unus Deus inſtruit fornicari vos, alter bibere, alter litigare: omnes vobis imperant, omnibus obeditis. Si exaudierint vos dii veſtri, mala vobis evenient, quia de malo rogatis eos: ſi non exaudierint vos, veſtris deſideriis obviabunt. Ergo ſive vos exaudierint, ſive non, ſemper vobis inferunt detrimentum. Deæ veſtræ ſunt, quæ Furiæ infernales dicuntur: heu vobis miſeris! qui poſt mortem debetis tormenta inenarrabilia ſuſtinere. Alexander hujusmodi perlecta epiſtola, propter deorum injuriam iratus eſt valdè, & reſcripſit Brachmanis hujusmodi.

Alexander rex regum & dominus dominantium, filius dei Ammonis, & reginæ Olympiadis, Dingdimo Brachmanorum ſalutem. Si omnia in vobis reperiuntur, quæ nobis veſtris literis declaraſtis, ſoli poteſtis boni homines nuncupari: quia, ut dicitis, nulla facinora perpetratis. Sed pro certo ſciatis, quòd hujuſmodi vitam non ex virtute, ſed ex conſuetudine continetis: aut igitur deos vos eſſe dicitis, aut contra deos invidia movemini. Dixiſtis ſiquidem, quòd terram non aratis: ædificia fabricare non vultis: manifeſta ratio, quòd ferramentis, quibus laborare poſſetis, penitus caretis. Unde hæc omnia vobis denegantur: ideoque veſcimini herbis, & ut pecora vitam ducitis agreſtem: quia neque frumenta, neque carnes, aut piſces habere poteſtis. Nonne lupi hoc faciunt? qui cum nequeant carnibus ſatiari, terra ventrem implent: & ſi liceret ingredi terram veſtram, ſapientiam de veſtra penuria non reciperemus, non eſt laudandus vir ille, qui ſemper vivit in anguſtia: ſed qui divitiis temperatè perfruitur, quod ſi laudandi eſſent viri, qui ſemper in anguſtia ſunt oppreſſi: cœci & leproſi deberent ſuper omnes commendari. Dixiſtis etiam, quòd fœminæ veſtræ non ornantur, & cujusmodi ornamenta portabunt, quæ ea non habent? Item nòn cauſſa libidinis cum eis commiſcemini, quomodo libidinem habent, qui non comedunt? vos autem non comeditis, niſi herbas, ut porci hæc omnia cum beſtiis communia habetis. Nos autem indicamus, quòd vita & mores veſtri magis à ſtultitia, quàm à ſapientia reguntur. Verè itaque non beatitudo, ſed miſeria poteſt veſtra vita appellari: ſed per deos immortales, ſi ad vos poſſem ingredi, veſtra miſeria deleta, veſtram terram faceremus armis & equis militaribus decorari. Et deinde præcepit Alexander in eodem loco columnam marmoream erigi: & hunc titulum literis Græcis, Latinis, & Indicis conſcribi in ea: Ego Alexander Philippi F. Macedo poſt interitum Darii uſque ad hunc locum expugnando viriliter militavi. Deinde amoto exercitu venit ad ſilvas, in quibus erant homines ſilveſtres magnorum corporum, ut gigantes: qui habebant veſtimenta pellicea, de quibus milites Alexandri

Digitized by Google

xandri occiderunt DCXXXIV. & mortui ſunt in hoc certamine milites Alexandri CXXVII. & ſtetit ibi exercitus in campis per tres dies. Alexander inde moto exercitu, tranſmiſit per diverſa loca periculoſa nimis, nunc per montium cacumina, nunc per valles tenebroſas, in quibus exercitus à ſerpentibus & beſtiis diverſis multa ſuſtinuit incommoda, ita quòd poſt CCC. dies venit ad montem quendam amœniſſimum, in cujus lateribus catenæ aureæ dependebant. Habebat mons ille gradus ex lapidibus Sapphyris duo millia quingentos, quibus erat aſcenſus ad cacumen montis & caſtrametatus eſt ibi. Alio die Alexander cum XII. principibus ſuis per gradus prædictos uſque ad cacumen montis adſcendit, & invenit ibi palatium mirabiliter ſpecioſum, habens portas XII. & feneſtras LXX. ex auro puriſſimo: & vocabatur palatium ſolis, & erat ibi templum totum aureum, ante cujus fores erat vinea ferens botros ex minoribus carbunculis, & innumerabilibus margaritis. & ingreſſi Alexander & principes palatium, invenerunt hominem jacentem in lecto aureo, qui erat corpore magnus nimis & ſpecioſus, cujus caput & barba tanquam nix videbantur: quem ſenem Alexander & principes genu flexo adorabant, & ait ſenex: Alexander tu videbis, quæ homo terrenus non audivit. Cui reſpondit Alexander: & quomodo, beatiſſime ſenex, noſti me? ille reſpondit: priuſquam unda diluvii operiret faciem terræ facta tua cognovi, & ſubjunxit: nonne videre vultis ſacratiſſimas arbores Solis & Lunæ, quæ futura enunciant? Alexander reſpondit: Etiam domine affectamus illas videre: & ſic ſenex ille erigens ſe dixit: ſi mundi eſtis à commixtione fæminæ licet vobis illas videre. Alexander reſpondit mundi ſumus. Senex dixit: deponite annulos, ornamenta & calceamenta veſtra, & ſequimini me. Alexander igitur facto ut ſenex dixit, tribus de principibus ſuis receptis, reliquis eum ibidem exſpectantibus, ſenem ſecutus, ad arbores Solis & Lunæ pervenit. Arbor Solis habuit folia, ut aurum rubicundum, & arbores Lunæ folia alba, ut argentum, & erant excelſæ valdè, & ad informationem ſenis Alexander interrogavit arbores: ſi cum triumpho in Macedoniam eſſet reverſurus: & reſponſum eſt ſibi, quòd non: & ipſe eſſet victurus anno uno, & menſibus octo, & potione venenatâ perire deberet. Et cum interrogaret, quis ille eſſet, qui ſibi potionem venenatam miniſtraturus eſſet, non potuit habere reſponſum: & arbor Lunæ dixit ei, quòd mater ejus miſerando & turpiſſimo exitu eſſet inſepulta jactanda: ſed ſorores ejus diu felices eſſent futuræ. Alexander igitur triſtis effectus, juſſu ſenis, cum principibus & ſene viâ, qua venerant, rediit, & ſenex ſe in lectum reponens, dixit Alexandro: recede poſt tergum, quia ultra procedere nemini eſt conceſſum. De iſto ſene legitur in epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem, quòd ipſe erat X. pedum altitudinis, & ultra niger corpore, & dentes habuit caninos, & aures perforatas, ex quibus pendebant annuli, & pellibus erat veſtitus, & quòd ipſe prohibebat Alexandrum thus incendere ipſis arboribus, ſeu etiam aliquod animal ipſis in ſacrificium occidere: ſed ſolum oſculari debere truncum arborum dixit, & in corde ſuo cogitare illud, de quo vellet reſponſum habere. Et prædictis non immeritò credi poſſet, quòd iſte ſenex fuerit Enoch, qui ante diluvium à Deo translatus, adhuc vivere perhibetur. Alexander igitur deſcendens de monte, venit ad caſtra, & inde movens exercitum, venit ad introitum planitiei, quæ monti prædicto ſubjacebat, per quem & ipſe intraverat, & juſſit ibi erigi duas columnas marmoreas, & inter tabulam marmoream collocari, in qua ſcriptum erat: Ego Alexander Philippi F. Macedo hanc tabulam erexi poſt confuſionem Darii regis Perſarum: quicunque voluerit ultra tranſire manu ſiniſtra tendat: quia ad manum dextram procedenti multa occurrent obſtacula. Et deinde feſtinavit Alexander reverti in patriam ſuam, & exercitus ejus à ſerpentibus, gryphis & beſtiis diverſis multa ſuſtinuit incommoda. Deinde reverſus eſt Alexander ad montes Caſpios, &, ut quidam ſcribunt, ibi filii Iſrael decem tribuum, qui erant ibi incluſi in montibus, miſerunt ad eum legatos, petentes egreſſum à montibus. Alexander verò, quærens de cauſſa incluſionis eorum, informatusque, quia receſſerant à Deo ſuo, & vitulos aureos adorabant, tradidit eos Deus in manus inimicorum, qui eos ibidem incluſerunt, juſſit eos arctius includi. Cumque viam per quam egredi potuiſſent, cujusdam montis præruptione nitebatur intercludere, & vidit humanum laborem ad hoc non ſufficere, oravit Deum, qui eos ſic tradidit includi, ut intentum ſuum perficeret, & ſtatim acceſſerunt ad ſe invicem prærupta montium, totumque illum locum,

cum, qui egreſſus fieri potuiſſet, obſtruxit. Et inde recedens Alexander relicta ibi parte exercitus reverſus eſt Babylonem. Et cum ibidem principibus ſuis convivium inſtauraſſet, à Jobas pincerna ſuo veneno intoxicatus eſt. Unde Alexander ſentiens ſe morti vicinum teſtamentum condidit, & XII. principibus regna, quæ obtinuerat, diviſit: de quibus tantùm quatuor invaluerunt, prout infra patebit. Et poſtquam condidit teſtamentum mortuus eſt, anno vitæ XXXIII. quarto Kalend. Aprilis: natus quippe fuerat ſexto Kalend. Januarii & poſtquam mortuus eſt, in Alexandriam civitatem, quam condiderat, delatus, magnificè ſepultus eſt.

CAPUT XI.

MAcedones igitur, quos Alexander apud montes Caſpios, tanquam ſibi fideliores, ad cuſtodiam patriæ reliquerat, audientes eum eſſe mortuum, turbati ſunt valdè, & perpendentes odium incolarum per terram redire in Macedoniam deſperabant. Quare CCC. navibus præparatis miſerunt ſe in mare Caſpium, & diu navigantes per mare Oceanum ſedes ſibi quærebant: ſed dum longiùs oberrabant maris tempeſtate omnes naves eorum præter LIIII. perierunt: de quibus tandem XVIII. naves intrabant Pruziam & XII. naves terram Rugen, & litora maris propinqua. Et reſiduæ XXIV. naves ad oſtium fluminis Albiæ applicaverunt: & Macedones, quidam eorum navibus ſuis ipſum flumen aſcendentes, quidam litora maris Oceani obtinentes, partes illas Teutoniæ, quæ nunc Saxonia dicuntur, obtinuerunt. Et quia ipſi de quodam loco, qui ſaxum Marpeſiæ dictus eſt, dum ſe in mare Caſpium miſerunt, egreſſi ſunt, ipſi deinceps Saxones appellati ſunt, & provincia, quam obtinuerunt in Alemania, Saxonia dicta eſt. Et quod iſti ſeipſos in lingua vulgari Saſſen / & non Saxen appellant, ex eo fieri conjicio, quòd ante tempora Octaviani X. litera non erat in uſu, ſed pro ea ſcribebatur C. & S. ut ſuperiùs dictum eſt. Unde pronunciationem nominis antiquam, puta Saxen, ſucceſſu temporis mutata C. in S. vulgus obtinuit: licet poſtea, poſtquam exercitus Romanus contra eos bella exercuit, Saxen per x. ſeu Saxones, ſecundum linguam Latinam ſunt appellati. Inde eſt, quòd legitur in hiſtoria Romana: Valentinianus Imper. Saxones gentem in Oceani litoribus & paludibus inviis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus, in ipſis finibus Francorum oppreſſit. Et poſt pauca ſubjungitur: Hos quondam ſubacta interiori Germania à Druſo & Tiberio filiis adoptivis Cæſaris per caſtra diſpoſitos conſtat in magnam coaluiſſe gentem: nec tamen in eadem hiſtoria, ubi narratur de præliis Tiberii & Druſi, quæ geſſerunt contra gentes habitantes temporibus Auguſti inter Rhenum & Albiam fluvios, quas, ut ibidem dicitur, Claudius Druſus privignus Cæſaris ultra Albiam fluvium ſubmovit, ipſi nominantur Saxones. Unde vertitur in dubium, an ſtatim poſt mortem Alexandri M. Saxones venerint ad Germaniam: & ergo quidam credunt, eos veniſſe ad Germaniam tempore Martiani Imperat. quia temporibus ſuis quidam eorum occupaverunt Angliam. Sed conſtat, quòd Valentinianus, qui præceſſit Martianum in Imperio benè XXC. annis, contra Saxones bella exercuit in partibus Francorum, ut ſupra dictum eſt: & ergo temporibus Martiani non venerunt primum ad Germaniam. Fama tamen celebris fuit apud Saxones antiquitus, & literis ſic commendatum invenitur, quòd iſti primum navibus applicaverunt loco, qui dicitur Hadolaun, & Turingos tunc tenentes regionem illam offendebant: cum quibus primò pacem fecerunt, & interim quidam juvenis de Saxonibus egreſſus de navi auro oneratus cuidam Turingo occurrit: qui vendidit Saxoni tantum terræ, quantum in pallio ſuo portare potuit, pro certa auri quantitate. Saxo deinde per agros circumvicinos tranſiens, terræ pulverem undique ſparſit, & poſt hoc ſuos hortatur occupare terram, quam auro comparavit. Et ſic Saxones, ſumta occaſione, contra Turingos inſurgunt: quibus Turingi reſiſtere ſatagentes, terram armis defendere tentant. Poſtquam verò mutua ſe cæde ſternunt, treugas faciunt, & ad certum locum cauſſa pacis tractandæ ſe conventuros condicunt, eo pacto, quòd principes utriusque partis abſque armis conveniant. Erat autem uſus Saxonibus magnorum cultellorum, quos ſub ſagis deferebant, cum quibus ipſi ad locum condictum, Turingis non advertentibus, advenerunt, cumque de pace tractanda inciperent ſermonem, Saxones Turingos invadunt, & omnes principes eorum occidunt: & inde quidam arbitrantur, eos à cultellis acutis Saſſen appellatos, quia apud illos Saſſ cultellus

Digitized by Google

tellus acutus dicebatur. Unde adhuc apud nos ſenioribus novacula, qua pili radun-
tur, dicitur Saß/ & habemus inde verbum vulgare videlicet Saſſen/ id eſt, novacula cæ-
ſariem radere. Verius tamen videtur, quòd cultelli traxerunt nomen ab hominibus,
videlicet à Saxonibus, quàm quòd homines traxerint nomen à cultellis: cujus veſtigi-
um apparet in lingua Freſonica, ubi cultellus vulgariter Saxe nominatur. Et Weſt-
fali, qui in natione primæva Saxones ſunt, & ipſis Freſonibus vicini, ab eisdem Fre-
ſonibus Saxen appellantur. Poſtquam Saxones Turingos, ut prædictum eſt, interfece-
runt, & terram, quam occupaverant, obtinuerunt, Hugo rex Francorum Orien-
talium moritur, & reliquerat filiam nomine Amelbergam, quam Arminfrido regi
Turingorum dederat uxorem, & reliquit filium Thiadericum nomine, ſed natu-
ralem, quem Franci ſibi elegerunt in regem. Unde facta eſt concertatio inter
Thiadericum & Armenfridum de regno Francorum. Et Thiadericus vocavit Saxo-
nes in auxilium contra Turingos, eo pacto, ut Saxones patriam, quam armis Turin-
gis auferrent, perpetuò poſſiderent. Et venerunt Saxones ad eum cum novem mil-
libus armatorum, & erant veſtiti deſuper longis ſagis, longas haſtas, & ſcuta parva
portabant, & cultellos latos ad renes gerebant, ac per ſcapulas longa diffuſa Cæſarie
incedebant, ita quòd Francis propter habitum peregrinum & ferocitatem miraculo
fuerunt. Commiſſo deinde prælio inter Saxones & Turingos, multi ceciderunt ex
utraque parte, & de Saxonibus ad ſex millia occiſi, aut vulnerati ſunt. Deinde Irin-
gus quidam Turingorum potens ac præcipuus (à cujus nomine, vel fortè alterius e-
jusdem nominis aliquo, Turingorum nomen credunt exortum) mittitur ab Irmen-
frido ad Thiadericum pro pace tractandâ, & poſtquam concordaverunt de pace, de-
terminatum eſt inter eos, quòd ſequenti die tam Franconici, quàm Turingi unani-
miter contra Saxones vellent procedere, & eos omnes morti tradere: ne forte Saxones,
tam Francos, quàm Turingos impoſterum debellarent. Sed illud conſilium per u-
num de Turingis Saxoni cuidam detectum eſt, ea intentione, ut fuga ſe ſalvarent.
Sed Saxones quibus fuga fuit inſolita, deliberatione præhabita, arma capiunt, & ur-
bem Schidingen, ſuper fluvium Unſtroth ſitam, in qua Irminfridus reſidebat, noctu
pervadunt, & omnes tam mares, quàm fæminas, Irminfrido cum uxore & liberis
evadente, morti tradunt, & urbem ſibi poſſidendam vendicant. Et hæc dicitur pri-
ma civitas, quam Saxones obtinuerunt. Sequenti die aram victoriæ conſtruebant,
& diis ſuis immolabant: & ſic per tres dies continuos feſta celebrantes hoſtium ſpolia di-
viſerunt, & occiſorum exequias peragebant. Et quia iſtud in Kalendis Octob. actum
eſt, iſti dies apud Saxones ſingulis deinceps annis ſpeciali veneratione colebantur, &
ex hoc commemoratio omnium fidelium defunctorum in partibus Saxoniæ peragi
ſtatuta eſt, iisdem diebus videlicet proxima feria ſecunda, cum tertia & quarta feriis ſe-
quentibus poſt Kalendas Octob. quoniam ipſe dies Kalendarum, propter dominicam
diem quandoque inconveniens fuiſſet: Ut ſic ritus gentilis obſervantiæ, à quo vulgus
primò faciliter averti non poterat, paulatim in commemorationem omnium fidelium
defunctorum juxta morem eccleſiæ Catholicæ transferretur. Ex prædictis videtur,
quod Saxones longè poſt mortem Alexandri M. venerunt ad iſtas partes Germaniæ,
ex quo Francis eo tempore inviſi fuerunt, qui quidem Franci tempore Valentiniani
Imp. originem ſub hoc nomine Franci ſumſiſſe creduntur, prout infra patebit. Quod
autem Saxones à Macedonibus ſeu Græcis traxerint originem, mihi videtur maximè
apparere ex eo, quia Saxones inter omnes gentes utentes lingua Teutonica magis
concordant cum Græcis in prolatione vocum: quia ut dicit Iſidorus IX. Etymologiar.
Omnes gentes Orientis in gutture linguam & verba collidunt: ſicut Hebræi & Syri.
Omnes mediterraneæ gentes in palato ſermones feriunt: ſicut Græci & Aſiani. O-
mnes Occidentis gentes verba in dentibus frangunt: ſicut Itali & Hiſpani. Primos
videlicet illos, qui in gutture verba collidunt, quodammodo imitantur Teutonici,
qui ſunt in Alemannia alta, præſertim illi, qui habent à meridie Italiam, & ab oriente
Ungariam: ille videlicet, qui habitant Auſtriam, Styriam & Carinthiam. Illos verò,
qui verba in dentibus frangunt, imitantur illi Teutonici, qui medias partes Alema-
niæ inhabitant, videl. Franci, Turingi, Miſnenſes, Haſſones & alii eis ſimiles. Sed
illis, qui verba collidunt, & ferunt in palato Saxones manifeſtiſſimè ſimiles ſunt in
vocum prolatione, prout experientia docet, & ego ipſe expertus ſum. Dum enim

 eram

Digitized by Google

eram in quadam navi in partibus Calabriæ & Siciliæ, Græci quidam exiſtentes in eadem confabulabantur ad invicem me audiente, & cum verba eorum planè non adverterem, quoniam Italos eſſe credebam, viſum eſt mihi, quòd omnino idioma Saxonicum loquerentur, quoniam vocum colliſio & ſoni prolatio talis videbatur, ego admirando propius acceſſi, & cùm verba eorum diſtinctè audivi nec ea tamen intellexi, quoniam Idioma Græcum ignoravi, interrogabam de lingua eorum, & ipſi Græcos ſe eſſe dixerunt: admirabar de concordia prolationis verborum illorum & Saxonum, quoniam nondum legeram Saxones à Græcis exortos. Et quia dicit Iſidorus, ubi ſupra: tres ſunt linguæ excellentiores, videlicet Hebræa, Græca & Latina: & inter omnes linguas Græca clarior habetur, videtur quòd lingua Saxonica inter omnes linguas Teutonicas clarior ſit, quamvis ab omnibus non judicatur habilior. Saxones igitur occupantes terram in Alemannia baſſa, id eſt, Inferiori, inter Albiam & Rhenum fluvios, & mare Oceanum, ut ſuperius dictum eſt, poſtea ſecundum ſitus, in quibus habitare cæperunt, cognominati ſunt diverſis nominibus. Alii dicti ſunt Holtſaſſen, nunc corrupto nomine Holſtein / eò quòd in paludibus & ſilvis circa Oceanum ſedes ſibi vendicabant. Alii Saxones aquatici, eò quòd cætera litora Oceani verſus Oceanum occupaverunt. Alii ſimpliciter Saxones ſunt appellati, qui expulſis Turingis, ſolis villanis agricolis retentis, terram verſus meridiem ſibi vendicaverunt. Et iſtorum aliqui, ut ſupra dictum eſt, Weſtfali ſunt appellati. Turingi taliter expulſi non erant Teutonici, ſed Slavi verſus ſtagnum pulſi, quorum terra adhuc dicitur Wentlandt. Et ſic diſperſi ſunt, per villas tantummodò derelicti, ſicut videtur in diœceſi Magdeburgenſi, & ducatu Lunæburgenſi, & Brunſuicenſi, & in Marchia. Turingi verò, qui nunc ſunt, Saxones erant, ſed Miſſenenſes, nomen ab expulſis conſecuti: quos olim Saxones ſic nominabant, quaſi Dorreringe / quia aridi & inutiles videbantur ad bellum: ex glos. quadam Speculi Saxon. lib. III. art. XLIV. Similiter & Suevi creduntur ad Germaniam veniſſe per mare Oceanum de exercitu Alexandri magni, & fortè fuerunt cæteri, qui de montibus Caſpiis cum Saxonibus exierunt cum cæteris navibus, quas Saxones crediderunt maris tempeſtate periiſſe, & dicti ſunt Suevi à monte Suevo, qui ab ortu initium Germaniæ facit in partibus Septentrionalibus, quem montem aliquandiu incoluerunt. Unde Lucanus dicit:

Fundit ab extremo flavos Aquilone Süevos.

Sed quo tempore ad Germaniam venerint, non legi: conſtat autem ex hiſtoria Romana, eos eo tempore, quo Julius Cæſar imperavit, jam partes Alemanniæ ſuperioris tenuiſſe, prout infra patebit. Eo tempore, quo Alexander M. regnum Perſarum & Indiam ſubegit, Romani bellum cum Samnitibus habuerunt: & duravit bellum Romanorum cum Samnitibus annis L. intra quos Romani vix eos ex toto ſubegerunt: nec fatigata eſt virtus Romanorum ab aliqua gente Italiæ, ſicut à Samnitibus fatigata eſt: ut teſtatur Auguſtinus V. de C. D. (*cap. 22.*) Papyrius Cos. cùm duceret exercitum Romanorum contra Samnites, augures eum congredi prohibentes deriſit, & tamen feliciter dimicavit: nam XII. millia hoſtium cæſa, & III. millia capta referuntur.

Caput XII.

Poſt mortem Alexandri M. regnum ejus in quatuor regna diviſum eſt: nam Ægyptum obtinuit Ptolemæus Lagi F. & quia cum hac majorem partem Græciæ obtinuit, regnum ejus regnum Græcorum ſæpiùs nominatur, prout patet in libris Macchabæorum, ſæpe etiam regnum Ægypti dicitur, ut in Chronicis. Et ab iſto Ptolemæo omnes reges Ægypti poſt eum Ptolemæi cognominati ſunt, & ipſe regnavit annis XL. Anno ejus primo Aridæus frater Alexandri M. cœpit regnare apud Macedones, & regnavit annis VII. Eo tempore Romæ fuit Appius Claudius Cœcus, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam ſtravit. Ptolemæus anno III. regni ſui venit in Ieruſalem, & die ſabbati intravit templum ſub ſpecie religionis, & Judæos, nihil hoſtile ſuſpicantes, captivos abduxit, & multos ex eis nationibus vendidit circumvicinis. Anno Ptolemæi V. Antigonus ſuſcepit regnum Aſiæ, & regnavit annis XVIII. Et dehinc anno ſequenti Romani ſubegerunt Samnites, ut dictum eſt ſupra. Anno Ptolemæi VII. Caſſander cœpit regnare apud Macedones, & regnavit annis XIX. Anno Ptolemæi XIII. Seleucus Nicanor ſuſcepit regnum Syriæ & Babylonis, ac ſupe-

Digitized by Google

ac ſuperiorum locorum, & regnavit annis xxxii. & ſic regnum Alexandri diviſum eſt in quatuor regna. Hic Seleucus condidit Antiochiam, Laodicæam, Seleuciam, Apamiam, Edeſſam & Pellam civitates, & anno regni ſui xii. obtinuit Babylonem. Anno Ptolemæi xxiii. Demetrius Poliocertes cœpit regnare in Aſia, & regnavit annos xvii. Et anno ejus xxvi. regnavit apud Macedones Antigonus, & Alexander, qui regnavit annos iv. Deinde regnat Demetrius annos vi. Eo tempore Romæ cenſu agitato, inventa ſunt Romæ civium cclxx. millia. Seleucus in eas urbes, quas exſtruxerat, Iudæos conſtituit, jus eis civium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Anno ultimo ejus conditum eſt Ariminium in Gallia, quæ à Romanis quondam dicta fuit Gallia cis-Alpina, ut ſupra dictum eſt. Et eodem anno condita eſt à Romanis Beneventus in Samnia, ſecundum quod dicitur in Chronica Euſebii. Sed Titus Livius de conditione urbis lib. ix. vult quod Beneventus, ſeu Beneventum ante hæc tempora condita fuit: dicit enim referendo bellum Samniticum cum Romanis ante hoc tempus factum, ſic inquiens: Tota jam deinde vincere acie Romanus & omiſſo certamine cædi capique Samnitas, niſi qui Maleventum, cui nunc urbi Beneventum nomen eſt, perfugerunt: xxx. millia aut cæſa, aut capta Samnitum, memoriæ proditum eſt. Sed poteſt eſſe, quòd iſto tempore hoc nomen Maleventum, in hoc nomen Beneventum à Romanis mutatum ſit: nam patet ex eodem libro T. Livii, quod iſtud bellum, de quo loquitur, ante hoc tempus actum eſt. Hujus Ptolomæi temporibus ſurrexit bellum Tarentinum, quibus iterum auxilio fuerunt Samnites, & plurimæ gentes ad Tarentinas convenerunt, omnibuſque vehementior Pyrrhus rex Epirotarum. Regnavit enim apud Macedones annis vii. Pyrrhus menſib. vi. Hic cum totis viribus Epiri, Theſſaliæ, Macedoniæ incognitiſque in id tempus elephantis veniebat. Acceperat n. reſponſum hujuſmodi ab Apolline: Dico te Pyrrhe poſſe vincere Romanos: & ſic, ut dicit Auguſtin. iii. de C. D. Apollo ambiguum reſponſum edidit, ut è duobus quicquid accidiſſet, ipſe divinus haberetur. In primo igitur bello, quod Pyrrhus habuit cum Romanis, Romani victi ſunt, & ceciderunt peditum xiv. millia & octingenti: Equites cæſi ccxlvi. capti dccxii. Deinde Pyrrhus totam depopulatus Campaniam venit cum exercitu ſuo prope urbem milliaria xiix. & miſſi ſunt ad eum legati pro redimendis captivis, ſed Pyrrhus eos gratis remiſit, & Romani eos infames declarabant, quia armati capti ſunt: donec ſpolia occiſorum hoſtium reportaverunt. Romani cum Pyrrho in pacem conſentire noluerunt, niſi ipſe ab Italia recederet: ipſe verò terras, quas armis ceperat, voluit obtinere, unde bellum ſecundum factum eſt inter eos: & Romani cautius agentes contra elephantes uncis ferreis, ſeu globis ſpinoſis pice & ſulfure circumſeptis, & incenſis, uſi ſunt: attamen in eo bello Romanorum cæſa ſunt v. millia: ex parte verò Pyrrhi ceciderunt xx. millia. In tertio bello Pyrrhus amiſſis xxiii. millibus occiſis, & cccc. captis victus in Græciam rediit, ubi poſt multa bella ſaxo ictus occubuit. Cumque more regio combureretur, pollex dextri pedis ejus ab igne permanſit illæſus, & remedio erat, ſi cujus renes tumentes tetigiſſet: quare in loculo aureo incluſus in templo Jovis reconditus eſt, & iſtud miraculum utique à Diabolo factum eſt. Unde Auguſt x. de C. D. dicit: quod Porphyrius, ſcribens ad Anebuntem Ægyptium, de artib. magicis veluti dubitans, utrum in divinantibus, & quædam mira facientibus, animæ ſint potentiores; an aliqui ſpiritus extrinſecus veniant, eò quod lapidibus & herbis adhibitis & alligent quoſdam, & aperiant clauſa oſtia, vel aliquid ejuſmodi mirabiliter operentur. Et ſubdit Auguſtin. ibidem: Verùm quia talia & tanta geruntur his artibus, ut univerſum modum humanæ facultatis excedant, quid reſtat, niſi ut ea quæ mirificè tanquam divinitus prædici vel fieri videntur, nec tamen ad unius Dei cultum referuntur, cui ſimpliciter inhærere fatentibus quoque Platonicis, & permulta teſtantibus ſolum beatificum bonum eſt, malignorum Dæmonum ludibria & ſeductoria impedimenta, quæ vera pietate cavenda ſunt, prudenter intelligantur. Poſt mortem Pyrrhi regnat apud Macedones Lyſimachus, annis v. Poſt quem Ptolemæus qui & Ceraunus regnat anno uno. Iſtis temporibus multæ peſtilentiæ Romæ fuerunt, & hyems tam aſpera, quod nivibus horrenda altitudine per dies xl. manentibus Tiberis quoque glacie duraretur, & tunc Æſculapius medicus Romæ quaſi Deus habitus eſt: ſed cum contra peſtilentiæ morbos mederi

deri neſciret, ipſe ne imperitiæ notaretur, ad libros Sibyllinos recurrendum eſſe dixit, & exinde confinxit: Hanc eſſe cauſſam peſtilentiæ, quod multi plurimas ædes ſacras occupatas privatim tenerent. Poſt mortem Pyrrhi Tarentini popoſcerunt auxilium Carthaginenſium contra Romanos, & inde poſtea ortum eſt bellum Punicum. Tarentinum verò bellum habuit ortum ex eo, quòd Tarentini ſpoliaverant quaſdam naves Romanorum in mari, & noluerunt requiſiti à Romanis ſpolia remittere: ſed tandem Tarentus à Romanis capta eſt. Tempore belli Tarentini octava legio Romanorum tenens opidum Rheginenſe, diffidens contra Pyrrhum & Tarentinos pugnare, ipſum opidum Romanis confœderatum occupat, habitatorib. interfectis, & ſpolia inter ſe diſtribuit: quare Geminus cos. legionem obſedit, Rhegium capit, & legionem captam Romam remittit: cujus milites omnes juſſu populi in medio foro virgis cæſi, ſecuri percuſſi ſunt. Viſa eſt etiam tunc ſibi Roma vincere, cùm legionem ſuam integram occidit, quæ ſine dubio victa fuiſſet, ſi eam hoſtili prælio perdidiſſet. Temporibus Ptolemæi præfuerunt Judæis ſummi ſacerdotes, unus poſt alium, Onias F. Jaddi: Simon F. Oniæ, qui dictus eſt Juſtus: cui ſucceſſit fr. ſuus Eleazarus, pro filio ejus adhuc parvulo, qui dictus fuit Onias.

CAPUT XIII.

PTolemæus Philadelphus rex Ægypti regnavit annis XXXIV. Hic, ut teſtatur Iſidor. lib. VI. Etymol. omnium literatorum ſagaciſſimus, multos libros in Aſtronomia compoſuit: ſeptuaginta millia librorum in Bibliothecam collegit: nec contentus libris gentilium ſcripturas veteris Teſtamenti ex Hebræo in Græcam linguam transferri fecit. Nam, ut refert Joſephus, ipſe ad informationem Ariſtæi amici ſui, & Soſibii Tarentini, ac Andreæ, primatum cuſtodum ejus, CXX. millia Judæorum à vinculo captivitatis abſolvit: poſtquam ſibi fides eorum, quòd unum Deum factorem omnium, quem Ægyptii ζῆνα, id eſt, Jovem nominabant, eò, quòd omnibus ζῆν, id eſt, vivere daret, venerarentur, per eos expoſita fuerat, & Judæos in terram Iuda remiſit abſolutos. Dehinc ab Eleazaro ſummo ſacerdote viros Iudæos, in lege & lingua Græca peritos, ſibi tranſmitti poſtulavit: qui legem Judæorum in Græcam linguam transferrent, & nihilominus Eleazarum magnificis donis honoravit. Eleazarus igitur elegit LXX. vel ſecundum alios LXXII viros in lege peritos, & miſit eos ad Ptolemæum regem, quos rex ipſe cum lætitia magna ſuſcipiens, unicuique locum pro commodo ſuo ſigillatim fecit ordinari. Qui in ſeptuaginta diebus legem tranſtulerunt de Hebræo in Græcum, & ita miraculosè quod nullus eorum ab alio in verbo diſcordabat: quaſi translatio hujuſmodi per unum ſolum facta eſſet. Cumque legem regi offerrent, ipſe præ gaudio lacrymatus eſt, & cùm eam legiſſet ad ſuos admirando dixit: cum legiſlatio tam mirabilis eſt, quare nemo de hiſtoriographis, aut poëtis facit de ea mentionem? Et reſpondit ei Demetrius, qui bibliothecæ præfuit, neminem harum legum auſum fuiſſe tangere deſcriptionem, quia læſi ſunt quidam ad hoc præſumentes, puta Theopompus, qui ex hoc fuit mente perturbatus plus XXX. diebus, & Theodectes Tragœdiarum ſcriptor, qui ex hoc fuit oculis obſcuratus: ſed dum uterque eorum ab incœpto deſtitit, & legem ſanctam impuris hominibus non licere tractare, perpendit, à paſſione liberatus eſt. Iſti LXX. viri fuerunt translatores legis veteris teſtamenti de Hebræa lingua in aliam linguam, videl. Græcam, & vocantur communiter LXX. interpretes. Poſtea fuerunt plures translatores in diverſas linguas, de quibus ſuis locis infra patebit. Anno ab V. C. CCCCLXXVII. de multis fontibus Romæ ſcaturivit ſanguis, & lac in ſpecie pluviæ cecidit de cœlo, & ſecuta eſt gravis peſtilentia, per duos annos. Seleucus Rex Syriæ & Babylonis, capto Demetrio rege Aſiæ, Syriæ & Aſiæ pariter imperavit. Et poſt Seleucũ Soter regnavit annis XIX. poſt quem Antiochus Θεὸς regnat annis XV. Anno Ptolemæi Philadelphi X. Romani obtinuerunt Tarentum traditione: Et anno ſequenti tranſmiſſo freto Siculo, quod interjacet inter Calabriam & Siciliam, ceperunt Meſſanam civitatem, & eodem anno Calabriam obtinuerunt. Appius Claudius invadens Siciliam plures civitates obtinuit, & M. Marcellus invadens Syracuſas civitatem Siciliæ conſtituit edicto, ne quis corpus liberum violaret. Deinde à Cornelio Scipione Sardinia & Corſica inſulæ captæ ſunt. Et deinde ſequitur bellum Punicum, quod primùm M. Attilius Regulus attentat, & dicitur Punicum, quia cum hominib. Punicis, id eſt Pænis, ſeu Afris geſtum eſt: & primum bellum

Digitized by Google

bellum Punicum duravit per annos XXIII. Et v. anno hujus belli Romani intra LX. dies, poſtquam arbores cæſæ ſunt, claſſem CXXX. navium ex toto compleverunt. Marc. Regulus profectus in Africam cum exercitu, ſerpentem miræ magnitudinis, videl. CXX. pedum longitudinis, exercitum acriter impugnantem occidit, & pellem ejus Romam deſtinavit, & ipſe, poſtquam plus quam trecenta caſtra Africæ vaſtavit, Karthaginem nititur obſidione concludere: ſed tandem captus eſt vivus, & in carcere incluſus. Ipſe tamen licet Carthago ei non ceſſerat, de fortuna viſus eſt triumphaſſe, cùm carcere Punico non infractus, pacem inire Romanis cum Pœnis, aut commutationem captivorum fieri cenſuit non debere. De iſto Marco Auguſtin. I. de civitat. Dei dicit ſic: M. Regulus captus à Carthaginenſibus, miſſus eſt Romam cum legatis ipſorum Carthaginenſium, ut commutationem captivorum impetraret à Romanis, & conſtrictus juramento quòd ſi non poſſet hoc obtinere, rediret, captivos commutari diſſuaſit, & propter juramentum, licet à ſuis ad hoc non compelleretur, Carthaginem rediit, & in carcere miſerabiliter jugulatus eſt. Deinde Auguſtin. poſt longum paſſum ſubdit. Inter omnes ſuos laudabiles & virtutum inſignibus illuſtres viros, non proferunt Romani meliorem, quem neque felicitas corruperit: nam in tanta victoria pauperrimus remanſit, nec infelicitas fregerit: nam ad tanta exitia revertit intrepidus. Item III. de C. D. de eodem: Nihil ſanè miſerabilius primo bello Punico accidit, quàm quòd ita Romani victi ſunt, ut etiam Regulus ille caperetur: qui etiam ipſum bellum Punicum confeciſſet, niſi aviditate nimia laudis & gloriæ duriores conditiones, quàm ferre poſſent, Carthaginienſibus imperaſſet. Poſthæc cum Pœni Siculis auxilium præberent, apud Panormum victi ſunt à Metello cos. qui in eo bello C. ipſis elephantes abſtulit. Poſt hoc M. Fabius magna præda claſſe onuſta naufragium paſſus eſt: Tandem Lucatius Catulus cos. bello finem impoſuit apud inſulas Ægates, cùm naves Carthaginienſium roſtratis navibus ita laceravit, ut totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio operuerunt. Unde ſupervacuum viſum eſt in arcem muroſque ſævire, cum jam in mari deleta eſſet Carthago, & ſic primum bellum Punicum finitum eſt, & requies fuit inter Romanos & Carthaginienſes. Unde Auguſtin. lib. II. de C. D. de his ſic dicit: Ad reprimendam nequitiam ſervandoſque mores optimos tunc apud Romanos, ut metu mali cohiberentur Naſica Carthaginem noluit everti. Iſtis temporibus nummus argenteus Romæ primùm fuit cuſus. Regnum Syriæ obtinuit Seleucus Callinicus annis XX. poſt quem Seleucus Ceraunus regnavit annis III. Poſt quem Antiochus magnus regnavit XXXVI. annis. Ptolemæus Evergetes regnavit annis XXVI. & dictus eſt Evergetes, quod ſonat revectio: quia Idola Ægyptiorum, quæ Cambyſes deduxerat in Perſas, ipſe reduxit. Sub quo rege ſummus Pontifex apud Judæos erat Onias, filius Simonis Juſti, cujus Simonis Fr. erat Eleazarus, ut ſupra dictum eſt. Iſte Onias Evergetæ regi tributa ſubtraxit: unde rex contra Judæos commotus eſt: ſed Joſephus vir nobilis, Thobiæ F. & ſororis Oniæ, ad regem miſſus eſt, qui regis iram mitigavit, & ſuper tributa regionis à rege conſtitutus eſt. Iſte Joſephus, vel Joſippus, habuit filium Hyrcanum nomine, quem rex Ptolemæus ad ſe à patre transmiſſum quadam vice invitavit ad menſam: cumque diſcubuiſſet cum primoribus provinciarum ultimus omnium, & tanquam puer ab his, qui loca ſecundum dignitates habebant, contemneretur, omnes convivæ regis oſſa ciborum ante eum projecerunt, & ad hoc ipſe tacuit. Trypho igitur, qui ad convivia & riſus convivarum erat aptus, juxta menſam aſſiſtens, rogantibus ſe convivis, regi ait: Vides, domine, antepoſita oſſa Hyrcano, ex hoc coniice, quod & pater ejus ſic omnem Syriam denudavit, quemadmodum hæc oſſa iſte carnibus exſpoliavit. Ridente verò ad verba Tryphonis rege, & interrogante Hyrcanum, cur ante eum tanta oſſa jacerent: aptè, inquit, Domine, Nam canes ſemper oſſa cum carnibus devorant, ſicut iſti fecerunt; illud dicens de accumbentibus, quoniam ante eos oſſa minimè jacebant. Homines verò carnes comedunt, oſſa autem jactant, quod & ego tanquam homo nunc feci. Rex igitur miratus ejus reſponſum, tam ſapienter dictum, omnes juſſit applaudere verbum ejus laudantes. Iſtis temporibus Galli Transalpini, congregati cum Gallis ciſalpinis, contra Romanos apud Aretium bellum inſtaurant, & vincunt: & fuerunt in exercitu Romano XXC. millia armatorum, quorum tribus millibus interfectis cæteri fugerunt. Poſt hoc iterum commiſſo certamine

Romani

Romani vicerunt, & Æmilius dux Romani exercitus victos in Capitolio diſcinxit, & quia dux exercitus Gallorum de Romano milite Marti ſuo torquem auream voviſſet, de torquibus eorum aureum trophæum erexit. Deinde anno ab V. C. DIIX. Manlius Torquatus duxit exercitum Romanum primùm trans Padum contra Ligures & Gallos & vicit eos: Et deinde multa prodigia viſa ſunt, videl. ſanguis in flumine Piceno: apud Hetruſcos cœlum ardere: apud Ariminum clara luce tres Lunas diſtantes quidam videre, & Romæ bos locutus eſt, dicens, cave tibi Roma: carnes etiam de cœlo lapſæ ſunt. Eodem anno Flamminius cos. contemtis auſpiciis, quibus pugnare prohibebatur, adverſus Gallos conflixit, & vicit, & deinde Mediolanum tunc florentiſſimam expugnavit. Hoc tempore Jeſus filius Syrach, librum Sapientiæ, qui Eccleſiaſticus dicitur, deſcripſit: in quo mentionem facit de Simone ſupradicto. Mortuo Onia, avunculo Joſippi, ſummo ſacerdote, ſucceſſit ei filius Simon: quo mortuo, ſucceſſit ei filius alter Onias.

CAPUT XIV.

PTolemæus Philopator regnavit annis XVII. ſub quo rege iterum victi ſunt Judæi, & LX. millia cæſa ab Antiocho rege Syriæ, qui vicerat Ptolemæum, & Syriam ſubegit. Hic Antiochus magnum belli apparatum contra populum Romanum movit. XXX. ſiquidem armatorum millia, & currus falcatos, & elephantes turritos multos habuit, cui obvians Scipio, Scipionis Africani frater, eum devicit, & cum Romanis fœdus inire coëgit. Unde ex ſenatus conſulto ultra Taurum montem regnare permiſſus eſt: filiosque ſuos Seleucum & Antiochum obſides tradidit: quos populus Romanus poſt obitum genitali loco regnare conceſſit. Iſtis temporibus bellum Punicum ſecundum agitur: nam Hannibal dux Carthaginenſis exercitus, anno ab V. C. DXXXIV. procedens ab Africa, Saguntum, civitatem Hiſpaniæ opulentam, fidelem Romanis, obſedit. In quo eodem tempore quædam mulier penè enixa eſt puerum: ſed puer intra uterum regreſſus deſignavit civitatem perituram, juxta conjectorum opinionem. Unde Saguntini IX. menſibus fame, machinis, ferroque fatigati, Romanis non ſuccurrentibus, immanem excitant rogum, & deſuper ſe ſuosque cum omnibus opibus ferro & igne corrumpunt. Unde Auguſtin. lib. 3. de C. D. de hoc ita dicit: In omnibus belli Punici ſecundi malis nihil miſerabilius miſerabilique querela dignius, quàm exitium Saguntinorum fuit. Multa prodigia hoc ipſum bellum præceſſerunt. Nam ſolis orbis minui viſus eſt: Sol quoque cum luna pugnaſſe: in Gallia lupus gladium è vagina ſuſtulit: In Sardinia duo ſcuta ſanguine ſudarunt: Faliſcis cœlum magno hiatu ſcindi viſum eſt: apud Antium ſpicæ cruentæ à meſſoribus viſæ cadere ſunt in corbem cum pluviis cruentis. Poſt Saguntinorum excidium Fabius dux legationis ad Hannibalem à Romanis deſtinatur, qui dixit:, quæ mora eſt: in hoc ſum ego: bella pacemque porto, utrum eligitis? ſuclamantibusque ipſis Pœnis Bellum: Bellum, inquit, accipite: & excuſſo in medio curiæ togæ gremio, non ſine horrore quaſi planè ſinu bellum ferret, effudit. Hannibal igitur ultra proficiſcens pervenit ad Alpes, ſuperatisque Galliæ montanis, invias rupes ferro ignique reſcindit, & cum C. millibus peditum, & C. millibus equitum, & XXXVII. elephantis intrat Italiam, & pluries pugnans cum Romanis, nunc vincit, nunc illi vincunt. Unde in primo prælio, quod apud Ticinum, quæ nunc Papia dicitur, actum fuit, Hannibal vicit, & in ſecundo ſimiliter vicit: & in tertio cos. Romanus occiſus eſt, & cæſa ſunt Romanorum XXV. millia & VI. millia capti, & cæteri diffugerunt. In quarto verò prælio Romani vicerunt, quia caſtra poſuerunt in montibus & ſilvis. Anno dehinc ab V. C. DXL. Hannibal iterum vicit Romanos, & perierunt in eo prælio viri conſulares, aut prætorii XX. ſenatores capti aut occiſi XXX. nobiliores CCC. peditum Romanor. XL. millia: equitum III. millia & quingenti. De Hannibalis autem exercitu ceciderunt III. millia, & multi ſunt ſauciati. Tunc Hannibal obtulit Romanis, ut captivos redimerent: reſponſumque eſt ei à ſenatu: Illos cives eis non eſſe neceſſarios, qui dum armati fuiſſent, capi potuiſſent: quare Hannibal eos omnes variis ſuppliciis interfecit: & in ſignum victoriæ ſuæ miſit Carthaginem tres modios annulorum aureorum, quos ex manibus Romanorum extraxerat. Tunc Romani reſidui ad tantam devenere deſperationem, quod putaverunt conſilium ineundem de relinquenda Italia, & ſedibus quærendis: quod Scipio, qui poſtea dictus eſt Africanus, omnino diſſuaſit. Quare, conſilio habito,

Digitized by Google

bito, ſervos ſpectati roboris, aut voluntate, aut pecunia ad hoc emtos: & indifferenter quoſcunque homines, aut ſceleribus obnoxios, impunitate promiſſa, ad libertatis titulum ſub ſacramento militiæ receperunt. Itaque exercitus eorum pervenit ad VI. millia armatorum. Et tunc, non obſtante tanta depreſſione, miſerunt exercitum in Macedoniam contra Philippum: & alium contra Sardiniam, & tertium in Hiſpaniam contra fratrem Hannibalis. Cn. enim & P. Scipiones Romani exercitus duces ferè totam Hiſpaniam obtinuerunt: ſed tandem inſidiis Punicæ fraudis obſeſſi eam rurſus amiſerunt, alterque eorum ferro cadens alter igni conſumtus eſt. Quare Scipio, qui poſtea dictus eſt Africanus, in ultionem patris ac patrui miſſus cum exercitu totam Hiſpaniam recuperavit. Iſte Scipio dum ceperat novam Carthaginem, Hiſpaniæ civitatem opulentiſſimam, & quædam virgo pulcerrima adulto flore ab eo comprehenſa fuiſſet, parentibus conceſſit, ut eam redimerent: quod cùm factum eſſet, ſponſum virginis nobilem genere ad ſe venire perſuaſit, & puellam illi, quam ipſe priùs deſponſaverat, tradidit, & precium, quod à parentibus receperat in dotem ſibi condonavit: propter quod factum multi de partibus illis ſe ei ſubdiderunt. Dehinc Haſdrubal frater Hannibalis cum exercitu ſuo novis viribus nova belli mole veniebat. Hunc cùm ab Alpibus deſcenderet Claudius unà cum Livio Salinatore debellabat. Anno ab V. C. DXLIII. Hannibal habuit bellum cum Romanis: in quo Cn. Fulvius cum IIX. millibus Romanorum interfectus eſt. Poſt hoc Marcellus Cos. cum Hannibale circa Nolam triduo continuè dimicavit: primò pari pugna diſceſſerunt: ſecundò Cos. eſt victus: tertiò ipſe conſul vicit, & IIX. millibus interfectis, Hannibalem fugere ad caſtra compulit. Quare Hannibal eodem anno caſtrametatus eſt prope urbem ad tria milliaria, & direxit aciem via Latina verſus urbem. Unde facta eſt non modica trepidatio intra urbem. Romani tamen, quamvis deſperati, ordinabant aciem ex adverſo: & cùm jam ex utraque parte committere vellent, ſupervenit maxima tempeſtas imbrium cum grandine: ita quod uterque exercitus vix poterat ſe continere: iſtis ad urbem, illis ad caſtra conferentibus. Facta autem ſerenitate, acies iterum diriguntur in campum, & tunc fortior priore ſupervenit imbrium tempeſtas, ita quòd neceſſario à bello ſe continere ac recedere coacti ſunt: & deinde Hannibal ad Brutiam Italiæ provinciam ſe contulit, & deinde Sempronius Cos. commiſit pugnam cum Hannibale, & victus Romam refugit. Anno poſtquam Hannibal ad Italiam venerat XVII. Carthaginenſes miſerunt ad eum mandantes ei ut rediret in Africam, ad reſiſtendum Scipioni, qui eam quaſi totam vaſtaverat. Hannibal igitur recedens ab Italia omnes milites, qui eum ſequi in Africam recuſabant, interfecit, & veniens in Africam frequentibus præliis à Scipione victus eſt: ita ut pacem & colloquium Scipionis optaret, ſed cum pace concordare non poterant, Hannibal recedens ab Africa ad Antiochum regem Syriæ ſe contulit: cumque poſceretur à Romanis, ipſe ad Pruſiam regem Bithyniæ fugit: ubi tandem cùm poſceretur à Romanis in urbe Nicomedia venenum bibens mortuus eſt. Poſt mortem Anthiochi regis Syriæ filius ejus Seleucus regnavit. Iſte miſit Heliodorum in Ieruſalem ad ſpoliandum ærarium, de quo legitur in libro Macchabæor. Eo tempore apparuit in Sicilia pars inſulæ Vulcani montis antea non viſa, quæ manet adhuc. Antiochus F. Antiochi M. regis Syriæ prædicti frater Seleuci, Romæ obſes datus à patre, audiens mortem patris, & inertiam fratris perpendens, venit in Syriam & quia ſtrenuus erat & acer in hoſtes, à populo dictus eſt Epiphanes, quod ſonat illuſtris, & hic eſt, de quo dicitur in lib. Macchabæor. Et exivit ex eis radix peccatrix Antiochus illuſtris: & ipſe, fratre ſuo Seleuco decedente, obtinuit regnum, & multa mala commiſit in Judæos, ac legem eos obſervare prohibuit. Mortuo Onia ſummo ſacerdote, remanſit filius ejus parvulus Onias nomine. Habuerat ipſe Onias duos fratres, quorum unus dicebatur Ieſus, alter Iohannes: iſti appetentes ſummum ſacerdotium, volentesque placere regi, impoſuerunt ſibi nomina gentilium: ita quòd Ieſus nominavit ſe Iaſon, & Iohannes voluit nominari Menelaus. Et acceſſit Iaſon ad regem Antiochum, & vendidit ei rex ſummum ſacerdotium, & tunc ignis, qui LXX. annis latuerat ſub aqua in altari, extinctus eſt. Poſt hoc petiit Menelaus à rege licentiam ædificandi in Jeruſalem Gymnaſium, id eſt, domum, in qua de ritu gentilium doceretur, & Judæos ſcribere Antiochenos, & legem Judæorum omnino deſtruere. Qua-

Digitized by Google

re Antiochus elevavit Menelaum, & depoſito Jaſone, ipſum conſtituit ſummum ſacerdotem: de quibus pleniùs patet in lib. Machabæor.

CAPUT XV.

PTolemæus Epiphanes regnavit annis XXIV. Hic directo Scopa principe militiæ in Iudæam, capit eam: rurſusque Antiochus Scopam ſibi ſociat in amicum. Hoc tempore Matathias cum filiis ſuis legem defendit. Nam cùm Antiochus repulſus eſſet ab Ægypto per nuncios Romanorum, venit in Ieruſalem, & Menelao ducente ingreſſus eſt templum, & ſpoliavit illud omnibus ornamentis, & poſuit in eo Idolum Jovis Olympici, & prohibebat legem Moyſis obſervare, & extruxit arcem in monte Sion, & poſuit ibi præſidium Macedonum, & miſit in univerſas urbes judices, qui punirent eos, qui legem obſervarent. Unde Apollonius judex veniens in Modin vicum, Iudæos Idolo ſacrificare compellere ſatagebat: cumque quidam de Iudæis ei obtemperaſſet Idolo ſacrificans, Matathias unus de majoribus & de genere ſacerdotum zelo legis accenſus, tam judicem, quàm Iudæum trucidavit, & ſtatim cum omni domo ſua, relictis omnibus, quæ poſſederat, fugit in deſertum. Hic Matathias habuit quinque filios, videl. Simonem, Iudam Macchabæum à quo fratres ſui propter ſtrenuitatem omnes ſunt Macchabæi cognominati, Iohannem, Eleazarum & Ionathan. Poſt mortem Matathiæ Iudas Macchabæus filius ejus ſumſit ducatum, & ſimilis factus leoni in operibus ſuis, & exterminavit impios ex Iſrael. Poſt etiam bellavit contra Apollonium ducem exercitus Antiochi, quem occidit, & gladium ejus abſtulit, quo ipſe poſtea pugnavit: deinde contra Seron principem exercitus Syriæ progreſſus, proſtravit de exercitu ejus XXC. viros. Poſtea convenerunt contra Iudam Nicanor & Gorgias cum XL. millibus peditum, & VII. millibus equitum, præter exercitum Syriæ, qui adjunctus eſt eis: ſed Iudas cum tribus millibus virorum vicit eos, & ſtravit ex eis tria millia virorum, & cæteri fugerunt. Deinde venit Lyſias cum LX. millibus peditum, & V. millibus equitum contra Iudæam, & Iudas ſtravit ex eis V. millia virorum. Et poſt hoc reformavit Iudas templum, quod jam tribus modis deſolatum remanſerat, & ædificavit novum, & celebravit dedicationem templi octo diebus, & ornavit templum coronis aureis & frondibus virentibus arborum, in ſignum & memoriam, quòd modico tempore ante hoc elapſo ipſi degebant in montib. & ſilvis. Inter hæc Antiochus rex in Perſide morbo miſerabili ſibi divinitus, ut profitebatur, immiſſo, interiit, & ſucceſſit ei filius ſuus Antiochus, qui dictus eſt Eupator. Hujus tempore Iudas arcem montis Sion obſedit: & Antiochus colligens exercitum C. millium peditum, & XX. millium equitum cum XXXVII. elephantis venit in Iudæam: contra quem Iudas ab obſidione recedens cum exercitu ſuo proceſſit, & de præcurſoribus regis DC. viris proſtratis, exercitus regis fortitudinem ſuſtinere non valens, Hieroſolymam ſe recepit, & rex eam cum ſuis obſidione concluſit. Sed quia deſertis regni ſui negotiis, juxta ſuorum conſilium rex diſpoſiturus obſidione ſoluta receſſit. Deinde Demetrius Seleuci F. fugiens ab urbe Roma, & perveniens Tyrum, impoſuit ſibi diadema & perduxit populus ad eum Antiochum & Lyſiam vivos, quos ipſe jubebat occidi & confirmavit Alcimum in principatu, cui quamvis, ut refert Ioſephus, (*lib. 12. Antiquit. cap. 15.*) non exiſtenti de genere ſacerdotum, Antiochus poſt mortem Oniæ ſummi ſacerdotis, ab Andronico Antiochiæ injuſtè occiſi, contulerat ſummum ſacerdotium. Hunc Alcimum, aliàs dictum Joachim, volentem deponere murum ſanctuarii veterem & conſtructum ab antiquis Prophetis, plaga quædam de repentino percuſſit: ex qua ipſe mutus in terram cecidit, & tortus per multos dies deteſtabiliter expiravit, poſtquam annis quatuor tenuit principatum. Deinde populus Iudæ Macchabæo ſacerdotium contulit, qui tamen miſit legatos Romam de amicitia cum Romanis contrahenda. Nicanor venit cum exercitu in Iudæam, contra quem Iudas proceſſit, & commiſſo prælio, ceciderunt de parte Nicanoris ferè ad V. millia virorum: Et rurſus commiſſo certamine Nicanor cecidit, & caput ejus cum manu abſciſſum in Ieruſalem deductum eſt cum gaudio magno. Poſtquam verò Iudas Macchabæus ſacerdotii principatum tribus annis tenuit, ipſe contra Bacchidem ducem exercitus Demetrii XX. millia producentem, tantum cum DCCC. viris, plurimis ſuorum ſe deſerentibus, proceſſit ad bellum. Cumque ſui à bello deſiſtendum eo tempore ſibi ſuaderent, reſpondit: non videat hoc ſolis aſpectus, ut

terga

Digitized by Google

terga meis hoſtibus nudem: ſed licet omni modo immineat perire, pugnando fortiter ſtabo, omnia viriliter perferens futura pericula. Unde bello durante uſque ad ſolis occaſum, dexteroque cornu in quo Bacchides erat fugato, Iudas ab exiſtentib. in ſiniſtro cornu, ei à tergo venientibus circumſeptus, multis eorum interfectis, percuſſus interiit. Hoc tempore Livius tragœdiarum ſcriptor Romæ clarus habetur, qui ob ingenii meritum à Livio Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertate donatus eſt. Iſte eſt ille Titus Livius, quem propter eloquentiæ gratiam quidam de ultimis finibus Hiſpaniæ Romam viſuri venerunt, ut teſtatur Ieronymus in epiſtola ad Paulinum. Anno ab V.C. DCVI. cùm tertium bellum Punicum agebatur, quod non ex toto quatuor duravit annis, à Scipione minore, cujus avus, ſicut & iſte Scipio, Africanus eſt dictus, Carthago deleta eſt. Scipio enim ſex diebus & noctibus continuis oppugnavit eam, & ipſa regina uxor Haſdrubalis, incenſa civitate, ſe flammis injecit & arſit civitas ipſa decem & ſeptem diebus. Hæc civitas muro in circuitu habente XXII. millia paſſuum circundata erat: & murus ipſe habuit in latitudine cubitos XL. & erat ex lapide quadrato: & ipſa erat ferè ex toto mari circumdata, præter fauces, per quas acceſſus erat ad eam, & erant fauces ipſæ trium milliarium longitudinis. Cumque civitas ipſa capta eſſet, Apollo veſte aurea ſpoliatus inventus eſt, & manus eorum cum cruſtis tunicæ, qui ſimulacrum ſpoliaverant, inventæ ſunt.

CAPUT XVI.

PTolemæus Philometor regnavit annis XXXV. Sub hoc rege Ariſtobulus Iudæus peripateticus philoſophus ſcripſit commentarios in libros Moyſis, & obtulit eos Ptolemæo. Ad hunc Ariſtobulum ſcripſerat Iudas Macchabæus ſecundum librum Macchabæorum. Poſt mortem Iudæ Macchabæi Ionathas frater ejus ſucceſſit ei in principatu. Hic cum fortiter egit, & regibus videlicet liberis Seleuci & Antiochi fratris ſupradictorum inter ſe diſſidentibus, magnificatus: ſed tandem inſidiis Typhonis, qui dux exercitus Alexandri horum regum alterius fuerat, occiſus eſt: & Simon frater ejus ſucceſſit ei in principatu. Iſtis temporibus Mithridates rex Parthorum ſubegit omnes gentes inter Hydaſpen & Indum fluvios habitantes, & uſque in Indiam bellum produxit. Item Romæ natus eſt puer quadrupes ex ancilla cum quatuor manibus, quatuor oculis, auribus totidem, ſexu virili. In Sicilia mons Æthna ignem emiſit ut regionem circumquaque vaſtaret. In Bononienſi agro fruges in arboribus natæ ſunt. Hoc tempore Scipio obſedit Numantiam civitatem Hiſpaniæ: cujus cives fortiſſimi fuerunt bellatores. Erant tantum IV millia pugnatorum, qui non ſolum XL. millia Romanorum XIV. annis ſuſtinuerunt, ſed ſæpe vicerunt, & pudendis fœderibus affecerunt. Tandem prævalente Romanorum multitudine Numantini petiverunt, ut concederetur eis juſtum bellum, & liceret eis in bello mori ut viris: quod dum eis à Romanis negatur, ipſi impotionantes ſe potu, quem longa obſidionis fatigatione cogente excogitaverant, & cereviſia idem potus poſtea dictus eſt, è portis civitatis erumpentes, & ſtrage magna in exercitu Romanorum facta, non ut fugientes, ſed ut ornatè retrocedentes intra civitatem ſe receperunt, portiſque clauſis ſeipſos cum omnibus ſuis incendio conſumſerunt. Unde Romanis magis gaudendum erat eos evaſiſſe, quam viciſſe. Hoc tempore Attalus rex Aſiæ obiit, hæredemque populum Romanum reliquit, & ſic Aſia imperio Romano per teſtamentum acceſſit. Poſt hoc ortum eſt bellum civile inter Gracchum ducem ex una parte, & Scipionem & Pompejum cum ſuis parte ex altera, & Gracchus in bello occiſus eſt, & Scipio occultè jugulatus; de cujus morte ſuſpecta erat uxor ſua, quia ipſa erat ſoror Gracchi.

Ptolemæus Evergetes regnavit annis XIX. Hic ſororem ſuam ſtupro cognitam, ac deinde in matrimonium receptam noviſſimè turpius, quam duxit, abjecit, & privignam ſuam, filiam videlicet ſororis & conjugis ſuæ, conjugem aſcivit: filium quem ex ſorore ſuſceperat, nec non & filium ſororis occidit. Quare tandem per Alexandrinos regno depulſus eſt. Simon frater Ionathæ mortem fratris appetens vindicare, Antiocho præſtitit auxilium contra Tryphonem: non tamen multo poſt hoc Antiochus miſit exercitum in Iudæam contra Simonem. Simon verò, quamvis ſenex, bellum juveniliter adminiſtrat, clariſſimaque potitus victoria, pontifex declaratur, & ſic, ut refert Ioſephus, ipſe CLXX. poſt annos Iudæos liberat à dominatione Macedonum:

Digitized by Google

donum: & tandem captus inſidiis Ptolemæi generi ſui in convivio interfectus eſt, duobus filiis & uxore ejus ab eodem Ptolemæo in cuſtodia concluſis. Hyrcanus autem filius ejus, qui & Iohannes dictus eſt, exiſtens apud patrem inſidias Ptolemæi percipiens, auxilio populi evaſit: qui patrium poſt ſumſit honorem, & XXXIII. annis rebus fortunatiſſimè adminiſtratis relictiſque filiis, moritur plurima eisdem filiis prædicens: & inter cætera prædixit duos filios ſuos majores, rerum dominos non eſſe permanſuros. Hoc tempore M. Varro poëta & philoſophus naſcitur.

CAPUT XVII.

PTolemæus, qui & Phyſcon, vel Soter, dictus, regnavit annis XVII. Anno ejus IIX. Rhodus civitas terræmotu concuſſa eſt. Ariſtobulus F. Hircani ſive Iohannis, major natu poſt mortem patris, translato in regnum principatu, diadema ſibi primus impoſuit CCCCXXCV. annis ac tribus menſibus poſt, quam populus in eam terram devenit ſervitio, quod apud Babylonios ſuſtinuit, liberatus, & ſic regnum Iudæorum reſumtum eſt. Hic Ariſtobulus fratrem ſuum Antigonum, namque illum diligere videbatur, in pari honore producebat: reliquos vero fratres cum matre cuſtodiæ tradidit, & tandem matrem fame necavit. Poſt hoc, uxore ſua doloſe procurante, Antigonus occiſus eſt. Cum enim quadam vice Antigonus è militia rediret, quidam delatores regem Ariſtobulum tunc quadam adverſa valetudine correptum, adeunt, dicentes: Antigonum cum magna copia armatorum veniſſe, ut regnum invadat. Ariſtobulus motus hiſce verbis, miſit, licet invitus, ſatellites ſuos ad quendam locum obſcurum, per quem Antigonus erat tranſiturus ad eum committens ei, ſi Antigonus veniret armatus, quod ipſum occiderent: ſi vero veniret inermis, quod parcerent ei; & miſit alios, qui deberent vocare Antigonum ad ſe, & dicere ſibi, quod nullo modo veniret armatus: quod uxor Ariſtobuli percipiens, miſit ad Antigonum aſſerens, quod frater ejus rex libenter eum videret in armis, quæ ſecum de Galilæa detulerat. Unde nuncii mandato regis prætermiſſo, & reginæ verbis obtemperantes, vocaverunt Antigonum: qui veniens armatus rege innocente occiſus eſt, certumque, ut dicit Ioſephus (*Antiquit. lib. 13. cap. 19.*) documentum præbuit: omnem benevolentiam juſque naturæ criminationibus cedere, nullamque optimarum rerum affectionem tantum valere, ut invidiæ perpetuò poſſit obſiſtere. Ariſtobulus cùm non plus anno regnaſſet, miſerabili peſte interiens defunctus eſt, & uxor ſua fratres ſolvit à vinculis regem ex eis conſtituens Alexandrum, qui major erat ætate, & ipſe poſtquam poteſtatem adeptus eſt, alterum fratrum ſuorum regnum appetentem occidit: alterum vita contentum ſervabat. Ptolemæus Phyſcon à matre ſua expellitur de regno, & in Cyprum ſecedit, & regnat pro eo Alexander annis X. Anno autem ab V. C. DCXLII. à Gallis & Germanis XXC. millia Romanorum occiſa ſunt, & XL. millia calonum & lixarum. Poſt hoc circa Rhodanum victi ſunt Galli à Romanis: deinde Teutones & Cymbri, transgreſſi in Italiam, victi ſunt à Mario & Catulo Coſſ. & cœſa ſunt CXL. millia & XL. millia capti, & de Romanis CCC. perierunt. Poſt hoc anno ab V. C. DCLIX. in Italia prodigia viſa ſunt. Nam ſub ortu ſolis globus igneus à ſeptentrione cum magno fragore cœli emicuit: apud Aretinos ſanguis de panibus fluxit: in Samnitibus è vaſtiſſimo terræ hiatu flamma prorupit, & uſque in cœlum extendi viſa eſt: cuncta animalia, quæ manus hominum blandè perpeti, atque inter homines vivere ſolita erant, ſtabulis relictis & paſcuis cum balatu, hinnitu mugituque ad ſylvas monteſque fugerunt: canes quoque, quorum natura eſt extra homines eſſe non poſſe, lacrymoſis ululatibus vagi, ut lupi, oberraverunt. Et deinde bella Romanis ſocialia orta ſunt, quæ nondum duraverunt annis quinque. Primum bellum civile Romæ deinde ortum eſt inter Syllam & Marium: & Mithridates rex Ponti auxilio fuit Mario, & pervagabatur Aſiam, & civitates & reges confœderatos Romanis expugnavit: & uno die ex ejus edicto occiſa ſunt Romanorum civium XXC. millia Anno ab V. C. DCLXXVI. mortuus eſt Nicomedes rex Bithyniæ, & teſtamento populum Romanum hæredem fecit. Tunc Fimbria partis Marianæ homo omnium audaciſſimus urbem Ilium, antiquam illam Romæ parentem, ad injuriam Syllæ funditus cæde, incendioque delevit, ſed Sylla eam reformavit. Anno IIX. Ptolemæi Alexandri Syria ceſſit in ditionem Romanorum, ceſſantibus regibus ibidem. Antiochus enim ut in Parthos fugiens tandem Pompejo ſe tradidit, poſtquam Philippus regnum Syriæ duobus annis

tenuit:

tenuit & à Gabinio conſule Romanorum captus eſt. Hoc tempore Cato Cyprum bello captam in provinciam Romanorum redegit: Ptolemæus Alexander matrem propriam occidit: quare à populo Alexandrino expulſus eſt: & reverſus eſt Ptolemæus Phyſcon, qui fuit ejectus, & iterum regnavit annis IIX. Et poſtquam iterum regnavit anno ſecundo Sylla Athenienſes vaſtat. Et anno ejus IV. Salluſtius ſcriptor hiſtoricus naſcitur. Anno ejusdem VII. Terentius Varro in provincia Narbonenſi naſcitur.

Caput XIIX.

PTolemæus Dionyſius frater Cleopatræ, regnavit annis XXX. Anno ejus I. Sylla Romam obtinuit & ſequenti anno moritur. Et Cn. Pompejus miſſus eſt à Romanis contra Mithridatem regem Ponti & triumphavit. Nam Caſtor præfectus Mithridatis, interfectis amicis regis, quatuor filios Mithridatis ad præſidia Romana miſit. Unde Mithridates ira accenſus, quosdam alios filios ſuos & amicos proprios interfecit: & unus de filiis ſuis evaſit, qui collecto exercitu contra patrem proceſſit, & dum pater eum ab alto muro precaretur, ut deſiſteret ab incœpto, nec filius ejus precibus flecteretur, ipſe concubinis & filiabus ſuis omnibus venenum dedit, quod & ipſemet bibit, nec tamen propter remedia, quibus conſuetus fuerat uti, ſic obiit: donec à quodam milite gladio interfectus eſt. Hic ſcivit linguas XXII. gentium, quas ſub ſe habuit, & nunquam per interpretes neceſſe habuit audire legatos earum: & XL. annis, vel ſecundum alios XXX. annis, bella fovit contra Romanos. Anno IV. hujus Ptolemæi Alexander rex Judææ poſt plurima bella anno regni ſui XXXVII. febri quartana fatigatus moritur, regnum uxori ſuæ Alexandræ relinquens. Hoc tempore bellum ſociale & civile, quod à Sylla & Mario inceperat, poſtquam per annos X. ferbuerat, finitum eſt: in quo Romanorum ultra CL. millia perierunt. Alexandra uxor Alexandri, cum duos filios ab eo ſuſceperat, Hyrcanum & Ariſtobulum, Hyrcanum declarat Pontificem, & regem eum conſtituit: ipſa tamen regnum gubernare intendebat. Ariſtobulus enim quia ferventioris erat ingenii, ipſa maluit eum private vivere, ut ipſa regnaret. Et poſtquam regnum IX. annis adminiſtravit, ipſa morbo deceſſit, & fratres de regno contendunt: tandemque Ariſtobulo invaleſcente, fratres ipſi ſub hac forma conciliati ſunt: quod Ariſtobulus regnum obtineret, & Hyrcanus tanquam regis frater incederet. Inter hæc Antipater vir nobilis & dives, pater Herodis M. Aretæ regi Arabum affinitate conjunctus, Hyrcano familiaris efficitur, de quo ſcribit Africanus hiſtoricus in hunc modum: Apud Aſcalonem templum quoddam Apollinis muro adhærebat, in quo quidam janitor Herodes nomine erat. Hic genuit iſtum Antipatrum: dumque adhuc puer eſſet, Idumæi invaſerunt Aſcalonem, & Antipatrum puerum cum aliis templi ſpoliis abduxerunt: qui tandem vir effectus genuit Herodem, qui à loco paternæ nationis Herodes Aſcalonita cognominatus eſt. Hic Antipater ſuaſit Hircano, ut pro recuperando regno ab Areta rege Arabum auxilium poſtularet. Cujus conſilio acquieſcens Hyrcanus, ſe una cum Antipatro ad regem Arabiæ confert: qui tradidit ei peditum & equitum LV. millia & bello inſtaurato inter ipſos fratres, Ariſtobulus victus Ieroſolymam fugit: quem ſequens Hyrcanus cum exercitu ipſum Ieroſolymis obſidione concludit. Inter hæc Scaurus dux Romani exercitus, à Pompejo ex Armenia miſſus venit in Judæam ad quem Ariſtobulus ſe contulit; dans ei CCC. talenta argenti, ut ei auxilio ſit contra Hyrcanum. Scaurus igitur liberat eum ab obſidione, & poſt receſſum ejus de Judæa, Pompejus venit in Judæam XIV. anno Ptolemæi Dionyſii, ad quem uterque fratrum cauſſam detulit, petens auxilium: cumque Pompejus de meritis utriusque informatus fuerat, intendens eos pacificare, mandavit Ariſtobulo ut de quodam caſtro, quo ſe incluſerat, deſcendens ad ſe veniret: Ariſtobulus vero mandatum Pompeji contemnens Ieroſolymam ſe confert, & ad reſiſtendum Pompejo ſe diſponit: quod dum Pompejo innotuit, ipſe cum exercitu Ieroſolymam ſe dirigit, & intromiſſus ad civitatem, Ariſtobulum quaſi tribus menſibus in templo, quo ſe receperat, obſidione concludit: & demum, capto templo, Pompejus Ariſtobulum cum familia volens eum Romam perducere, cuſtodiæ tradidit & ad duo millia talenta auri & 12. millia talenta argenti de templo recipiens Hyrcanum pontificem declaravit. Poſt hoc anno Dionyſii XIX. Pompejus veniens Hieroſolymam Judæos Romanis tributarios fecit: Et, ut dicitur in hiſtoria Romana, cum Judæi contendeban-

debant Pompejo reſiſtere, XIV. millia Judæorum à Romanis occiſa ſunt, & præcepit Pompejus muros civitatis everti, ac ſolo coæquari: cujus circuitus quatuor millia paſſuum fuiſſe dicitur. De filiis Ariſtobuli unus Alexander cum duceretur verſus Romam fugit in itinere: alter vero cum duabus ſororibus Romam usque perductus eſt. Anno XI. Ptolemæi Dionyſii Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua, naſcitur: deinde Cremonæ 23. anno ejusdem Dionyſii ſtudiis eruditur. Poſt hoc quinto anno Mediolani togam ſumſit, & non multo poſt Romam pergit. Anno ab V. C. DCXCIII. C. Julius Cæſar, qui poſtea imperavit, cum L. Bibulo Cos. factus eſt. Hic Julius, qui de matris utero cæſus, & cum cæſarie productus eſt, Cæſar eſt appellatus, & quia ipſe primus apud Romanos obtinuit monarchiam, reges Romanorum deinde ab eo Cæſares vocati ſunt. Et ſcribebatur antiquitus hoc vocabulum in prima ejus ſyllaba per diphthongum, videlicet Cæſar, ut adhuc in libris antiquis apparet, & deinde in lingua vulgari apud Teutonicos Imperator Romanorum adhuc Cæſar, & corrupto nomine in Almania inferiori Keyſer nominatur. Julius in Galliam profectus multa prælia cum Gallis & Germanis commiſit, & Suevos gentem fortiſſimam Romano ſubdidit Imperio. Unde in hiſtoria Romana ſcribitur: Julius Cæſar in X. annis ferè omnem Galliam domuit, quæ inter Alpes flumen Rhodanum Rhenumque & Oceanum eſt, & circuitu patet ad bis tricies centena millia paſſuum. Induciomarius rex Trevirorum contra Britones ſedirigit, & eos cum magno ſuorum diſcrimine vicit. Julius cùm in partibus Galliæ cum exercitu reſideret, condidit Pariſios civitatem, & nominavit eam à quadam inſula Iſia dicta, eò quod Sequana fluvius eam in modum inſulæ circumiret. Interim quòd Julius erat in partibus Galliæ, M. Craſſus templum Hieroſolymis ſpoliavit: deinde cum XII. legionibus contra Parthos procedens, cum legionibus deletus eſt: & rex Parthorum aurum liquefactum igne in os ejus fecit infundi, dicens: Urat te Parthicum, quod te unum urebat, aurum. Anno Ptolemæi Dionyſii Cæſar Rhenum transiens Germanos vaſtat. Inde rediens ex Gallia decerni ſibi abſenti iterum conſulatum popoſcit: ſed contradictum eſt ei à Marcello Cos. & à Catone, juſſusque eſt Cæſar à Senatu dimiſſis exercitibus Romam venire. Et ex Marcelli Cos. auctoritate ad legiones, quæ apud Lucernam erant, Cn. Pompejus cum imperio miſſus eſt: propter quam injuriam Cæſar ſe contulit Ravennam, congregatoque exercitu Romam proficiſcitur, adverſariis ſuis ab urbe fugatis, urbem vacuam ingreſſus Dictatorem ſe fecit, quoniam, ut ſuperius dictum eſt, Dictatura aliquandiu major erat dignitas apud Romanos: & deinde negatam ſibi ex ærario pecuniam, fractis foribus, invadens protulit ex eo auri pondo quatuor millia centum triginta quinque: Argenti prope nongenta millia. Pompejus verò gener Cæſaris, uxore ejus Cæſaris filia jam defuncta, cum Senatu, conſulibus & nobilibus Romanis ab urbe fugatus, cum regibus Orientis in Græcia exercitum contra Cæſarem congregat: inter quos Cato ſapientiſſimus erat, qui poſtea, ne in manus Cæſaris incideret, ſeipſum occidit. Cæſar igitur & pompejus conveniunt, bellumque committunt, & ceciderunt militum Cæſaris quatuor millia: centuriones XXII. & Cæſar noctis beneficio ſupervenientе evaſit. Deinde Cæſar citato agmine per Epirum in Theſſaliam perrexit, & pompejus cum maximis copiis ſecutus eſt, & ibi bellum inter eos committitur: & fuerunt in exercitu Pompeji plusquam XL. millia peditum, equites in ſiniſtro cornu DC. in dextro cornu D. In exercitu verò Cæſaris fuerunt minus quam XL. millia peditum, equites M. Cumque diu ſub dubia ſorte pugnarent, tandem univerſus fugit Pompei exercitus, & ceciderunt Pompejanorum XV. millia: centuriones XXXIII. & Ptolemæus ad Alexandrum adoleſcentem regem Ægypti pervenit: à quo dum ſperaret ſe auxilia habiturum, quia tutor ejus quondam à Senatu datus fuerat, rex magis fortunam, quàm amicitiam ſecutus, occidit Pompejum, caputque ejus & annulum ad Cæſarem deſtinavit: quibus conſpectis, Cæſar etiam lacrymas fudiſſe dicitur, tanti viri, quondam ſui generi, caput intuens, & caput ipſum mundatum odoribus juſſit cremari. De iſtis cladibus Romanorum dicit Auguſtinus: Pompejus voluit leges XII. tabularum redigere in libros, ſed non perſeveravit propter metum obtrectatorum. Et poſtea Julius Cæſar hoc, quod Pompejus de hiſce legibus redigendis in libros inceperat, perficere voluit, ſed priusquam perficeret, occiſus eſt. Julius Cæſar condidit in Hiſpania civitatem, quæ dicta eſt Hiſpalis: ipſe autem eam vocavit Juliam Romulam.

Et

Digitized by Google

Et quia in fundamentis jaciendis palis in terram fixis ſub muris erigendis uſus eſt, ipſa dicta eſt Hiſpalis. Item cùm in partibus Galliarum fuerat, præſidium quoddam fecit, quod à nomine ſuo Juliacum dictum eſt, & à vulgo corrupto nomine Gülehe dicitur, ſitum inter Coloniam & Aquisgranum. Anno XVI. Ptolemæi Dionyſii Libya per teſtamentum Appionis regis Romanis relicta eſt. Anno ejus XVII. Horatius Flaccus Satyricus & Lyricus poëta Venuſiæ naſcitur. Anno ejus XXIV. Gallus orator clarus habetur, & cum togatam Galliam regeret, Placentiæ obiit: unde videtur, quòd Placentia fuerit è partibus Galliæ togatæ, quæ à Romanis dicebatur Gallia ciſalpina. Eo tempore Diodorus Græcæ hiſtoriæ ſcriptor, natione Siculus, clarus habetur. Poſtquam Cæſar vicit Pompejum, & caput ejus ſibi fuerat præſentatum, ipſe tendebat Alexandriam: ſed Achillas dux regius de nece Cæſaris, prout de nece Pompei ordinaverat, meditabatur: quod dum Cæſari innotuit, juſſit eum exercitum, cui præerat, dimittere: quod ipſe non ſolum non fecit, verum etiam aciem contra Cæſarem direxit: habebat enim XX. millia armatorum: ſed Cæſar, victo ipſo, regiam claſſem jubet incendi. Poſt hoc, iterum pugna commiſſa, cecidit multitudo Cæſaris: ipſeque ab hoſtibus preſſus ſcapham aſcendit: qua mox pondere ſubſequentium gravata ac merſa, ipſe per CC. paſſus ad navim, una manu elevata, qua chartas tenebat, natando pervenit, & mox iterum pulſatus navali certamine, magna felicitate claſſem regiam vicit. Alexandrinis autem petentibus regem reddidit monitum, ut magis Romanorum amicitiam quam iram experiri ſtuderet: qui tamen ilicò, ut liber factus fuit, bellum intulit: ſed continuò ipſe cum toto exercitu ſuo deletus eſt: nam XX. hominum millia in eo bello feruntur eſſe cæſa: MCCLXX. naves longæ deditæ: quingenti ex victoribus referuntur cecidiſſe: & rex ipſe ſcapha exceptus ut fugeret, ſubmerſus eſt: & Cæſar Alexandriam in deditionem ſuſcepit, & regnum Ægypti Cleopatræ, ſorori Ptolemæi, confirmavit, cum qua ſtupri conſuetudinem habuiſſe dicitur.

Cleopatra regnavit annis XXII. vel, ut alii ſcribunt, annis XIX. vel ſecundum alios XVII. Anno ejus I. ortum eſt bellum civile inter Cæſarem & Pompejum, de quo ſupra dictum eſt. Anno ejus II. Julius Cæſar primus ſingulare arripuit imperium. Poſtquam enim Alexandria reverſus eſt, plurima bella in Syria & deinde in Africa peregit: & demum in Hiſpania ultimum bellum contra Pompeii filios exercitum conſummavit: ubi tandem tantis viribus dimicatum eſt, ut ipſe Cæſar, veteranis etiam ſuis cedere non erubeſcentibus, ſeipſum voluerit occidere, ne poſt tantam rei militaris gloriam, ipſe in poteſtatem adoleſcentum, natus jam annos complures, veniret, denique reparatis ſuis ſubito in fugam verſus eſt exercitus Pompejanorum: & ſic bellum civile iſtud, quod jam per annos IV. duraverat, finitum eſt. Et deinde Cæſar Romam reverſus, bellis civilibus undique ſedatis ſingulare imperium obtinuit, anno ab V. C. DCCV. & ab illo tempore Antiocheni tempora computant.

CAPUT XIX.

Julius Cæſar regnavit annis IV. Anno ejus III. & Cleopatræ V. Pompejus à Cæſare victus, ut ſupra dictum eſt, à Spadone Alexandri regis occiſus eſt. Cæſar Ariſtobulum Judæum, à vinculis obſolutum, de Roma dirigit ad Syriam cum exercitu magno: ſed ipſe à ſtudioſis Pompeii veneno intoxicatus periit. Et ante hoc tempus Alexander F. Ariſtobuli per literas Pompeii accuſatus à Scipione coram tribunali Antiochæ ſecuri percuſſus eſt. Antipater pater Herodis, mortuo Pompejo, in clientelam Cæſaris ſe contulit: cum igitur Cæſar miſit Mithridatem contra Ægyptum, Antipater fuit ſibi auxilio in tantum, ut ipſe virtute propria in bello tueretur, & ab hoſtium fortitudine jam quaſi victum, in maxima virtute bellandi, ſervaret. Unde ipſe Antipater apud Cæſarem plurimum commendatur, & Cæſar eum donis & honoribus exaltavit, ejusque gratia Hyrcano pontificatum confirmavit. Antigonus F. Ariſtobuli Romam veniens Antipatrum, & Hyrcanum de multis accuſavit, dicens, quod dum Antipater contuliſſet auxilia Cæſari in Ægyptum, non feciſſet hoc ex benevolentia, ſed ex timore veteris diſcordiæ. Ad hoc Antipater, rejecta veſte, multitudinem vulnerum demonſtrabat, & qua fide Cæſarem coluiſſet, verbis non eſſe opus dixit, nam corpus etiam ſe tacente, clamare. Unde Cæſar Hyrcanum Pontificatu digniorem eſſe pronunciavit & Antipatrum Judææ procuratorem declaravit. Antipater vero videns Hyrcanum, quem tamen regem omnibus prædicavit, ſegniorem, quam regni ſollici-

tudo poſceret, ſtatum provinciæ componebat, filiumque ſuum Phaſelum Ieroſolymis ejusque territorio præfecit, & Herodem alterum filium ſuum præfecit Galileæ. Hic Herodes ſtrenuus erat: Unde ſtatim quendam principem latronum cum ſuis complicibus occidit, & Syriam ab incurſu latronum purgavit: quare ab omnibus magnificatus eſt. Hyrcanus vero audiens Herodem laudibus extolli, clam angebatur in mente, & tandem à Judæis concitatus accerſiri fecit Herodem, ut interfectorum per eum contra legem Judæorum redderet rationem: & inde Herodes contra Hyrcanum Jeroſolymam ſe dirigit, intendens eum deponere à principatu: ſed Antipater pater Herodis, & Phaſelus frater ejus ab incœpto Herodem verbis dulcibus averterunt. Poſt hoc Malchus unus de optimatibus Romani exercitus Antipatrum in convivio veneno fecit occidi, quem poſtea Herodes procuravit multis confodi vulneribus. Anno IV. imperii ſui, Julius Cæſar, ut quidam, ſcribunt, Cleopatram confirmavit in regno Ægypti, & ipſa regio comitatu urbem ingreſſa eſt. Et eo tempore Romæ baſilica Julia dedicata eſt. Cæſar Julius, poſtquam ſolus imperium annis IV. tenuit, inſolentius cœpit agere contra conſuetudinem Romanæ libertatis, ut etiam ſenatu ad curiam veniente non ſurgeret, ſed tanquam dominus ſenatus ſederet: quare conjuratum eſt contra eum à CCLXXV. amplius ſenatoribus, equitibusque Romanis: qui tandem cum ad curiam juxta morem convenerant, ipſum XXIII. cultris confoderunt, Idibus Martii, & ſic ipſe mortuus eſt. Ea nocte, quæ præceſſerat diem illam, uxor Cæſaris Calpurnia vidit in ſomnis eum confoſſum vulneribus, & in ſinu ſuo ſic eum jacere confoſſum: quare rogavit eum, ne eo die iret in ſenatum: ſed ipſe aruſpicum ſæpe negligens conſilia, contemſit ſomnium. Ante paucos etiam dies bove in curia ex more mactato, cor in extis non eſt repertum: quod cum Spurina aruſpex pronunciaſſet ad vitæ periculum pertinere, Cæſar ait, miraris ſi bos cor non habet: ſed mox ei vitæ finis fuit. Idem ante paucos ferè annos Cæſari dixerat cavendas eſſe Idus Martias; quo die viſo Spurinæ ait Cæſar: Idus Martiæ venerunt: ille reſpondit, nondum tranſierunt: & deinde eadem die interfectus eſt. Eo die apparuerunt Romæ tres Soles, & in ſuburbano Romæ bos loquitur ad arantem dicens: fruſtra me urges, non enim frumenta, ſed homines in brevi deficient. Hic eſt Iulius, de quo legitur, quòd ejus ductu, undecies centena nonaginta duo millia hominum cæſa ſunt. Signis collatis quinquagies dimicavit, Marcum Marcellum ſolus ſupergreſſus, qui triginta novem vicibus pari modo fuerat præliatus. Octavianus vero nepos ejus magnificè vindicavit eum occiſoribus omnibus ſuis fugatis ab urbe, & corpus ejus ob honorem in roſtris concrematum eſt. Anno VII. Cleopatræ, Iulio Cæſare occiſo, Octavianus ſumit imperium, & ſtatim anno tertio Antonius movet bellum contra Octavianum: ſed tandem pacificati ſunt, & Octavianus dedit Antonio ſororem ſuam uxorem, & diviſerunt imperium: ita ut Octavianus haberet Italiam, Galliam & Hiſpaniam: Antonius verò haberet Pontum & Aſiam. Herodes repudiata uxore ſua Doſide, de qua Antipatrum filium jam ſuſceperat, Mariamnen filiam Alexandri, quem Scipio ſecuri occidit, ut dictum eſt, duxit uxorem, quæ neptis erat Hyrcani, & ſic ſemini regio Iudæorum ſe immiſcuit. Deinde Iudæi invidentes Herodi, & fratri ſuo de poteſtate, accuſabant eos in multis apud Antonium: ſed Antonius ab Herode magna placatus pecunia ad recommendationem Hyrcani, qui aſſeruit eos aptos ad regendum provinciam, & etiam memor humanitatis patris eorum, quam eis exhibuerat dum cum Gabino ad Judæam venerat, ambos fratres, videlicet, Herodem & Phaſelum declarat tetrarchas, totius eis Iudææ procuratione commiſſa. Poſt hæc quidam Satrapa Parthorum, præfectus Syriæ, Phaſelum fratrem Herodis, & Hyrcanum dolo comprehendit, & Antigonum F. Alexandri, qui cum patre Romæ detentus fuerat in vinculis, conſtituit regem; & Herodes evaſit, & fugit ad Idumæam, & poſt in Arabiam, & tunc Antigonus Hyrcani auriculas dentibus truncat: ne ſolutus rebuſque mutatis, unquam pontificatum recipiat: ab integris enim ſacra celebrari oportebat. Phaſelus autem ſaxo procumbens ſeipſum interemit. Herodes vero Arabas ex cauſſa inimicos ſibi deprehendens in Ægyptum ſe contulit: ubi benigniſſimè à Cleopatra ſuſceptus eſt: deinde, hyeme non obſtante, Romam tendit navigare: ſed circa Pamphiliam periclitatus, majore parte oneris rejecta, vix in Rhodum ſalvus evaſit. Deinde auxilio amicorum ſuorum magna navi fabricata, in mare ſe mittit, & verſus Italiam navigans

Digitized by Google

gans Brunduſium usque pervenit, indeque Romam: cumque apud Antonium manſiſſet, & ſibi ſingula, quæ in Judæa acciderant, recitaſſet, Antonius memor paternæ dilectionis ipſum Cæſari & Senatui commendavit. Unde, conſilio habito, omnes Herodem regem Judæorum creari conſentiunt: quare Cæſar & Antonius eum inter ſe medium recipientes, conſulibus & magiſtratibus hoſtias cæſuris præcedentibus, ipſum regem declarabant. Herodes igitur auxilio Romanorum adjutus cum valida manu veniens in Judæam, poſt plurima bella Antigonum Hieroſolymis obſedit, & obſidione continuata menſibus v. civitatem cepit, & Antigonus Romam captus deductus eſt, ubi ſecuri percuſſus interiit, & ſic Herodes factus eſt rex Judæorum. Herodes poſtquam regnum ſuſceperat Ananelum de Babylonia accitum Pontificem Judæorum conſtituit, & poſt exiguum temporis Ariſtobulum fratrem uxoris ſuæ Mariamnes, nepotem Hyrcani, ſucceſſorem ei dedit: quo poſt annum, in XVI. ætatis ſuæ anno conſtituto, interfecto, rurſum Ananelo reddidit ſacerdotium: Cumque Herodes ſuſceperat filios de Mariamne uxore ſua, filium ſuum Antipatrum, quem ex Doſide priore ſua conjuge ſuſceperat, quaſi odio habens, eum de civitate expulit, & non niſi diebus feſtis eò commeandi ei licentiam conceſſit: & inde domus ejus venit in diſcordiam. Deinde Hyrcanum fratrem avi uxoris ſuæ, à Parthis reverſum occidit: quoniam ipſe rex Iudæorum fuerat, ut ſupra dictum eſt. Ex his factis Herodis uxor Mariamne commota hæc mala ſibi quotidie improperavit: ſed ipſe propter amoris vehementiam, quem ad eam habuit, non advertit. Tandem mulier contra eum nimia indignatione ſæviens, finxit ſe Antonio imaginem ſuam miſiſſe in Ægyptum, ut quem amore mulierum inſanire, ac vim ſibi poſſe inferre ſciret, contra ipſum provocaret: id quod maximè quaſi fulmen perturbavit Herodem: unde non tam mulieris amiſſionem, quàm propter Cleopatræ ſævitiam de morte propria periculum metiebatur. Poſt hoc accidit, quòd ex alia cauſſa ab Antonio vocaretur Herodes: quare cum vellet proficiſci, vocavit ad ſe Ioſippum, ſororis ſuæ Salomes virum, propter affinitatem ſibi valde fidelem, & commendabat ei uxorem ſuam Mariamnem, mandans ei clam, ut eam interficeret, ſi contingeret eum occidi ab Antonio. Ioſippus igitur, poſtquam Herodes profectus eſt, Mariamni non malignè, ſed ut Herodis amorem ſibi demonſtraret, quòd ab ea nec mortuus pateretur divelli, ſecretum ſermonem aperit: quapropter Mariamne, Herode reverſo, multaque inter fabulas de affectu jurante, quod nunquam alterius mulieris amore captus fuiſſet, valde, inquit, amor tuis erga nos mandatis Ioſippi comprobatus eſt, quibus, ut me occideret, præcepiſti. His auditis quæ occulta credebat, amens erat Herodes ilico, nec unquam mandata ſua Ioſippum proditurum fuiſſe ratus, niſi eam corrupiſſet, præ dolore inſaniebat. Cumque ſtratis exiluiſſet in regia ſpaciabatur: ibique tum Salome ſoror ejus arrepto tempore criminandi ſuſpicionem confirmavit: unde Herodes immoderato æmuli dolore furens utrumque juſſit interfici. Deinde pœnitudo ſequebatur inſaniam, & poſtquam iracundia concidit, amor iterum caleſcebat: tanta vis enim cupidinis erat, ut ne mortuam quidem putaret eam, ſed præ ægritudine tanquam vivam alloqueretur. Maternæ dehinc iracundiæ ſuccedunt filii, & immanitatem ſceleris reputantes, non aliter ſuſpectum patrem, quaſi hoſtis eſſet, habebant. Unus igitur eorum videlicet Ariſtobulus duxit in uxorem Mariamnem filiam amitæ ſuæ puta ſororis Herodis, quæ matrem accuſaverat apud patrem: alter, puta Alexander, duxit filiam Archelai regis Cappadocum uxorem. Poſt hæc Antonius cepit Artabanum regem Armeniæ vivum, & ligavit eum catena argentea, atque coëgit eum, ut theſauros regios proderet, quos cùm prodidiſſet, Antonius opido, in quo fuerant, capto, maximas auri copias & argenti eduxit. Unde Antonius elatus in ſuperbiam Octaviano bellum indixit & ſorori ſuæ Octaviæ repudium mandavit, & Cleopatram reginam Ægypti ſibi occurrere procuravit, & eam duxit uxorem. Quo audito, Octavianus claſſem CCXXX. navium roſtratarum & XXX. non roſtratarum conſtituit, & Antonius ex adverſo naves CLXX. produxit, & quantum in numero defecit tantum in magnitudine navium præceſſit: nam naves ejus erant x. pedum altitudinis à mari & ſupra. Cum igitur pugna committeretur inter eos, pugnaverunt à quinta hora uſque ad ſeptimam, uterque ſub ſpe victoriæ. Deinde Octavianus prævaluit, & nocte ſuperveniente Cleopatra fugit, & tandem Antonius fuga capta ſequitur eam, &

cæſa ſunt XII. millia de parte Antonii, & VI. millia vulnerata, quorum mille inter curandum defecerunt. Octavianus vero inſecutus Antonium pervenit ad Alexandriam civitatem opulentiſſimam: quod videns Antonius deſcendit ad litus, ut iterum pugnaret: & quia vidit om ves ſuas ad Octavianum ſe contuliſſe, fugam cepit cum paucis, & ad palatium ſuum ſe contulit cum dolore. Civitate vero propter exercitum Octaviani trepidante, Antonius deſperatione tactus ſeipſum gladio percuſſit, & deinde ad ſepulcrum precioſum, quod Cleopatra prius fieri fecerat, poſitus eſt. Cleopatra autem induit ſe veſtimentis precioſis, & multis ornamentis ornata, veniens ad Octavianum veniam petivit; ſed ipſe non intendens pulcritudinem ejus, juſſit eam cuſtodiri. Cumque ipſa intellexiſſet, quod ad triumphum ſervari debuit, à cuſtodia elapſa poſuit ſe circa Antonium ad ſepulcrum, & appoſuit ad latus ſuum ſiniſtrum aſpidem, cujus veneno extincta eſt, & ſic Octavianus cepit Alexandriam civitatem Kalendis Sextilibus. Herodes hæc audiens quoniam partis Antonii fuerat, periculis decrevit occurrere, Rhodumque tranſmiſſus, Cæſarem ibidem ſine diademate adiit, & ſe victum proteſtans una cum Antonio, veniam poſtulavit. Unde veniam conſecutus eſt, ita quod Octavianus rurſum ſibi impoſuit diadema. Octavianus Romam veniens IIX. Idus Ianuarii urbem triplici triumpho ingreſſus eſt, & ducebantur ante currum ejus Sol & Luna liberi Cleopatræ & ſic eo ingrediente urbem hoc die primum Auguſtus conſalutatus eſt: quo nomine poſtea Romani Imperatores uſi ſunt uſque in præſentem diem, eò quod ſicut Octavianus eo nomine eſt honoratus, quia rempublicam auxit, ita quilibet Imperator, ut dignus exiſtat hoc nomine, rempublicam augere ſatagat: in tantum enim opibus Alexandriæ Roma aucta eſt, ut rerum precia duplicia Romæ ſtatuerentur, Octavianusque hanc victoriam in Kalend. menſis ſextilis conſecutus eſt. Hunc menſem Auguſtum à ſuo nomine ſtatuit appellari. Et ſic regno Græcorum ſive Ægypti ad Romanos tranſlato, Ægyptus provincia fit Romana: quam primus deinde tenuit Cornelius Gallus. Et ab hoc tempore quidam computant tempus Monarchiæ Romanorum.

CAPUT XX.

OCtavianus Auguſtus imperavit annis LVI. & menſibus VI. Hic erat filius Acciæ filiæ ſororis Iulii, maternum genus ducens ab Ænea per familiam: quo nullus Imperator in bellis felicior, nec in pace moderatior fuit, & civiliſſimus erat in omnibus. Cum enim quadam vice ludos ſpectaret, & pronunciatum eſſet illi à populo, ut vocaretur Deus, ſtatim manu vultuque averſo indecoras adulationes repreſſit, & Dei appellationem, ut homo, declinavit: & ſequenti die propter hoc populum corripuit, nec poſt hoc ſe dominum etiam cum liberis ſuis permiſit nominari. Anno ejus III. fons olei trans Tiberim ex taberna meritoria de terra erupit. Et eodem anno Cicero occiſus eſt, & Ovidius Naſo naſcitur. Anno ejus XVII. Indi per legatos amicitiam ipſius Imperatoris poſtulabant. Et anno ſequente, ipſe Imperator Calabros & Gallos vectigales fecit: & cum L. Munatius Plancus Ciceronis diſcipulus orator Galliam ſuſcepit regendam, Lugdunum condidit. Anno ejus XXII. Tiberius miſſus ab eo Armeniam occupat. Anno ejus XXVI. Virgilius Brunduſii moritur, & oſſa ſua Neapolin transferuntur, & ſecundo milliario ab ipſa urbe ſepeliuntur, titulo hujuſmodi, quem vivens ipſe dictaverat, ſepulcro ſuperpoſito:

Mantua me genuit: calabri rapuêre: tenet nunc
Parthenope. cecini paſcua, rura, duces.

Unde Neapolis prius erat dicta Parthenope à quadam virgine ibi ſepulta: Sed Octavianus Auguſtus hoc nomen Neapolis, quod ſonat nova civitas ei dedit. Auguſtus Ovidium damnavit exilio propter libros quos fecit de Amore: Ovidio tamen viſum eſt, quod illud fecerit ex odio: quia forte in quibuſdam factis ſuis Ovidius eum notavit: nam idem Ovidius II. libro Triſtium dicit:

Arguor obſcœni doctor adulterii.

Et poſtea ſic ipſum affatur Auguſtum:

Pars mihi de multis una cavenda fuit.
Utque trahunt oculos radiantia lumina ſolis
Tranſiſſent animum ſic tua facta meum.

Anno ejus XXXIII. Tiberius de Panoniis triumphavit, & anno ſequenti ipſe Tiberius

Digitized by Google

berius vaſtata Germania Imperator appellatur. Tiberius enim & Druſus gentes tunc habitantes inter Rhenum & Albiam fluvios, quas quidam Saxones fuiſſe credunt, ultra Albiam fugere compulerunt. Tiberius Dalmatis & Sarmatis ſubactis una cum Agrippa ab Auguſto in filium adoptatus eſt. Hic M. Agrippa res in Aquitania proſpere geſſit primò: deinde Sext. Pompejum F. Cn. Pompeji navali bello vicit. Poſt hoc multas naves onerarias frumento atque armis graves, ab Ægypto Aſiaque ad ſubſidium Antonio venientes, cepit. Hic fortè eſt Agrippa, qui Agrippinam Coloniam circa Rhenum condidit, quæ poſtea antonomaſticè uſque nunc ſimpliciter Colonia nominatur, quia Colonia nomen generale eſt. Unde Auguſtin. x. de C. D. Civitates à majorib. civitatibus velut populorum examinibus conditæ, Coloniæ appellantur. Auguſtus xx. millia militum quarundam provinciarum quas ſubegit, gloria privavit militari, & xx. millia ſervorum reſtituit dominis ſuis, & ſex millia ſervorum, qui dominis ſuis obtemperare noluerunt, juſſit ſuſpendi. Anno imperii Octaviani Auguſti XLII. agitato cenſu Romæ inventa ſunt nonagies trecenta ſeptuaginta hominum millia, & ceſſantibus bellis undique juſſit Auguſtus jam portas Jani claudi: & emiſſo edicto, ut deſcriberetur univerſus orbis, Cyrenius ex ſenatus conſilio mittitur in Iudæam, ut cenſus hominum poſſeſſioneſque deſcribat. Et tunc CHRISTUS in Bethleem naſcitur, & ſic finita quinta mundi ætate, reſtat dicere de curſu ſextæ ætatis mundi, de qua Virgilius in Bucolicis, quamvis neſcius, ita dixiſſe videtur.

Ultima Cumæi venit jam temporis ætas:
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo.

Et quamvis Virgilius hæc dicta Sybillæ de Auguſto & Pollione conſulari, ac Salonino filio Pollionis, intellexit, ſeu expoſuit, videl. quando Auguſtus imperaret, Pollio ad conſulatum promoveretur, & filius ejus, quem genuit, quando Salonam urbem cepit, unde eum Saloninum nominavit, creſceret: tunc tempus illud, de quo Sibylla ſic locuta fuiſſet, inſtaret: cum de tempore illo, quo Chriſtus naſceretur, hæc verba verè intelligenda eſſe dici potuerunt. Et quod dicitur in verſibus prædictis:

— — — *redeunt Saturnia regna,*

Videtur poſſe intelligi de tempore illo quando homines tantum fructibus terræ & arborum veſcebantur, & nondum comedebant carnes: quia dicitur, quod Saturnus primo docuerit rudes homines in Italia agros colere, & non veſcebantur carnibus. Et ſic Chriſto nato redeunt regna illa, quando Chriſtiani parco cibo contenti, à carnibus abſtinere jejunando cœperunt: & concordat dictum B. Hieronymi (*lib. 1. contra Jovinian.*) quod poſitum eſt in canone, ab Exordio Diſt. xxxv. cum dicit: ω. revolavit ad A. id eſt, finis redit ad principium, intendens, quod Chriſto veniente in fine ſæculi abſtinemus à carnalibus, ſicut ab exordio creationis humanæ homines non veſcebantur carnibus. Comparando igitur hoc tempus adventus Chriſti ad tempus primæ ætatis mundi in verſibus ſupradictis dicitur:

— — — *Surget gens aurea mundo.*

Et Ovid. xv. Metamorphos. inducit Pythagoram primam ætatem mundi, vel ſaltem illud tempus, quo uſus carnium nondum erat, ſeculum aureum appellaſſe, quando abſque ſollicitudine homines victum habebant. Unde Pythagoras ab Ovidio ſic dixiſſe inducitur:

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fetibus arboreis & quas humus educat herbas
Fortunata fuit: nec polluit ora cruore.

Et Chriſtus ſuos ſequaces abſque ſollicitudine victum habere volens dixit diſcipulis ſuis: Nolite ſolliciti eſſe corpori veſtro, quid manducetis, aut bibatis.

Digitized by Google

SEXTA ÆTAS MVNDI.

CAPVT PRIMUM.

SEXTAM igitur mundi ætatem Jeſus Chriſtus Dominus noſter ſuo adventu conſecrans, ex Maria virgine natus eſt: tranſactis ab initio mundi quinque millibus, centum, nonaginta annis, ſecundum Euſebium in prologo Chronicæ ſuæ. Et poſt Diluvium duobus millibus nongentis, quinquaginta octo: à nativitate Abrahæ duobus millibus quindecim: centeſimæ nonageſimæ quartæ Olympiadis anno tertio: ab V. C. ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, & Auguſti quadrageſimo ſecundo, Indictione tertia. Ubi notandum, quod Romani ſtatuerant ſpacium quindecim annorum, in quibus debebant omnes provinciæ eis ſubjectæ ſolvere tributum. In primis quinque annis ſolvebant aurum & argentum: in ſecundis quinque annis ſolvebant ferrum: & in principio cujuslibet quinquennii indicebatur, quid ſolvendum erat per quinque futuros annos, & deinde ſpacium horum quinque annorum dicebatur Indictio: & ſimiliter totum ſpacium horum quindecim annorum dicebatur Indictio. Et quia Romani res notabiles annotabant Indictionibus: inde venit in conſuetudinem huc uſque annotari ſcripturas authenticas per Indictiones. Et primus annus hujus cycli Indictionum incipit ab octavo Kalen. Octobris: licet multi variant jam Indictionem cum annis Domini. Et poteſt Indictio quolibet anno ſic inveniri, quod addantur annis Domini tres, & totus numerus dividatur per quindecim, & numerus remanens oſtendit Indictionem, & ſi nihil remanet, eſt Indictio XV. Anno nativitatis Domini quarto, Judas Galilæus Judæos ad rebellandum Romanis adhortatur. Et eodem anno, ut aliqui volunt, Herodes occidit infantes propter Chriſtum: unde ipſe punitus eſt in occiſione propriorum filiorum. Nam poſtquam Herodi odium filiorum ſuorum, quos de Mariamne ſuſceperat, innotuit: Antipatrum, quem prius è civitate expulerat, aliis prætulit. Hic Antipater apud Herodem multas confinxit criminationes contra fratres, & cunctos patris familiares pecunia corrupit, & tantis ſuaſionibus & blanditiis patri obrepſit, ut etiam Herodes de filiorum morte cogitaret: qua propter Alexandrum quidem ſecum Romam pater abſtractum veneni ſibi dati reum apud Cæſarem poſtulavit. Alexander vero optimus Rhetor, & eloquentia præfulgens ſe defendit, & quod pater de morte eorum machinaretur dixit, & tandem Cæſar decrevit, quod adoleſcentes patri in omnibus obedirent, & ipſe regnum cui vellet relinqueret. Quare Herodes domum reverſus omnes tres filios reges coram populo declaravit: ſed ita de novo delationibus rex commotus Alexandrum correptum in vincula conjecit, & in amicos ſuos tormenta porrexit, de quibus multi tacite moriebantur: alii vero, quibus mendacium impatientia doloris extorſit, eum cum fratre ſuo cogitaſſe dixerunt. Alexander igitur patris ſuſpicionem arbitratus nullo modo poſſe aboleri, ultro malis aſſentiendum putavit, & quatuor libros componens de inſidiis, quibus criminatus erat patrem, multos ſe habere ſocios hujusmodi malorum participes perſcribit: ante omnes autem Pheroram fratrem Herodis, qui ſpecialiter ad inſtigationem Antipatri apud Herodem Alexandro detrahebant. Cumque libri jam eſſent in manibus Herodis, venit Archelaus Cappadocum rex, ſocer Alexandri, metuens genero ſuo & filiæ ſuæ, quibus etiam prudentiſſimo conſilio ſuccurrit regisque minas arte diſſolvit: mox enim cum eo congreſſus ubinam eſt, inquit, exitiabilis gener meus? aut ubi parricidiale caput aſpiciam quod manibus meis lacerabo: addamque filiam meam bono marito. Miror autem & patientiam tuam, cujus periculum agitur, quòd adhuc vivit Alexander: eò namque ita ex Cappadocia properans veniebam, & qui & illum reperirem olim dediſſe ſupplicium, & de filia tecum quæſtionem haberem, quam vitæ atque dignitatum contemplatione illi deſponderam, at nunc de utroque nobis conſulendum eſt:

Digitized by Google

eſt: licet nimiùm pater ſis & ad puniendum inſidiatorem filium minus fortis. Permutemus dextras, & alter alterius iracundiæ vicariè ſuccedamus. Talibus increpans, quamvis pertinacem, fallit Herodem: atque ille quos Alexander perſcripſerat libros, legendos ei præbet, ſingulisque capitibus inſiſtens, cum eo deliberabat. Unde occaſionem ſui conſilii nactus Archelaus, paullatim cauſas in eos, qui ſcriptis continebantur & in Pheroram, contulit. Cumque credere ſibi regem videret, conſiderandum eſt, inquit, ne fortè adoleſcentulus tot nequiſſimorum inſidiis circumveniatur, non tu ab adoleſcentulo. Nec n. apparere video cauſſam, cur in tantum rueret ſcelus, qui & nunc regno potiretur, & ſucceſſionem regni ſperaret, niſi aliquos haberet hujusmodi perſuaſionis auctores, qui ad deteriorem partem lubricum ætatis impellerent: ab ejusmodi namque hominibus, non ſolùm adoleſcentulos falli, verum etiam ſenes domusque clariſſimas totaque regna ſolere ſubverti. Conſentiebat dictis Herodes, iramque paullatim remittebat in Alexandrum, & in Pheroram excitabatur: namque hoc erat librorum quatuor argumentum. Simulabat etiam Archelaus filiam ſuam ſe abducturum, eò quod Alexander ad talia enormia conſenſit: Unde Herodes tandem compellitur pro filio, ut mulierem non auferat, deprecari. Archelaus igitur ſic conſilio callidiſſimo omnibus in gratiam reformatis, magnis honoratus muneribus ab Herode receſſit. Poſt hæc quidam nomine Eurycles in Judæam venit, & nimis familiaris effectus Herodi, tantùm cum Antipatro ordinavit apud Herodem, quòd Herodes ambos filios Alexandrum videlicet, & Ariſtobulum mandavit occidi. Antipatrum igitur, cùm jam ſine controverſia ſe ſucceſſorem regni ſperaret, intolerabile odium gentis excepit: nihilominusque timor eum non mediocris ſollicitabat, creſcente ſobole peremptorum. Unde ipſe multitudinem prolis regiæ perpendens, quoniam pater ejus novem habuit uxores, de quarum ſeptem ipſe ſuſceperat filios & filias, ut regnum ei obveniat, patrem veneno conatur inficere: quod ubi Herodi detectum eſt, ipſe Antipatrum in vincula conjecit, ſcribens de eo Imperatori. Audiens Imperator, quod Herodes filios ſuos occidiſſet, dixiſſe fertur: Mallem eſſe Herodis porcus, quàm filius: quia ſicut proſelytus parcit porcis, & filios occidit. Aliqui tamen dicunt, quod Imperator hæc verba non protulit, ſed quidam de aſtantibus ſibi. Interea Herodes jam ſeptuagenarius morbo gravatur: unde febribus, prurigine, coli tormentis, intercutis inflatione, membrorum omnium contractione, & ex putredine teſticulorum vermium ſcaturitione, cotidie fatigatus morti vicinus nefarium opus excogitavit. Collectos n. uniuscujusque vici ex omni Judæa nobiliores in locum, cui nomen eſt Hippodromus concludi præcepit, & mandavit, quod, quando ipſe animam exhalaret, illi occiderentur: quatenus omnis Judæa, ſi non ex morte ſua, ſuorum tamen morte nobilium, in die obitus ſui plangeret. Poſt hoc quadam die ex impatientia doloris ſeipſum tentavit occidere, ſed à quodam de aſtantibus ſibi impeditus eſt: & inde tumultus ortus eſt, quaſi rex mortuus eſſet. Quod percipiens Antipater in carcere, cuſtodibus carceris pecuniam promiſit, ut eum abſolverent. Cuſtodes verò ſibi non faventes hoc Herodi retulerunt: & nuncii jam reverſi erant à Cæſare, qui retulerunt epiſtolas, in quibus ſcripſit Auguſtus, Antipatrum morte damnandum, niſi pater mallet eum mittere in exſilium. Quare Herodes Antipatrum juſſit occidi, & renovato teſtamento Archelaum filium ſuum poſt ſe regnum conſtituens, ſalva Cæſaris confirmatione, quinto die, poſtquam Antipater occiſus eſt, ipſe Herodes moritur, anno regni ſui 37. Nat. Dom. 7. Hic Herodes civitatem antiquiſſimam Dor nomine, & poſtea turris Stratonis dictam, in honorem Auguſti Cæſaris Cæſaream appellavit. Poſt mortem Herodis Cæſar mediam partem regni ſub Tetrarchiæ nomine dedit Archelao, etiam regem eum, ſi ſe dignum præberet, ſe facturum promittens: reliquam verò dimidiam partem regni in duas tetrarchias diviſit, unam Philippo, alteram Herodi cognomento Antipas, filio Herodis, diſtribuens, Sed Archelaus ſuis ſubditis crudeliter abuſus apud Cæſarem, nono principatus ſui anno accuſatur, & Viennam Galliæ civitatem in exſilium pellitur, & patrimonium ſuum theſauris Cæſari adjudicatur. Anno Octaviani Auguſti LVI. ſolis defectio facta eſt, & ipſe Auguſtus anno ætatis LXXVI. moritur & in campo Martio ſepelitur.

CAPUT II.

Tiberius annis regnavit XXIII. vel XXII. Et anno ejus quarto Ovid. in exilio moritur, & pe-

Digitized by Google

& petiit in vita ſua poſt mortem oſſa ſua Romam deferri, & epitaphium hujuſmodi ſepulchro ſuo ſuperſcribi: (*Lib. 3. de Triſt. eleg. 3.*)

Hic ego qui jaceo tenerorum luſor amorum,
Ingenio periì Naſo pöeta meo.
At tibi, qui tranſis, non ſit grave, quisquis amaſti,
Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent.

Tiberius Cæſar, anno imperii ſui nono, Druſum fecit regni ſui conſortem: ſed Druſus anno ſequente veneno periit. Ubi ſciendum, quod Tiberius & Druſus erant filii Liviæ, videl. mulieris cujusdam, quam Auguſtus marito ejusdem conſentiente, propria uxore abjecta, ſibi copulaverat in uxorem. Tiberius imperii ſui anno XII. mittit Pilatum in Judæam ad procurandam provinciam, qui de nocte introduxit imagines Cæſaris in Jeruſalem: quod populus ægrè ferens ſtatuas petivit auferri. Pilatus militibus armatis populum circumdans eis mortem minabatur: quibus colla præbentibus Pilatus populi religionem admiratus, ſtatuas jubebat auferri. Poſthæc Pilatus ſacrum theſaurum, qui apud eos Corban nominatur, juſſit ad inductionem aquarum à ſtadiis trecentis adducendarum expendi. Unde tumultus magnus eſt exortus: quem vi militum armatorum, ſub veſtibus privatis multitudini immixtorum, fuſtibus & non gladiis, contra populum uti præceptum habentium, non tamen ſine cæde, ſedavit. Iſtis temporibus quidam artifex vitri temperamentum excogitavit, ut vitrum eſſet flexibile, & ductile, quem Tiberius, poſtquam ſe ſolum hanc artem ſcire juramento firmaverat, fecit decollari: ne vitri vaſa pro aureis optarentur. Vitri quidem origo in parte Syriæ, quæ Phœnice vocatur, & eſt Judææ finitima, incepiſſe dicitur. Unde Belus amnis eſt ibi ſurgens in palude, in cujus litore, dum mercatores ſparſim epulas pararent, glebas pro igne ſuſtentando intra naves ſubdiderunt: quibus accenſis, permixta arena litoris translucentis novi liquoris rebus fluxiſſe dicitur, & hanc fuiſſe originem vitri. Poſt paſſionem Chriſti Pilatus ſcripſit Tiberio de miraculis, quæ Chriſtus fecit, & de reſurrectione & aſcenſione ejus in cœlum: & quod à multis pro Deo coleretur. Quæ omnia Tiberius ſenatui recitans, voluit ut Chriſtus pro Deo coleretur. Sed ſenatus indignanter ſuſcipiens hoc, voluit quod Tiberius magis hanc gloriam in ſeipſum retorqueret: & cum hoc, quod omnes Chriſtum colentes exterminarentur ab urbe, decrevit. Tiberius vero accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminatus eſt, & multos eorum, etiam nobiles Romanos, & aliquos ex eis, certis occaſionibus ipſis impoſitis, interfecit. Et dicunt quidam, quod ipſe Tiberius, quando inſpexit imaginem Chriſti in ſudario, quod Veronia fœmina Romam attulit, à fluxu ventris & torſione viſcerum ſanatus ſit, & quod Pilatum propter injuſtum judicium, quod fecit in Chriſto, exilio damnaverit. Certum tamen eſſe dicitur, quod Pilatus, in multas calamitates incidens ſe propria manu occidit. Anno II. poſt paſſionem Dn. Sejanus præfectus Tiberii, qui apud eum plurimum poterat, ipſum inſtantiſſimè hortatur, ut gentem deleat Judæorum. Agrippas filius Ariſtobuli filii Herodis venit Romam ad Tiberium, Herodem Antipam accuſaturus: ſed tamen non erat receptus à Cæſare. Ipſe Romæ reſidebat, & aliquorum potentium notitias ambiens, maximis colebat officiis Cajum Germanici filium, cum adhuc privatus eſſet. Accidit itaque quadam die, quod Agrippa ſedens cum Cajo in convivio dixit ei, quod ipſe in brevi mortuo Tiberio fieret Imperator: quod cum per unum de aſtantibus relatum fuit ad Tiberium, ipſe mandavit Agrippam concludi in carcerem, & ſic ſub grandi ærumna per 6. menſes usque ad mortem Tiberii detentus eſt, & Tiberius veneno intoxicatus in Campania deceſſit. Cajus Caligula imperavit annis IV. menſibus X. hic abſolvit à vinculis Agrippam, & tetrarchiam Philippi, quoniam ille deceſſerat, ei dedit, ipſumque regem appellavit. Quod ægrè ferens Herodes Antipas, inſtigante Herodiade, & improperante ſibi ſocordiam, dicendo: quia propter id, quod nollet ad Cæſarem navigare, careret poteſtate majore, Romam navigavit, & cum venit ad Cajum, ob avaritiam vehementer increpatus eſt: Et deinde eum ſecutus Agrippa, ipſum in multis accuſavit: quare cum Herodiade uxore ſua fugit in Hiſpaniam, & ibi peregrè defunctus eſt: & Cajus tetrarchiam ejus Agryppæ adjecit. Et iſte eſt Herodes, qui Johannem Baptiſtam fecit decollari. Unde poſt mortem Johannis, ut quidam ſcribunt, commiſſum eſt prælium inter iſtum Herodem, & Aretam regem Arabum, cujus

cujus filia erat Herodias: & voluit pater vindicare filiæ ignominiam, quoniam Herodes eam à Philippo abduxerat, & in eodem Areta vicit Herodem. Hic Herodes condidit in Judæa Tiberiadem civitatem in honorem Tiberii Cæſaris. Cajus ſeipſum inter Deos retulit: Mennii reguli uxorem duxit, impellens eum, ut uxoris ſuæ patrem ſe ſcriberet. Item ſorores ſuas, quibus ſtuprum intulerat, exilio damnavit. Cajus omnia loca Judæorum ad religionem eis conſtructa, ab Alexandria usque Jeroſolymam, ſtatuis & ſignis prophanavit. Unde per præfectum Syriæ Petronium ſtatuam Jovis in templo Jeroſolymis erexit: quia Judæi ſtatuas ſibi non decernebant. Et ipſe anno ætatis ſuæ xx. à ſuis occiſus eſt. Sub eo Philo diſertiſſimus Judæorum, qui quamvis Judæus eſſet, Chriſtianos in libris ſuis commendat, cum legationis officio fungeretur Romæ, occiſus eſt.

Claudius imperavit annis xiv. menſibus vi. Hujus anno ſecundo Petrus primò venit Romam. Claudius anno imperii ſui quarto de Britannis triumphavit, & Orcades inſulas Romano adjecit imperio. Idem dedit Agryppæ omnia, quæ Auguſtus conceſſerat Herodi avo ſuo: & cum hoc regnum, quod Lyſaniæ vocatur, adjecit ei. Item ipſe Judæos ab urbe depulit, Paulo Apoſtolo prædicante in Aſia: unde multis Judæis diſperſis per partes Aſiæ, Aquila & Priſcilla Paulo adhæſerunt. Et poſt hoc in feſto Paſchatos ſub Cumano procuratore Judææ, Jeroſolymis commota ſeditione, xxx. millia Judæorum perieruut. Anno Dn. xlix. Herodes Agrippa Jacobum fratrem Johannis Evangeliſtæ fecit decollari, & Petrum incarceravit: & poſt hoc cùm veniſſet Cæſaream, & ſibi divinos vendicaret honores, ab angelo percuſſus eſt, & ſcaturiens vermibus ibidem mortuus eſt. Tunc Claudius regnum ejus redegit in provinciam: in cujus procurationem miſſus eſt Felix: ſub quo quidam Ægyptius Magus congregavit ad xxx. millia Judæorum, quaſi Propheta concitans eos contra Romanos: ſed Felix eo fugato multos ex eis captivavit, & multos occidit. Poſt mortem Felicis miſſus Portius Feſtus regere provinciam: à quo Paulus appellavit ad Cæſarem. Claudius occidit uxorem ſuam, & accepit in uxorem Agrippinam matrem Neronis, quæ tandem intoxicavit eum veneno, & inde mortuus eſt. Sub eo inventi ſunt Romæ cives Romani ſexiesdecies centena millia, nongenta & quadraginta unum millia.

Caput III.

Nero imperavit annis xii. menſib. iix. Hic peſſimus erat: non verebatur cum matre & ſorore concumbere, quas poſtea tamen occidit: aureis retib. piſcabatur: Primus perſecutionem Chriſtianis intulit: Petrum & Paulum Apoſtolos occidit. Jacobus minor ſub eo Jeroſolymis lapidatus eſt: ſimiliter & Marcus Evangeliſta Alexandriæ occiditur. Anno ejus ix. Perſius Poëta moritur: & ſequenti anno Lucanus Poëta Cordubenſis, quamvis non verè inter Poëtas computetur, quia ſolas conſcripſit verſib. hiſtorias, in conjuratione Piſana deprehenſus, inciſione venarum, quas in brachio præbuit, moritur. Et Seneca patruus Lucani, & præceptor Neronis ſimili modo periit, Nerone eum mortis genus, quod vellet, eligere cogente: Ipſe plures epiſtolas Paulo Apoſtolo, & Paulus ſibi direxit. Unde Auguſtin. vi. de civit. Dei, de Seneca ſic dicit: Seneca temporibus Apoſtolorum claruiſſe invenitur & librum contra ſuperſtitiones edidit, in quo damnat culturam Deorum, & de Judæis dicit ibidem, quòd Sabbata inutiliter cuſtodiunt, quia per illos ſingulos ſeptem dies interpoſitos, ſeptimam ferè ætatis ſuæ partem perdant vacando, & multa in tempore urgentia non agendo lædantur: Chriſtianos tamen, jam tunc Judæis inimiciſſimos, in neutram partem commemorare auſus eſt, ne vel laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem. De illis ſanè Judæis cum loqueretur, ait: Cum interim eo uſque ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes terras recepta ſit, victi victoribus leges dederunt. Mirabatur hæc dicens, & quid divinitus ageretur, ignorans. Subjecit plenam ſententiam, qua ſignificaret, quid de illorum Sacramentorum ratione ſentiret. Ait enim: illi tamen cauſſas ritus ſui noverunt, & major pars populi facit, quod cur faciat, ignorat. Hæc Auguſtinus. Et Lucanus (*2. lib. Pharſal.*) de ipſis Judæis ſic dicit, quòd ſerviant incerto Deo. Unde ſic ſcribit:

Cappadoces mea ſigna timent, & dedita ſacris
Incerti Judæa Dei.

Sub Nerone Judæi Romano Imperio rebellabant: milites Romanorum in cuſtodiis

diis poſitos occidunt: quare gentes undique ſæviunt in Judæos, & occidunt undique ſecum commorantes. Unde in Cæſerea ultra xx. millia Judæorum perierunt: in Scythopoli XIII. millia: in Alexandria L. millia: in Joppe IIX. millia quadringenti: in monte Aſamon II. millia: in Damaſco x. millia. Propter has clades miſit Nero Veſpaſianum in Judæam cum exercitu magno, qui Titum filium ſuum miſit Alexandriam, ut inde exercitum quintæ & decimæ legionis moveret. Interim Judæi contra Aſcalonem proceſſerunt à Jeruſalem, itinere ſeptingentorum viginti ſtadiorum à Jeroſolymis diſtantem, ubi eorum x. millia proſtati ſunt, cæteris in Idumæam refugientibus. Poſt hæc iterum octo millia proſtrata ſunt. Veſpaſianus igitur & Titus cum legionibus in Galilæam venientes, Jotapatam civitatem munitiſſimam obſederunt, cui Joſippus, ſeu Joſephus, qui poſtea ſcripſit hiſtoriam de everſione Jeruſalem & Judæorum per Titum facta à Judæis, præfectus erat. Etenim Jotapata paulò minus tota rupes erat, ex aliis quidam partibus undique vallibus immenſis præceps: ut altitudinem ejus oculis deprehendere cupientium aſpectus ante deficiat: ab una verò tantum Boreæ parte adiri poterat: ubi per transverſum latus definentis montis ædificata erat. Quare Veſpaſianus aggerem fieri præcepit, quo ferè cum maximo labore propugnaculis adæquato, Joſippus convocatis fabris murum extolli altiùs præcepit. Cùm verò Romani ipſos à labore ſagittis arcerent, Joſippus contra ſudibus fixis, per eoscoria boum extendi præcepit, quæ emiſſos tormento lapides ſinuata ſuſciperent, quibusque repulſa tela cætera delaberentur, & ignis humore langueſcerent, ad xx. cubitorum altitudinem murum altius Romanis ignorantibus erexit. Unde Romanis jam ſe intra civitatem eſſe credentibus, novi muri obſtaculum magnum * comparavit. Unde Veſpaſianus civitatem ſe capturum victualium penuria ſtatuit, & puteis prope civitatem exiſtentibus jam exhauſtis, Romani credebant cives ipſos ſiti deficere: Joſippus autem ut hanc ſpem eis frangeret, juſſit quam plurimos per murorum rimas demerſa undis atque humida veſtimenta ſuſpendere, ut omnes aqua repente perfluerent: ex quo Romanis mœror ſimul ac timor erat, cùm tantum aquæ viderent eos ludibrio conſumere, quos potius indigere credebant. Inter hoc Ioſippus per quandam vallem deviam ſingula uſui neceſſaria de nocte cautè fecit adduci. Unde mandavit commeantibus pro his, ut plerumque ad excubias reperent terga velleribus tecti, quaſi qui eos nocte vidiſſent, canum ſimilitudine fallerentur, idque factum eſt, donec ejus fraudem vigiles perſenſerunt. Poſt hæc Ioſippus de ſalute civitatis deſperans, cum pugnaciſſimis egreſſus, diſiectis cuſtodibus, uſque ad Romanorum caſtra excurrebat, & ſic per dies aliquot à bellis non ceſſavit. Unde Veſpaſianus armatis imperat, ut impetum Judæorum declinent: ne cum hominibus mortis avidis manum conferant: nihil fortiùs aſſerens deſperatis: Romanos quidem cautiùs oportere quærere victoriam, augendæ poſſeſſionis cauſa, non ex neceſſitate bellantes. Veſpaſianus igitur cum propè jam muris novis aggeres æquarentur, arietem admoveri præcepit. Eſt autem aries, immenſa materia, malo navis aſſimilis; cujus ſummum gravi ferro ſolidatum eſt, in arietis effigiem fabricato, unde etiam nomen accepit. Pendet autem funibus medius ex trabe alia, velut ex trutina, palis utrinq; fultus, benè fundatis, retrorſum autem magna virorum multitudine repulſus, iiſdemque rurſus impellentibus ſimul miſſus, in fronte prominente ferro mœnia percutit, nec eſt ulla tam valida turris, aut murorum ambitus latus adeò, ut etſi priores ictus fortiter ſuſtinuerit, aſſiduos vincat. Joſippus igitur ſaccos paleis completos ſuos, quà ſemper impetum arietis ferire viderent, demittere juſſit ex muro, ut eo modo ictus errarent, aut etiam excepta vulnera laxitas fruſtraretur: ſed Romani econtra proceris contis in ſummitate acutis falcibus firmatis adhibitis ſaccos abſciderunt. Unde Joſippus tandem totum quod aridæ materiæ habuit accendens, machinas & propugnacula Romanorum concremavit Tandem tamen cum Judæi tota nocte igne, ferro, & ſaxis ſe defendiſſent murus continuis ictibus ceſſit. Cumq; die facto Romani civitatem capere ſe arbitrarentur, pontes appoſueruut: Joſippus verò eos muro approximantes oleo ferventi perfundi fecit: unde plurimi ceciderunt. Mulieribus igitur in domibus concluſis, ne ſuorum animas miſericordia effœminarent, ſenibusq; obſtructis auribus ne clamore terrerentur, juxta murum integrum ordinatis, Ioſippus murum ruptum cum fortioribus defendens, Romanis per pontes jam intrare volentibus, fœnogræco cocto pontium tabulata

Digitized by Google

tabulata perfudit: unde nec fugientium quiſquam, nec aggredientiũ firmo potuit inniti veſtigio: Quare Veſpaſianus tres turres quinquaginta pedum altitudinis jubet erigi ferro undique tectas, & ſic arcendo Judæos à muro ſagittis quadrageſimo ſeptimo die obſidionis, Kalendis Junii XIII. anno Neronis cepit Jotapatam, & capti ſunt Judæorum mille ducenti: quadraginta verò millia connumerata ſunt excidii tempore pugnisque ſuperioribus mortuorum: multi tamen ad ſpeluncas confugerunt. Et cùm iſta Ieroſolymis audita ſunt, nunquam lamenta ceſſabant per dies XXX. magnaq; mercede conducebantur tibicines næniarum. Joſippus tamen quodam fortunæ fretus auxilio, ſeſe per medios hoſtes ſurripuit, & in quendam profundum puteum ſaltu demiſſus eſt, cui amplus ſub terra meatus annexus erat, & ibidem XL. viros inſignes invenit latitantes, ſed Ioſippus ſtatim proditus eſt. Unde Veſpaſianus miſit duos chiliarchos ad puteum, ut Joſippum vocarent pacem ſibi promittentes: ipſe verò timens, quòd magis ad pœnam vocaretur, quàm ad gratiam, eis non conſenſit. Unde Veſpaſianus deſiderans eum capere vivum tertium miſit ad eum, cui nomen Nicanor erat. Cùm verò Ioſippus, poſt multas promiſſiones & minas, conſenſum præbuit exeundi, illi, qui ſecum latitabant, eum occidere voluerunt: improperantes ei, quomodò ipſe multis pro libertate mori perſuaſit, modò tanquam proditor ad Romanos exiret. Cumque ſeipſos occidendos magis, quàm ad Romanos exire arbitrarentur, Joſippus diverſis perſuaſionibus ipſos alloquitur. Et quid enim tantopere, inquit, ô ſocii propriæ necis avidi ſumus? quis nos metus prohibet ad Romanos adſcendere? nempè, mortis? Ergo quæ ab hoſtibus dubiè ſuſpecta formidini eſt, eam certam nobis irrogabimus? Verum ſervitutem dicet aliquis? Valdè quidem nunc liberi ſumus. At viri fortis eſt ſemetipſum occidere? Imò verò ignaviſſimi quantùm opinor. Nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens, ante vim turbinis navem ſponte ſubmergit. Quin etiam propria manu perire, à communi omnium animalium natura diſcrepat, eoque modo in creatorem noſtrum Deum ſummum ſcelus admittitur. Quorum verò manus in ſeipſos inſaniverint, eorum animas tenebroſior Orcus ſuſcipiet. Cumque Joſippus his verbis & aliis perſuaſionibus plurimis nihil proficeret, quin ipſi ſibi gladiis occurrerent jam volentes eum occidere, ipſe Dei fretus providentia ſalutem mittit in periculum. Et quoniam mori decretum eſt, inquit, agite cædes mutuas ſortiamur, & cui obtigerit manu ſequentis occumbat: atque ita omnium fortuna perambulet, neque ſua ſe quis dextera feriat, injuſtum enim eſt cæteris interemptis, ex aliis quenquam, ſi pœnituerit, ſalvum eſſe. Viſus eſt vera dicere, & quod perſuaſit agitur: ita quòd tandem occiſis cæteris, ipſe Joſippus ſolus cum uno ſuperfuit, cui fide interpoſita perſuaſit, ut viverent, & ſic hoc modo ſalvatus adſcendit. Cùm igitur Veſpaſiano præſentatur Joſippus, & ipſe ſe Romam deſtinandum Imperatori intellexit, Veſpaſiano, audiente Tito & duob. amicis ſuis, ſolus ſecretè dixit, quod Nerone in brevi decedente, Veſpaſianus fieret Imp. & ſi ſic non eveniret ſupplicia propter mendacium eſſet ſubire paratus. Inſuper adjecit, quod Jatapatenis prædixiſſet poſt XLVII. diem inceptæ obſidionis excidium ſe paſſuros, & ſeipſum vivum à Romanis cuſtodiendum. Erat enim interpretandis ſomniis idoneus, & conjecturare, quæ divinitus dicerentur, ſciebat. Et licet Veſpaſianus fidem ad verba Joſippi non adhiberet, ipſumque ſalutis gratia comminiſci æſtimaret: tamen à concaptivis informatus quodammodo, ejus verba credibilia fore concepit, & in vinculis detineri præcepit. Interim quòd Veſpaſianus Jotapatam obſedit, miſit duces exercitus per circuitum, & cepit omnes civitates Galilææ, & occiſi ſunt, & perierunt de Judæis durante obſidione, & poſt eam LXI. millia & ultra præter illos capti ſunt, de quibus MCC. juſſit Veſpaſianus occidi, qui cauſſa belli & diſſenſionis fuerunt: VI. millia fortiſſimorum juvenum Romam Neroni tranſmiſit, & XXX. millia & quadringentos vendidit: præter illos, quos dedit Agrippæ, qui regnavit in Chalcedone, & fuit filius Agrippæ, quem Cajus regem fecerat, & iſte etiam vendidit eos. Erat autem quidam nomine Johannes, qui quoddam municipium Galilææ tenuit, quod dicebatur Giſcala. Hic cum exercitum Romanum contra ſe venire conſpexit, nocte verſus Jeroſolymam fugit, animoſque juvenum contra Romanos excitavit ad bellum: licet prudentiores & ſeniores aliud ſentirent. Poſt hoc plurimi de partibus circumjacentibus Jeroſolymam confluebant, cuncta latrocinii genera per territorium circum-

Digitized by Google

circumquaque exercentes, ita ut tandem populus eis minimè reſiſtere poſſet, & hos Joſephus ſeditioſos aliquando zelotas nominat, & iſtorum capitaneus iſte Johannes factus eſt. Cumque Ananus Pontifex & populus eis reſiſtere conabantur, Johannes miſit ad Idumæos, ut ei in auxilium venirent. Unde ſubitò Idumæorum circa xx. millia venerunt Jeroſolymam, metropolim liberare cupientes: quorum adventum Ananus Pontifex audiens, portas claudi juſſit, ſed per ſeditioſos eis de nocte clam intromiſſis, de populo IIX. millia quingenti trucidati ſunt, & Ananus Pontifex cum aliis ſacerdotibus occiſus eſt: & ſic tota civitas latronibus & ſeditioſis eſt repleta, & iterum deinde in civitate XII. millia hominum interemta ſunt. Iſtis ſic geſtis, Veſpaſianus Cæſaream revertitur, & cum ibi quomodo verſus Jeroſolymam moveret exercitum, ordinaret, Nero peremtus nunciatur. Nam cum Senatus malitiam Neronis diutiùs ferre non poſſet, ipſum per urbem nudum furcam portaturum flagelliſque cædendum publicè duci decrevit, & poſt hoc eum de quodam ſaxo præcipitandum, ſicque cum ignominia moriturum. Quo comperto, Nero de nocte fugit ab urbe cum duobus nequitiæ ſuæ conſortibus, & in fuga ſeipſum gladio transfixit. Nonnulli opinantur Neronem non occiſum, ſed occultatum, & eum in illa ætatis forma, qua fuit occultatus, futurum eſſe Antichriſtum. Sed falſa eſt opinio, teſte Auguſtino xx. de civitate Dei. Sub Nerone paſſi ſunt Vitalis, & Gervaſius ac Prothaſius filius ejus, S. Nazarius, Celſus puer, & plures alii. Poſt mortem Neronis quidam duces Romani exercitus ſe de imperio intromittere tentaverunt. Unde Galba reverſus ab Hiſpania Imperatorem ſe fecit, ſed Romæ ſtatim in foro necatus eſt. Deinde Otho quidam ſuſcepit imperium & per tres menſes rempublicam gubernabat: Deinde Vitellius cum exercitu maximo à Germania veniens Imperator factus eſt, & ipſe Sabinum filium Veſpaſiani occidit, Domitiano cum multis nobilibus ab urbe fugato. Et cum Veſpaſianus iſtos varios Reipublicæ ſucceſſus audiret, Jeroſolymam proficiſci diſtulit, & Romam ſe transferre deliberabat, quod & ſi temporis oportunitas, puta hyemis, eum non prohibuiſſet, utique perfeciſſet. Cumque rectores exercitus hos caſus ſiniſtros reipublicæ perpendunt, Veſpaſianum nituntur facere Imperatorem: & cùm ipſe recuſaret ipſi minabantur ſibi interitum, niſi vivere vellet ut dignus. Tandem perſuaſionibus eorum acquieſcens Imperium ſumſit, & Joſippum à vinculis abſolvit, ejuſque ſapientiam cunctis principibus ſuis indicavit. & deinceps eum in conſiliis ſuis, tanquam virum prudentem, ſemper habebat. Hinc ſtatim fama per partes Orientis evolabat, quòd Veſpaſianus eſſet factus Imperator: quare ſingulæ civitates coronas & gratulatoria dona ſibi deſtinabant. Interea aliud bellum Jeroſolymis excitatur. Erat enim quidam nomine Simon Gioræ filius, patria Geraſenus: hic exiſtens princeps latronum, qui occupaverant Maſſadam, comperta morte Anani Pontificis, congregavit viros nequiſſimos exercitum magnum, & proceſſit contra Jeroſolymam: contra hunc proceſſerunt ſeditioſi ad bellum, & Simon prævaluit. Unde poſt contentiones plurimas, ſeditioſis Jeroſolymis inter ſe diſſidentibus, ab una parte eorum Simon cum ſuis intromiſſus eſt in civitatem, & ſic bellum in civitate commiſſum eſt. Veſpaſianus igitur unum de Rectoribus exercitus Mutianum nomine cum magna parte exercitus præmiſit Romam: qui Romam veniens, adjutorio populi ſuffultus, Vitellium ſuperavit, & Domitianum filium Veſpaſiani rectorem reipublicæ uſque ad patris adventum inſinuavit. Veſpaſianus verò ab Alexandria Romam profecturus Titum filium ſuum cum reliquo exercitu miſit Jeroſolymam.

CAPUT IV.

VEſpaſianus Romam veniens omnibus paratis imperavit annis x. menſib. XI. Titus verò cum IV. legionibus Jeroſolymam properat, & tunc ſeditioſi intra civitatem diviſi erant in tres partes: quarum unius Simon capitaneus erat: alterius partis Johannes, & tertiæ partis Eleazarus ſocius Johannis, capitanei fuerunt: quibus intra civitatem bella gerentibus, plurimæ domus cum frumento, quod non paucis annis ſuffeciſſet obſeſſis, igne conſumptæ ſunt. Duæ igitur legiones de exercitu Titi caſtrametatæ ſunt ad ſeptem ſtadia propè civitatem & quinta legio per tria ſtadia retrorſum, ambæ à Septentrione: & decima legio ſexto ſtadio caſtra poſuit ab Jeroſolymis in monte Elæon, inter quem & civitatem eſt vallis Cedron. Hæc videntes ſeditioſi

Digitized by Google

ditioſi intra civitatem perterriti iniere concordiam unanimiter contra Romanos, & armati ſimul proſilientes è portis decimam legionem in inſtauratione caſtrorum, armis depoſitis, ex improviſo fortiter invadunt, & omnes convertunt in fugam. Deinde poſt meridiem iterum Judæis irruentibus in eos, Titus cũ paucis, inaſcenſu montis reliquis fugientibus, in tantum eis reſtitit, quòd Judæi animoſitatem ejus non ferentes ex utroque latere ab eo declinabant, & alios fugientes inſequuntur. Titus verò ipſos adhuc à latere aggreſſus ipſorum impetum præpediebat: ita quòd illo die Titus in perſona ſua totam legionem, bis à periculo liberavit Et demum in feſto Paſchæ dum multitudo congregata erat in civitate, Titus duxit exercitum ad duo ſtadia prope civitatem. Inter hæc diſſenſio ſeditioſorum, quæ prius erat trifaria, iterum fit bipartita. Unde Johannes cum ſuis templum occupat, habens ſecum ſex millia armatorum. Simon verò tenens partem civitatis ſuperiorem, habuit ſecum x. millia armatorum præter Idumæos, qui erant v. millia. Bellum inter ſe continuè exercent, donec Romani, deſtructis ſuburbanis, murum arietibus impellunt: tunc iterum ſeditioſi ad concordiam redierunt. Jeroſolyma quidem ſic erat condita: ipſa ſuper duos colles erat ſtructa, contrariis frontibus ſe adſpicientes, interveniente valle diſcretos in quam domus creberrimæ deſinebant. Collis verò, in quo ſuperior civitas fuerat, multo excelſior eſt, & prolixitate directior: alter verò collis vocatus Acra inferiorem continebat civitatem, & undique declivior eſt. Contra hunc tertius collis eſt, natura humilior, quam Acra, aliaque lata valle diviſus, quem multitudo exuberans extra mœnia civitatis incoluit, & rex Agrippa muro cinxit. Unde pars illa patria voce Bezetha eſt dicta, id eſt, nova civitas. Iſte murus habuit turres nonaginta ſolidas & plenas, ad xx. cubitorum altitudinem, deſuperque habentes cellas & cœnacula varia: quælibet turris habuit xx. cubitorum latitudinem, & tantam longitudinem, erantq; unuſquiſque lati ac tortuoſi aſcenſus, alterque ab altera intervallo ducentorum cubitorum diſtabat. Medius autem murus civitatis in xiv. turres, & antiquus murus in lx. turres diviſi erant. Sic fuerunt quaſi tres civitates, quarum quælibet alteri à ſeptentrione adhærebat: & ſic civitas tribus muris circumdata erat, præter in ea parte, qua vallibus inviis cingebatur, quia ibi tantum muri ambitus circumibat. Omne igitur ipſius civitatis in gyro ſpacium xxxiii. ſtadiis finiebatur. In antiquo muro verſus Septentrionem & Occidentem, Herodes rex, ubi altitudo collis erat, quaſi quidam vertex eminens, propè ad xxx. cubitos, tres turres miræ magnitudinis erexerat: quarum una lxxx. cubitos in altitudinem ſurgens & in latitudine ac longitudine habens æqualiter xxv. cubitos, Hippicos à quodam amico Herodis dicebatur. Altera in modum pilæ facta, xl. cubitos habens in longitudine, propè ad xc. cubitos alta, Phaſelus à fratre Herodis dicta. Et tertia, quinquaginta quinque cubitorum altitudinis, xx. cubitis longa, ac latitudinis ejuſdem, Mariamnes ab uxore Herodis nominabatur. Hæ turres mirabili magnificentia in pluribus ædificiis adornatæ, omnes ex marmore candido quadrato erant fabricatæ, non ex lapidibus communibus, ſeu quos homines portare poſſent: ſed plerumque ex lapidibus longitudinis xx. cubitorum, ac x. cubitos latis, nec uſquam junctura lapidum apparens ſingulas turres, quaſi ſingula ſaxa exhibebat. His à Septentrione ſic poſitis, intus Aula regia conjungebatur, habens in circuitu murum xxx. cubitorum altitudinis. Templum autem conditum erat ſupra duriſſimum collem, qui undique præceps erat: ab initio, quando Salomon rex ipſum ædificare cœpit, triplici etiam muro collis circumdatus erat. Titus igitur tres turres l. cubitorum altitudinis conſtrui præcepit, quibus applicatis ad murum, ſtantes in muro Judæos arcebant ſagittis à muro, & tandem die xv. Nonis Maji primum murum Romani diruerunt. Cumque ingreſſus fuiſſet Titus cum mille electis armatis, neminem de populo comprehenſum permiſit occidi, nec domus incendi: ſed cum ſeditioſis ſi pugnare vellent ſine populi detrimento, copiam dabat. Seditioſis verò pro inertia ducebatur humanitas, Titumque imbelli animo, quòd civitatem ſuperiorem capere non poſſet, has conditiones proponere putabant, mortem populo denunciantes. Judæi verò Tito exeunte Romanis per viarum anguſta & ex ædibus obſtantes, ipſos cum magna clade expulerunt: Quare per triduum Romanis iterum fortiter inſtantibus, quarto die Titus murum recuperat, & totam ſeptentrionalem plagam dirimi juſſit, in meridiana parte

præſidiis collocatis. Jamque tertium murum expugnare cogitabat, & die quinto aggeres verſus Antoniam erexit. Unde Antonia erat in ſuperiori civitate quaſi caſtellum Herodis regis. Titus tamen populum adhuc conſervare cupiens, ipſos ad Pœnitentiam per Ioſippum hortabatur: ſed ſeditioſis ipſis aures ſuas obturantibus, populus ad profugiendum commotus eſt: Quare Johannes & Simon quoſcunque de fuga ſuſpectos habebant de populo, continuò occidebant: divitioribus quidem etiam manere, ſicut profugere, par erat cauſſa pereundi. Nam quaſi transfugere voluiſſet propter patrimonium quiſque occidebatur. Fames autem tanta invaluit in civitate, ut uxores viris, & filii parentibus, & quod miſerrimum, matres infantibus cibum ex ore ipſo rapiebant, & marceſcentibus inter manus cariſſimis nemo parcebat. Ubicunque domus claudebantur ſumendi cibi credebatur indicium. Unde ſatellites aderant, & ruptis foribus victum jam contuſum dentibus, ſi quos ſumentes invenerant, ex gutture penè revocabant, ipſos faucibus ſtrangulantes. Acerbiſſimos etiam cruciatus excogitabant, quibus alimenta extorquerent. Unde multi latenter fugiunt ad Romanos: quibus tormenta diverſa ante murum ſunt illata, ut illi, qui adhuc tenebant civitatem, ex his terrerentur: ipſi verò magis irritati familias fugitivorum diverſis cruciatibus in muro econtra adficiebant: ita quòd Tito iſta calamitas miſerabilis videbatur, cùm indies ſingulos quingenti, nonnunquam etiam plures caperentur. Romani igitur infra XVII. dies contra civitatem quatuor aggeres erexerunt: ſed Johannes ſuffoſſa intus terra uſque ad aggeres diſpoſitis per cuniculum ſudibus, opera ſuſpendit: illataque ſilva, pice ac bitumine illita, ſuccendit, ſicque aggeres ad foſſatam cadentes ignis deſtruxit: & ſic alia ex parte Simon cum ſuis latenter civitatem egreſſus, aggeres ab altera parte ſuccendit. Quapropter Titus multis habitis conſiliis, tandem civitatem ipſam muro undique cingi præcepit. Unde operibus militibus diſtributis infra triduum murus continens ſtadia XL. minus uno completus eſt, & extra murum illum XIII. caſtella, quorum gyrus dena ſtadia continebat, ita ut celeritas operis fide careret, & ſic civitate circummurata ſingulis noctibus Titus primam vigiliam, ſecundam Alexander unus de principibus, & tertiam agminum duces obſervabant. Judæis igitur fugere nullo modo valentibus, tot fame ſunt mortui, quòd ſexcenta millia mortuorum è portis ejecta nunciantur: aliorum verò numerũ minimè poſſe comprehendi, quia congeſta in maximis ædibus concluſa fuerunt. Quidam enim fimum boum veterem comedebant: alii de ſingulis ſcutis & calceamentis coria corrodebant. Fugientes autem ad Romanos adhuc ſævior fortuna quàm ea, quam domi pertulerant, conſequebatur. Erant namque inflati ex inedia, & velut morbo intercutis aquæ turgidi: deinde vacua replentes corpora diſrumpebantur, niſi qui periti deſideria cohibuiſſent, paulatimque cibum deſueto corpori obtuliſſent. Verùm & eos qui hoc modo ſervarentur alia plaga ſuſcepit. Quidam enim apud Syros ex transfugis deprehenditur è fimo ventris aureos colligens, transglutiens enim eo veniebat: ſed hac arte per unum detecta, totis caſtris fama ſurrexit, quòd auro transfugæ pleni venirent. Unde multi hac occaſione perierunt: una ſiquidem nocte duorum millium patefacta ſunt viſcera. Et Titus hac injuſtitia cognita, omnibus de cætero hoc committentibus mortem comminatus eſt, & niſi multitudo magna fuiſſet eorum, qui hoc ſcelus perpetraverant, ipſe feciſſet eos omnes occidi. Poſtquam Romani comprehenderunt Antoniam, Johannes & ſocii ſui ſupra ſacras portas jacula & baliſtas, nec non ſaxorum diſpoſuere tormenta: in loca verò ſancta & inacceſſa cum armis inſiliebant. Titus autem dolens eorum vicem increpabat eos dicens: Nonne vos, ô ſceleratiſſimi, cancello ſanctum locum protexiſtis? Nonne literis Græcis ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus, ne ſepta cuiquam transgredi liceret, edicitur? Nonne reos qui tranſiſſent, quamvis Romanus quis eſſet, necare vobis permiſimus? Quid igitur in eo etiam mortuos conculcaſtis? Teſtor ego patrios Deos, & exercitum meum, & vosmetipſos, quòd non ego vos violare hæc compellam: quin & ſi locum acies veſtra mutaverit, neque accedet ad ſancta quiſpiam Romanorum, neque quicquam in eorum contumeliam faciet: ſervabo autem vobis etiam templum nolentibus. Judæi hoc audientes magis elati ſunt in ſuperbiam, quaſi hæc Titus magis timiditate quàm miſeratione proferret. Unde ne Romani tuto ad templum poſſent accedere, Judæi partem porticus templum contingentem, immiſſo ſanctis igne manibus propriis, ad

XX. cu-

Digitized by Google

xx. cubitos concremarunt. Et cùm ſic bella circa templum non ceſſabant, eorum qui intra civitatem fame cruciabantur, innumerabilis multitudo moriebatur. Erat autem quædam mulier ex plebe trans Jordanem habitantium incolarum, Maria nomine, Eleazari filia, de vico vetezobra. Hæc cum aliis fugiens Ieroſolymam tempore belli, obſeſſa una cum aliis eſt, & poſtquam ſatellites omnia ad victum pertinentia ſibi abſtulerant, ipſa fame & iracundia inſtigata, rapto filio, quem lactentem habebat: miſerum te, ait, infans in bello, & fame & ſeditione cui te ſervavero? Apud Romanos etiam ſi vixeris: ſervitūrus es: eſto igitur mihi cibus, & ſeditioſis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ ſola deeſt calamitatibus Judæorum. Et ſimul hoc dicens, occidit filium, coctumque medium comedit: ad opertum autem reliquum ſervavit. Ecce autem aderant ſeditioſi, & contaminatiſſimi nidoris odore capti mortem ei ſtatim, niſi quod paraſſet oſtenderet, minabantur. Illa vero partem ſe bonam reſervaſſe reſpondens, aperit filii reliquias. Illos autem confeſtim horror cepit, atque dementia, viſuque ipſo diriguerunt. At mulier: & hic eſt verè filius & facinus meum, comedite: nam & ego comedi. Nolo ut ſitis aut fæmina molliores, aut matre miſericordiores. Poſt hoc illi quidam trementes abierunt, vixque hoc cibi matri ceſſerunt. Hæc Titus percipiens dixit: ſcelus hujusmodi nefandi victus ruina ſeſe patriæ coopertūrum: neque relicturum in orbe terrarum, ut Sol aſpiciat civitatem, in qua matres ſic veſcerentur. Ante matres autem patribus hujusmodi alimenta deberi; qui nec poſt hujusmodi clades arma deponerent. Decimo igitur die menſis Auguſti, milites, Tito invito, templum incenderunt: quo die etiam aliquando deſtructum erat à rege Babyloniorum. Cædes igitur fit maxima. Latrocinalis autem multitudo in civitatem evadit. Unde ex populo promiſcui ſexus perierunt igni & ferro ad VI. millia: quibus cauſſa interitus erat quidam pſeudopropheta, qui prædicaverat eo die ſe ſigna ſalutis à Deo in templo accepturos. Multi enim à tyrannis tunc pſeudoprophetæ ſubordinati, populo liberationem prædicaverunt. Miſerabilis itaque populus ille, illis quidem fallacibus, Deumque calumniantibus, credulus erat: certis verò prodigiis, futuram ſolitudinem prænunciantibus, neque attendebant animo neque credebant: modò cum ſupra civitatem ſidus ſtetit gladio ſimile, & per annum perſeveravit cometes: modò cum octavo die menſis Aprilis populo conveniente ad feſtum azymorum, adhuc ante motus primi belli, nona hora noctis circum aram templumque tantum lumen effulſit, ut clariſſimus eſſe dies putaretur, & hoc usque ad mediam permanſit horam. Item eodem die feſto bos, cùm ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani enixa eſt. Item Orientalis porta interioris templi cùm eſſet ænea atque graviſſima, & poſt meridiem vix à xx. hominibus clauderetur, ſerisque ferro vinctis obſeraretur, peſſulosque altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt hora noctis ſexta pateſcere. Item ante Solis occaſum ferrei currus totis regionibus, & armatæ acies, tranantes nubila, & civitati circumfuſæ, viſæ ſunt. Cujusmodi portenta bellum Macchabæorum liber ſecundus eorundem præceſſiſſe teſtatur. Et ante ingreſſum Longobardorum in Italiam beatus Gregorius in quadam homilia viſa fuiſſe commemorat. Item in feſto Pentecoſtes nocte ſacerdotes intimum templi more ſuo ad divinas res componendas ingreſſi, primum quidem motum quendam ſtrepitumque ſenſerunt: poſtea verò ſubitam vocem audivere, quæ diceret: Migremus hinc. Item fuit quidam nomine Jeſus filius Anani plebejus & ruſticus, quadriennio priùsquàm bellum inſtaret, in die feſto, ad templum veniens, repente clamare cœpit: vox ab oriente: vox ab occidente: vox à quatuor ventis: vox in Jeroſolymam & Templum: vox in maritos novos, novasque nuptas: vox in omnem hunc populum: ſicque circumibat per omnes vicos civitatis die noctuque. Cumque verberabatur, nihil aliud reſpondit, quam, væ Jeroſolymis: & ſic usque ad tempus belli quotidie clamans neminem reſpexit, quaſi orationem meditatus, væ Jeroſolymis, querebatur: ſed nec imprecatus eſt cuiquam, cùm in dies ſingulos mulctaretur: nec victum offerentibus benedicebat: ſic per annos VII. continuos faciens & quinque menſes, nec voce rautior fuit, neque delaſſatus eſt: donec obſidionis tempore ipſa re perſpectis auguriis requievit. Supra murum enim circumiens iterum væ civitati & fano ac populo voce maxima clamitabat: cùm autem ad extremum etiam addidiſſet: Væ etiam mihi! lapis tormento miſſus eum ſtatim peremit, animamque adhuc illa

Digitized by Google

omnia lugentem amiſit. Romani igitur, poſtquam ſeditioſi ad civitatem confugerunt, templo omnibusque circum locis ardentibus, ſigna in fano repoſuerunt, ſacrificioque celebrato Titum maximis cum clamoribus declarant Imperatorem: Poſt hæc ſeditioſi videntes ſe non poſſe evadere, petiverunt facultatem cum uxoribus & liberis exeundi: Sed Titus vitam eis tantum voluit ſalvam eſſe, ut ſe traderent captivos, quod cum noluerunt acceptare, proceſſum eſt contra eos igni, ferro, ac omnibus modis, quibus fieri potuit. Quidam autem eorum Idumæi, & aliqui de populo ſimul ad XL. millia ad Romanos confugientes, ſalvati ſunt: & tandem octavo die menſis Septembris civitas ex toto capta eſt, & Judæi fugientes hinc inde, multi eorum ad cloacas deſcenderunt, nec auſi ſunt nutu Dei timore perterriti in turribus remanere: à quibus nulla machinatione, quàm fame potuiſſent fuiſſe diſtracti. Unde Romani, omnibus quos ceperant occiſis, civitatem incendebant, & anguſta viarum cadaveribus obſtruxerunt, totamque civitatem ſanguine diluerunt. Deſtructis igitur & ſubverſis muris civitatis, Titus juſſit tres turres ſupradictas in fortunæ ſuæ monumentum relinqui: quia eo militante his ipſe potitus fuiſſet, quæ capi non potuiſſent. Hinc ex multitudine captivorum ſeditioſi quique, præter illos, qui triumpho ſervati ſunt, occidebantur. De reliquis XVII. millia vincti miſſi ſunt ad Ægyptum operibus deputandi. Plurimos autem per provincias Titus dono tribuit, in ſpectaculis ferro & beſtiis conſumendos. Qui verò infra XVI. annum fuerunt, illos vendiderunt. Captivorum omnium quidem numerus, qui toto bello comprehenſi ſunt nonaginta ſeptem millium collectus eſt: mortuorum verò per omne tempus obſidionis undecies centum millia. Horum plærique gentiles fuere, ſed non indigenæ. A totis enim regionibus ad azymorum diem feſtum congregati bello ſubito circumfuſi ſunt, ut primò quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citius fames. Johannes igitur oppreſſus fame cum ſociis in cloacis, quam ſæpe deſpexit, à Romanis dexteram ſibi dari precatus eſt. Simon verò multa vi cum neceſſitate luctatus ſemet tradidit: unde ſervatus eſt ipſe triumpho, Johannes verò vinculis ſempiternis deputatus eſt.

CAPUT V.

Colligitur omne tempus in ſecundum annum Veſpaſiani & noviſſimam everſionem Ieroſolymorum à Tito factam, & XV. anno Tiberii Cæſaris, & ab exordio Evangelicæ prædicationis anni XLII. à captivitate autem, quam ab Antiocho perpeſſi ſunt anni CCXXXIIX. Porro à Darii ſecundo anno, ſub quo rurſus templum ædificatum eſt, anni DXC. à prima autem ædificatione templi ſub Salomone usque ad deſolationem MCII. Sed Joſephus ponit MLX. & à primo anno Cyri DCXXXIX. Civitate igitur funditus everſa, Titus relicta ibi decima legione pro cuſtodia, Cæſaream maritimam proficiſcitur: deinde Cæſaream Philippi, ubi multis ſpectaculorum generibus celebratis, multi captivorum conſumti ſunt: alii beſtiis objecti: alii catervatim coacti more hoſtium inter ſe pugnarunt. Unde perierunt ibi ludibrio plusquam duo millia quingenti. Poſt hæc Titus veniens Alexandriam, dimiſſis duabus legionibus ſe ſecuturis, proponit verſus Italiam navigare. Unde Simonem & Iohannem duces captivorum, & alios numero ſeptingentos viros electos, tam magnitudine corporum, quàm pulcritudine præſtantes, ilicò ad Italiam portare præcepit, illos cupiens in triumpho producere. Peracta itaque navigatione pro voto, pater ejus Veſpaſianus, una cum Senatu & populo Romano eum magnificè ſuſcepit: & ſic per dies aliquot unum communem triumphum ob res geſtas agere ſtatuerunt, quamvis Senatus utrique proprium decreviſſet. Die igitur decreta adveniente, nemo ex tam infinita civitatis multitudine domi remanſit. Omnes autem cùm exiſſent, loca ubi tantùm ſtare poſſent, occupaverant. Prima itaque aurora incipiente procedunt Veſpaſianus & Titus, lauro quidem coronati, amicti verò patria veſte purpurea, & ad Octavianas ambulationes tranſeunt. Ibi enim Senatus & ducum proceres, & honorati equites, eorum præſtolabantur adventum. Tribunal autem ante porticum factum erat, ſellæque in eo eburneæ præparatæ: quo cùm aſcendiſſent, conſederunt. Statimque eos partis militaris favor excepit, multis virtutum teſtimoniis prædicans. Illi autem inermes erant, in veſte ſerica laureis coronati. Perceptis autem laudibus, Veſpaſianus cùm adhuc dicere vellent, ſilentii ſignum dedit: magnaque omnium quiete facta ſurrexit, & amictu magnam

Digitized by Google

magnam partem capitis cooperiens, ſolennia vota celebravit: idemque Titus fecit. Perfectis itaque votis, Veſpaſianus in commune omnes breviter allocutus, milites ad prandium, quod his ex more ab Imperatore parari ſolebat, dimittit: ipſe verò ad portam reſedit, quæ ab eo, quòd per illam ſemper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi & cibum priùs capiebant, & triumphalibus veſtibus amicti, Diis ad portam collocatis, cæſa hoſtia inter ſpectacula tranſeuntes, triumphum ducebant. Pro merito autem narrari multitudo illorum ſpectaculorum & magnificentia non poteſt, in omnibus, quæ quisque cogitaverit, vel artium factis, vel divitiarum opibus, vel naturæ novitate. Omnem quidem modum rerum geſtarum in Judæos temporibus belli per ipſa ſpectacula neſcientibus, tanquam præſentibus, expertorum exhibebat induſtria. Pompæ autem finis erat Capitolini Jovis templum, quo poſtquam ventum eſt, conſtitere. Ibi Dux hoſtium Simon Gioræ, inter captivos in pompa traductus, laqueo circumdatus per publicum tractus ac cæſus, occiditur. Deinde hunc diem urbs Romana celebrabat, victoriæ quidem in hoſtes gratulatorium, finem verò malorum civilium. Poſt hoc Veſpaſianus omnes, ſi qui fortè ex familia David ſuperfuiſſent apud Judæos, velut regalis Proſapiæ viros, jubet inquiri, quos poſtea filius ejus Domitianus perſecutus eſt. Anno Domini LXXVI. Achaja, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, Thracia & Cilicia, quæ liberæ antea, & ſub regibus amicis erant, in provincias redactæ ſunt. Et Joſephus ſeptem libros Judaicæ captivitatis ſcripſit, & patri Veſpaſiano & Tito præſentavit eos, qui bibliothecæ publicæ traditi ſunt, & inde propter ingenii gloriam ſtatuam Romæ meruit. Veſpaſianus poſtquam imperavit ferè annis X. fluxu ventris interiit, anno ætatis ſuæ LXIX. & cum morte urgeretur, erexit ſe dicens: Decet Imperatorem ſtando excedere. Ejus temporibus S. Apollinaris Ravennæ paſſus eſt.

Titus filius Veſpaſiani imperavit annis duobus, & totidem menſibus. Hic erat in utraque lingua, videl. Græcâ & Latinâ, diſertiſſimus: vir omnium virtutum, ita ut diceretur Delitiæ generis humani. Nulli quidquam negavit dicens: Nullum debere triſtem ab Imperatore diſcedere: dixitque ſe illum diem perdidiſſe, quo nihil dederat. Poſtquam Titus adeptus eſt imperium, duos viros potentes, qui conjuraverant contra eum, cum excogitatum ſcelus abnuere nequirent, monuerat primò: pòſt deductos in ſpectaculo juxta ſe aſſidere fecit utrumque, petitoque ex induſtria mirmillorum, quorum pugnæ viſebantur, gladio, quaſi ad explorandam aciem, uni atque alteri commiſit: quibus perculſis & conſtantiam mirantibus, dixit: Videtisne poteſtates fato dari, fruſtraque tentari facinus potiendi ſpe, vel amittendi metu? Ipſe Titus Domitianum fratrem ſuum ſibi parantem inſidias, militumque animos ſollicitantem, flens ſæpiùs obteſtatus eſt, ne parricidio cuperet aſſequi, quod & ſe volente eſſet obventurum ei, & jam haberet, cùm ſit particeps poteſtatis. Titus amphitheatrum Romæ ædificavit, & in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit. Alia ejus facta magnifica, quæ geſſit, ſuprà pro parte ſunt ſcripta: & ipſe anno ætatis ſuæ XLII. morbo deficiens obiit.

Domitianus frater Titi imperavit annis XV. Hic apud Romanos primus viros eunuchiſari, & in palatio haberi juſſit, & uxorem ſuam Auguſtam appellari. Ipſe templum Pantheon, quod nunc dicitur Maria rotunda, Romæ ædificavit: mathematicos & Philoſophos urbe depulit: vites in urbe ſeri prohibuit: ſe ut Deum adorari juſſit: ſtatuas aureas & argenteas in Capitolio ſibi erigi fecit: multos nobilium Romanorum perdidit: & plurimos eorum in exilium miſit. Domitianus perſecutiones Chriſtianis ſecundus intulit, & Johannem Evangeliſtam oleo ferventi perfuſum in Pathmos inſulam in exilium miſit, ubi ipſe Johannes Apocalypſin ſcripſit. Et Apollonius eodem tempore inſignis Philoſophus habetur. Eo tempore Joſephus XX. libros Antiquitatum ſcripſit. Domitianus omnes, qui de genere David erant, juſſit interfici, ut nullus Judæorum regni ſuperſtes eſſet. Sub eo ſanctus Dionyſius cum ſociis ſuis paſſus eſt. Et eo tempore Quintilianus ex Hiſpania primus Romæ publicam ſcholam habuit, & ſalarium è fiſco accepit. Domitianus anno Imperii ſui decimo de Dacis & Germanis triumphavit: & tandem in palatio, uxore ſua conſcia, occiſus eſt.

Nerva opido Narnienſi genitus imperavit anno I. & menſibus IV. Tunc Senatus decrevit irritum, quicquid Domitianus ſtatuerat: & multi, quos injuſtè ejecerat, reverſi

Digitized by Google

verſi ſunt, & ſic Johannes Evangeliſta rediit Epheſum. Nerva puellas pueroſque egenorum ſumtu publico per Italiæ opida ali juſſit, & poſtquam ipſe Trajanum adoptavit in filium, anno ætatis ſuæ LXXII. defunctus eſt.

CAPUT VI.

Quoniam regnorum, per ſtatuam Nabuchodonoſor deſignatorum, quarto, de cujus hic curſu nunc agitur, prævalente, regnum, nullo unquam fine terminandum, Daniel interpretatus eſt oriturum: reſtat ab hujus regni capite, quod Chriſtus eſt, per ſingulos ejusdem regni adminiſtratores, ſummos videlicet Pontifices, deſcendendo terrenæ poteſtatis Imperii deinceps temporum curſus annoſque diſtinguere. Sed quia ſummos Pontifices, ac Romanos Imperatores ſingulos, prout annis ſingulis, ſeu menſibus ſibi invicem contemporanei extiterunt, propter crebram ac inæqualem mutationem eorundem, per annos deſignari poſſe ſingulos, non ſolùm difficile, verùm etiam propter temporis prolixitatem, & ſcriptorum non tantum varietatem, ſed etiam contrarietatem arbitror impoſſibile: eoſdem ſummos Pontifices & Romanos imperatores, prout in quolibet centenario numero annorum Domini ipſos contemporaneos, ſeu quaſi reperio deinceps diligentius annotabo. Nec ex hoc, quod ex geſtis ipſorum Imperatorum, tacito de ſummis Pontificibus huc uſque narrationis ſeriem contexui, quis exiſtimet Pontificatui imperium me velle præferre, ſed quia in fine hujus Libri de Pontificatu plura loqui deſidero, & regnum Chriſti, Imperii terreni principatu ceſſante, durabit. Anno igitur Imperii Octaviani Aug. XLII. ut ſuperiùs expreſſi, Chriſtus natus eſt ſeu ut dignius dici conſidero, anno Nativitatis Chriſti primo, Octavianus Auguſtus annum quadrageſimum ſecundum agebat in Imperio. Jeſus Chriſtus Dominus noſter, rex regum, & Dominus dominantium, ac ſummus Pontifex ſedit in hoc mundo annis XXXIII. & menſibus III. De cujus Infantia quidam liber factus eſt, quem eccleſia non recipit: ſed de infantia ejus, ab illo tempore, quo ductus eſt in Ægyptum, & de pueritia ac adoleſcentia ejus nihil ſcribunt Evangeliſtæ, niſi ſolum hoc, quod cùm eſſet annorum XII. inventus eſt in medio Doctorum. Deinde cum erat annorum XXX. baptiſatus eſt à Johanne in Jordane, & poſtea cœpit publicè prædicare, miracula facere, infirmitates curare & diſcipulos congregare: de quibus ex Evangeliis ſatis perdocetur: quare de eis duxi ſuperſedendum. Reperiuntur etiam quædam teſtimonia Judæorum & gentilium de miraculis & factis Chriſti. Unde Joſephus ita ſcribit (*Antiquit. lib. 18. cap. 5.*) Fuit Jeſus ſapiens vir, ſi tamen virum eum nominari fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum, qui libenter ea, quæ vera ſunt, audiunt; & multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adjunxit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus, cum Pilatus in crucem agendum decreviſſet, non deſeruerunt exinde, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertio die vivus, ſecundum quod divinitus inſpirati prophetæ vel hæc, vel alia, de eo innumera miracula futura prædixerant: ſed in hodiernum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen perſeverat & genus. Anno Tiberii Cæſaris XVIII. ſecundum Euſebium: ſecundum Africanum verò, & ſecundum ſupputationem Olympiadum XIX. Chriſtus paſſus eſt. Quod autem XVIII. anno Tiberii paſſus ſit inducit Euſebius etiam ex libris gentilium, qui miracula, quæ tempore paſſionis Domini acciderunt, continent. Dicit enim: ſcribit ſuper his Phlegon, qui Olympiadum egregius ſupputator eſt, in XIV. libro ita dicens: Quarto autem anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis facta eſt. Dies hora VI. in tenebroſam noctem verſus, ut, ſtellæ in cœlo viſæ ſint: terræque motus in Bithynia Nicenæ urbis multas ædes ſubvertit. Et ſubdit Euſebius: Argumentum autem hujus rei, quòd ſalvator iſto anno paſſus ſit, Evangelium præbet Johannis, & Lucæ, in quo ſcribitur: Quinto decimo anno Tiberii Cæſaris Dominum prædicaſſe. Et ſciendum, quòd tempore Paſſionis Domini Joſeph vir Mariæ adhuc vixit: ut innuit Ambroſius in quadam epiſtola ad Theophilum, & idem habetur in §. ecce. XXVII. quæſt. II. & gloſſa notat hoc contra Petrum Manducatorem ibidem in cap. Si enim. Item dicit, quòd Abgarus rex Edeſſæ ſcripſerit Jeſu, ut veniret, & ſanaret eum & quod Dominus ei reſponderit, quòd eſſet miſſurus ei unum ex diſcipulis: quodque Thomas Apoſtolus poſt aſcenſionem Domini miſerit ad illum Thadæum, unum ex

LXX.

Digitized by Google

LXX. diſcipulis, qui baptiſaverit eum: ſed Eccleſia iſtud non recipit. Item ſunt quædam ſcripta, quæ dicuntur inventa inter annales in domo Pilati, qui multa continent de paſſione Domini, de quibus Evangeliſtæ non ſcribunt, & ſpecialiter de apparitione mortuorum, qui cum Domino ſurrexerant: præſertim duorum filiorum Simeonis, qui Jeſum in die Purificationis Mariæ ſuſcepit: ſed quia Eccleſia iſta non recipit, nec ea proſequi intendo. Dominus autem Jeſus elegit XII. viros ex diſcipulis ſuis, quos ſpeciali quodam privilegio electionis Apoſtolos nominavit: & alios elegit LXX. quos binos per ſingula loca & urbes, ad quas ipſe acceſſurus erat, præmiſit. Eodem anno, quo paſſus eſt Dominus, Stephanus lapidatus eſt in menſe Auguſto, & deinde in menſe Januario ſequente Paulus converſus eſt. Cùm poſt mortem Stephani diſcipuli Domini fuiſſent diſperſi, multi eorum apud Antiochiam congregati ſunt, inter quos Paulus & Barnabas fuerunt: & ibi primò Chriſtiani nominati ſunt: cùm antea à multis Galilæi fuerant appellati.

CAPUT VII.

PEtrus Apoſtolus filius Johannis, provinciæ Galilææ vico Bethſaida, frater Andreæ, ſedit Antiochiæ annis VII. Deinde veniens Romam, ſedit annos XXIII. menſes VII. dies VIII. Hic cum Simone mago conflictum habuit: qui Simon voluit ab eo emere Spiritum ſanctum, videlicet ut cuicunque ipſe manum imponeret, ſicut fecit Petrus, quòd ille etiam haberet Spiritum ſanctum. Et inde ab eo, illi qui emunt, aut vendunt ſpiritualia, Simoniaci dicuntur. Et ab iſto Simone caput & initium omnis hæreſis eſt. Unde dicitur in canone primo quæſtione ultima: Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæreſis, quaſi pro nihilo reputantur. Sed heu! temporibus noſtris quaſi nullum peccatum tranſitur & committitur. Simon veniens Romam Deus decretus eſt propter artis magicæ excellentiam, & ſtatua ſibi erigitur hunc habens titulum: Simoni Deo magno. Ipſe quidem erat genere Samaritanus, & habuit ſecum quandam mulierem nomine Selene, quæ priùs in proſtibulo ſteterat apud Tyrum urbem Phœnicis. Petrus veniens Romam malitiam Simonis detexit, & eum aliquamdiu abeſſe compulit. Reverſus autem Romam Simon, & Petro reſiſtere non valens, finxit ſe aſcenſurum in cœlum: cumque à Dæmonibus, juxta ritum artis ſuæ, in aëre ſublevatus eſt, ad imperium Petri & orationem Pauli dimiſſus à Dæmonibus, cadens fractis cervicibus expiravit. Petrus Evangelium Marci, quod ipſe XVIII. anno poſt aſcenſionem Domini ſcripſerat, confirmavit. Matthæus verò Evangelium ſuum ſcripſit quarto anno poſt aſcenſionem Domini. Petrus Epiſtolas ſcripſit: jejunium quadrageſimale inſtituit: duos epiſcopos videlicet Linum & Cletum Romæ ordinavit, qui populo officium Pontificale exhibebant: ipſe verò prædicationi inſiſtebat. Et tandem Eccleſia commiſſa diſcipulo ſuo Clementi, annò poſt paſſionem XXXIIX. una cum beato Paulo martyrio coronatus eſt. De Paulo quidem notandum eſt, quòd ipſe priùs dictus fuit Saulus, & natus de tribu Benjamin in opido Judeæ, quod Fiſcali dictum fuit: quo capto à Romanis Saulus cum parentibus Tharſum Ciliciæ commigravit: & inde Saulus Tharſenſis dicitur. Deinde ob ſtudium legis à parentibus miſſus eſt Jeroſolymam, & audivit ibi legem à Gamaliele: poſt converſionem vero ſuam ad prædicationem ejus Sergius Paulus proconſul Cypri converſus eſt, & inde ipſe Paulus appellatus eſt.

Linus natione Tuſcus, ſedit annos XI. menſes III. dies XII. Hic de mandato Petri inſtituit, ut mulier velato capite Eccleſiam intraret, & ipſe martyrio coronatus eſt.

Cletus natione Romanus, ſedit annos XI. vel XII. & ſub Domitiano martyrio coronatur. Et licet Clemens ſuſcepit Eccleſiam regendam à beato Petro poſt eum, tamen Linus & Cletus ſcribuntur ante eum, ut in libro Damaſi Papæ: & hoc ideo ſecundum quoſdam, quia ipſi exercuerunt Romæ officium Pontificale adhuc vivente Petro: & ergo Linus & Cletus dicuntur coadjutores Petri, & non ſucceſſores. Et ſic ſentit Johannes Papa tertius in quadam epiſtola ſua. Alii dicunt quòd Clemens videns eſſe perniciosum, quòd aliquis ſibi ſtatuere poſſit ſucceſſorem, reſignavit Papatum, & tunc Linus fuit electus; & poſt illum Cletus: quo mortuo Clemens fuit electus, & ita notat gloſſa in Canone. Si petrus VIII quæſt. I. Et iſtud veroſimile eſt, quia ab obitu S. Petri usque ad obitum Clementis, qui non XII. annis ſecundum omnes Papatum tenuit, fluxerunt anni XXXII. qui ferè comprehendunt totum tempus regiminis horum videlicet Lini, Cleti, & Clementis.

Clemens natione Romanus, ſedit annos XI. ſecundum Euſebium. Hic ſcripſit quandam epiſtolam ad Jacobum fratrem Domini, quæ incipit: Clemens Jacobo Domino & epiſcopo epiſcoporum, regenti Hebræorum ſanctam Eccleſiam Jeroſolymam: Et in ea ſcribit beatum Petrum de Deo dixiſſe: Deus eſt appellatio ſubſtantiæ ſupernæ, ſive timoris Domini: igitur Deus eſt ſine principio, ſine fine, ſimplex, incorporeus, & incomprehenſibilis. Patrem cùm audis, agnoſce quod habet filium veraciter genitum. Deus ergo pater ſecreti ſacramenti vocabulum eſt. Ejus verò filius eſt verbum & ſpeculum, & character & imago uniens patris viventis in omnibus ei coæqualis. Nec quæratur, quomodo genuit filium, quod & angeli neſciunt: prophetis incognitum eſt, quoniam ſecretam originem cum proprio filio novit ipſe ſolus, qui genuit: nec à nobis diſcutiendum eſt, ſed credendum. Item in eadem epiſtola ſcribit: quod cum Petrus illi eccleſiam commiſerat, & dixit, quod traderet ei poteſtatem ligandi & ſolvendi, quam à Chriſto acceperat, ſubjunxit dicens ad circumſtantes de Clemente: Ligabit enim quæ ligari oportet, & ſolvet quæ expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam noverit. Ex quibus verbis antiqui elicere voluerunt, quod Petrus his verbis innuit, quod quilibet epiſcopus eccleſiaſticæ regulæ ignarus, vel qualibet in re, aut cupiditatis commotione inductus, aliter, quam oportet, ligabit, aut ſolvet in terris, irritum fore in cœlis. Item Clemens aliam epiſtolam inſcripſit Jacobo, quæ incipit: Clemens ratione eccleſiæ præſul, Jacobo cariſſimo Jeroſolymitanorum Epiſcopo. Sed cum in iſtis epiſtolis ſit mentio de morte beati Petri, qui ultimo anno Neronis crucifixus eſt, mirum videtur, quomodo Clemens ſcripſerit Jacobo, qui anno ſeptimo Neronis lapidatus eſt: niſi forte Clemens ignoraſſet Jacobum fuiſſe mortuum, epiſtolas illas ſcribendo ei, quem adhuc vivum crediſiſſet. Et tandem Clemens tertio anno Trajani martyrio coronatus eſt.

CAPUT VIII.

TRajanus ex Hiſpania ortus apud Agryppinam Coloniam circa Rhenum Imperator efficitur, & imperavit annis XIX. menſibus VI. ipſe plurimas civitates in Germania ultra Rhenum reparavit. Anno ejus ſecundo Joannes Evangeliſta obiit. Trajanus errore deceptus Chriſtianos occidi mandavit: Et poſtea per quendam Judicem ſuum Plinium videlicet ſecundum, qui etiam fuit orator literatorie informatus, quod Chriſtiani ſine cauſſa, propter fidem eorum, injuſtè perderentur: mandavit epiſtolis per provincias Aſiæ, ne quis Chriſtianos ulla tenus de fide eorum inquireret. Jam hæreſes multæ pullulabant. Nam Simon magus reliquerat diſcipulum, qui dictus fuit Menander, & erat Samarites genere, magiſtrum ſuum in arte magica ſupergrediens, & auſus fuit dicere, ſe eſſe ſalvatorem, & promiſit immortalitatem ſectatoribus ſuis. Deinde ſurrexit ſecta Hebionitarum, qui Chriſtum ſolum hominem eſſe dicebant. Deinde ſurrexit Cherinthus hæreticus, qui docuit poſt reſurrectionem terrenum Chriſti regnum futurum in Jeruſalem, & homines in carne iterum concupiſcentiis ſubjectam converſionem habituros. Fuit etiam jam ſecta Nicolaitarum, quorum Johannes in Apocalypſi meminit: qui docuerunt, quod quiſque poteſt abuti carne ſua, & uxores debere eſſe communes, & jactabant ſe habere illius ſectæ auctorem Nicolaum, unum de LXX. diſcipulis Domini, ſeu unum de ſeptem Diaconis ab Apoſtolis ordinatis. Hic enim quadam vice increpatus ab Apoſtolis de zelotypiæ injuria, produxit uxorem ſuam, quæ valde pulcra erat, & dixit ſe permittere unicuique ea uti, volens ſe per hoc excuſare de continentia, & actibus libidinis, quos quidem illi impingebant: ſed iſti Nicolaitæ malè intellexerunt hoc factum Nicolai. Trajanus Babylonem occupavit, & tenuit: claſſem in mari rubro conſtituit ad vaſtandos fines Indiæ. Ejus temporibus Pantheon Romæ fulmine concrematum eſt. Et ſanctus Euſtachius, cujus palatium propè idem Pantheon erat, ubi nunc Eccleſia collegiata in ejus honorem fundata exiſtit, martyrizatus eſt, & ipſe prius Placidus dicebatur, & dies natalis ejus ipſo die Matthæi apoſtoli ſervatur ibidem. Sanctus Ignatius beati Johannis Evangeliſtæ diſcipulus, & Antiochenæ eccleſiæ Epiſcopus martyrio coronatur. Et iſtis temporibus multa millia Judæorum apud Alexandriam perierunt: Similiter & apud Ægyptum, Cyrenen, ac Meſopotamiam, quia tentabant rebellare Romano imperio. Unde Salaminem urbem Cypri, interfectis habitatoribus ejus, ſubverterunt Judæi. Trajanus apud Seleuciam Iſauriæ profluvio ventris extinctus eſt, cujus cineres relati

relati in urna aurea Romam humatique in foro Trajano ſub ejus columna, cujus altitudo CXL. pedes habet, exiſtunt. Adrianus Ælius imperavit annis XXI. Hic informatus de fide Chriſtiana per Quadratum, & Ariſtidem diſcipulos Apoſtolorum, mandavit per epiſtolas: ut nullus Chriſtianos propter fidem eorum impeteret: ſi autem pro crimine aliquem eorum accuſari contingeret, quod pœna debita, ſicut & aliis, illi infligeretur. Iſte Quadratus ſcribit ſe vidiſſe, longe poſt Aſcenſionem Domini, plurimos, quos ipſe ſalvator prius adhuc in carne curavit: & etiam aliquos, quos à morte ſuſcitavit. Adrianus, rebellantibus Judæis, miſit contra eos exercitum ad Ruffum præſidem Judææ: qui multa millia, virorum, fœminarum, & puerorum interfecit, & Imperator decrevit omnes Judæos de provincia illa expellendos, quod & factum eſt, & ipſe expenſis propriis reædificavit Jeruſalem, & vocavit eam à nomine ſuo Æliam, & natione peregrina eam implevit: ſed non ædificavit eam in eodem loco, in quo prius fuerat conſtructa. Iſtis temporibus Aquila Ponticus primus interpres poſt aſcenſionem Domini ex Hebræo in Græcum vetus Teſtamentum tranſtulit. Et hoc tempore Miſſa primum Græco ſermone celebrata eſt, quæ prius in Hebræo celebrata fuit ſolummodo. Eo tempore Egeſippus fuit, qui à paſſione Domini, usque ad illa tempora Eccleſiaſticorum actuum texuit hiſtoriam, & morbo ſubcutaneo moritur.

Antonius Pius cum filiis ſuis Aurelio & Lucio imperavit annis XXII. menſibus duobus. Hic ſcripſit partibus Aſiæ de Chriſtianis non perſequendis, ad informationem Juſtini Philoſophi. Et inter cætera ſcribens populis civitatum ſic inquit: Ego quidem non ambigo etiam ipſis Diis curæ eſſe, ne quis noxius lateat: multo magis etiam ipſis convenit punire eos, qui ſibi immolare nolunt, quàm vobis: ſed vos confirmatis eorum, quos perſequimini, ſententiam, quam de vobis, habent, dicentes, vos impios & ſine Deo eſſe. Unde & optabilius habent animam ponere pro Deo ſuo, & mortem libenter amplecti, quam vobis talibus acquieſcere, & in veſtræ religionis jura concedere. Hoc tempore floruit Pompejus Trogus hiſtoriographus Et eodem tempore Galenus medicus Pergamenus Romæ floruit. Hoc tempore venit Romam Cerdo quidem magus, qui dixit Deum à lege & prophetis prædicatum, non eſſe patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hujus diſcipulus fuit Marcion Ponticus, qui absque ulla reverentia blaſphemans doctoris ſui auxit inſaniam. Deinde cæpit hæreſis Encratitarum, quæ à Saturno quodam ſumſerunt initium: cujus ſectator fuit Tatianus, qui refutavit nuptias à Deo inſtitutas. Iidem ab animalibus abſtinendum prædicant, ingrati Deo, qui hæc humanis uſibus procreavit. Sub hoc imperatore paſſa eſt ſancta Felicitas cum filiis ſuis ſeptem, & moritur apud Dorium villum. Marcus Antoninus, qui & Severus, Lucius Aurelius, & Commodus, affinitate conjuncti, æquo jure imperium adminiſtrarunt annis XIX. Et de iſtis Commodus ultimo imperavit annis XIII. Lucio Athenis ſacrificanti, ignis in cœlo ab occidente latus, in orientem ferri viſus eſt. Hoc tempore Praxedis & Potentiana virgines fuerunt & ſanctus Polycarpus martyrizatus, & Lucius XI. anno imperii ſui ſedens cum fratre in vehiculo apoplexia tactus interiit. Anno Domini CLXXIII, tanta peſtilentia per univerſum orbem fuit, ut pene ad internecionem Romanus exercitus deletus eſſet. Commodus poſtquam ſolus Imperium tenuit, pacem Chriſtianis conceſſit. Hoc tempore Theodotion interpres claruit.

Ælius Pertinax imperavit menſibus VI. Hic ſeptuagenario major cum præfecturam urbis adminiſtraret ex ſenatus conſulto imperare juſſus eſt; & dictus eſt Pertinax, quia obſecrante ſenatu, ut uxorem Auguſtam, & filium Cæſarem appellaret, contradixit, ſufficere teſtatus, quod ipſe regnaret invitus. Et Ælius in palatio ſcelere Juliani juris periti occiditur, quem poſtea Severus juxta pontem Milvium interfecit.

Severus Tripolitanus, primus ex Africa Imperator, regnavit annis XVII. Eo tempore Narciſſus Jeroſolymorum & Theophilus Cæſarienſis Epiſcopi inſignes habentur. Et orta perſecutione contra Chriſtianos Leonides Pater Origenis martyrio coronatur. Item Symmachus Samarites factus proſelytus tranſtulit hoc tempore vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum. Severus Clodio Albino, qui ſe in Gallia Ceſarem fecerat, interfecto, in Britannos bellum transfert: ubi ut receptas provincias ab irruptione barbarorum faceret ſecuriores, vallum per CXXXII. millia paſſuum, à

Digitized by Google

mari ad mare duxit, & ibidem, videlicet, in Britannia, quæ nunc Anglia dicitur, mortuus eſt.

CAPUT IX.

ANacletus, natione Græcus, de Athenis, Papa, ſedit annos XII. ſecundum Euſebium, vel annis IX. menſes duos ſecundum alios. Hic direxit epiſtolam unam univerſis Epiſcopis & ſacerdotibus, quæ incipit: Anacletus ſervus Jeſu Chriſti in Apoſtolica ſede à Domino conſtitutus, & à ſancto Petro Apoſtolorum principe presbyter ordinatus, omnibus Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus Chriſti, ſalutem. In qua quidem epiſtola ipſe determinat primatus, patriarchatus, & Epiſcopatus ſecundum prærogativas urbium & civitatum, quas ſingulæ habuerunt penes ſæculares honores in judicibus, & populi multitudine. Et dicit in eadem epiſtola de ſede Romana (*Diſt. 22. c. ſacroſancta.*) Hæc vero Apoſtolica ſedes cardo & caput, ut prætactum eſt, à Dn. & non ab alio, eſt conſtituta: Et ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus ſanctæ ſedis auctoritate omnes eccleſiæ, Dn. diſponente, reguntur. Unde prima ſedes eſt Romana: ſecunda Alexandrina, tertia Antiochena. Quod tamen poſtea mutatum eſt: ut Conſtantinopolitana haberet ſecundum locum, & Alexandrina tertium, Antiochena quartum & Hieroſolymitana quintum.

Evariſtus natione Græcus, ex patre Judæo, nomine Juda, de civitate Bethlehem, ſedit annos XII. menſes decem. Hic ſtatuit, ut conjugium à parentibus publicè ſponſetur, & à ſacerdote ſacerdotaliter benedicatur ſponſa: & biduo vel triduo ſponſus & ſponſa orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant, ut bene ſoboles generetur: & ipſe martyrio tandem coronatus eſt.

Alexander I. natione Romanus, ſedit annos XII. menſes V. Hic cuſtodivit aquam aſperſionis & ſal benedictum: ipſe etiam addidit in canone Qui pridie, uſque hoc: Et corpus meum. Et ſtatuit, ut aqua commiſceatur cum vino in conſecratione, ad deſignandum unionem Chriſti & eccleſiæ: & ut hoſtia fieret de azymo pane, & in modica quantitate: & ipſe martyrio coronatus eſt.

Sixtus I. natione Romanus, ſedit annos X. menſes III. Hic ſtatuit, quod ſanctus diceretur ad Miſſam: & ipſe ſcripſit ſe archiepiſcopum urbis Romæ: ipſe etiam conceſſit plures miſſas una die per unum, cauſſa neceſſitatis, & non aliter, celebrari: & ipſe martyrio coronatus eſt.

Theleſphorus natione Græcus, ſedit annos XI. menſes III. Hic ſtatuit, ut nullus ante tertiam præſumeret celebrare, & ſtatuit cantari hymnum angelicum in Miſſa: & quod in natali die tres Miſſæ celebrentur. Etiam ſtatuit, ut ſeptem hebdomadis plenis ante Paſcha jejunium fieret: ſed nemo adhoc obligetur, niſi ſit ad hoc adſtrictus ex regula: & ipſe martyrio coronatus eſt.

Hyginus natione Græcus, de Athenis, ſedit annos IV. menſes III. Hic ſtatuit, ut unus tantum ſit patrinus in baptiſmo: & ſcripſit ſe Epiſcopum almæ urbis: ſed Athenienſibus ſcribens primus Papam ſe nominavit.

Pius ab Aquileia, ſedit annos XV. menſes III. Hic ſtatuit, ut Paſcha in die Dominico celebraretur: quoniam prius decima quarta Luna Aprilis cum Judæis celebrabatur. Sed iſte Papa voluit, quod in diem reſurrectionis Domini prorogaretur: ut ſic utrumque ſimul celebraretur.

Anicetus poſt Pium ſedit annos X. ſecundum Euſebium: ſed Damaſcus Papa in libro ſuo de Romanis Pontificibus ponit Anicetum ante Pium in ordine.

Soter natione Campanus, ſedit annis VIII. vel IX. & fuit ortus de civitate Fundis. Hic ſcripſit ſe Archiepiſcopum ſedis Apoſtolicæ: & ſtatuit, ut nulla monacha tangeret vaſa ſacra, videlicet, calicem & corporalia, nec etiam incenſum poneret in Eccleſia.

Eleutherius, natione Græcus, ſedit annos XV. menſes VI. Hic, quod Apoſtoli ſtatuerunt, videlicet, quod à Chriſtianis nulla eſca rationalis & humana repudiretur, ſuo decreto innovavit.

Victor I. natione Afer, ſedit annos X. menſes II. Hic ſtatuit ſanctum Paſcha celebrari Dominico die: ſicut ante ſe ſtatutum eſſe fatetur, in epiſtola ſua quæ incipit: Victor Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ epiſcopus: ſed ipſe addidit, quod Paſcha ſemper deberet celebrari ſic, quòd cadat inter XIV. lunam, & XXI. menſis Aprilis. Et hoc

Digitized by Google

hoc eſt, verum intelligendo de Luna, ſecundum Kalendarium inventa, & non ſecundum computos. Notandum eſt, quòd olim ab eccleſia Romana introductum fuit in conſuetudinem, quòd anniverſarius diei Paſchæ anni præteriti peragitur ſpeciali divino officio in eccleſia, & ille dies anniverſarius dicitur Anotimum Paſchæ. Idem anniverſarius dies Paſchæ habuit ortum ex eo, quia in primitiva Eccleſia illi, qui anno præterito baptizati fuerant, eodem die, anno revoluto, venerunt ad Eccleſiam, & anniverſarium diem ſuæ regenerationis, ſive ſecundæ nativitatis, cum oblationibus ſolenniter peregerunt. Unde officium illius diei eſt de regeneratorum innovatione.

CAPUT X.

ANTONIUS filius Severi, qui & Caracalla dictus eſt, imperavit annis VII. ſub hoc Imperatore iterum editio ſcripturarum divinarum, quam quintam nominamus, Jeroſolymis in dolio reperta eſt. Hic Antonius tam impotentis libidinis erat, ut Juliam novercam ſuam duceret uxorem. Aliqui nominant eum diminutivo nomine Antoninum: & Caracalla à veſte, quam aliunde Romam adduxit, nominatus eſt.

Macrinus regnavit anno uno. Hic præfecturam Prætorii gerens Imperator factus eſt, & quia militarem luxuriam & ſtipendia profuſoria comprimere voluit, à ſuis occiditur.

M. Aurelius Antonius, filius Antonii, ut putabatur, imperavit annis IV. Eo tempore Emaus conſtructa eſt in Judæa, & Nicopolis nominata. Hic M. Aurelius virginem Veſtalem quaſi matrimonio ſuo jungens, abſciſſiſque genitalibus matri magnæ ſe conſecravit: & tandem propter impudicam vitam ſuam Romæ per plateas ignominioſè tractus vitam finivit.

Alexander imperavit annis XIII. Hic Xerxem regem Perſarum vicit, & diſciplinæ militaris tam ſeverus corrector fuit, ut quaſdam tumultuantes legiones integras exauctoraret. Hujus temporibus in Nicopoli in Epiro editio divinarum ſcripturarum, quæ Sexta dicitur, in dolio reperta eſt. Sub Alexandro Calixtus & Urbanus primi Pontifices ſummi ac ſancta Cæcilia paſſi ſunt. Contra Alexandrum Taurinus in Græcia electus eſt Imperator: ſimiliter & in Gallia Maximinus electus eſt. Quare Alexander veniens Maguntiam, & videns, quòd exercitus eum dimittere voluit per quendam de ſuis ſe fecit occidi. Aliqui ſcribunt, quòd tumultu militari occiſus eſt. Hujus Alexandri temporibus, Origenes Alexandriæ clarus habetur, qui tunc in Eccleſia Dei ſuper omnes poſt Apoſtolos floruit ſcientia, eloquentia, & vita: diverſos libros compoſuit, & tanta ſcripſit, quod Hieronymus fatetur ſe legiſſe ſex millia voluminum ipſius, exceptis diverſis epiſtolis. Ipſe carnem non comedit: aquam bibit: calceos non induit, & ſuper lectum non requievit. Auguſtinus XI. de civitate Dei, (*cap.23.*) de Origene ſic dicit: Origenes in libris, quos περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principiis appellat, hoc ſenſit, hoc ſcripſit: Animas à conditore recedendo peccaſſe, & diverſis progreſſibus pro diverſitate peccatorum, à cœlis uſque ad terras, diverſa corpora, quaſi vincula meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamque cauſſam mundi fuiſſe faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur. Et ſubdit Auguſtinus: Plusquàm dici poteſt, miror hominem in Eccleſiaſticis literis tam doctum, & exercitatum, non attendiſſe, primùm quàm hoc eſſet contrarium ſcripturæ hujus tantæ auctoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei ſubjungens: Et vidit Deus, quia bonum eſt: completiſque omnibus inferens: Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce bona valde, nullam aliam cauſſam faciendi mundum intelligi voluit, niſi ut bona fierent. Et quamvis Plato in Timæo dicit, cauſſam factionis mundi eſſe bonitatem Dei, tamen ipſe hanc opinionem de revolutione animarum tenuit. Unde dicit Auguſtinus x. de civit. Dei Platonem, animas hominum poſt mortem revolvi uſque ad corpora beſtiarum, ſcripſiſſe certiſſimum eſt: Porphyrio tamen jure diſplicuit, qui in aliorum ſanè, non ſua, quæ dimiſerant, ſed alia nova corpora redire humanas animas arbitratus eſt. Puduit ſcilicet, illud credere, ne mater fortaſſe filium in mulam revoluta vectaret, & non puduit hoc credere, ne revoluta mater in puellam filio forſitan nuberet. Item Auguſtinus libro vigeſimo primo de civit. Dei, cap. XVII. aliam opinionem Origenis recitat dicens, Origenes Diabolum atque angelos ejus poſt graviora pro meritis & diuturniora ſupplicia ex illis cruciatibus eruendos, atque ſociandos

Digitized by Google

doſ ſanctis angelis credidit. Sed illum, & propter hoc, & propter alia nonnulla, & maximè propter alternantes ſine ceſſatione beatitudines, & miſerias, & ſtatutis ſeculorum intervallis ab iſtis ad illas atque ab illis ad iſtas itus ac reditus interminabiles, non immerito reprobavit eccleſia: quia & hoc quod miſericors videbatur amiſit, faciendo ſanctis veras miſerias, quibus pœnas luerent, & falſas beatitudines, in quibus verum ac ſecurum, hoc eſt ſine timore certum ſempiterni boni gaudium non haberent. Hæc Auguſtinus Et de hac opinione Origenis notat gloſſa in canone, ſi forte XXIV. quæſt. II. & addit ibidem quod Origenes fuiſſet illius opinionis, quod CHRISTUS pro Diabolo adhuc eſſet paſſurus in aëre: ſed de hac opinione nihil dicit Auguſtinus in loco ubi ſupra. Primam vero opinionem, videlicet, de revolutione animarum, dicit gloſſa ibidem fuiſſe alterius cujuſdam Origenis, & dicit duos fuiſſe Origenes: unum videlicet, de quo dicitur in canone, ſi forte, ſupra dicto: alium de quo dicitur in canone quidam, eadem cauſſa, quæſt. III. Sed videtur, quod ibidem idem Origenes fuerit, quia in prædicto canone, quidam, ſolum unus Origenes recitatur, cujus dicit hanc opinionem fuiſſe, quam dicit Auguſtinus ubi ſupra. Recitatur etiam in eodem canone alia opinio Origenis, videlicet, quod Filius non poſſit videre Patrem, nec Spiritus ſanctus Filium. Immo beatus Jeronymus in epiſtola ad Avitum omnes has opiniones dicit fuiſſe hujus Origenis. Ex prædictis & aliis dictis Origenis eccleſia mota decrevit, tantum illa dicta Origenis recipienda, quæ beatus Jeronymus non repudiat: cætera decrevit cum auctore ſuo renuenda. Et inde eſt, quod quando leguntur homiliæ Origenis in quibuſdam eccleſiis nomen ejus ſubticetur, & dicitur homilia lectionis ejuſdem, videlicet, Evangelii præmiſſi. Quidam tamen volunt excuſare Origenem dicentes eum de omnibus erroribus ſuis egiſſe pœnitentiam: & iſti moventur ex eo, quod quidam libellus eſt, quem Jeronymus tranſtulit de Græco in Latinum, qui intitulatur de pœnitentia Origenis: Sed eccleſia non recipit illum librum, tanquam ab Origene factum. Et dicit Jeronymus in epiſtola ad Pammachium, & Octavium: ipſe Origenes in epiſtola, quam ſcribit ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum, pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quod ſecreto edita in publicum protulerit. Unde præſumi poteſt, quod errores ſuos temere defendere noluerit. Alii ad excuſandum eum dicunt, quod hæretici poſt mortem ſuam miſcuerunt errores ſuos in libris Origenis, ut errorum ſuorum viderentur habere auctorem. Alii dicunt, quod hæretici hoc fecerunt ex odio, quod volebant per hoc famam ejus extinguere. Illud Jeronymus probat in epiſtola ad Avitum presbyterum. Sed conſtat, quod Origenes poſt mortem reprobatus eſt ab eccleſia ut in canone, ſi fortè, ſupra allegato. Unde dicit Gennadius in libro de viris illuſtribus, quem poſt Jeronymum perſequitur, quod Theophilus Alexandrinæ eccleſiæ Epiſcopus ſcripſit adverſus Origenem unum & grande volumen, in quo omnia pene ejus dicta, & ipſum pariter damnat: ac ſimul docens, non ſe eum primum, ſed ab antiquis patribus, & maxime ab Heracle fuiſſe & à presbyterio ejectum, & de eccleſia pulſum, ac de civitate fugatum. Ubi ſciendum, quod iſte Heracles primo fuit ſocius Origenis, & adjutor in doctrina, & rexit Alexandrinam eccleſiam poſt Demetrium, qui Demetrius primo dilexit Origenem, ſed poſtea odivit, quia, ut dicit Euſebius, invidebat famæ ejus. Jeronymus in lib. de viris illuſtribus de Origene ſic ſcribit inter cætera: Illud de immortali ejus ingenio non taceo, quod Dialecticam quoque, & Geometriam, & Aſtronomiam, & Arithmeticam, Muſicam, Grammaticam & Rhetoricam omniumque Philoſophorum ſectas ita didicit, ut ſtudioſos quoſque ſecularium literarum ſectatores haberet, & interpretaretur eis quotidie, concurſuſque ad eum mirifici fuerunt: quos ille propterea recipiebat, ut ſub occaſione ſæcularis literaturæ, eos in fide Chriſti inſtitueret. Item Iſidorus VI. Etymologiarum de Origene ſic dicit: Origenes in ſcripturarum labore tam Græcos, quam Latinos operum ſuorum numero ſuperavit: denique Jeronymus ſex millia librorum ejus ſe legiſſe fatetur. Hæc Iſidorus. Item Jeronymus in epiſtola ad Avitum presbyterum magnis laudibus attollit Origenem, & nihilominus eum erraſſe fatetur. Unde dicit: Laudavi ut interpretem, non ut dogmatiſtem: ingenium, non fidem: philoſophum, non Apoſtolum. Et in epiſtola ad Pammachium & Oceanum ejus plurimos in libris περὶ ἀρχῶν poſitos damnat errores. Euſebius vero Cæſarienſis Epiſcopus, qui omnes prædi-

prædictos, de Origene loquentes, præceſſit in tempore, & præſertim Theophilum, de quo jam dictum eſt, pene centum annis præceſſit, magnis laudibus extollit Origenem in eccleſiaſticis ſuis hiſtoriis, ubi inter cætera de eo ſic ſcribit: Cum pater Origenis propter fidem Chriſti tempore Severi Imperatoris apud Alexandriam tenebatur in carcere, & cum ſequenti die jam producendus erat, Origenes adhuc puer, ſe diſponebat omnino ad hoc ut cum patre martyrium ſuſtineret; cumque patri in judicio vellet adſiſtere, mater ejus, dum non poterat eum avertere à propoſito, veſtimenta ſibi de nocte furatur, ne haberet indumentum aliquod, quo indutus domo exiret. Puer igitur ex hoc triſtis effectus, patri literam dirigit ad carcerem, conquerens de furto matris, & confortans patrem, ne ab incœpto deſiſtat. Et pater deinde decollatus eſt: & Origenes cum ſex fratribus ſuis parvulis jam agens annum XVII. derelictus eſt in rerum temporalium penuria: unde à quadam fœmina locupletiſſima fovebatur. Deinde Origenes tantum profecit in omnibus literis, quod apud Alexandriam in Grammatica docere præfectus eſt, & inde ſibi neceſſaria pro domo conquiſivit. Magis autem ſacris literis intendit, ita ut etiam in brevi, videlicet, dum annum XVIII. ageret nomen ejus domi foriſque fieret famoſiſſimum. Martyres in carcere poſitos conſolabatur: paſſionibus eorum aderat confortans eos in extremis, ita quod ſæpe in eum impetus gentilium fiebat ex hac cauſa: tamen Deus omni tempore conſervabat eum, ne lumen tantum eccleſiæ extingueretur. Tanta enim adverſus eum quandoque perſecutio cumulabatur, quod tota civitas Alexandriæ eum tegere non potuit, quando de domo ad domum confugeret ſe occultando. Cum igitur multi confluerent ad eum cauſſa doctrinæ, & præcipuè verbi Dei gratia audiendi, Demetrius Alexandriæ Epiſcopus tribuit ei magiſterium docendi in eccleſia. Et quia ipſe publicè prædicavit, & occultè non ſolum viris, ſed etiam mulieribus tempore perſecutionis, ut infidelibus omnem occaſionem maledicti & ſuſpicionis adimeret, fecit ſe occultè caſtrari: quod dum ad notitiam Demetrii Epiſcopi pervenit, ipſe admiratus audacis animi virtutem, Origenem ex hoc multum commendavit. Poſtea tamen dum famam viri in opere Dei vidit undique divulgari, quaſi invidiæ ſtimulo agitatus, Origenem de facto prædicto infamavit apud Alexandrum Jeroſolymorum, & Theoctiſtum Cæſarienſem Epiſcopos, qui ipſum Origenem in presbyterum ordinaverant. Origenes ſæpe invitabatur contra hæreticos, quos omnes ſuperabat. Porphyrius Chriſtianæ fidei acerrimus inimicus, de quo ſuperius dictum eſt, ubi opinio Platonis recitata eſt de Origene, prout refert Euſebius, loquitur cum in commentariis ejus nihil, cui culpam poſſet adſcribere, inveniret, ad convitia & maledicta ſe convertens, maculas ſibi infligendo, apud nos omni laude digniſſimas, in quibusdam vera dicendo, in quibusdam falſa more ſuo fingendo, & nunc eum tanquam philoſophum miratur: nunc vero tanquam Chriſtianum notat. Unde idem Porphyrius deridendo myſticam expoſitionem veteris Teſtamenti de Chriſtianis, & præſertim de Origene inter cætera ſic inquit. Ea quæ Moyſes agreſti & ſimplici ſermone conſcripſit, divinitus ſancita & figuris & ænigmatibus obtecta confirmavit, atque ingentibus repleta myſteriis inflati mente ac tumidi obturato in ſemetipſis rationis humanæ judicio ſacramenta putant. Hujus autem abſurdæ expoſitionis initium proceſſit à viro, quem ego etiam adhuc cum eſſem valde parvulus vidi artem totius eruditionis tenentem, ſicut etiam ex his, quæ poſteritatis memoriæ tradidit, voluminibus comprobatur. Origenes hic eſt, cujus ingens gloria inter eorum magiſtros habetur. Deinde idem Porphyrius multa proſequitur laudem Origenis declarantia, intermiſcens hoc, quod Origenes fuerit paganus, & poſtea factus ſit Chriſtianus. Et tandem ſubinfert de eo: Aſſecutus quippe fuerat in libris Platonis ſecreta: inſtitutus fuerat in libris Numenii & Cronii, & Apollophanis, Moderati & Nicomachi: in Pythagoricis verò ſummorum virorum non eum latuere commentarii: attigit etiam Chæremonis Stoici, & Cornuti volumina: ex quibus, quæcunque ſecreta & myſtica apud Græcos habentur, aſſumens ritu barbaro & ſuperſtitionibus Judaicis coaptavit, ac philoſophorum gloriam ad dogmatis extranea & peregrina convertit. Hæc Porphyrius. Mammea mater Alexandri Imperatoris, audiens famam Origenis, fecit eum vocari ad ſe Antiochiam, & audivit verbum Dei ab eo, & in fide Chriſti ſtabilita eſt. Origenes quendam nomine Ambroſium, genere & literaturis clarum, cujusdam Valentini hæretici ſectatorem, convertit: qui poſt converſionem precibus multis Origenem compulit ad ſcribendum commentarios in ſcriptu-

ſcripturas ſanctas: & tantum ad hoc ſtudii adhibuit, ut omnia quæ ad hoc opus eſſent neceſſaria, affluenter præberet: notarios ſeptem adhibuit, qui Origeni inceſſanter adſtarent, quique ſibi invicem ſuccederent: ſcriptores quoque alios tantos: ſed & puellas eruditas in ſcribendo totidem numero in hoc ipſum vocare fecit, omniaque ſingula extrinſecus neceſſaria abundantiſſimè miniſtravit. Origenes dum quadam vice pergeret verſus Achajam, contra hæreticos diſputaturus, & iter per Palæſtinam ageret, apud Cæſaream presbyter ordinatur. Hæc Euſebius de Origene. Notandum eſt etiam, quod Origenes Græcè dicitur, Adamantius latinè: & ſic Jeronymus in Prologo homiliarum Origenis ſuper librum Numerorum appellat eum Adamantium ſenem.

Maximus ſeu Maximinus imperavit annos III. Hic exiſtens natione Gothus, primus ex corpore militari, ſine ſenatus auctoritate, ab exercitu Imperator electus eſt. De iſto ſcribit Jordanus Epiſcopus introducens ad hoc Symmachum hiſtoricum, quod iſte Maximinus intra Thraciam natus erat, ſtatura procerus, videlicet habens ultra IIX. pedes in longitudine: & tempore Severi Imperatoris militiam fortitudine meruit. Vicit enim XVI. lixas luctando nexu corporis unum poſt alium ſine pauſa. Et poſtea cum quadam vice curſu equeſtri ex induſtria, Severi Imperatoris eum ad ſe vocantis, fatigari videretur: juſſu Imperatoris iterum luctatur cum militibus & ſeptem juvenes electos alliſit unum poſt alium ſine pauſa in terram. Et inde ab ipſo Imperatore muneribus ditatus, & honoribus exaltatus eſt. Et poſtquam ſub Severo & aliis Imperatoribus multa fortia geſſit per gradus diverſarum dignitatum aſcendens tandem Imperator factus eſt. Et poſtquam movit contra Chriſtianos perſecutionem, apud Aquilejam occiſus eſt. Hoc tempore Porphyrius Plotini Platonici auditor Romæ clarus habetur.

Gordianus imperavit annis VI. Hoc tempore Africanus hiſtoricus fuit, qui ſcripſit ad Origenem unam epiſtolam de hiſtoria Suſannæ. Gordianus admodum adoleſcens Parthorum natione ſuperata, cum victor reverteretur ad patriam, fraude Philippi præfecti prætorii interfectus eſt.

CAPUT XI.

PHILIPPUS imperavit annos VII. Hic filium ſuum Philippum faciens regni conſortem, primus omnium Imperatorum fidem Chriſti ſuſcepit. Ipſe tertio anno Imperii ſui feſtivitatem milleſimi anni conditionis urbis celebravit. Item Philippus cum in vigilia Paſchæ miniſteriis divinis vellet intereſſe, non eſt admiſſus à Fabiano Papa, donec confiteretur peccata ſua: quod tamen patienter ſuſtinuit. Hoc tempore Origenes agens ſexageſimum annum vitæ ſuæ primo tradidit copias illorum, quæ in eccleſia diſſerebat, videlicet, cum & ſibi vitæ gravitas, & ætatis maturitas, ac multæ experientiæ ceſſit auctoritas. Origenes ſcripſit epiſtolas ad Philipum Imp. ad uxorem ejus Severam, & ad Fabianum urbis Romæ Epiſcopum videlicet Papam. Et præter has viſæ ſunt ab Euſebio epiſtolæ Origenis ad diverſos miſſæ numero C. Philippus ſenior Veronæ & Philippus Junior Romæ occiſi ſunt.

Decius occiſis utriſque Philippis imperavit anno uno, menſibus quatuor. Hic à Nerone ſeptimus perſecutor Chriſtianorum fuit: & ſub eo paſſi ſunt Abdon & Sennes, Agatha virgo, & ſeptem dormientes dormiverunt. Cum Decius cum Gothis pugnaret inter confuſas turbas gurgite paludis ſubmerſus eſt, ita quod nec cadaver ejus poterat inveniri. Hic Decius ex Pannonia inferiori natus multos martyres occidit.

Gallus & Voluſianus imperabant annis II. menſibus IV. Horum temporibus Origenes LXX. ætatis ſuæ anno nondum expleto defunctus eſt. Gallus perſequitur Chriſtianos. Unde ſcribit de eo Dionyſius epiſcopus Alexandrinus: Gallus malum Decii videre, non potuit autem cavere: ſed in eundem lapidem offenſionis impegit: cujus cùm regnum floreret initiò, & cuncta ex ſententia cederent, ſanctos viros, qui pro pace regni ſui Deo ſummo ſupplicabant, perſecutus eſt: cum quibus & proſperitatem ſuam pariter fugavit, & pacem. Nam Gallus & Voluſianus contra Æmilianum, qui in civitate Meſſana Imperatorem ſe fecit, profecti, ambo occiſi ſunt, & ſtatim pòſt ipſe Æmilianus occiſus eſt. Dionyſio epiſcopo Alexandrino, dum à quodam amico ſuo corriperetur ex eo, quòd plurimos hæreticorum libros perlegeret, in viſione dictum

Digitized by Google

ctum eſt à Deo: lege omnia, quæ in manus tuas venerint: quia probare ſingula quæque & diſcernere potes, quandoquidem & ex initio hoc tibi fuit cauſſa credendi. Hoc tempore ſurrexit apud Ptolemaidem hæreſis Sabellii, qui negavit Chriſtum verè eſſe filium patris.

Valerianus primò fuit multum benignus, & humanus Chriſtianis, ſed poſtea depravatus per quendam doctorem Ægyptium Chriſtianos nimium perſecutus eſt. Unde Valerianus à Sapore rege Perſarum capitur, oculiſque orbatus miſerabili ſervitute ſeneſcit, quod Galienus perpendens Chriſtianis pacem dedit. Cumque Galienus nihil virile ageret Parthi Syriam Ciliciamque vaſtarunt: Germani & Alani Gallias deprædantes Ravennam usque venerunt: Græciam Gotthi vaſtaverunt: Quadi & Sarmatæ Pannonias occupaverunt: quare Galienus Mediolani occiſus eſt. Hujus Galieni temporibus S. Laurentius martyr paſſus creditur à Decio Cæſare, non autem Imperatore: Et S. Prothus & Hyacinthus, Eugenia virgo, Cornelius PP. & Cyprianus epiſcopus Carthaginenſis eodem die quo Cornelius PP. ſed non eodem anno, paſſus eſt: ſimiliter & S. Sixtus ab eodem Decio interfectus eſt. Unde quidam credunt Galienum fuiſſe binomium, ut ipſe etiam Decius vocaretur. Alii dicunt, quod Decius fuit Cæſar à Valeriano conſtitutus, ſed non fuit Imperator: & perſecutionem Chriſtianis intulit, & huic videtur conſonum eſſe illud, quod ſcribit Jeronymus in lib. de viris illuſtribus de Methodio epiſcopo Tyri, videlicet, quod ipſe fecerit unum librum de reſurrectione, & alium de Pythoniſſa contra Origenem, & ſub Decio & Valeriano ſecundum quoſdam martyrio ſit coronatus. Item S. Pancratius videtur eſſe paſſus ſub Valeriano, & ita vidi contineri in quodam libro ſatis antiquo: ſed communiores libri habent, quod paſſus ſit ſub Diocletiano: quod tamen ſtare non poteſt cum illo, quod legitur de S. Pancratio, videlicet, quòd S. Cornelius PP. eum baptiſavit, qui à Decio martyrium paſſus legitur, & præceſſit primum annum imperii Diocletiani plusquam 34. annos; maximè cum S. Pancratius in 14. anno ætatis ſuæ decollatus eſt. Hoc tempore Paulus primus eremita intravit eremum. Dionyſius epiſcopus Alexandrinus ſcribit, quòd tempore Galieni conceſſa fuit pax eccleſiis: ſed ſurrexit quidam tyrannus, Martinus nomine, quem tamen ipſe Galenus regno privavit & vita.

Claudius imperavit anno uno & menſibus quatuor. Hic Gothos de Græcia expulit. Et eo mortuo frater ejus Quintilius à Senatu Auguſtus appellatur: ſed ipſe 17. die poſt hoc apud Aquilejam occiſus eſt. Et ab eo Valentinianus martyrium paſſus eſt.

Aurelianus filius agricolæ regnavit annis V. & menſibus VI. Hic apud Romanos uſum porcinæ carnis inſtituit. Ipſe etiam primus Romanorum Imperatorum diadema capiti ſuo innexuit, gemmiſque & aurea veſte utebatur, quod adhuc incognitum fere Romanis moribus videbatur, Ipſe poſtquam in Chriſtianos perſecutionem movit, & S. Columbam virginem apud Senonas urbem occiderat, apud Conſtantinopolim occiſus eſt: & ſucceſſit ei Tacitus, qui ſtatim poſt VI. menſes apud Pontum interfectus eſt: cui ſucceſſit Florianus, qui cum Imperium adeptus eſt, deinde octuageſimo octavo die apud Tharſum occiſus eſt.

Probus filius hortulani imperavit annis VI. menſibus IV. Hic Gallias à barbaris occupatas ingenti virtute reſtituit. Et eo tempore, cum Felix adhuc ſedit in ſede Apoſtolica; Romæ orta eſt hæreſis Manichæorum, à quodam dicto Manes, qui fuit Perſa genere. Hic dixit ſpiritualia à Deo facta, corporalia à Diabolo: & ergo anima corpori contraria optaret. Probus apud Sirmium tumultu militari occiſus eſt. Carus Narbonenſis cum filiis ſuis Carino & Numeriano imperavit annis duobus. Hic Carus caſtrametatus ſuper Tigrim fluvium ictu fulminis interiit. Numerianus apud Veronem in campo magno dolo ſoceri ſui Apri, cum ob dolorem oculorum ſederet in vehiculo, occiſus eſt. Et Carius apud Maguntiam prælio victus interiit.

CAPUT XII.

Diocletianus Dalmata genere, filius ſcribæ, imperavit annis XX. Hic prius quam promoveretur ad Imperium dictus fuit Diocles. Ipſe tertio anno imperii ſui Herculium Maximianum in conſortium regni adſcivit: qui ruſticorum multitudine oppreſſa, quæ factioni ſuæ Bagandarum nomen indiderat, pacem Galliis reddidit. Et in profectione illa, quam Maximianus fecit contra Bagandas fuit legio Thebæorum,

quorum capitaneus erat S. Mauritius, qui una cum ſociis ſuis, ab eodem Maximiano, in illa profectione martyrium paſſus eſt. Similiter S. Gereon cum ſuis ſociis paſſi ſunt. Hoc tempore Franci & Saxones Galliis infeſti ſunt: contra quos Maximianus bellum exercet. Iſtis temporibus Carus ſumta purpura Britannias occupat. Narſes bellum Orienti infert: Quinquegentiani Africam invadunt: Ægyptum Achilleus obtinet. Propter hos eventus Conſtantius & Galerius Maximianus aſſumuntur in regnum: Quorum Conſtantius Claudii nepos fuit. Et ſic plures erant Cæſares, ſeu Imperatores uno tempore: ſed in adminiſtratione tantum tamen unus ſolus erat in dignitate. Galerius in Dacia haud procul à Sardica natus eſt, & â Diocletiano compulſus, uxore quam habuit repudiata, filiam Diocletiani Valeriam duxit uxorem: & Conſtantius ſimili modo compulſus privignam Herculii Theodoram nomine duxit, ex qua poſtea ſex liberos fratres Conſtantini M. procreavit. Diocletianus primus inter Romanos Imperatores ſe præcepit adorari: cum cæteri ante eum, ut judices ſolebant ſalutari. Ipſe profectus in Ægyptum obſedit Alexandriam civitatem & octavo menſe obſidionis cepit eam & recuperavit Ægyptum, anno imperii ſui XIII. Item per Aſclepidotum præfectum prætorii Britannia recepta eſt. Item eo tempore juxta Lingonas à Conſtantio Cæſare LX. millia Alemannorum cæſa ſunt. Sed Galerius in partibus Orientis victus à Narſete ante currum Diocletiani purpuratus currere cogitur. Poſtea vero, cum Galerius Narſetem ſuperavit, ipſe à Diocletiano cum ingenti gloria ſuſcipitur. Et tunc thermæ Diocletiani Romæ factæ ſunt. Anno 18. Diocletiani terræ motu terribili apud Tyrum & Sydonem multa opida conciderunt, & populus innumerabilis oppreſſus eſt. Diocletianus anno XIX. imperii ſui emiſit edictum, ut omnes eccleſiæ Dei usque ad ſolum deſtruerentur. Et ſequenti anno Diocletianus in tantam verſus eſt dementiam quod ipſe regni depoſitis inſignibus in Nicomedia ſponte imperium deſeruit: quod & Maximianus quodammodo invitus juſſu Diocletiani fecit apud Mediolanum. Et hoc tempore S. Lucia paſſa eſt in Sicilia. Et tunc Galerius Maximianum & Severum Cæſares fecit. Conſtantius accepit Helenam filiam regis Britonum in concubinam, ex qua genuit filium Conſtantinum, qui à Galerio Romæ tenebatur obſes, interim quod Conſtantius in partibus Britanniæ agebat: ſed Conſtantinus tandem fugiens ab urbe venit ad patrem ſuum in Britanniam. Imperium quod Maximianus in partibus Occidentis dimiſit, Conſtantius tenuit. Et Imperium quod Diocletianus in partibus Orientis, depoſuit, Galerius tenuit. Temporibus Diocletiani multa millia martyrum paſſa ſunt: inter quos paſſi fuerunt: Anaſtaſia, Sebaſtianus, Agnes, Vincentius, Georgius, Vitus, Chriſtina, Simplicius, Fauſtinus, Beatrix, Cyriacus, Adrianus, Gorgonius, Euphemia, Juſtina, Coſmas, Damianus, Quintinus, Theodorus & Chryſogonus, ac Pamphilius, qui Chronicas ſcripſit.

Conſtantius & Galerius tenuerunt imperium duobus annis: cum & Conſtantius XVI. annum à principio electionis ſuæ Cæſarem in imperio ageret in Britannia obiit, & filius ejus Conſtantinus ab exercitu in Imperatorem electus eſt.

CAPUT XIII.

ZEpherinus Papa, natione Romanus, ſedit annos XIIII. ſecundum aliquos XVIII. menſes VII. Hic conſtituit, ut omnes Chriſtiani duodecim annorum euchariſtiam in Paſcha recipiant, & ut in conſecratione corporis & ſanguinis Domini calices & pateræ de vitro haberentur, quæ prius fuerant de ligno.

Calixtus primus natione Romanus, ſedit annos quinque: iſte clericis in ſacris ordinibus conſtitutis continentiam indixit. Ipſe etiam jejunia quatuor temporum, quia prius tale jejunium tantum ter fiebat in anno. Quod quidam volunt à temporibus Apoſtolorum eſſe introductum, & iſtud jejunium fiebat tantum in ſabbato, quoniam feria ſexta etiam ſervabatur jejunium â tempore Apoſtolorum ſimiliter introductum, & in primitiva eccleſia feria quarta ſingulis ſeptimanis etiam jejunium fiebat. Et fortè iſta eſt ratio, quod feria quinta quæ præcedit ſabbatum quatuor temporum occaſione hujus inſtitutionis non jejunamus. Et ſic videtur mihi, quòd quantum eſt de ratione quatuor temporum ſolennius eſt jejunium Sabbati in quatuor temporibus, quam quartæ & ſextæ feriæ ipſum Sabbatum præcedentium. Unde Damaſus Papa in libro de Romanis pontificibus dicit: Sabbatum à Calixto Papa ter in anno jejunandum eſſe ſtatutum, quoniam, ut ſuperius dixi, illud jejunium tantum ter fiebat in anno.

Digitized by Google

anno. Sed idem Callixtus Papa poſtea ſtatuit quater debere fieri in anno: ut ſicut annus in quatuor tempora diſtinguitur, ſic nullum eorum abſque ciborum aliquali abſtinentia tranſiremus. Unde autem jejunium, quod Judæi tempore legis, quater in anno obſervabant, ad cujus imitationem jejunia quatuor temporum inſtituta videntur traxiſſe originem, Jeronymus ſuper Zachariam prophetam oſtendit. Unde dicit idem propheta: jejunium quarti, jejunium quinti, jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium, & cætera. Ex quibus verbis quidam non intelligentes verba prophetæ, credunt hoc jejunium quatuor temporum à Deo in veteri teſtamento inſtitutum: ſed hoc non ſonant verba prophetæ. Non enim dicit, quòd Deus mandaverit hoc jejunium debere ſervari, ſed factum narrat, quod facturus erat Deus circa anguſtiæ memoriam, quam Judæi per ipſum jejunium recolebant, prænunciat. Dicit igitur Ieronymus ſuper hunc locum, quod jejunium quarti menſis ſecundum computationem Hebræorum, qui apud nos vocatur Julius, habuit exordium ex eo, quod in illo menſe Moyſes deſcendens de monte cum tabulis legis vidit filios Jeruſalem conflaſſe vitulum, & propter hoc tabulas confregit, & interfecta ſunt XXIII. millia hominum. Quare reſidui jejunando Domino ſupplicabant, & deinceps illud jejunium ſingulis annis obſervabant. In menſe quinto Hebræorum, qui apud nos dicitur Auguſtus, XII. viri, miſſi per Moyſen ad explorandum terram promiſſionis, reverſi ſunt, & fecerunt populum deſperatum præter duos. Quare Dominus iratus dixit populum per XL. annos juxta numerum dierum, quibus illi viri terram peragraverant, in deſerto manſurum: & quod nullus eſſet intraturus terram promiſſionis niſi Caleb & Joſue, & tunc populus egit pœnitentiam & jejunavit. Et poſt multos annos eodem menſe Jeruſalem capta eſt, & templum Domini incenſum per Chaldæos. In ſeptimo menſe, quem nos vocamus October, Godolias, qui præfectus erat populo poſt transmigrationem Babylonis, interfectus eſt, & reliquiæ filiorum Iſrael diſperſæ ſunt. Unde ſingulis annis tempus luctus illius renovantes Judæi in hoc menſe jejunabant. Undecimo menſe, qui apud nos dicitur Januarius, Ezechiel propheta & qui cum eo fuerant in captivitate Babylonis audierunt, & in quinto menſe templum Domini fuerat incenſum: Quare dies luctus & jejunii obſervabant. Calixtus Papa fecit Romæ cœmiterium ſub terra in via Appia, ſupra quod eccleſia S. Sebaſtiani martyris poſtea ædificata eſt, & in eo multa millia martyrum ſepulta ſunt. Et dicitur cœmiterium Calixti usque in hodiernum diem. Idem Papa fundavit Romæ eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim.

Urbanus I. natione Romanus, ſedit annos IX. menſes X. Hic ſtatuit calices & pateras fieri de argento. Ipſe etiam ordinavit certa tempora, quibus jejunia quatuor temporum debent obſervari, prout Eccleſia ipſa ſervat nunc: quia priùs confuſè fiebant ſecundum Kalendas menſium aſcendendo, vel deſcendendo. Ita quòd jejunium quatuor temporum, quod modò ſervatur in ſeptimana Pentecoſtes, aliquando ſervabatur ante feſtum Pentecoſtes, aliquando poſt idem feſtum, & aliquando infra ſeptimanam prædictam.

CAPUT XIV.

POntianus natione Romanus, ſedit annos V. Hic tempore Alexandri Imp. exſilio deportatus in Sardiniam inſulam, ibidem in exſilio mortuus eſt: ſed à Fabiano, qui poſtea factus eſt Papa, reductus eſt Romam, & ibidem ſepultus. Sed quidam, neſcio quibus fabulis intenti, dicunt ei ſucceſſiſſe quendam Cyriacum nomine, & nomen illius eſſe deletum de catalogo Romanorum Pontificum, propterea quòd cum XI. millibus virginum ab urbe Roma diſcedens Papatum reliquerit, Cardinalibus & clero invitis, & deinde apud Agrippinam Coloniam cum eisdem virginibus martyrium pertulerit. Sed error iſtorum patet ex multis. Nam Hieronymus petiit à Damaſo Papa, ut colligeret ſibi nomina Romanorum Pontificum, & qui ex eis fuiſſent martyrio coronati, diligentiùs annotaret. Unde Damaſus Papa collegit quendam librum de prædictis, quem Hieronymo ad partes transmarinas, ubi tunc idem Hieronymus degit, deſtinavit: in quo quidem libro ſcribit Pontiano ſucceſſiſſe Antherum, & nullum ponit in eodem libro Cyriacum: & Damaſus non prætermiſiſſet eum, maximè cùm fuiſſet martyrio coronatus: nec poteſt dici, quòd Damaſus nomen ejus ignoraſſet, cum vix annis CXXX. eum in Papatu præceſſiſſet: nec dicendum eſt, quod nomen ejus fuerit

Digitized by Google

mutatum: quia nondum erat conſuetudo mutare nomina ſummorum Pontificum, prout infra patebit. Item Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, qui non longè poſt hæc tempora fuit, in Chronica ſua poſt Pontianum ponit Antherum, & nullibi ponit aliquem nomine Cyriacum. Item quia, ut legitur de XI. millibus virginum, Huni occiderunt eas, qui nondum iſto tempore egreſſi fuerunt Mœotides paludes: nec nomen Hunorum mundo adhuc cognitum erat. Item illi, qui dicunt iſtum Cyriacum cum dictis virginibus profectum, dicunt quod pater B. Urſulæ fuerit rex Britanniæ, & pater ſponſi ejus fuit rex Angliæ: ſed regnum Angliæ nondum ortum erat: nec etiam Sicilia adhuc regnum erat, nec erat aliqua civitas adhuc Conſtantinopolis nominata, de quibus omnibus prædicti fabulantes aliquos homines, vel fæminas in virginum prædictarum comitatu fuiſſe, aſſeverant. Et finaliter, non eſt veriſimile Chriſtianos illis temporibus ita publicè urbem Romam potuiſſe viſitaſſe in tanta comitiva: cùm necdum ſolitum erat eandem urbem, paucas adhuc habentem Eccleſias, pro indulgentiis viſitari: nec etiam aliquis Imperator fidem Chriſti adhuc ſuſceperat, prout hæc omnia per ſupra & infra ſcripta lucidius apparent. Sed error iſte ſurrexit, ut dicitur de quadam fœmina, neſcio an incluſa vel monacha, quæ erat apud Sconowgiam temporibus Friderici primi, circa annum Domini M.C.LVI. quæ aſſeruit talia & multa alia, ſibi revelationibus divinis patefacta, cujusmodi revelationes aſſertas ego perlegi, & in multis contrariantur libris Chronicis & Hiſtoriis. Unde quædam ad impugnandum, ſeu veriùs ad elucidari provocandum hujusmodi erroris caliginem, collegi, quæ Coloniam examinanda deſtinavi. Et licet plures viri ſolennes & magnæ reputationis illa perlegerunt, tamen ſolutioni eorum, quæ contra ſupradictas aſſertas revelationes in quantum hiſtoriam virginum prædictarum contingunt, allegavi, obtinere non valebam.

Antherus natione Græcus ſedit menſem I. dies XXV. Et eo tempore Maximus & Africanus Romæ Coſſ. fuerunt ut patet in epiſtola ſua, quam ipſe Antherus Toletanæ provinciæ epiſcopis direxit. Et in aſſertis revelationibus prædictis fæmina ſupradicta dicit, quòd Maximus & Africanus Coſſ. ſupradicti ſcripſerunt ad quendam Julium cognatum ſuum, tunc principem Hunorum, ut XI. millia virginum morti traderent, quando ad partes Germaniæ redirent. Sed Coſſ. illi habuiſſent poteſtatem virgines illas Romæ occidiſſe, cùm eo tempore perſecutio fervebat in urbe: ita quòd ipſe Antherus Papa pro fide Chriſti occiſus eſt, ut ſcribit Damaſus Papa in libro ſuo: nec etiam gens Hunorum adhuc cognita fuit partibus Germaniæ vel Italiæ.

Fabianus Papa ſedit annos XIII. Hic miſit ſeptem Diaconos cum totidem notariis per diverſas regiones ad colligendum geſta diverſorum martyrum. Et ipſemet tandem martyrio coronatus eſt. Ejus etiam temporibus Maximus & Africanus Coſſ. Romæ fuerunt, ut patet in diverſis epiſtolis ſuis. Fabianus Papa ſtatuit, ut in cæna Domini chriſma conſecretur, & antiquum chriſma comburatur: dicit enim: Chriſtum docuiſſe poſt pedum lavationem apoſtolos chriſmatis confectionem, & ita per Apoſtolos deductum ad poſteros, & præcipuè per illos, qui præfuerunt Romanæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ & Epheſinæ eccleſiis: qui vetus chriſma omni anno combuſſerunt, & novum chriſma conſecraverunt. Conſtat enim, quòd Apoſtoli, qui prædictis præfuerunt eccleſiis fuerunt Petrus, Johannes & Jacobus junior: nihilominus tamen omnes Apoſtoli fuerunt epiſcopi: ſed quidam vertunt in dubium, an Paulus fuerit epiſcopus, & officium presbyteri exercuit: ſed ex dictis Origenis homilia IV. in Leviticum patet hoc manifeſtè: ubi ſic dicit: Obſervandum eſt, quòd aliis indumentis ſacerdos utitur, dum eſt in ſacrificiorum miniſterio, & aliis cum procedit ad populum. Hoc faciebat & Paulus ſcientiſſimus Pontificum, & peritiſſimus ſacerdotum. Item quòd Paulus fuit epiſcopus tenet gloſſa LXXV. diſtinct. in cap. quod die.

Cornelius natione Romanus, ſedit annos III. Hic ad preces cujuſdam nobilis matronæ, nomine Lucula, corpora beatorum apoſtolorum Petri & Pauli de catacumbis nocte levavit. Et poſt hoc ipſe Centumcellis in exilium pulſus eſt, & deinde revocatus. Et quia literas à S. Cypriano, epiſcopo Carthaginenſi recepiſſet, nec juſſionibus Imperatoriis obtemperaſſet, Romæ à Decio decollari juſſus eſt. Ipſe redarguit S. Cyprianum de opinione, quam habuit, rebaptizandi hæreticos. Ipſe S. Pancratium puerum baptizavit, qui poſtea ſub Valeriano decollatus eſt.

Luci-

Digitized by Google

Lucius I. natione Romanus ſedit menſes IIX. Ipſe invaſores Eccleſiarum, & ſpoliatores earum, anathematiſavit: & tandem à Valeriano capite truncatus eſt.

Stephanus I. natione Romanus ſedit annos IV. Hic ſtatuit Sacerdotes & Levitas veſtibus ſacratis in cottidiano uſu non debere uti: & martyrio coronatus eſt.

Sixtus II. ſedit annos XI. Hic ſtatuit, ut miſſa ſuper altari celebraretur, quod antea non fiebat. Ipſe etiam tradidit beato Laurentio theſauros Eccleſiæ, & non Imperatoris: ut quidam æſtimant.

Dionyſius ſedit annos IX. Hic ſtatuit, ut epiſcopi in diœceſibus ſuis dividerent parochias, ut quilibet ſuo jure contentus limites alterius non invaderet.

Felix I. natione Romanus ſedit annos V. Hic conſtituit, ut ſuper memorias martyrum Miſſæ celebrentur, & ipſe martyrio coronatus eſt.

Eutychianus natione Thuſcus de civitate Luna, ſedit annum I. menſem I. & diem I. Hic ſtatuit, ut nulla abbatiſſa, vel ſanctimonialis viduam vel puellam velare præſumat. Ipſe ſepelivit manu propria per diverſa loca CCCXLI. martyres: & ſtatuit, ut quicunque fidelium martyrem ſepeliret, illum nulla ratione ſine Dalmatica, aut collobio purpurato ſepeliret, & ipſe martyrio coronatus eſt. Gajus Dalmata natione ex genere Diocletiani, ſedit annos XI. Hic ſtatuit, ut clericus ad judicium ſeculare non trahatur, & ipſe perſecutionem Diocletiani fugiens novem annis in cryptis habitavit: & tandem captus martyrio coronatus eſt.

CAPUT XV.

Conſtantinus imperavit annis XXX. menſibus VI. ſed prætoriani milites audientes mortem Conſtantii, Maxentium, Maximiani Herculii filium, Romæ elegerunt in Imperatorem. Galerius qui tenuit imperium Orientis, quod Diocletianus depoſuit, Severum quem jam Cæſarem fecerat, contra Maxentium miſit: ſed Severus poſtquam venit Ravennam, occiſus eſt. Et hoc audito Galerius Licinium Cæſarem fecit. Maxentius cum ad Imperium primò promotus eſt, ut plebem ſibi attraheret fidei Chriſtianæ veneratorem ſe ſimulabat: perſecutiones reprimi omneſque injurias à Chriſtianis arceri jubet: ſed nihil in reliquis actibus ſuis in vita vel in moribus, quod Chriſtianis proximum videretur, oſtendit. Nam flagitioſus & peſſimus erat: patrem ſuum Maximianum Herculium ab urbe depulit, quia timuit eum imperium reſumturum: Maximianus verò ad Conſtantinum generum ſuum, qui filiam ejus Fauſtam habuit uxorem, fugit: ſed poſtquam pervenit ad eum clam ſibi moliebatur inſidias. Quare detectus à filia Maſſiliam fugit, & ibi comprehenſus occiſus eſt. Maxentius igitur Romæ exercens tyrannidem matronas nobiles publicè à viris ſuis ad ſui libidinem abſtrahi fecit, & poſt contaminationem viris ſuis reddi, non tam expleta libidine adulterii, quàm immutata. Unde cum Sophronia nobilis matrona, uxor præfecti urbis, ab eo vocaretur ad ſtuprum, & viro ſuo indicaret: eumque triſtem ex hoc conſpiceret, ipſa reſpondit nunciis Maxentii: exſpectate donec ornem me, ut decet: & ingreſſa cubiculum flexis genubus orabat ad Deum. Et poſtquam Deo ſuam pudicitiam commendabat gladio ſeipſam per viſcera & pectus transverberans famulas ſuas miſit ad tyrannum, ut dicerent: tales fœminas Chriſto magis placere quàm tyranno. In orientis partibus ſimili modo Maximinus tyrannidem eodem tempore exercuit: & ita flagitioſus erat, ut nullam urbem, nullum opidum, abſque nobilium matronarum adulterio, præteriret, & magicæ artis doctoribus publicos honores decrevit. Unde tetrius in Chriſtianos deſæviit. Erat enim apud Alexandriam virgo quædam nobilis, Dorothea nomine, quæ cùm ab eo per internuncias de ſtupro interpellaretur, nunciis reſpondit: nefas ſibi eſſe templum corporis ſui, quod ſoli Deo conſecraverit, Idolorum cultu & libidinis contagio polluere. Proinde ſe quidem ad mortem paratam, à crudeli verò tyranno non decere molle aliquid vel blandum proferri: nec eſſe dignum erga ſe reſolvi truces animos, quos cotidiè undatim Chriſtianorum profuſus cruor duraret. Cumque ipſe vi decerneret explendum, quod cupiit, Beata Virgo noctu navem adſcendens, derelictis bonis ſuis aufugit, multis pudicitiæ relinquens exemplum. Hæc ſcribit Euſebius Cæſarienſis epiſcopus in eccleſiaſticis ſuis hiſtoriis libro 9. Sed ego admiror multum, quare idem Euſebius factum prædictæ virginis ſic admiratus, de beata Catharina virgine, cujus agonis certamina, ſi vera ſunt, quæ de ea narrantur, apud Alexandriam iiſdem temporibus acta, con-

ſtat ſupra aliarum virginum agones meritò eſſe extollenda, nihil omnino ſcripſit: maximè cùm eundem Euſebium, iiſdem temporibus, in ipſis partibus ultramarinis conſtat extitiſſe, & intentionis ſuæ in libro prædicto dicit eſſe, martyria ſuis temporibus recepta ab eccleſia, declarare: quomodo potuiſſet facta ipſius ignoraſſe? circa quam inter cætera tam excellens miraculum foret factum, quod corpus mortuum angelico ductu per aëra ad locum remotum translatum ſepeliretur. Nec ſolùm miror Euſebium, verùm etiam Jeronymum & Bedam, quorum uterque in partibus ultramarinis degens, magnam fecit diligentiam de paſſionibus ſanctorum perquirendis, & neuter eorum, Jeronymus in Kalendario, Beda in martyrologio, mentionem facit de S. Catharina: immò libri antiqui apud nos nomen Beatæ Catharinæ in Kalendario, nec officium Miſſæ in ſacramentario continent. Et quod me maximè vertit in dubium eſt iſtud, quod ubicunque de ejus paſſione quicquam legi, vel audivi, legi & audivi Maxentium eam Alexandriæ occidiſſe, quem nullam poteſtatem ibidem ex libris authenticis & hiſtoriis famoſis tunc conſtat habuiſſe: ſed Romæ per totum tempus, quo tenuit imperium, ſeu tyrannidem, reſediſſe. Maximinus, poſtquam per x. annos continuos perſecutionem in Chriſtianos exercuit, judicio divino percuſſus, in infirmitatem peſſimam incidit: ita quod carnibus ejus putreſcentibus, vermibus ſcaturiret. Itaque medici fœtorem ferre non valentes, ab eo occiſi ſunt. Unde quidam inter cæteros indicavit ſibi ultionem divinam eſſe, & non morbum naturalem, quo laboraret, qui in Deum & Chriſtianam religionem impiè egiſſet: quapropter Maximinus pœnitentia ductus emiſit edictum per omnes provincias ſibi ſubjectas, ut nemo Chriſtianos perſequeretur, & ut eccleſias reædificari nemo prohiberet: ſed vix ſex menſibus perſecutione ceſſante, ipſe ſanitate recuperata Chriſtianos iterum perſequitur. Maxentius verò apud urbem Romanam iiſdem temporibus ſenatores nobiles ac alios viros præclaros, criminibus contra eos confictis, proſcripſit, & multos ex eis occidit. Ipſe etiam magicis artibus inſiſtebat, ad quarum explenda miniſteria perquirebantur matronæ nobiles gravidæ, & adhibitæ funeſtis ſacris mediæ ſcindebantur, rapiebantur, & parvuli infantes ac eorum exta evulſa perſcrutabantur. Unde Conſtantinus Maxentium propter artem magicam maximè timuit: ſed tandem bellum contra eum inſtaurat, & cum multa hæſitatione conſiſteret, & multa ſecum de imminentis belli neceſſitate pervolvens iter ageret, atque ad cœlum oculos levaret, vidit noctu in viſione auream crucem in cælo verſus Orientem, & angelos ſibi dicentes: Conſtantine, in hoc ſigno vince. Quare Conſtantinus auream crucem fabricari fecit, & illam ante exercitum ferri juſſit. Et ſic bello commiſſo Maxentius juxta pontem Milvium percuſſus interiit. Aliqui tradunt, quòd ipſe ſubmerſus ſit: Et Conſtantinus cum gaudio introducitur in urbem, Romanis, de morte tyranni lætantibus. Cumq; mors Maxentii ad notitiam Maximini in partibus Orientis pervenit, ipſe metu perterritus, iterum Chriſtianos paululum reſpirare conceſſit: tandem tamen ipſe neminem parem ſibi ſuſtinens, ſociis Imperii ſe præferens, Licinio bellum inferre conatur: ſed ipſe à Licinio victus aufugit, & multos Deorum ſuorum ſacerdotes, quorum reſponſis ad bellum inſtigatus fuit, occidit: & demum doloribus viſcerum tortus, & luminibus orbatus, apud Tharſum interiit: & ſic ex toto Chriſtianis pax facta eſt. Et dum hæc agerentur, Licinius Conſtantiam ſororem Conſtantini duxit uxorem. Cumque Diocletianus à Conſtantino & Licinio vocaretur ad nuptias, & ſe ob ſenium excuſaſſet, perlectis minacibus reſcriptis eorum, quibus per eos reprehendebatur, quòd Maxentio faviſſet, & faveret Maximino: ne ipſe poſt tantam, quam habuerat gloriam, ſub manibus eorum incideret in ignominiam, veneni hauſtum ſumſit: unde Salone mortuus eſt. Poſt hoc Criſpus & Conſtantinus filii Conſtantini, & Licinius adoleſcens Licinii Auguſti filius, Cæſares appellantur. Hunc Criſpum erudivit Latinis literis Lanctantius, vir omnium ſuo tempore eloquentiſſimus.

Huc-uſque Euſebius ſcripſit Chronica geſta: deinde Hieronymus.

Licinius cùm venerat Antiochiam, magicæ artis magiſtros & ſacerdotes Idolorum, necnon filios Maximini ſuppliciis affici fecit, & Chriſtianos omni favore proſequitur. Tandem verò Licinius Conſtantinum ſibi præferri non ſuſtinens, clàm ſibi molitur inſidias, & cùm ſic non proficeret, bellum ei manifeſtè indixit, & Chriſtianos odio ſpeciali perſequens, multos ex eis occidit. Unde S. Blaſius, Sebaſtæ civitatis

vitatis Cappadociæ epiſcopus, ſub eo martyriſatus eſt: quarè Licinius à fidelibus Conſtantini apud Theſſalonicam interfectus eſt. Et ſequenti anno Criſpus, filius Conſtantini & Licinius junior occiduntur. Et dicunt quidam, quòd Conſtantinus filium ſuum Criſpum fecerit occidi ad inſtantiam uxoris ſuæ Fauſtæ, quæ erat noverca Criſpi: & cùm ipſe à matre ſua Helena de hoc reprehenderetur, ipſe exardeſcens in iram, uxorem ſuam flammis injectam fecit comburi. Eo tempore fuit Donatus hæreticus, à quo dicti ſunt Donatiſtæ, quorum error fuit, quòd filius eſſet minor Patre, & Spiritus ſanctus minor Patre & Filio, & rebaptiſari fideles debere. Iſtis igitur temporibus Conſtantinus ſolus gubernabat imperium: ſed factus eſt leproſus, & cùm à nemine potuit curari, apparuerunt ei in viſione Petrus & Paulus dicentes, ut vocaret Sylveſtrum Papam, ille poſſet eum curare. Sylveſter igitur vocatus eſt de exilio, quo in monte Soracte degebat, & baptiſavit Conſtantinum, & ſtatim à lepra mundatus eſt. Et deinde Conſtantinus fidem Chriſtianam ampliavit: eccleſias plurimas fundavit: inter quas principaliores erant eccleſia Salvatoris, quam ipſe Conſtantinianam nominavit, & poſtea dicta eſt Lateranenſis à regione Urbis: Baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli: S. crucis eccleſia, quæ Jeruſalem dicitur: eccleſia S. Agnetis: eccleſiæ ſanctorum Marcellini & Petri: & has omnes copioſiſſimè dotavit. Inſuper Beato Sylveſtro & ſuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, conceſſit portare aurum & purpuram, & coronam de capite Imperiali ſumtam, & dedit ei urbem Romam cum provinciis circumjacentibus. Et deinde tranſtulit ſe ad partes tranſmarinas, volens ædificare civitatem nominis ſui Romæ ſimilem, in loco, in quo Græci caſtrametati fuerant olim, quando obſederunt Trojam. Sed ipſe de nocte admonitus in ſomno, ut Bizantium ſe transferret, ibique civitatem ædificaret: Inde ad partes Thraciæ ſe contulit & Byzantium urbem magnis muris amplians ipſam Conſtantinopolim, quod ſonat Conſtantini civitas, nominavit. Conſtantinus leges de novo condidit, & eas in libris redegit. Eo tempore fuit Alexandriæ quidam presbyter Arrius nomine, à quo ſurrexit hæreſis Arriana, qui dixit filium Dei creaturam. Propter quem in Nicæa Synodus trecentorum & octodecim epiſcoporum congregata eſt: qui omnes, præſente Conſtantino Imp. contra Arrium tulerunt ſententiam, & ipſum cum hæreſi ſua reprobaverunt præter XVII. quorum VI tantùm perſeverabant, qui cum Arrio in exſilium miſſi ſunt. Et in hac ſynodo factum eſt ſymbolum, quod canitur in miſſa. Cumque epiſcopi in concilio fuiſſent congregati, & plurimas ſibi invicem diſſenſiones moverent, propter quas negotium principale differebatur: Conſtantinus certum diem ſtatuit, quo quilibet contra alium, id quod vellet, proponeret: quo die veniente, ipſe Conſtantinus Imperator omnium ad ſe ſcripta recepit, quaſi ſuper ipſis diſſenſionibus judicium celebraturus. Et cùm omnia ipſa collegerat, eis non perſpectis, ipſa ſimul igne cremavit: aſſerens ad ſe non pertinere epiſcopos & ſacerdotes judicare: nec volens ſimultates epiſcoporum aliis innoteſcere, mandavit, ut epiſcopi in negotio fidei, propter quod congregati eſſent, deinde procederent. Ruffinus hiſtoriarum eccleſiaſticarum lib. x. (*cap. 3.*) ſcribit, quòd in iſto concilio fuit quidam Philoſophus paganus, qui omnes epiſcopos ſuis diſputationibus vicit: quod videns quidam presbyter de ſimplicioribus, zelo fidei commotus, in medio ſurrexit, & ad Philoſophum dixit: In nomine Jeſu Chriſti, Philoſophe, audi quæ vera ſunt: Deus unus eſt, qui cœlum fecit & terram, & qui homini, quem de limo terræ formaverat ſpiritum dedit, & univerſa quæ videntur, & quæ non videntur, virtute Verbi ſui creavit, & ſpiritus ſui ſanctificatione confirmavit. Hoc Verbum ac Sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miſeratus errores, ex virgine naſcitur, & per paſſionem mortis à perpetua nos morte liberavit, ac reſurrectione ſua æternam nobis contulit vitam, quem & expectamus judicem omnium quæ gerimus eſſe venturum. Credis hoc ita eſſe Philoſophe? At ille, velut ſi nunquam ullum ſermonem contradicendi didiciſſet, ita obſtupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc ſolùm potuit reſpondere, ita ſibi videri, nec aliud verum eſſe, quàm quod dixerat. Et dixit Philoſophus circumſedentibus: Audite me, ô eruditi viri: donec verbis mecum res geſta eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur dicendi arte ſubverti: ubi verò pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo adverſari potuit Deo. Et deinde ipſe Philoſophus Chriſtianus factus eſt.

Iſtis

Digitized by Google

Iſtis temporibus fuit Euſebius Cæſarienſis epiſcopus: qui ſcripſit Græcè Chronicam, quæ dicitur Chronica Euſebii, & illam poſtea Ieronymus tranſtulit de Græco in Latinum, & deinde quæ acciderunt usque ad tempora ſua proſecutus eſt. Et iisdem temporibus fuit Porphyrius Chriſtianorum inimicus & Philoſophus de quo dicit Auguſtinus x. & xxii. de civitate Dei. Poſt mortem Helenæ matris Conſtantini, quidam presbyter favens ſecretè Arrio, venit in notitiam Conſtantiæ ſororis Conſtantini relictæ Licinii. Hunc presbyterum Conſtantia in extremis poſita fratri ſuo Conſtantino Imper. ſe viſitanti arctius commendavit: ad cujus fraudulentam inſtantiam Arrius ab exſilio revocatur, & iterum in concilium primò apud Ieroſolymam, deinde apud Alexandriam deducitur, & à fautoribus ſuis receptus eſt & ab aliis reprobatus. Et inde eſt, quòd dicit Ieronymus: Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo baptiſatus in Arrianum dogma declinat, à quo usque in præſens tempus eccleſiarum rapinæ, & totiùs orbis ſecuta eſt diſcordia. Conſtantinus dum bellum pararet in Perſas, Nicomediæ infirmatur: & dum in extremis eſſet conſtitutus, teſtamentum condidit, in quo decrevit Conſtantium filium ſuum in partibus orientis poſt ſe regnaturum: & quia Conſtantius præſens non fuerat, Conſtantinus teſtamentum quod condidit ſupradicto presbytero, ſibi à ſorore commendato, ipſi Conſtantio porringendum ſecrete tradidit. Quare idem presbyter poſt mortem Conſtantini, Conſtantio tam familiaris effectus eſt, ut Conſtantius ex ejus conſilio Arrii doctrinam ſuſcipiendam decerneret, & concilium Nicænum irritare tentaret. Conſtantinus igitur, poſtquam teſtamentum ſuum condidit, anno vitæ ſuæ LXVI. Nicomediæ defunctus eſt: de quo Auguſtinus v. de civitat. Dei (*c.25.*) dicit in hæc verba: Bonus Deus, ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has ſublimitates & regna terrena exiſtimarent poſſe neminem conſequi, niſi dæmonibus ſupplicaret, quod hi ſpiritus in talibus multum valerent: Conſtantinum Imper. non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere civitatem Romano Imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo Dæmonum templo ſimulacroque conceſſit. Diu imperavit, univerſum orbem Romanum unus Auguſtus tenuit & defendit: in adminiſtrandis & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt. Grandævus ægritudine & ſenectute defunctus eſt, filios imperantes reliquit. Item circa tempora prædicta rem hujusmodi apud Antiochiam geſtam ſcribit Auguſtinus in libro de ſermonibus Domini in monte. Acindinus præfectus quendam virum tenuit in cuſtodia, cui certum diem conſtituit, quo fiſco libram auri ſolveret: alias deberet occidi. Iſte ſolvere non valuit: ſed habebat uxorem pulcram, quam vir quidam dives appetiit, & ei ſe libram auri traditurum, qua maritum liberaret, ſi ipſa ei una nocte poſſet commiſceri, pollicetur. Mulier conſentit: ſi ipſe maritus, cui tota ſua caſtitas debetur, tanquam de re ſua vellet id fieri. Maritus jubet fieri: impudicus ille complet quod optat, & aurum tradit: ſed ſtatim fraude ſubtrahit & ſimile ligamentum cum terra ſupponit: quod mulier, cum domum venerat, comperiens, proſilit in publicum eadem mariti caritate & clamat fraudem oſtendens præfectum interpellat. Præfectus hujus criminis ſe reum eſſe fatetur quoniam minis ſuis hoc factum eſſe teſtatur & ſententiam mutat dicens de Acindini bonis auri libram fiſco ſolvendam, & mulierem dominam in eam terram, de qua terram pro auro ſuſcepit, jubet induci.

CAPUT XVI.

CONſtantius ac Conſtans & Conſtantinus fratres filii Conſtantini, imperant annis XXIV. menſibus V. ſed Conſtantius devictis fratribus obtinuit imperium. Conſtantinus apud Aquilejam à militibus interfectus eſt. Conſtantii edictis concilium apud Conſtantinopolim ob Arrii defenſionem congregatur. Ubi cùm Arrius ad eccleſiam tenderet cum maximo comitatu, neceſſitate compulſus, in via ad locum publicæ egeſtionis declinavit, & cum ſederet omnia inteſtina & viſcera ejus per poſteriora defluxerunt, ita & mortuus eſt: & nihilominus Conſtantius à fautoribus Arrii deceptus hæreſin ipſius defendit. Hoc tempore Alexander epiſcopus Alexandrinus, qui maximè contra Arrium prævaluit, deceſſit, & ſucceſſit ei Athanaſius. Contra hunc Arriani inaudita crimina confinxerunt, aſſerentes eum magum eſſe: quibus

credens

Digitized by Google

credens Imper. Athanaſium perſecutus eſt de loco ad locum. Unde primò latitabat in lacu ciſternæ non habentis aquam ſex annis: & cum proditus eſſet, fugit ad Conſtantem fratrem Conſtantii, qui tenuit imperium occidentis, & apud Treverim à Maximiano epiſcopo Trevirenſi honorifice ſuſceptus eſt. Et dicitur compoſuiſſe Symbolum: Quicunque vult ſalvus eſſe. Et anno præcedente Franci à Conſtante perdomiti ſunt, & pax cum eis facta eſt. De iſtis Francis legitur, quòd ipſi olim poſt Trojæ excidium egreſſi de partibus Phrygiæ venerunt in Pannoniam, & ſedes ſibi in ea vendicabant, & dicti fuerunt Sycambri. Iſti poſt longa tempora dum ſervitute premerentur à Romanis, exierunt Pannonia, & electo ſibi rege, nomine Priamus, cum magna multitudine venerunt in Alemaniam, & juxta Mogonum fluvium conſederunt: & poſtea à Valentiniano Imperatore libertate donati, lingua Romana Francken, quod ſonat liberi, appellati ſunt. Hoc tempore factum eſt concilium Sardicenſe CXXI. epiſcoporum: ubi omnes Arriani epiſcopi per Orientem condemnati ſunt. In hoc concilio Oſius epiſcopus Cordubenſis ex Hiſpania, de quo loquitur c. Oſius extra de elect. & c. Oſius. multas ſententias edidit: tandem tamen metu Conſtantii hæreſi Arrianæ conſenſit. Unde Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus, in libro de viris illuſtribus de eo ſic dicit: Cùm Oſius poſt longum vetuſtatis ſenium fuiſſet accerſitus à Conſtantio, minis perterritus, Arrianæ impietati conſenſit. Et tamen ipſe poſtea Gregorium Eliberitanum epiſcopum, nolentem ſibi propter hæreſin communicare, deponere voluit. Idem Gregorius appellavit ad Chriſtum & ſtatim voce & forma appellationis à ferenda iniqua ſententia emiſſis, Chriſtus aſſumit cauſſam. Nam ſtatim ut Oſius incepit ferre ſententiam contra Gregorium, ipſe vertit os, & diſtorquens cervicem in terram cecidit, & expiravit: quod videns Clementinus vicarius Conſtantii expavit, & veniam petens, quamvis ipſe Paganus eſſet Gregorium dimiſit. Ante hoc tempus dum adhuc Conſtantinus vixit, factum eſt concilium Arelatenſe primum, in quo juxta ſubſcriptionem nominum ejuſdem concilii contentam in libris antiquis, fuerunt ſanctus Maternus Agrippinæ, id eſt, Coloniæ epiſcopus, & Agritius Trevirorum epiſcopus, & volunt quidam, hoc concilium fuiſſe ante concilium Nicænum. Et ſecundum concilium Arelatenſe etiam Conſtantino vivente factum eſt. Conſtans Imperator occidentis, poſtquam expertus eſt innocentiam Athanaſii, ſcripſit fratri ſuo Conſtantio de eo cum comminatione in delatores ejus: quare Conſtantius permotus his Athanaſium revocavit, & eum in eccleſiam ſuam reſtituit. Sed poſtquam Conſtans obiit iterum delatores ſævierunt in eum. Iſtis temporibus apud Gothos Aorico defuncto ſucceſſor regni exſtitit Geberich, filius Balderici. Hic Geberich centeſimo decimo anno vitæ ſuæ obiit: cujus noviſſimis temporibus Huni Mæotides paludes ductu cervæ ipſam paludem, quam imperviam ut pelagus æſtimabant, pedibus tranſierunt & ſuper Gothos ruunt: uſque de Scythia in Thraciam compellunt, & ut dicit Jordanus epiſcopus in Chronica ſua, tunc rex Gothorum erat Hermanricus ſucceſſor Geberici. Hunc Hermanricum propter geſtorum magnitudinem Gothi aſſimilabant Alexandro Magno. Ipſe tamen ferocitatem Hunnorum timuit: & ſtatim eo mortuo Balambus rex Hunorum duxit exercitum contra Gothos. Huni quidem ortum habuerunt à Gothis. Nam cum quondam Filimer rex Gothorum, magni Gandarici filius, terras Scythicas cum gente ſua bellaturus intravit, reperit in exercitu ſuo quaſdam magas mulieres, quas Gothico ſermone Alirunas dicunt: eaſque habens ſuſpectas, ipſas de medio ſui perturbat, longeque ab exercitu fugatas in ſolitudine coëgit errare. Quas ſilveſtres homines, quos nonnulli Satyros Faunoſque vocant, per deſertum vagantes dum vidiſſent, & ſe earum complexibus in coitu miſcuiſſent, genus hominum hoc ferociſſimum ediderunt, quod fuit primùm inter paludes Mæotidis. Ipſi etiam in pueros ſuos prima die natos deſævierunt, dum maſculis genas ferro ſecuerunt: ut antequam lactis nutrimenta perciperent, vulneris cogerentur ſubire tolerantiam. Hinc cicatrix in genis pilos non ferens faciem Hunorum terribilem reddidit. Unde quas bello minimè ſuperabant, vultus terribilitate fugabant. Exigui quidem forma erant & arguti, motibus expediti, & ad equitandum promtiſſimi: ſcapulis latis, & ad arcus ſagittaſque parati. Ieronymus in epiſtola ad Oceanum de morte Fabioſæ ſcribit, quod Herodotus hiſtoricus dicat, quòd Huni temporibus Darii regis Medorum viginti annis Orientem tenuere captivum, & ab Ægypto & Æthiopia

Digitized by Google

annuum vectigal exegerunt. Poſtquam Conſtantius fratribus ſuis defunctis ſolus tenuit imperium, Gallum patruelem ſuum Cæſarem fecit: quem tamen, dum eum egregiæ indolis eſſe perſpexit, fecit occidere, & deinde Julianum fratrem Galli Cæſarem apud Gallias fecit, anno imperii ſui XIX. & ſequenti anno ipſe Julianus Alemanorum copias apud Argentinam opidum Galliæ, quod propria lingua Straſburg dicitur, oppreſſit. Et ibi dicitur S. Martinus militiæ renunciaſſe, & ſe inermem hoſtibus obiiciendum præbuiſſe. Eodem anno S. Antonius monachus in eremo moritur, anno vitæ ſuæ CV. Item eo tempore oſſa S. Andreæ & Lucæ Evangeliſtæ Conſtantinopolim venerunt. Iſtis temporibus claruerunt Romæ Donatus Grammaticus, qui primo tradidit octo partes Orationis: & Victorinus Rhetor, ambo magiſtri & præceptores Beati Ieronymi. Hic Victorinus ſtatuam meruit Romæ in foro Trajani. Unde Auguſtinus confeſſionum lib VIII. (c.2.) de Victorino ſic dicit: Victorinus ſenex doctiſſimus & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus: quique Philoſophorum tam multa perlegerat, & dijudicaverat & dilucidaverat, Doctor tot nobilium Senatorum, qui etiam ob inſigne præclari magiſterii, quod cives hujus mundi eximium putant, ſtatuam in foro Romano meruerat & acceperat usque ad illam ætatem venerator Idolorum ſacrorumque ſacrilegorum particeps, fidem Chriſti mirante Roma & gaudente eccleſia ſuſcepit. Item de Donato ſupradicto idem Auguſtinus. Gregorius dicit: Indignum vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. Et cum hoc tamen minimè ſtat hoc dictum Caſſiodori: Omnis ſplendor Rhetoricæ eloquentiæ: omnes modi poëticæ locutionis: quælibet varietas decoræ pronunciationis à divinis ſcripturis ſumſit exordium. Hoc tempore S. Hilarius Pictavienſis epiſcopus, factione Saturni Arelatenſis epiſcopi, reliquorumque, qui cum eo erant Arrianorum ante triennium in Phrygiam pulſus, libros de vera religione compoſuit: & poſtea Hilarius, cùm apud Conſtantinopolim Conſtantio pro ſe librum porrexit, ad Gallias rediit. Item hoc tempore Macrobius presbyter floruit. Poſtquam Conſtantius ad partes Orientis reverſus eſt, Julianus ſibi nomen Auguſti præſumſit aſſumere: quod Conſtantius audiens contra eum collegit exercitum: ſed dum iter faceret per Lyciam, vita functus eſt, & Julianus obtinuit Imperium.

CAPUT XVII.

Julianus poſt mortem Conſtantii imperavit anno I. & menſibus IIX. Hic erat filius Conſtantii fratris Conſtantini M. tantum ex parte patris, & à pueritia fuit Chriſtianus; ſed adhærens Philoſophis & Sophiſtis gentilibus, contra voluntatem Conſtantii Imperatoris, ad Idolorum cultum converſus eſt. Sed cùm percepit ex hoc Imperatorem commotum, induit habitum monachalem, & in publico divinos libros legit: ſed privatim libris paganorum inſiſtebat: & ſic ſub illo habitu furorem Imperatoris declinavit. Tandem Imperator fallacia ejus cognita ipſum cuſtodiri mandavit: ſed ipſe lapſus à cuſtodia fugit: & deinde vagando per terras diverſas vates & magos perquirit, ſciſcitans ab eis, an poſſit ad Imperium pertingere: tandem unus ex eis Julianum ad quendam ſecretum pro reſponſo recipiendo deduxit. Apparentibus igitur dæmonibus ſolenniter, Julianus terrore compulſus ſignum crucis edidit. Cumque magus eum de hoc increpaſſet, dixit, ſe ex timore ſignum crucis edidiſſe, & ex hoc dæmones eſſe fugatos. Cui magus dixit: ô bone vir, hoc ſignum dæmones non timuerunt, ſed abominati videre ipſum diſceſſerunt. Unde Julianus deceptus ſignum crucis & fidem Chriſtianam deteſtatus eſt. Magus igitur dæmones vocat, & ex reſponſis eorum, Julianum futurum Imperatorem affirmat. Unde poſtquam Imperatori reconciliatus, tandem Imperium conſecutus eſt, Chriſtianos odit, eiſque artes liberales docere interdixit: & multos ad conſentiendum ſibi blandè allexit. Judæis templum Jeroſolymis reædificare conceſſit, ut ſacrificarent in eo ſecundum legem Moyſis. Cumque ædificare inceperant, nocte quadam terræ-motus ingens oboritur, quo non ſolum fundamentorum ſaxa longè lateque jactantur; verùm etiam totius loci ædificatio planatur, & porticus publicè ibi exiſtentes corruentes Judeos præſentes oppreſſerunt. Die verò illucente, globus igneus ferebatur hinc inde per medium plateæ, & quaſi per totam diem ſimilia repetens pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coërcebat. Et ſequenti nocte in veſtimentis omnium ſignaculum crucis ita evidens apparuit, ut etiam qui diluere pro ſua infidelitate voluiſſet,

Digitized by Google

luiſſet, nullo genere valeret abolere. Et ſic Judæi & Gentiles territi locum ipſum dereliquerunt. Julianus cùm venerat ad Cæſaream Philippi, audiens imaginem Salvatoris ibidem ſtare in quodam horto, quàm mulier, ab eo à profluvio ſanguinis ſanata, in memoriam ipſius Salvatoris erexit: imaginem illam depoſuit, & in locum illius imaginem ſuam collocavit: ſed ipſa poſtea ictu fulminis deſtructa eſt. Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis in libro VII. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ (*cap. 17.*) de hac imagine dicit, quòd ipſe eam ſæpiùs vidit, & erat ænea: & quod herbæ creſcentes ſub ea primò ad nihilum utiles, poſtquam imaginis fimbriam tetigerant, præſtabant opem ſanitatis. Et dicit, quòd tabula ænea ſtabat juxta eam, in qua ſculpta erat imago fæminæ flexis genubus verſus imaginem ſalvatoris ſe convertens. Julianus multis Chriſtianis bona ſua abſtulit dicens: Chriſtus dixit: niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ſic multa contra Chriſtianos, quos non Chriſtianos, ſed Galilæos appellavit, callidè excogitavit. Et ipſe intendens aſtutè infringere fidem Chriſtianam plures obſervantias eccleſiæ ad ſervitium & cultum detorſit Idolorum. Unde juſſit idolis horas canonicas decantari, & aquam Idolis conſecratam ante januas templorum ad aſperſionem populi collocari. Unde accidit, quod quidam miles ejus, Valentinianus nomine, dum poſt Julianum eccleſiam ingrederetur, zelo fidei Chriſtianæ motus, aſpergenti ſe cum aqua benedicta alapam dedit, Juliano vidente: ſed Julianus non audens eum punire dixit ei: ſacrifica diis, aut militiæ renuncia. Valentinianus verò continuò exivit eccleſia. Cumque Julianus Athanaſium epiſcopum quæreret ad pænam, & ipſe Athanaſius multos de populo mœſtos ex hoc videret, dixit ſpiritu Prophetico: Nolite, ô filii conturbari: quia nubecula eſt, & citò pertranſit. Unde ſtatim cùm ad bellum properaret occiſus eſt, anno vitæ ſuæ XXXI. Et quidam tradunt eum ab angelo percuſſum: alii à Diabolo. Cùm enim vellet Perſis bellum inferre, venit Cæſaream Cappadociæ, ubi Baſilius erat epiſcopus, qui requiſitus à Juliano, ut mitteret ſibi victualia, miſit ei tres panes hordeaceos: quos Julianus contemnens, miſit ei fœnum, dicens pabulum animalium irrationabilium miſiſti nobis, recipe quod miſiſti. Baſilius reſpondit, nos quidem miſimus tibi, quod comedimus: tu verò nobis miſiſti unde beſtias tuas nutris. Ad hæc Julianus iratus reſpondit: Cum Perſas ſubegero, hanc urbem deſtruam, & arabo ut magis ferifera, quàm hominifera dicatur. Sequente igitur nocte vidit Baſilius in viſu in eccleſia ſanctæ Mariæ multitudinem angelorum, & in medio eorum quandam fæminam ſedentem & dicentem: vocate mihi citò Mercurium, qui Julianum occidat: quia me & filium meum blaſphemavit. Erat enim iſte Mercurius miles quidam, qui propter fidem Chriſti à Juliano fuit interfectus, & in eadem eccleſia ſepultus: & ſtatim Mercurius prodiens de tumulo arma ſua, quæ in eadem eccleſia ſervabantur, recepit, & contra Julianum properavit. Baſilius igitur expergefactus ad locum ſepulcri S. Mercurii ſe confert, & aperto ſepulcro corpus non invenit, ſuſpiciensque ſurſum arma Mercurii, quæ pendebant ibidem, vidit abeſſe. Die ſequente Baſilius ſepulcrum Mercurii viſitat, corpus & arma in locis conſuetis invenit, & cùm factum iſtud in ſe revolvit, quidam de exercitu Juliani veniens nunciavit, quòd Julianus à quodam milite ignoto ante totum exercitum eſſet occiſus: qui miles poſtea nuſquam apparuit. Et ipſe Julianus cùm jaceret lancea vulneratus proprio ſanguine manum implevit, dicens: Viciſti, Galilæe, viciſti: & proiiciendo ſanguinem ad aërem miſerabiliter expiravit. Chriſtum quidem Galilæum, & Chriſtianos Galilæos blaſphemando ſolitus erat appellare. Et ſic eo mortuo, Perſis exercitui ejus appropinquantibus, ſui fugientes corpus ejus reliquerunt inhumatum: quod à Perſis raptum & excoriatum eſt, & de corio ejus factum eſt ſubſtratorium regi Perſarum. Hic Julianus occidit Johannem & Paulum martyres.

Jovinianus imperavit menſibus IIX. Hic cùm ad Imperium vocaretur, ad exercitum Juliani ſacrilegiis prophanatum dicitur proclamaſſe: Non poſſum imperare vobis, quia Chriſtianus ſum. Tunc illi reſponderunt: & nos Chriſtiani ſumus: nec ipſe priuſquam hanc vocem audivit, acquieſcere voluit. Deinde ipſe honorificis & officioſiſſimis literis Athanaſium epiſcopum requiſivit. Et ab ipſo formam fidei & eccleſiarum diſponendarum modum ſuſcepit, & dehinc anno ætatis ſuæ XXXIII. cruditate prunarum, quas nimis adoleri juſſit, ut quidem tradunt, extinctus eſt. Et eo tempore S. Nicolaus epiſcopus Myrenſis eccleſiæ obiit.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

VAlentinianus de partibus Pannoniæ ortus, & Valens frater ejus, imperant annis XIV. Valentinianus filium ſuum Gratianum Ambianenſibus Imp. conſtituit. Et eo tempore S. Hilarius Pictavienſis epiſcopus & doctor obiit, & Athanaſius epiſcopus Alexandrinus moritur. Anno II. Valentiniani terræmotu quaſi per totum orbem facto, mare litus egreditur, & Siciliæ multarumque inſularum urbes, innumerabiles populos oppreſſerunt. Valens licet baptiſatus erat, Chriſtianos perſequitur. Anno tertio Valentiniani tanta apud Conſtantinopolim eſt orta tempeſtas, ut miræ magnitudinis decidens grando, nonnullos hominum interficeret. Anno ejus quarto Nicæa civitas quæ antea ſæpè corruerat, terræ motu funditus everſa eſt. Anno ejus VI. Euſebius epiſcopus Vercellenſis moritur. Eo tempore Didymus Alexandrinus multos libros per notarios compoſuit: licet poſt quintum annum nativitatis ſuæ luminibus orbatus, elementorumque ignarus fuit. Cùm S. Antonius fidei Athanaſii teſtimonium laturus adverſum Arrianos de Thebaide Alexandriam deſcendiſſet, hunc Didymum conſolatus eſt his verbis: Nihil te offendat, ô Didyme, quòd carnalibus oculis videris orbatus: deſunt enim tibi illi oculi, quos mures & muſcæ & lacerti habent; ſed lætare quod habes oculos, quos angeli habent, quibus Deus videtur: per quos tibi ſcientiæ magnum lumen accenditur. Et Ieronymus in libro de viris illuſtribus de iſto Didymo ſcribit, dicens: quòd ipſe Didymus eo tempore, quando Ieronymus librum prædictum ſcripſit, octogeſimum tertium annum vitæ ſuæ jam excedebat. Eodem tempore floruit Epiphanius Cypri Salaminis epiſcopus. Iſtis temporibus Eunomius diſcipulus Aetii Conſtantinopoli agnoſcitur: à quo hæreſis Eunomiana: Anno IX. Imperii ſui Valentinianus Saxones, gentem in Oceani litoribus & paludibus inviis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, Romanis finibus periculoſam, in Francorum finibus oppreſſit. Anno dehinc ſequenti, Saxones congregati plusquam LXXX. millia Rhenum tranſierunt, & partes Galliæ, quæ Burgundia dicuntur ab eis, occupaverunt. Quoniam illi Saxones poſtea à Gallis Burgundiones vocati ſunt: quia habitacula, quæ ipſi crebra per limites poſuerunt, juxta proprietatem linguæ Saxonicæ Bürge nominabant. Unde in hiſtoria Romana, ubi de hoc tranſitu Saxonum legitur, poſtquam de victoria Valentiniani ſupra dictâ dictum eſt, ſubjungitur: (*Intelligit hiſtoriam miſcellam Pauli Diaconi, ex qua ea quæ de Saxonibus paulo ante dixit. & hæc ipſa verba deſcripta ſunt. Videatur lib. XII.*) Hos enim quondam ſubactâ interiore Germaniâ à Druſo & Tiberio filiis adoptivis Cæſaris per caſtra diſpoſitos in magnam coaluiſſe gentem, atque ita etiam nomen ex opere præſumſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta, Burgos vulgò vocant; eorumque eſſe prævalidam & pernicioſam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumta poſſeſſione conſiſtunt. Quadrageſimo quidem anno poſt tranſitum eorum prædictum, partes quas invaſerunt, videlicet Burgundiam potenter obtinuerunt. Hoc tempore Franci, ſub rege ſuo Priamo militantes, priùs Sicambri dicti, prout ſuperiùs dictum eſt, per Valentinianum à tributo exempti, Francken/ id eſt, liberi nominati creduntur. Unde provincia eorum Francia orientalis, ſeu Franconia nominatur. Valentinianus quamvis Chriſtianus erat, legem ſtatuit, quod omnes viri qui voluiſſent impunè bina matrimonia contrahere potuiſſent, & duas ſimul habere uxores; quoniam ipſe duas habuit uxores. Valentinianus poſtquam fratrem ſuum Valentem in regni conſortem aſſumſit, ipſe partes Occiduas regendas ſumſit, Valenti dimiſſis partibus Orientis: ſed Valens favens hæreticis multos epiſcopos in exſilium relegavit: & interim Athanaſius defunctus eſt. Et cum apud Edeſſam civitatem Meſopotamiæ in qua tunc erant reliquiæ S. Thomæ Apoſtoli, Valens Imperator Chriſtianos è civitate expulſos in campis convenire prohibuit, & morti tradendos, ſi convenirent, minabatur, accidit, quòd dum præfectus ſuus quadam die hujusmodi mandatum executioni mandare deberet, quædam mulier cum parvulo filio ſuo ad campum, quò Chriſtiani convenerant, feſtinavit, quam cùm præfectus vidit, dixit ad eam: quò infelix mulier properas, tam feſtina? ad campum, ait, quò Catholicorum populus convenit. Et non, inquit. audiſti, quia præfectus illuc pergit, ut omnes interficiat, quos ibi invenerit? Audivi, ait, & ideo feſtino ut ibi inveniar. Et quò, inquit, parvulum iſtum trahis? ut & ipſe martyrium, ait, conſequatur. Quæ cum audiviſſet præfectus, ad Imperatorem rediit dicens: Imperator, mor-

Digitized by Google

mortem ſubire ſi jubeas, paratus ſum. Opus verò, quod præcipis, implere non poſſum. Et licet præfectus paganus eſſet, tamen cum cuncta per ordinem de illa muliere, quæ vidit & audivit, explicavit, ipſius Imperatoris repreſſit inſaniam. Eo tempore regina quædam gentilis tantis guerris Valentem fatigavit, quod ipſe pacem ab ea petere compulſus eſt: ſed ipſa pacem acceptare recuſavit, niſi quidam monachus, nomine Moyſes, vitam ducens ſolitariam in eremo, in finibus ſuis ordinaretur epiſcopus gentis ſuæ. Imperator conſentit & Moyſes Alexandriam adducitur conſecrandus Erat autem ibidem quidam epiſcopus Arrianæ partis Lucius nomine, qui favore Valentis innitens Catholicos epiſcopos perſecutus erat; & alios Catholicos quoſcunque indifferenter pœnis & morti tradidit, viris religioſis per eremum diſperſis, bellum intulit: de quibus aliqui diſcipuli S. Antonii fuerunt. Iſte Lucius volens hunc Moyſen conſecrare, ab eo repulſus eſt, & ait Moyſes ad eum: nolo manibus ſanguine ſanctorum cruentatis tangi. Quare Lucio coram omnibus ſic confuſo, religioſi & Catholici epiſcopi per exſilia damnati revocantur, & ab illis Moyſes conſecratur, & pax inter Imperatorem & reginam confirmatur. Valentinianus interim religioſè Imperium in occidentis partibus gubernabat. Et eo tempore Ambroſius conſularis provinciam Liguriæ regebat, & Cum Auxentius Arrianus Mediolanenſis epiſcopus diem clauſiſſet extremum, & populus ſuper epiſcopo eligendo moliretur ſeditionem: aliis volentibus habere Sectæ Arrianæ epiſcopum: aliis volentibus habere alienum ab hac ſecta: Ambroſius nondum baptiſatus ad ſedandum populum eccleſiam ingreditur. Et cùm multà ſecundum leges & diſciplinam publicam, pro quiete & tranquillitate, peroraret, omnium vota, licet erant contrarii, in eum conſenſerunt vociferantes ſe concordes fieri poſſe, ſi Ambroſius eorum fieret epiſcopus. Quod cum ad Valentinianum Imperatorem relatum fuiſſet, ipſe deſiderium populi jubet impleri. Et Ambroſius, baptiſmo ſuſcepto, ad epiſcopatus honorem, quamvis renitens aſcendit: & exinde tota Italia ad rectam fidem convertitur. Et Valentinianus ſubita ſanguinis effuſione, quam Græci apoplexiam vocant, moritur. Et tunc Gratianus filius fratrem ſuum Valentinianum in regni conſortium aſſumit: & ſic ipſi regnant cum patruo eorum Valente. Eo tempore Baſilius Cæſarienſis epiſcopus Cappadociæ clarus habetur, qui, ut dicit Jeronymus multa continentiæ & ingenii bona uno ſuperbiæ malo perdidit Scribitur tamen de eo XI. libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, (*c. 9.*) quòd cùm ſibi à præfecto Valentis coram tribunali aſtanti mors comminaretur, reſpondit: utinam aliquid mihi eſſet digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Baſilium de nodo follis hujus abſolveret: Cumque nox una daretur ei ad deliberandum, reſpondiſſe denuò perhibetur: Ego craſtino ipſe ero, qui nunc ſum: utinam te non mutares: & in illa nocte uxor Valentis gravius quatitur, & filius ejus unicus eſt extinctus. Quare mittitur ad Baſilium, ut pro Imperatore & ejus uxore oret, ne & ipſi pereant. Et ſic Baſilius liberatus eſt. Hic Baſilius multum commendatur de conſecrat. Diſtinct. I. c. Jacobus frater. & ut dicit gloſſa ibidem ipſe præcipuè poſt Jacobum fratrem Domini tradidit Miſſæ celebrationem, id eſt, ordinem & modum celebrandi. Valens Imp. legem ſtatuit, (*l.26.c.de Decurion.*) ut monachi militarent, & contradicentes fuſtibus cædi juſſit, quorum multi moriebantur. Tandem Gothis invadentibus regnum ſuum, qui ab Hunis propriis ſedibus pellebantur, Valens ſera ſapientia ductus, epiſcopos & presbyteros relaxari de exſiliis, ac monachos de metallis reſolvi jubet. Demum ipſe ſuperatus à Gothis in bello, ſagittaque ſauciatus fugit in quandam domunculam, quam barbari circumdantes igne applicato Imperatorem ipſum ſimul cum domo combuſſerunt. Iſtis temporibus clarent Martinus Turonenſis, Ambroſius Mediolanenſis & Liborius Cenomanenſis epiſcopi. Eo etiam tempore Jeronymus in Bethleem prædicatur: quoniam ad partes ultramarinas pro vita contemplativa agenda ſe tranſtulit. Unde ipſe dicit de ſeipſo: Non Jeroſolymis fuiſſe, ſed bene vixiſſe laudandum eſt XII. qu. II. c. gloria epiſcopi. Item dicit de ſeipſo, ſeu ut alii volunt, in perſona aliorum: Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano qui vix milio, & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam & mella faſtidio. ibidem. Jeronymus quidem erat presbyter Cardinalis, prout legitur & notatur II qu. VII. c. Quanquam. Et forte inde Auguſtin. reputat eum majorem ſe: ſi tamen Cardinalatus, quod non videtur, tunc erat. Jeronymus in regula ad Euſtachiam

Digitized by Google

chiam virginem de ſedicit: Quanquam ut detegam meas miſerias, me antequam viceſimum ætatis annum attingerem, urbs Romana in ſummum prælegerat magiſtrum in omnib. penè liberalibus artibus: nondum Spiritus S. ſcholas intraveram; nondum cœcutiens pervenire ad ſanctæ veritatis poteram diſciplinam: non academiæ, non certè Romæ hujus doctæ reſonavere gymnaſia, &c. Hucuſque Jeronymus Chronicas continuavit: deinde Proſper.

CAPUT XIX.

GRatianus & Valentinianus fratres poſt mortem Valentis patrui eorum imperant ſimul annis quinque. Et Gratianus Theodoſium filium Theodoſii regni aſſumit conſortem, & tradit ei regnum Orientis, videlicet, Conſtantinopolim: Ipſe regnum Occidentis obtinet, ſcilicet Romam. Et deinde Arcadius filius Theodoſii Auguſtus appellatur. Eodem tempore in Britannia per ſeditionem militum Maximus fit Imperator, qui Gratianum cum exercitu contra ſe venientem, proditionem Merobaudis magiſtri militum, Pariſiis ſuperavit. Et deinde Gratianus Lugdunum fugiens à Maximo comprehenſus eſt, & occiſus. Et idem Maximus Victorem filium ſuum regni conſortem aſſumit. Valentinianus autem pacem Maximi, fatris ſui occiſoris, ſimulatè ſibi oblatam amplectitur. Tunc Juſtina relicta Valentiniani & mater hujus Valentiniani favens hæreſi Arrianæ, quod marito vivente aperire non audebat, filio ſuo tanquam juveni minus cauto fidenter manifeſtat: & tandem apud filium obtinuit, ut Ambroſius in exſilium mitti deberet: propter quod milites armati ad eccleſiam Ambroſium inde abſtracturi diriguntur: ſed populus fidelis concurrens epiſcopum defendit. Unde Auguſtinus lib. confeſſ. IX. (c. 7.) de hoc loquens ait: Excubabat pia plebs mori parata cum epiſcopo ſuo. Tunc revelatæ ſunt reliquiæ SS. Gervaſii & Prothaſii ſancto Ambroſio: & in deportatione illarum ad eccleſiam curati ſunt obſeſſi à ſpiritibus immundis: & quidam civis Mediolanenſis diu cœcus illuminatus eſt. Et deinde fama diſcurrente illius inimicæ Juſtinæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non eſt ampliatus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt. Poſt hoc Maximus, qui Gratianum occidit, Italiæ partibus appropinquat: quod audiens Juſtina fugit ab Italia, & ſtatim defuncta eſt. Et Valentinianus filius ejus, ad vitæ faſtidium nimia Arbogaſtis magiſtri militum auſteritate perductus, apud Viennam laqueo ſe ſuſpendit: & Arbogaſtes quendam Eugericum Grammaticum apud Gallias Imperatorem fecit, poſtquam Valentinianus regnavit una cum Theodoſio annis octo. Valentinianus tamen priuſquam mortuus eſt, matris ſuæ, ad informationem Theodoſii, contemto conſilio, informationem Ambroſii ſuper fide Catholica affectavit: ut teſtatur Ambroſius in epiſtola ad Theodoſium. Theodoſius hæreticos fugavit: plurima templa falſorum Deorum deſtrui fecit. Unde cùm poſt deſtructionem cujuſdam templi Serapis apud Alexandriam factam, ſignum crucis in poſtibus ſubliminaribus & feneſtris domorum hinc inde pingeretur, quidam gentiles Ægyptii converſi dixerunt, quòd hoc ſignum haberet formam cujuſdam literæ inter ſacras Ægyptiorum literas, cujus expoſitio, ſeu interpretatio erat vita futura, & quod à majoribus ſuis receperant, quòd cultus deorum ſuorum tam diu ſtaret, quouſque viderent ſignum veniſſe, in quo eſſet vita. Dum quadam vice apud Theſſalonicam quidam milites Theodoſii impetu furentis populi fuiſſent extincti, Theodoſius nimio furore ſuccenſus populum ad ludos Circenſes invitans, ipſum militibus circumdatum ex improviſo indiſcretè juſſit interfici. Hoc tempore floruit Prudentius ſæculari literatura eruditus, & Rufinus Præsbyter Aquilejenſis eccleſiæ, qui eccleſiaſticas hiſtorias poſt Euſebium proſecutus eſt. Et Severus cognomento Sulpitius claret, qui Chronica ſcripſit: qui dicit temporibus ſuis apud Alexandriam Synodo epiſcoporum decretum, Origenem cautius à ſapientibus pro bonis legendum, & à minus capacibus pro malis repudiandum: prout refert Gennadius in libro de viris illuſtribus. Ipſe verò Sulpitius de provincia Aquitania ortus fuit. Item eodem tempore Johannes epiſcopus Jeroſolymitanæ eccleſiæ fuit, qui in libro ſuo, quem fecit contra obtrectatores ſtudii, dicit ſe Origenis ingenium, non fidem ſecutum. Marcomirus ſecundus rex Francorum, filius Priami, regnavit annis XXXIII.

CAPUT XX.

THeodoſius poſt mortem Valentiniani Imperatoris junioris imperat cum filiis ſuis Arca-

Digitized by Google

Arcadio & Honorio annis tribus. Theodoſius veniens in Italiam, contra Maximum Gratiani occiſorem producit exercitum, ſed Maximus à propriis militibus comprehenſus Theodoſio præſentatur, & ſtatim juſſu Theodoſii regalibus veſtibus exutus, tertio milliario ab Aquileja decollatur: & deinde victor filius Maximi eodem anno apud Gallias occiditur. Theodoſius veniens Mediolanum à S. Ambroſio de facto, quod in populum apud Theſſalonicam commiſit, increpatur: ſed Imperator hanc correptionem piè recipiens publicam pœnitentiam in conſpectu totius eccleſiæ fecit, & legem ſtatuit, ut ſententiæ principum ſuper animadverſione prolatæ in diem triceſimum ab executoribus differrentur. Deinde veniens Romam molas ſubterraneas, quas homines captivi trahebant, deſtrui fecit. Nam propè proſtibulum meretricum, & tabernas ei propinquas, erant factæ decipulæ, quibus homines viſitantes proſtibulum vel tabernas, in foveas ſub terra factas delabebantur & ibi ſervabantur ad molam trahendam, quamdiu vixerunt. Et iſtud fuit detectum per unum de militibus Theodoſii, qui incidens in foveam comprehendere ſe volentes gladio fortiter abegit, & quoſdam eorum occidit, & ſic evaſit. Item erat conſuetudo Romæ, quando aliqua mulier deprehendebatur in adulterio, ducebatur in proſtibulum, & admittebantur ad eam viſitantes proſtibulum: & dum conſiderabatur eſſe in opere Venereo, pulſabantur quædam tintinnacula in ſignum confuſionis ejus: & hoc Theodoſius fieri prohibuit. Poſt hoc Theodoſius contra Eugenium, qui poſt mortem Valentiniani in Gallia ſe fecerat Imperatorem profectus eſt: & commiſſo prælio vicit eum XVII. die Septembris, tempore conſulatus Olybrii & Probini. Et poſt hoc Theodoſius Mediolanum reverſus moritur anno vitæ ſuæ LX. Hunc Theodoſium Auguſtinus de civitat. lib. V. (*cap. 26.*) multùm commendat, quoniam ejus temporibus idem Auguſtinus claruit, qui priùs ſæcularis presbyter & non monachus exiſtens argumento illius c. legi XVI. qu. 1. factus eſt Hipponenſis epiſcopus, de quo dicit Iſidorus lib. 6. Etymolog. (*cap. 7.*) poſtquam multorum ſtudia commendat ſic inquiens: Horum tamen ſtudia Auguſtinus ingenio, vel ſcientia vicit: Nam tanta ſcripſit, ut diebus ac noctibus non ſolum ſcribere libros ejus quiſquam; ſed nec legere quidem poſſit. Beatus Auguſtinus regulam & ordinem canonicorum regularium inſtituit. Eo tempore Claudianus poëta floret. Sub hoc Imperatore acta eſt Synodus Conſtantinopolitana prima, centum, videlicet, & quinquaginta epiſcoporum: quæ eſt ſecunda Synodus principalis: & Macedonium, qui Spiritum ſanctum Deum eſſe negavit, condemnat. Iſtis temporibus Theophilus epiſcopus Alexandrinus templa Idolorum ſubvertit, idolaque ad expenſas egentium conflavit.

Arcadius & Honorius fratres filii Theodoſii imperant annis XIII. & dividentes ſedes Arcadius tenet Conſtantinopolim, & Honorius Romam. Quorum imperii anno ſecundo ſanctus Martinus epiſcopus Turonenſis ad Chriſtum migravit. Anno eorum V. Gothi ſub Alarico & Rhadagiſo ducibus ingreſſi ſunt Italiam. Eo tempore Joannes Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus epiſcopi illuſtres habentur. Sed utrumque eorum obſcuravit diſcordia, quæ eouſque proceſſit, ut Johannes à Theophilo oppreſſus in exſilium pergere cogeretur, cùm tamen communionem ejus maxima pars epiſcoporum Romani Pontificis exemplum ſecuta ſervavit. Anno Honorii & Arcadii X. Rhadagiſus ducens exercitum Gothorum, in Thuſcia à Stilicone ſocero Honorii, multis Gothorum millibus occiſis, ſuperatus & captus eſt. Anno ſequenti Wandali & Alani, Rheno tranſito, Gallias vaſtant. Et dehinc anno ſequenti Conſtantinus quidam tyrannus in Britannia ſurgit, & in Galliam tendit. Anno ſequenti Arcadius Conſtantinopoli moritur, & Honorius imperium ſolus tenuit. Anno nativitatis Domini CCCCXLIV. Paſcha celebratum eſt nono Kalend. Maji & ob reverentiam diei Paſſionis Dominicæ, quæ cadebat in XI. Kalend. Maji dies natalis urbis Romæ tranſiit Circenſibus. Quia ſupradictum eſt de Theophilo, ne legentibus errorem faciat hoc nomen, ſciendum, quòd tres fuerunt Theophili: videlicet iſte, de quo in hoc capitulo jam dictum eſt, & ille idem Theophilus, de quo ſuprà dictum eſt: ubi recitatæ ſunt opiniones Origenis. Alius fuit Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, qui fuit tempore Severi Imperatoris. Alius fuit Theophilus Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus, qui fuit ſub Marco Antonio.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

MArcellinus Papa natione Romanus, ſedit annos VII. menſes IIX. dies XXV. Hujus temporibus ſub Diocletiano & Maximiano tanta fuit perſecutio Chriſtianorum, quòd infrà XIX. dies XVII. millia hominum per diverſas provincias martyriſati ſunt. Unde Marcellinus Papa à Diocletiano verbis dulcibus & auro corruptus in templo Veſtæ idolo thura incendit: propter quod trecenti, vel ſecundum alios, centum octoginta epiſcopi convenerunt ad Sinueſſam Campaniæ urbem contra Marcellinum: qui propter timorem perſecutionis cryptam ingredientes quinquageni & quinquageni, audito ſufficienti teſtimonio, & tandem confeſſione ſpontanea ipſius Marcellini, videlicet, quòd grana incenderit coram Idolo, non tamen animo ſacrificandi, Marcellinum Papam transgreſſionis fidei reum aſſerebant: ſed nemo in eum, eò quòd ipſe ſummus erat Pontifex, ſententiam proferre auſus erat. Marcellinus verò ſtatim coram omnibus pœnitentiam agens miſericordiam conſecutus eſt. Reſignavit etiam Papatum, ſe indignum proteſtatus, & ſic pœnitentia acta ſtatim iterum electus eſt. Diocletianus verò hæc audiens, multos epiſcopos comprehendit, & occidit: propter quod Marcellinus Papa eſt occiſus, & ceſſavit Papatus VII. annis, menſibus VI. diebus XXV. propter Chriſtianorum nimiam perſecutionem.

Marcellus natione Romanus, ſedit annos V. menſes V. Hic à Maxentio tyranno tentus coactus eſt animalibus ſervire in ſtabulo: & poſtquam novem menſes ibidem perſeveravit à clericis noctu eductus eſt, & à quadam nobili fæmina vidua Lucina dicta receptus, quæ fovit eum: & domum ſuam fecit eccleſiam conſecrari. Quo audito Maxentius iterum fecit eum teneri, ipſumque nudum cilicio amictum in eadem eccleſia, quam ſtabulum fecit equorum, animalibus ùsque in finem vitæ ſuæ ſervire coëgit, & ibidem mortuus eſt XVII. Kalend. Februarii: & Lucina vidua à Maxentio proſcriptione damnata eſt.

Euſebius natione Græcus, ſedit annos II. menſem I ſecundum aliquos: vel ſecundum aliquos, ſedit tantum menſes VII. Hic ſtatuit feſtum Inventionis S. crucis per totam eccleſiam celebrari: quoniam temporibus ſuis crux Domini ab Helena matre Conſtantini inventa eſt. Et ergo veriſimile eſt, eum pluribus annis præſediſſe: videlicet, ut quidam ſcribunt annis VI.

Melciades natione Afer ſedit annos IV. menſes VII. Hic ſtatuit, ut die Dominico & die Jovis jejunium non fiat à Chriſtianis: quoniam pagani eos quaſi ſacrum jejunium obſervabant.

Sylveſter natione Romanus ſedit annos XXIII. menſes X. Hic baptiſavit Conſtantinum M. & ſtatuit ut ſacrificium altaris non in ſerico, nec in panno tincto celebretur, ſed tantum in lino ex terra procreato. Item ſtatuit ut presbyter baptiſatum ſtatim poſt baptiſmum in vertice chriſmate ungat. Ipſe poſt concilium Nicænum in urbe Romana concilium CCLXXX. epiſcoporum congregavit: in quo Nicænum concilium confirmavit: & quædam addidit eidem concilio, Conſtantino & matre ejus Helena præſentibus.

Marcus natione Romanus, ſedit annos II. menſes IIX. Hic conſtituit, ut epiſcopus Oſtienſis pallio uteretur, & quòd ab eodem Papa conſecraretur. Ipſe dedicavit Romæ eccleſiam S. Mariæ majoris.

Julius natione Romanus, ſedit annos XV. menſes V. Hic multa ſuſtinuit à Conſtantino, filio Conſtantini M. & poſt exſilium, quo relegatus erat per X. menſes, Romam reverſus, quatuor fundavit eccleſias. Ejus temporibus congregata eſt quinta Synodus Conſtantinopoli.

Liberius natione Romanus, ſedit annos XIV. vel ſecundum alios XV. menſes VII. Hic à Conſtantio filio Conſtantini M. relegatur in exſilium per tres annos: quia ipſe Conſtantinus Arrianus erat. Et tunc omnes clerici juraverunt, quod nullum reciperent in Papam præter ipſum Liberium: verum cum Felix fuiſſet ab Arrianis in ſacerdotium ſubſtitutus, plurimi impiè pejeraverunt. Et iſti poſt annum cum Felice ejecti ſunt: quia Liberius tædio exſilii victus, & in hæretica pravitate ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit: non tamen eſt rebaptiſatus, ſed rebaptizanti conſenſum præbuit.

Damaſus natione Hiſpanus, ſedit annos XVIII. Cum iſto Damaſo in diſcordia ele-

Digitized by Google

electus eſt Urſinus: ſed facto conſilio Damaſus approbatur, & Urſinus Epiſcopus Neapolitanus conſtituitur. Damaſus adulterii reus ab invidis arguitur: ſed facta Synodo XLVIII. Epiſcoporum ipſe purgavit ſe. Hic conſtituit, ut chori duo diviſi Pſalterium cantarent. Hujus temporibus Jeronymus correxit Pſalterium ſecundum LXX. interpretes translatum. Et illo iterum vitiato tranſtulit ipſum de Hebræo in Latinum. Damaſus Papa ſtatuit in fine Pſalmorum ſubjungi: Gloria patri & filio, & S. ſancto &c. Et ipſe Damaſus ſcripſit librum de Romanis Pontificibus.

Siricius natione Romanus, ſedit annos XV. Hujus temporibus Jeronymus ultimò tranſtulit Biblia de Hebræo in Latinum. Hic Siricius invenit in urbe Manichæos, quos damnavit exilio. Hoc tempore, Priſcillianus hæreticus, videlicet ſecundo anno Pontificatus Siricii, in Synodo Burdegalenſi ſe damnandum intelligens, quod Maximum Imper. ſeu imperii invaſorem & tyrannum, provocavit, auditusque Treveri, ab Evodio præfecto prætorii gladio addictus eſt cum multis diſcipulis ſuis. Quidam tamen volunt eum excuſare de hæreſi, ut dicit Jeronymus in libro de viris illuſtribus.

Anaſtaſius, natione Romanus, ſedit annos IV. Hic ſtatuit ut quicunque caret aliquo membro, non fieret clericus. Et ſcripſit epiſtolam Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopis, mandans, ut ſacerdotes, non ſedeant, quando legitur Evangelium, ſed inclinato ſtent capite.

CAPUT XXII.

HOnorius poſt mortem Arcadii fratris ſui imperavit annis XV. Et Attalus Romæ fit Imp. qui mox regno privatus Gothis adhæſit. Quarto anno Honorii Wandali Gallias occupant, & Burgundiones partes Galliæ, Rheno propinquas, obtinuerunt. Eo tempore Pelagius Brito dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti, Cœleſtino & Juliano adjutorib. erexit multosque in ſuum errorem traxit. Pelagiani quidem liberum arbitrium gratiæ divinæ anteponunt, dicentes: ſufficere voluntatem ad implendum juſſa divina. Hæc hæreſis poſtea anno X. Honorii in conſilio Carthaginenſi damnata eſt per ducentos viginti quatuor Epiſcopos: qui Decreta Synodalia miſerunt ad Zoſimum Papam, qui ea confirmavit & hæreſin Pelagianam damnavit. Anno VII. Honorii inventæ ſunt reliquiæ S. Stephani. Eo tempore Epiſcopus Caurienſis eccleſiæ claruit, qui ſermones & homilias compoſuit. Eo tempore Petronius Bononienſis eccleſiæ Epiſcopus dicitur conſcripſiſſe vitas patrum. Anno domini CCCCXIV. Honorii V. Roma capitur à Gothis. Et præcepit Alaricus rex Gothorum, ut nullus eos, qui ad loca ſancta, & ſpecialiter qui ad Baſilicam Petri & Pauli confugerent, tangeret, ſed ſecuri manerent. Et deriſerunt Gothi Romanum Imperium, eligentes inter ſe unum imperatorem, quem uno die cum maximo honore tanquam Imperatorem præcedere fecerunt, alio die tanquam ſervum miniſtrare. Deprædantes igitur Gothi urbem tertia die egreſſi ſunt, & per Campaniam, Brutiam & Calabriā diſcurrentes, venerunt ad ultimos fines Italiæ, & aſcendentes naves in Calabria, propoſuerunt transfretare in Siciliam per fretum Siculum, quod ibi tantum in tria milliaria Romana ſtringitur. Et quia inexpertis ibi periculoſus eſt tranſitus, plures ſubmerſi ſunt: quapropter revertentes itinere, quo venerant, Romam, quod prius ibi reliquerant, totum abſtulerunt. Rex autem Alaricus Placidiam, ſororem Honorii Auguſti, abduxit: ſed Wallia, rex Weſegothorum, poſtea pacem Honorii expetens, eam reddidit. Tunc Honorius Conſtantio patricio eam in matrimonium tradidit, quem poſtea in conſortem regni aſſumit. Eo tempore Oroſius presbyter Hiſpaniæ, qui ſcripſit Chronicas, claruit: & ipſe fuit miſſus à beato Auguſtino ad Ieronymum, pro diſcenda animæ ratione: & cum rediit reliquias protomartyris S. Stephani, tunc nuper inventas, prius intulit occidenti: & epiſtolam Luciani presbyterii de inventione ipſarum reliquiarum Græco ſermone conſcriptam, Avitus presbyter, natione Hiſpanus, in Latinum tranſtulit, quam eidem Oroſio tradidit, cum ipſis reliquiis transferendam. Conſtantius Imper. maritus Placidiæ, ſequenti anno poſtquam ad Imperium aſſumtus eſſet, moritur. Et anno eodem beatus Ieronymus anno ætatis ſuæ XCI. deceſſit. Eodem anno factum eſt bellum inter Gunderium regem Wandalum, & Ermenricum regem Suevorum in quo Suevi vicerunt. Honorius Imperator moritur, & quidem Johannes regnum occi-

Digitized by Google

occidentis invadit, quem poſtea Valentinianus filius Placidiæ ſororis Honorii occidit.

Theodoſius regnavit annis xxv. Hic Valentinianum amitæ ſuæ filium, videlicet Placidiæ ſororis Honorii, Cæſarem fecit & eum cum matre ad occidentale imperium miſit: quod Johanne tyranno apud Ravennam exſtincto obtinuerunt. Et dehinc decreto Theodoſii Valentinianus ab exercitu Auguſtus eſt appellatus. Hujus germana Honoria, dum ad aulæ decus virginitatem ſuam cogeretur cuſtodire clam miſſo clienticulo Attilam regem Hunorum invitat ad Italiam. Cumque veniente Attila votum ſuum nequivit implere, facinus quod cum Attila pertractare non poterat, cum Eugenio procuratore ſuo committit: quamobrem tenta à germano Imperatori Conſtantinopolim deſtinatur. Poſt hoc Gunderico rege Wandalorum mortuo, Genſericus ei ſuccendens, jam tota Hiſpania pervagata exercitum Wandalorum duxit in Africam. Eo tempore S. Auguſtinus doctor excellentiſſimus moritur. Hoc tempore Marcomirus filius Priami, ſecundus rex Francorum genuit filium, qui dictus eſt Ferramundus, qui regnavit annis xi. Et ille genuit filium, qui dictus eſt Clodovæus, qui regnavit annis xx. Iſtis temporibus ad Scottos, in Chriſtum credentes, ordinatus à Papa Cœleſtino Palladius, primus Epiſcopus mittitur. Item eo tempore Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus claruit. Iſtis temporibus factus eſt terræmotus Conſtantinopoli maximus per quatuor menſes: & tunc beato Proculo Epiſcopo cum plebe extra civitatem fugienti, dum oravit, allatus eſt ab angelis hymnus: Sanctus Deus, ſanctus, fortis & immortalis, miſerere nobis. Et forte inde eſt quod in eccleſia hic hymnus canitur, videlicet, ἅγιος ὁ θεὸς &c. Theodoſius leges à tempore Conſtantini inceptas, & usque ad tempora ſua confuſe ſcriptas, in unum volumen ſub certis titulis redegit, quod poſtea Juſtinianus emendatum Codicem nominavit. Iſte Theodoſius ſtudium Bononienſe privilegiavit. Temporibus Theodoſii apud Conſtantinopolim orta eſt hæreſis Neſtoriana à Neſtore Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui dixit Chriſtum ex Maria hominem tantum, non Deum natum: & ſibi divinitatem pro merito collatam eſſe. Et hæc hæreſis in primo conſilio Epheſino ducentorum Epiſcoporum ſententia damnata eſt: & decretum eſt in eodem, quòd beata virgo Maria dicenda eſt mater Dei: & hoc concilium actum eſt anno Theodoſii octavo. Deinde ultimis temporibus Theodoſii orta eſt hæreſis Eutychiana apud Conſtantinopolitanos, à quodam abbate presbytero, qui dixit beatæ Mariæ filium nihil habuiſſe maternæ ſubſtantiæ, ſed ſub ſpecie hominis ſolam in eo verbi Dei fuiſſe naturam. Et quia corrigi noluit, à Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano damnatus eſt. Sed ipſe confiſus de amicitia Theodoſii Imperatoris & laicorum favore popoſcit Synodum convocari. Convocatis igitur Epiſcopis apud Epheſum, Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus, primatum in ipſo concilio ſibi vendicans, Eutychem abſolvit, & Flavianum in exſilium mittendum damnavit, reclamante Hilario diacono Romanæ eccleſiæ, miſſo illuc per Leonem Papam. Flavianus verò inter manus eorum, per quos in exſilium ducebatur, glorioſa morte ad Chriſtum tranſiit: Et Theodoſius Imp. eodem anno mortuus eſt.

CAPUT XXIII.

MArtianus imperavit annis VII. Hujus temporibus paſſa creduntur XI. millia virginum apud Agrippinam Coloniam ab Hunis. Et tunc pene omnes civitates Rheni treugis ſubactæ, & penè omnes civitates Galliæ ab Hunis captæ ſunt. Nam Attila rex Hunorum anno ſecundo Martiani venit de Pannonia in Galliam cum quingentis millibus armatorum: contra quem Ætius Patricius vir conſularis dux Romani exercitus, & Theodoricus rex Gothorum, qui eo tempore tenuit Italiam ex parte Martiani Imperatoris, venit de Pannonia ad informationem ipſius Imperatoris, fœdus ineuntes proceſſerunt in bellum, non minori exercitu ſuffulti. Erant enim Romanis tunc adjutores Burgundiones, Alani, Franci, & Saxones. Venit igitur uterque exercitus in campos Cathalaunicos, de quibus ſcribit epiſcopus Jordanus in Chronica ſua, quòd continent in longitudine centum leucas, & in latitudine ſeptuaginta. Et ſubdit, quòd una leuca continet mille quingentos paſſus, quod eſt contra illos verſus communes:

Quinque

Digitized by Google

Quinque pedes paſſum faciunt, paſſus quoque centum
Viginti quinis ſtadium ſi millia deſre
Octo dabunt ſtadia duplicatum dat tibi leuca.

Commiſſum igitur eſt prælium, & duravit à mane usque ad noctem, & ceciderunt ex utraque parte CLXXX. millia hominum: ita ut rivus ibidem defluens humili ripa prælabens peremtorum ſanguine provectus quaſi torrens factus eſt. Et quamvis in eo bello neuter ceſſit exercitus, conſtat tamen Attilam ſuperatum, cum altera die ſe inter plauſtra occultans ad bellum non erumperet: ſed in deſperationem cadens ex ſellis equitatoriis magnam pyram conſtrui fecit, intendens ſe flammis illarum, ſi inſtante bello iterum ſuccumberet, ſubitò concremare: ne quis de ſuo vulnere gaudere poſſet, nec etiam ipſe tantus rex alterius dominio ſubderetur. Ipſe tamen interim à turbarum clangore non ceſſans incurſionem minatur hoſtibus: & ut leo venabulis preſſus ſpeluncæ aditus obambulans, nec audet inſurgere, nec deſinit fremitibus vicina terrere, ſic bellicoſiſſimus rex ſuos victores turbabat incluſus. Sed quia Theodoricus rex Gothorum in eodem bello ceciderat, Thoriſmundus filius ejus major natu, pro obtinendo regno patris, feſtinavit ad propria: quod videns Attila ſuis collectis verſus Pannoniam repedavit. Deinde Attila iterum collecto exercitu vindicaturus ſe invadit Italiam: Et primo Aquilejam obſidens tertio obſidionis anno eam cepit, ſpe certa deſtructionis ipſius civitatis ex hoc concepta quod vidit ciconias, quæ pullos ſuos intra civitatem fovebant, ipſos de civitate ad campeſtria deportabant. Deinde cepit Veronam, Mediolanum & quam plurimas alias civitates Italiæ: quare Romani miſerunt ad eum Leonem Papam, & Triceſium præfectum & Avienum virum conſularem pro pace tractanda. Cum Leo Papa venit ad præſentiam Attilæ, ipſe Attila divino timore, prout ſuis poſtea retulit, correptus, precibus Leonis Papæ acquievit, à belloque ſuis præcipiens abſtinere ab Italia diſceſſit. Et poſt hoc cum quodam die vino nimium ſumto caloribus æſtuaret, noctu proprii ſanguinis fluxu ſuffocatus eſt. Hoc tempore acta eſt Synodus Chalcedonenſis ducentorum triginta Epiſcoporum juſſu Martiani Imp. in qua Eutyches & Dioſcorus cum aliis hæreticis iterum damnati ſunt.

Supradictis Hunorum bellis ferventibus, Britones imperio Romano ſubjecti, nimium à Scottis eorum vicinis depreſſi, ad Ætium patritium, ut eos ab incurſione hoſtium defenderet, legatos miſerunt. Qui ob bella alia occupatus, dum eis non deſtinavit auxilia, Britones ſtipendiarios de Saxonia conduxerunt: qui venientes ad Britanniam Scottos expulerunt, Sed tandem Saxones fertilitate patriæ & Britonum inertia conſideratis, ſumtaque occaſione, quod Britones de ſtipendiis ſibi non ſatisfeciſſent, ipſos Britones expulerunt, & totam inſulam tandem potenter obtinuerunt, & nunc iſti Angli nominantur. Unde venerabilis Beda, natione Anglicus, in eccleſiaſtica hiſtoria gentis Anglorum dicit: quod ex tribus fortioribus gentibus Germaniæ exercitus illorum, qui Britanniam obtinuerunt, fuit collectus, videl. ex Saxonibus ex Anglis, & ex Vitis. Et tamen Beda has tres gentes omnes communi nomine Saxones nominat, vel Anglos indifferenter: & declarans has gentes, dicit: Saxones, illos fuiſſe de provincia, quæ antiqua Saxonia dicitur: quos etiam diſtinguit in Orientales, Occidentales & Meridianos. Et hanc reor eſſe Saxoniam, quæ eſt inter Rhenum & Albiam: ita quod propinquiores Albiæ ſint Orientales, & propinquiores Rheno ſint occidentales: quæ quidem Saxonia ad differentiam Angliæ, quæ poſtquam Saxones eam obtinuerunt aliquandiu à quibusdam Saxonia nova dicebatur, dicta eſt antiqua Saxonia. Et ipſi Anglici longo tempore, & adhuc ab illis, qui nunc inſulam Britanniæ interioris inhabitant, appellati ſunt Saxones. Anglos autem dicit Beda fuiſſe de patria, quæ Anglia dicitur, & dicit eam ſitam inter Saxoniã & provinciam Vitarum. Unde hoc nomen gentile Vita omnino jam abolitum eſt, ita quod nec apparet veſtigium illius nominis in aliqua lingua habitantium inter Rhenum & Albiam Alemaniæ baſſæ, ſeu inferioris. Legi tamen in quadam Chronica, quæ proſequebatur progreſſum ſtirpis regum Franciæ, quod hæc gens tertia, quam Beda Vitas appellat, ſit gens Friſonum. Et illud ſatis concordat cum illo, quod Beda dicit: quòd Anglia eſt provincia inter Saxoniam, & partes Vitarum ſita. Ubi notandum, quòd quædam pars Saxoniæ Weſtphalia dicitur, prout ſuperius dictum eſt. Unde adhuc iſtos Weſtphalos Saxones appellant, & intra Weſtphaliam, in diœceſi Osnaburgenſi, & in finibus diœceſis Paderbornenſis,

eſt villa quædam, quæ dicitur Engere, ubi quondam ſedes Ducatus extitit, & jam verſo nomine juxta linguam Latinam dicitur Angaria, & Archiepiſcopus Colonienſis poſtquam ab Imperatore partem ducatus Saxoniæ obtinuit, prout infra dicetur, titulum illius Ducatus ſibi vendicavit, ita quod ipſe ſcribit ſe Ducem Angariæ. Duces igitur exercitus illius, qui de Saxonia in Britanniam profectus eſt, filii Ducis Angariæ, ſive de Engere fuerunt: quorum unus, ut dicit Beda, vocabatur Hengiſt & alter Horſa, quorum nomina quodlibet ſonat lingua vulgari equum regium, egregi roboris & decoris, quo principes maximè utuntur in haſtiludiis & torneamentis. Et inde forte eſt quòd arma quorundam Ducum Saxoniæ ſunt equus albus, quoniam ab antiquo talia arma à ſuis progenitoribus receperunt. Et ſic ab antiquo nomina principum cum nominibus armorum concordabant: Sicut adhuc in Weſtphalia nomina quorundam militarium cum nominibus ſeu vocabulis armorum ſuorum concordant. Ab iſtis ducibus, quaſi dignioribus, vel ſaltem eorum exercitu, ſucceſſu temporis, mutata R litera in L, omnes illi, qui Britanniam occupabant, lingua vulgari Engelſchen dicti ſunt, quamvis patria voce Engerſchen forent nominandi. Alii dicunt, quod Dux de Engere habuit unam filiam, quæ dicta fuit Engbele, prout adhuc multæ mulieres in partibus Weſtphaliæ nominantur, & in lingua Latina ſonat Angelus, ſeu Angela: & hanc unus de prædictis ducibus, videlicet frater ipſius, poſtquam alter frater poſt plurima bella ceciderat, regi Britanniæ copulavit in matrimonio: & ab illa regina poſtea omnes, qui de partibus ſuis venerant, & Britonibus aliis expulſis, aliis in ſervitutem redactis, Britanniam obtinuerunt, Anglici nuncupati ſunt. Et utrumque prædictorum verum eſſe poteſt abſque præjudicio veritatis alterius. Et legitur de prædictis in hiſtoria Romana: & ſcribit Beda ſimiliter. Anno Domini CCCCXC. vel circa, Ambroſius, qui ſolus Romanæ gentis Saxonum cædi ſuperfuit, purpuram induit: Victores Saxones, Britonum ducens exercitum, ſæpe ſuperavit: atque ex illo tempore, nunc hi, nunc illi, palmam habuerunt: donec Saxones, potentiores effecti, ipſam inſulam per totum obtinuerunt. Anno Martiani Imper ſexto: ab urbe condita M. CC. VIII. Nativitatis Domini CCCCLV. Roma capitur à Wandalis. Nam Valentinianus Auguſtus, contra Ætium patricium commotus, fecit eum in palatio interfici: & poſt hoc, quaſi mortis ejus innocens, amicos Ætii ſibi aſſociavit. Unde oportunitate capta, dum ipſe Valentinianus extra urbem ludis aſſiſteret, ab amicis Ætii confoſſus eſt. Quare ſequenti die Maximus vir gemini conſulatus & patriciæ dignitatis imperium ſumſit apud Romanos, Martiano apud Conſtantinopolim reſidente non requiſito. Inſuper Eudoxiam Auguſtam Valentiniani relictam viri amiſſionem lugere prohibuit, & ſibi in matrimonium conſentire coëgit. Quapropter ipſa miſit ad Genſericum regem Wandalorum in Africam, ut ad defenſionem ejus properaret: qui veniens cum maximo exercitu ipſum Maximum adventu ſuo terruit, ut ipſe ab urbe fugere omnino deliberaret: ſed priuſquam fugam caperet, à famulis regiis ſeptuageſimo die imperii adepti dilaniatus, & in Tiberim per fruſta conjectus eſt. Genſericus verò veniens ad urbem ſine reſiſtentia eam ingreditur, & eam bonis omnibus ſpoliavit: ſed ad preces Leonis Papæ divino nutu correptus ab igne & cæde atque ſuppliciis abſtinuit. Quatuordecim quidem diebus Wandali ſpolia collegerunt, deinde in Campaniam profecti, Capuam & cæteras civitates Campaniæ ceperunt, præter Neapolim, quam ob firmitatem capere non poterant, & omnia ſpolia cum multis captivorum millibus, nec non Auguſtam cum filiabus ſuis Carthaginem detulerunt. Et in eadem captivitate vidua quædam Nolanæ civitatis filium amiſit, cujus lacrymis Paulinus Epiſcopus Nolanus motus, cum precium, quo filium viduæ redimeret non haberet, ſeipſum homini barbaro vendidit, & precium ipſi viduæ, ut filium redimeret, tradidit. Barbari verò, cognita ejus ſanctitate, eum cum omnibus civibus ſuis tandem liberum dimiſerunt. Eodem anno, quo capta eſt Roma à Wandalis, Paſcha celebratum eſt ab Orientalibus VIII. Kalend Maji. Eo tempore Clodojen vel Clodius, quartus rex Francorum, genuit filium, qui Merowigus dictus eſt, & regnavit annis X. Cumque Ætius patricius eas partes, quas ipſi Franci circa Rhenum obtinuerant, ipſis armis abſtulerat: iſte Merowigis omnia recuperavit, & duxit exercitum in Galliam, & plurima loca occupavit. Et propter magnitudinem geſtorum ſuorum poſteri ejus aliquandiu à nomine ejus Merowigi dicti ſunt. Hoc tempore viguit Proſper homo Aqui-

Digitized by Google

Aquitanæ regionis, qui ſcripſit Chronica geſta à primo homine usque ad tempus, quo Roma à Gothis capta eſt.

Hucusque Proſper ſcripſit Chronicas: deinde Dionyſius.

CAPUT XXIV.

LEo imperavit annis XVII. Anno ejus I. Majorianus apud Ravennam favore exercitus occidentale ſumſit imperium & tertio anno apud Tudertum occiſus eſt. Et Severus apud Ravennam Imperator efficitur: & deinde tertio anno Romæ defunctus eſt. Poſt hoc Leo Imper. Anthemium virum patricium Romanis Imperatorem deſtinavit. Factæ ſunt autem diſcordiæ inter Anthemium & Richimorium patricium, quibus durantibus, Leo miſit ad urbem Olybrium. Et inter hæc Richimer Anthemium occidit, & Olybrius regiam poteſtatem adeptus eſt: & Placidiam filiam Valentiniani duxit uxorem: Sed poſtquam menſes VII. tenuit imperium mortuus eſt. Et iſte fortè eſt Olybrius qui beatam Margaretam martyriſavit. Ipſe enim de partibus ultramarinis, in quibus ex parte Imperatoris potens fuiſſe comperitur, ad urbem miſſus imperium adeptus eſt. Poſt mortem Olybrii Glycerius apud Ravennam plus præſumtione, quam electione ſe Imperatorem fecit. Contra quem Leo Imp. miſit Nepotem Marcellini filium, copulans ſibi neptem ſuam. Hic expulit Glycerium de regno, & in Dalmatia fecit eum fieri Epiſcopum. Poſt hoc Oreſtes magiſter militum Nepotem de regno fugavit, & filium ſuum Auguſtulum Ravennæ Imperatorem ordinavit. Iſtis temporibus apud Francos regnavit Hildericus filius Merowigis ſextus rex, qui Baſinam filiam ducis Thuringiæ accepit uxorem, & regnavit annis XVI. Circa hoc tempus Winuli, à quibus poſtea Longobardi proceſſerunt, poſtquam egreſſi jam fuerant de inſula Scanzia primum ſuper ſe regem conſtituerunt, AGELMUND nomine. Cum enim Winuli de prædicta inſula egreſſi duos ſuper ſe duces conſtituerant, videlicet, Iborem & Agionem fratres, finibus Wandalorum applicuiſſent bellum eis illaturi, mulieres ſuas capillos capitis ad mentum propendere fecerunt, & ſic ſe barbas habere ſimulantes, quas ipſi viri longas deferre ſolebant, mulieres quaſi viri viris intermixtæ pugnabant. Et deinde ab illis, quos bello aut ſuperabant, aut impetebant, à longis barbis Longobardi appellati ſunt: quod nomen ipſi à Mercurio, quem Godon appellabant, & pro Deo coluerunt dum adhuc gentiles eſſent, ſibi impoſitum gloriabantur, ejuſque ope primam victoriam contra Wandalos obtinuiſſe credebant. Alter ducum prædictorum videl. Agio genuit filium, qui dictus eſt Agelmund, quem Longobardi, ut dictum eſt, regem ſibi conſtituerunt. Cujus temporib. quædam mulier uno partu VII. pueros enixa eſt, quos omnes projecit in piſcinam: unde rex Agelmund tranſitum circa piſcinam faciens, miſeros aſpicit vagientes infantes. Retento igitur equo, cui inſidebat, haſta quam manibus tenebat eos revolvit: quorum unus ſtatim haſtam regis manu comprehendit, quod rex admiratus eum levari præcepit, magnumque eum pronuncians futurum in filium adoptavit. Et ille poſt mortem Agelmund rex Longobardorum factus eſt. Et deinde Longobardi per diverſas provincias ſub diverſis regibus bellorum ſævitia ſe conferentes, tandem in Pannonia cum Avaribus, qui & Huni dicti ſunt, pacem faciendo reſederunt, regnante apud eos Albuin decimo rege eorum, qui poſtea duxit exercitum eorum in Italiam, prout infra patebit. Leo Imper. ſentiens ſe morti vicinum, Leonem filium filiæ ſuæ ordinavit Imperatorem, & poſt rebus exceſſit humanis: Hic Leo, cum puer adhuc eſſet, patri ſuo Zenoni dimiſit Imperium, & poſt hoc ſtatim mortuus eſt. Iſtis temporib. Veneti corpus S. Marci armata manu de Alexandria Venetias tranſtulerunt, & eccleſiam valde decoram in honorem ejus ædificaverunt. Poſt hoc Odoacer rex Turcilingorum, ſeu Herulorum, Italiam invaſit, & Oreſte occiſo, filium ejus Auguſtulum in Lucano Campaniæ caſtello exſilii pœna damnavit. Sicque Imperium Romanæ gentis & Auguſtalis illa ſublimitas, quæ ab Auguſto Octaviano quondam cœpta eſt, cum hoc Auguſtulo periit, anno ab V. C. MCCXXIIX. à C. Cæſare DXXIV. Gothorum regibus dehinc Romam tenentibus.

Zeno natione Iſaurus, imperavit annis XVI. Hujus temporibus Theodomer rex Oſtrogothorum, dum cum filio Theodorico Illyricum Thraciaſque vaſtandas intraſſet, rebus exceſſit humanis. Theodoricus verò Zenonis Auguſti humanitate pellectus, venit Conſtantinopolim: ubi effectus magiſter militum & conſul, à Zenone con-

Digitized by Google

contra Odoacrem regem in Italiam eſt directus, commendato ſibi ſenatu populoque Romano. Theodoricus igitur veniens in Italiam Odoacrem magnis prælliis fatigatum Ravennæ cepit, & jugulavit: ipſeque regnum Romanorum per annos xxx. tenuit. Hoc tempore Clodovæus rex Francorum, filius Hilderici regnat, & Galliam uſque ad Sequanam ſibi ſubdit. Et hic habuit ſub ſe Thuringiam, Franconiam ſeu Franciam orientalem, & Franciam occidentalem, quæ nunc Gallia eſt in magna parte. Iſte recepit uxorem Dochilt nomine filiam Chilperici regis Burgundiæ, quæ fuit Chriſtiana & multum apud eum inſtitit, ut fidem Chriſti ſuſciperet quod ipſa tandem obtinuit. Item Euricus Weſegothorum rex poſt mortem fratris ſui totam Galliam & Hiſpaniam ſuæ ditioni ſubdere nititur. Uxor Zenonis Imperatoris eo mortuo Anaſtaſium maritum accepit, & eum ſic fecit Imperatorem.

Caput XXV.

Innocentius I. natione Albanus, ſedit annos xv. Hic ſcripſit Decretum Occidentalium & Orientalium eccleſiarum adverſus Pelagianos datum, quod poſtea Zoſimus Papa latius promulgavit. Hic ſtatuit pacis oſculum dari in Miſſa, & oleo uti infirmorum. Hoc tempore floret Alexius Romæ. Iſte Innocentius excommunicavit Arcadium Imper. eò quod conſenſit, quòd Io. Chryſoſtomus de ſede ſua deponebatur, eò quòd prædicavit contra Eudoxiam uxorem ſuam, videlicet, quod circa imaginem ſuam quam erexerat, mulieres & puellas ludere compellebat, quod Chryſoſtomus Idololatriæ vicinum eſſe dicebat. Hic Innocentius ſtatuit ſabbato jejunari: quoniam diſcipuli Domino poſito in ſepulcro jejunabant.

Zoſimus natione Græcus, ſedit annos III. Hic ſtatuit, ut ſervus nullo modo fieret clericus, & ut ſabbato ſancto cereus benediceretur: qui Chriſtum deſignat, qui baptiſatos præcedit, ſicut columna ignis præceſſit filios Iſraël in deſerto poſt maris rubri tranſitum: & ſtatuit, ut nullus clericus potum in publico vendat.

Bonifacius natione Romanus, ſedit annos IV. Contra hunc Bonifacium electus eſt Eulalius: & factum eſt ſchiſma menſibus VII. diebus XV. Quòd videns Placidia Auguſta apud Ravennam, miſit Mediolanum ad Honorium Auguſtum hoc ſibi nunciando. Quare mandavit Honorius utrumque ab urbe diſcedere: ſed Eulalius contra mandatum Imperatoris Paſcha celebravit in urbe: quare expulſus eſt, & Bonifacius reſtitutus.

Cœleſtinus natione Romanus, ſedit annos IIX. Hic ſtatuit ut Pſalmus, Judica me Deus &c. dicatur ante Miſſam, & nulli negetur pœnitentia in extremis.

Sixtus III. natione Romanus, ſedit annos IIX. vel IX. Hujus temporibus Eudoxia uxor Theodoſii reliquias S. Stephani, & catenam qua S. Petrus ab Herode vinctus fuit in carcere, ab Jeroſolymis Romam adduxit. Sixtus infamatus à quodam Baſſo, purgavit ſe in Synodo LVI. epiſcoporum, ſecundum alios, vel, ut alii tradunt, CCLXVI. & damnatus eſt Baſſus ab eccleſia, & ab Imperatore Valentiniano omnibus bonis ſpoliatur, quæ eccleſiis conferuntur. Eo tempore Polytronius epiſcopus Jeroſolymitanus univerſalem ſe Pontificem affirmabat, quem propter hoc Sixtus Papa depoſuit: ad rogatum tamen civium ſuorum poſtea eum reſtituit.

Leo I. natione Tuſcus ſedit annos XXI. & dies XVII. Hic prius erat Diaconus, & Sixto decedente in Galliis legationis officio fungebatur, & vacavit ſedes per XL. dies donec ipſe publica legatione vocatus Romam rediit. Hic addidit canoni, Sanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam. Hic Leo ſæviſſimos tyrannos mitigavit videlicet Attilam regem Hunorum & Genſericum regem Wandalorum, prout ſupra dictum eſt. Ipſe petiit ab Imperatore congregari concilium Chalcedonenſe, & perſcripſit diverſas epiſtolas pro corroboratione fidei Catholicæ ad diverſos principes: ad Martianum Aug. epiſtolas XII. ad Leonem Aug. epiſtolas XIII. ad Fabianum epiſcopum IIX. ad diverſos epiſcopos orientales epiſtolas XIIX.

Hilarius natione Sardus ſedit annos VI. menſes III. Eo tempore, Leone regnante apud Conſtantinopolim, Arturus rex Britanniæ magnæ famoſitatis regnavit: & Franciam, Flandriam, Norwegiam & Daciam cæteraſque marinas inſulas ſua probitate ſibi ſervire coegit. Eo tempore apud Conſtantinopolim quidam pictor erat, qui cum imaginem ſalvatoris ad ſimilitudinem Jovis depingere præſumſiſſet, arefacta eſt manus ejus, & poſtea dum pœnituit, ſanatus eſt.

Simpli-

Digitized by Google

Simplicius natione Tiburtinus, ſedit annos xv. Hujus temporibus corpus S. Barnabæ & Evangelium S. Matthæi ipſius ſtylo ſcriptum, eo revelante, inventa ſunt.

Felix natione Romanus ſedit annos iix. menſes xi. dies xxvii. Hic Achacium Conſtantinopolitanum & Petrum Alexandrinum epiſcopos, eo quod in Eutychis hæreſin declinaverant, excommunicavit.

Gelaſius natione Afer, ſedit annos iv. menſes iix dies xiix. Hic libros contra Eutychen & Neſtorium compoſuit. Ipſe annotavit, quæ ſcripturæ ſint recipiendæ, & quæ cui ſint præferendæ in eccleſia, & quæ ſcripturæ tanquam apocryphæ ſint reſpuendæ. Ejus etiam temporibus inventa eſt Crypta S. Michaelis in monte Gargano.

Anaſtaſius ii. natione Romanus, ſedit annum i. menſes xi. dies xxiii. Hic ſtatuit, ut nullus clericus ira vel rancore prætermittat officium præter Miſſam. Item voluit revocare Achacium etiam poſt mortem: qui propter hæreſin per prædeceſſores ſuos erat damnatus. Quapropter Anaſtaſius ab eccleſia reprobatus eſt, & nutu divino percuſſus eſt, ita, ut dum egerere voluit, inteſtina emiſit.

Caput XXVI.

Anaſtaſius Imperator imperavit annis xxiix. Hic ab Ariagne Auguſta uxore Zenonis receptus in virum, Imperator efficitur. Iſtis temporibus Lodewicus, qui prius dictus erat Clodovæus rex Francorum magnam partem Germaniæ & Galliæ ſuæ ditioni ſubjugavit. Ipſe enim inſtante uxore ſua, fidem Chriſti ſuſcepit, & à beato Remigio epiſcopo Rhemenſi baptizatus eſt cum tribus millibus gentis ſuæ, & deinde Ludewicus vocatus eſt. Licet enim partes illæ Galliarum, quæ nunc Francia nominantur, longe ante illa tempora fidem Chriſti ſuſceperant: poſtea tamen peccatis hominum exigentibus, permiſit Deus paganos illas partes occupare. Quoniam Franci usque ad illa tempora pagani fuerunt, qui partes illas armis obtinuerunt Iſtis temporibus Traſamundus rex Wandalorum Catholicas eccleſias clauſit in Africa, & ducentos viginti epiſcopos in Sardiniam inſulam exſilio relegavit. Dum quidam Arrianus, Olympius nomine, in Africa in balneo lavaretur, & indigna quædam & blaſphema de ſanctæ Trinitatis fide verba evomeret, vehementi ſubitò ignito cœlitus jaculo viſibiliter combuſtus eſt. Anno xiv. Anaſtaſii factum eſt bellum inter Tatonem Longobardorum regem, & Rudolphum regem Herulorum: in quo bello Rudolphus interemtus eſt, atque jam ex illo tempore omnis virtus Herulorum concidit, ut ultra ſuper ſe regē non haberent. De iſtis Herulis legitur in geſtis Longobardorum: quòd ipſi ſoliti erant pugnare nudis corporibus, tantum habentes fæmoralia, ut agiliores eſſent. & viderentur vulnera non curare. Et de ipſis dicit Jordanus epiſcopus, quòd fuerunt gentes non longè à finibus Pannoniæ habitantes. Anno xv. Anaſtaſii apud Conſtantinopolim propter hæreſim Eutychianam tanta eſt orta diſcordia, ut populus Anaſtaſium Imp. ejusdem hæreſis fautorem reſpueret, & Vitalianum ſuper eum eligeret. Lodewicus rex Francorum poſtquam regnavit xxx. annis obiit: & quatuor filii ejus videlicet Theodoricus, Clodomirus, Hildebertus & Clotharius regnum æquo ordine inter ſe diviſerunt. Anno xxiv. Anaſtaſii Clodomirus rex cum Francis in Burgundia contra Sigismundum & fratrem ejus Godimerum bellum inſtaurat, & Sigismundum ad monaſterium ſanctorum Agaunenſium martyrum fugientem, captum cum uxore & liberis interfecit. Godimerus verò terga vertens latuit, & poſtea reſumtis viribus regnum Burgundiæ tenuit. Avitus verò abbas prædixit Clodomiro illud quòd fecit Sigismundo, ſeipſum paſſurum. Unde ſequenti bello capite truncatus eſt, & cæſa ſunt cum eo Francorum xxx. millia, ſed anno ſequente videlicet Nativitatis Domini dxvii. Franci ſuperatis Burgundionibus patriam eorum ſibi omnino ſubjiciunt. Hoc tempore S. Fulgentius epiſcopus eccleſiæ Ruſpenſis, natione Afer, clarus habetur. Anaſtaſius Imp. fulmine percuſſus interiit.

JUSTINUS imperavit annos octo. Hic anno imperii ſui ſexto mandavit omnes eccleſias Arrianorum Catholica religione conſecrari; quòd audiens Theodoricus rex Gothorum, qui exiſtens Arrianus tenuit Italiam, miſit Johannem Papam, & cum eo Theodoricum, Hypatium, & Agapitum viros conſulares, & alium Agapitum patricium Conſtantinopolitanum ad Juſtinum Imp. dicens, quòd ſi eccleſiæ Italiæ deberent ita conſecrari, ipſe totam Italiam vellet devaſtare. Johannes igitur Papa veniens Conſtanti-

ſtantinopolim ab Imperatore benignè ſuſceptus eſt, &, ut decuit, cum reverentia magna. Et Imperator magno gaudio repletus, quòd temporibus ſuis meruit vicarium beati Petri ſuſcipere, ab ipſo Johanne Papa coronatus eſt. Cùm Papa legationis ſuæ cauſſam Imperatori notificavit, Imperator conſentire renuit, ſed utique eccleſias omnes ab Arrianis fœdatas, juxta priùs edictum voluit conſecrari: tandem tamen Imperator timens eccleſiæ Romanæ & totius Italiæ deſolationem, quamvis invitus, conſenſit. Et interim Theodoricus Symmachum exconſulem & patricium, & Boëthium Senatorem & exconſulem, viros Catholicos, gladio Ravennæ, quò eos in exſilium relegaverat, trucidavit. Hic eſt Boëthius, qui in eodem exſilio fecit librum de conſolatione Philoſophiæ: & iſte Symmachus eſt ſocer Boëthii, de quo idem Boëthius mentionem facit in eodem libro. Cum autem Johannes Papa de Conſtantinopoli Ravennam, quà ipſe Theodoricus reſidebat, reverſus eſt, à Theodorico eò, quòd ipſe tanquam vir Catholicus, & hæreſi Arrianæ contrarius, ab Imperatore ſuſceptus fuerat, eſt miſſus in carcerem, in quo & mortuus eſt. Et poſt hoc nonageſimo nono die Theodoricus ſubitanea morte defunctus eſt, regnum relinquens Athalarico nepoti ſuo. Et quidam Solitarius, vir magnæ virtutis, vidit Johannem Papam & Symmachum in medio ſui animam Theodorici deportari & detrudi in ollam Vulcani, hoc eſt, barathrum montis illius ardentis in Sicilia, de quo ſuperius dictum eſt. Hildericus rex Wandalorum epiſcopos ab exilio reverti, & eccleſias inſtaurari præcepit poſt annos LXXIV. hæreticæ profanationis. Cabades rex Perſarum filium ſuum Phatuarſan Manichæum & multa millia Manichæorum una die peremit. Juſtinus Imp. quarto menſe ante obitum ſuum Juſtinianum nepotem ſuum ex ſorore ſua natum, conſortem, & ſucceſſorem regni recepit.

CAPUT XXVII.

JUSTINIANUS imperavit annis triginta octo. Iſtis temporibus Longobardi veniunt in Pannoniam, & habitant ibi.

Juſtinianus eccleſiam miræ magnitudinis CHRISTO JESU Domino noſtro Conſtantinopoli ædificavit: & non eſt navis tam magna, quin omnibus velis ſuis extenſis poſſet ſe liberè vertere in ea: & quia CHRISTUS eſt ſapientia patris, & σοφία Græcè ſapientia dicitur, iſta eccleſia, eccleſia S Sophiæ dicta eſt. Hoc tempore Athalarico rege Gothorum intra Italiam mortuo, Amalaſuntha mater ejus Theodatum conſobrinum ſuum regno præfecit: qui eam non longè poſt beneficii immemor in balneo fecit ſtrangulari. Quod percipiens Juſtinianus ægrum concepit animum contra Theodatum. Inter hæc Juſtinianus anno VII. imperii ſui miſit Beliſarium patricium virum ſtrenuum in Africam, cum exercitu magno contra Wandalos. Ubi parta victoria Beliſarius regem eorum cepit, & ad Imperatorem Conſtantinopolim miſit, poſtquam Wandali dominabantur Africæ annis XCVI. Deinde Beliſarius reverſus cepit Siciliam, Gothis Syracuſam inſidentibus in deditionem receptis. Quod audiens Theodatus miſit Evermund generum ſuum ad fretum Siculum, quod interjacet inter Calabriam & Siciliam, contra Beliſarium: ſed Evermund videns proſperitatem Beliſarii, dedit ſe in partem ipſius. Deinde Beliſarius veniens Neapolim, non eſt intromiſſus: quare circumvallata ea ceperunt ipſam nocte per aquæductum, & interfectis rebellibus civitatem ſpoliavit: ſed poſtea à Papa Silverio correptus de hac crudelitate, ipſam reformavit. Et tunc Neapolis regebatur per officiales Papæ argumento illius c. ſumma militiæ 23. q. 1. & c. ſi cuſtos 27. quæſt. 1. & c. ſequente. Poſt hæc Witiges armiger Theodati ipſum Theodatum curavit occidi, & regnum invadens, repudiata uxore privata, regiam puellam Theodorici neptem ſibi copulat, vi tamen plus quam amore: & deinde miſit exercitum contra Beliſarium uſque Peruſium, ipſe verò Ravennæ remanebat. Beliſarius autem de exercitu Witigis plus quam ſeptem millibus proſtratis, reliquos Ravennam uſque perturbat. Witiges igitur ut leo fremens, omnium Gothorum congregata virtute, Ravenna egreſſus Romam properat, ipſosque Romanos obſidione longa fatigat: ſed Beliſarius poſt menſes XIV. eum amovit, & uſque Ravennam perſequens ipſum, Ravennæ obſidione concludit: tandem ipſe Witiges, cùm prævalere non poterat, in deditionem ſuſceptus, cum uxore & opibus regiis ad Juſtinianum per Beliſarium perductus eſt. Et ſic famoſum regnum Gothorum diſſolutum eſt, poſtquam penè duobus millibus ac trecentis duraverat annis. Poſt hoc

Digitized by Google

hoc Gothi, qui trans Padum in Liguria conſiſtebant, ad bella conſurgunt, & quendam Hildebaldum regem conſtituunt, qui poſt hoc vix anno completo interfectus eſt, & ſuccedit ei Erarius, qui etiam vix anno completo interemtus eſt. Et deinde ſurrexit Badiula nepos Hildebaldi, qui & Totila dictus eſt, qui apud Faventinum opidum Romanum, ſuperans exercitum Romanum invaſit: contra quem veniens Beliſarius navali claſſe à Sicilia vicit eum in portu Romano: ita quod Totila cum paucis evadente, plures de Gothis Tiberi ſubmerſi ſunt, quàm gladiis occiſi. Deinde poſtquam Beliſarius evocatus eſt à Sicilia, Totila reſumtis viribus capit Siciliam, deinde Romam, & quaſi totam vaſtat Italiam. Eo tempore quidam diſcipuli S. Benedicti dixerunt ad eum de iſto Totila: Pater iſte rex forte deſtruet urbem Romanam: quibus S. Benedictus reſpondit: Roma non deſtruetur à gentibus, ſed in ſeipſa marceſcet. Anno XV. Juſtiniani apud Conſtantinopolim Hypapanti domini, quod dicimus feſtum purificationis Mariæ, cœpit celebrari: quoniam nimia ibidem peſtilentia fervebat. Anno Juſtiniani XVII. apparuit quidam in Italia Andreas nomine per villas diſcurrens, habens ſecum canem rufum & cæcum, qui juſſus ab eo faciebat miracula. Cùm enim ipſe ſtaret in foro, & multitudo hominum eum circumſtaret, collectis annulis cujusque metalli circumſtantium, unicuique ſuum annulum proprium reddidit, & interrogatus oſtendit in utero habentes, fornicarios, adulteros, & avaros: & omnia in veritate. Eodem anno factus eſt terræ motus per univerſam terram. Juſtinianus poſt hæc miſit Narſem eunuchum contra Totilam, qui Totila occiſo, & univerſo penè exercitu Gothorum deleto, totam Italiam ad reipublicæ jura reduxit. Juſtinianus Imperator circa principium regni ſui per Agapitum Papam ab errore revocatus leges condidit, & confirmavit Codicem & Digeſta. Ipſe etiam quoſdam libros de Incarnatione Domini edidit per ſeipſum, quos per diverſas provincias miſit.

JUSTINUS imperavit annis XI. Hujus uxor SOPHIA malè informata à Romanorum legatis de regimine Narſis patricii, quod geſſit in Italia levitate fœminea ei mandavit inter cætera, quod ipſe cum puellis lanam trahere potius deberet, cum eſſet Eunuchus, quam rempublicam gubernare. Ad quæ Narſes fertur reſpondiſſe: Talem ſe orditurum telam, qualem ipſa dum viveret, deponere non poſſet. Et ſic odio metuque exitatus Neapolim ſecedens legatos ad Longobardos in Pannoniam dirigit, mandans ut paupertina Pannoniæ rura deſerant, & ad Italiam cunctis divitiis abundantem veniant, eam in poſſeſſionem recepturi. Unde Albuin rex Longobardorum mittit ad univerſos ſuos vetulos Saxones, ut ſecum veniant Italiam poſſeſſuri. Quare Saxones plusquam XX. millia virorum cum uxoribus & parvulis venerunt ad Longobardos, & Longobardi una cum Saxonibus verſus Italiam properant.

Illotarius octavus rex Francorum genuit filium, qui dictus eſt Chilpericus & regnavit annis XII. Sub quo Carolomanus unus de optimatibus ſuis ſubegit Brabantiam, & loca circumvicina, & appellatus eſt princeps. Iſte Carolomanus genuit filium, qui dictus eſt Pipinus, à quo proceſſerunt Duces Brabantiæ. Hic Pipinus promeruit dignitatem Ducatus, & propter ſtrenuitatem ejus gladius regius regni Franciæ ſibi traditus eſt. Chilpericus nonus rex Francorum genuit filium, qui Lotharius dictus eſt.

CAPUT XXVIII.

Tiberius II. imperavit annis VII. Hic Chriſtianiſſimus & erga pauperes piiſſimus, theſauros ſuos pauperibus erogavit, & cum eum ex hoc Auguſta argueret, reſpondit: Confido in Domino, quod fiſco noſtro non deerit pecunia, ſi de his, quæ Dominus nobis contulit, eleemoſynam faciemus. Unde accidit, quod dum ipſe Imperator quadam vice in Palatio deambularet, vidit in quadam tabula marmorea pavimenti ſignum crucis, juſſit tabulam illam levare, aſſerens indignum crucem pedibus conculcari, invenit aliam conſimilem, & deinde invenit tertiam, qua levata maximum invenit theſaurum.

Hujus temporibus Longobardi ceperunt Italiam. Ceperunt enim omnes civitates, & omnia caſtra Liguriæ, & Ticinum, quæ Papia dicitur triennio obſederunt: qua capta ibidem ſedem regni ſtatuerunt. Rex vero Albuin, poſtquam regnavit in Papia tribus annis uxoris ſuæ inſidiis interiit, quæ fuerat filia regis Gepidorum, quem ipſe Albuin Gepidis deletis in bello occiderat. Unde Gothi, Hypogothi, Gepidi & Wandali ſunt diverſi in vocabulis, ſed eadem lingua utuntur, videlicet lingua

Digitized by Google

Sclavica, ſicut Moravi, Poloni, Wandali & Slavi. Cum igitur ALBUIN rex Longobardorum Cunimundum regem Gepidorum patrem uxoris ſuæ in bello occiderat, ipſe de capite ejus fecit poculum fieri, cujus poculi genus apud Longobardos Schale dicebatur: prout adhuc apud Saxones nominatur, & apud Italos patera dicitur: Et filiam ipſius regis, Roſimundam nomine, captam duxit uxorem. Cumque rex Albuin quadam die lætus in convivio miſiſſet reginæ poculum prædictum dicens, ut ipſa biberet cum patre ſuo: ipſa erga regem ægrum concepit animum, & quendam virum fortem, ipſius regis armigerum, Helmigiſium nomine, ſub condicto, videl. quod ipſa reciperet eum in Maritum, clam ſollicitat in mortem regis conſentire. Sed iſte primò renuit, aſſerens ſe timere Peredeum virum valde ferocem, & regi familiarem. Quapropter regina in lectum veſtiariæ ſuæ, cum qua Peredeo conſuetudo ſtupri fuerat, nocte ſe poſuit: & ſic Peredeus credens ſe accedere amicam ſuam neſcius cum regina concubuit, atque ita regina Peredeo manifeſtata, ipſum in mortem regis conſentire coëgit. Regina Peredeum inſtigante, ipſe regem in meridie dormientem invadit. Rex igitur intelligens ſibi malum imminere, gladium apprehendit: ſed cum ligatus fuerat ad vaginam ex induſtria, ipſum extrahere non valuit, & ſtatim occiſus eſt. Cumque Longobardi Dominum ſuum regem tentabant vindicare, regina cum Helmigiſio & Peredeo, ac filia ſua Albuſuinda, nec non cum theſauro regio ad Longinum præfectum Imperatoris Ravennam per Padum navigio deſcendendo fugit. Quo cùm veniſſet Longinus eam gratanter ſuſcipiens ſuaſit ei, ut Helmigiſum veneno occideret, & ipſe reciperet eam in uxorem. Ipſa conſentit, & cùm Helmigiſus de balneo exivit, ipſa poculum veneno infectum ei miniſtrat, affirmans potum illum poſt balneum eſſe ſalubrem. Helmigiſus bibit, & ſtatim mortem ſe bibiſſe ſentit: quare ſubitò gladio arrepto ipſam reſiduum ipſius poculi ſorbere coëgit: & ſic, ut dignum fuit, mutua potione ceciderunt. Et Longinus præfectus Albuſuindam filiam ejus cum theſauris regiis ad imperatorem Conſtantinopolim deſtinavit. Poſt hoc Longobardi regem elegerunt nomine Tephoſen, vulgari lingua Cleph, qui poſt annum cum dimidio à famulo ſuo interfectus eſt. Et deinde Longobardi x. annis ſub ducibus fuerunt. Habuerunt enim xxx. duces, qui ſibi maximam partem Italiæ ſubjugabant, & Romanos coëgebant, quod tertiam partem frugum eis ſoluerunt.

CAPUT XXIX.

MAuricius imperavit annis xxi. Nono anno imperii ejus quædam mulier paupercula peperit puerum non habentem oculos, nec palpebras: & à lumbis erat ei ut cauda piſcis naturaliter adhærens: quem videns Imperator juſſit occidi. Item xiii. anno ejus naſcuntur prodigia in ſuburbanis Byzantii, videlicet, puer quadrupes, & alius habens duos vertices. Dicunt autem hi, qui hiſtorias diligenti ſtudio ſcribunt, non ſignificari bona civitatibus, in quibus naſcuntur hujuſmodi monſtra. Sub hoc Mauricio Lotharius decimus rex Francorum, filius Chilperici, cœpit regnare, & regnavit annis xliv. & regnum ejus erat in magna parte in partibus circa ortum Danubii, ſcilicet in Suevia & habuit Franconiam & Turingiam. Ipſe debellabat Saxones, & quemcunque virum cepit, qui longior erat gladio ejus, illum decollavit. Poſtquam Longobardi per x. annos ſub poteſtate Ducum fuerunt, tandem communi conſilio Autharium filium Clephonis, regem ſibi conſtituunt. Hic per Spoletanam vallem ac Beneventanam tranſiit ipſamque regionem cepit, & usque Rhegium ultimam civitatem Italiæ pervenit. Saxones qui cum Longobardis Italiam intraverant, nolentes Longobardis ſubjici, nec à Longobardis in proprio jure permiſſi ſubſiſtere, ad proprias ſedes repedare propoſuerunt. Qui poſt itineris diverſa pericula, dum ad Saxoniam pervenerunt, invenerunt regionem ipſam à Suevis & aliis gentibus occupatam: quos reges Francorum ibi poſt receſſum Saxonum locaverant. Quos dum Saxones nitebantur expellere, illi pacem appetentes, Saxonibus obtulerunt tertiam partem regionis, ut ſimul habitarent cum Saxonibus. Hoc recuſantibus obtulerunt eis mediam partem regionis: nec dum Saxonibus contentis, obtulerunt eis duas partes regionis, tertia tantum volentes eſſe contenti. Nec adhuc volentibus acceptare obtulerunt eis pecora cum terra, tantum ceſſarent à bellis. Saxonibus hæc omnino recuſantibus bellum inſtauratur, & cæſa ſunt Saxonum xx. millia & Suevorum vi. millia quadringenti octoginta: & Suevi campum obtinuerunt. Superfuerunt igitur

Digitized by Google

igitur Saxonum VI. millia, qui voverunt neque barbam neque capillos ſe inciſuros, donec ſe de Suevis vindicarent. Quare iterum bellum committentes Saxones in tantum attriti ſunt, quod poſtea quieſcentes ſimul habitabant. Hinc arbitror eſſe, quod dicitur in legibus Saxonum, quòd Marchio Brandenburgenſis: Marchio de Myſen: Dux de Brunſchwick: Comes de Anhalt: Comes de Werningerode: Comes de Arnſtein: Comes de Hamersleve, & advocatus eccleſiæ Halberſtadenſis, ac alii quidam nobiles ibidem expreſſi, habitantes in partibus Saxoniæ ſunt ab antiquo natione Suevi, & alii quidam, in eiſdem nominati, ſunt ab antiquo Saxones. Mauritius Imper. Hildeberto ſeu Hilderico regi Francorum, filio Lotharii, promiſit dare per legatos L. millia ſolidos aureorum, & tandem ſolvit eoſdem, ut ipſe exterminaret Longobardos de Italia. Qui veniens in Italiam cum exercitu magno, receptis muneribus pacem fecit cum Longobardis, & poſt hoc filiam ſuam regi Longobardorum promiſit dare in uxorem, quod tamen factum non eſt. Poſt hoc idem rex Francorum requiſitus ab Imperatore ſemel & bis cum exercitu magno venit contra Longobardos, nec potuit eos expugnare. Poſt hæc Autharius rex Longobardorum poſtulavit in matrimonium Teudelindam regis Bajoariorum, quæ cum à patre ſibi promiſſa eſſet, ipſe rex ſub ſpecie unius legatorum ſuorum eam viſitavit: & ea viſa per partes Noricorum reverſus eſt in Italiam. Unde provincia Noricorum, ex deſcriptione confinium, quam Paulus facit in geſtis Longobardorum, (*Lib. 3. cap. 31.*) eſſe videtur Auſtria cum Styria & Carinthia: quia dicit, quod habet ab oriente Pannoniam, id eſt, Ungariam: Danubium à ſeptentrione: à meridie Italiam, & ab occidente Sueviam: Unde patet, quod provincia Noricorum tunc erat de pertinentiis Bajoariæ, quæ nunc corrupto nomine Bavaria dicitur. Alii dicunt, quod Auſtria fuit de partibus Pannoniæ, & poſtquam Carolus M. debellavit Hunos in Pannonia, ipſe partes Auſtriæ abſtulit Pannoniæ, & adjecit eam regno Teutoniæ, & fecit eam Ducatum. Et quia ibi finis regni Teutoniæ verſus orientem conſtitutus eſt, cum in ea idioma Teutonicum finiatur verſus orientem, Auſtria ab oriente, quoniam oriens Oſter lingua Teutonica dicitur, & non ab Auſtro nominata eſt. Poſt mortem Autharii regis Longobardorum Teudelinda uxor ſua, videlicet filia regis Bajoariæ, de conſenſu Longobardorum elegit in virum Agiulfum ſeu Arnulfum ducem, & conſtituit eum regem. Iſte Agiulfus rex Longobordorum, ad inſtantiam Teudelindæ uxoris ſuæ, cum beato Gregorio & Romanis, poſt guerras multas, pacem fecit. Et quia hæc pax in die Gervaſii, & Prothaſii facta eſt, beatus Gregorius officium miſſæ illius diei fecit de Pace: Unde Introitus miſſæ incipit: Loquetur Dominus pacem in plebem ſuam. Poſt hoc beatus Gregorius plures epiſtolas ad Teudelindam reginam direxit, hortans eam ſolicitè, ut maritum regem ad ſuſcipiendam fidem Chriſtianam inſtanter hortaretur. Et finaliter ſuis epiſtolis hortatus eſt ipſum regem, ut fidem Chriſti ſuſcipere non recuſaret. Rex igitur his motus tandem cum Longobardis fidem Chriſti ſuſcepit, & baptizatus eſt. Beatus Gregorius in homilia ſuper Evangelio: Erunt ſigna in cœlo &c. hujus cladis, quam Longobardi Italiæ intulerunt, memor dicit, priuſquam Italia gentili gladio traderetur ferienda, igneas acies in cœlo videlicet aëreo vidimus. Unde ſæpiſſimè hujuſmodi clades generales portenta præcedunt, prout ſuperius patuit etiam, circa ſubverſionem Ieroſolymorum factam à Tito. Idemque legitur in II. libro Macchabæorum circa futuram deſolationem templi & civitatis ejuſdem, quam fecit Antiochus. Iſtis temporibus Guntramus unus de regibus Francorum, cum quadam vice poſt venationem ſopori ſe dediſſet, egreſſum eſt de ore ſuo animal parvum ad modum reptilis, quod ad rivulum quendam prope decurrentem veniens ſubſiſtebat, & hinc inde divertens tranſitum quæſivit: quod videns famulus regis ſpatam ſuam exemtam de vagina, per rivulum ei ſuppoſuit: & reptile illud per rivulum ſic tranſiens ſuper ſpatam ad montem propè exiſtentem properat, ac cavernulam quandam montis intrat. Deinde revertens ad rivulum, tranſito ut prius rivulo, ad regem properat, & in os ejus regreditur. Expergefactus igitur rex dixit famulo: viſum ſibi fuiſſe in ſomnis, quòd per pontem ferreum ſuper fluvium tranſiſſet in montem quendam, in quo aurum multum vidiſſet: Et famulus regi quod videret indicavit. Quare rex mandat fodi in illo loco, in quo famulus reptile illud montem intraſſe viderat, & inventus eſt ibi theſaurus permaximus; de quo rex plura fieri fecit eccleſiarum ornamenta. Iſtis temporibus Perſæ re-

Digitized by Google

gem ſuum Hormisdam capiunt, & depoſitum in carcerem dimittunt, ac filium ejus Choſroen conſtituunt, qui patrem occidit in carcere. Quare Perſæ expulerunt eum de regno: ipſe verò fugit Conſtantinopolim ad Mauritium Imp. qui eum virtute bellica in regnum reſtituit. Hoc tempore tunica Domini, quæ tempore paſſionis ſublata fuit, & indiviſa permanſit in civitate Zafac, haud procul à Ieroſolymis in arca marmorea poſita invenitur. Poſt hæc Phocas centurio Mauricium Imp. cepit, & ipſum cum quinque filiis decollavit, atque poſtea imperavit.

Caput XXX.

Symmachus Papa natione Sardus ſedit annos xi. menſes iix. Cum iſto Symmacho per contentionem ordinatus eſt Laurentius: unde clerus & populus diviſus eſt: hinc homicidia & rapinæ patratæ ſunt per tres circiter annos, donec Theodoricus rex Gothorum, qui ex parte Imperatoris regebat Italiam, veniens, quamvis Arrianus eſſet, facta Synodo, Symmachum inthroniſari præcepit. Symmachus autem intuitu miſericordiæ Laurentium in Nuceria civitate facit epiſcopum. Symmachus Papa epiſcopis Africanis, in Sardinia exſulantibus, pecunias & veſtimenta miniſtravit ſingulis annis. Hic ſtatuit, ut Dominico die & in natalitiis Apoſtolorum, Gloria in excelſis diceretur ad miſſam. Ipſe nitebatur ſucceſſoribus ſuis legem imponere, videlicet quòd Papa non deberet prædia eccleſiæ alienare.

Hormisda natione Campanus ſedit annos ix. Huic multum contrarius fuit Anaſtaſius Imp. eò quod ipſe noluit conſentire in hæreſin Eutychianam. Hic ſtatuit, ut nullus faciat nuptias occultas. Eo tempore Clodovæus rex Francorum noviter factus Chriſtianus & Ludewicus dictus precioſa munera miſit Romam S. Petro.

Johannes i. natione Tuſcus, ſedit annos ii. Hic Conſtantinopolin veniens, quo miſſus erat à Theodorico rege Gothorum ad portam auream, turbis ei occurrentibus in conſpectu omnium roganti cœco lumen reddidit: & cùm reverſus eſt Ravennam ad Theodoricum ab eo incarceratus & occiſus eſt, ut ſuperius dictum. Et ceſſavit Papatus dies lix.

Felix natione Samius ſedit annis iv. Hic ſtatuit feſtum dedicationis eccleſiarum ſingulis annis celebrandum, & eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani in urbe fundavit.

Bonifacius ii. natione Romanus ſedit annos ii. menſes iv. Contra hunc fuit electus Dioſcorus, & fuit ſchiſma in clero & in ſenatu per dies xxiix. Sed Bonifacius ſedem obtinuit: & poſtquam ſtabilitus eſt congregavit Synodum, & fecit Decretum, quòd ipſe ſucceſſorem ſibi eligeret, & ſcripto ac juramento decretum illud muniri fecit, quod poſtea ab epiſcopis congregatis in ſynodo caſſatum eſt. Hoc tempore S. Benedictus Abbas claruit: cujus vitam S. Gregorius ſcripſit.

Johannes ii. natione Romanus ſedit annos ii. menſes iv. & in quibusdam Chronicis invenitur Mercurius nominatus. Unde dicunt quidam, quòd fuit ipſe binomius. Eo tempore Caſſiodorus monachus primò conſul deinde ſenator poſtea monachus claruit. Et apud Conſtantinopolim Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus floruit, ac apud urbem Romam Arator ſubdiaconus actus Apoſtolorum verſibus hexametris exaravit.

Agapetus i. natione Romanus ſedit menſes vi. dies xviii. Hic conſtituit fieri proceſſiones die Dominico. Ipſe etiam directus eſt Conſtantinopolim ad Iuſtinianum Imp. à Theodato rege Gothorum. Et tunc ipſe revocavit Iuſtinianum ab errore, quem habuit de Chriſto, quod eſſent duæ naturæ in Chriſto & Anthemium patriarcham Conſtantinopolitanum hujus erroris ſectatorem damnavit. & ad preces Imperatoris alium ei ſubſtituit. Et priusquam Imperator ei in Catholica veritate conſenſit, mortem ſibi minabatur inferre: cui Agapetus Papa reſpondit: ego quidem ad Juſtinianum Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideravi, nunc autem ad Diocletianum veni. Sed tandem ei Imperator conſenſit, & Agapetus ibidem infirmitate defeſſus obiit.

Sylverius, natione Campanus, ſedit annos vi. menſes v. Hic elevatus eſt à tyranno Theodato, qui comminabatur mortem non conſentientibus in ejus electionem. Eo tempore miſit Juſtinianus Imper. Beliſarium in Italiam contra Gothos, qui Romam ingreſſus à Sylverio honorificè receptus eſt. Sed inter hæc Auguſta dolens de depoſitione Anthemii Patriarchæ, per Agapetum Papam facta, ſcripſit ex conſilio

Digitized by Google

filio Vigilii apochriſarii ſui ad Sylverium Papam, vel quod revocaret Anthemium, vel veniret Conſtantinopolim. Quod dum Sylverius renuit, aſſerens ſe nunquam hæreticum revocaturum, Auguſta ſcripſit ſecretè ad Beliſarium, ut occaſione quæſita contra Beliſarium, eum deponeret, & Vigilium in locum ejus eligi procuraret: quia Vigilius promiſiſſet ei, quòd vellet Anthemium revocare. Quare Beliſarius quoſdam falſos teſtes audiens, qui Sylverium traditionis in Beliſarium reum fore aſſeruerunt, depoſuit eum, & commiſit eum Vigilio, qui miſit eum in exſilium in Pontiam inſulam, & ibi mortuus eſt. Iſtis temporibus Dionyſius Abbas apud urbem Romam cyclum paſchalem primus perſcripſit.

Vigilius natione Romanus, ſedit annos XVII. menſes VI. dies XXVI. Hic, cum ad inſtantiam Auguſtæ noluit revocare Anthemium patriarcham, juſſu Juſtiniani per Anthemium Scribonem Romæ captus eſt, & ductus Conſtantinopolim. Et cùm duriùs reſponderet Imperatori, percuſſus eſt à quodam de aſtantibus in faciem. Quare ipſe fugit in eccleſiam S. Euphemiæ: ſed inde abſtractus eſt, & fune in collo ejus miſſo per plateam trahitur, & inde in carcerem miſſus pane & aqua cibatur: ſed poſtea cùm Narſes eunuchus vicit totum regnum Gothorum in Italia, ad preces ejus, in cleri Romani gratiam, Vigilius ab Imperatore dimiſſus eſt: & cùm navigando verſus Romam venit in Siciliam, apud Syracuſam civitatem defunctus eſt. Iſtis temporibus ſalvatus eſt Theophilus, qui fecerat homagium Diabolo: de quo legitur in miraculis beatæ Mariæ.

Pelagius I. natione Romanus, ſedit annos X. Hic ſtatuit ut hæretici & ſchiſmatici per ſæculares poteſtates punirentur. Et contra eum orta eſt ſuſpicio de morte Vigilii: quia apud eum fuerat quando obiit: ſed ipſe purgavit ſe procedens cum ſolemni proceſſione de eccleſia S. Pancratii, qui perjurii vindicator eſſe credebatur, ad eccleſiam S. Petri.

Johannes III. natione Romanus ſedit annos XII. Hic dedicavit eccleſiam SS. Philippi & Jacobi in Urbe, quam prædeceſſor ejus Pelagius inchoaverat. Eo tempore claruit Gregorius Turonenſis epiſcopus.

Benedictus I. natione Romanus ſedit annos IV. Ejus temporibus magna fames vaſtavit Italiam. Anno Pontificatus Benedicti primo Romanus exercitus debellavit Perſas, & XX. elephantes cum præda maxima reportavit. Et ſequenti anno Narſes Patricius de Campania Romam regreſſus defunctus eſt.

Pelagius II. natione Romanus ſedit annos X. menſes duos. Hic in epiſtola ſua, quam direxit Germaniæ & Galliæ epiſcopis, ſcribit novem præfationes miſſarum recipiendas, & concludit in eadem epiſtola ſub his verbis: Qui de his depreſſerit, vel addiderit, anathema ſit. Poſtea addita eſt illis decima, quæ eſt de Beata Virgine. Hujus temporib. Beatus Gregorius adhuc Diaconus, cùm eſſet apochriſarius apud Conſtantinopolim, libros morales compoſuit, & Eutychium ejuſdem urbis epiſcopum, de reſurrectione errantem, in conſpectu Auguſti ſuperavit. Hujus Pelagii anno ultimo facta eſt defectio Solis, & in Italia magnæ pluviæ & inundationes fuerunt: quas graviſſima peſtilentia, quæ Inguinaria dicebatur, ſecuta eſt. Iſte Pelagius ordinatus eſt abſque juſſione principis: quia Longobardi eo tempore circumſedebant Urbem.

Gregorius I. natione Romanus Doctor inſignis ſedit annos XIII. menſes VI. Iſte ex humilitate primus ſe ſcripſit Servum Servorùm Dei: licet poſt eum ſe plurimi tales antonomaſticè ſcribendos æſtimaverunt. Ipſe Synodum XXIV. epiſcoporum congregavit, & miſſis in Britanniam Mellito, Auguſtino & Johanne, ac aliis plurimis monachis Deum timentibus, Anglos, qui de Saxonia fuerant egreſſi, ad fidem Chriſti convertit. Ipſe prohibuit Sabbatum celebrari: quia Antichriſtus, dum venerit, hoc inſtituet. Ipſe addidit in canone: Dies noſtros in tua pace diſponere. Ipſe in principio Pontificatus ſui edidit librum regulæ paſtoralis, quem direxit ad Johannem Conſtantinopolitanum epiſcopum. Et de beato Gregorio Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus in libro de viris illuſtribus ſic dicit: Gregorius efflagitante Leandro epiſcopo Hiſpalenſi, librum beati Job myſtico ac morali ſenſu diſſeruit, totamque prophetiæ ejus hiſtoriam in triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit: in quibus quidem quanta myſteria ſacramentorum aperiantur, quantaque ſint in amorem vi-

Digitized by Google

tæ æternæ morum præcepta: vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo ſapiens explicare valebit, etiamſi omnes ejus artus vertantur in linguas. Ipſe XL. homilias & librum Dialogorum fecit. Ipſe ſtatuit, ut pheretrum, quo corpus Romani Pontificis ad ſepeliendum ducitur, nullo velamine veletur: quia quidam ipſa corpora truncabant pro ſanctitatis reverentia partes reſeruando. Item ipſe ſub vinculo anathematis prohibuit, ne aliquid pro ordinationibus, aut ex datione pallii, aut ex traditione chartarum accipiatur: ſed ſi quid pòſt gratis datum fuerat, hoc recipi conceſſit. Ipſe valdè fatuum judicavit, ſi morbus aut mortalitas quibuslibet in locis irrepſerit, illos quos nondum tetigit, à loco evitantes periculum fugere; quia nemo manus Dei effugere poterit. Anno Pontificatus ſui ſeptimo ſiccitas nimium grandis à menſe Januario, uſque ad ſeptembrem fuit facta, & fames valida: venitque locuſtarum magna multitudo in territorium Tridentinum. Apud Laudunenſem urbem juxta Arulam fluvium aqua calidiſſima ebullivit, ut multitudinem piſcium coxiſſet.

CAPUT XXXI.

PHocas Imperator imperavit annis IIX. Hic decrevit ad inſtantiam Bonifacii Papæ tertii, quòd Romana eccleſia eſſet prima omnium eccleſiarum: quoniam Conſtantinopolitana eccleſia primam ſe ſcribere prætendebat. Ipſe conceſſit Bonifacio Papæ quarto Pantheon, de quo facit eccleſiam in honorem beatæ Mariæ & omnium martyrum: & vocatur nunc à vulgo Maria rotunda, quoniam ædificium rotundum eſt. Hoc tempore venerunt de Scotia S. Columbanus & Gallus in Alemaniam, & fidem Chriſti prædicant. Anno ſeptimo Phocæ Judæi apud Antiochiam inſurgentes contra Chriſtianos, Anaſtaſium patriarcham occiderunt, & multos de civibus combuſſerunt.

Heraclius Imp. imperavit annis XXXI. Hic Martinam neptem, ſororis ſuæ filiam, inceſtè duxit uxorem. Anno tertio ejus Perſæ ceperunt Damaſcum, & captivum duxerunt populum multum. Anno ejus quarto Orientales Saxones in Britannia fiunt Chriſtiani, qui nunc Anglici dicuntur. Et eodem anno ceperunt Perſæ Jeruſalem, & multos Chriſtianos interfecerunt. Zachariam verò patriarcham, & lignum Dominicæ crucis cum multa præda in Perſidem abduxerunt. Anno quinto ejus Perſæ ceperunt Ægyptum & Alexandriam & Libyam uſque ad Æthiopiam, & cum præda redierunt ad propria. Anno ejus ſexto Perſæ ceperunt Carthaginem. Anno ejus ſeptimo ipſe Heraclius petiit pacem à Choſroë rege Perſarum, qui reſpondit: Non parcam vobis, donec crucifixum abnegetis, & ſolem adoretis. Anno ejus nono, Agiulfo rege Longobardorum defuncto, ſucceſſit ei filius ejus Adoloaldus: qui dum everſa mente inſaniret à Longobardis ejectus eſt, & in locum ejus Haroldus ſubſtituitur. Anno ejus decimo Lotharius rex Franciæ filium ſuum Dagobertum regni conſortem fecit, & ipſum ſuper Auſtraſios regem conſtituit. Anno ejus XI. Heraclius Imper. profectus in Perſidem ferro & flamma cuncta vaſtavit, & anno dehinc ſequente Choſroëm regem fugavit, & quinquaginta hominum millia captivavit, prædaque infinita capta reverſus eſt. Hoc tempore claruerunt Arnoldus Metenſis & Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopi. Anno ſuo XII. Heraclius tertio Perſidem intravit, & multa prælia committens ibidem hyemavit. Item anno ſuo XVI. multa prælia commiſit in Perſide. Iſtis temporibus ſurrexit regnum Saracenorum. Iſti in litore Caucaſi ſuper mare Caſpium reſederunt. Et inde egreſſi anno XIV. Imperii Heraclii cum maxima multitudine in provincias Romanorum irruerunt, & habuerunt principem Muhammat. Anno XVII. Heraclii Edwinus rex in Britannia, id eſt, in Anglia, cum gente ſua baptiſatus eſt. Eodem anno Lotharius rex Francorum in villa Compendio moritur, & reliquit quatuor filios. Sed Dagobertus & Heribertus filii ejus regnum diviſerunt. Hic Dagobertus dicitur condidiſſe civitatem Trajectenſem in partibus Hollandiæ. Unde legitur, quòd tempore Neronis in alio loco primò circa flumen Lecke fundata fuit, & dicta urbs Antonina. Deinde deſtructa fuit, & iterum reædificata, & dicta caſtrum Wilcorum, vulgariter Wilckenburg. Deinde à Dagoberto ad locum, in quo nunc eſt, trajecta, & inde Trajectum appellata. Hic videtur eſſe Dagobertus rex Francorum, qui Thuringiam ſub ſe habuit, & apud Erphesford, id eſt, Erfordiam, de caſtro ſuo eccleſiam & monaſterium S. Petri fecit, & dedit eidem monaſterio villam ipſam tunc Erphesford dictam, nunc Erforde nominatam in dotem.

Digitized by Google

tem. Hic Dagobertus habuit ſororem, quæ dicta fuit Blithilda filia Lotharii quam quidam Ansbrechtus nobilis Romanus duxit uxorem, & genuit ex ea filium Arnoldum nomine, qui & genuit filium ſui nominis. Iſte Arnoldus ſecundus genuit filium, qui dictus eſt Anchiſes: hic Anchiſes duxit uxorem Beggam filiam Pipini primi ducis Brabantiæ, de quo ſuperius dictum eſt: & genuit ex ea filium, qui Pipinus dictus eſt, & filiam Gerdrudim, quæ canoniſata eſt, & dies natalis ejus XVII. die menſis Martii celebratur. Anno Imperii ſui XVII. Heraclius, devicto Choſroë rege Perſarum, lignum crucis & Zachariam patriarcham Ieroſolymam reduxit. Et addunt quidam miraculum tunc factum, videlicet, quòd porta divinitus fuit clauſa per quam Chriſtus crucem bajulavit, quando ad paſſionem properavit, cùm Imperator crucem Domini per eam cum pompa traducere voluit, & demum cum humilitate ingredi tentavit, & tunc divinitus fuit reſerata: quod ſi factum fuit, non erat illa porta per quam Chriſtus fuit egreſſus ad paſſionem, quoniam jamdiu civitate priore deſtructa tunc in alio loco fuerat conſtructa, prout patet ex ſuperioribus dictis. Poſt hæc Imperator in hæreſin monothelitarum lapſus aſtrologiam exercuit, & viſum eſt ei in aſtris, quòd gens quædam circumciſa eſſet eum devictura. Quare intelligens hoc de Judæis ipſe mandavit omnes Judæos in regno ſuo exiſtentes baptiſari. Et ſcripſit ad Dagobertum regem Francorum, ut ipſe finaliter cogeret in regno ſuo Judæos baptiſari, & ille precibus ejus annuens Judæos baptiſari mandavit. Cumque Saraceni jam regnum Perſidis invaſerant, Heraclius conduxit eos in auxilium contra Perſas, & cùm poſtea quidam diſpenſator Heraclii debuit Saracenis dare ſtipendia, improperando dixit de eis: cur dominus meus debet his canibus dare ſtipendia? indigni enim ſunt. Et inde ſuſcitata eſt diſcordia inter Saracenos, & exercitum Heraclii, quæ eò uſque proceſſit quòd prælio commiſſo de exercitu Heraclii ceciderunt CL. millia: propter quod Heraclius vocavit gentes incluſas in montibus Caſpiis, & aperuit eis clauſtra, quibus eas Alexander M. clauſerat, propterèa angelus Domini percuſſit in caſtris Heraclii LII. millia virorum, & reſidui de exercitu ejus conturbati fugerunt. Anno XVI. ejus Saraceni ceperunt Jeruſalem, poſtquam biennio eam obſederant, ſed lignum crucis jam imperator tertio anno præcedente Conſtantinopolim tranſtulerat. Anno ejus XXVII. Saraceni ceperunt Antiochiam, & invaſerunt Ægyptum & anno ſequente ceperunt Edeſſam civitatem Meſopotamiæ. Temporibus iſtis Mahometus pſeudopropheta Saracenorum ſurrexit. Dagobertus rex Francorum anno XXV. Heraclii poſtquam cùm patre ſuo Lothario annis quaſi XVI. regnavit, moritur, & filii ſui Clodoveus, alias Lodewicus, & Sigebertus regnum dividunt: & Clodoveus obtinet Franciam, & Sigebertus Auſtraſiam. Hic ſigebertus deceſſit ſine liberis, & Pipinus dux Brabantiæ, filius Anſegilis & Beggæ, regnum ejus à Burguntia usq; ad Oceanum occupavit & obtinuit. Clodoveus reliquias S. Dionyſii minùs reverenter diſcooperiens in amentiam verſus eſt, & poſtquam regnavit XVII. annis in Francia deceſſit, & tres filios reliquit, videlicet Hildericum, Lotharium & Didericum: quibus ſubactis Pipinus dux Brabantiæ poſtea regnum obtinuit. Iſtis etiam temporibus Cacanus rex Hunorum cum exercitu magno venit in Italiam, & captis multis caſtris Giſulfum ducem caſtri Forojulienſis occidit in bello: deinde opidum Forojulienſe obſidione concludens murum circuit, ut perſpiciat, qua ex parte facilior ſit acceſſus. Romhilda igitur relicta Giſulfi videns regem elegantis formæ miſit ad eum clam, quòd parata eſſet ſibi tradere caſtrum, ſi ipſe duceret eam in uxorem. Rex reſpondet, & ab illa intromittitur. Quare Huni cuncta deprædantes incolas captivos abducunt, & caſtrum incendunt. Rex igitur juxta condictum Romhildam ſuſcipit, & una nocte duntaxat ei condormit, deinde eam duodecim viris committit, qui ipſam per totam noctem ſequentem vicibus alternis ſibi ſuccedentes libidine vexant. Poſtea rex palum in medio campi figi præcipiens eam in ejus cacumen inſeri mandavit, ſic exprobrando dicens: talem te dignum eſt habere maritum. Igitur dira proditrix patriæ tali exitio periit, quæ amplius libidini, quàm civium & conſanguineorum ſaluti proſpexit. Filiæ vero ipſius caſtitatem amantes, ne à barbaris contaminarentur, crudas pullorum carnes ſibi intra mammas ſub faſcia poſuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant: cumque Huni eas volebant contingere, non ſuſtinentes fœtorem, putabant eas naturaliter fœtere, procul ab eis cum excratione recedentes dixerunt: Omnes mulieres Longobardorum

Digitized by Google

rum fœtere, & ſic incontaminatæ permanſerunt, & tandem dignis nuptiis traditæ ſunt

CAPUT XXXII.

TEmporibus Heraclii Syrus Alexandriæ & Sergius & Pyrrhus regiæ civitatis epiſcopi hæreſin Acephalorum inſtaurantes, unam operationem & voluntatem in Chriſto dogmatiſabant, & dicti ſunt Acephali, id eſt, ſine capite: quia non invenitur, quis iſtius hæreſis primus fuerit inventor. Fuerunt & alii hæretici multi in eccleſia Dei exorti præter illos, quos diviſim certis temporib. ortos, ſuperius in diverſis capitulis deſignavi: Quorum diſtincta & certa tempora cùm ſcripta non reperi, ipſos ſub certis diſtinctis capitulis ponendos non æſtimo. Unde nomina & errores breviter hic inſerere decrevi. Gnoſtici propter excellentiam ſcientiæ ſe ita appellari voluerunt. Animarum ſubſtantiam Dei naturam eſſe dicunt: Bonum & malum Deum fingunt. Carpocratiani à Corpocrate vocantur, qui dixit Chriſtum hominem fuiſſe tantum, & de utroque ſexu progenitum. Cerinthiani à quodam Cerintho nuncupati. Hi inter cætera circumciſionem obſervant: mille annis poſt reſurrectionem in voluptate carnis futuros prædicant. Ophitæ à colubro nuncupati ſunt: coluber enim ὄφις Græcè dicitur. Colunt enim ſerpentes, dicentes ipſum in Paradiſo induxiſſe virtutis cognitionem. Valentiniani à quodam Valentiniano vocati, qui ſecula quædam in Originem Dei creatoris induxit: Chriſtum quoque de virgine nihil corporis aſſumſiſſe: ſed per eam quaſi per fiſtulam tranſiſſe aſſeruit. Apellitæ, quorum auctor Apelles fuit, qui dixerunt: Chriſtum non Deum in veritate, ſed hominem in phantaſia apparuiſſe. Nazaræi dicti, qui dum Chriſtum, qui à vico Nazaræus eſt appellatus, filium Dei licet confiteantur omnia tamen veteris legis cuſtodiunt. Archontici à principiis appellantur, qui univerſitatem quam Deus condidit, opera eſſe angelorum defendunt. Adamiani vocati, quod Adæ imitantur nuditatem. Unde & nudi inter ſe mares & fæminæ conveniunt. Sethiani à filio Adæ dicti ſunt, eo quòd ipſum Seth Chriſtum eſſe dicunt. Angelici dicti eò, quòd adorant angelos. Apoſtolici dicti, quia nihil poſſidentes proprium, illos qui aliquid proprium in hoc mundo poſſident, non recipiunt. Artotyritæ ab oblatione vocati, panem enim & caſeum offerunt dicentes, à primis hominibus oblationem à fructibus terræ & à fructibus ovium fuiſſe celebratam. Severiani à Severo orti vinum non bibunt: vetus teſtamentum & reſurrectionem non ſuſcipiunt. Taciani qui & Encratitæ carnes abominantur. Anthropomorphitæ dicti pro eò, quòd ſimplicitate ruſtica Deum habere humana membra, quæ in divinis libris ſcripta ſunt, arbitrantur. Heraclitæ ab Heraclio exorti monachos tantum recipiunt, regna cœlorum parvulos habere non credunt. Novatiani à Novato urbis Romæ presbytero, qui noluit recipere apoſtatas & rebaptiſavit baptiſatos. Fotiniani à Fotino, qui dixit Chriſtum à Maria per Joſeph nuptiali coitu fuiſſe conceptum. Ætiani ab Ætio dicti: hi offerre ſacrificium pro defunctis ſpernunt. Ipſi etiam vocati ſunt Eunomiani, ab Eunomio, qui dixit filium diſſimilem patri, & Spiritum ſanctum filio. Noëtani à Noëto, qui Trinitatem in officiorum nominibus, non in perſonis accipiunt. Unde & patripaſſiani vocantur: quia patrem paſſum eſſe dicunt. Apollinariſtæ ab Apollinari vocati, dicunt Chriſtum tantum corpus ſine anima ſuſcepiſſe. Circumcelliones dicti eò, quod agreſtes ſunt. Hi amore martyrii ſemetipſos perimunt, ut violenter de hac vita decedentes martyres nominentur. Luciferiani à Lucifero epiſcopo orti, redeuntes poſt lapſum ad unitatem eccleſiæ recipere noluerunt. Joviniániſtæ à Joviniano quodam monacho dicti, aſſerunt nullam nuptarum & virginum eſſe diſtantiam: nullumque inter abſtinentes & ſimpliciter epulantes eſſe diſcrimen. Eluidiani ab Elvidio nominati, dicunt poſt natum Chriſtum Mariam filios de viro ſuo Joſeph peperiſſe. Paterniani à Paterno quodam exorti, inferiores partes corporis à Diabolo factas arbitrantur. Arabici dicti eò, quod in Arabia orti ſunt: dicunt animam cum corpore mori, & utrumque in noviſſimo die reſurgere Tertullianiſtæ à Tertulliano, qui dixit animam immortalem eſſe, ſed corpoream: & animas hominum peccatorum poſt mortem in dæmones verti. Teſſeradecaditæ dicti, quod quartadecima luna Paſcha cum Judæis obſervandum eſſe contendunt: ſic dicti à τέσσαρες quatuor & δέκα decem. Nyctages nuncupati à ſomno, eò quod vigilias noctis reſpuunt, ſuperſtitionem eſſe dicentes jura temerare divina,

Digitized by Google

vina, quando Deus noctem ad requiem tribuit. Theodoſiani & Gajani à Theodoſio & Gajo, qui tempore Juſtiniani fuerunt, dicti ſunt. Hi ex duabus unam in Chriſto naturam aſſerunt: quam Theodoſiani corruptam, Gajani incorruptam contendunt. Et ex iſtis proceſſerunt Gnoitæ & Tritheitæ: ex quibus Gnoitæ dicti ſunt ab ignorantia, eò quòd dicerent Chriſti divinitatem ignorare diem & horam noviſſimam. Tritheitæ verò dixerunt, ſicut tres ſunt perſonæ in Trinitate, ita tres Deos eſſe in Trinitate. Iſtos ſupradictos hæreticos ponit Iſidorus VIII. Etymolog. (*cap. 5.*) & plures alios quos gratia brevitatis omiſi. Sunt autem & alii orti poſtea hæretici, quos ſedes Apoſtolica reprobavit, quos nimium colligere longum eſſet. Non tamen hos præterire valeo, quos Clemens Papa V. in concilio Vienneſi damnavit, qui Baghardi ab aſperitate habitus nominantur. Iſti dicunt ſe gradum ſummum perfectionis habere. Unde inferunt, quòd ipſi ſunt inpeccabiles: quòd jejunare aut orare non teneantur: quod humanæ obedientiæ non ſint adſtricti: nec ad ſervandum præcepta eccleſiæ obligati: neque in elevatione corporis Chriſti ſe debere aſſurgere, nec ei à ſe reverentiam exhiberi debere aſſerentes. Hæc omnia eſſe hominis imperfecti. Item dicunt, quòd homo poteſt finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis ita in præſenti aſſequi, ſicut eam obtinebit in vita beata. Item quod quælibet intellectualis natura de ſeipſa naturaliter eſt beata: quodq; non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum & eo beatè fruendum. Item quòd in actibus virtutum ſe exercere eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à ſe virtutes. Item quod mulieris oſculum, ex quo natura ad hoc non inclinet, exiſtat peccatum mortale: Actus autem carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non eſt, maximè cùm tentatur exercens.

CAPUT XXXIII.

POſt mortem Heraclii regnavit filius ejus Conſtantinus menſibus IV. Deinde alius filius ejus Heracleonas regnavit annum I. cum Martina matre ſua, quos Senatus repellens eos in exilium miſit, & Conſtantem alium filium Heraclii, ſecundum aliquos, vel filium Conſtantini, ſecundum alios, Imperatorem fecit, qui imperavit annis XXVII. Hoc tempore S. Oſwaldus rex Britanniæ, ſeu Angliæ, occiſus eſt & frater ejus Oſwin regnum obtinuit. Anno ejus V. Paulus Byrri hæretici ſucceſſor apochriſarios Romanæ eccleſiæ, qui ad correctionem ſui miſſi fuerant, partim carceribus, partim exiliis, & partim verberibus affecit: altare eorum ſubvertit, & miſſas celebrare eos prohibuit. Unde Martinus Papa, octavo anno Conſtantis collegit concilium contra dogmatiſantes unam voluntatem & operationem in Chriſto, & epiſcopos cum hæreſi eorum damnavit. Anno Conſtantis XII. Saraceni Rhodum adeuntes coloſſum ejus deſtruxerunt poſt MCCC. & LX. ſtabilitatis ſuæ annos: quem videns quidam negotiator emit, & ex ære ejus DCCCC. camelos oneravit. Anno ejus XIII. Romani à Saracenis navali bello ſuperati ſunt. Anno ejus XVII. inter Romanos & Saracenos conventio facta eſt: ita ut Saraceni quotannis ſolverent Imperatori CCCLX. ſervos, & totidem nobiles equos. Anno ejus XIX. S. Furſeus de Hibernia natus verbo & actibus clarus tremendas in ſpiritu vidit viſiones. Anno ejus XX. Grimoldus dux Beneventanorum regnum Longobardorum obtinuit, filiis Ariberti defuncti inter ſe de regno diſſidentibus. Quorum alterum occidit, alterum fugavit. Conſtans Imp. cupiens Italiam à Longobardis liberare, anno XXII. cum exercitu magno navigavit ab Athenis in Italiam, & venit Tarentum & cepit plures civitates Apuliæ, quas Longobardi tenuerunt, & deinde Beneventum obſedit, in quo Romald filius Grimoldi ducatum tenuit. Rex Grimold hæc audiens de Liguria in auxilium filii feſtinavit: cujus adventum Conſtans Imp. percipiens pacem cum Romaldo fecit, ſorore ejus Giſa nomine obſidis accepta: & cum exercitu Neapolim ſe tranſtulit. Et deinde Romam veniens multa ornamenta eccleſiarum & aliorum ædificiorum illuſtrium abſtulit, & Conſtantinopolim deſtinavit: inter quæ tegulas æreas de eccleſia S. Mariæ rotundæ transferendas depoſuit. Et deinde dum in Græciam redire diſpoſuit, apud Siciliam à ſuis occiſus eſt. Hic Conſtans dum intraverat Italiam à quodam ſolitario acceperat reſponſum, quod gentem Longobardorum ſuperare non poſſet, quandiu eccleſia S. Johannis Baptiſtæ, à quadam regina Longobardorum conſtructa, in reverentia habetur: ſed quando eccleſia haberetur deſpectui, tunc Longobardi eſſent ſuperandi. Unde Teudalinda filia regis Bajoariorum

ariorum uxor Agiulfi regis Longobardorum in Modœcia, quæ à Mediolano per XI. milliaria diſtat, hanc fundaverat eccleſiam, & habetur tempore hujus Conſtantis in magna reverentia. Sed poſtea compertum eſt, dum eadem eccleſia per viles perſonas regebatur, venit locus in deſpectum, & Longobardi ſuperati ſunt. Legi igitur in geſtis Longobardorum, quod Rotharius rex Longobardorum ſepultus erat apud eccleſiam S. Johannis Baptiſtæ & poſt ſepulturæ ejus peractionem, quidam ſepulcrum ejus noctu aperuit, & corpus ejus ornamentis, cum quibus ſepultum fuit, penitus ſpoliavit. Cui Beatus Johannes apparens in viſu interdixit illi ingreſſum eccleſiæ ſuæ dicens: licet rex iſte non fuit rectè credens (erat enim Arrianus) tamen ipſe ſe mihi commendavit. Iſte verò viſione non territus, credens phantaſma eſſe quod viderat, eccleſiam illam denuò tentat intrare & in introitu ejus repulſus eſt inviſibili ictu, quaſi manu quadam validiſſima percuſſus. Et dicit Paulus geſtorum prædictorum deſcriptor (*Hiſtor. Longob. lib.* 4. *cap* 48.) hoc ſe audiviſſe ab illo, qui vidit hoc ſuis oculis.

CAPUT XXXVI.

Conſtantinus filius Conſtantii imperavit annis XVII. Hujus anno I. Saraceni ex Africa LXXX. millia captivorum abducunt, & deinde Siciliam invadunt magnam inde abducentes captivitatem. Poſt hoc Conſtantinopolim obſederunt, & nihil proficientes cum magno ſuorum diſpendio receſſerunt, & poſt perdomiti à Romanis tributarii effecti ſunt. Anno Conſtantini III. Grimoldus rex Longobardorum obiit, & filium parvulum regni ſucceſſorem reliquit, quem Berteritus ſuperioris regis filius à fuga reverſus, à regno deturbavit, & paternum regnum obtinuit. Anno ejus XI gens Bulgarorum primò venit in Thraciam: contra quos Romani pugnantes victi ſunt, & Imperator vi coactus pacem fecit cum eis: & cui alii tributa ſolvere conſueverunt, ipſe Bulgaris factus eſt tributarius. Inter hæc Romaldus dux Longobardorum apud Beneventum, congregata exercitus multitudine, Tarentum expugnavit: deinde Brundiſium & omnem illam, quæ in circuitu eſt, latiſſimam regionem ſuæ ditioni ſubjugavit. Iſtis temporibus corpus S. Benedicti Abbatis cum corpore S. Scholaſticæ de Italia in Galliam translatum eſt.

Juſtinianus filius Conſtantini imperavit annis X. Hujus anno I. S. Kilianus venit de Hibernia in Germaniam, & multos ab errore paganorum convertit ad fidem Catholicam. Anno ejus tertio Berteritus rex Longobardorum moritur, & ſuccedit ei filius Cunibertus. Juſtinianus anno Imperii ſui IV. Zachariam quendam Protoſpatharium miſit Romam, ut Sergium Papam adduceret Conſtantinopolim: quia noluerat ſubſcribere & favere Synodo erraticæ, quam idem Imp. apud Conſtantinopolim congregaverat. Sed Zacharias à militia Romana cum ignominia repulſus eſt, & non poterat perficere juſſa nefanda Imperatoris. Juſtinianus anno ſuo VI. pacem quam pater ejus cum Saracenis fecerat, diſſolvit: & deinde anno ſequente bellum fuit inter eos, & facta eſt ſtrages magna ab utraque parte. Anno ejus VIII. Saraceni Armeniam ſibi ſubdiderunt. Eodem anno Alachis dux Longobardorum reſidens in Tridento, appetens regnum, contra Kunibertum regem bellum inſtaurat: contra quem Zeno diaconus eccleſiæ Ticinenſis, ſub ſpecie regis, regiis armis indutus, cum exercitu regis proceſſit ad bellum, commiſſoque prælio Alachis vicit & caput Zenoni, regem eum æſtimans, amputavit: Capite verò galeâ ſpoliato Alachis videns ſe clericum, & non regem occidiſſe, quaſi furibundus exclamans, inquit: Heu me nihil egimus, quando hoc bellum geſſimus, ut clericum occideremus. Tale itaque nunc facio votum, ut ſi mihi Deus iterum victoriam dederit, unum puteum implebo teſticulis clericorum. Sed prælio commiſſo ſecundo Alachis à rege Cuniberto occiſus eſt. Hoc etiam tempore Solis defectio facta eſt, hora diei quaſi X. quinto Non. Maji. moxque graviſſima peſtis ſecuta eſt tribus menſibus, videl. Julio, Auguſto & Septembri: tantaque fuit multitudo morientium, ut ſuperſtites non ſufficerent ad ſepeliendum mortuos: ſed fugerunt ad montes & Sylvas civitates relinquendo. Et tunc multis viſibiliter apparuit, quod bonus angelus & malus per civitatem Ticinum noctu pergerent, & juſſu boni angeli malus angelus, qui videbatur manu venabulum ferre, quotiens cum venabulo oſtium cujusque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo ſequenti die homines interirent. Tunc cuidam per revelationem dictum eſt, quòd ſi in eccleſia S. Petri ad vin-

Digitized by Google

ad vincula altare in honore S. Sebaſtiani martyris conſtrueretur, peſtis illa ceſſaret, & ita factum eſt, & ceſſavit peſtilentia. Cum Juſtinianus fidem Chriſtianam nitebatur hæreſi depravare, Leo patricius eum cepit, & naſo ſibi abſciſſo, Cherſonam miſit in exſilium, & obtinuit Imperium.

Leo, ſeu Leontius, regnavit annis III. Hujus anno III, Romani dimicantes contra Saracenos in fugam verſi ſunt. Unde præ confuſione ad Leonem redire non audentes, ipſum Leonem abdicaverunt, & Tiberium ad Imperium ſublimaverunt, qui Leonem regno privavit. Pipinus Dux Brabantiæ, filius Anſgiſæ, ſuperinduxit uxori ſuæ Plectrudi aliam mulierem Alpiadem, quæ genuit ſibi filium, qui Karolus Martellus dictus eſt, & hic Karolus fuit avus Karoli M. Et cùm S. Lambertus, epiſcopus Trajecti ſuperioris, propter hoc Pipinum increparet, Dado frater ipſius Alpiadis eum occidit, & ipſe ibidem ſepultus eſt: ſed poſtea cum ſede epiſcopali Leodium translatus eſt.

CAPUT XXXV.

FAbianus Papa natione Tuſcus, ſedit annum I. menſes V. Hic ſtatuit, ut horæ diei per eccleſiam pulſentur. Eo tempore apud Ticinum in eccleſia S. Petri Apoſtoli Petrus Cantor fulmine ictus eſt.

Bonifacius natione Romanus, ſedit menſes IIX. dies XXVII.

Bonifacius IV. natione Marſus, ſedit annos VI: menſes IIX.

Deusdedit natione Romanus, ſedit annos III. dies XX. Hic cum quendam leproſum oſcularetur, leproſus ſtatim mundatus eſt. Hoc tempore terræmotus magni facti, & ſecuta eſt peſtis ſcabiei, ita ut nullus poſſet mortuum ſuum agnoſcere.

Bonifacius V. natione Campanus de civitate Neapoli, ſedit annos V. Hic ſtatuit, ut confugientes ad eccleſias gauderent libertate.

Honorius I. natione Campanus, ſedit annos XII. menſes XI.

Severinus natione Romanus, ſedit menſes duos.

Johannes IV. natione Dalmata, ſedit annum I. menſes IX Hic miſit pecuniam multam per omnem Dalmatiam, ſeu Iſtriam, pro redemtione captivorum, quos gentiles detinebant.

Theodoricus natione Græcus ſedit annos VI. menſes V.

Martinus I. natione Thuſcus de Tuderto ſedit annum I. Hic congregavit concilium CX. epiſcoporum, in quo anathematiſavit dogmatiſantes in Chriſto unam voluntatem & operationem. Et poſt hoc ab Imperatore Conſtantino in exſilium relegatur, & in eo mortuus eſt. Ipſe prohibuit obſervationes Kalendarum, & domos cingi frondibus viridibus arborum ritu paganorum.

Eugenius I. natione Romanus ſedit annnos II. menſes IIX.

Vitalianus natione Campanus ſedit annos XI.

Adeodatus natione Romanus ſedit annos VII.

Donatus natione Romanus ſedit annos III. Cometa apparuit, & ſecuta eſt peſtilentia.

Agatho natione Siculus ſedit annos III. Hic ex rogatu Conſtantini Imp. miſit legatos ſuos, viros literatos, Conſtantinopolim pro ſexta Synodo facienda: & congregati ſunt CL. epiſcopi, & juſſit Imperator, ut dimiſſis diſputationibus Philoſophicis, pacifico colloquio vera de fide perquirerent. Et damnati ſunt in eodem concilio illi, qui unam voluntatem & operationem in Chriſto dogmatiſabant.

Leo II. natione Siculus ſedit menſes X. dies XVII. Hic eloquentiſſimus erat in ſcripturis ſacris, & multos conſcripſit ſermones. Ipſe ſtatuit pacem in miſſa poſt agnus Dei dari fidelibus. Iſte Leo purgavit ſe cum XII. epiſcopis à quibusdam criminibus ſibi falsò objectis, & obiit quinto Nonas Julii.

Benedictus II. natione Romanus, ſedit menſes X. dies XII.

Johannes V. natione Syrus, ſedit annum unum dies X.

Conon natione Siculus, ſedit menſes IX. dies XI. In iſtius electione facta eſt diſſenſio cleri & exercitus. Nam clerus conſenſit in Petrum Archipresbyterum: exercitus verò in Theodorum presbyterum. Et tandem cum concordare non poſſent in alterum prædictorum, hunc tertium concorditer elegerunt. Hic ordinavit S. Kilianum epiſcopum, & remiſit eum in Alemanniam ad prædicandum fidem Chriſti.

Sergius I. natione Syrus, ſedit annos XIII. menſes IIX. dies XXIII. Hic per diſcordiam

Digitized by Google

diam electus eſt. Quidam enim elegerunt Theodorum archipresbyterum, alii Paſchalem diaconum, & cum neuter alteri eorum cedere noluit, iſte tertius electus eſt. Iſte ordinavit S. Wilbrordum genti Friſonum epiſcopum, & erat Trajectenſis epiſcopus, videl. in Trajecto inferiori, quæ tunc de partibus Friſonum reputabatur. Hoc tempore venerabilis Beda claruit, qui fuit natione Anglicus, profeſſione monachus, & in peregrinatione decedens apud civitatem Januenſem ſepultus eſt. Et quamvis eccleſia eum ſuſcipit in catalogo ſanctorum, non tamen S. Bedam, ſed venerabilem Bedam appellat: quòd dicitur ex hac cauſſa accidiſſe: Cum ipſe defunctus & ſepultus erat, quidam volens verſum ſepulcro ejus aſſculpere, medium ſculpſit ſub hac forma: Hac ſunt in foſſa. Cumque ſolicitus erat de reliqua medietate verſus, ut finis medio conſonaret, complere verſum nequivit, & cùm ex hoc anxius eſſet, veniens ad ſepulcrum invenit verſum completum ſub hac formâ:

Hac ſunt in foſſa Bedæ venerabilis oſſa.

Et quia hoc ab angelo credebatur fuiſſe factum, inde poſtea Venerabilis eſt nominatus. Alii dicunt, quod Angli vocabant eum ſic, poſtquam quendam ſermonem finierat, dicentes: Bene dixiſti venerabilis pater. Sed iſta non habent documentum à ſcripturis authenticis ſeu famoſis, & eadem facilitate contemnuntur, qua probantur.

CAPUT XXXVI.

Tiberius III. imperavit annos VII. Anno ejus I. Synodus Aquilejæ facta, ob imperitiam quintum univerſale concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus Sergii Papæ monitis inſtructa eſt: & ipſa dehinc cum cæteris eccleſiis annuere conſentit. Sequenti anno Romani contra Saracenos in Syria congreſſi CC. millia ex eis peremerunt, acceptaque præda copioſa, reverſi ſunt. Anno ejus III. Kunibertus rex Longobardorum obiit, & filio ſuo Limberto adhuc parvulo regnum reliquit, tutoremque Aſprandum nomine ei contribuit, ſed octo dehinc menſib. elapſis, Ragimbertus dux cum valida manu veniens Aſprandum fugavit, & Limbertum occidit, regnumque obtinuit: ſed ipſe eodem anno mortuus eſt, & Hariberto filio ſuo regnum reliquit. Dehinc anno ſequente Giſulfus dux Beneventanorum, Campaniam igne, gladio & captivitate vaſtavit. Cumque non eſſet, qui ejus impetui reſiſteret, Johannes Papa, miſſis ad eum ſacerdotib. ac donariis plurimis, univerſos redemit captivos, atque Longobardos domum repedare fecit. Tiberius Philippum miſit in exſilium, quòd aſſerebat ſe vidiſſe in ſomnis aquilam caput ſuum obumbraſſe. Anno Tiberii VII. Haribertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus & proprietatem Apoſtolicæ ſedis pertinuerat, ſed per Longobardos multo tempore fuit ablata, reſtituit. Iſtis temporibus in Campania frumentum, hordeum & legumina de cœlo ceciderunt. Item terræmotus magni erant, ita quod urbes quædam ſubverſæ ſunt: aliæ à montanis ad campeſtria ſubjecta cum muris & habitatoribus ſuis integræ & ſalvæ ultra VI. milliaria translatæ ſunt. Juſtinianus, qui per Leonem depoſitus fuit, ut ſupradictum eſt, germanam regis Bulgarorum, ſeu Turcorum, recepit uxorem: & ejus ope regnum recuperavit, & occidit eos, qui ſe expulerant viros patricios, & Leonem, qui locum ejus invaſerat, nec non & Tiberium, qui ipſum Leonem de regno ejectum, toto quo ipſe regnabat tempore, in cuſtodia tenuerat, & dehinc ipſe Juſtinianus regnavit iterum annis V. Anno ejus II. Callinicum patriarcham Conſtantinopolitanum, propter hæreſin oculis orbatum, Romam miſit, deditque epiſcopatum ejus Syro: qui eum, dum in exſilio fuit, alebat. Ipſe etiam Papam Conſtantinum ad ſe venire jubens honorificè ſuſcepit, & remiſit: & Dominica die faciens eum coram ſe celebrare communionem de manu ejus accepit: proſtratusq; coram eo in terram pro eccleſiis ſuis eum intercedere apud Deum ſupplicavit, & cuncta privilegia Romanæ eccleſiæ innovavit, atque fidem integram Chriſtianæ religionis poſtea ſervavit: ſed quia naſo privatus fuit per Leonem, ipſe poſtquam ſecundò regnavit, quotiens guttam phlegmatis defluentem manu deterſit, totiens penè unum de his, qui ſibi contrarii fuerant, jugulari præcepit. Anno regni ſui ſecundi ſexto miſit exercitum in Pontum ad comprehendendum Philippicum, qui ibi in exſilium relegatus erat: ſed totus exercitus converſus ad partem Philippici, fecit ipſum ibidem Imperatorem, reverſuſque cum eo Conſtantinopo-

nopolim pugnavit contra Juſtinianum ad XII. ab urbe milliarium; & occiſus eſt Juſtinianus, & Philippicus regnum obtinuit.

Philippicus regnavit anno I. & menſibus VII. Hic ſtatim ejecit Syrum de Pontificatu eumque ad gubernandum Abbatis jure monaſterium ſuum in Pontum redire præcepit. Item ipſe Conſtantino Papæ miſit literas pravi dogmatis, quas ille cum concilio ſuo reſpuit, & hujus rei cauſſa fuit. Fecit picturas in porticu S. Petri, quæ acta ſanctorum ſex Synodorum univerſalium continerent. Nam hujuſmodi picturas, cum haberentur etiam in urbe regia, videlicet Conſtantinopoli, Philippicus juſſerat auferri; ſtatuit igitur populus Romanus, ne hæretici nomen Imperatoris, aut charta, aut figura ſolidi ſuſciperet. Unde nec ejus effigies in eccleſiam introducta eſt, nec nomen ejus ad miſſarum ſolennia prolatum. Hoc tempore Ansbrandus, cùm diu in Bajoaria exulabat, tandem promoto exercitu Theodebertus dux Bajoariorum venit in Italiam, & pugnavit contra Haribertum regem Longobardorum, vicitque eum & regnum obtinuit Ansbrandus tribus menſibus & mortuus eſt, & Longobardi filium ejus Liutprandum ſibi in regem elegerunt.

Anaſtaſius imperavit anno & menſib. IV. Hic Philippicum oculis & regno privavit, nec tamen eum occidit. Ipſe literas Papæ Conſtantino direxit, quibus ſe fautorem Catholicæ fidei, & ſancti ſexti concilii prædicatorem eſſe docuit. Hoc tempore Liutprandus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Coctiarum, quam Herebertus reſtituerat, & ipſe repetierat ad monitionem Gregorii Papæ ſecundi confirmavit. Anno II Anaſtaſii Pipinus dux Francorum filius Ansgiſæ, poſtquam primò partem Auſtraſiæ poſt mortem Wolfaldi ducis regebat, & deinde regnum Francorum cum regibus Lodewico, Hildeberto, & Dagoberto per annos XXVII. tenuit, moritur, & filius ejus Karolus Martellus deinde regnum Francorum ſub honore Majordomatus rexit annos XXVII. Hic pugnans contra Ratbotum regem Friſonum exercitus ſui damnum conſequitur.

Theodoſius III. imperavit anno uno. His temporib. Winfridus, qui poſtea cum epiſcopus ordinatus eſt, Bonifacius eſt nominatus, natione Anglicus, Romam primùm: deinde cum auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei venit. Theodoſius cùm electus eſſet in Imperatorem, Anaſtaſium intra civitatem gravi prælio vicit, datoque ſibi ſacramento clericum fieri, presbyterum eum fecit ordinari. Raginfridus & Hilpericus reges Francorum contra Karolum bellum movent, quos Karolus uſque Pariſios perſequitur.

CAPUT XXXVII.

LEO III. & Conſtantinus filius ſuus imperant annis XXVII. Hic Leo depoſuit Theodoſium, qui factus eſt clericus. Anno ejus primo venerunt Saraceni Conſtantinopolim, & obſident eam triennio: ſed tandem fame, frigore & peſtilentia fatigati recedunt, & plurimi eorum maris tempeſtate pereunt. Eodem anno Liutprandus rex Longobardorum oſſa S. Auguſtini de Sardinia, ad quam fuerant ab Africa deducta, pro eis data pecunia Papiam fecit transferri. Anno tertio Leonis Conſtantinus filius ejus naſcitur, qui cùm à S. Germano epiſcopo baptiſabatur, cacat in fontem. Unde Germanus dixit ſpiritu prophetico: Conſtat maximi Chriſtianis & Eccleſiæ mali per eum efficiendi hoc ſignum eſſe futurum. Et anno ſequente Leo hunc filium ſuum aſſumit in regni conſortem. Anno V. Leonis apparuit quidam Syrus Pſeudochriſtus ſeducens Judæos, qui dixit, ſe eſſe Chriſtum. Anno ejus VII. venit quidam Judæus ad Gizid ducem Arabum, promittens ei, quòd ſi imagines, quæ in eccleſiis Chriſtianorum in toto ſuo principatu eſſent, faceret deponi, ipſe per annos XL. obtineret principatum. Qui credens his verbis, præcepit imagines deponi, ſed priuſquam edictum per univerſam provinciam promulgatur, ipſe mortuus eſt. Dehinc Leo Imperator hunc volens imitari, juſſit imagines deponi, & multos nolentes eas deponere juſſit occidi. Quare Papa Gregorius corripuit eum per literas, & cùm ſic nihil profecit, ordinavit & fecit, quòd Roma & tota Italia ab Imperio Leonis receſſit. Et iſtis temporibus Karolus, qui à quibuſdam Martellus cognominatus eſt, Saxones, Bavaros, Suevos, Freſones, Burgundiones & Lotharingos fortiter debellavit. Item eodem tempore S. Bonifacius à Gregorio Papa ordinatus Archiepiſcopus civitatis Maguntinæ, legatus ſedis Apoſtolicæ, prædicavit in Germania,

 & mul-

Digitized by Google

& multos Thuringorum populos, videlicet, Haſſonum & Auſtraſiorum, hoc eſt Francorum Orientalium ad fidem rectam, à qua jam dudum aberraverant, reduxit. Anno ſeptimo Leonis Saraceni veniunt ex Hiſpania Eudoni duci Aquitaniæ in auxilium, contra Karolum, quos Karolus bello ſuperans, tandem totam provinciam Aquitaniæ obtinuit. Anno IX. imperii ſui Leo moritur, & filius Conſtantinus obtinuit Imperium. Tunc Saraceni collecto exercitu veniunt in Franciam, & urbem Avinionem capiunt. Sed Karolus ſequenti anno eos obſidione concludens, in eadem magnam ſtragem fecit in eis urbe recuperata. Poſt hoc Karolus obſedit regem Gothorum in civitate Narbona, cui ſuccurrunt Saraceni de Hiſpania, quos Karolus bello excipiens eos cum rege eorum uſque ad internecionem delevit. Et hoc tempore venerabilis Beda obiit, anno Domini DCCXXXV. Et poſt hoc Edelhard rex Occidentalium Saxonum obiit.

Hucuſque Dionyſius proſecutus eſt Chronicas, deinde Einhardus Capellanus Karoli M.

Karolus anno regiminis ſui XXVII. moritur: cujus filii Karolomannus & Pipinus ſub obtentu Majordomatus totius Franciæ regnum ſuſcipiunt, & inter ſe dividunt. Et ſequente anno Karolus Magnus ipſi Pipino natus eſt de uxore ſua Bertrada. Et deinde anno ſecundo inchoatum eſt Fuldenſe monaſterium à S. Bonifacio in ſolitudine Buchoniæ. Ipſe enim primus in Alemania monaſteria fundavit. Et dehinc anno ſecundo ipſe auctoritate ſedis Apoſtolicæ duas ſedes epiſcopales fundavit: unam in caſtello Würtzeburg / in qua Burckhardum collegam ſuum ordinavit epiſcopum: Alteram in loco, qui vocatur Eiſtadt / cui Willibaldum epiſcopum ordinavit.

Karolomannus frater Pipini transfert ſe Romam, & mutato habitu factus eſt monachus in monte Caſſino, & deinde Pipinus ſolus regnum adminiſtravit. Conſtantinus filius Leonis, habitum monachalem publicè dehoneſtans, præcepit unumquemque monachum manu tenentem mulierem per hippodromium tranſire, & ſic eum à populo ſputis & injuriis affici. Hic Conſtantinus peſſimus erat: dixit enim Chriſtum natum de Maria, ſicut ipſe natus eſſet de Maria: quoniam mater ejus Maria vocabatur. Hoc tempore S. Burckhardus epiſcopus Wurtzburgenſis tranſtulit oſſa S. Kiliani de ſepulcro: & eodem tempore translatum eſt corpus S. Viti de Roma ad Franciam.

Leo IV. filius Conſtantini regnavit annis V. Hoc tempore Pipinus Majordomus Franciæ, pater Karoli M. poſt plurima bella, quæ pro regni defenſione ſuſceperat, de conſilio & conſenſu nobilium regni, miſſa legatione ad Zachariam Papam petiit ſibi decerni, quis eorum deberet Rex juſte dici & eſſe? An is qui ſecurus domi ſedeat? an ille, qui curam totius regni, & omnium negotiorum moleſtias ſufferat? Quare Zacharias Papa informatus, quòd Pipinus ex antiqua ſtirpe regum Franciæ ortus fuerat, auctoritate S. Petri Apoſtoli mandat populo Francorum, ut Pipinum in regem recipiant: & ſic, qui poteſtate regiâ utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Et ita Hildericus depoſitus eſt, & in monaſterium miſſus: Pipinus autem in civitate Sueſſionum à S. Bonifacio archiepiſcopo Moguntino in regem unctus, honore regio ſublimatus eſt.

Conſtantinus V. filius Leonis cum matre ſua Irene imperat annis XI. Hujus anno primo Stephanus Papa propter infeſtationem Aiſtulphi regis Longobardorum fugit ad Pipinum in Franciam & ipſe honorificè ſuſceptus ab eo duos filios ejus Karolomannum & Karolum Pariſiis unxit in reges. Et anno ſequenti S. Bonifacius martyrio coronatur, anno epiſcopatus ſui XXXV. & ſuccedit ei Lullus in epiſcopatu. Pipinus rex Lombardiam, vel Longobardiam ingreditur, & Aiſtulphi exercitum vincit, & deinde veniens Romam, juribus S. Petri reſtitutis, à Romanis in patricium eligitur, & cùm reverſus fuit in Franciam, Aiſtulphus rex Longobardorum in venatione lapſus ab equo moritur, & ſuccedit ei filius ſuus Deſiderius. Anno ſequente poſtquam Pipinus unctus eſt in regem, ipſe Saxones ſuperavit, & tributum eis impoſuit, ut CCC. equos ſingulis annis ei ſolverent. Conſtantinus auditâ famâ Pipini inter cætera miſit ei organa de Græcia. Iſtis temporibus apud Conſtantinopolim homo quidam fodiens invenit lapideam arcam, quam cùm expurgaſſet & revelaſſet, invenit virum jacentem, & literas conglutinatas arcæ continentes hæc verba: Chriſtus naſcetur ex Maria virgine,

Digitized by Google

gine, & credo in eum: ſub Conſtantino verò & Irene Imperatoribus, ô Sol, iterum me videbis. Anno VII. Conſtantini, mater ejus Irene, contra eum concitata, oculos ei fecit eruere, & ipſa deinde tenuit Imperium annis IV. Eo tempore Pipinus rex, captâ Lemovicâ civitate Aquitaniæ, moritur, & filii ſui Karolomannus & Karolus inſulas regni ſuſcipiunt. Inter hæc Nicephorus patricius Imperium apud Græcos poſt mortem Conſtantini, cùm jam defecit ibidem ſtirps regalis, invaſit & relegata Irene in exſilium, regnum cum theſauris regiis obtinuit annis IX. Karolomannus frater Karoli deceſſit, & Karolus obtinuit regnum Francorum.

CAPUT XXXIIX.

KAROLUS igitur Magnus, anno Domini DCCLIX. cœpit regnare in regno Francorum, & regnavit annis XLVI. Tribus quippe annis unà cum fratre ſuo Karolomanno & reliquis annis ſolus regnavit. Anno regni ſui II. congregato generali Wormatiæ conventu, Saxoniam bello aggredi ſtatuit, eamque ſine mora ingreſſus, cuncta ferro & igni depopulatus, caſtrum Eresburg, quod modò mons Martis dicitur verbis Latinis, cepit, & Idolum, quod à Saxonibus dicebatur, Irminſeul, deſtruxit, & deinde usque ad flumen Weſeræ accedens, recipit à Saxonibus obſides XII. & receſſit. Sciendum eſt de hoc Idolo Irmenſeul, quod Mercurius apud Græcos Hermes dicitur: & quia Saxones olim ſunt de Græcis exorti, ut ſupradictum eſt, hunc Mercurium ſecundum linguam Græcam, quaſi honorabiliori nomine, Hermin ſeu Irmyn nominabant: quamvis idem Mercurius vulgò Godan, quaſi bonum faciens, juxta quod lingua Latina ipſe quoque Stilbon: quaſi ſtillans bona dicitur, ſeu mutata litera Wodan, apud incolas regionis illius, quam Saxones in Germania occupabant, dicebatur. Unde dies Mercurii apud eos Godensdag/ prout ſuperiùs dictum eſt, nominabatur. Unde legitur in geſtis Longobardorum (*P. Diacon. hiſtor. Long. lib. 1. cap. 8.*) quod Longobardi, dum adhuc gentiles erant, Godan Deum, quem Romani Mercurium appellabant, ſpeciali veneratione colebant, ex eo, quod opera ejus primum bellum, quando de ſedib. ſuis egreſſi fuerant, quas ſub nomine Romulorum primò poſſidebant, contra Wandalos feliciter egerunt, & nomen Longobardorum ſibi ab eodem inditum crediderunt. Cumque poſtea de Pannonia verſus Italiam intendebant proficiſci, Saxones, tanquam ſpeciales amicos, & fortes bellatores, ſibi ſubſidium, ſeu veriùs in conſortium, per legatos venire poſtulabant. Qui ad eos cum magno exercitu venientes, ſimiliter cum eis Italiam invaſerunt. Unde Saxones adhuc pagani ejuſdem religionis cum Longobardis fuiſſe videntur, & Deum illum, cujus ope res Longobardorum proſperari credebantur, ſpeciali cultu venerabantur: quamvis forte ante illa tempora ſpeciali cultu ipſum Mercurium venerari ſoliti erant ex eo, quòd Mercurius Deus ſermonum dicebatur, & Græca lingua inter alias linguas clarior exiſtit. Et hoc maximè videtur ex eo, quòd hunc Deum non Mercurium, ſicut Romani, nec Godan ſicut Longobardi, ſed Hermem, quod proprium ejus nomen fuerat, antequam pro Deo habitus fuerat, ſicut Græci nominabant. Huic Deo conſecratum erat Idolum, ſeu ſimulacrum, in loco prædicto, quod Irmenſeul, id eſt, ſtatua Hermis dicebatur. Et quòd in loco prædicto concurſus pro ſacrificiis ipſi Idolo faciendis ex omni regione fiebat, à veneratione locus ille Eresberg/ id eſt, mons venerationis dictus eſt. Vel fortè Juno, quæ apud Græcos Hera dicebatur, antequam Hermes in eodem loco, vel forſan ſimul cum eo colebatur, inde locus dictus eſt Eresberg/ id eſt, mons Heræ, videlicet Junonis. Quod autem Hera colebatur à Saxonibus, videtur ex eo, quòd adhuc quidam vulgares recitant, ſe audiviſſe ab antiquis, prout & ego audivi, quòd inter feſtum Nativitatis Chriſti & feſtum Epiphaniæ Domini Domina Hera volat per aëra, quoniam apud Gentiles Junoni aër deputabatur. Et quod Juno quandoque Hera appellatur, & depingebatur cum tintinnabulis, & alis, dicebant vulgares, prædicto tempore vrowe here/ ſeu corrupto nomine vro here de vlughet/ & credebant illam ſibi conferre rerum temporalium abundantiam. Ab hac Hera tractum eſt nomen Heroum apud Græcos antiquitus. Unde animæ defunctorum, qui apud eos alicujus meriti æſtimabantur, apud ipſos Heroës, quaſi cum Hera, id eſt, in aëre habitantes, dicebantur, ut teſtatur Auguſtinus X. de C. D. (*cap. 21.*) Sed quacunque ex cauſſa prædictarum locus prædictus nominatus ſit, conſtat ex hiſtoricis, de partibus iſtis ſpecialiter

Digitized by Google

cialiter tractantibus, & aliis Chronicis, quod iſte locus prius Heresberg/ nominatus erat: ſed poſtea vaga quorundam curioſitate nomen mutatum eſt, ut dicatur mons Martis, quod mihi videtur ſic exortum. Poſtquam multa loca in partibus iſtis ſub cultu veri Dei, ſub fide Chriſtiana conſecrata ſunt, nomen venerationis ab uſu deſuevit, ſicut & nomen Hermis & Heræ. Et quia Mars apud Gentiles Deus belli dicebatur, & Saxones bellorum feritate multas gentes excellebant, credebant quidam Martem fuiſſe illum Deum Irmin, quem Saxones in loco prædicto coluerunt, neſcientes hæc nomina Mercurius & Hermes eundem ſignificare, prædictum locum quaſi præ cæteris curioſitate quadam excellere videri cupientes, montem Martis nominaverunt: credentes hoc cum vulgari lingua, qua dicitur Mersberg/ concordare. Sed iſti videntur decepti ex eo, quod Syncopationes & abbreviationes literarum & ſyllabarum multæ ſunt in vulgari, propter quas origo dictionum non advertitur, nec intellectus earum primitivus habetur. Unde ſi hæc oratio latina: Vado ad montem Venerationis transfertur ad linguam vulgarem, dicitur Ick ga tho dem Eresberge. Unde tandem uſus inolevit, quod cauſſa prolationis celerioris dicebatur, Jk ga tho dem Mersberge. Nam ſi diceretur tho dem Ersberge turpiter ſonaret illa Syncopatio: nam ſonaret dicere ad montem Culi. Quare hæc litera M. proponitur huic dictioni Ersberg & dicitur Mersberg. Et inde ſupradicti accipientes occaſionem dixerunt montem Martis. Sed non reperiuntur libri antiqui, nec privilegia, nec literæ aliæ, quæ habeant quadringentos annos, ubi reperitur hoc nomen mons Martis de loco ſupradicto. Fuit autem quidam conventualis monaſterii Corbiæ Paderburnenſis diœceſis Witikindus nomine, tempore Ottonis primi Imperatoris, qui conſcripſit geſta Saxonum, & præcipue ejusdem Ottonis & ſuorum genitorum. Hic videtur occaſionem dediſſe huic vocabulo mons Martis: quoniam in libro ſuo, quem ſcripſit de prædictis, hunc locum nominat Heresburge, & dicit quòd Saxones coluiſſent Martem, quem ex eo, quod ex Græcis fuiſſent exorti, Hermem nominaſſent, ſeu vulgari lingua Irmyn: quia, ut aſſerit, Mars apud Græcos Hermes dicitur. Et quod Hirmyn in hoc loco olim colebatur, alii librum prædicti Witikindi fortè legentes, credebant hunc locum montem Martis ritè nominandum. Sed tam ille, quam iſti convincuntur ex dictis Auguſtini libri VII. de C. D. (*cap. 14.*) & Iſidori lib. IIX. cap. XI. Etymolog. qui dicunt, quod Mercurius apud Græcos dicitur Hermes, & Mars apud Græcos vocatur Gradivus, ut teſtatur Iſidorus ut ſupra. Carolus anno regni ſui V. ad preces Adriani Papæ Romam ſe transfert & Deſiderium regem Longobardorum in Papia obſidet, & capta civitate regem cum uxore ſua captum ad Franciam deducit: & ſic ceſſat regnum Longobardorum. Et Adrianus Papa, poſtquam Karolus Deſiderium ſuperavit, in eccleſia Lateranenſi Concilium CLIII. Epiſcoporum & Abbatum, Karolo præſente, celebravit, & Papa cum ipſa Synodo tradidit Karolo jus eligendi ſummum Pontificem & fecit eum Patricium, id eſt, patrem & advocatum urbis Romæ, & decrevit Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias inveſtituras ab eo accipere. Interea Saxones in Heſſis Francorum terminos vaſtant. Erat ibi in loco, qui Fridaslar, nunc autem pronunciatione Latina dicitur Frizlaria, baſilica quædam, quam S. Bonifacius dedicaverat, & ſpiritu Prophetico de eadem prædixerat, quod ipſa non eſſet igne deſtruenda. Cumque Saxones pagani ei ignem toto niſu ſupponere conarentur, divino favore perterriti fugiunt. Et unus eorum genibus incumbens, quaſi ſpeciem flantis exhibens, mortuus inventus eſt. Carolus anno regni ſui VII. ingreſſus Saxoniam cuncta devaſtavit, & caſtrum Iborg, quod nos dicimus corrupto nomine Driborg capit. Unde ſi quis hæc verba. Vado ad ipſum Iborg, transfert in vulgare dicitur: Ick ga tho der Iborgh. Sed ſucceſſu temporis cauſſa accelerandæ prolationis conjungendo illum articulum Der fæminini generis deſignativum, quoniam caſtrum ſicut & civitas in genere fæminino vulgari lingua profertur, ſubtracta E litera ad hoc nomen Iborg dictum eſt Driborg. Carolus quadam vice à Saxonibus uſque ad flumen Magonum fugatus, dum qua parte aquæ vadum poſſet habere plurimum hæſitaret, ſtatim quædam cerva apparuit, & flumen coram eo pertranſiit, quam Carolus cum exercitu ſequens flumen tranſiit, & inimicos evaſit: Et fertur Carolus dixiſſe: Melius eſt dicere Carolus fugit coram inimicis, quam Carolus interfectus eſt ab inimicis. Et ex illo tranſitu locus

Digitized by Google

locus ille dictus eſt vulgariter Franckenuord, id eſt vadum Francorum. Anno IX. Caroli, Saxones poſt multas cædes & varia bella fidem Chriſti ſuſcipiunt, & venerunt ad Carolum omnes majores Saxonum, habitantium inter Rhenum & Weſeram fluvios, præter Witikindum unum de primoribus Weſtphalorum, in loco qui dicitur Paderborne anno Domini DCCLXXVII. Sciendum quod hic locus nomen trahit à fluvio ibi ſurgente, qui Pader dicitur, quem iſte Carolus loci amœnitate delectatus, vel fortè Saxones, qui olim de Italia, quam cum Longobardis invaſerunt, reverſi fuerant, de quibus ſupra dictum eſt, à Pado fluvio Italiæ nominabant. Et inde fortaſſis eſt, quod in literis Apoſtolicis ſcribitur Padeburnenſis. Relatione quippe ſeniorum traditum eſſe dicitur, quòd Carolus huic loco nomen indiderit. Hic etenim fluvius (quemadmodum Padus maximus fluvius Italiæ ex tribus fontibus ſibi invicem propè ſurgentibus, ad pedes Alpium in unum alveum concurrentibus oritur) in pede montis ex tribus fontibus, quaſi profundis ex abyſſis, ſcaturiens, multis rivulorum decurſibus, ab eodem monte currentibus, inter unius alvei ripas intra mœnia civitatis excipitur. Et horum trium fontium quilibet Pader appellatur, tamen cum ſua determinatione. Et fons verſus occidentem extremus, prout à quodam piſcatore, hoc mihi referente, intellexi, à ſuperficie effluentis aquæ usque ad fundamentum ejus centum minus duobus pedum altitudinis eſt: quemadmodum validè ſe menſuraſſe idem piſcator fatebatur. Et hi tres fontes tantam profundentes aquarum abundantiam cum rivulis ſuis flumen generant, cui in tota Europa, quantum ad ortum ejus, ſimile non contingit reperire. Dilatat quippe gremium mox fontibus egrediens, quod intra civitatis, in quam ſurgit, mœnia viginti molarum rotas, quarum nulla poſterior rotæ præcedentis aquam recipit, ſicut jugiter fluit, indeſinenter volvere poteſt. Neque quisquam miretur, quod dixi huic fluvio nomen prædictum à Carolo fuiſſe inditum quamvis ante ejus adventum apud incolas regionis, aliquo certo nomine fuiſſe fluvium ipſum nominatum, dubium non exiſtit. Quoniam nomina fluviorum ſucceſſu temporum, adventu novorum populorum, aut principum, & de cætero mutata quandoque legimus. Et veriſimile eſt nomen priſtinum Lippe fuiſſe, quòd, ex illo conjicio: quòd fluvius à nulla civitate, villa, vel vico, extra locum, in quo ſurgit, ſub hoc nomine Pader recipitur: quoniam ſtatim in loco, in quo ſurgit ad ſtadia quaſi XV. duobus fluviis commiſcetur, quorum quilibet iſto minor eſt. Et inde omnium illorum trium fluviorum congregatio Lippe nominatur, quo nomine nullus illorum trium fluviorum ſimpliciter nominatur, ſed fluvius, qui occurrit ab Oriente, qui reſpectu iſtius quaſi rivus apparet, Stricta Lippa (Die ſchmahle Lippe) nominatur, utique ad differentiam alterius fluvii, qui etiam Lippe cum alia determinatione, vel ſine determinatione ſit vocatus, & major illo ſit, cùm nomina fluviorum minorum ſibi concurrentium, ſicut & aquam, ſoleant abſorbere communiter. Et fluit ſub hoc nomine Lippe donec Rheno commiſcetur. Ad hunc locum Karolus ſæpe divertit, quoniam, ut ſcribit quidam, qui poſtea in eodem loco tempore Arnulphi regis vitam duxit religioſam, Hic locus viris omni nobilitate generis animique ſemper inſignibus abundabat, ut non eſſet dubium, quin patria civibus, & cives patriæ congruerent, ac ſibi utrinque viciſſim ornamento forent. Hic etenim locus eſt, in quo ſaxo de ſilice Marpeſiæ cautis ab extremo eò deducto, ferro percuſſo, fidei Chriſtianæ ſcintilla proſiliit, quæ radiantibus ſub armis verbi flatu excitata, in tantum exarſit incendium, quòd non ſolum omnes Saxonum, verum etiam plures Wandalorum, ſeu Slavorum, aliarumque gentium longè ſepoſitarum, regiones ipſius non conſumens, ſed illuminans flamma pervaſit, non immeritò per novum Apoſtolum, lingua ferrea rebellium ſanguine tincta, fidem Christi fortiter prædicantem, ſignum triumphale, quo non ſolum terrenæ imò & aëriæ poteſtates arcentur, crucis videlicet rubentis effigies, eidem loco inſigne armorum præſumitur eſſe decretum.

Hoc tempore Nicephorus, qui Imperium apud Græcos invaſerat, occiſus eſt: & ſucceſſit ei filius ſuus Stauracius: qui poſtquam tenuit Imperium tribus menſibus interfectus eſt, & regnavit Michael duobus annis. Et deinde regnavit Leontius Patricius, & ſic regnum Orientis quaſi in nihilum deductum eſt.

Saxones, Duce eorum ſuadente, videlicet, Witikindo, poſtquam fidem Chriſtianam primo ſuſceperant, & Karolus profectus erat in Italiam, Francorum terminos

 usque

usque ad Rhenum ferro & igni devaſtant. Et tunc monachi Fuldenſis monaſterii propter timorem Saxonum, aſſumptis ſecum oſſibus S. Bonifacii, de monaſterio fugerunt. A Witikindo prædicto Duces Saxoniæ deſcendiſſe conſtat: Et quandoque Rex nominatur, quandoque Dux, quandoque unus primorum Weſtphalorum. Nam Edelhard prædeceſſor ſuus ſub regis nomine in Chronicis invenitur. Unde in diœceſi Oſnaburgenſi ab ipſa civitate per dimidium milliare patriæ ruinæ Caſtri ipſius Witikindi adhuc demonſtrantur. Ubi collis quidam foſſatis altis intercluſus murorum fragmenta demonſtrat. Cumque Karolus Paderborne reverſus fuiſſet, & principes Weſtphalorum ad eum ibidem conveniſſent, Witikindus ad Sigifridum regem Danorum fugiendo ſe contulit. Cùm igitur in tota patria illa non erat locus muris cinctus, paucis caſtris exceptis, Karolus ſeptem loca intra Saxoniam, inter Rhenum & Albiam pro ſedibus epiſcopalibus elegit. Et ſunt hæc loca Paderborne, Mimigardevord, qui poſtea Monaſterium dictus eſt, Oſenbrugge, Minden, Verden, Hildesheim, & Halberſtad. Et licet decimæ de jure divino ſpectare noſcuntur ad ſacerdotes: Karolus tamen decimas in his partibus menſæ regiæ reſervavit. Et inde eſt, quòd Laici in partibus iſtis decimas obtinent. Et quia nondum omnes Saxones fidem Chriſti ſuſceperant, non erat tutum adhuc in locis prædictis epiſcopos ordinare. Erexit igitur Karolus quandam eccleſiam in Paderborne, quam commiſit epiſcopo Wirzeburgenſi reſpiciendam, donec de Epiſcopo poſſet eidem loco tuto providere. Et hæc eccleſia incepta eſt anno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo: quo anno multi Saxones Orientales venerunt ad Karolum & baptizati ſunt. Anno dehinc ſecundo, ſuadente Witikindo, Saxones iterum regi rebelles effecti, legatos ejus cum exercitu ſuo deleverunt. Quare Karolus reverſus in Saxoniam, Witikindo fugato, quatuor millia quingentos rebellium juſſit decollari. Anno Dom. 784. Karolus F. Karoli Weſtphalos vicit in loco qui Detmele dicitur, & Paderborne reverſus eſt: Cum audivit eos iterum congregatos ipſe proceſſit contra eos, & vicit. Anno DCCLXXXV. Witikindus Dux Saxonum & Albio Saxo, ex Transalbiana regione, Carolum pro gratia impetranda adeunt, quam conſecuti baptizati ſunt. Et deinde tota Saxonia ſubacta eſt. Anno ſecundo dehinc Carolus profectus in Italiam Beneventum ſibi ſubdidit, receptoque Grimoldo filio Argiſii Ducis Beneventani & XI. aliis è populo obſidibus receſſit. Anno DCCXC. Carolus cum exercitu bipartito Pannoniam ingreſſus Hunnos, qui & Avares, à quodam rege ſuo, quondam dicebantur, debellavit. Et tunc Carolus Auſtriam à Pannonia ſeparavit, & adjecit eam regno Pannoniæ, & deinde Oſtericke quaſi orientalis pars regni dicta eſt. Eo tempore Carolus depoſuit Taſſilonem Ducem Bavariæ, & filium ſuum, qui ambo facti ſunt monachi. Carolus fecit fieri foſſam inter Radiantiam & Alomoniam fluvios, quorum unus influit Rheno, alter Danubio, volens de Danubio ad Rhenum contra navigia tranſire: ſed quia terra arenoſa erat non multum profecit: Et quia ad alia anhelabat opus imperfectum remanebat.

Anno Domini DCCXCV. Carolus eccleſiæ, quam in Paderborne fundavit, quendam canonicum eccleſiæ Wirziburgenſis, Hatumarum nomine, de Saxonia ortum, & tempore ſuperiorum bellorum ſibi à parentibus obſidem datum, præfecit epiſcopum. Et eodem anno & præcedente atque ſequente Carolus multa bella commiſit in Saxonia. Deinde ſequenti anno fecit expeditionem usque ad Oceanum, ultra omnes paludes ac loca invia, & totam Saxoniam in deditionem per obſides accepit. Et reverſus caſtra poſuit in menſe Novembri circa Weſeram fluvium. Et inde locus ille à caſtris metatis ibidem Herſtelle usque in hodiernum diem nuncupatur. Deinde rebellantibus Saxonibus Transalbianis, Carolus caſtra poſuit in Mynda, & totam Saxoniam inter Weſeram & Albim devaſtando peragravit, & poſt hoc in Franciam reverſus eſt.

Anno Domini DCCXCIX. pontificatus Hatumari primi epiſcopi Padabornenſis anno quarto, Leo Papa tertius venit ad Carolum in Padeborne, querens de injuſta Romanorum perſecutione, quem Carolus honorificè ſuſcepit: Et rogavit, ut capellam quandam, ibi noviter conſtructam, cùm jam eccleſiam, quam præſens ibidem erexerat, ipſi rebelles vaſtaverant igne, dignaretur conſecrare. Qui precibus regis gratenter ſuſceptis, in eadem capella altare in honorem S. Stephani protomartyris devotè conſecravit, ac reliquiis ejusdem martyris, quas ſecum à Roma detulerat, in eodem

Digitized by Google

dem altari reconditis viſitantibus eandem capellam in anniverſario dedicationis ipſius, qui eſt VIII. Decembris, de benignitate ſedis Apoſtolicæ magnas indulgentias conceſſit, & ſedem ibidem Epiſcopalem auctoritate Apoſtolica confirmavit. Et tunc ad petitionem papæ Carolus dedit eccleſiæ Paderbornenſi caſtrum Iborgen / de quo ſupra dictum eſt. Carolus deinde cum Leone Papa profectus in Italiam Romam venit IIX. Kalend. Decemb. & Leonem Papam coram omnibus ſe cum Evangelio capiti ſuo applicato de criminibus ſibi objectis pleniſſimè purgantem in ſedem ſuam reſtituit, ac de inimicis ſuis eum magnifice vindicavit. Quare Leo Papa Carolum in imperatorem Romanorum coronavit, & Carolus à Romanis AUGUSTUS appellatus eſt.

CAPUT XXXIX.

JOhan. Papa VI. natione Græcus ſedit annos III. menſes II. Hic redemit captivos à Duce Beneventano, ut dictum eſt. Johan. VII. ſedit annos II. menſes VII. & erat natione Græcus. Siſimus natione Syrus ſedit dies XI. Conſtantinus natione Syrus ſedit annos VII. Hujus temporibus fuit fames magna in urbe per III. annos.

Gregorius II. natione Romanus ſedit annos XV. menſes VII. Hic ſtatuit feriam ſextam in cibo quadrageſimali jejunari, prout in quadam Chronica legi. Ipſe ſtatuit, ut feria quinta in quadrageſima jejunium & Miſſarum celebritas fieret, ſicut aliis diebus quadrageſimæ: quoniam alias prohibitum erat quinta feria jejunare. Iſtis temporibus Theodo Dux Bojorum ad Apoſtoli Petri limina primus de eadem gente accurrit orationis voto. Eo tempore invaſerunt Longobardi caſtrum Cumanum, quod Papa auxilio Ducis Neapolitani recuperavit, & de Longobardis multi interfecti ſunt, & quingenti capti. Item Longobardi caſtrum Varme pervaſerunt: & poſtea non longè caſtrum Ravennæ ab eisdem captum eſt. Iſte Papa Gregorius ſanctum Bonifacium, qui prius Winfridus dictus erat, ordinavit Archiepiſcopum Maguntiæ civitati metropoli Germaniæ: qui prædicatione ſua multos populos Thuringorum, Francorum Orientalium & Heſſorum ad fidem rectam, à qua diu aberrabant, perduxit.

Iſte BONIFACIUS monaſteria monachorum & virginum in Germania primus inſtituit. Ipſe à Papa obtinuit, ut gentes, quas ad fidem Chriſtianam converteret, eccleſiæ ſuæ ſubderentur. Et quia plures prædicationis ſuæ ſocios fecit, aliquos ex eis Epiſcopos in certis locis deſignavit. Cumque à ſede Apoſtolica confirmationem illorum peteret, Papa ſolum confirmavit illos, qui erant in locis muratis & tutis conſtituti. Et quia ERFORDIA nondum muro cincta fuit, Epiſcopus, quem ſanctus BONIFACIUS ibidem conſtituit, non fuit confirmatus. Cujus corpus adhuc integrum in eccleſia ſanctæ MARIÆ ibidem demonſtratur. Et ſic poſt illius obitum ibidem ceſſavit dignitas Epiſcopalis. Et confirmati ſunt Epiſcopi Wirtzburgenſis, & Eiſtatenſis quos ſanctus BONIFACIUS ordinaverat. Advertendum æſtimo, quòd in legenda Sancti KILIANI, quæ in eccleſia Paderbornenſi legitur, quam haud dubiè de eccleſia Wirtzburgenſi ſuſceptam credimus, Wirtzburg virorum caſtellum exponitur: quoniam apud Francos paterfamilias domus à vulgo Wirt appellatur. Sed quia apud eoſdem herba Wirtze dicitur, illi ut induxerunt hoc, ut nomen ipſum in Latinam linguam verteretur, ſecuti ſunt ultimam interpretationem, nominando civitatem ipſam ab herba & Græco vocabulo πόλις quod ſonat caſtrum, ſeu civitatem, Herbipolim. Sed antiqua Chronica & hiſtoriæ, ac etiam alii libri, qui ducentorum annorum ſunt aut parum ultra apud nos, hoc nomen non habent, quamvis nunc communiter illo omnes utuntur. Sic modo conſimili, & multò convenientius, civitas, vel eccleſia Paderbornenſis, Paderſontana poſſet apellari. Cumque Sanctus BONIFACIUS ſenio gravaretur, Zacharias Papa conceſſit ſibi, quod eligeret coadjutorem, qui ei ſuccederet in epiſcopatu: quod & fecit, & tandem XXXVI. epiſcopatus ſui anno à paganis tentus, pro fide CHRISTI martyr effectus eſt.

GREGORIUS Papa III. natione Syrus, ſedit annos X. menſes VIII. dies XXIV. Hic Synodum generalem Romæ celebravit, & ſanctarum imaginum venerationem confirmando, Leonem Imperatorem, qui ipſas imagines deponi juſſerat, excommunicavit. Ipſe etiam à Venetis mercatoribus plura emit mancipia utriusque ſexus, quæ in Africam mercimonii cauſſa volebant ducere, & ea libera dimiſit.

ZACHARIAS Papa natione Græcus ſedit annos X. menſes II. dies XV. Hic depoſuit Hildericum regem Franciæ, & Pipinum Caroli Magni patrem regem fecit. Et hoc de

Digitized by Google

conſilio principum regni, quòd Hildericus non ſolum inſufficiens ad regnum gubernandum, ſed etiam diſſolutus cum mulieribus & effæminatis fuit.

Stephanus natione Romanus ſedit annos v. Hic propter infeſtationem Aiſtulphi regis Longobardorum fugit in Franciam, & ibidem Pipinum quem Zacharias regem declaravit, unxit in regem. Deinde ungens Carolum filium Pipini in regem, Imperium Romanum tranſtulit de Græcis in Germanos: de qua translatione loquitur Decretalis, venerabilem, extra de electione. Et hoc tempore S. Bonifacius pro fide Chriſti occiſus eſt.

PAULUS natione Romanus ſedit annos x. menſem unum. In hujus electione Populus Romanus diviſus eſt. Nam alii THEOPHYLACTUM archidiaconum, alii hunc volebant habere Pontificem, & tandem prævaluit pars Pauli. Hoc tempore claruit Sanctus GANGULPHUS in Burgundia, qui uxorem ſuam dimiſit propter adulterium, & ab adultero clerico occiſus eſt. Cujus miraculis ipſa mulier poſt mortem ejus detraxit dicens: Si Gangulphus miracula facit anus meus cantabit. Unde factum eſt ut quando poſtea loquebatur, culo ſonum fecit.

Conſtantinus ſedit annum I. Hic ex laico ſubitò factus presbyter, tyrannus & Papatus invaſor, magnum ſcandalum fuit Eccleſiæ Dei: ſed zelo fidelium ab eccleſia deturbatur, & oculis privatur.

Stephanus natione Siculus ſedit annos III. menſes V. dies XXVIII. Hic ſtatuit VII. Cardinales Epiſcopos, qui alternatim in eccleſia beati Petri Apoſtoli celebrarent.

Adrianus natione Romanus ſedit annos XXIII. menſes X. dies XIIX. Hic muros urbis, qui usque ad fundamenta deſtructi fuerant, renovavit.

Leo tertius natione Romanus ſedit annos XX. menſes V. dies XXVII. Hic Letaniam, quæ ante aſcenſionem Domini peragitur, inſtituit, ſeu confirmavit. Ipſe conſtituit numerum compurgatorum ſacerdotibus, & certam formam purgationis Canonicæ. Ipſe dedicavit altare S. Stephani, quod eſt in crypta eccleſiæ Paderbornenſis. Et ipſe obiit pridie Idus Junii. Anno Domini DCCC. incepit ordo Wilhelmitarum ſub Wilhelmo Duce.

CAPUT XL.

CArolus Magnus anno Domini DCCCI. in ipſo die Nativitatis Dominicæ à Leone Papa tertio in Imperatorem Romanorum coronatus eſt, anno regni ſui XXXIII. & deinde imperavit annos XIV. eodem anno terræmotus factus eſt magnus pridie Kal. Maii hora noctis ſecunda, quo tota Italia graviter concuſſa eſt. Et tectum baſilicæ D. Pauli Apoſtoli Romæ magna ex parte corruit, & multa loca circa Rhenum & in Gallia ac Germania tremuerunt. Carolus eruditus in artibus liberalibus ſtudium tranſtulit de urbe Roma ad Pariſios, quod de Græcia Romam translatum erat à Romanis. Non tamen ſic tranſtulit, quòd ipſum ſtudium Romæ auferret, ſed modum & ſolennitatem, qui in urbe ſervabatur, translatis inde Doctorib. & magiſtris Pariſiis inſtauravit, & privilegiis confirmavit. Pro quo ſciendum, quòd quinque ſunt ſtudia generalia ſingulariter privilegiata, videlicet, Romanum, ubi Papa cum ſua curia reſidet; Pariſienſe in Francia: Bononienſe in Italia: Oxonienſe in Anglia & Salamanticum in Hiſpania. Cætera verò ſtudia, quamvis per ſedem Apoſtolicam privilegiata, particularia reputantur. Aaron rex Perſarum elephantem & alia munera miſit Carolo Aquisgranum. Anno Domini DCCCIV. Carolus Saxones Tranſalbianos cum mulieribus & natis in Franciam tranſtulit. Eodem anno Hattumarus primus epiſcopus Paderbornenſis obiit, anno epiſcopatus ſui IX. Et ſuccedit ei Baduradus, natione Saxo, ſeu Weſtphalus, electus de clero Wirzeburgenſi, cujus octavo anno, S. Ludgerus natione Friſo primus epiſcopus Mimigardevordenſis obiit. Carolus poſtquam Weſtphalos ſubegit, S. Meinulphum de fonte levavit, & matrem ejus Wichtrudt dictam, patre ejus jam defuncto, in ſuam protectionem recepit: quoniam frater mariti defuncti vim ſtupri ſibi conabatur inferre. Hic Meinulphus nobilibus parentibus exortus, archidiaconus in eccleſia Paderbornenſi, de bonis paternis monaſterium monialium, ſeu canonicarum regularium, in villa Bodicken Paderborneſis diœceſis, fundavit & dotavit, quod uſque ad tempora noſtra perduravit; nunc verò non hoſtium incurſu forinſeco, ſed tinea attenuatum intrinſeca, deſolationi

Digitized by Google

tioni proximum eſt. Meinulphus poſt mortem, & in vita miraculis claruiſſe legitur: & natalis dies ejus quinta die menſis Octobris in diœceſi Paderbornenſi celebratur. Uxor Caroli Hildegardis, nata de partibus Sueviæ, tres filios peperit ſibi videlicet Carolum, Pipinum & Ludewicum. Carolus debellatis Saracenis in terra ſancta reverſus per Conſtantinopolim ab Imperatore Conſtantinopolitano honorificè ſuſceptus eſt. Et cùm idem imperator vellet eum honorare in multis donis precioſis auri, argenti & gemmarum, ipſe recipere recuſavit, tantumque reliquias ſanctorum poſtulavit. Unde recepit partem de corona Domini, & camiſiam beatæ Virginis Mariæ ac brachium S. Simeonis: quæ omnia concomitantibus multis miraculis detulit ſecum, & Aquisgrani in eccleſia S. Mariæ virginis quam extruxerat, recondidit. Iſtis temporibus officium Ambroſianum maximè dimiſſum eſt, auctoritate Imperiali ad hoc plurimùm adjuvante. Ambroſius namque dum à Juſtina Auguſta perſecutionem ſuſtinuit, & intra eccleſiam cum plebe catholica inſidiis urgeretur, juſſit hymnos & pſalmos ſecundum morem Orientalium decantari: ne populus mœroris tædio contabeſceret. Et hoc fuit poſtea ad omnes eccleſias derivatum. B. Gregorius poſtea plura mutavit, addidit & detruncavit. Sancti enim patres non ſtatim omnia ad decorem officii pertinentia ordinare potuerunt: diverſi diverſa ſtatuerunt. Nam inceptio Miſſæ tres varietates habuit. Olim enim à lectione inchoabatur, ſicut adhuc in die Paraſceves. Poſtmodum Cœleſtinus Papa pſalmos integros ad introitum Miſſæ cum cantu ordinavit, & unum verſum de illo pſalmo, qui prius totus cantabatur, retinuit. Item Pſalmi olim circum aram in modum coronæ à circumſtantibus canebantur, unde & chorus eſt: ſed Flavianus & Theodorus, quòd alternatim cantaretur, inſtituerunt, ab Ignatio hoc habentes, qui ſuper hoc fuerat divinitus edoctus. Item Hieronymus Pſalmos, epiſtolas, Evangelia & ex magna parte officia diurna & nocturna præter cantum ordinavit. Gelaſius & Gregorius orationes & cantus adjunxerunt: lectionibus & Evangeliis coaptaverunt Gradualia: Sanctus & Alleluja ad Miſſam cantari inſtituerunt. Hilarius addidit ad Gloria in excelſis Laudamus te, & alia quæ ſequuntur. Notgerus abbas ſancti Galli ſequentias pro neumis ipſius Alleluja primus compoſuit. Et ideo quando canitur Sequentia, neuma ipſius Alleluja ultimo incœpti, prætermittitur. Et Nicolaus Papa ipſas ſequentias ad miſſas cantari inſtituit. Karolus imperii ſui XIV. & regni ſui XLVII. anno filium ſuum Lodewicum miſſis legatis de Aquitania vocat, & ipſi coronam Imperialis dignitatis imponens Monarchiam ſibi regni commiſit, & ſic anno Domini DCCCXIV. V. Kalend. Frebruarii Aquiſgrani obiit, & ibidem honorificè ſepultus eſt. Turpinus epiſcopus de Karolo Magno ſic ſcribit: Karolus erat corpore decorus, viſu ferus: ſtatura ejus octo pedum, facies ejus palmum & dimidium in longitudine habebat: barba ejus unius palmi, & frons ejus unius pedis erat. Militem armatum ſedentem ſuper equum à vertice ſimul cum equo uno ictu cum ſpatha ſcindebat: ferraturas equorum quatuor ſimul manibus faciliter extendebat: militem armatum rectum ſtans ſuper manum ſuam à terra uſque ad caput ſuum ſola manu velociter elevabat. Leporem integrum, duas gallinas vel anſerem uno paſtu edebat: vinum lymphatum bibebat: raro plusquàm ter in cœna bibebat. Item legitur de eo, quòd filias ſuas nuptui non tradidit, ſed eas ſecum duxit quocunque perrexit, dicens: ſe earum contubernio carere non poſſe. Et licet ſuſpicio mala de hoc eſſet, ipſe non advertit. Unde ſcribit quidam magiſter ejus (*Eginbardus de vita Caroli M.*) de eo, quòd licet aliàs felix eſſet, in hoc adverſæ fortunæ malignitatem expertus eſt.

CAPUT XLI.

LODEWICUS filius Karoli Magni cum filio ſuo Lothario imperavit annis viginti quinque. Secundo anno regni ejus, Stephanus Papa venit ad eum in Franciam, & in civitate Rhemenſi coronavit eum in Imper. Romanorum, & ipſe præſtitit Papæ juramentum fidelitatis. Anno quarto Imperii ſui habuit cum plurimis ſuis epiſcopis Concilium provinciale Aquiſgrani, & fecit ibi ſtatui regulam Canonicorum: cujus quidem concilii capitula habentur in eccleſia Paderbornenſi, in libro, qui propter Statuta hujus concilii in eo contenta, Regula appellatur.

Idem Lodewicus fecit ſtatui vitam Canonicarum ſecularium in Alemannia. Iſte Lodewicus habens tres filios, videlicet, Lotharium, Pipinum & Lodewicum, inter

Digitized by Google

eos diviſionem regni fecit. Lotharium fecit regem Italiæ, qui à Paſchale Papa poſtea anno IX. Imperii patris coronatus eſt. Pipinum fecit regem Aquitaniæ, & Lodewicum præfecit Bavaris & Germanis. Et eodem tempore, videlicet, anno Imperii ſui VI. ipſe incoavit monaſterium Corbeienſe, in diœceſi Paderbornenſi, quò poſtea XV. anno corpus S. Viti de Pariſiis tranſtulit. Eodem tempore in territorio Tullenſi, juxta villam Commerciacum, puella quædam ferè XII. habens annos, ab omni cibo per X. menſes abſtinuit. Dum Imperator Lodewicus Theodulphum epiſcopum Aurelianenſem, apud ſe falſo accuſatum, Andegavi concluſiſſet in carcerem, & in die Palmarum proceſſionem ſolenniter ſequeretur, Theodulphus hymnum, Gloria, laus & honor, quem metricè dictaverat, in carcere, cum Imperator poſt proceſſionem penes carcerem tranſitum faceret, alta voce decantavit. Unde motus Imperator eum fecit de carcere educi. Et quoniam ille epiſcopus, qui hymnum hunc fecerat carcere concluſus erat, quando eum dictaverat & cantaverat, adhuc idem hymnus ab abſconditis in quibusdam locis decantatur. Anno Imperii Lodewici XXIV. translatus eſt ſanctus Liborius de civitate Cenomanica Galliæ: in qua quondam ipſe fuerat epiſcopus, ad Paderbornam Weſtphaliæ: Aldrico Cenomanenſem & Badurado Paderbornenſem regentibus eccleſias. Hic Aldricus fuit accuſatus apud Gregorium Papam V. Habetur II. quæſt. VI. Decreto noſtro. Et quidam clericus eccleſiæ Paderbornenſis Ido nomine conſcripſit miracula, quæ vidit in tranſlatione ſancti Liborii, & habentur ſcripta in eccleſia Paderbornenſi ſupradicta. Et Erconradus Diaconus eccleſiæ Cenomanenſis ſcribit eadem miracula, prout ea ſe vidiſſe teſtatur. Et ipſe ſcribit, quòd legati epiſcopi Baduradi pro reliquiarum ſanctarum receptione miſſi Cenomannicam principales fuerunt: Folodagus advocatus epiſcopi Baduradi, Meinulphus archidiaconus, Adelbertus presbyter, Aldricus Diaconus & Drudwinus ſubdiaconus. Et quod Meinulphus in eccleſia ſancti Vincentii Conomanenſi vovit monaſterium Sanctimonialium fundare in honorem beatæ MARIÆ & ſancti LIBORII in loco qui dicitur Bodicon. Eo tempore floruit RABANUS poëta, abbas Fuldenſis, in Theologia præclarus, & poſt eum Strabus diſcipulus ejus. Eodem tempore Nortmanni tributum à Friſonibus exegerunt. Iſte Lodewicus primum epiſcopum in Hildensheim inſtituit. Ipſe cum filiis ſuis & regni principibus venit ad diſcordiam: Unde in manus filiorum incidit, & judicio epiſcoporum arma depoſuit, & abdicata uxore, incluſus pœnitentiam egit, ad hoc filiis eum cogentibus: Sed poſtea relaxatus, arma cum uxore reſumſit & filius fortiter reſiſtebat. Tandem filium ſuum Pipinum regno Aquitaniæ privavit: qui deinde obiit, & contulit illud Carolo filio ſuo minimo, quem habuit de alia uxore, nata de Suevia, quæ Welp dicebatur. Et licet iſte Carolus cum cæteris duobus fratribus ſuis, quorum mater dicta fuit Eduith, patri factus eſt contrarius, pater tamen anno imperii ſui ultimo, reconciliatis ſibi filiis, juxta priorem diviſionem, quam fecerat, regnum dimiſit, Lothario tanquam majori natu nominis dignitate conceſſa. Hucusque Eginhardus ſcripſit Chronica.

CAPUT XLII.

LOTHARIUS imperavit annis XV. Et facta eſt diſſenſio magna inter fratres de regno: cùm quilibet eorum regia dignitate vellet gaudere. Unde, poſt grave bellum habitum inter eos, ordinaverunt inter ſe mutuo, quod Lodewicus recepit partem regni Orientalem, videlicet, Bavariam, Sueviam, Auſtriam, Franconiam, Thuringiam, Saxoniam, & cæteras provincias Teutoniæ. Carolus recepit partem Occidentalem, quæ propriè nunc Francia dicitur. Sed Lotharius, ut dicitur, quamvis habuit Italiam recepit mediam partem regni, quæ deinde à nomine ſuo Lotharingia dicta eſt, & usque in præſentem diem. Hoc tempore Saraceni eccleſias SS. Petri & Pauli cum omnibus finibus Romanorum depopulati ſunt, Lotharius Imperator renuncians omnibus Prumienſe monaſterium ingreſſus, factus eſt monachus, & regnum Italiæ filio ſuo Lodewico reliquit. Tunc optimates regni Lotharingiæ filium ejus Lotharium ſuper ſe regem conſtituerunt.

Lodewicus filius Lotharii imperavit annis XXI. Iſtis temporibus Lodewicus rex Teutoniæ Dalmatas ſibi tributarios fecit. Pòſt regnum Caroli fratris ſui, ad inſtigationem Francorum, invaſit. Sed habito inter ſe colloquio in Confluentia, & cum Lothario nepote eorum pacem inter ſe ſervare juraverunt. Carolomannus filius Lodewici

Digitized by Google

dewici regis Teutoniæ à patre præfectus eſt Carentinis. Lotharius, rex Lotharingiæ filius Lotharii Imper. Thietbergam uxorem ſuam repudiavit, & aliam dictam Gualdradam ſuperduxit: propter quod in civitate Metenſi concilium Epiſcoporum collectum eſt: & quidam epiſcopi, volentes regi complacere, factum illud approbant. Quos poſtea Nicolaus Papa, dum rex per legatos ab eo correptus ſe conſilio epiſcoporum hoc feciſſe diceret, cognita veritate, depoſuit & Synodum Metenſem damnavit. Unde poſtea Tegualdus Trevirenſis & Guntharius Colonienſis archiepiſcopi hujus facti auctores, à Nicolao Papa depoſiti excommunicati ſunt. De iſto facto Lotharii legitur XI. quæſt. 3. c. Tegualdum. Et II. quæſt. I. c. Scelus. Et DLXIII. c. Porro. Ubi apparet civitatem Colonienſem ſub ditione regis Lotharingiæ illo tempore fuiſſe. Hoc tempore Bulgarorum gens ad fidem Chriſti converſa eſt cum rege ſuo: de quo dicitur, quod tantæ perfectionis fuit, quòd ipſe filio ſuo majori regno ſuo dimiſſo, habitum induit monachalem. Et cum filius ad paganiſmum reverſus eſt, ipſe reſumptis armis contra filium inſurgit: & eo capto oculos ſibi eruit, & regno minori filio ſuo dimiſſo, habitum, quem depoſuerat, reſumſit.

Anno Lodewici decimo quinto magna inundatio aquarum facta eſt, & maxima fames per Germaniam & Galliam exorta eſt: ut multi in Gallia carnibus equinis & caninis, & etiam humanis veſcerentur. Item in Italia tribus diebus apud Brigiam ſanguis de cœlo pluit. Item in Galliis locuſtæ innumerabiles terram occupant, & ſequuntur fames & peſtilentia. Hoc tempore ſanctus Meinhardus eremita interfectus eſt.

Anno XIX. Imperii Lodewici regis Teutoniæ contra Orientales Sclavos obtenta victoria, cum ad partes Saxoniæ reverteretur Luithgardam filiam Luithdolphi Ducis Saxoniæ deſponſavit, & in Francia Orientali in Caſtro Aſchafenburg nuptias celebravit. Ipſe Luithdolphus Dux Saxoniæ deſcenderat de ſtirpe Widekindi Ducis Saxoniæ, qui tempore Caroli magni fidem Chriſti ſuſceperat, ut ſupra dictum eſt. Et hic Luithdolphus habuit filium, qui dictus fuit Brun; & ille fuit occiſus à Normannis in bello, quando ipſi invaſerant Saxoniam, & habuit alium filium, qui dictus fuit Otto, & ille fuit avus primi Ottonis imperatoris, de quibus infra dicetur. Eodem anno Lotharius rex Lotharingiæ, filius Lotharii Imperatoris, de Roma veniens in Lombardia moritur, & apud Placentiam civitatem tumulatur. Cujus regnum Lodewicus Rex Teutoniæ & Carolus rex Franciæ inter ſe diviſerunt. Lodewicus Imperator quadam civitate munitiſſima Saracenorum expugnata, regem eorum capit & populum ſubegit, anno Domini DCCLXXI. Eodem anno accidit, quod in vico, qui dicitur Heribrachcelfeldt, ſito in ripa fluminis Sala, aqua ejuſdem fluminis in alveo per LX. ferè perticas noctu penitus defecit: ita ut homines loci illius manè alveum, qui prius naviculis pervius erat, ſicco pede per duas penè horas diei pertranſibant: & poſtea aqua paulatim uſque ad tertiam diei horam reverſa eſt. Lodewicus rex Teutoniæ regnum ſuum filiis Carolomano, Carolo & Lodewico diviſit, mandans ut eo vivente nihil innovarent

Eo tempore Ratholphus Comes ex commiſſione Lodewici regis ducatum Thuringiæ obtinuit. Lodewicus Imperator moritur: & Carolus rex Franciæ patruus ejus ſine conſenſu Lodewici regis Teutoniæ, qui major natu erat, regnum Italiæ invadit, & à Johanne Papa coronatus eſt: Et interim ipſe Lodewicus rex Teutoniæ moritur relinquens regnum ſuum tribus filiis ſuis ſupradictis.

Caput XLIII.

Carolus ſupradictus, qui Carolus Calvus dictus eſt, filius Lotharii imperavit annos III. menſibus IX. Hoc tempore Saraceni perdiderunt Siciliam, & comitatus Flandriæ habuit exordium: Quoniam ante illa tempora non erat Flandria tantæ opulentiæ, ſicut poſtea facta eſt. Hunc Carolum poſt mortem Lodewici nepotes ſui, filii ipſius Lodewici, Teutoniæ in regno perturbant, cum ipſe ſolus monarchiam affectaret. Carolomannus enim obviat ei in Italia, cum quo fecit pacem ſub teſtimonio exhibendæ juſtitiæ, quam patri ſuo, priuſquam obiit, debuerat. Lodewicus verò frater Carolomanni, alter filius Lodewici regis prope Coloniam civitatem cum eo congreſſus, multis occiſis de exercitu ejus non tamen ſine magno ſuorum diſpendio, eum fugavit. Et poſt hoc cum Imperator vellet iterum proficiſci in Italiam infirmitate correptus obiit, relinquens filium, qui & ſtatim mortuus eſt. Quo comperto Lodewicus rex filius Lodewici regis Teutoniæ, ad Gallias ſe transfert, & ibi honorificè in re-

in regem ſuſceptus eſt. Iſtis temporibus Normanni Saxoniam invadunt, & multos ducunt inde captivos: Sed Saxones congregati contra eos ad bellum primò incautè gentes victi ſunt: & cecidit Brun Comes & Dux Saxoniæ, frater Luitgardæ reginæ: Sed Saxones rurſum aciem dirigentes multos de Normannis trucidarunt. Poſthoc Normanni aſcenſu facto per fluvium Waël, Numegen irrumpunt: deinde Coloniam, Aquas, Leodium, Trajectum, Trevirim & opida circumjacentia ignibus concremarunt, multis hominibus trucidatis. Contra quos Lodewicus rex duxit exercitum, & expulit eos. Inter hæc Carolus, vel Carolomannus, Lodewici filius, moritur. Et deinde anno ſecundo Lodewicus rex etiam mortuus eſt & frater eorum Carolus, qui cognominatus eſt Groſſus, monarchiam nullo reſiſtente obtinuit.

Carolus Groſſus à Johanne Papa coronatus imperavit annis VI. Hic cum non poterat ejicere Normannos de Francia, pacem cum eis poſt bella plurima fecit, & Godefrido rege eorum cum aliis baptizato, conceſſit eis regiones, quæ ſunt ultra Sequanam fluvium, quæ usque in hodiernum diem à Normannis nomen ſortiuntur. Eodem tempore gens Ungarorum de Scythia egreſſa, venit in Pannoniam, ejectis inde Avaribus ſeu Hunis, patriam illam obtinuit. Hæc gens adeo inculta illo tempore fuiſſe narratur, ut carnibus crudis ad cibum, humano verò ſanguine ad potum uteretur. Cumque Carolus iſte ſegnius ageret, quàm regni ſolicitudo poſcebat, optimates regni Arnulphum filium Carolomanni, hujus Caroli nepotem, elegerunt in regem, in opido Franckefordt. Et poſt hoc Carolus IIX. ſeptimanas ſupervixit, & mortuus eſt.

CAPUT XLIV.

ARnulphus regnavit annis XII. Sed tantum tribus annis tenuit imperium. Anno regni ejus III. Ungari invaſerunt Carinthiam: contra quos Arnulphus direxit exercitum, & expulit eos: & reverſus in Galliam exercitum miſit contra Normannos, & commiſſo prælio multi de exercitu Arnulphi ceciderunt, & archiepiſcopus Moguntinus occiſus eſt. Quare Arnulphus congregato exercitu contra Normannos proceſſit, & eos incredibili plaga percuſſit. Et deinde ceſſavit jugum Normannorum & Dacorum à Francis, qui jam XL. annis Galliam vaſtaverant. Poſtquam Arnulphus electus erat in regem Bernhardus filius Caroli Groſſi fugit in Italiam ad Guidonem, cui pars Italiæ commiſſa fuerat. Cumque Formoſus Papa nimis premeretur ab eodem Guidone, ipſe invitavit regem Arnulphum ad Italiam, qui venit cum tanto exercitu, quòd, Guidone fugato, Papa miſit ad eum legatos, petentes ne propter exercitus magnitudinem ultra in regionem progrederetur. Quare ſubactis in Lombardia rebellib. rex ad partes Teutoniæ reverſus eſt. Arnulphus filium ſuum Zuentibaldum diademate ſibi impoſito regem Lotharingiæ fecit. Poſt hæc Arnulphus rex iterum à Papa invitatus, venit in Italiam, & Berengarium, cui Veronam cum partibus adjacentibus commiſerat, propter infidelitatem honore privavit, & cuidam Walfrido commiſit regionem. Et deinde proficiſcens Romam à Papa formoſo coronatus eſt. Deinde reverſus in Franciam paralyſi morbo ægrotare cœpit, & tandem infirmitate fatigatus occubuit. Quidam dicunt eum in infirmitate, non obſtantibus medicamentis quibuscunque, pediculis eſſe conſumptum, aſſerentes ſibi illud accidiſſe in vindictam à Deo, quia ipſe primò invitaverit Ungaros contra quosdam rebelles in Italiam. Et exinde Ungari, regionis illius fertilitate perſpecta, poſtea Italiam ingreſſi, eam graviter afflixerunt.

CAPUT XLV.

STephanus Papa natione Romanus, ſedit annos VII. Hic coronavit Lodewicum filium Caroli M. Paſchalis ſedit annos VII. menſes V. Iſti conceſſit Lodewicus, filius Caroli M. privilegium ſuper libero regimine urbis Romæ, & provinciarum ejus. Et cum hoc conceſſit Romanis privilegium ſuper libera electione ſummi Pontificis: & ex fine iſtius privilegii patet, quod huic Lodewico viſum eſt, Imperium perpetuo apud Francos permanſurum. Habetur Diſt. LIII. c. Ego Lodewicus. Eugenius ſedit annos III. menſes II. & erat natione Germanus. Valentinus, natione Romanus ſedit dies XL. Gregorius quartus, natione Romanus, ſedit annis XV. Hic de conſenſu Lodewici Imperatoris, & conſilio Epiſcoporum, Feſtum omnium Sanctorum inſtituit celebrari in Kalendis Novemb. Ipſe civitatem Oſtiam in oſtio Tiberis ſitam, ve-

tuſtate

tuſtate nunc dirutam, à fundamentis renovavit, propter Saracenos, tunc cauſſa prædæ maritimas partes circumnavigantes: & mandavit eam Gregoriopolin, id eſt, Gregorii civitatem appellari: Sed poſt mortem ejus nomen illud abolitum eſt.

Sergius II. natione Romanus ſedit annos III. menſes II. Hic abſque juſſione Lotharii Imperatoris eſt ordinatus: quare Imperator miſit Lodewicum filium, & Drogonem epiſcopum Metenſem, cum valido exercitu Romam: qui poſt multa damna quæ Romanis intulerunt, ipſos Romanos Imperatori fidelitatem jurare compulerunt. Et demum poſt conditiones varias, ipſum Sergium confirmaverunt, & ipſe Papa Lodewicum in regem Longobardorum inunxit. Hic Sergius prius dictus fuit Os porci, & mutatum eſt nomen ejus. Et deinde ſtatutum eſt, ut electorum in ſummos Pontifices nomina mutentur. Eo tempore Saraceni Beneventum occupant. Hic Sergius habuit fratrem laicum, qui Benedictus dicebatur, & iſte eccleſiaſticam & publicam curam ſibi uſurpavit: primatum & dominium Romæ maximis munerib. ab Imperatore ſibi acquiſivit, & tandem Albanenſem epiſcopatum uſurpare conatus eſt. Iſtis etiam temporibus viguit Simoniaca hæreſis in tantum, ut etiam publicè venderentur epiſcopatus, & qui plus dabat epiſcopatum accipiebat: nec erat aliquis epiſcoporum, aut virorum eccleſiaſticorum, qui zelo juſtitiæ ductus cum Imperatore aut rege ageret, ut hoc nefas prohiberetur. Et quia nemo erat Chriſtianorum, per quem hoc malum corrigeretur, miſit Deus flagellum paganorum ad ulſciſcenda peccata Chriſtianorum: Supervenientes Saraceni innumeros interfecerunt, & multas urbes igne cremabant.

Leo IV. natione Romanus ſedit annos VIII. menſes III. Hic ſtatuit octavam Aſſumtionis beatæ Mariæ celebrari. Ipſe de conſilio Imperatoris Romæ Synodum LXVII. epiſcoporum convocavit, in qua multa utilia ſtatuit. Ipſe partem urbis, quæ à nomine ſuo deinde Leonina dicta eſt, muro cinxit.

Baduradus epiſcopus Paderbornenſis eccleſiam Paderbornenſem à Carolo M. incoatam conſummavit, & dedicavit eam XIV. Kalend. Novembr. Et deinde anno epiſcopatus ſui XLIIX. & iſtius Leonis Papæ anno quarto moritur. Et ſuccedit ei Luitharius, qui rexit eccleſiam Paderfontanam annis XXVI.

Benedictus natione Romanus ſedit annos II. menſes V. contra illum electus eſt Anaſtaſius: ſed legatus Lotharii Imperatoris capto Anaſtaſio Benedictum reſtituit. Nicolaus ſedit annos IX. menſes duos, dies XV. Hic depoſuit Colonienſem & Trevirenſem Archiepiſcopos, eò quòd conſenſerunt Lothario regi in abdicatione uxoris ſuæ legitimæ. Iſtis temporibus translatus eſt S. Martinus.

Adrianus natione Romanus, ſedit annos V. Hujus temporibus conceſſit Lodewicus Imperator monaſterio Corbejenſi quaſdam eccleſias in diœceſi Oſnaburgenſi conſtitutas, quarum quidem eccleſiarum collatio adhuc ſpectat ad Abbatem monaſterii Corbejenſis.

Johannes IIX. ſedit annos X. Hic abſolvit Lodewicum Imperatorem à juramento, quod præſtiterat Adalgiſo Duci Beneventano, dum ab eo conſtrictus quaſi ſub mortis periculo juravit, ſe nunquam fines Beneventanos intraturum, nec injuriam, ſibi per ipſum Ducem illatam, vindicaturum. Hoc tempore obiit Luitharius epiſcopus Paderbornenſis & ſucceſſit ei Biſo, qui rexit ipſam eccleſiam Paderfontanam annis XXIII.

Martinus ſedit annum I. & menſes V. Adrianus ſedit annum, menſes III. Hic ſtatuit, ut Imperator ſe non intromitteret de electione Papæ.

Formoſus ſedit annos V. menſes VI. Hic Formoſus poſtquam ſepultus erat, cadaver ejus à quodam Sergio, qui tempore electionis à quibuſdam erat electus, & poſt mortem Formoſi ſedem Romanam invaſit, ut dicitur, exhumatum, decollatum, & in Tiberim projectum eſt. Deinde iſto Sergio de ſede per Catholicos ejecto, corpus Formoſi recuperatur, & dum ad eccleſiam tumulo reſtituendum deferebatur, imagines ſanctorum inclinaverunt ſe verſus corpus innocentiam Formoſi ſignificantes. Iſtis temporibus corpus ſancti Meinulphi translatum eſt.

CAPUT XLVI.

LOdewicus filius Arnulphi regnavit annis XII. Iſtis temporibus imperium iterum fit bipartitum. Quidam enim ſoli regnabant in Italia, & quidam in Alemania

tantum usque ad Ottonem primum. Anno 1. Lodewici Ungari audientes mortem Arnulphi Bajoariam invadunt: ſed à Chriſtianis victi ſunt. Anno 11. iterum commiſſo prælio cum Ungaris, rex Ungarorum occiſus eſt. Et Otto Dux Saxoniæ & Burchardus Dux Thuringiæ contra Ungaros collocati, obſidibus receptis ab Ungaris, redierunt. Eodem tempore regnum Lotharingiæ per Lodewicum regem redactum eſt in Ducatum, qui commiſſus eſt Gebehardo. Lodewicus rex ſe conferens in Italiam, Berengarium qui ſe regem fecerat, ibidem fugavit. Sed Lodewicus, cum ſe apud Veronam credebat reſidere ſecurum, à fidelibus Berengarii capitur & excœcatur, & Berengarius ſedem regni recuperat. Per omne tempus, quo iſte Lodewicus regnavit Ungari non ceſſabant Italiam, Sueviam & Bavariam devaſtare. Anno regni ſui VII. Ungari invadunt Saxoniam, magnam prædam virorum & mulierum inde abducentes, quos in finibus eorum verſus Thraciam proſpicientibus collocabant. Unde usque ad hodiernum diem habitantes in locis lingua Teutonica utuntur vulgari idiomate, & ab Ungaris Saxones Tranſyluani nominantur: quoniam ſylua magna ſecernit eos ab Ungaris. Lodewicus iſte ſine liberis deceſſit: & principes regni Teutoniæ pro novo rege eligendo convenerunt. Et cum Ottonem Ducem Saxoniæ decernerent eligendum, ipſe ſe propter ſenium excuſavit, & ſuaſit, eligi quendam potentem ex genere Francorum Conradum nomine: & conſenſerunt principes in illum & ceſſavit ſtirps regalis Teutoniæ è Carolo M. deſcendens. Berengarius, qui regnavit in Italia bellum habuit cum Ungaris, & cùm propter fortitudinem exercitus ſui Ungari territi liberum peterent receſſum ab Italia, & obſides præberent, nunquam in Italiam ſe reverſuros affirmantes, Berengarius eis inſultans quaſi captis ab eo, noluit concedere eis liberum receſſum. Quare Ungari deſperatione tacti bellum inſtaurant, & Berengarius victus eſt, & poſtquam regnavit annos IV. mortuus eſt.

Conradus rex regnavit annis VII. Sed quia in Italia non regnavit inter Imperatores non numeratur. Per totum tempus, quo ipſe regnavit, Ungari, Alemannis, Bavaris, Thuringis, Francis & Saxonibus erant infeſti. Unde III. anno regni ſui Ungari usque ad monaſterium Fuldenſe pervenerunt. Et anno ejus V. Ungari tranſito Rheno fines Lotharingiæ invaſerunt. Anno ejus ſecundo Otto Dux Saxoniæ obierat, relinquens filium, qui dictus erat Heinricus. Cumque Conradus rex fines regni non defendit, quidam principes regni contra eum inſurrexerunt, videlicet, Arnoldus Dux Bavariæ, Burchardus Dux Sueviæ, Giſelbertus Dux Lotaringiæ, & Heinricus Dux Saxoniæ: Conradus rex tamen reſiſtebat eis. Unde Ducem Bavariæ expulit cum uxore & liberis de Bavaria: qui ad regem Ungarorum ſe contulit. Sic & cæteros ſuperavit, præter Heinricum Ducem Saxoniæ, qui Everhardum fratrem ipſius regis bello ſuperavit. Conradus rex cum tempus reſolutionis ſuæ adeſſe perpendit, coram regni principibus Heinricum Ducem Saxoniæ regem deſignat, & de conſenſu principum coronam & ſceptrum ei per Everhardum fratrem ſuum transmittit antedictum: & poſt hoc rex Conradus mortuus eſt. Berengarius II. regnavit in Italia annis IIX. Poſt quem regnavit ibidem Berengarius III. annis VII.

Caput XLVII.

Heinricus Saxonum & Turingorum Dux, filius Ottonis regnavit per regnum Teutoniæ annis XVIII. Hic Henricus in Fritzlaria electus eſt, & benedictionem epiſcopalem per Archiepiſcopum Maguntinum ſibi oblatam reſpuit: & cùm per Papam non eſt coronatus, nec in Italia regnavit, inter Imperatores non enumeratur. Ipſe poſtquam electus eſt, ſtatim proceſſit contra Burchardum Ducem Alemanniæ ſeu Sueviæ, & ſubegit eum. Deinde Arnoldum, ſeu Arnulphum Ducem Bavariæ, in civitate Regensburg obſedit: qui ſe & civitatem tradidit. Anno primo regni Henrici graves diſcordiæ fuerunt inter quendam Rodbertum regni Franciæ invaſorem, & Karolum verum regem regni ejusdem: ſed anno ſequenti Karolus vicit Rodbertum. Deinde idem Karolus intravit Alſatiam, & partes ejus appropinquas juxta Rhenum usque Maguntiam, intendens illas ſibi vendicare: ſed à fidelibus regis Henrici, Wormatiæ congregatis, repulſus & fugatus eſt. Henricus anno regni ſui quarto obſedit civitatem Metenſem, & eam diu reluctantem cepit. Poſthæc Henricus & Karolus reges in Bonna convenerunt, & firmata pace inter eos, Karolus promiſit, quòd Ducatum Lotharingiæ de cetero non appeteret, ſed ipſum liberè regno Teutoniæ di-

mittere

Digitized by Google

mittere vellet. Rodolphus Dux Lotharingiæ habuit lanceam Conſtantini M. in qua erat crux fabricata de clavo Domini, quam Henricus rex minis & precibus extorſit ab eodem, & cum ea poſtea de inimicis ſuis ſæpe triumphavit. Inter hæc Hungari Franciam, Italiam & Alemanniam igni gladioque vaſtando peragrarunt: & tandem civitatem Auguſtam obſidione vallabant. Unde S. Odelricus, tunc ejuſdem civitatis epiſcopus, magnum contra eos collegit exercitum, ſed non potuit prævalere contra eos: ſed Hungari bello commiſſo vicerunt, & coëgerunt Auguſtanos ſibi tributum ſolvere. Poſt hæc Hungari invadunt Saxoniam, & undique ſævientes omnia vaſtant & monaſterium in Hervorde Paderbornenſis diœceſis deſtruunt. Henricus rex tunc exiſtens in præſidio urbis Werlaon, eis reſiſtere non valuit. Sed quia quidam de nobilioribus Hungarorum, per regis HENRICI fideles captus, regi præſentatur, & cùm Hungari illum captivum multo auro redimere vellent, rex Henricus aurum recipere recuſavit, ſed magis propter pacem inter ſe & Hungaros ſervandam ſe eum dimiſſurum eſſe dixerat. Unde tractatu habito concordatum eſt, quòd rex dimitteret captivum, & Hungari recederent ab eo, nec aliquid exactionis ab ipſo rege, & regno ſuo infra IX. annos continuè ſequentes deberent poſtulare: nec eum in aliquo gravare: Elapſis verò IX. annis rex ſolveret ſingulis annis tributum ab Hungaris indictum: & ſic captivus ille dimittitur, & Hungari recedunt. Poſtquam Hungari receſſerunt, rex HENRICUS mandat per univerſum regnum ſuum & diſtrictus in partibus SAXONIÆ & THURINGIÆ, quod de omnibus viris in rure habitantibus unus de novem civitates & opida coleret: cives civitates ſuas muris & foſſis munirent: & quòd nulla eſſet taberna ſeu forum, aut conventiculum, vel ſolennitas aliqua, niſi tantùm in civitatibus: ut viri in armis & factis fortibus ſe magis exercerent. Et mandavit, quòd ſenior inter fratres quoscunque deberet eſſe in exercitu regis, & propter hoc ipſe ſolus tolleret patris exuvias, inter quas arma maximè reputabantur. Et inde vulgò HEREWEDE adhuc nominantur. In prædictis IX. annis Henricus rex cepit Brandenborg / & occupavit Bohemiam & Moraviam. Elapſis verò his annis, rex Ungarorum mittit ad Henricum regem pro tributo. Unde rex habito conſilio cum principibus negat Ungaris tributa ſolvere. Quare Ungari congregato exercitu C. millium armatorum veniunt per partes Bavariæ & Franconiæ in Thuringiam, & obſident caſtrum Jechenburg cum L. millibus armatorum: & alia L. millia intrabant Saxoniam. Rex verò Henricus congregavit exercitum XII. millium armatorum, quorum IIX. millia timore percuſſi dimiſerunt eum. Cum igitur quadam nocte maximæ pluviæ cecidiſſent, manè nebulæ denſiſſimæ aſcenderunt. Rex oportunitate capta, in ipſa nebula cum IV. millibus armatorum irruit ſuper Ungaros vehementer, & percuſſit ex eis plurimos. Unde timore exterriti Ungari hinc inde diſperſi fugerunt. Cumque fama volavit ſubito, quòd Ungari fugerunt, omnes qui regem reliquerant, & alii plurimi confluentes Ungaros usque Jecheburgen cum maxima cæde perſecuti ſunt. Illi verò, qui caſtrum obſederunt, obſidione ſoluta non niſi fuga ſe poſſe ſalvari arbitrantes, omnes in fugam verſi ſunt, & ferè omnes paſſim per agros interfecti ſunt. Et deinde ceſſavit jugum Ungarorum à partibus Saxoniæ & rex Henricus magnificatus eſt valdè. Anno XI. regni Henrici Otto filius ejus, qui poſtea imperavit Edgith filiam regis Angliæ duxit uxorem. Iſtis temporibus rex Danorum fit Chriſtianus. Et Spitigeneus rex Bohemiæ ſimiliter Chriſtianus fit: cujus filius Wentslaus ſanctitate pollens à fratre ſuo Bolislao peremtus eſt. Item Saraceni multas civitates in Italia obtinuerunt. Item iſtis temporibus Græci, qui Apuliam & Calabriam invaſerant, Beneventanos cum Duce eorum graviter oppreſſerunt. Unde Thedbaldus marchio Camerinorum & Spoletinorum venit in auxilium Beneventanis contra Græcos, & quodam die, prælio commiſſo, Thedbaldus omnes Græcos, quos ceperat fecit caſtrari, & remiſſis eis Stratigeo capitaneo eorum dixit: Quandoquidem veſtro ſancto Imperatori Spadonibus nihil precioſiùs eſſe cognovi, hos ſtudui pauculos ſibi verecundè transmittere, plures quanto ocyus, Deo propitio, ſibi transmiſſurus. Poſt hæc quadam die mulier quædam, viro ſuo capto, magnis ejulatibus & laceratis genis currit ad caſtra, & tentorium Thedbaldi adiens magnis vocibus dolorem cordis ſui cunctis oſtendit. Quærente igitur Thedbaldo, quid cauſſæ ſit, unde tam commota exiſtat, ipſa reſpondit: Novum hoc inauditumque facinus eſt, Heroës, ut bellum non repugnantibus

Digitized by Google

tibus mulieribus inferatis. Cui cùm Thedbaldus diceret: Quis unquam ſani capitis heros, præter Amazonum temporibus, bellum mulieribus intulit? Ipſa reſpondit: Quod crudelius bellum mulieribus inferri, quidve incommodius his poteſt auferri, quàm ut eorum viris certetis teſticulos amputare, in quibus noſtri refocillatio corporis, & quod omnium potiſſimum eſt naſcitur, & ſpes exſtat prolis? Dum enim eos eunuchiſatis, non quod illorum eſt, ſed quod noſtrum eſt, tollitis: nunquam armentorum ſeu ovium copia, quàm mihi ante hos dies abſtuliſtis, caſtra veſtra me adire coëgit. Animalium quippe quæ mihi feciſtis diſpendia laudo: jacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus horreo, fugio, nolo. Sancti Dei omnes talem à me avertite peſtem. His auditis nimio ſunt omnes cachinno commoti, totiusque in eam populi favor excrevit, ut non ſolùm virum ſuum integrum, verum etiam cuncta, quæ ſibi ablata fuerant animalia, recipere mereretur. Cumque Thedbaldus ea recedente faceret ab ipſa per nuncium interrogari, quid viro ſuo auferret, ſi de cætero contra ſe veniret ad bellum. Ipſa reſpondit oculi ſunt illi, nares, manus & pedes, ſi hoc egerit, ſibi quæ ſua ſunt auferat: quæ mea, ſcilicet ancillulæ ſuæ ſunt, illi relinquat. Henricus rex habuit uxorem, quæ Mechtildis dicta fuit, & ipſa erat filia Thiderici comitis de Aldenburg / qui Thidericus habuit tres filios Witikind, Immod, & Reinbern: & erat de ſtirpe Witikindi Ducis Saxoniæ & Weſtphaliæ, quem Karolus M. fecerat Chriſtianum. Prædicta Mechtild peperit ſibi tres filios, videlicet, Ottonem, qui poſt eum imperavit: Henricum, qui poſt factus eſt Dux Bavariæ, & Brunonem, qui factus eſt Archiepiſcopus Colonienſis, & cum hoc Dux Lotharingiæ. Henricus rex condidit Goslariam, Quidelinborg & Miſniam civitatem, quam à rivo ibi ſurgente ita nominavit. Merſeburgenſem civitatem muro cinxit. Et Mechtild uxor ſua fundavit monaſterium in Northuſen. Henricus rex anno ætatis ſuæ LX. obiit, regnum relinquens Ottoni filio ſuo.

CAPUT XLIIX.

Otto primus filius Henrici regnavit annis XXXVI. Hujus temporibus poſt Berengarium tertium regnavit in Italia Lotharius annis duobus. Poſt quem regnavit ibidem Berengarius quartus cum filio ſuo Adelberto annis XI. Cùm Otto poſt mortem patris ſui venit Aquas cum epiſcopis, cauſſa coronæ regni ſuſcipiendæ, diſcordia fuit inter eos, quis eorum deberet coronare. Archiepiſcopus Trevirenſis dixit, quòd ſpectaret ad eum, quia ſedes ejus eſſet antiquior. Archiepiſcopus Colonienſis dixit, quòd ſpectaret ad eum, quia locus coronationis eſſet in provincia ſua: quapropter concorditer conceſſerunt illa vice duntaxat poteſtatem archiepiſcopo Maguntino, quoniam ille vir magnæ literaturæ & ſanctitatis erat: qui coronavit eum. Eo tempore Aquiſgranum erat ſub poteſtate Ducis Lotharingiæ. Otto rex fecit ſtatutum, quòd filii patre defuncto, cum patruis ſuis in bonis avorum æqualiter ſuccedant. Otto ad inſtantiam Edgith uxoris ſuæ civitatem Magdeburgenſem condidit, quam poſtea quidam curioſi Parthenopolin nominabant, quod ſonat virginis civitas: quoniam Magdeburg virginum caſtrum vulgò ſonat. Unde antiqui hoc perfectiùs exprimentes adhuc dicunt Megedeburgen. Et in quibuſdam Chronicis Parthenopolis nominatur, & in quadam ſumma ſuper Decretum etiam Magdeburgenſis Parthenopolitana dicitur in c. Quidam XCVI. D. Et qui eam ſic appellare volebant, fortè moti ſunt nomine cujuſdam civitatis Parthenopolis dictæ, de qua legitur in hiſtoria Romana, quòd L. Lucullus evertit eam anno ab V. C. DCLXXXI. & erat civitas Ponti provinciæ, & dicitur Parthenopolis à παρθένος quod eſt virgo & πόλις civitas. Unde & Neapolis olim dicebatur Parthenope à quadam virgine, ut dictum eſt ſupra. Nomen tamen iſtud, quantum ad civitatem Magdeburgenſem, jam ab uſu deſuevit. Anno Ottonis III. Ungari à Saxonibus cæſi ſunt. Henricus, frater Ottonis, Dux Bavariæ & Eberhard Dux Francorum ipſi regi ſæpiùs rebellare tentabant: ſed rex vicit eos, & fratrem ſuum ſæpius in gratiam recepit. Hic Henricus dum adhuc erat adoleſcens, tenuit urbem Eresburg / quam modò appellamus montem Martis: Et tunc quidam Tancmarus, cum adjutorio Everhardi Ducis Francorum, obſedit eum in eadem urbe, & cepit eam: & Henricum fratrem regis captum poſuit Everhardus Dux in cuſtodiam. Et deinde Everhardus & Tancmarus regi rebellant. Sed rex, congregato exercitu, venit ad urbem prædictam & à civibus intromiſſus eſt. Tancmarus autem fugit

Digitized by Google

fugit ad eccleſiam S. Petri, quam Leo Papa ibidem dedicaverat, & in eadem eccleſia Tancmarus quadam lancea, per feneſtram tranſmiſſa, transfixus occubuit. Et ſic Henricus frater regis liberatus eſt. Sed ipſe beneficii ingratus ad Ducatum Lotharingiæ ſe conferens regi tentat rebellare. Quare rex congregato exercitu Rhenum tranſire diſpoſuit, & cum pervenit ad urbem Trotmunde, quam Tremoniam dicimus, Henrico fidelem, cepit eam, & capitaneum ejus Aginam juramentô adſtringit, ut Henricum fratrem ſuum, quantum in eo eſſet, ad concordiam ſui reduceret. Cumque rex Rheno propinquus eſſet, & pars exercitus ſui Rhenum tranſiit, Giſelbertus Dux Lotharingiæ gener regis, & Henricus frater ejus, cum valido exercitu fideles regis invadunt, & rex in altera ripa fluminis conſiſtens ſuis nequivit ſuccurrere. Commiſſoque prælio primò ceſſit pars regis, ut adverſarios ad cœcas inſidias pertraheret. Erumpentes igitur hi, qui partes regis fuerant, ab inſidiis, adverſarios convertunt in fugam, multoſque ex eis occiderunt. Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis regi ſuſpectus deponitur, & ad monaſterium Fuldenſe dirigitur. Et Rothardus epiſcopus Strasburgenſis, ſeu Argentinenſis, eadem de cauſſa ad monaſterium Corbienſe detruditur. Anno quinto regni OTTONIS monaſterium Schildeſe in diœceſi Paderbornenſi fundatur. Anno ejus IIX. Ungari à Carentinis cæduntur. Lodewicus rex Franciæ expulſus à ſuis de regno Ottonis regis auxilium petiit: qui veniens cum maximo exercitu in Galliam ipſum in regnum reſtituit. Otto poſt mortem Edgith uxoris ſuæ profectus in Italiam, Athelheidin relictam Hermanni Ducis Longobardorum, à Berengario, regni Italiæ invaſore, in cuſtodia detentam, Berengario fugato, liberavit, quam recepit in uxorem, & cum ea Papiam civitatem accepit. Deinde cepit Mediolanum: ſed rege Ottone recedente, Mediolanenſes monetam ejus reſpuerunt, & à fidelitate ejus receſſerunt. Quare rex Mediolanum regreſſus coëgit Mediolanenſes de corio antiquo incidere nummos, & illos ab eis recipi mandavit. Inter hæc quædam mulier, dum rex iter ageret, venit ad eum conquerens ei, quòd vir quidam oppreſſit eam violenter, & ut juſtè judicaret, inſtanter petiit. Et reſpondit ei rex: dum reverſus fuero, faciam juſtitiam. Et ait mulier, Domine, forſan tunc memor non eris hujus injuriæ. Et rex demonſtrata digito quadam eccleſia propè ſituata dixit: Ecce illa eccleſia ſit mihi & tibi in ſignum memoriæ. Et his dictis profectus eſt. Deinde poſtquam rebus diſpoſitis in Alemannia reverſus eſt in Italiam, videns eccleſiam prædictam, quam in ſignum mulieri dedit, mandavit vocari mulierem. Et mulier veniens ad eum dixit: Domine, vir iſte, de quo querelam propoſui, maritus meus legitimus effectus eſt, & jam peperi de eo. Et ait rex mulieri: Dico tibi per barbam Ottonis (ſic enim ſolitus erat jurare) oportet eum guſtare dolabrum. Unde lingua vulgari Saxonica hæc verba protulit: Br Otten barde he moth barden ſchmecken. Et ſic viro adducto juſſit eum decollari. Poſtquam rex Otto primò receſſerat ab Italia, & anno ſequente haberet conventum principum regni, in menſe Auguſto, venit ad eum in Alemanniam Berengarius cum filio ſuo Adelberto, & ſubdidit ſe ei, & recepit ab eo regendas Italiæ provincias, præter Marchiam Veronenſem, & Marchiam Aquilegienſem. Et poſt hoc iterum rebellis efficitur. Anno XVII. regni ſui Otto deprehendens Archiepiſcopum Maguntinum ſibi inſidias machinari, & inimicos ejus intromiſiſſe in civitatem Maguntinam, civitatem ipſam obſidione concludit: & interim ipſe epiſcopus in Briſaco caſtello, quaſi nil contra regem acturus, reſidebat. Cumque Henricus Dux Bavariæ frater regis in ipſius regis auxilium properaret, filius regis Ludolphus Bavaros à fidelitate Ducis Henrici avertens, Ratisbonam civitatem adiit, & intromiſſus theſauros Ducis diripuit. Quare rex Otto obſidione Maguntina ſoluta Ratisbonam properat & illam obſidione concludit. Eodem tempore Fridericus Archiepiſcopus Maguntinus obiit: cui Wilhelmus frater regis ſucceſſit. Et rex fratri ſuo Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi Ducatum Lotharingiæ commiſit. Anno XIIX. Ottonis regis Ungari, tranſito Rheno, & inimicis regis præbentibus eis ducatum, Galliam vaſtaverunt, & per Italiam ad partes ſuas redierunt. Anno regni ejus XIX. Ungari in tanta multitudine venerunt contra eum, ut non, niſi terra dehiſceret, vel cœlum eos obrueret, ab aliquo ſe vinci poſſe dicerent. Rex verò in civitate Auguſta reſidens, in qua S. Othelricus geſſit epiſcopatum, ſacram communionem ab eodem ſancto epiſcopo ſuſcepit, & procedens contra Ungaros ad bellum

bellum in die B. Laurentii martyris, votum vovit, quod ſi Deus illo die B. Laurentii meritis intercedentibus victoriam ſibi concederet, ipſe domum ſuam regiam, quam in Merſeburg cœpit ædificare, in eccleſiam ad honorem S. Laurentii faceret conſecrari. Quo voto emiſſo bellum cum Ungaris committit, & vincit, & poſtea votum implevit. Otto rex volens in Magdeburg epiſcopatum inſtituere, apud Bernhardum epiſcopum Halverſtadenſem, in cujus diœceſi erat Magdeburg conſtituta, multum inſtabat, ut ad hoc conſenſum ſuum ſpontè adhiberet: ſed rex non potuit ejus conſenſum obtinere. Tandem mortuo Bernhardo epiſcopo, ſucceſſit ei Hildewardus Capellanus regis, qui regi conſenſit. Hoc anno Henricus Dux Bavariæ, frater regis, moritur, & Henricus filius ejus Ducatum, & cum hoc Marchiam Carinthinorum ſuſcepit. Et eodem anno Otto filius regis naſcitur, quem rex poſtea anno VII. aſſumit regni conſortem. Et poſt hoc verſus Italiam cum exercitu magno ſe dirigit urbem Romam magnificè viſitando.

IMPERIUM TRANSFERTUR AD SAXONES.

Anno Domini DCCCCLXII. Imperium Romanorum ad Saxones in perſonam Domini Ottonis regis Teutoniæ magnifici principis translatum eſt. Quoniam eo anno idem rex veniens ad urbem à Joanne Papa coronatur, & acclamatione totius populi & cleri Romani Auguſtus appellatur. Et Papa multa caritate ipſum ſecum detinuit, promittens ſe nunquam à fidelitate ejus diſceſſurum, quod tamen minimè ſervare curavit. Berengarius invaſor regni Italiæ, poſtquam rex Italiam intraverat, & Willa uxor ſua, nec non Adelbertus & Guido filii ejus, nunquam publicè audebant comparere: ſed caſtellis, quibus poterant, ſe magis occultabant. Nam cùm Otto poſtquam coronatus eſt, ad Lombardiam revertitur, Berengarius in caſtro dicto ad S. Leonem ſe continuit. Willa uxor ejus in quadam inſula, dicta ad S. Julium, in lacu majore ſe incluſit. Filii verò eorum huc illucque incerti vagabantur, videlicet Gard caſtellum & Travallum & inſulam in lacu Cumano. Willa inprimis invaditur, & ademto de lacu exitu undique quotidianis fundibulariorum & ſagittariorum impugnationibus fatigatur. Et poſtquam duobus menſibus obſeſſa eſt, capitur, & demum clementia Imperatoris dimiſſa, quo velit ire libere permittitur: quæ quanta velocitate potuit, Berengarium adiit, & ne Imperatori ſe dederet omnimodè perſuaſit. Deinde Imperator Berengarium in caſtro montis Leonis obſedit. Et interim Adelbertus filius Berengarii in Corſica inſula profugus Johannem Papam cum multis Romanorum ad ſe allexit, ita ut Adelbertus per Papam intromiſſus in urbem Imperatori ſe poſſe reſiſtere crederet. Quo comperto, Imperator obſidione circa montem Leonis fidelibus ſuis commiſſa, cum parte exercitus Romam revertitur, quod JOHANNES Papa prænoſcens, arrepto theſauro S. Petri, cum Adelberto fugit ab urbe: ſed Imperator veniens ad urbem intromiſſus eſt. Et convocato concilio Cardinalium & epiſcoporum plurimorum, ibidem tunc præſentium, audivit à multis teſtibus infamiam & machinationem Johannis Papæ, quarum fama volax eum reum eſſe teſtabatur. Unde Imperator crimina univerſa, quorum reus dicebatur, ſibi per duos Cardinales intimavit: & ut ad concilium veniret, de illis ſe purgaturus, conſuluit. Sed Papa, ſemel vel bis vocatus, venire renuit. Quare, conſentiente Imperatore, per concilium depoſitus eſt, & in locum ejus Leo ſubſtituitur. Deinde ad inſtigationem Johannis, qui priùs Octavianus dictus fuerat, Romani pecunia corrupti, poſtquam pars magna exercitus Imperatoris ab urbe receſſit, contra Imperatorem & LEONEM Papam armis inſurgunt: ſed Imperator cum paucis evaſit, fidelibus tamen Imperatoris cum Romanis in urbe congreſſis, Romani miſerabili cæde trucidati ſunt. Unde Romani coacti centum dederunt obſides Imperatori, & fidelitatem ſibi juraverunt. Inter hæc BERENGARIUS obſidione fatigatus, diruto caſtello in monte S. LEONIS, capitur, & cum uxore ſua in Bavenberg in exilium mittitur, & ibidem mortuus eſt. Cùm vero Imperator ab urbe recedens verſus Spoletum tenderet, LEO Papa rogavit eum, quòd Romanis obſides redderet. Quod Imperator fecit, & receſſit. Deinde Romani Johannem, qui & Octavianus, olim Papam intromittunt in urbem, & Leonem Papam interficere quærunt. Sed Leo fugit ab urbe, & ad Imperatorem ſe dirigit. Et Johannes quoſdam viros religioſos Leoni adhærentes, in urbe comprehenſos, diverſis membris detruncari fecit & poſt hoc extra urbem morte ſubitanea defunctus

functus eſt: & Romani in locum ejus Benedictum ſubſtituerunt. Quapropter Imperator cum exercitu Romãm regreditur: urbem obſidione circumdat, neminemque Romanorum ſine membrorum truncatione exire permittit. Unde Romani ejus impetum ferre non valentes, ipſum intromittunt, & Benedictum ei coactè præſentant: quem Leo Papa ab omni gradu depoſuit, præter quod ad preces Imperatoris diaconatus gradu ipſum uti permiſit. Et ſic Leone reſtituto, Imperator verſus Alemanniam repedavit, ducens ſecum Benedictum, quem in Hamburg in exilium relegavit, ubi & mortuus eſt, & ſepulcrum ejus ibidem adhuc in eccleſia demonſtratur. Anno Domini DCCCCLXX. Otto Imper. confirmatione ſedis Archiepiſcopalis in Magdeburg, cum conſenſu Hildewardi epiſcopi Halberſtadenſis, à ſede Apoſtolica obtenta XV. Kalend. Novembris Athelbertum quendam Treverenſem, profeſſione monachum, ad Archiepiſcopatus apicem ejuſdem Apoſtolicæ ſedis auctoritate, in ipſa Magdeburgenſi eccleſia primum promovit, ſex Suffraganeos ei ſubjiciendo, qui fuerunt Merſeburgenſis, Miſnenſis, Cizenſis, qui aliâs dicitur Nuwenburgenſis, & Havelburgenſis. Prædictos quatuor epiſcopos ſupradictus Archiepiſcopus, eodem die in Magdeburg conſecravit, anno regni Ottonis XXIV. Imperii ejus anno IX. Et deinde iidem epiſcopi per Archiepiſcopum prædictum per parochias ſuas deſtinati ſunt. Cæteri duo, qui his additi ſunt, fuerunt Brandenburgenſis & Poſnanienſis, qui priùs conſecrati fuerunt. Otto Imperator, dum in Italia reſidebat, Beneventum, Calabriam, & Apuliam, Ducibus earum devictis, ſubegit. Et deinde neptem Imperatoris Conſtantinopolitani, quæ Theophania dicebatur, filio ſuo Ottoni accepit uxorem, & Wilhelmo Archiepiſcopo Maguntino, ac aliis certis regni principibus commiſit, ut eundem filium ſuum cum ſolemnitate Romam ducerent coronandum. Qui ſuſcipientes eum, Romam cum exercitu ipſum perduxerunt. Ubi Johannes Papa XIII. eum in Imperatorem coronavit, anno regni ipſius Ottonis ſenioris XXXI. Et demum ipſe Imperator Otto ſenior, anno regni ſui XXXVI. moritur, & in Magdeburg, quam ipſe fundavit, honorificè tumulatur. Et eodem anno S. Othelricus epiſcopus Auguſtenſis moritur.

CAPUT XLIX.

OTto ſecundus poſt mortem patris ſui imperavit annos X. Hic primam expeditionem fecerat contra Danos, quos apud Sleſuick vicit. Et in illo itinere prima exclamatio irriſionis facta eſt contra clericos in Saxonia, cum uſque ad illa tempora habiti fuiſſent in reverentia. Secundam expeditionem fecit contra Henricum Ducem Bavariæ patruelem ſuum, quem in Bohemiam uſque fugavit. Tertiam expeditionem fecit contra Lotharium regem Franciæ, qui præſumſerat Aquiſgrani Imperium invadere, & perſecutus eſt eum Imperator uſque in Pariſios, univerſa incendiis devaſtando: ſed tandem Lotharius rex ſe illi cum magnis muneribus præſentavit, ac ſe ſubdidit ei. Anno Imperii ſui VII. tranſtulit ſe Imperator Otto in Italiam, & interim Slavi pagani Havelberg deſtruxerunt: ſimiliter & Brandeburgenſem civitatem, & eccleſiam, quæ habuit XXX. annos ante Magdeburgenſem eccleſiam, devaſtaverunt. Bohemi Cizenſem eccleſiam deſtruxerunt, & quidam Dux Obotritorum Slavorum, nomine Meiſtowi, Hamburg, ubi tunc ſedes epiſcopalis erat, quæ poſtea Lubeke tranſlata eſt, deſtruxit. Imperator poſtquam venit in Italiam, in Calabria cum Græcis periculosè dimicans, amiſſo exercitu, in quandam navim Conſtantinopolitanam fugiendo vix ſolus evaſit. Cumque tanta neceſſitate conſtringeretur, promiſit rectori navis, magnam ſe daturum ei pecuniam, ſi eum ad urbem Roſcien, in qua theſaurum ſuum ſe habere dixit ſimiliter & uxorem, perducere vellet, ut ibi uxore cum theſauro recepta, ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſe poſſet cum eadem navi conferre. Rector ipſius navis his verbis credulus, eum ad urbem memoratam perduxit. Cumque civitati appropinquaret Imperatrix, prout à nuncio præmiſſo docta fuerat, cum multis ſomariis, ſeu beſtiis, theſaurum portantibus, ab urbe progreditur. Quare Græci anchoram ejiciunt, & intromittunt quendam epiſcopum cum paucis, qui rogavit Imperatorem, ut vilia veſtimenta deponeret, & ſe aliis veſtimentis indueret. Stans igitur Imperator in prora navis, confiſus in arte natandi mare inſiliit: quem cum quidam de Græcis adſtantibus per veſtimentum apprehendere voluit, perfoſſus eſt gladio à quodam milite, cum epiſcopo intromiſſo: & Impe-

& Imperator ſalvus pervenit ad littus, cupiens nihilominus Græcis ſatisfacere de pecunia quam promiſit, ſed illi diffidentes receſſerunt. Hæc navis dicebatur Salandria, in qua & quadam alterâ, ei ſimili, colligebantur tributa, quæ eo tempore in partibus illis Imperatori Conſtantinopolitano ſolvebantur. Et erant iſtæ naves miræ longitudinis & velocitatis magnæ: habebat enim utraque earum centum quinquaginta nautas remigantes. Et temporibus noſtris tales naves apud Italicos Galeæ nominantur. Et, prout dicit Hugowicio, Celimdria vel Celindria dicitur apud Latinos navis Celox, & apud Græcos dicitur Velox vel Celonis. Et ſic corrupto nomine apud quoſdam Salandria nominata videtur. Prædictæ duæ naves portabant ignem, omni re, præter acetum, inexſtinguibilem. Quare Imperator poſtea conduxit eaſdem naves contra Saracenos. Poſt hoc Imperator collecto exercitu obſedit Beneventum, & cepit eam, & oſſa S. Bartholomæi tranſtulit inde, & ea Romam deducens in eccleſia, quæ in Inſula Tiberis eſt, ipſa honorificè recondidit: quamvis Beneventani adhuc aſſerant ſe oſſa S. Bartholomæi continere. Dicunt enim, prout ab eis in eadem civitate audivi, quod cum Imperator mandavit ſibi oſſa Apoſtoli præſentari, præſentata ſunt ei oſſa alterius corporis ſub nomine oſſium S. Bartholomæi: quæ Imperator ſic deceptus Romam perduxit. Poſtquam Imperator Romam venerat, quidam Romanorum pacem, quam Imperator ſtatuerat, violabant, magnum convivium nobilibus Romanis & principibus ſuis inſtauravit: & cum diſcumberent, omnes fecit militibus armatis circumdari latenter. Deinde propoſita quæſtione de pace violata, transgreſſores pacis recitari fecit in ſcriptis, & ſtatim juſſit eos decollari jubens cæteros epulari. Et poſt hoc Imperator decumbens teſtamentum condidit & theſaurum ſuum in quatuor partes diſtribuit: Unam partem eccleſiæ, aliam pauperibus, tertiam militibus & miniſtris, & quartam ſorori ſuæ Mechtildæ, Abbatiſſæ in Quidlinborch aſſignavit, & poſt ipſe mortuus eſt, & in orientali porticu Baſilicæ S. Petri Romæ ſepelitur, & imperavit poſt eum Otto filius ejus. Eodem anno obiit Otto dux Bavariæ, & Henricus filius ſuus ſucceſſit ei.

CAPUT L.

OTto tertius puerulus duorum annorum, poſt mortem patris anno Domini DCCCCLXXXIV. ipſo die Nativitatis Domini, ab Archiepiſcopis Ravennatenſi & Moguntino Aquisgrani in Regem conſecratur. Sed HENRICUS dux Bavariæ eum ſub ſui cuſtodiam recipiens regnum præſumſit invadere: Sed principes regni obſtiterunt ei, & ergo in hoc proficere non potuit. Anno XII. regni hujus Ottonis, Henricus dux prædictus obiit, & filius ejus Henricus ducatum obtinuit. Eodem anno Rex ipſe propter ſævitiam Creſcentii, regimen urbis tenentis, à Romanis invitatur, & ipſe veniens Romam, Papa Johanne, qui & Bruno fuerat dictus, tunc mortuo, Brunonem, qui & Gregorius quintus dictus eſt, filium Ottonis ducis Carinthiæ, in ſedem ſummi pontificatus locavit, & ab eodem in die Aſcenſionis Domini Imperialem coronam ſuſcepit, anno regni ſui decimo tertio, & ætatis ſuæ decimo quinto. Hoc tempore S. ALBERTUS Epiſcopus Pragenſis martyrio coronatus eſt, qui Stephanum Regem Ungariæ baptiſavit, tempore Ottonis ſecundi. Otto Imperator regreſſus à Roma venit in Bohemiam, & ſedem Archiepiſcopalem in Praga inſtituit, confirmatione illius à ſede Apoſtolica impetrata. Inter hæc Creſcentius affectans Imperium, Papam Gregorium quintum, qui Teutonicus erat, & Imperatori gradu conſanguinitatis adſtrictus, ab urbe fugavit, & quendam Calabrum natione, Johannem nomine, epiſcopum Placentinum, in Papam promovit: quod dum percepit Imperator, ipſe reverſus ad urbem, Creſcentium in caſtro Angeli obſedit, & tandem eum apprehenſum cum aliis duodecim fecit decollari. Johannem verò invaſorem ſedis Apoſtolicæ oculis orbatum abjecit, & Gregorium in ſedem reſtituit cum honore, qui deinde anno ſequenti mortuus eſt. Anno Domini milleſimo, regni Ottonis XVII. imperii ejus quarto, Pontificatus Rhetarii epiſcopi Paderbornenſis anno XX. civitas Paderfontana incendio vaſtata eſt, & nobile principalis eccleſiæ monaſterium præcipui operis & decoris, à Carolo fundatum, & à Badurado epiſcopo ejusdem eccleſiæ conſummatum, cum libris, privilegiis, aliisque eccleſiæ ornamentis conflagravit. Quare Rhetarius epiſcopus miſit nuncios ad urbem Romanam, & tàm ſummo Pontifici, quàm Imperatori eccleſiæ ſuæ detrimenta inſinuans, omnia privilegia eccleſiæ ſuæ prædi-

by Google

prædictæ, tàm à Romanis Pontificibus, quàm Imperatoribus conceſſa, petiit innovari, quæ innovata ſunt tàm à Papa, quàm ab Imperatore, ſub data Calend. Januarii, anno Domini milleſimo, Pontificatus Papæ Sylveſtri, qui ante dictus fuit Gerbertus, anno ſecundo: Ottonis imperio XIIX. Otto imperator, prout in quadam Chronica (*Vide Godefridum Viterbienſem parte Chronici 17.*) legitur, ad inſtigationem uxoris ſui, quendam Comitem ſine audientia fecit decollari, ex eo, quòd ipſa Imperatrix aſſeruit illum tentaſſe ſe violare. Hic Comes rogavit uxorem ſuam, ut ipſa poſt ejus mortem judicio candentis ferri eum vellet expurgare, quod ipſa promiſit ſe facturam. Cum igitur die quadam Imperator ſedebat ad judicandum viduis & orphanis, relicta Comitis illius venit portans caput viri ſui in manibus, quærens ab Imperatore, qua pœna dignus eſſet, qui alium injuſtè occidiſſet. Et Imperator pœna capitis eum puniendum eſſe dixit: & mulier intulit: Et tu es, qui virum meum occidiſti injuſtè. Et ſtatim adhibito ferro candente manibus innocentiam viri oſtendit. Unde Imperator perterritus ſeipſum dedit in manus mulieris puniendum: Sed interventu Pontificum recepit primò inducias dierum decem à muliere: ſecundò inducias octo dierum: tertiò inducias ſeptem dierum. Et quartò inducias ſex dierum. Deinde Imperator cauſa examinata Imperatricem fecit vivam igne cremari. Et viduæ pro redemtione ſui dedit quatuor caſtra, quæ deinde ab induciis dierum decimum, octavum, ſeptimum, & ſextum dicta ſunt. Poſt hoc Imperator relictam Creſcentii, quem fecerat decollari, thoro ſuo propter ejus pulcritudinem nimis incautè conjunxit, quæ eum veneno interfecit, unde & ipſe mortuus eſt, anno regni ſui XIX. & corpus ejus à Roma, juxta quod voluit, Aquisgranum delatum honorificè ſepelitur. Et quamvis tres Ottones ſupradicti per ſucceſſionem generis regnaverunt, poſtea tamen cum Imperium apud ſolos Saxones ferè per annos centum perduraverat inſtitutum fuit, ut per principes officiales Imperii de cætero Imperator eligeretur, qui modus usque ad præſens tempus perdurans, nonnunquam gloriæ Imperialis dignitatis perniciem intulit, prout ſubſequentibus diligens lector poterit ponderare.

Sunt igitur Principes electores ſeptem, videlicet Archiepiſcopus Moguntinus, qui eſt Cancellarius Imperii per germaniam: Archiepiſcopus Treverenſis, qui eſt Cancellarius Imperii per Galliam: Archiepiſcopus Colonienſis, qui eſt Cancellarius per Italiam. Marchio Brandenburgenſis Camerarius Imperii: Comes Palentinus, qui eſt Dapifer Imperatoris: Dux Saxoniæ, qui portat enſem Imperatoris: & Dux Bohemiæ, qui poſtea regiam obtinuit dignitatem, & ipſe eſt Pincerna Imperatoris.

Caput LI.

BONIFACIUS Papa ſedit annos XV. Hujus anno IV. obiit Biſo epiſcopus Padербornenſis: Cui ſucceſſit Thidericus, qui rexit illam eccleſiam Paderfontanam annis novem, & eo defuncto ſucceſſit Unwanus, qui eidem Eccleſiæ præfuit annis decem & novem.

Stephanus ſedit annum unum, menſes tres. Romanus ſedit menſes tres, dies XXII. Johannes ſedit annos duos, dies tres. Benedictus ſedit annos tres, menſes duos. Leo ſedit dies quadraginta. Hic per Chriſtophorum ejectus eſt, qui ſucceſſit ei. Chriſtophorus ſedit menſes ſex, & ejectus de ſede Monachus effectus eſt. Sergius ſedit annos ſeptem, menſes tres, dies decem & octo.

Anaſtaſius ſedit annos II. menſes duos. Hoc tempore anno Domini DCCCCXXX. Unwanus epiſcopus Paderfontanus moritur, & ſucceſſit ei Dudo, qui præfuit eccleſiæ Paderfontanæ annis XXXV. Lando Papa ſedit menſes ſex. Johannes filius Sergii ſedit annos XIII. menſes duos, dies tres. Et quia Papatum invaſerat in carcere ſtrangulatus eſt.

Leo ſedit menſes ſex, dies XV. Johannes ſedit annos quatuor, menſem unum, dies quinque. Leo ſedit annos tres, menſes ſex. Stephanus ſedit annos tres, menſes tres. Hujus temporibus Dudo epiſcopus Paderfontanus moritur, & ſucceſſit ei Fulmarus, qui rexit ipſam eccleſiam Paderbornenſem annis XXVII. Martinus Papa ſedit annos III. menſes VI. dies XIII. Agapetus ſedit annos VIII. menſes ſex, dies tredecim.

Johannes Papa duodecimus, ſedit annos octo, menſes ſex, dies quinque. Hic fuit venator & totus lubricus & publicè fæminas tenuit. Quare Otto rex Teutoniæ

Digitized by Google

vocatus à Romanis, & quibuſdam Cardinalibus venit Romam, & congregatâ Synodo vocavit papam ejus præſentiæ ſe ſubtrahentem, ut veniret ad concilium de criminibus, quibus infamatus erat, ſe purgaturus. Accuſabatur in eadem Synodo, quòd duas ſorores ſtupraſſet, ſpiritualia vendidiſſet, patris ſui concubinam cognoviſſet: Johannem Cardinalem virilibus ſibi amputatis occidiſſet: in amorem Diaboli vinum bibiſſet: in ludo aleæ Jovis, Veneris cæterorumque Deorum falſorum auxilium poſtulaſſet: ſacros ordines in ſtabulo equorum contuliſſet: officium Miſſæ ſine communicatione celebraſſet: ordinationes epiſcoporum pretio feciſſet, & quendam puerum annorum x. epiſcopum Turdinum ordinaſſet. Hæc omnia & plura alia Otto Imperator per duos Cardinales ei ſignificavit, ut veniret ad expurgandum ſe de prædictis: qui bis vocatus, & cum venire renuit, per ipſum concilium, de conſenſu Imperatoris, depoſitus eſt: & Leo Protoſcriniarius eccleſiæ Romanæ, Imperatore conſentiente, in Papam electus eſt. Leo ſedit annum, menſes quatuor. Hic propter malitiam Romanorum ſtatuit, ut nullus fiat Papa, niſi Imperatoris conſenſus accedat, & ſtatuit ut Imperator haberet jus eligendi ſibi ſucceſſorem per regnum Italiæ, & inveſtire epiſcopos, & ſcribit ipſum Ottonem Imperatorem regem Teutonicorum ut habetur XXXVI. Diſt. cap. in Synodo. Poſt mortem iſtius Leonis Romani direxerunt legatos ſuos videlicet Azonem Protoſcriniarium & Marinum Sutrienſem epiſcopum ad Imperatorem in Saxoniam, pro inſtituendo Romano Pontifice, quem vellet. Quare Otto Imperator remiſit cum eis duos epiſcopos, videlicet, Cremonenſem & Spirenſem, qui ex parte Imperatoris electioni Pontificis intereſſent, & electus eſt epiſcopus NARNIENSIS, & eſt dictus JOHANNES. Prædictus LEO Papa, octavus hoc nomine, conceſſit indulgentias à pœna & à culpa viſitantibus capellam beatæ Mariæ de Eremitis Conſtantienſis diœceſis, ſub data anno Domini DCCCLXIII. ſub tenore iſtorum verborum: Et nos confiſi omnipotentis Dei gratia, & Apoſtolorum Petri & Pauli ac ſanctæ matris Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedis gratia & Authoritate cunctos prædictum locum confeſſos & contritos devotè viſitantes à culpa & à pœna reddimus abſolutos. Cum igitur iſte Leo in locum Papæ viventis, taliter, ut ſupra dictum eſt, depoſiti, cum Papa non niſi propter hæreſin deponi poteſt, ſubſtitutus eſt, & in ipſo privilegio conceſſionis indulgentiarum prædictarum nullus determinatus dies, quo quis eas conſequi poſſet, prout literarum Apoſtolicarum moris eſt: an venientes ad locum prædictum hujuſmodi indulgentias conſequantur, quidam dubitandum non immeritò aſſerebant.

JOHANNES XIII. ſedit annos VII. menſes XI. dies XV. Hic cum majores Romanorum minus quàm expediverat honoraret, à præfecto urbis & quodam ROTHFREDO comprehenditur, & in Campania cuſtodiæ mancipatur: Sed Imperatore verſus urbem ſe iterum dirigente, Papa ob metum Imperatoris ſolutus: in ſedem ſuam reſtitutus eſt. Hoc tempore obiit FOLCKMARUS epiſcopus Paderbornenſis, anno ſeptimo imperii OTTONIS ſecundi, & ſucceſſit ei RHETARIUS, qui rexit eandem eccleſiam annis XXVIII. Hic RHETARIUS, anno Pontificatus ſui tertio, impetravit eccleſiæ Paderbornenſi à ſede Apoſtolica privilegium, quòd filii ipſius Eccleſiæ poſſint inter ſe eligere epiſcopum, ſicut & ante eis erat conceſſum, quo tamen poſt mortem ejus uſi non ſunt, ob reverentiam Imperatoris, prout infra patebit. Inſuper obtinuit confirmationem privilegiorum omnium eccleſiæ ſuæ conceſſorum, tam à Romanis Pontificibus quàm Imperatoribus quibuſcunque anno Domini DCCCCXC. Benedictus quintus ſedit annum unum. Hic in caſtello S. Angeli ſtrangulatus eſt. Dorius, aliàs dictus Zeno, ſedit annum unum, menſes ſex. Bonifacius ſedit menſem unum, dies duos. Benedictus ſextus ſedit annos VIII. menſes quinque. Johannes XIV. ſedit menſes octo. Hic per ſex menſes fame afflictus moritur. Johannes XV. ſedit menſes IV. Johannes XVI. ſedit annos X. menſes VIII. Gregorius quintus, natione Teutonicus, filius Ottonis ducis Carinthiæ, qui prius dictus fuit Bruno, ſedit annos duos, menſes quinque. Johannes XVII. natione Græcus ſedit menſes X.

Sylveſter natione Gallus, prius vocatus Gerbertus, ſedit annos tres, menſem unum. Hic dederat ſe Diabolo, ut omnia ei ad votum ſuccederent. Unde primò factus eſt Epiſcopus Rhemenſis: deinde Archiepiſcopus Ravennatenſis, & poſtea factus eſt Papa, & tunc quæſivit à Diabolo, quàm diu victurus eſſet in Papatu: qui reſpondit

Digitized by Google

ſpondit ei, quo usque celebraret in Jeruſalem ultra mare, gaviſus eſt. Cumque poſtea celebraret ad S. crucem in Laterano, in eccleſia illa, quæ dicitur Jeruſalem, Diaboli affuerunt, quod Papa intelligens, & mortem ſibi imminere perpendens, licet ſceleratiſſimus eſſet, de miſericordia DEI non eſt diffiſus. Unde peccatum ſuum publicè prædicavit, & ſe membratim incidi præcepit, & truncum corporis ſui ſuper bigam poni, & ei animalia ſubjungi, & quo corpus animalia abſque auriga ducerent, quòd ibi ſepulturæ traderetur, quod ſic factum eſt.

CAPUT LII.

HENRICUS ſecundus regnavit annis XXII. Hic Henricus exiſtens Dux Bavariæ, cum corpus Ottonis tertii per Bavariam Aquiſgrani tumulandum duceretur, rogabat principes, corpus ipſum ducentes, ut ſe eligerent in Regem, quod & factum eſt, maximè ad hoc procurante Wilgiſo Archiepiſcopo Moguntino. Quibusdam tamen principibus regnum appetentibus diſplicuit, quorum unus fuit Eckhardus Marchio Miſſinenſis, qui ſperans ſe regnum conſequi poſſe, verſus Duſchborg, quo principes conventuros æſtimavit, ſe direxit. Unde in Hildensheim à Bernwardo epiſcopo quaſi Rex honorificè ſuſceptus eſt. Deinde cum venit Paderborne clauſas civitatis portas invenit: ſed juſſu epiſcopi Retharii intromiſſus eſt, & cum epiſcopo ipſo cœnavit. Cumque intellexit, quod epiſcopo Rhetario intentio ſua de regno obtinendo diſplicuit, & quòd colloquium Principum in Duſchborch non fieret, reverſus in Saxoniam in loco, qui dicitur Palichi, ab hoſtibus comprehenſus noctu occiſus eſt. Item Hermannus dux Alſatiæ Henrico duci Bavariæ ne Rex fieret conabatur obſiſtere. Nam poſtquam Henricus à principibus regni electus eſt, & verſus Moguntiam cauſſa coronationis properaret, Hermannus Dux prædictus, exercitu congregato, tranſitum Rheni ſibi prohibere ſatagebat: ſed non profecit: tandem tamen poſt multas diſcordias idem Dux HENRICO Regi conciliatus eſt. HENRICUS Moguntiam veniens à Wilgiſo Archiepiſcopo Moguntino, & à quibusdam ſuffraganeis ſuis regiam coronam accepit. Et deinde, tranſito Rheno, orientalem pertranſiens Franciam venit in Merſeborg. Ubi convenientes ad eum Bremenſis & Magdeburgenſis Archiepiſcopi, & Paderbornenſis, Hildeſemenſis, Halverſtadenſis, Miſnenſis & Verdenſis epiſcopi, Marchiones & comites regni, qui omnes eum in regem devotè ſuſceperunt. Deinde HENRICUS rex verſus Weſtfaliam ſe dirigens venit ad monaſterium Corbienſe, ubi occurrit ei venerabilis Cunegunda uxor ſua, ut putabatur, revera autem caſtitatis æmulatione ſoror: nam ambo caſtitatem ſervare Deo voverant: Et ergo rex quò minus liberorum procreationis deſiderio flagrabat, tantò ardentius eccleſiæ filios ſtuduit confovere. Tranſtulerunt igitur ſe ſimul Paderborne, ubi ipſa domina Kunigunda ab Archiepiſcopo Moguntino Wilgiſo regiam coronam, & Sophia ſoror regis abbatiſſa conſecrationem in die beati Laurentii, cum gaudio magno ſuſceperunt, anno Domini MII. quod eidem loco ad magnum profectum ceſſit & honorem: ſed tamen gaudium dolore quodammodo permixtum eſt: Nam Bavari fruges vicinorum pro paſtu equorum rapiebant violenter, & cum ab incolis prohiberentur coadunati ad invicem incolas invadunt: Sed WESTFALIS prævalentibus, Bavari ad curtem regalem confugiunt, & ibi frater Cancellarii regis quadam lancea vulneratus occubuit, & tunc BAVARI omnes in unum collecti incolas bello petunt, qui & ex adverſo eis occurrunt: Sed Bernhardus Dux cum valida manu ſuorum ſe in medio eorum interpoſuit, & eos ab utraque parte compeſcuit. Rex igitur ex hoc facto commotus quoscunque culpabiles invenit, eos caſtigatione condignâ punivit. Et ad placandum epiſcopum Retharium donavit ei Bökenevord: alii tamen ſcribunt, quòd non hoc tempore, ſed anno ſequente, quando epiſcopus eum viſitavit in nova Corbeja, dedit ei Bökenvorde ad ſubveniendum eccleſiæ Paderbornenſi, propter incendium, quod paſſa fuit tempore præterito. Rex de Paderborne proficiſcens tranſtulit ſe Duſeborg, ubi à Colonienſi Archiepiſcopo & Leodienſi ac Cameracenſi epiſcopis honorificè ſuſceptus eſt. Et ab eisdem usque Aquiſgranum deducitur, & in ſede regia, more anteceſſorum ſuorum, in die nativitatis Beatæ virginis collocatur. Eodem anno Henricus rex dedit epiſcopo Paderbornenſi foreſtam, quæ incipit à Delcana in ſolitudine Sende, quod flumen vulgo Dalke dicitur, & tendens per Oſingen ſyluam & ſolitudinem Sende, finitur in via, quæ ducit ad Horhuſen. Retharius epiſcopus Paderbornenſis, poſtquam circa eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ reſtaurationem apud regem & principes regni magnam ſolicitudinem exhibuerat, jactis jam fundamentis ipſius eccleſiæ, non tamen in eo loco, in quo prior Eccleſia fuerat concremata, XXVIII epiſcopatus ſui anno, obiit, & ſucceſſit ei Meinwercus regi Henrico conſanguinitate junctus.

Meinwercus decimus epiſcopus eccleſiæ Padebornenſis, poſtquam à rege Henrico epiſcopatum per chirothecæ traditionem in Goslaria, quâ eo tempore rex morabatur, ſuſceperat, & ab Archiepiſcopo Moguntino Witigiſo, & ſuffraganeis ſuis, ibidem tunc præſentibus, dominica ſecunda quadrageſimæ munus conſecrationis accepit, & poſt hoc Padeborne veniens honorificè ſuſceptus, & quantò magis regi familiaris extitit, tantò magis eccleſiæ Paderfontanæ apud regem & principes regni profuit. Poſtquam igitur Paderborne venerat tertiâ die adventus ſui muros, qui in principali eccleſia per prædeceſſorem ſuum negligenter erecti fuerant, ad ſolum dejici fecit: & ædificium ipſius eccleſiæ de novo munificentia ſingulari incepit, & in ſeptem annis magnificè conſummavit, ita quòd celeritas tàm magnifici operis magnitudine ædificii miraculum in locis illis exhibet intuentibus ipſum uſque in præſens. Unde ſicut templum Salomonis ex operis magnificentia, & conſtructionis, in ſeptem annis conſummatæ, celeritate ipſum miraculum extitit: Sic & hujus ædificii conſummationis celeritas, intuentes magnitudinis & fortitudinis ejus ſpeciem, non immeritò facit admirari: Sed ſicut celeris conſummationis templi Salomonis David ſolertia & induſtria in plurimis ædificationi templi neceſſariis conquiſitis cauſa fuerunt: Ita venerabilis Rhetarii epiſcopi provida in oportunis ipſi ædificio proviſio tam ſubitam ipſius ædificii conſummationem præſtitit. Et ſicut ſapientia Salomonis templum ipſum, quod fecerat, cunctis templis in orbe terrarum poſitis prætulit: ſic Meinwerci ſagacitas ædificium Paderbornenſis eccleſiæ omnium eccleſiarum ædificiis Alemaniæ inferioris tunc temporis præfeciſſe monſtratur. Meinwercus epiſcopus poſtquam ſingulis operibus præpoſitos præpoſuit, cum Henrico rege verſus Italiam ſe direxit. Nam quidam Hartwigus à Longobardis in Italia ad Imperium fuerat ſublimatus, contra quē rex miſit exercitum, committens eum Ottoni duci Carinthiæ, qui erat de genere regali. Sed Hartwigus regis exercitum cum magno tamen ſuorum diſpendio ſuperavit. Et deinde Papiam veniens in ſede regia collocatus eſt. Nocte verò ſequente, illi, qui erant de parte Hartwigi, factâ ſeditione in civitate plebejos ad impugnandum palatium regis provocarunt, quos tamen familiares Regis intra palatium exiſtentes viriliter abegerunt. Fit igitur tumultus maximus intra civitatem, & fideles regis ad ipſius defenſionem properantes, à civibus lapidibus & ſagittis arcentur: quare ædificia civitatis incendunt, & qui foris longè & propè fuerant hoc viſo ad civitatem properant, & muris fractis intrant, ac cives undique cædunt. Rex autem videns cives ſuperatos mandavit ſuis, ut reſiduis parcerent, quibus etiam miſericordiam petentibus, miſericorditer, quod in eum commiſerunt, indulſit. Rex deinde verſus Apuliam ſe dirigit, & eam à dominatione Græcorum liberat. Deinde verſus Romam ſe dirigens venit ad montem Caſſinum, ibi meritis Beati Benedicti, ibidem quondam Abbatis, à calculo miraculosè liberatus eſt. Apparuit enim ei in ſomno S. Benedictus, & aperto latere corporis calculum evulſum in manu Regis poſuit, quem rex evigilans in manu ſua veraciter inventum cunctis oſtendit. Et inde profectus Romam à Benedicto Papa cum uxore ſua Kunigunda in eccleſia. S. Petri in Imperatorem Romanorum coronatus eſt, anno Domini MXIV. ſexto Kalendas Martii, qui tunc Dominicus exſtitit. Ibi Meinwercus epiſcopus Paderbornenſis obtinuit privilegium ſedis Apoſtolicæ ſuper omnibus bonis datis & dandis eccleſiæ ſuæ, & confirmationem privilegiorum quorumcumque ſummorum Pontificum ac Imperatorum, eidem eccleſiæ ſuæ conceſſorum, & dedit ei Benedictus Papa reliquias ſanctorum, videlicet duo corpora cum dimidio ſeptem fratrum, filiorum S. Felicitatis, puta Philippi, Juvenalis & Felicis, & reliquias S. Blaſii martyris. HENRICUS Imperator poſtquam coronatus eſt, regreſſus ab urbe, & Alpibus tranſcenſis, venit in Germaniam, & dimiſſo exercitu diverſa loca ſancta propoſuit viſitare. Unde veniens Cluniacum ob venerationem S. Benedicti multa dona regalia fratribus monaſterii illius contulit. MEINWERCUS verò epiſcopus Paderfontanus ab Abbate petiit XII. fratres, quibus in civitate Paderbornenſi monaſterium in honorem S. Benedicti conſtruere pollicetur, quibus ſibi conceſſis

Digitized by Google

ceſſis, ipſe cum eiſdem panis pondere, & potus menſura, cum regula, antiphonario & hymnario ſecum aſſumpſit, domum repedavit, & capellam in honorem S. Benedicti in occidentali parte civitatis primò fundavit, & poſteà monaſterium cum Eccleſia ibidem magnificè complevit, & eidem capellæ in Nortborchen quandam domum cum decima primò in dotem aſſignavit, & poſtea fratribus ipſis multa prædia contulit. Primò verò, quàm conſecravit hanc capellam, majorem Eccleſiam Paderbornenſem jam magnificè conſummatam dedicavit anno Domini MXV. XVII. Kalendas Octobris. Et inde eſt, quod in eadem eccleſia adhuc ſingulis annis ſervatur ſub nomine dedicationis plenum officium de omnibus ſanctis, feriâ quintâ quatuor temporũ menſis Septembris, quæ priuſquam inſtitueretur octava una civitatis Beatæ Mariæ craſtino exaltationis S. crucis, quæ eadem dies octava ſemper occurrit, ſervabatur, prout patet in multis libris ipſius eccleſiæ, & eadem dies eſt XVII. Kalend. Octobris, ut patet cuilibet conſideranti.

Meinwercus epiſcopus ſperans ſe ab Imperatore Erwete, cum pertinentiis ſuis, obtenturum, ad dedicationem eccleſiæ memoratæ Imperatorem precibus invitavit: Sed Imperator faciens expeditionem in Poloniam dedicationi intereſſe non potuit. Quare Meinwercus, temporis oportunitate captata, in nocte Nativitatis CHRISTI, interventu dominæ Cunegundis Imperatricis, cum Imperator in Padeborne Nativitatem domini celebraret, ERWETE ab Imperatore eccleſiæ ſuæ donari obtinuit. Hoc tempore Meinwercus epiſcopus voluit monaſterium Corbienſe cauſsâ corruptionis viſitare: Sed Walo Abbas epiſcopo reſtitit. Quare ad inſtantiam epiſcopi Abbas ab Imperatore ab Abbatia depoſitus eſt. Et inde poſtea accidit, quòd quidam monachus ejuſdem monaſterii, Baſo nomine, epiſcopum volentem ibidem quadam vice celebrare prohibuit, & præparamenta altaris abjecit: quare epiſcopus ad tribunal CHRISTI monachum citavit. Unde poſtea accidit, quòd eadem hora, qua Epiſcopus deceſſit, hic Baſo, ſub manibus radentis ſibi barbam ſubitanea morte defecit. Item legitur de eodem MEINWERCO Epiſcopo, quòd dum quadam vice ſeptem viri in diœceſi Trajectenſi contra eum ſuper quibuſdam poſſeſſionibus teſtes producerentur, ſuper reliquias Sanctorum eis exhibitas, falſum jurare præſumerent, MEINWERCUS eductis reliquiis Sanctorum PETRI & PAULI atque BLASII, quas ſecum attulerat, ſuper illas eoſdem jurare popoſcit. Qui cum digitis extenſis ſuper eiſdem reliquiis temerè juraverunt, quatuor eorum oculis amiſſis, reliqui tres areſactionis digitorum plaga percuſſi ſunt, MEINWERCUS populo habitanti in SUTBORGEN, qui eo tempore ſpectabat ad eccleſiam forenſem, propter viæ longitudinem indulſit eccleſiam ſuam in Paderborne ædificare in prædio, quod conceſſit in dotem capellæ S. Benedicti in Paderborne, à ſe conſtructæ, & quod Abbas haberet proprietatem, ſeu jus patronatus illius eccleſiæ banno tamen ipſi epiſcopo reſervata. Et eodem loco à quodam Wolfgango eccleſia lapidea conſtructa eſt, quam Rotho ſucceſſor Meinwerci, in honorem S. Galli dedicavit, & hujus eccleſiæ muri uſque ad tempora noſtra in eodem loco perſiſtunt. Ex prædictis patet, quòd villa Nortborchen ad differentiam hujus Sutborchen modò deſolati nomen ſortitur. Item patet quòd eccleſia forenſis, ſita in civitate Paderbornenſi, illo tempore eccleſia parochialis fuit, & veriſimile eſt, quòd ipſa fuerit ab initio ordinationis parochiarum, factæ per Baduradum ſecundum epiſcopum Paderbornenſem parochialis eccleſia, cum nondum erat ſecurum propter gentiles incurſus extra loca munita eccleſias ædificare. Item liquet ex prædictis, quòd Præpoſitus eccleſiæ Paderbornenſis, ſicut & cæteri prælati ejus, habet juriſdictionem ab epiſcopo. Meinwercus quandam capellam propè majorem eccleſiam Paderbornenſem, quondam per Geroldum conſanguineum & ſigniferum Caroli Magni per Græcos operarios conſtructam in honore Beatæ Mariæ, deſolatam reformavit, & eam in honore S. Bartholomæi conſecravit. Item Meinwercus in Hervorde eccleſiam S. Mariæ ad crucem, audito miraculo per beatam virginem ibi facto, fundavit. Unde monaſterium canonicarum ſeu monialium ſecularium ibi per Lodewicum Imperatorem Caroli Magni filium fundatum erat: Sed ab Ungaris partes Weſtphaliæ invadentibus poſtea deſtructum: Cumque temporibus Meinwerci moniales ipſæ reſtaurationi ipſius monaſterii operam darent, apparuit ibidem Beata virgo MARIA cuidam mendico, decimanona die menſis Junii aſ-

Digitized by Google

nii aſſerens, ſe in futurum eſſe defenſatricem loci illius, ſi moniales ipſæ, priſtina vita mutata, ſpirituali exercitio inſiſterent: & in ſignum credulitatis ipſa vellet in eodem loco in ſpecie columbæ, ſuper crucem, quam idem mendicus de baculo ſuo facturus eſſet, & ibidem collocaret, temporibus futuris apparere. Hic mendicus dum hanc viſionem publicavit, adductus eſt ad epiſcopum Meinwercum, qui examinavit eum, & ferro candente probatus verax judicatus eſt, & in eodem loco anno revoluto columba viſa eſt: & deinde anniverſarius dies hujus miraculi, ad viſionem, dictus eſt in diœceſi Paderbornenſi, & in locis circumvicinis. Meinwercus murum in circuitu urbis intra civitatem Paderbornenſem conſtruxit, & domum epiſcopalem à fundamento erexit. Panem album in quotidiana diſtributione canonicis conſuetum dandum de banno eccleſiarum, hoc eſt, de juriſdictione primus ibidem ordinavit, cujus miniſtrationem poſtea Rotho epiſcopus Præpoſituræ adjecit.

Meinwercus dies natales ſanctorum Bonifacii & ſeptem fratrum celebrari per diœceſin ſuam inſtituit. Ipſe obtinuit ab Imperatore comitatum Wartberg, poſt mortem Dediconis comitis, quem Meinwercus, dum idem comes adhuc vixerat, ſibi vendi ſæpè poſtulavit: Sed ille magis volens filium, quem de pellice habuit, ſibi ſuccedere, vendere noluit comitatum: tamen multa prædia eccleſiæ Paderbornenſi donavit: Sed poſt mortem ejus epiſcopus ab imperatore Henrico comitatum obtinuit, quoniam idem comes ſine liberis deceſſit. Quidam tamen propinquus Dediconis nomine BERNHARDUS, ſuper comitatu poſtea epiſcopum inquietavit, quem epiſcopus magnis auri & argenti ponderibus ac triginta placavit equabus. Poſt mortem tamen HENRICI Imperatoris CONRADUS Imperator comitatum ipſum eccleſiæ Paderbornenſi abſtulit, & Ariboni Archiepiſcopo Moguntino eum contulit. Sed poſt mortem ipſius Archiepiſcopi Meinwercus comitatum recuperavit, & obtinuit. Henricus verò Imperator vir magnæ devotionis, anno quarto regni ſui, in Tremonia habuit concilium cum epiſcopis & principibus regni & fuerunt ibi præſentes Colonienſis, Bremenſis, & Magdeburgenſis archiepiſcopi: Et Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, Paderbornenſis, Metenſis, Wormatienſis, Clodienſis, Trajectenſis, Ferdenſis, Hildeſemenſis, & Merſeburgenſis epiſcopi. In quo concilio ordinatum fuit inter cætera, quod poſt obitum cujuslibet principis ſeu epiſcopi ibidem exiſtentis, quilibet epiſcopus ſuperſtes, per XXX. dies qualibet die, niſi infirmitate impediretur, miſſam pro defuncto diceret, & trecentos pauperes paſceret, ac totidem denarios pauperibus erogaret, totidemque lumina accenderet. Rex autem & regina mille quingentos pauperes paſcerent, & totidem denarios pauperibus erogarent, & duces ſimiliter facerent, quilibet ſecundum facultatem ſuam. Hoc tempore Baldewinus comes Flandriæ contra regem ſe erexit, rex tamen ſubegit eum. Poſt rex commune concilium ſtatuit in Franckefordt celebrari, ad quod cùm ferè omnes epiſcopi ciſalpini conveniſſent, rex petiit, quod ipſe poſſet in Bavenberg ſedem epiſcopalem inſtaurare. Sed quia Bavenberg erat in diœceſi Wirtzburgenſi, epiſcopus Wirtziburgenſis nolens adhoc præbere conſenſum à concilio ſe abſentavit. Unde indignationem regis incurrit. Tandem omnibus cæteris conſentientibus epiſcopus Wirtziburgenſis, ſub hac conditione conſenſum ſuum, quamvis invitus, adhibuit, videlicet, quòd ipſe fieret Archiepiſcopus, & Epiſcopus Bavenbergenſis illi ſubjiceretur, quod licet Rex ſe ſic ordinaturum ſimularet: poſtea tamen factum non eſt. Rex igitur fundata eccleſia in Bavenberg, magnificè dotavit eam, & ſedem epiſcopalem per ſummum pontificem ibidem fecit inſtitui, & Johannes Patriarcha Aquilegienſis cum XXX. Epiſcopis eccleſiam ipſam dedicavit, Anno Domini MXII. pridie nonas Maji, die videlicet natalis regis, anno regni ſui X. Iſtis temporibus quidam miles dum bona ſancti Clementis per vim rapuiſſet, à muribus corroſus eſt usque ad mortem: non obſtante, quod fuſte primò, deinde gladio ſe defendit, & poſtremo intra arcam clauſus fune in aëre ſuſpenditur, & dum arca aperitur, mortuus repertus eſt. Poſtquam Henricus Imperator ab Italia receſſit, Saraceni veniunt navigiis in Lombardiam, & civitatem Lunenſem capiunt, & partes circumquaque occupant, uxoribus incolarum abutendo. Quare Papa Benedictus cum multis Principibus venit contra eos. Et Rex Saracenorum cum paucis fugiens reginam cum exercitu reliquit ibidem, & quamvis Saraceni Chriſtianos in multo excederent, tamen commiſſo prælio Chriſtiani

Digitized by Google

ſtiani victoriam obtinuerunt, & regina capite plectitur, & Papa ornamentum capitis ejus ſibi vendicabat, ac partem illius, quæ mille libris computabatur, Imperatori miſit. Hoc tempore Swennus rex Danorum Anglicis infeſtus, regem Anglorum Athelradum expulit de regno, & Anglicos coëgit ſibi dare tributum: Sed paulò poſt rege Danorum mortuo, rex Angliæ ad regnum ſuum reverſus mortuus eſt, anno Domini MXVI. Deinde duo filii regis Dacorum, ſive Danorum, congregatis CCCXL. navibus, reginam Anglorum cum filiis ſuis in civitate Lundina obſident, menſibus ſex, & cogunt eam ſolvere ſibi auri & argenti pondera multa, & cum hoc filios ejus poſtulabant ſibi tradi occidendos, ſed filii evaſerunt periculum, eis poſtea fortiter reſiſtentes. Anno Domini MXVIII. Imperii Henrici anno quarto, XVII. Calendas Aprilis magna Synodus fit in Numegen, ubi Henricus Imperator fuit præſens, & in eadem perſpectis ſacramentariis antiquis ſtatutum fuit, ut corpus Dominicum ad ſiniſtram, & calix ad dexteram poneretur in miſſa. Et ratio librorum antiquorum, qui apud nos ſunt, hæc eſt: quoniam pars crucis erecta, cujus ſignum tunc fit ſuper panem, corpus Chriſti ſuſtentavit: & quia pars crucis transverſa brachia Chriſti diſtendit, meritò calix quaſi ſanguinem de manibus Chriſti ſuſcepturus ſub brachiis poni deſignatur, cum pars crucis transverſa ſub calicem ſignatur. Cum igitur in concilio provinciali & tam ſolenni ſtatutum ſit, non licet ſingularibus prælatis, maximè inferioribus epiſcopis illud immutare. Conradus autem abbas monaſterii SS. Petri & Pauli Paderbornenſis hoc ſtatutum ſuis monachis non ſervandum volens, quod ipſi corpus ante calicem ponant, qui præfuit eidem monaſterio anno Domini MCCCLXII. usque ad annum domini MCCCCV. qui etiam ex capite ſuo alia myſteria generalia eccleſiæ quædam immutavit: videl. quod cereum paſchalem, qui Chriſtum deſignat, inter ſeptem candelabrorum lumina, medio eorundem luminum ſublato, ſtatuit in choro ſui monaſterii collocari, unde duplex eccleſiæ myſterium eum conſtat confudiſſe. Anno Domini MXIX. Imperator movit exercitum contra Bernhardum ducem Saxoniæ, & in caſtro Scalkesberg eum obſedit, ſed principibus interloquentibus pacificati ſunt. Iſte Henricus Imperator habuit uxorem ſuam, dominam Kunigundam, de adulterio quadam vice ſuſpectam: Sed ipſa purgans ſe de hoc publicè ſex vomeres ignitos nudis pedibus illæſa pertranſiit. Quare Imperator ad pedes ejus procidens veniã ab ea poſtulavit. Hic etiam ſororem ſuam Giſelam regi Hungariæ in matrimonium junxit. & idem Rex inde baptiſatur, & Stephanus nominatur. Qui demum cognatum ſuum regem Poloniæ cepit, & eum fidem CHRISTI coëgit ſuſcipere. Et idem Rex Stephanus poſt mortem miraculis claruit. Henricus Imperator Epiſcopatum Mersburgenſem, quaſi omnino deſtructum, cum ipſa Urbe reformavit. Et demum anno regni ſui XXII. & Imperii XII. obiit, & in civitate Bavenbergenſi ſepelitur, ubi poſtea miraculis claruit, undè & canonizatus eſt, & occurrit feſtum natalis ejus XIII. die menſis Julii. De iſto Henrico legitur, quòd dum in extremis ageret, quidam ſolitarius, vir magnæ virtutis, audivit turbam magnam, quaſi caſtrorum tumultum, propè cellulam ſuam pertranſire, & aperta quadam feneſtra quæſivit qui eſſent: & unus ex eis reſpondit: Legio dæmonum ſumus, qui ad tollendam animam Imperatoris feſtinamus: & ille dæmonem adjuravit, ut ad ſe rediret, quid de anima Imperatoris fieret, ſibi relaturus. Unde factum eſt quod Imperatore mortuo Dæmon rediit, & dixit: Ecce dum bona opera Imperatoris, & peccata ſua ponderanda ponebantur in ſtatera, venit ille aduſtus Laurentius, & poſuit calicem aureum, duas auriculas habentem, in lance bonorum operum, & præponderavit omnibus peccatis illius, & ſic anima illius defraudati ſumus: quod dum vidi ego commotus abſtuli de calice illo auriculam unam. Et compertum eſt Imperatorem illo die deceſſiſſe, & auriculam calici deeſſe, qui inter cætera ornamenta, quæ idem Imperator una cum ipſo calice Eccleſiæ Mersburgenſi contulit, in qua idem calix usque ad præſens oſtenditur, ſanus reconditus erat.

CAPUT LIII.

CONRADUS ſecundus in regno, ſed primus hoc nomine in Imperio, regnavit annos quindecim. Hic Conradus fuit frater Henrici Ducis Sueviæ, quem ipſe, ſibi reſiſtere ſatagentem, extra fines Imperii expulit. Et cum idem Henricus, ad regem Hungariæ fugiſſet, idem Rex, in die paraſceves, fecit ipſi Duci carnes apponi ad menſam, aſſerens ita benè & licitè tali die poſſe comedere carnes, ſicut contra fratrem

Digitized by Google

trem ſuum & dominum guerras concitare. Unde Dux commotus reverſus eſt ad Regem fratrem ſuum, & veniam conſecutus Nurenberch ſponte reliquit Imperio. Conradus Rex ad importunam inſtantiam Brunonis Epiſcopi Auguſtani fratris quondam Henrici Imperatoris voluit deſtruere epiſcopatum Bavenbergenſem. Unde Henricus defunctus apparuit Epiſcopo fratri ſuo barba pro media parte raſa increpans eum, quòd ſibi talem deformitatem moliretur inferre, & ſanctos Dei ſpoliare intenderet bonis, quæ Eccleſiæ per eum fuerant pie donata, tunc epiſcopus territus ab incœpto deſiſtebat.

Conradus Rex ſolemnem curiam habuit in Minda, & procuravit ibi filium ſuum eligi in Regem, & deinde profectus in Italiam archiepiſcopum Mediolanenſem & Epiſcopum Cremonenſem cepit: quia contra Imperium machinati fuerant, & relegavit eos in exilium. Et deinde Romam veniens anno regni ſui tertio una cum Uxore ſua Giſla in die Paſchæ à Benedicto Papa coronatus eſt. Et ſequenti anno filium ſuum Aquiſgrani per Pilegrimum archiepiſcopum Colonienſem in regem fecit coronari.

Anno regni ſui ſeptimo fecit expeditionem cum difficultate in Ungariam, & anno ſequente Henricus rex, filius Imperatoris, & Stephanus rex Ungariæ pacem inter ſe juramento firmabant. Et eodem anno Conradus Imperator reverſus de Ungaria in Merſeburg conceſſit Meinwerco Epiſcopo Paderbornenſi, qui ſecum, quocunque diverteret, proficiſci ſolebat, caſtrum Patberch cum x. manſis circum montem ipſius caſtri jacentibus, pro Eccleſia, anno Domini MXXX. Anno Domini MXXXI. Meinwercus Epiſcopus Eccleſiam monaſterii SS. Petri & Pauli in Paderborne, quam tunc conſummaverat, dedicavit, ſecunda die menſis Novembris & multa prædia de paterna hæreditate, tam in diœceſi Trajectenſi, quàm Comitatu Teſterbant, & de comitatu Redichen, in diviſione facta cum quadam ſorore ſua, fundatrice monaſterii monialium in Elten contingebat, quam in diœceſi Paderbornenſi ac locis aliis exiſtentia ipſi monaſterio liberaliter conferebat. Et fuerunt præſentes Epiſcopus Magdeburgenſis, S. Godehardus Hildeſemenſis epiſcopus, ac Mindenſis & Monaſterienſis epiſcopi. Anno dehinc ſecundo, quinto nonas Martii, piiſſima Imperatrix Konigunda obiit, quæ Eccleſiam Paderbornenſem apud Henricum Imperatorem maritum ſuum ſedulis precibus & exhortationibus multum promovit, & ipſa ſicut Henricus clarens pòſt miraculis canoniſata eſt. Anno regni ſui octavo, Conradus Imperator Ducem Bohemiæ ſibi rebellem ſuperavit, & in exilium eum relegavit: ſed interventu principum anno ſecundo revocatus in gratiam Imperatoris receptus eſt: Et poſt hoc idem dux Imperatori iterum rebellis effectus proprium fratrem excæcavit, & proprium filium ſuum de terra fugavit. Quare iterum captus, & tunc cibo & potu privatus extabuit. Etiam Conradus Miſaconem Ducem Poloniæ partes orientales Saxoniæ invadentem, ſubegit, anno regni ſui ſeptimo. Anno undecimo Conradi, filio ſuo Henrico filia regis Danorum & Anglorum, qui tunc dicebatur, juramentis deſponſatur, & eodem anno ipſe Rex Danorum moritur, & fides Chriſtiana apud Danos periclitari cœpit. Anno Domini MXXXVI. Meinwercus epiſcopus Paderbornenſis Eccleſiam quandam in honorem SS. Petri & Andreæ, extra muros civitatis Paderbornenſis, verſus orientem XII. Canonicis ibidem inſtitutis, dedicavit IIX. Kalendar. Junii tunc feria tertia rogationum, præſentibus Moguntino & Colonienſi archiepiſcopis, & epiſcopo Wirtziburgenſi, & ad hoc per eum invitatis. Et poſt in vigilia pentecoſtes ipſe poſtquam Paderfontanam rexit Eccleſiam annis XXVII. defunctus eſt, & ſucceſſit ei Rotho abbas Hersfeldenſis. Tunc S. Godehardus epiſcopus Hildenſemenſis intelligens in ſpiritu, unum de epiſcopis provinciæ obiiſſe, hora prandii cum ſuis prandere noluit, & dixit nuncium ſe priuſquam pranderet auditurum, & Miſſam ante prandium ſe velle celebrare. Et ecce ſtatim nuncius adeſt, qui Epiſcopum Paderbornenſem obiiſſe nunciavit. Sanctus igitur Godehardus miſſam pro ſalute animæ Meinwerci devote celebravit. Et deinde dum reverſus eſſet ad prandium ambabus manibus accepta ſimila appoſita: O beate, inquit, Meinwerce, quomodo te lata tua ſimila à communi morte non liberavit? Et ego, inquit, quam diu ſuperſtes fuero, de albo pane non guſtabo, quod ipſe per duos annos minus quatuor ſeptimanis & tribus diebus quibus ſupervixit ſtrictè ſervavit. Conradus Imperator regni ſui anno XIV. Parmæ magnam ſtragem fecit propter ſeditionem

nem

nem ortam ibidem. Et eodem anno Papa Sylveſter archiepiſcopum Mediolanenſem adhuc primoribus regni reputantem excommunicavit & privavit, & quendam nomine Ambroſium in locum ejus ordinavit. Et eodem anno S. Godehardus Epiſcopus Hildenſemenſis obiit. Conradus Imperator reverſus in Almaniam podagra cœpit laborare, & anno xv. regni ſui apud Trajectum defunctus eſt, & deductum inde cadaver ejus Spiræ tumulatur. Iſte Conradus ſtatuit pacem in terra, ita quod quicunque principum illam violaret, ille capite plecteretur. Item legi de eo, quod ipſe ſedem Epiſcopalem in Spira primus inſtituerit: Sed neſcio quomodo illud poſſit ſubſiſtere: quia Epiſcopus Spirenſis ante tempus regni ejus fuiſſe invenitur: quoniam anno Domini M III. Brocardus Epiſcopus Wormatienſis Wilthario epiſcopo Spirenſi direxit epiſtolam, ut patet in Canone. In nomine patris. Diſt. 73.

Caput LIV.

HENRICUS tertius filius Conradi regnavit annis XVII. Hujus temporibus Normanni intraverunt Romam, & cum Romanis bellum habuerunt in pratis S. Petri. Iſtis temporibus Romæ inventum eſt corpus cujuſdam Gigantis adhuc incorruptum, cujus vulneris hiatus, ubi percuſſus fuerat, quatuor pedum & ſemis erat: corpus ejus erectum altitudinem muri vincebat, & lucerna ardens ad caput ejus inventa eſt, nec flatu nec liquore potuit extingui. Tandem poſt plurimorum experimenta diverſa foramine cum ſtylo ſubter facto, cum aër introducitur, extincta eſt. Et iſti verſus apud eum ſcripti inventi ſunt:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, morte ſua jacet hic.

Hunc Turnum interfecit Æneas, ut ſupradictum eſt. Unde videtur, quod Æneas etiam fuerit ſpectabilis magnitudinis: cui tamen multi, qui in bello Trojano fuerunt, fortitudine prælati ſunt. Unde conjici poſſe videtur, cujuſmodi & quales fuerunt homines illi, de quorum fortitudine ſupra, ubi de eodem bello dictum eſt, memoratum exiſtit. Unde de hominum decreſcentia ſecundum ætates mundi Aug. xv. de civit. Dei, c. IX. ſic dicit: Plinius ſecundus doctiſſimus homo, quanto magis magisque præterit ſeculi excurſus, minora corpora naturam ferre teſtatur, quod etiam Homerum memorat ſæpè conqueſtum. Henricus rex anno I. poſt mortem patris ſui intravit Bohemiam cum exercitu magno, ubi multi ſuorum ceciderunt: quamvis ipſe victor rediit, & anno ſequenti iterum intrans Bohemiam multò majora peregit. Eodem anno Ungari partes Carinthiorum & Bavorum vaſtaverunt: quare rex Henricus fines Ungariæ intravit rege fugato terram Ungarorum usque ad flumen Raba peragravit, & parte illa regionis comprovincialibus ejuſdem ſub juramentis ſibi præſtitis commendata victor remeavit. Eo tempore erat quidam Carpentarius cujus filius parvulus ludens cum ſarmentis ex eiſdem literas legibiles neſcius ordinavit. Et hoc quidam Presbyter adſtans advertit, legitque hæc verba ex eis: Dominabor à mari usq; ad mare. Unde presbyter concepit in animo ſuo: fortè hic puer erit Papa & ſuaſit patri ſuo ut faceret eum diſcere literas: & ſic pater fecit. Hic puer poſtquàm literas didicit, venit ad curiam Imperatoris, & inter ſcriptores receptus eſt. Henricus autem filius Imperatoris jocoſis contumeliis eum ſæpè afficit, quod tamen Imperatrici diſplicuit. Tandem viſum eſt Imperatori in ſomnis quod filius ſuus Henricus ſecum ſederet ad menſam, & iſte juvenis ſcriptor, qui Hildebrandus dictus fuit, ſtaret ante menſam & haberet duo cornua aſcendentia usque ad cœlum, quibus filium ſuum in lutum dejiceret. Unde turbatus Imperator fecit eum incarcerari: Sed Imperatrix de hoc Imperatorem occultè redarguit, quare dimiſit eum & ipſe monachus effectus eſt in monaſterio Cluniacenſi, & tandem Prior factus cum Abbate Cluniacenſi, Romam veniens factus eſt Papa, & Gregorius nominatus. Henricus anno regni ſui VIII. in die nativitatis domini à Papa Clemente Romæ coronatus eſt, qui quidem Clemens prius dictus erat Swigerus, & fuit Bavenbergenſis epiſcopus, & ad Papatum per vim eodem tempore ab Imperatore promotus, ſed ipſe eodem anno XII. Idus Octobris moritur. Et Romani mittunt legatos ad Imperatorem, ut ordinet de ſummo Pontifice: qui miſit eis Popponem Brixinenſem epiſcopum, qui non ſupervivens annum mortuus eſt. Et miſit Imperator Brunonem Epiſcopum Tullenſem, qui in ſummum Pontificem ſuſceptus eſt. Anno XII. Henrici Rotho epiſcopus Paderbornenſis moritur & ſucceſ-

ſit ei Imadus, qui rexit eccleſiam annis XXV. Anno XV. Henrici filius ejus Henricus adhuc puer Aquiſgrani à Hermanno Archiepiſcopo Colenienſi coronatus eſt in regem. Eodem anno, mortuo ſummo Pontifice, Gebehardus Eiſtatenſis epiſcopus ab Imperatore Romam dirigitur, & ſuſceptus in Papam Victor appellatus eſt. Anno regni ſui XVII. Papa venit ad Imperatorem Goſlariam, & ab Imperatore benignè accipitur, & Imperator poſt unius menſis ſpatium deinde defunctus eſt, & ſuccedit ei filius ejus Henricus, conſentientibus principibus regni, & uxor ſua Agnes à Duce Bavariæ ducitur in uxorem.

CAPUT LV.

HENRICUS quartus, filius HENRICI regnavit annis XLIX. Anno regni ejus ſecundo, videl. anno domini MLVIII. civitas Paderbornenſis incendio vaſtatur. Anno regni ſui ſeptimo ipſe à Papa Gregorio, qui antea dictus fuit Hildebrandus pro Simonia excommunicatur. Eo tempore Altmannus canonicus eccleſiæ Paderbornenſis fit epiſcopus Patavienſis. Iſtis temporibus Wilhelmus Baſthard comes Galliæ Angliam, rege cæſo multoque ſanguine gentis illius fuſo, ſibi ſubjugavit. Anno domini MLXVIII. regni Henrici XII. dedicata ſeu reconciliata eſt eccleſia Paderbornenſis anno undecimo poſt civitatis incendium, & hæc dedicatio ſervatur, adhuc, videlicet XXII. die menſis Junii. Henricus rex injuſtè exegit tributum à Saxonibus & Thuringis, quare ipſi contra eum conſpiraverunt, & plura caſtra ipſius in Saxonia ſubverterunt. Unde bella & guerræ inter ipſum regem, & principes regni ortæ ſunt, ſed tandem in Nagelſtede convenientes, pacem fecerunt, & rex pacem infringens Saxones invaſit, & factum eſt prælium magnum, & rex triumphavit: quare Saxones congregati regem bello petunt, & commiſſo prælio regem vincunt, & iterum facto prælio vincunt ſecundo, ſimiliter tertio & quarto bello regem ſuperant. Inter hæc Alexander Papa de conſilio principum regem citavit, quia vendidit epiſcopatus pecunia per Alemanniam, ſed rex non comparuit. Poſt hoc rex contra Saxoniam cum exercitu ſe dirigit, & factum eſt bellum magnum inter eum & Saxones, propè flumen Unſtroth & rex triumphavit. Hoc tempore facta eſt inſtitutio monaſterii Haſungen. Anno domini MLXXVI. concilium magnum eſt in Wormatia factum, in feſto Pentecoſtes: ubi rege ſuggerente Principes conſpiraverunt contra papam, & epiſcopi univerſi, præter Saxonicos, Hildebrandum, alias Gregorium, Papam abdicarunt, mittentes ad eum epiſtolam, ita poſt multas culpationes in ipſum injectas concluſam: Quia ergo & introitus tuus tantis perjuriis eſt initiatus, ut eccleſia Dei gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitetur, & vitam converſationemque tuam, tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos eſſe renunciamus. Eodem anno Imadus epiſcopus Paderbornenſis obiit, & ſucceſſit ei Poppo Bavenbergenſis præpoſitus, qui rexit eccleſiam annis VII Henricus rex cogentibus eum principibus regni, & maximè Saxonibus, à fidelitate ejus diſcedendi occaſionem quærentibus, Romam pro abſolutione obtinenda à Papa proficiſcitur, & depoſitis regalibus in ſignum humiliationis Papam viſitat, qui poſt abſolutionis beneficium ei coronam Imperii impoſuit, & verſus Alemaniam repedavit. Sed interim principes regni Rudolphum quendam Suevum in regem elegerunt: Contra quem Henricus procedens plurima cum eo bella confecit, & tandem eundem in bello occidit. MLXXIIX. Henrici XXII. Poppo epiſcopus Paderbornenſis, & Altmannus epiſcopus Patavienſis dedicaverunt eccleſiam monaſterii SS. Petri & Pauli in Paderborn, poſt civitatis incendium anno XXI. Henricus Imperator habens Papam ſuſpectum de electione Rodolphi, fecit congregari poſt interitum Rodolphi apud Brixinam concilium XXX. epiſcoporum, qui omnes Hildebrandum alias Gregorium ſeptimum, judicabant tanquam hæreticum depellendum. Et deinde Imperator procedens in Italiam Romam obſidet, & tandem datis ſibi XX. obſidibus à Romanis urbem imperator ingreditur, & Papa ab urbe fugiens, Salernum pervenit, & ibidem tandem defunctus eſt. Inter hæc principes regni Suevi & Saxones elegerunt Hermannum de Lucilinborch in regem, qui in Goslaria ab Archiepiſcopo Moguntino ordinatus eſt, anno domini MLXXXII. & ſequente anno magnus puerorum & ſenum interitus morbo diſenterico factus eſt. Et eodem anno monaſterium SS. Petri & Pauli in Paderborne ſub cura Sigeberti Abbatis de Hildesheim committitur. Henricus poſtquam Gregorium fugavit ab urbe, alium nomine Clementem ſubſtituit:

tuit: Sed Romani poſt mortem Gregorii alios ſummos Pontifices diverſos ſubſtituerunt: Primo Sergium Abbatem montis Caſſini: deinde victorem. Poſt hunc Urbanum & deinde Paſchalem. Iſte Urbanus & Paſchalis Henricum Imperatorem excommunicaverunt. Sed iſte Clemens, quem Henricus Imperator ſubſtituit, fuerat epiſcopus Ravennatenſis, & Wichbrachtus nominatus, & ab eo Henricus coronam Imperii denuo ſumſit in die Paſchæ, & duravit ſchiſma per annos XX. Anno Domini MLXXXIV. Poppo epiſcopus Paderbornenſis obiit & Hermannus electus in regem, Henricum comitis filium de Aslo, in locum ejus, eccleſia conſentiente, ſubſtituit: Sed Henricus Imperator hanc electionem vilipendens, Henricum filium Comitis de Werle, in epiſcopum Paderbornenſem inſtituit. Ex his magnum detrimentum ſuſtinuit eccleſia dum uterque nititur epiſcopatum obtinere: Sed tandem Henricus filius comitis de Werle eccleſiam obtinuit, & rexit eam annis XLIV. Unde poſtea idem Henricus epiſcopus ab archiepiſcopo Moguntino Apoſtolicæ ſedis legato ab officio aliquot annis ſuſpenſus fuit. Henricus quidem Imperator pluribus epiſcopis Saxoniæ fugatis, alios ſubſtituit minus juſte. Fugavit enim Magdeburgenſem Archiepiſcopum, Halberſtadenſem & Mindenſem epiſcopos. Poſt hæc Saxones & Suevi obſederunt Wirtzburg: contra quos veniens Henricus Imp. cum exercitu victus eſt, & eo fugato Saxones & Suevi ceperunt civitatem: Anno Dn. 1087. Conradus filius Henrici Imp. à Segwino Colonienſi Archiepiſcopo Aquisgrani in regem conſecratur: & iſtius licentia dux Bohemiæ ſuæ gentis rex factus eſt unctione Eilberti archiepiſcopi Trevirenſis. Eodem anno reliquiæ S. Nicolai venerunt ad civitatem Barenſem. Eodem anno Wilhelmus, qui Baſthard, invaſor regni Angliæ obiit, & Salomon rex Ungariæ, & tunc rex Danorum à ſuis occiſi ſunt. Et ſequenti anno Hermannus rex in Saxonia in oppugnatione cujusdam caſtri occubuit. Anno Domini MXCVI. mirabilis multitudo contulit ſe manu armata ad terram ſanctam. Unde Imperator Conſtantinopolis habuit guerram cum Armenis, & Armeni receperunt ſibi in auxilium regem Perſarum, & regem Turcarum, qui Jeruſalem civitatem cepit, quam rex Babylonis ſibi acquiſiverat, & Chriſtianos ibi habitantes ſibi tributarios fecerat. Alexius igitur Imperator Conſtantinopolitanus Turcis reſiſtere non valens, ſcripſit Urbano Papæ, ut ſibi præberet auxilium, & deinde Papa fecit prædicari crucem in Hiſpania, & in aliis partibus, & ex hoc ſurrexit iſtud paſſagium, ſed propter ſchiſma Teutonici principes non ſunt profecti cum aliis, & inceptor hujus fuit quidam Monachus nomine Petrus, qui cum ferè duodecim millibus pertranſiens Ungariam cum vexillis & ſigno crucis in capitibus ſignatis, & cum armis quibus poterant, & dixerunt ſe Chriſtum velle vindicare in Judæis & gentibus, & terram ſanctam poſſidere, & appellabant ſe Jeroſolymitas, & quocunque declinabant Judæos per vim trucidabant. Nam apud Moguntiam dominica ante feſtum Pentecoſtes circiter nongentos Judæos trucidaverunt, quos epiſcopus cum ſuis de manibus Jeroſolymitarum eripere non potuit: & ſic Wormatiæ, Coloniæ & in cæteris civitatibus Judæos occiderunt. Et ſtatim anno ſequenti, multi principes & epiſcopi Alemaniæ, & Galliæ, cum electorum virorum militia verſus terram ſanctam ſe tranſtulerunt. De peregrinis autem ſupra dictis vulgaribus multi cum per Ungariam indiſciplinati tranſirent ab Ungaris proſtrati ſunt. Nomina verò Principum, qui profecti ſunt, fuerunt: epiſcopus Podienſis, & frater regis Philippi de Gallia, Regimundus comes S. Ægidii, Eckbertus comes Normanniæ, Robertus comes Flandriæ, & comes Boloniæ, & Baldewinus comes de Ganda, & Baldewinus comes de Monte & Gotfridus dux Lotharingiæ, & Baldewinus frater ejus, epiſcopus Straſburgenſis, & Hardmannus de Suevia, Archiepiſcopus Piſanus de Thuſcia, & Bohamundus Princeps ſive dux de Apulia, & frater regis Danorum, & multi alii principes & nobiles cum eis profecti ſunt: cumque ad partes ultramarinas venerunt, obſederunt Antiochiam menſibus IX. & ceperunt eam, & ibidem cuidam ruſtico per S. Andream revelata fuit lancea domini. Qua inventa in loco deſignato, Chriſtiani intra ipſam civitatem obſeſſi, videlicet Boëmundus dux cum ſuis, hoc ſigno præcedente, audacter eruperunt portis, & paganorum multis millibus proſtratis, in urbem redierunt, & Boëmundus præficitur dux civitati. Deinde Chriſtiani tranſeuntes per Acon, quæ Ptolemaida dicebatur, venerunt Cæſaream, & cum eſſent ibi, accipiter quidam columbam ſuper exercitum volantem graviter plagatam dejecit ad terram,

 circa

Digitized by Google

circa quam talis ſententiæ repertæ ſunt literæ. Rex Accaron duci Cæſareæ ſalutem: Generatio canina, gens contentioſa venit contra nos: contra quas, per te, & alios legem defendes: idem annuncia aliis civitatibus. Et deinde anno ſequenti, videlicet nativitatis Domini MXCIX. Chriſtiani ceperunt Hieruſalem multis millibus gentilium proſtratis ibidem. Et Dux Gotfridus præfectus eſt civitati. Rex autem Babylonis venit Hieruſalem contra Chriſtianos præliaturus, & Chriſtiani procedentes contra eum plus quam centum millia paganorum occiderunt, & theſauros ipſius regis obtinuerunt. Eodem anno Henricus filius Henrici Imperatoris, fratre ſuo Conrado rege exiſtente in Italia, & conſentiente Aquisgrani in regem eſt ſublimatus. Anno ſequente Dux Gotfridus de Bolion poſt frequentes paganorum debellatrices victorias feliciter obiit, & non longè à ſepulcro Domini ſepelitur. Et ſucceſſit ei Baldewinus frater ſuus, qui deinde rex Hieruſalem appellatus eſt. Anno dehinc ſecundo oritur ſeditio inter Fridericum Archiepiſcopum Colonienſem, & Fridericum Comitem Weſtphaliæ, aliàs de Arensberch: Unde Archiepiſcopus caſtrum Arensberch obſedit, & ipſum in deditionem accepit. Et Comes diœceſin Colonienſem flammis & rapinis pervagatur, quare ipſe Comes à Rege proſcribitur. Eodem anno mortuo Hartwigo archiepiſcopo Magdeburgenſi, Clerus elegit Henricum de Aslo, dudum epiſcopum Paderbornenſem, licet non pacificum, ut ſupradictum eſt. Sed Henricus Rex aſſerens in hoc regiam poteſtatem eſſe contentam, non conſenſit. Poſt hoc Fridericus Comes Colonienſes bello vicit, & multos captivos abduxit, & alios occidit. Anno Domini MCV. Principes Saxoniæ Henricum, filium Henrici Imperatoris, ſuſcipiunt in regem & fidelitatem ſibi jurant contra patrem: ea conditione, quod Eccleſiæ Dei, ſicut decet, provideat, & omnibus juſtum judicium faciat. Eodem tempore Ruthardus Epiſcopus Moguntinus epiſcopos infra ſcriptos ab officio ſuſpendit: Fridericum Halverſtadenſem, Udonem Hildeſimenſem, & Henricum Paderbornenſem, quia quilibet eorum per Henricum Imperatorem contra canonicam electionem ſedem ſuam obtinuit. Et ſimiliter omnes illi, quos prædicti Epiſcopi ordinaverant, ab officio ſuſpenſi ſunt, & chriſma eorundum Epiſcoporum, quod in cœna conſecrabant, annihilatum eſt. Hæc facta ſunt in Quedlenborch Henrico juvene rege præſente. Sed poſtea conventus principum fit in Northuſen, & ibi in præſentia Henrici novi regis per Archiepiſcopum Moguntinum & Conſtantienſem Epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatos decretum eſt: quod ordinati à prædictis Epiſcopis poſſint ordinibus ſeu executioni ordinum reſtitui per manus impoſitionem: Sed reſtitutio Epiſcoporum judicio ſedis Apoſtolicæ reſervata eſt. Etiam ibidem fuit declaratum authoritate Apoſtolica, quod jejunium quatuor temporum ſeptimanæ Pentecoſtes, ſicut jejunium quatuor temporum quadrageſimæ debet obſervari. Eodem anno Gevehardus Conſtantienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus, in ſabbato hebdomade Pentecoſtes in Goſlaria ordines celebrans per manus impoſitionem reſtituit ſuſpenſos ab ordinibus, ſeu executione ordinum. Et Archiepiſcopus Moguntinus eodem die ordines celebrans in Hilgenſtadt, eo die de epiſcopatibus ſupra dictis venientes reſtituit auctoritate Apoſtolica ſupradicta. Tunc etiam Henricus de Aslo, dudum ab Eccleſia Paderbornenſi electus Presbyter ordinatus, Eccleſiæ Magdeburgenſi, à qua etiam per amicos regis Henrici repulſus erat, præficitur. Henricus rex filius Henrici Imperatoris faventibus ſibi principibus regni patri ſuo tanquam hæretico & contra Eccleſiam rebellanti, durius obſiſtit: contra quem pater dirigens exercitum cum filio de pace tractavit. Unde conciliatis eis, filius, patrem nihil tale ſuſpicantem, in urbe Bickelenheim cuſtodiæ deputavit: donec pater filio regalia, puta lanceam & coronam, direxit. Et deinde poſtquam pater ei caſtra munitiſſima dimiſit, ipſe liber abire permittitur. Tunc per Albanenſem Epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatum, Archiepiſcopus Colonienſis, & Burchardus Epiſcopus Monaſterienſis ab officio ſuſpenduntur, & ipſe Epiſcopus Monaſterienſis, conjurantibus contra eum Eccleſiæ ſuæ miniſterialibus admittente Comite Weſtphaliæ de Arensberg Friderico, expellitur, capitur, ad Imperatorem deducitur & in vincula conjicitur, quem poſtea eodem anno Henricus Rex Monaſterium veniens, ſedi ſuæ reſtituit. Anno Domini 1106. viſa eſt per tres ſeptimanas in cœlo ſtella magna verſus occidentem ad modum ſolaris lampadis, & plurimam partem cœli verſus orientem illuſtrabat. Ubi notandum, quod quoties in Chronicis hujus-

Digitized by Google

modi ſtellæ, quæ cometæ appellantur, quia quaſi comatæ radios ſpargunt, apparuiſſe leguntur, ut frequentius legitur, ſubſecuta mors principum; bellum, vel mortalitas hominum, quanquam tamen ſecundum alios bona portendunt. Unde dicit Plinius, quod ſunt ſtellæ naturales, & apparent certis temporibus & commemorat eas fieri de quinque planetis, & dicit ſi de Venere & Jove fiunt optima pronunciant: Si de Marte & Saturno deteriora: Sed Mercurialis eſt talis qualis eſt ille cui adhæret; quod autem non ſunt ſtellæ naturales, ſed magis vapor accenſus in aëre, patet per Ariſtotelem primo Meteororum: Sed hoc nihil ad præſens. Poſtquam Henricus Imperator filio ſuo Henrico regiam reſignavit poteſtatem & imperium, & ipſo dignam pœnitentiam ſuper commiſſis contra ſedem Apoſtolicam cum abſolutionis beneficio impetrando agere promiſerat, ipſe Coloniam per Rheni alveum deſcendit. Deinde Leodium ſe tranſtulit, conquerens principibus occidentalibus, ſe filii violentia regno privatum. Unde denuò reparat exercitum & Coloniam veniens, civitatem ipſam firmiter munit. Henricus filius, congregato exercitu viginti millium armatorum, patrem in Colonia obſidione concludit, & cum ibi caſſo labore per unius menſis ſpacium detineretur, Aquisgranum ſe contulit, & pater verſus Leodium ſe dirigit, ubi & vita functus eſt, & Henricus filius regnum obtinuit. De Henrico ſeniore prædicto legitur, quod ipſe quendam militem ſuum inſtigavit ad hoc, ut Imperatricem de adulterio interpellaret, & Imperatrix renuit & miles fortiter inſtat: tandem Imperatrix dixit, quod Imperatore abſente ſuam voluntatem eſſet adimpletura: quod Imperator intelligens à milite, ad recedendum ſe diſponit, & poſtquam receſſiſſe putabatur, veſtimenta militis induit, & ad cubiculum Imperatricis ſe dirigit. Imperatrix verò juvenes fortes veſtibus fæmineis indutos penes ſe habuit, & Imperatorem ſub ſpecie militis venientem, per eosdem apprehenſum fecit fortiter baculari, donec ipſe clamavit, quod ipſe eſſet Imperator. Unde Imperatrix occurrens defendit eum, & poſtea de hoc facto eum acriter increpavit: Ipſe verò militem illum juſſit occidi.

CAPUT LVI.

JOhannes Papa XVIII. hoc nomine ſedit menſes quinque, dies decem. Johannes XIX. ſedit annos quinque. Sergius ſedit annos duos, menſes ſeptem. Benedictus ſedit annos XIII. dies XII. Hic fuit dejectus de Papatu, & alius eſt ſubſtitutus. Et dicit Petrus Damianus, quòd quidam epiſcopus vidit hunc Benedictum poſt obitum ejus nigro equo inſidentem & dixit ei: Nonne tu es Benedictus Papa defunctus, qui reſpondit: Ego ſum ille infelix Benedictus. Et ille, quomodo tibi, inquit, pater eſt: reſpondit: graviter torqueor, ſed de Dei miſericordia non ſeparabor, ſi mihi adjutorium præbebitur, & ſubjunxit: Vade ad ſucceſſorem meum Johannem Papam, & dic ei, ut in tali theca pecuniam accipiens pauperib. diſtribuat, quicquid enim dedi nil profuit mihi, quia de rapinis fuit. Johannes XX. ſedit annos IX. Benedictus ſedit annos XIV. Hic ejectus eſt, & Sylveſter ſubſtitutus eſt, qui ſimiliter ejectus eſt, & Benedictus ſedem recuperavit, ſed Benedictus iterum ejectus eſt, & Gregorius ſubſtitutus, qui rudis fuit, ita quòd alium Papam diſplicentibus omnibus conſecrari in adjutorium fecit, & ſic tertius ſuperinducitur. Sed Gregorio de medio ſublato Henricus rex Romanorum Swidigerum epiſcopum Bavenbergenſem ſubſtituit, qui Clemens dictus eſt, & ipſe rex ab eodem Clemente in Imperatorem coronatus eſt. Sylveſter ſedit dies quinquaginta ſex. Gregorius ſedit annos duos. Hic manu armata multos interfecit, quare Cardinales dixerunt, eum indignum ſepeliri in eccleſia S. Petri, quos ipſe redarguit & ſe bene feciſſe in hoc oſtendens dixit: cum mortuus fuero corpus meum ante fores eccleſiæ ſubſiſtite, januasque ſeris & vectibus firmate, ſi voluntate divina januæ fuerint apertæ, corpus inferte, alioquin facite, quod vultis. Et cum ſic fieret turbo non ſolum portas aperuit, ſed ad parietem eas devoluit, & inde à multis Sanctus judicatus eſt. Clemens invaſit Papatum, & per menſes XIX. & dies VIII. obtinuit.

Damaſus prius vocatus Poppo ſedit dies XXIII. Hic ab Imperatore Henrico fuit deſtinatus Romam in Papam, & receptus: quoniam legati Romanorum ad Imper. venerant Papam poſtulantes ab eo. Et poſt obitum ejus legati Romanorum iterum petunt Papam ab Imper. qui direxit eis Brunonem epiſcopum Tullenſem, & vocatus eſt Leo. Leo igitur ſedit annos quinque, menſes duos, dies quinque. Victor natione

 Aleman-

Digitized by Google

Alemannus ſedit annos duos, menſes tres, dies XIII. Hic prius dictus erat Geverhardus, & fuit epiſcopus Eiſtadenſis. Stephanus ſedit menſib. novem. Nicolaus prius dictus Gerhardus, epiſcopus Florentinus, ſedit annos duos, menſes V. Iſte repudiato Benedicto à rege & principib. Romam miſſus in Papam receptus. Ipſe ſtatuit certum modum eligendi ſummum Pontificem.

CAPUT LVII.

ALexander ſedit annos IX. menſes ſex, dies XXVI. Hic fuit Parmenſis epiſcopus, & ejecto Papa Nicolao ſubſtitutus eſt in locum ejus, quo & ejecto epiſcopus Lucenſis Papa ſtatuitur, & tenuit Papatum menſes IIX. Et Alexandro ipſo ejecto ſedem recuperavit, & obtinuit eam duobus annis Nicolao defuncto. Hic Alexander ſtatuit in executione beneficiorum nihil dari etiam fabricis vel denariis eccleſiarum. Gregorius ſeptimus ſedit annos duodecim, menſem unum, dies quatuor. Hic prius dictus erat Hildebrandus, & dum prior erat Cluniacenſis monaſterii & apud Lugdunum legationis officio fungeretur, quendam epiſcopum de Simonia miraculosè convicit. Nam dum idem epiſcopus omnes teſtes pecunia ſubornaret, ipſe Hildebrandus legatus ei indixit, quòd diceret hæc verba: Gloria patri & filio, & Spiritui ſancto, ac ille verba hæc volens proferre expeditè, protulit hæc verba: Gloria patri & filio: nec ultra quid dicere potuit exprimendo Spiritui ſancto. & ſic crimen confeſſus depoſitus eſt, & poſtea Spiritui ſancto liberè proferebat. Iſte Papa Gregorius Imperatorem excommunicavit, & ab eo fugatus eſt. Victor ſedit annum unum, menſes quatuor, dies VII. Hic veneno ſibi miſto in calice extinctus eſt. Et ſub eo incepit ordo Carthuſienſis. Urbanus ſedit annos novem, menſes quatuor. Hic ſtatuit, ut horæ de domina noſtra dicantur cotidie, officiumque ejus ſabbathis ſolenniter celebretur. Et ſub eo cœnobium Ciſtertienſe fundatur in Burgundia.

CAPUT LVIII.

HEnricus quintus, filius Henrici quarti, regnavit annos XVIII. Hic ſtatim poſt mortem patris ſui venit Goslariam: & ibi quadam nocte enſis ejus & clypeus fulmine conſumti ſunt, quod videbatur ſignum eſſe futuri mali. Anno primo ipſius, Paſchalis Papa Synodum habuit in Gallia apud Trecas, in qua decretum eſt, quòd nemo inveſtituram beneficii vel eccleſiaſticæ dignitatis à laicali manu ſuſciperet, quoadusque hæc quæſtio inter Papam & regem ſynodaliter terminaretur. Et Papa omnibus eccleſiis libertatem ſuam, ut ſecundum præcepta canonum prælatos ſibi eligerent, quos dignos viderent, reſtituit. Eo tempore ſanctus Bernhardus de Ciſtertio Claram Vallem mittitur pro Abbate, dum primò erat ibi fundatum cœnobium. Anno Domini MCXIX. incepit ordo Præmonſtratenſis in diœceſi Laudunenſi ſub Nortberto Colonienſi. Iſtis temporibus multi epiſcopi anathematiſantur, vel ſuſpenduntur ab officio, vel etiam deponuntur propter ſchiſma, quod erat inter Papam & inter Imperatorem. Unde Patriarcha Aquilegienſis, Leodicenſis & Cameracenſis epiſcopi anathematiſantur. Quia Imperator Henricus pater hujus Henrici mortuus fuit in excommunicatione, & in eccleſia ſancti Lamberti apud Leodium ſepultus eſt. Et Mindenſis & Halverſtadenſis epiſcopi privantur. Archiepiſcopus Colonienſis cum ſuis ſuffraganeis ab officio ſuſpenditur quoniam abſentaverat ſe à concilio generali. Archiepiſcopus Moguntinus & epiſcopus Conſtantienſis ab officio ſuſpenduntur, quia aliquos contra canonum ſtatuta electos inſtituerunt. Henricus epiſcopus Paderbornenſis profectus Romam eccleſia mediante ſui reſtitutionem obtinuit. Henricus rex anno 4. regni ſui, filiam regis Angliæ apud Leodium duxit uxorem, & Flandriam ac Poloniam ſubegit, Pragam civitatem Bohemiæ ab obſidione paganorum potenter liberat, & deinde dirigit ſe trans Alpes in Italiam cum exercitu magno & civitates cum caſtellis ſubegit, & civitatem Novariam propter rebellionem diruit. Henricus rex Romam veniens pridie Idus Februarii, à Paſchali Papa honorificè ſuſcipitur, & datis obſidibus utrinque de quibus ex parte regis unus erat HENRICUS, frater FRIDERICI comitis Wephaliæ de Arnsburg, conveniunt in eccleſia ſancti PETRI. Et dum negotiis tractandis diligenter inſiſterent, tumultus magnus in gradibus ſancti PETRI ortus eſt, ita ut etiam quidam ibidem truncarentur: quare, diſturbato concilio, Papa cum Cardinalibus regiæ cuſtodiæ mancipatur: Romani verò trans pontem Tiberis confugientes arma capiunt, & regem invadunt, ſed rex obtenta victoria Papam cum

cum Cardinalibus abducens ad Albam civitatem ſe contulit, & poſitis caſtris in campis urbi adjacentibus, per totam quadrageſimam moram traxit ibidem. Et tandem, intervenientibus principibus, Papa & rex conciliati ſimul ad urbem ſe transferunt, & Papa regem coronat in Imperatorem, Anno domini MCXI. in octava Paſchæ, & conceſſit Imperatori inveſtituras epiſcoporum per Alemanniam: quod cum Cardinales ægre ferrent, Papa ad eorum inſtigationem poſtea revocavit, & facta eſt iterum diſſenſio inter Papam & Imperatorem. Hoc tempore porca porcellum faciem hominis habentem enixa eſt, & pullus gallinæ quadrupes ex ovo productus eſt. Poſtquam Henricus Imperator regreſſus eſt ab Italia, magna diſcordia inter eum & principes regni orta eſt. Unde imperator caſtra & civitates impugnat & diruit: epiſcopatum Colonienſem pervagatur: Gulike præſidium diruit. Poſtquam Weſtphaliam invadit, Suzacienſes cives ejus impetum magna pecunia mitigant. Deinde Brunſwick occupat & Halverſtad devaſtat, & Horneborch diruit, & ſic prædis & flammis univerſa pervagatur: Sed principes regni non minora damna inferunt Imperatori: Tremoniam, Andernacum, Synticke præſidia diruunt, bellum cum eo in campis Welpesholt committunt & vincunt. Deinde Luitgerus Dux Saxoniæ, principalis inter eos, contra civitatem Monaſterium cum principibus dirigit exercitum, & obſidione firmata jurare compellunt cives fidelitatem ſibi contra Imperatorem ſervare. Poſt hoc principes Rhenum tranſeunt, & amicos Imperatoris trans Rhenum in Alſatia infeſtant, ſed inde, ſine damno tamen, repulſi ſunt. Dum bellum propè Welpesholt ſupra dictum in Saxonia commiſſum fuit, eodem die principes, qui Saxonibus in auxilium venerant, debellabant Sclavos paganos propè Köthene vicum. Poſt hoc Imperator curiam Moguntiæ celebrat, & quia Albertum archiepiſcopum Moguntinum captivum tenuit, cogentibus eum civibus, ipſum eis liberum reſtituit: deinde Archiepiſcopus ei contrarius effectus eſt. Hoc tempore Baldewinus rex Jeruſalem moritur. Bellis ſupra dictis in Alemannia ferventibus, Paſchalis Papa obiit, & Imperator apud Paduam tunc exiſtens Romam properavit, & electioni Gelaſii Papæ interfuit: Sed Gelaſius v. die poſt electionem ſuam à communione Imperatoris ſe ſubtraxit. Quare Imperator quendam Mauritium, Bratarium epiſcopum, in Papam ſubſtituit, & Gregorius vocatus eſt. Unde Gelaſius Papa cum Cardinalibus ſuis Capuam ſe tranſtulit, & inde Beneventum ſe contulit, & in Imperatorem cum idolo ſuo (hoc quippe nomine, quem Imperator ſubſtituit, notavit) excommunicationi innotavit. Eodem anno Cono Præneſtinus Epiſcopus, ſedis Apoſtolicæ legatus, venit Coloniam ibique Synodum cum aliquot epiſcopis, puta Magdeburgenſi, Paderburnenſi, Halverſtadenſi in feſto rogationum celebravit. Deinde cum eodem Frizlariam ſe tranſtulit, & adjunctis ſibi Moguntino & Colonienſi, Trajectenſi, Monaſterienſi, Oſnaburgenſi, Cicenſi, Merſeburgenſi & Spirenſi epiſcopis, ibidem concilium celebravit, & Imperatorem cum Idolo ſuo, & omnib. ſibi adhærentib. excommunicavit. Inter hæc Burchardus Monaſterienſis epiſcopus, quem Imperator Conſtantinopolin direxerat, in via mortuus eſt: quare tertio anno poſt hoc Lutgerus dux Saxoniæ, & Hermannus Comes de Wintzenburg, Monaſterium ſe dirigunt pro reſtituendo Theodorico, ibidem epiſcopo, qui alias ſpoliatus epiſcopatu fuerat. Et tunc eccleſia S. Pauli ferè cum omnibus ædificiis urbis igne conſumta eſt: Sed Dux ipſe magnum theſaurum pro reædificatione ipſius eccleſiæ largitus eſt. Et Dux ferè omnes defenſores ipſius urbis tam nobiles, quam miniſteriales captivos abduxit. Et deinde Duſmene urbem munitam in deditionem ſuſcepit. Poſt hæc Imperator & principes in Wirzeburg conveniunt, & ibi ad concordiam redierunt. Et tertio anno præcedente Gelaſius defunctus eſt, & ſucceſſit ei Calixtus epiſcopus Viennenſis, cui Mauritius Antipapa à Romanis captus apud Sutrium præſentatur, qui eum ad agendam pœnitentiam in exilium relegavit. Anno Dom. MCXXII. 19. Kal. Octob. Imperator Domino Apoſtolico reconciliatus eſt, & liberè reſignavit electiones & inveſtituras epiſcoporum, & ut per ſummum Pontificem deinceps fierent ſpontè conſenſit: Ita tamen quod Epiſcopi Teutoniæ regni regalia ab Imperatore reciperent, ratione quorum regi Teutoniæ debitam reverentiam exhiberent & honorem. Et iſtam reſignationem recepit Epiſcopus Oſtienſis Apoſtolicæ ſedis legatus Wormatiæ coram principibus regni, & Imperatorem auctoritate ſedis ejuſdem à ſententia excommunicationis abſolvit.

Anno ſequente Fridericus Comes Weſtfaliæ de Arnsburg, homo ferociſſimus, mortuus eſt, qui caſtrum Weſelburg antiquitus tempore Hunnorum conſtructum, vetuſtateque temporis neglectum reſtauraverat, anno uno ante obitum ſuum: à quo totam viciniam multiplicibus angariis vexare non ceſſavit. Henricus Imperator curiam celebravit in Bavenberg ibique Epiſcopus Otto recepit licentiam, & tranſtulit ſe ad Sclavos paganos, qui Pomeren dicuntur, & convertit eos. Hunc credo eſſe Ottonem in cujus honorem collegiata in Stetin dedicata eſt. Henricus Imperator, ultimo anno regni ſui, ob rebellionem civium, Wormatiam obſedit, & tandem, multis eorum obtruncatis & captis, ipſi ſe dedentes, ſolverunt Cameræ regiæ duo millia marcarum. Et ſequente anno Henricus Imperator moritur, & in Spire, ubi & pater ejus, poſtquam Leodii exhumatus eſt, ſepultus fuerat, tumulatur. Hujus Henrici temporibus ultimis claruit Hugo de S. Victore Pariſiis, natione Saxo. Et eiſdem temporibus incœpit ordo templariorum ex militibus congregatis in Jeruſalem, & dicti ſunt milites templi, quia in porticu templi ſedem ſui ordinis ſtatuerunt: poſtea tamen ordo ille non perduravit.

CAPUT LIX.

Luitgerus, ſive juxta Italicos Lotharius, Dux Saxonum poſt mortem Henrici a principibus regni Moguntiæ eligitur in regem, & regnavit annis XIII. Hic anno regni ſui ſecundo fecit expeditionem contra regem Bohemiæ. Et quamvis tantum tria millia armatorum in exercitu ſuo habuit, quorum aliquos inciſione ſylvæ, dum incautè agerent, perdiderat, & Rex Bohemiæ XX. millia hominum congregavit, regem tamen terruit, ut gratiam ejus peteret, & captivis redditis fidelitatem ſibi juraret. Huic tentavit rebellare Conradus frater Friderici ducis Alſatiæ, quia aliqui de principibus eum regem eſſe voluerunt. Unde rex Luitgerus cepit civitatem Spier. Et illis temporibus viri communiter nutriebant comam, & tunc multis in exercitu regis capilli capitis fulmine conſumpti ſunt, & inde ceſſavit conſuetudo illa in viris. Tandem Fridericus Dux Alſatiæ & Conradus frater ejus regi ſe ſubdiderunt. Anno Domini MCXXVI. Treveri apud S. Eucharium reperitur corpus S. Matthiæ Apoſtoli, ſubtus altare S. Johannis Baptiſtæ. Sequenti anno Henricus Epiſcopus Paderbornenſis obiit & ſucceſſit ei Bernhardus primus, qui rexit Eccleſiam Paderfontanam annis XXXII. Anno VII. regni Luitgeri habitus eſt conventus principum apud Leodium, rege Lothario una cum Innocentio Papa præſente, & deinde Rex Papam Romam usque deducens, Petrum Leonis, qui Papatum invaſerat, compeſcuit, & Dominum Innocentium in ſedem Apoſtolatus reſtituit, & deinde rex coronam Imperii in Eccleſia Lateranenſi ab eodem Papa Innocentio ſuſcepit, anno Domini MCXXXIII. regni ipſius regis anno IX. & Bernhardus Epiſcopus Paderbornenſis cum Imperatore ibidem exiſtens promeruit à ſede Apoſtolica ſibi & ſucceſſoribus ſuis uſum rationalis in celebrationibus Miſſarum ſtatutis temporibus, & in conſecrationibus Eccleſiarum, ſeu ordinationibus Eccleſiaſticorum graduum, in proprio tamen epiſcopatu. Eodem anno civitas Paderbornenſis cum Eccleſia incendio principali quaſi tota conflagrat. Et anno præcedente S. Godehardus quondam Hildeſemenſis Epiſcopus canoniſatus eſt. Iſtis temporibus mulier quædam monſtrum peperit bina vice, videlicet, geminos ſibi averſis vultibus cohærentes, facies hominis ab una parte, & facies canis ab altera, & cætera membra ritè diſtincta dorſis ſibi cohærebant. Anno regni Luithgeri decimo rex Danorum venit ad eum in Halverſtad pro pace firmanda, quia multos Teutonicos in regno Daciæ, ſeu Daniæ degentes truncavit. Quare Imperator commotus contra eum in regnum ejus valida manu conferre ſe voluit: Rex igitur futura pericula cavere deſiderans, in poteſtatem Imperatoris ſe dat, tradit obſides, & juramentum præſtat, quod ipſe & ſucceſſores ſui non niſi permiſſu Imperatoris & ſucceſſorum ſuorum regnum Danorum adipiſci deberent. Et ſic ipſe Rex ſancto die Paſchæ, regio more coronatus, coram de more Imperatore coronato, gladium ipſius portat, & ſic in gratiam Imperatoris reverſus eſt. Anno XIII. regni ejus Imperator regreſſus in Italiam, multa in Apulia & Calabria diſpoſuit, & caſtrum quoddam in altare civitatis Barenſis per quendam principem prædonum occupatum, de quo idem mari terraque multos opprimebat, cepit & deſtruxit, & prædones numero quingentos juſſit circa turrim exuſtam ipſius caſtri ſuſpendi. Eodem anno ab Italia diſcedens in itinere mortuus eſt, & ſucceſſit ei Conradus.

CON-

CONRADUS tertius, frater Friderici Ducis Alſatiæ, regnavit annis quindecim. Contra hunc oppoſuit ſe HENRICUS Dux Bavariæ, intendens regnum obtinere: quem ipſe obſedit in caſtro Nürenberch/ caſtrum cepit & Ducem privavit, Ducatumque contulit ALBERTO marchioni de Brunſwick/ non obſtante, quòd uxor Regis erat ſoror ipſius Ducis. Et ſic inter regem & amicos Reginæ guerræ maximæ ortæ ſunt. Tandem HENRICUS dux veneno intoxicatus obiit. Et Conradus rex relictam ipſius ducis, quæ fuit filia Luithgeri ducis Saxoniæ, dedit Henrico fratri ſuo, Duci Auſtriæ in uxorem. Anno ſecundo Conradi Johannes de temporibus, qui fuit armiger Caroli M. poſtquam vixerat annis CCCLXI. moritur. Iſtis temporibus Hugo de S. Victore obiit, de quo inter cætera legitur, quod cum in extremis conſtitutus nullum omnino cibum poſſet retinere, petiit corpus Dominicum ſibi dari, & fratres afferentes corpus Dominicum porrexerunt ei hoſtiam non conſecratam, ſed ipſe cognoſcens hoc per ſpiritum dixit: Miſereatur veſtri fratres dominus, cur me deludere voluiſtis? Iſte enim non eſt dominus meus, quem portaſtis. Mox illi ſtupefacti corpus dominicum ei tradere voluerunt, ſed ipſe ſentiens, quòd ipſum recipere non voluit, dixit elevatis manibus: Aſcendat filius ad Patrem, & Spiritus ad eum, qui fecit illum: & ſtatim inter ipſa verba Spiritum exhalavit, & corpus Domini ibidem diſparuit. Anno CONRADI ſexto Comes de Arnsberg deprædationes & incendia exercet in diœceſi Paderbornenſi. Anno Domini MCXLIII. Major eccleſia Paderbornenſis, poſt incendium ejus anno XII. à Bernhardo epiſcopo dedicata eſt, & ipſe epiſcopus anniverſarium diem dedicationis per epiſcopum Immadum conſtitutum non mutavit. Hic Bernhardus epiſcopus Paderbornenſis fundavit monaſterium in Herdehuſen, in diœceſi Paderbornenſi. Iſtis temporibus rex Babyloniæ multas civitates, quas Chriſtiani in partibus ultramarinis tenebant, occupavit: quare EUGENIUS Papa ſcripſit de hoc Lodewico regi Francorum, & fecit crucem prædicari per S. BERNHARDUM Abbatem Clarewallenſem: Conradus rex à S. Bernhardo, in civitate Spirenſi, ad expeditionem Hieroſolymorum faciendam crucem ſuſcepit. Unde multis principibus de Lotharingia & Anglia ſibi aſſociatis, cum CC. navibus terram ſanctam aggreditur. Et Lodewicus rex Francorum per Ungariam in adjutorium venerat, ſed dolo Græcorum, qui calcem cum farina miſcuerunt, magnum detrimentum in hominibus paſſi ſunt, tamen in terra ſancta multa glorioſa bella peregerunt. Anno ejus duodecimo, OTTO Comes de Ravensberg Friſiam intravit, & multitudine Friſonum proſtrata, glorioſus rediit. Hoc tempore RICHARDUS de S. Victore. qui fecit Poëtriam novam: GRATIANUS monachus Monaſterii S. Felicis Bononienſis, qui fecit Decretum anno Domini milleſimo centeſimo: & magiſter Petrus Lombardus, qui fecit librum ſententiarum claruerunt. Conradus rex anno regni ſui XV. Imperiali coronatione nondum percepta defunctus eſt, & ſucceſſit ei Fridericus, filius fratris ſui Friderici, Ducis Alſatiæ. Hoc anno clauſtrum SS. Petri & Pauli in Paderborne exuſtum eſt.

CAPUT LX.

FRIDERICUS primus regnavit annis XXXVIII. Hic anno quarto regni ſui veniens in Italiam Placentiam ſubegit, quædam caſtella Mediolanenſium & Cremonenſium combuſſit. Spoletum totum igne conſumpſit: Romam veniens à ſummo Pontifice coronatus eſt, in die Nativitatis Johannis Baptiſtæ. Et ortâ ſeditione inter Romanos & ſuos, tanta cæde Romanos compeſcuit, quòd Tiberis ſanguineo colore defluxit, & deinde in Almanniam reverſus eſt. Eo tempore Fridericus comes in Altena quartus genuit Adolphum, qui fuit quintus comes in Altena, & primus comes in Marcka. Anno ſecundo poſtquam Imperator receſſit ab Italia, orta eſt diſcordia inter Papam & Imperatorem ex facili cauſa. Nam Innocentius, Papa ſecundus quondam fecerat imaginem ſuam quaſi in ſede Pontificiali ſedentem, & imaginem Lotharii Imperatoris, quaſi flexis genibus ante ſe coronam Imperii ſuſcipientem, in muro depingi. Et iſta pictura Friderico Imperatori omninò diſplicuit. Cumque anno regni ſui ſexto Adrianus Papa miſit ad eum in Galliam duos Cardinales legatos cum literis ſuis in quibus inter cætera continebatur: Beneficium coronæ tibi contulimus, quod verbum, Beneficium, quidam de conſiliariis Imperatoris uſualiter exponendo, in contumeliam Imperatoris cedere aſſeruerunt. Imperator Cardinalibus reſpondit: quòd à ſolo Deo habemus coronam Imperii, non Romano Pontifici, ſed ſoli Deo attribuimus: pri-

mam vocem regiæ electionis Archiepiſcopo Moguntino recognoſcimus: regalem conſecrationem Archiepiſcopo Colonienſi permittimus, Imperialem conſecrationem Romano Pontifici aſſignamus. Picturæ itaque deleantur, & ſcripta corrigantur, alioquin inter regnum & ſacerdotium concordia & pax ſtare non poterunt: & ſic Cardinales cum indignatione rejecti ſunt. Eo tempore, quo Fridericus coronam ſuſcepit imperii, quidam Schiſmaticus in urbe fuit qui dixit regnum ſacerdotio præferendum. Quare ab exercitu comprehenſus Papæ præſentatur, & poſt audientiam igni ſententialiter adjudicatus flammis conſumitur, & cinis projectus eſt. Fridericus Imperator diviſit Marchiam Auſtriæ à Ducatu Bavariæ, & fecit eam ducatum ob amorem patrui ſui Henrici Marchionis ejuſdem. Imperator anno regni ſui ſeptimo, Italiam intraturus, præmiſit Reinoldum Cancellarium ſuum, & Ottonem Comitem Palatinum cum exercitu, qui Ravennam & Anconam civitates fortes, civibus primò multum renitentibus, in deditionem ſuſceperunt, & cives ipſos fidelitatem Imperatori jurare compulerunt. Imperator igitur cum valida manu veniens Mediolanum obſedit & erant cum Imperatore præcipuè inter alios principes, Rex Bohemiæ, qui habuit in comitatu ſuo quinque millia armatorum, HENRICUS Dux Alſatiæ, Fridericus Dux Almanniæ ſeu Sueviæ, BARTOLDUS dux Carinthiæ, LODEWICUS Landgravius Haſſiæ, Conradus comes Palatinus & Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis. Mediolanenſes autem tribus portis erumpentes, Imperatoris caſtra invadere tentant, ſed cum magiſtro ſuo diſpendio repulſi ad civitatem redierunt. Videntes igitur, ſe Imperatori reſiſtere non poſſe, veniam petunt: qua conceſſa Imperator civitatem coronatus ingreditur, & acceptis obſidibus ferè quingentis, atq; tributo indicto recedit. Et poſtea Imperator miſſis legatis Mediolanum pro tributo, tributum non percepit: quoniam legati ipſius, videlicet Reinoldus Cancellarius, & Conradus Comes Palatinus mutato habitu traditione civium nocte vix evaſerunt. Quare Imperator rediens Mediolanum ipſam civitatem triennio obſedit. Et in hac obſidione Friderico Archiepiſcopo Colonienſi jam in Lombardia defuncto, Imperator promovit Reinoldum Cancellarium ſuum ad epiſcopatum Colonienſem, quoniam ſcripſit Eccleſiæ pro eo, & ſic ad preces ejus electus eſt. Papa Adrianus, audito adventu Imperatoris, cum Cardinalibus concilium habuit, circa feſtum Beati Petri ad vincula, tractans cum eis, quomodo Imperatorem excommunicaret, ſed morte præventus eſt. Quare Cardinales elegerunt Rolandum, Cancellarium Papæ defuncti, in Papam: ſed ille aſſerens ſe indignum renuit. Cardinales igitur illi qui Imperatori favebant, hoc audientes ſtatim elegerunt Octavianum Cardinalem in Papam, & nominatus eſt Victor. Cæteri verò Cardinales Imperatori contrarii rurſus prædictum Rolandum eligentes inthroniſaverunt eum, & appellabant eum Alexandrum: & Schiſma factum eſt. Anno ſequente Venetorum Legati ad Imperatorem, apud Parmam civitatem venientes, pacem & gratiam ejus poſtulabant. Eodem anno BERNHARDUS epiſcopus Paderbornenſis obiit, & ſucceſſit Evergiſus, qui præfuit eccleſiæ annis XVII. Anno Domini MCCXI. Imperator in obſidione Mediolani perdurans apud Papiam concilium convocat, & deſiderans ſchiſma ab Eccleſia Dei diſterminare, utroſq; electos vocat per Legatos: quorum unus videlicet Octavianus, qui ſe Victorem nominavit, venit, & alter, videlicet Alexander, venire recuſavit. Rolandus igitur, qui & Alexander, ab epiſcopis ibi præſentibus, eò quod eccleſiæ judicio ſtare recuſaret, anathematiſatur. Et Imperator cum ſibi adhærentibus Victorem pro ſummo Pontifice tenuit, & reputavit: cæteris regibus & principibus cum prælatis ſuis adhærentibus Alexandro: qui Alexander ad Regem Franciæ ſe contulit, & honorificè ſuſceptus eſt ab eo. Mediolanenſes interim longa obſidione fatigati, interventu quorundam principum, in gratiam ſub forma hac recepti ſunt: egredientes quidam civitatem omnes ſe & civitatem in gratiam Imperatoris tradiderunt, & conſules & nobiliores ante pedes Imperatoris corruerunt. Et juſſit Imperator omnes conſules, legiſtas, Judices & milites teneri, populum in civitatem remittendo: deinde murum & turres civitatis dirui, & foſſata juſſit impleri. Tunc revelata ſunt Reinholdo, novo Archiepiſcopo Colonienſi, corpora ſanctorum trium Regum, quæ petiit ab Imperatore & obtinuit, & ea deinde Coloniam perduxit, anno Domini MCLIII & deinde Piſani fidelitatem juraverunt Imperatori. Anno Domini MCLXV. civitas Paderbornenſis à parte occidentali ultrà forum cum eccleſia forenſi & eccleſia SS. PETRI & PAU-

Digitized by Google

& PAULI miſerabiliter igne conſumta eſt. Anno dehinc ſequente in dominica Exurge, mare terminos ſuos egreſſum, per tres continuos dies excreſcendo duodecim penè miliariis multa millia hominum ſubmerſit, & ſpecialiter in Sicilia hoc factum eſt. Sed & alia flumina excreverunt ultra ſolitum modum, & multa damna in jumentis, ædificiis, hominibus intulerunt. In die Paraſceves celebrante Rolando, qui & Victor, apud Senonas divina, horribiles tenebræ factæ ſunt, & dum quidam de Cardinalibus ſuis paſſionem domini legeret, in eo quod hæc verba protulit, conſummatum eſt, fulgur tam ſtupendum cecidit, & tantus deinde fragor intonuit, ut Rolandus dimiſſo altari, & Diaconus miſſa lectione, ac omnes, qui aderant, fuga ſibi conſulendum eſſe putarent. Denique Octavianus apud Lucam obiit x. Kalend. Maji, & ſucceſſit ei Guido Cremonenſis, & ab Henrico Leodienſi epiſcopo ordinatus Paſchalis appellatus eſt. Et plures epiſcopi ab eo recedunt, qui prædeceſſori ſuo quoquo modo parebant. Eodem anno Archiepiſcopus Colonienſis, Paderbornenſis, Mindenſis, & Monaſterienſis epiſcopi, & Henricus Dux Saxoniæ urbem Arnsberch, obſident, ex eo, quod Henricus Comes de Arnsberch, Henricum fratrem ſuum juvenem, in vincula conjecerat, & inde mortuus erat. Unde Arnsberch capitur & deſtruitur, ac ipſe Henricus comes cogitur exulare, ſed poſtea ipſe dedente ſe, & omnia ſua Colonienſi eccleſiæ, per ipſum Archiepiſcopum ſuis & patriæ eſt reſtitutus. Anno MCLXVI. Imperator oſſa Caroli M. Aquisgrani quarto Calendas Januarii cum frequentia Pontificum & Principum magnoque tripudio cleri & populi extulit de Sarcophago. Anno Domini MCLXVII. Imperator quartò Italiam intravit, & totam Italiam perdomuit. Romani verò collectis quadraginta duobus millibus armatorum rebellare tentabant, & partem exercitus ab Imperatore præmiſſi invadere cœperunt. Sed Reinoldus Colonienſis & Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopi, & Philippus Cancellarius Imperatoris, cum ſexcentis quadraginta millibus omnem illam multitudinem Romanorum fugere compulerunt: & cæſa ſunt paſſim per agros novem millia, & quinque millia capti de exercitu Romano. poſt hoc venit Imperator, & ingreſſus urbem Romanos, CCLXXX. obſidibus receptis ab eis, ad deditionem coegit. Et Paſchalem Papam in ſedem B. Petri collocavit, ubi idem Paſchalis III. Kalend. Auguſti, XV. electos, alios Patriarchas, alios in Archiepiſcopos, & nonnullos in epiſcopos ordinavit. Et tertiâ dehinc die Beatricem Uxorem Imperatoris in Imperatricem conſecravit. Anno Domini MCLXIX. Henricus filius Imperatoris, puer quinque annorum, Aquisgrani à Philippo Archiepiſcopo Colonienſi in regem coronatur. Anno Domini MCLXXI. Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus in Italia multa ſtrenuè agens Anconam civitatem, Græcis occupatoribus ejus expulſis, Imperio Romano reſtituit. Sequenti anno mulier quædam apud Xanthum peperiſſe dicebatur infantem cum duobus capitibus, & tribus brachiis & tribus pedibus. Eodem anno S. Thomas, Cantuarienſis Archiepiſcopus à miniſtris regis in Anglia occiſus eſt. Et eodem anno ſeu tempore Henricus Dux Saxoniæ filiam regis Angliæ duxit uxorem. Et dicitur, quòd idem Dux in propria perſona S. Thomam invaſit, & quamvis multa pro emenda poſtea fecerit, ipſe tamen & poſteri ſui graviter attriti ſunt. Anno Domini MCLXXIII. Henricus Dux Saxoniæ cum D. ferè militibus ad terram ſanctam pro viſitando ſepulchro Domini profectus eſt: ubi multum honorificè per viam ab Imperatore Conſtantinopolitano, & quodam alio rege pagano tractatus eſt. Interim Imperator exiſtens in partibus Saxoniæ potentiores quosdam provinciæ, quibus Dux urbes ſuas commiſerat, terroribus vel promiſſionibus ſecretò circumvenit, & juramento conſtrinxit, ut ſi fortè Dux non rediret, urbes cum terra ſibi contraderent. Et poſt hoc Duce reverſo propter hæc facta eſt diſſenſio inter Imperatorem & Ducem. Illo tempore legati regis Babyloniæ venerunt ad Imperatorem, petentes filium Imperatoris matrimonialiter jungi filiæ regis Babylonis, ita quòd Rex ipſe cum regno ſuo fidem Chriſti ſuſciperet, ſed non fuit perductum ad effectum. Hoc etiam tempore floruit Abbas Joachim in Sicilia, de quo habetur extra: de ſumma Trinit. & fi. ca. c. damnamus Et dicitur, quod hic Joachim habuerit ſpiritum prophetiæ. Ego quidem vidi in Italia quendam librum, vel libellum, ſub nomine Prophetiæ conſcriptum, verbis ænigmatibus mirabiliter obſcurum, cujus verba, ut legebam eodem tempore, ejuſdem Joachim, Cyrillo cuidam presbytero celebranti divina in tabulis æneis Græcè conſcri-

Digitized by Google

pta ab Angelo præſentata fuerunt, & propter obſcuritatem verborum ipſi Joachim ab eodem presbytero ad interpretandum oblata. Et quia ex cauſſa tantum una nocte illum habere potui, modicum ex verbis ejus valui retinere. Recolo tamen in eodem me legiſſe, quòd ubi ſcriptum erat: Aquila nigra & coluber ab extra frigeſcens convenient in unum &c. Abbas Joachim interpretabatur ita: Imperator Romanorum & Imperator Conſtantinopolitanus concordabunt, & auferent omnia temporalia ab Eccleſia. Et circa finem prædicti libelli ponebatur quoddam capitulum quod incipiebat: Væ mulieribus exciſis de petra duriſſima: quæ verba, & totum illud capitulum interpretabatur Joachim de quibusdam religioſis futuris in eccleſia Dei: qui quamvis à viris ſanctis originem caperent, tamen molliciem mulierum imitarentur diſſolutè vivendo, quos in multis locis illius capituli legi vocari roſtratos à tergo. Unde præfatus libellus hoc erat fine concluſus: Qui colligit triginta modios ab area non invidebit roſtratis à tergo. Et non longè poſtquam Abbas Joachim hæc interpretatus eſt, orti ſunt ordines fratrum mendicantium. Anno Domini MCLXXIII. apud Andernach quidam fodientes terram invenerunt corpus Valentini Imperatoris, ſicut in ſuperſcriptione denarii, qui unà ſecum repertus eſt, continebatur: ad caput ejus corona, ad pedes verò urna, ad latus autem gladius aureum habens capulum & lapidem victoriæ, inventi ſunt. Eodem anno Imperator iterum duxit exercitum in Italiam, ſed cum in obſidione cujusdam civitatis, quæ Alexandria, à nomine Alexandri Papæ dicebatur, morarentur Mediolanenſes, Veronenſes, Brixinenſes, & ceteræ civitates Italiæ innumerabilem collegerunt exercitum, & Imperatorem obſidionem ſolvere coegerunt. Imperator tamen occurrens eis in campis aciem direxit contra eos. Intervenientibus autem quibuſdam, non pervenitur ad bellum, ſed civitates ipſæ cum Imperatore reconciliatæ ſunt. Non multò poſt rupto fœdere Imperatori tentant rebellare, quapropter Imperator novo collecto exercitu apud Cumas civitatem Liguriæ reſidebat, & cum Italici eum in nimia multitudine ibi invadere tentabant, ipſe progreſſus in campum commiſſo prælio ex utraque parte corruentibus victus eſt: Nam fuga capta Cumas ſe recepit. Tali caſu Imperator anxius & curis ingentibus preſſus, HENRICO Duci Saxoniæ per nuncios vocato, juxta lacum Cumanum occurrit, & humilius, quàm Imperatoriæ majeſtati congruebat, rogavit eum, ut ad reparandos Imperii caſus auxilium præberet, collecto in brevi exercitu, eoque in Italiam traducto: cujus petitioni Dux aſſenſum non præbuit, obortis jamdudum inter eos diſcordiis. Anno MCLXXVII. habito concilio generali apud Venetias, unitas eccleſiæ reformata eſt, & obtinuit ſedem B. Petri Alexander: à quo Imperator cum Teutonicis principibus ferè per annos XVI. diſſenſit. Cum ordinatis verò tempore ſchiſmatis ita diſpenſatum eſt, ut epiſcopi in dignitatibus & clerici in ordinibus ſuis manerent, niſi qui fortè contra Canones intruſi fuiſſent, ejectis per violentiam legitimis paſtoribus: vel niſi fuiſſent ordinati ab illis, qui auctores ſchiſmatis fuerunt, ut patet extra de ſchiſmaticis, capite primo. Inter hæc, quòd Archiepiſcopus Colonienſis erat in Italia, inter amicos ejus, videlicet Comitem de Altena, & ſuos coadjutores, & amicos Ducis Saxoniæ, videlicet, Bernhardum de Lippia, & ſuos, incendia & rapinæ aguntur. Monaſterienſis epiſcopus rediens ab Italia contra eos, qui in abſentia ſua diœceſin ſuam inquietaverant arma corripiens, junctis ſibi comite de Tekeneborch, & Bernhardo de Lippia caſtella quædam, videlicet, Ahuſen & Diepena deſtruxit. Eodem anno BERNHARDUS de Lippia ex parte Ducis HENRICI montem Lewenberg occupat, & præſidiis munit, quod poſtea inter eundem BERNHARDUM, & HERMANNUM Comitem de Ravenberg gravis diſcordiæ ſeminarium fuit. Anno ſequenti Philippus Colonienſis, cum auxilio Imperatoris exercitum contra HENRICUM Ducem Saxoniæ armat, & procedens usque ad Wiſeram Huxariam, oppidum Abbatis Corbejenſis, ad injuriam Ducis incendio vaſtat: Deinde usque ad Hamelen cuncta vaſtando proceſſit. Hoc anno Evergiſus epiſcopus Paderborenſis obiit, cui Sifridus eccleſiæ majoris præpoſitus ſucceſſit, & præfuit eccleſiæ Paderſontanæ annis novem, menſibus IV. Anno MCLXXIX. conventus Principum factus eſt in Magdeborch, ubi querimoniæ multæ, tàm ab Imperatore, quàm à principibus contra Henricum ducem Saxoniæ factæ ſunt. Hoc anno Guncelinus Comes de Swerin, qui de parte ducis erat, habuit bellum cum

Simo-

Simone de Tekeneborch, & filio Comitis de Arensberch in diœceſi Oſnaburgenſi, & cæſa multitudine vulgi Comes de Tekeneborch cum multis millibus captus eſt. Eodem tempore Bernhardus de Lippia, & Witekindus de Rheden contra Zuſatum armata manu tendentes provinciam circumquaque incendio vaſtaverunt, & in die Juda divertentes oppidum Medebecke concremarunt. Archiepiſcopus autem Colonienſis è contra exercitum dirigit contra ducem in Saxoniam, & caſtrum Haldensleve obſedit, ſed non perſeverat. Et Landgravius Haſſiæ Lodewicus, & frater ſuus Hermannus Comes Palatinus, cum quadringentis militibus, fuerunt in exercitu Archiepiſcopi Colonienſis. Quare Henricus Dux dirigens exercitum ad terram Landgravii eodem anno bellum cum eo committit, & Landgravius victus cum quadringentis militibus captus eſt. Et ante hoc bellum HERMANNUS Comes Palatinus frater Landgravii ab amicis ipſius ducis captivatus eſt. Et Dux Halberſtad, Northuſen & Molhuſen exuſſit, ſed tunc plures nobilium, cum urbibus quas à Duce tenuerunt, ad partem Imperatoris verterunt ſe. Anno Domini MCLXXX. in conventu principum apud Geilenhuſen celebrato per ſententiam principum Duci SAXONIÆ HENRICO ducatus ſuus abjudicatur, & partes ipſius ducatus, quæ erant in Colonienſi & Paderbornenſi diœceſibus ultra Weſeram, dantur PHILIPPO Archiepiſcopo Colonienſi: Et Bernhardo comiti de Anhalt, filio Marchionis Adelberti cæteræ partes ducatus ipſius, quæ erant in Saxonia, condicuntur. Deinde eodem anno Archiepiſcopus Magdeburgenſis cum multis principibus Saxoniæ, caſtrum ipſius ducis Haldesleve obſedit, cui ex parte ducis præerat Bernhardus de Lippia, & poſt multos labores intercluſo alveo aquæ percurrentis ibidem, aquæ in tantum excreſcebant, ut tenentes caſtrum periculum ſubmergendi non immerito formidarent. Tandem ipſis aquis hyemis aſperitate conſtrictis in glaciem, obſidentes caſtrum calcaria ſubtus pedes ligantes, caſtrum fortiter aggrediuntur, & per amicum Ducis ſæpè repelluntur: ad extremum verò de conſenſu Ducis caſtrum traditur epiſcopo Magdeburgenſi: Anno ſequenti Imperator expeditionem facit contra Ducem, & cum multis regni principibus veniens in Saxoniam obſedit caſtra Blanckenborg, Waldenberch, & Lichtenberg, & captis ipſis ea diruit. Et deinde cum toto exercitu verſus Lubeck ſe dirigit, & capit eam, & tandem cum Imperator movit exercitum contra Brunſwick, Dux Romani Imperii vires non ſuſtinens, conſilio principum, poteſtati Imperatoris ſe dedit cum urbibus & caſtellis: conceſſis ſibi tantummodo Brunſwick & Luneborch. Quare cives qui proſcripti fuerant, ob fidem, quam Duci ſervaverant, tunc patrimoniis & honoribus reſtituti ſunt. Inſuper Dux eos, quos tenuit captivos, videlicet Lodewicum Landgravium, & fratrem ejus HERMANNUM Comitem Palatinum, comitem de Tekeneborch, WITIKINDUM de Waldegge, & alios plures nobiles, cum plus quàm mille militibus, pro gratia Imperatoris abſolvit. Et ob honorem & gratiam Imperatoris extra terminos Romani Imperii exulans ad HENRICUM regem Angliæ ſocerum ſuum divertit. Anno Domini MCLXXXVI. Henricus filius Imperatoris, jamdudum in regem coronatus, dominam Conſtantiam de Sicilia duxit uxorem. Anno Domini MCLXXXVII. Jeruſalem capta eſt à Saracenis: quare Henricus Albanenſis epiſcopus à latere Papæ Urbani miſſus expeditionem ultra mare prædicavit. Eodem anno eclipſis ſolis facta eſt. Et deinde anno ſequenti Imperator, & Fridericus Dux Sueviæ filius ejus, cum multis nobilibus in Maguntia curiam celebrantes, ab Herbipolenſi epiſcopo cruce ſignati ſunt. Eodem anno Sifridus epiſcopus Paderbornenſis obiit, & ſucceſſit ei Bernhardus ſecundus, qui præfuit eccleſiæ annis XVI. Anno Domini MCLXXXIX. Imperator cum multis principibus Romani Imperii verſus terram ſanctam ſe contulit, & tunc Witikindus advocatus eccleſiæ Paderbornenſis Comes de Swalenberg & de Waldegge, advocationem ſuam in manus Domini Bernhardi epiſcopi reſignavit, in præſentia priorum & conventus totius Paderbornenſis eccleſiæ, adſtantibus fratribus ipſius Hermanno & Henrico, & ſi quid juris in ea haberent etiam abdicantibus. Et ſic teſtamento ſuo condito, iter Hieroſolymitanum cum Imperatore arripuit. Accepit autem pro hac benevolentia ab epiſcopo, tradente eccleſia ex theſauro ſuo, trecentas marcas argenti. Eodem anno Bernhardus epiſcopus Paderbornenſis montem Iburg occupavit, & munire cœpit: Sed conſilio eccleſiæ & fidelium ab incœpto deſtitit. Qui autem iſte mons ſit, in-

Digitized by Google

certum eſt mihi, cum ſupra dictum ſit, quòd Carolus Magnus dedit eccleſiæ Paderbornenſi caſtrum Iburg, quod nunc corruptè dicitur Driburg. Si enim tempore Caroli magni jam ibi caſtrum fuit, non epiſcopus, montem iſtum occupando, caſtrum primus ædificare cœpit, niſi tunc caſtrum antiquum fuiſſet dirutum ex toto: & etiam hic dicitur, quòd epiſcopus ab incœpto deſtitit, & tamen caſtrum Driburg huc usque perſeverat: niſi fortè alius, poſtquam ipſe epiſcopus ab incœpto deſtiterat, illud quod ipſe inceperat, poſtea compleviſſet. Hoc etiam tempore rapinæ & incendia fuerunt per diœceſin Paderbornenſem, à Witikindo comite & Hermanno de Waldegge excitatæ: qui complices ſuos contraxerunt in munitiunculam Brobebe, quam epiſcopus Paderbornenſis cepit, & deſtruxit. Imperator igitur cum maximo exercitu regnum Ungariæ pertranſiens, à rege & regina multis donariis honoratus eſt. Deinde partes Bulgariæ pertranſiens, venit in Græciam, & miſit Hermannum epiſcopum Monaſterienſem, Robertum Comitem de Naſſawe, & alios pene cc. ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, pro pacifico tranſitu, & convenienti rerum venalium foro per terram ſuam: quos omnes ille, quaſi unum cum Saracenis ſentiens, fecit detineri, & miſit quendam de magnatibus ſuis ad Imper. Fridericum, qui legationem detulit in hæc verba: Sanctiſſimus Imperator Conſtantinopolis mandat tibi advocato urbis Romanæ gratiam ſuam, ſi dignaris ſcire tamen, te & monarchiam Romanæ urbis penes eum eſſe, eumque ſuperiorem tibi imperare debere: quod nunc ut concedas oportet, quia te, & exercitum tuum, terminis ſuæ ditionis, quaſi retibus, concluſit. Ad hæc Imperator commotus reſpondit: Sciat ille tuus, quem dicis Sanctiſſimum Imperatorem, me electione principum, & conſecratione univerſalis Papæ urbis Romanæ, nomen Imperatoris, & Romani Imperii dignitatem ſuſcepiſſe: ab Imperatoribus ſcilicet avis meis & proavis ſanguinem ducere: Sanctitatis nomen, ſicut ille arrogans canis, mihi non adſcribere: me peccatorem agnoſco: pro peccatis meis, ob defenſionem Chriſtianæ gentis, iter hoc aggredior: Nulla prorſus apud eum, ſed penes nos, auctore DEO, hic & in omnibus terris Romani Imperii majeſtas conſiſtit. Retia, quibus nos concluſos applaudit, ac ſi tela aranearum facilè irrumpenda vilipendimus. Id cani tuo refer è conſpectu noſtro quantocyus recedens: quia ſi Romani non offuſcaret gloriam Imperii, ſigna forſitan referres, qualia vanitas Domini tui exigeret. Sed poſtea per legatos hinc inde miſſos Imperatores conciliati ſunt, & captivi relaxati. Deinde Imperator movens exercitum à filio regis Turcorum plurimas inſidias expertus eſt. Namque à ſuis intellexit, quòd ſi vellet per terram ejus pacificum habere tranſitum, neceſſe haberet magna pondera auri & argenti ſolvere ſibi: quamvis rex Turcorum, videlicet, Suldanus de Iconio, per legatos ſuos Imperatori, dum adhuc erat in Teutonia, mandaverat, quòd ipſe auxilia contra Saracenos, & rerum venalium copiam vellet exhibere. Unde Imperator indignum valdè & Imperatoriæ majeſtati contumelioſum judicans, auro & argento à Turcis ſe redimere, Turcorum legatis ita reſpondit: Ego forum rerum venalium, quod promiſit Soldanus, ante portas Iconiorum requiram. Unde Turci manu armata Imperatori fortiter occurrerunt. Et cùm bellum inſtauraretur, Turci fugiunt, & cùm ſe in civitatem recipere feſtinant, Imperator cum ſuis Turcis intermixtis per vim civitatem ingreditur, & exercitus ejus ſpoliis civitatis ditatur. Deinde facta pace inter Imperatorem & regem Turcorum, Imperator ultra movet exercitum, & ſtatim occurrunt ei legati Saladini regis Saracenorum excuſantes dominum ſuum de detentione terræ Hieroſolymitanæ, aſſerentesque eum minimè meruiſſe indignationem Romani Imperatoris, & velle ſtare ſententiæ principum, an juſtè, vel injuſtè terram ipſam detineret. Cumque ex his verbis totus lætificaretur exercitus, ſtatim lamentabile factum ſecutum eſt. Nam Imperator volens in equo flumen quoddam tranſire ſubmerſus eſt. Et inde luctus fit maximus: & corpus ejus recuperatum à FRIDERICO filio ſuo Duce Sueviæ Antiochiam delatum eſt, & ibidem tumulatur. Inter hæc innumerabilis exercitus Chriſtianorum obſedit civitatem Accaron, quam Saraceni turribus & muris fortiſſimè munierant, verſus quam pars exercitus cum Friderico filio Imperatoris ſe contulit. Et ibidem Fridericus ipſe peſtilentia interiit. Alia verò pars exercitus Imperatoris ad patriam repedavit, & Lodewicus Landgravius & Witikindus de Swalenberg in itinere mortui ſunt.

CA-

Caput LXI.

HENRICUS ſextus, filius Friderici regnavit annis IIX. Hic interventu principum Henricum Ducem Saxoniæ recepit in gratiam, anno primo poſt mortem patris. Quare Henricus filius ipſius Ducis Saxoniæ ſe cum rege in Italiam confert. Dehinc anno ſequente videlicet nativitatis Domini MCXCII. in ipſa die Nativitatis Domini, Henricus rex Romam ingreditur, & ſequenti die à Cœleſtino Papa coronatur. Poſt hæc Imperator urbem egreſſus verſus regnum Siciliæ, quod Conſtantiæ uxori ſuæ debebatur, & quidam Tancredus occupaverat, ſe direxit. Et cum Neapolim obſidione vallaſſet, ipſe & multi nobiles cum eo confirmantur: quare Imperator obſidionem abſolvit. Et Henricus filius Ducis Saxoniæ ſocios ſuos deſerens civitatem intravit. Quare Imperatori ſuſpectus habitus eſt. Et inde anno ſequenti propter hoc idem ipſe Dux in partibus Saxoniæ ab amicis Imperatoris bellis impetitur. Hoc tempore Wichmannus Archiepiſcopus primo bis in anno monetam innovavit. Eo tempore Chriſtiani ceperunt Accaron civitatem, & ibi inſtitutus eſt tunc ordo militum cruciferorum domus Teutonicorum. Et Richardus rex Angliæ, cum reverteretur à terra ſancta, naufragium paſſus eſt: ipſe tamen periculum evaſit. Et cùm Viennam Auſtriæ venerat, captus eſt & Imperatori præſentatus, qui coëgit eum ſolvere C. millia marcarum & regnum Angliæ ab eo recipere. Et tunc prædicta pecunia Henricus Imperator multos principes attraxit ad ſe. Hic Henricus Imperator concordavit cum principibus regni, quòd liberi ſui poſt eum hereditario jure regnum obtinerent: ſed contradictum eſt à principibus Saxoniæ. Quare ipſe Imperator principes illos à promiſſo abſolvit, & juramenta ea occaſione præſtita relaxavit. Poſt hæc Imperator iterum profectus in Italiam inimicos ſuos undique perturbat: & tandem veneno intoxicatus moritur, & in civitate Meſſana ſepelitur, & deinde exhumatus apud Panormum denuo tumulatur. His temporibus anno Domini MCXCIIX. incepit ordo Prædicatorum per S. Dominicum natione Hiſpanum.

Caput LXII.

PAſchalis Papa ſedit annos XIIX. menſes V. Gelaſius ſedit annum unum, dies V. Calixtus ſedit annis V. menſes X. dies XIII. Honorius ſedit annos V. menſes II. dies III. Innocentius ſecundus ſedit annos XIII. menſes IIX. dies IIX. Hic ſtatuit, ut percutiens clericum incidat in excommunicationem, & non abſolvatur niſi per Papam. Cæleſtinus ſedit menſes V. dies XIII. Eugenius natione Piſanus ordinis Ciſtertienſis, ſedit annos IIX. Hoc tempore floruit S. Bernhardus Abbas Clarevallenſis. Anaſtaſius ſedit annum I. menſes IV. dies XXX. Adrianus natione Anglicus ſedit annos IV. menſes IX. dies XXIX. Alexander, natione Thuſcus, ſedit annos XXI. menſes XI. Iſtius temporibus factum eſt ſchiſma, de quo dictum eſt ſupra, ſub imperio Friderici Imperatoris, & duravit per annos XV. Hic prius legebat Bononiæ in Theologia. Ipſe celebravit Romæ concilium, quod dicitur Lateranenſe, cujus conſtitutiones in libro Decretalium ſub diverſis titulis continentur. Hic Alexander conceſſit eccleſiam S. Marci de Venetiis Caſtellanæ diœceſis viſitantibus in die Aſcenſionis Domini pleniſſimam remiſſionem peccatorum: quoniam idem Papa fugiens perſecutionem prædicti Friderici Imperatoris, Venetias tanquam privatus venerat, & ibidem aliquandiu incognitus latitabat. Et tandem cognitus, receptus eſt cum reverentia à Sebaſtiano Duce Venetorum, qui cum pro defenſione Papæ cum tota Venetorum communitate gravibus bellis contra Imperatorem ſe ſubmiſit, Papa & Imperator conciliati ſunt in eodem loco. Idem Papa conceſſit viſitantibus eccleſiam Paderbornenſem in die anniverſariæ dedicationis ejuſdem XL. dies, Non. Octobris Pontificatus ſui anno primo. Deinde eodem anno IV. Idus Octob. conceſſit viſitantibus eandem eccleſiam Paderfontanam in die annunciationis B. Mariæ Virginis XL. dies indulgentiarum. Item Pontificatus ſui anno tertio, V. Kalend. Junii, conceſſit viſitantibus eandem eccleſiam, in eodem feſto die annunciationis & octo diebus præcedentibus & octo diebus ſequentibus ejuſdem feſti diem pro qualibet die unum annum & XL. dies indulgentiarum. Lucius II. ſedit annos IV. menſes II. dies XIIX. Urbanus III. ſedit annum unum, menſes VII. dies XXV. Gregorius IIX. ſedit annos VII. menſem unum, dies XXVII. Clemens III. ſedit annos III. dies XV. Cœleſtinus ſedit annos VI. dies XI. Horum ſummorum Pontificum in hoc capitulo decreta & ſtatuta plurima libri Decretalium ſub certis titulis continent collocata.

Ca-

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

OTTO IV. filius Henrici Ducis Saxoniæ ſucceſſit Henrico VI. in regno, in diſcordia tamen. Nam poſt mortem prædicti Henrici Imperatoris duo electi ſunt in diſcordia, videlicet, Otto prædictus, & Philippus Dux Alſatiæ: & obtinuit Philippus regnum VI annis IX. menſibus VI. Nam factum eſt bellum apud Rhenum inter electos prædictos, & Philippus triumphavit, & inter fugientes perſecutus eſt epiſcopum Colonienſem, & obſedit eum in caſtro Waſenberg, & cepit caſtrum, & coëgit epiſcopum ſibi jurare fidelitatem. Innocentius verò Papa III. reprobato Philippo Ottonem confirmavit. Philippus autem eccleſiam perſequitur, & à Papa excommunicatur. Inter hæc Lodewicus Landgravius Haſſiæ avertit Odacrum regem Bohemiæ à Philippo ad Ottonem, & poſt hoc Landgravius & Otto rex ceperunt Northuſen. Deinde Philippus magnam curiam celebravit in Magdeburg: & interim Henricus Dux vaſtat incendio Calve. Et epiſcopus Magdeburgenſis econtra vaſtavit incendio Helmeſtede, & fregit caſtrum Wereberg. Et deinde PHILIPPUS & Archiepiſcopus Magdeburgenſis obſident Brunſwick: ſed nihil proficiunt. Anno ſequenti Philippus rex proficiſcitur cum valida manu contra Landgravium: ſed rex OTTO & rex Bohemiæ ei ſuccurrunt. Quare PHILIPPUS bellum declinare volens Erfordiæ ſe incluſit. Et anno dehinc ſequente Philippus iterum proceſſit contra Landgravium: & tunc pax facta eſt inter eos. Hoc tempore, videlicet, anno Domini MCC. ſurrexit quædam Hæreſis, quæ conabatur deſtruere Evangelium CHRISTI, & aliud Evangelium recipiendum eſſe, quod eſſet Spiritus ſancti & hoc eſſet æternum. Et aſſeruit Evangelium CHRISTI tantùm duraturum usque ad annum MCCLX. ut teſtatur M. WILHELMUS de ſancto amore magiſter Parienſis, in libro ſuo, quem fecit Pariſiis de periculis noviſſimorum temporum. Et poſt hoc PHILIPPUS veniens in Bavenberg à Comite Palatino ſub bona fide percuſſus interiit: & OTTO poſt hoc regnum obtinuit annis decem, & coronatus eſt ab Innocentio Papa tertio. Et poſtquam coronatus eſt, ſtatim proceſſit contra Fridericum regem Apuliæ, vel Siciliæ, filium videlicet HENRICI Imperatoris & plurimam partem regni ejus obtinuit. Et cùm poſt hoc etiam terras eccleſiæ occupavit, Papa excommunicavit eum: & tandem cùm ſe noluit emendare, Electores elegerunt contra eum FRIDERICUM regem Siciliæ ſupradictum, anno Imperii ſui quarto: ex hoc factæ ſunt guerræ inter principes regni. OTTO Imperator reverſus ab Italia Witzenſee opidum obſidione vallavit: & eodem tempore filiam Philippi regis adverſarii ſui duxit uxorem, & in Northuſen nuptias celebravit. Poſt hoc OTTO Imperator cum Ferrando Comite Flandriæ proceſſit contra regem Franciæ: ſed, bello commiſſo, rex Franciæ triumphavit, & Comes Ferrandus captus eſt. OTTO Imperator reverſus in Saxoniam profectionem fecit contra epiſcopum Magdeburgenſem, qui occurrens ei ſuperatus eſt. Et poſt hæc incendia & rapinæ atque bella plurima inter Ottonem & Fridericum Regem facta ſunt: donec Otto dyſenteriæ morbo decumbens obiit. Sub eo factum eſt concilium Innocentii tertii Romæ, quod dicitur concilium generale, cujus Statuta & Decreta in quinque libris Decretalium inter alia Statuta & Decretales epiſtolas ſummorum Pontificum & Conciliorum ſub certis titulis interpoſita continentur. Anno hujus OTTONIS VI. Bernhardus II. epiſcopus Paderbornenſis obiit, & ſucceſſit ei Bernhardus III. qui præfuit eccleſiæ annis XIX.

CAPUT LXIV.

FRIDERICUS ſecundus regnavit annis XXIII. Hic quoniam multis abundabat divitiis elatus eſt in ſuperbiam. Ejus temporibus Permis rex Ungariæ profectus eſt ad terram ſanctam, & nihil virile gerens cum pudore reverſus eſt: Sed Lippoldus Dux Auſtriæ laudabiliter ſe geſſit ibidem. Fridericus rex curiam ſolemnem ſtatuit fieri in Franckenfort, & convenientibus principibus rogavit eos, ut HENRICUM filium ſuum poſt eum in regem eligere vellent, quod principes promiſerunt ei, & juramento confirmaverunt. Et inde profectus in Italiam venit Romam, & à Domino Honorico, vel Honorio Papa in baſilica S. Petri coronatur. Poſtquam coronatus eſt intrat regnum Siciliæ, & inimicos ſuos undique debellat. Sed quia ſuis non contentus terras eccleſiæ occupat, à Dn. Gregorio Papa anathematiſatur. Inter hæc Hojer Comes de Falckenſtein cepit Quedlingburg: Et Comes de Swerin cepit regem Danorum:

Digitized by Google

rum: & poſt multos tractatus, per amicos utriuſque partis habitos, rex Danorum quinquaginta millibus marcarum ſe redemit, & juravit ſe nec ſuos de cætero comitatum Holſatiæ, & loca circumvicina invadere velle, & dedit filios ſuos obſides, & multos alios de regno nobiles: ſed poſtea fidem non ſervavit. Hoc tempore Lubicenſes ſponte ſubdiderunt ſe Imperio. Item Adolphus Comes de Holſtein oppugnavit Hamburg, & cives tradiderunt ſe ſibi. Hoc tempore Fridericus de Althena Comes epiſcopum Colonienſem ſub bona fide percuſſit: ſed poſtea eodem anno Henricus rex filius Friderici, quem ipſe reliquerat in Alemannia, ducens filiam Lippoldi Ducis Auſtriæ in uxorem, in Nurenberg nuptias celebrando, ipſum Comitem ſolemniter damnavit: Quare idem Comes Coloniæ rotatus eſt. Eodem tempore filius Ducis Lippoldi prædicti filiam Landgravii duxit uxorem, & nuptiæ ibidem celebratæ ſunt. Poſt hæc Otto dictus de Luneborg cepit Brunſwick, & cum amicis regis commiſſo bello intra civitatem triumphavit. Inter hæc factum eſt bellum in Dacia, ſeu Dania, inter regem Danorum, & Ottonem Ducem de Luneborg ex una, & epiſcopum Bremenſem, Albertum Ducem Saxoniæ, Adolfum Comitem de Holſtein, & Comitem de Swerin, parte ex altera: Et rex fugatus eſt, & Dux Otto captus, & multi interfecti ſunt. Et circa idem tempus epiſcopus Trajectenſis ante Covordiam cum cccc. millibus interfectus eſt. Anno MCCXXIII. BERNHARDUS epiſcopus Paderbornenſis obiit, & ſucceſſit ei Oliverius, qui præfuit eccleſiæ annis duobus. Sub eo liber eccleſiæ Paderbornenſis, qui Regula dicitur, videtur eſſe innovatus, ut elici poteſt ex eodem, ubi ponitur ordinatio ſeptimanæ paſchalis, & ubi ponitur dies SS. Prothi & Hyacinthi. Poſt Oliverium rexit ipſam eccleſiam Wilbrandus annis duobus. Poſt Wilbrandum ſucceſſit BERNHARDUS IV. qui rexit eccleſiam ipſam annis XXIIX. ſub iſto Bernhardo in eccleſia Paderbornenſi adhuc obſervantia regularis inter Canonicos ejuſdem eccleſiæ viguit, & ſub eo immutatio facta videtur de regulari obſervantia ad ſtatum canonicorum ſæcularium. Cumque FRIDERICUS Imperator excommunicationis ſententiam in eum latam non curavit, GREGORIUS Papa concilium ſtatuit in urbe celebrare. Et poſtquam multi de regno Franciæ prælati, & aliis in mundi partibus apud civitatem Januenſem convenerant, Januenſes XXV. Galeas armaverunt, quas ibidem Prælati una cum legatis Papæ intrantes mari ſe commiſerunt verſus Romam navigando. Piſani verò fideles Imperatoris, & alii de regno SICILIÆ cum multis Galeis ipſis occurrentes claſſicum bellum contra eos hoſtiliter inſtaurant: & ſubmerſis tribus Galeis cum hominibus ipſorum Januenſium cæteræ captæ ſunt: quarum Piſani ſex obtinuerunt, & alias regnicolæ SICILIÆ abduxerunt, & capti ſunt tres legati ſedis Apoſtolicæ, cum multis Archiepiſcopis, epiſcopis, & Prælatis aliis, & Januenſium civium quatuor millia cum eiſdem. Et eodem tempore FRIDERICUS ſubacta Faventia ad obſidendam Bononiam ſe præparat: ſed audita hac ſuorum victoria, obſidionis illius laborem tunc intermiſit. Eodem tempore Papienſes Imperatori fideles, contra Mediolanenſes procedentes ad bellum, CCCL. ex eis captis, multos occiderunt. Rex Franciæ, prædicta prælatorum regni ſui captivitate cognita, ad Imperatorem pro reſtitutione Prælatorum direxit epiſtolam tali fine concluſam: Nec velitis à potentia, vel voluntate locum trahere. Nam regnum Franciæ non eſt adeò debilitatum, quòd permittat ſe veſtris calcaribus perurgeri. Imperator Prælatos reſtituere renuens regi Franciæ reſcripſit, tali ſua verba fine concludens. Cum animalia ſingula leonis veſtigia pertimeſcant, non miretur regia celſitudo, quòd Prælatos Franciæ in anguſtis tenet Auguſtus, qui ad Cæſareas anguſtias conabantur. Hic FRIDERICUS aliàs requiſitus à Papa in ſubſidium terræ ſanctæ, multis principibus illò properantibus, adverſa quadam valetudine ſe gravatum ſimulans, noluit proficiſci. Et inde Papæ magis ſuſpectus habitus eſt. Et in hac profectione Lodewicus Landgravius Thuringiæ propè Brunduſium in Apulia mortuus eſt. Iſte Fridericus Imperator conceſſit privilegium Duci Auſtriæ, ut ipſe eſſet Rex, & Ducatum ipſius, videlicet, Auſtriæ & Styriæ, tranſtulit in regnum. Si tamen ipſe rex Auſtriæ honorem debitum & conſuetum Imperio deferret, & coronam à nemine, niſi ab Imperatore, reciperet, vel ſaltem ab illo, cui Imperator ſpecialiter illud committeret faciendum, & quòd filii ejus, videlicet, major natu ſuccederent in regno poſt eum, & quòd de provincia Carinthiæ Ducatum faceret, & Dux ille eſſet regi immediatè ſubjectus.

jectus. Ego legi copiam illius privilegii: ſed conſtat ipſum effectum non conſecutum. Fridericus Imp. quamvis excommunicatus à Papa, abſolutione non obtenta, tandem profectus eſt ultra mare, & bella commiſit cum Saracenis, at terram ſanctam non recuperavit. Et cum inde reverſus eſt, invenit quaſdam terras regni Siciliæ per fideles Papæ occupatas, quas occupatoribus expulſis, recuperavit. Et multis blaſphemis epiſtolis ad diverſos reges & principes uſus eſt contra Papam: Ita quod Papa tandem his motus direxit epiſtolas & mandata Apoſtolica Archiepiſcopis & epiſcopis per Imperium & alibi conſtitutis: quarum unam direxit Archiepiſcopo Maguntino ſub hac forma: Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Maguntino, & ſuffraganeis ejus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Aſcendit de mari beſtia blaſphemiæ, plena nominibus, quæ pedibus urſi & ore leonis deſinens, ac membris formata cæteris, ſicut pardus os ſuum in blaſphemias divini nominis aperit, tabernaculum ejus, & ſanctos, qui in cœlis habitant, ſimilibus jaculis impetere non omittit. Hæc unguibus & dentibus ferreis cuncta confringere & ſuis pedibus univerſa deſiderans conculcare, ad diruendum murum Catholicæ fidei occultos jam paravit arietes, & nunc apertas machinas inſtruit, Iſmaëlitarum gymnaſia, animas interimentia, conſtruit, & in CHRISTUM humani generis redemtorem, cujus teſtamenti tabulas ſtylo pravitatis hæreticæ nititur abolere: fama teſtante, conſurgit. Igitur admirari deſinite omnes, ad quos ab hac beſtia contra nos edita perveniunt obſequia blaſphemiæ, ſi nos omnipotenti DEO ſervitute ſubjecti detractionum ſagittis impetimur. Et infra: ſed quia minus bene ab aliquibus credi poſſet, quòd ſe verbis non illaqueaverit, oris ſui probationes in fidei victoriam ſunt paratæ: quòd iſte rex peſtilentiæ dixit, à tribus Baractoribus, ut ejus verbis utamur, ſcilicet Jeſu Chriſto, Moyſe & Mahomete totum mundum fuiſſe deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis ipſum Chriſtum in ligno ſuſpenſum manifeſtè proponens. Inſuper dilucida voce affirmare, vel potiùs mentiri præſumſit, quòd omnes illi ſint fatui, qui credunt naſci de virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuiſſe. Hanc hæreſin ille errore confirmans, quòd nullus naſci potuit, cujus conceptum viri & mulieris commixtio non præceſſit. Et homo nihil aliud debet credere, niſi quod poteſt vi & ratione naturæ probare. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè in virtute obedientiæ, per Apoſtolica ſcripta vobis diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus ne dictus Fridericus corda fidelium fallacibus verbis ſubvertere, vel contagione ſui quilibet gregem Dominicum maculare, clero & populo ſubjectis ſupra-dicta plenè & fideliter exponatis. Datum Laterani Kalend. Junii Pontificatus noſtri anno XIII. De ſupradictis, & aliis plurimis in bulla ſuper præmiſſis confecta contentis, cujus tenorem valdè longum ego perlegi, ipſe Fridericus ſcribens regibus & principibus ſe excuſat: ſcribens, ipſum Papam eſſe belluam, de qua ſcriptum eſt: Et exivit alius equus rufus de mari, & qui ſedebat ſuper eum ſumebat pacem de terra. Et ſubdit: Ipſe Draco magnus, qui ſeducit univerſum mundum, Antichriſtus eſt, cujus dixit nos eſſe præambulonem. Poſt hoc anno ſequenti Domini, Gregorius Papa obiit, & ſucceſſit ei Innocentius quartus, qui poſt exhortationes plurimas & monita caritativa non pauca per ſolemnes nuncios ipſi Friderico Imperatori ſolerter exhibita, & per eundem ſpreta, concilium apud Lugdunum congregavit, & in eodem concilio depoſuit eum ab Imperio, & regno Siciliæ. Et de hoc loquitur c. de ſen. & re judic. libro. VI. Unde FRIDERICUS commotus omnes clericos per regnum Siciliæ ſervantes interdictum, auctoritate ſedis Apoſtolicæ contra ſe latum, bonis omnibus & beneficiis eccleſiaſticis privari, & à terminis regni expelli mandavit. Et ab omnibus clericis regni ejuſdem tertiam partem omnium beneficiorum ſuorum mandavit recipi, & contradictores carceribus mancipari. Deinde principibus diverſis plurimas contra Papam & Cardinales blaſphemas direxit epiſtolas, quarum unius tenorem, deciſum tamen, hic inſerere deliberavi: Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium in unum: adverſus principem CHRISTI domini convenerunt, quid faciemus, inquiunt? quia hic homo de hoſtibus ſic triumphat. Si ſic ipſum dimittimus, omnem ſibi ſubjiciet gloriam Lombardorum. Et infra: Iſte Pater patrum, qui dicitur ſervus ſervorum Dei omni prorſus excluſa juſtitia factus eſt aſpis ſurda, non advertens Romani principis allegata: & velut lapis, qui de funda jacitur, ſic emiſit ſubitò malum verbum. Et infra: ſed qui CHRISTI vicarius diceris, & Petri ſucceſſor

Digitized by Google

etiam Piſcatoris, quid accenſus furore refugis id, quod rex omnium induit, Formam ſervi? Dic igitur, quid reſurgens à mortuis dixit primò diſcipulis ille magiſter omnium magiſtrorum? Non inquit, arma & ſcutum ſumite, nec ſagittam vel gladium: ſed Pax vobis. Ad quid gloriaris in malitia, qui ſolus in urbe diceris fraus & dolus? Ergo ſi Christi vicarium te & Petri aſſeris ſucceſſorem, à Christi prorſus & Petri tramite non diſcedas, ſed actus concordent actibus, & Capuanus adhæreat Galilæo. Iſtud autem ſatis turbat, & omnino Christi fidelium parvitates, quòd Petrus derelictis omnibus & reti, ſequi Christo vocante voluit viam vitæ, qui tanquam omnia poſſidens & nihil habens, ad theſaurum cœleſtis patriæ ſemper ardentius aſpirabat. Tu verò tanquam nihil habens & omnia poſſidens, quæris ſemper quem devores, & derodas, nec ſedare poteſt aliquando totus mundus ventris tui ingluviem: quia tibi non ſufficit orbis terræ. Petrus autem, ut legitur, ad portam veniens ſpecioſam, nec argentum, nec aurum habeo, dixit claudo. Tu verò ſi forſan incipit acervus pecuniæ minui, quem adoras, ſtatim cum claudo claudicas, quærens anxiè quæ ſunt mundi. Sed qui Christo jubente prædicas tanquam paſtor eccleſiæ paupertatem cur refugis quod hortaris? quæris ſemper, ut aurum auro copules, in hoc autem non reſtat aliud, niſi ut ſummi Pontificis prædicatio contemnatur. De cœlo namque ſi bene recolis deſcendit linteum ſuper Petrum, cui ſurge, & manduca dictum eſt dum oraret: qui tamen immunda noluit manducare, dira quamvis eſurie ſtimulatus: Tu verò ad hoc vivis ut comedas: in cujus vaſis & ſcyphis aureis ſcriptum eſt: Bibo, Bibis. Cujus verbi præteritum ſic frequenter in menſa repetis, & poſt cibum quaſi raptus in tertium cœlum Hebraicè, Græcè loqueris, & Latinè. Poſtquam autem impleta fuerit ventris ingluvies, & ſtomachus usque ad ſummum ejus, tunc ſuper pennas ventorum æſtimas te volare. Tunc ibi Romanorum ſubſtat Imperium, & tunc offerunt tibi munera reges terræ: tunc vinum citò mirabiles facit exercitus: tunc tibi ſerviunt omnium gentium nationes. Ploret igitur mater eccleſia, quòd paſtor Dominici gregis factus eſt lupus rapax, craſſum quidem de grege comedens, confractum non alligat: diſſolutum ad propria non reducit: ſed velut amator ſchiſmatis, caput & auctor ſcandali, potius contra jura Romani principis & honorem tuetur hæreticos, & Dei quidem & omnium Chriſti fidelium inimicos, omni prorſus altiſſimi timore poſtpoſito, hominum verecundiâ ultrojecta. Sed ut poſſit hic melius ſui cordis malitiam occultare, prædictos crucis & hoſtes fidei fovet & protegit, ſub quadam ſpecie pietatis adſerens ſe Lombardis ad hoc tantum præſtare ſubſidium in hac parte, ne Cæſar vel cedat, vel judicet plus, quàm requirat ſeries ſui juris: ſed doloſæ vulpis aſtutia nunquam in hoc fallit ingenium venatoris. Ut qui regis Iſrael intende. Singularis Dominici gregis paſtor, dic ergo quid eſt hoc, quod curabat, ut legitur, infirmos à morbis validis umbra Petri? tu vero tanquam vir Sanguinum ad hoc ſolum invigilas, ut facta ſtrage vivorum ſanguis innoxius effundatur: & de te ſat malè optimè dici poteſt, quod tuo tempore Deo diſplicere diſponis. Et infra. Revertentem ergo ad gremium matris eccleſiæ benignè recipias filium ſingularem, præſertim cùm petit inſtanter, & abſque culpa. alioquin leo noſter fortiſſimus, qui ſimulat hodie dormire ſe, rugitu ſolo terribili trahet omnis à terræ finibus tauros pingues, & plantando juſtitiam eccleſiam diriget, evellens prorſus & deſtruens cornua ſuperborum. Item idem Fridericus aliam ſcripſit epiſtolam contra Innocentium Papam quartum diverſis principibus in qua inter cætera his verbis blaſphemis uſus eſt: Illum prætereà Chriſti vicarium haberi & Petri ſucceſſorem & diſpenſatorem animarum fidelium indignum fatemur, non ob dignitatis injuriam, ſed ob perſonæ defectum: qui diſpenſationes cum fratrum deliberatione magna faciendas in camera ſua more cujuslibet mercatoris in libra, mercator ipſe exiſtens, ipſe bullator, & ſcriptor, & forſan mutator. Harum epiſtolarum præ cæteris quas elegi tenores in parte hic inſerui certis ex cauſis, quas diligens inquiſitor fortaſſis inveniet. Poſt hæc Fridericus intendens auferre temporalia ab eccleſia regibus & principibus direxit epiſtolam tali tenore concluſam: Semper fuit noſtræ voluntatis intentio, clericos cujuslibet religionis ad hoc inducere, & præcipuè maximos, ut tales perſeverent in fine, quales fuerunt in eccleſia primitiva, apoſtolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque clerici ſolebant angelos intueri, miraculis coruſcare, ægros curare, mortuos

Digitized by Google

tuos ſuſcitare, & ſanctitate vitæ non armis ſibi reges & principes ſubjugare: at iſti inebriati deliciis Deum poſtponunt, quorum ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur. Talibus ergo ſubtrahere divitias nocentes, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt caritatis. Ad hoc vos principes unà nobiſcum, ut cuncta ſuperflua deponentes modicis rebus contenti ſoli Deo ſerviant, cui ſerviunt omnia, omnem debetis diligentiam adhibere. Hic Fridericus ſtudium literarum apud Neapolim confirmavit, & mandavit, ut nullus de regno Siciliæ pro ſcholis requirendis partes exteras requireret, & ſub certa pœna omnes exiſtentes in ſtudiis in aliis partibus infra certum terminum Neapolim pro ſtudiis inhærendis rediret. Et voluit nulli licere publicè docere vel diſcere præter in puerilibus Grammaticæ per totum regnum, alibi quàm Neapoli. Et in privilegio deſuper conceſſo commendat civitatem ipſam multipliciter de loci amœnitate, victualium ſufficientia, ac moribus incolarum, quæ revera tempore pacis eidem civitati non deſunt. Hoc tempore Livonia pro parte convertitur & S. Thomas de Aquino natus eſt. Et Raimundus librum Decretalium compoſuit. Hic Fridericus eccleſiaſticis perſonis per Imperium conſtitutis privilegia magna pro eorum libertate conſervanda, conceſſit. Unde ſtatuit, quòd ſtatuta & conſuetudines, quæ civitates & loca, poteſtates vel conſules, aut quæcunque aliæ perſonæ, contra libertatem eccleſiæ, vel perſonas eccleſiaſticas, edere attentarent, ipſo jure nullæ eſſent: & ſtatuentes eo ipſo ſua juriſdictione privari, nec non locum, ubi talia deinceps præſumta fuiſſent, banno mille marcarum auri præceperat ſubjacere. Item ſi conſtitutionis illius aliqui eſſent contemptores, per annum bona eorum per totum Imperium mandavit impunè ab omnibus occupari. Item ſtatuit, quòd nulla communitas, vel perſona publica, vel privata, collectas ſeu exactiones, angarias vel parangarias eccleſiis, vel aliis locis, aut eccleſiaſticis perſonis imponerent, aut invadere bona eccleſiaſtica præſumerent: quod ſi ſecus facerent, & requiſiti ab eccleſia vel Imperio emendare contemnerent, triplum refunderent, & nihilominus banno imperiali ſubjacerent, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remitteretur. Item ut nullus eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel civili trahere ad judicium ſeculare præſumeret contra canonicas ſanctiones & conſtitutiones Imperiales: quòd ſi ſecus faceret actor, à ſuo jure caderet, judicatum non teneret, & judex extunc judicandi auctoritate privatus foret. Item ſtatuit, quòd judices temporales, qui clericis vel perſonis eccleſiaſticis juſtitiam denegare præſumerent, tertiò requiſiti juriſdictionem amitterent. Hæc ſtatuta & quædam ſimilia Honorius Papa tertius confirmavit. Item idem FRIDERICUS fecit quendam librum de Feudis. Et Fridericus tandem poſt plurima bella & expugnationes terrarum eccleſiæ, non curans ſententiam depoſitionis, in Concilio Lugdunenſi in ſe latam, Parmam civitatem Lombardiæ obſedit, & ibi à Parmenſibus Papæ fidelibus victus aufugit, theſauris ſuis & rebus multis amiſſis. Et deinde ad regnum Siciliæ ſe totum contulit, & ibi tandem morbo correptus ſine ſacramentorum perceptione &, ut dicebatur, ſine pœnitentia defunctus eſt.

CAPUT LXV.

Conradus filius Friderici, diminutivo nomine Conradinus apud Italicos nominatus, poſt mortem patris congregavit exercitum magnum in Alemannia, & verſus Italiam ſe dirigens regnum Siciliæ de manu Manfredi fratris ſui naturalis conatur vindicare, & naves intrans per mare venit in Apuliam & civitates multas cepit. Anno Dn. M. CC. LI. ipſe cepit Neapolim, cujus muros per circuitum diruit, & anno ſequenti veneno intoxicatus interiit, & Manfredus regnum Siciliæ obtinuit. Hic Manfredus ædificavit civitatem in Apulia, non longè à Siponto, quam à nomine ſuo Manfredoniam nominavit. Unde cives Sipontini propter incommoditatem loci, propter multitudinem ſerpentium, à monte Gargano venientium, Siponte relicto Manfredoniam incoluerunt. Sedes tamen archiepiſcopalis à priori civitate adhuc Sipontina vocatur. Bernhardus epiſcopus Paderbornenſis IV. obiit.

Poſtquam, ut ſupradictum eſt, Innocentius IV. Fridericum depoſuit, ipſe ordinavit, quòd principes electores ad eligendum alium regem convenerunt. Et electus eſt ab eis frater Landgravii Thuringiæ, qui poſtea in brevi mortuus eſt. Deinde electus eſt Comes Hollandiæ, & ille ſtatim à Freſonibus occiſus eſt: quorum neuter benedictionem Imperialem conſecutus eſt. Poſt hoc electi ſunt duo in diſcordia, videlicet,

licet, rex Caſtellæ, & Richardus Comes Cornubiæ, frater regis Angliæ. Et hoc ſchiſma per annos aliquot duravit: ita quòd neuter eorum à Papa coronatus eſt. Regnavit tamen quodammodo Richardus per annos 18. Anno Domini M. CC. LX. rex Ungariæ regem Bohemiæ bello aggreditur, habens diverſarum nationum Orientalium, & de regno ſuo ducenta quadraginta millia equitum. Rex tamen Bohemiæ cum centum millibus equitum de quibus ſeptem millia equorum ferro erant cooperti, regem Ungariæ ſuperavit eumque in Ungariam uſque perſecutus eſt. Sed poſtea per contractum matrimonii pacificati ſunt.

Anno Domini M. CC. LXIII. Urbanus Papa IV. regnum Siciliæ, quod Manfredus detinuit, tanquam ad eccleſiam devolutum Carolo comiti provinciæ fratri regis Franciæ, contulit: qui poſtea veniens in Italiam tempore Clementis Papæ IV. Manfredum vita & regno privavit. Iſtis temporibus quidam Judæus in Hiſpania comminuendo rupem unam, pro vinea amplianda, in medio lapidis invenit concavitatem, nullam penitus diviſionem, vel ſciſſuram habentem, & in ea reperit librum quendam, quaſi folia lignea habentem, qui tribus linguis videl. Hebræa, Græca & Latina ſcriptus tantum quantum unum pſalterium habebat de litera: & loquebatur de triplici mundo ab Adam uſque ad Antichriſtum, proprietates hominum uniuſcujuſque mundi exprimendo. Et principium tertii mundi poſuit ita: Filius Dei naſcetur ex Maria virgine & pro ſalute hominum patietur. Quod cùm legiſſet Judæus cum omni domo ſuo baptizatus eſt. Et erat etiam ſcriptum in eodem libro, quòd tempore Ferrandi regis liber iſte deberet inveniri. Hoc tempòre poſt Bernhardum IV. præfuit eccleſiæ Paderbornenſi Simon epiſcopus, qui rexit eam annis XXIII.

CAPUT LXVI.

RUdolphus de Havebesberge, natione Suevus, regnavit annis XVIII. Hic à Papa confirmatus, regnum, quod tempore vacationis dilapidatum erat, reformavit. Ipſe aſſignavit, imò verius, ut notat Guilhelmus Duranti titulo de putatione reſcripti ratione cauſſæ: verſu, Item quod obtentum eſt: reſtituit eccleſiæ Romanæ Bononiam cum diſtrictu ſuo, videlicet, provinciam, quæ Romaniola dicitur. Ipſe etiam congreſſus cum rege Bohemiæ glorioſè triumphavit, regeque interfecto, plures provincias regni, quas idem rex occupaverat, recuperavit. Iſtis temporibus, anno M. CC. LXX. Ludowicus rex Franciæ non territus præteritis laboribus & expenſis, quas alias fecerat, ultra mare iteratò cum duobus filiis ſuis, adjuncto ſibi rege Navarræ, & quampluribus aliis, pro recuperatione terræ Sanctæ iter aſſumſit. Cumque Carthaginem cepiſſent, & partes vicinas, ipſe rex Lodewicus cum uno filio ſuo, & Legato Domini Papæ, peſtilentia exſtinctus eſt. Turbatis autem Chriſtianis de regis interitu, ſupervenit Carolus frater ejus rex Siciliæ. Quare Saraceni, licet Chriſtianos in multo excederent, generale bellum inire non audebant, ſed pacem ſub hoc pacto cum Chriſtianis acceptabant; Ut omnes Chriſtiani in regione illa liberi dimitterentur: Et quòd in monaſteriis, ad honorem Chriſti, in quibuſcunque civitatibus regni illius conſtructis, fides Chriſti per fratres, in ipſis monaſteriis habitantes, & per alios quoſcunque liberè poſſet prædicari. Et volentes baptizari non deberent ab aliquo prohiberi. Et rex ille regi Siciliæ ſolutis expenſis tributarius eſſet. Poſtquam Simon epiſcopus Paderbornenſis præfuit ipſi eccleſiæ Paderfontanæ annis XXIII. moritur: ſuceditque ei Otto de Rethberge, qui ipſi eccleſiæ præfuit annis XXX. Hic Otto multas guerras cum civibus Paderbornenſibus habuit. Unde accidit, quòd cum ipſi caſtrum Novum igne devaſtaverant, & poſt hoc quadam die ad implendum foſſata ejuſdem conveniſſent, epiſcopus Otto cum fidelibus ſuis manu forti irruit ſuper eos, & commiſſo prælio de civibus occiſi ſunt pluſquam quingenti, quorum cadavera in plauſtris ducebantur in civitatem, & in una foſſa magna ſepulta ſunt. Fuit enim inter epiſcopum & cives per certos arbitros facta compoſitio quæ cum ſervari non videbatur, ut debuit, poſt multas guerras, clades prædicta ſecuta eſt. Erat enim hæc compoſitio facta anno domini M. CC. LXXXI. priuſquam ipſe dominus Otto eſſet conſecratus in epiſcopum, & utrinque fuit juramentis & ſigillis firmata: in qua inter cetera ipſi cives promiſerunt libertates emunitatum illæſas ſervare & liberas, & in familias canonicorum & eccleſiaſticarum perſonarum civitatis Paderbornenſis, niſi prius coram domi-

dominis ſuis conventos nullam penitus juriſdictionem exercere, & excommunicatos ſtrictius vitare & eos in officio conſulatus non habere. Deinde orta diſcordia ſuper judicio ſæculari, quod exercetur in foro Paderbonenſi electi ſunt arbitri, qui viſis & auditis propoſitis hinc inde pronunciaverunt, officium prædicti judicii eſſe feudum eccleſiæ Paderbornenſis, & hæc pronunciatio facta eſt anno domini M. CC. XCIX.

ADOLPHUS de Naſſowe regnavit annis VIII. Hunc ALBERTUS dux Auſtriæ filius Rudolphi bello afficit, & commiſſo prælio Adolphus occiſus eſt, & Albertus obtinuit regnum, quoniam uterque eorum in diſcordia fuit electus.

Albertus igitur regnavit annis X. & ipſe à Bonifacio Papa octavo coronatus eſt: Et tandem à ſuis interfectus eſt. OTTO Paderbornenſis epiſcopus moritur, & vacavit ſedes annis duobus. Deinde in diſcordia electi ſunt, videlicet, Guntherus de Sualenberg & Thidericus de Ictere: Sed Thidericus epiſcopatum obtinuit, & præfuit eccleſiæ Paderſontanæ annos XII.

CAPUT LXVII.

INnocentius Papa tertius ſedit annos XIIX. menſes IV. dies XXIV. Hic fecit hoſpitale ſancti Spiritus Romæ. Anno Pontificatus ſui XVII. celebravit Romæ concilium generale in eccleſia Lateranenſi pro ſubſidio terræ ſanctæ, in menſe Novembri, quod ad differentiam concilii Alexandri tertii in eadem eccleſia celebrati, & concilium Lateranenſe quod ad differentiam iſtius dicitur concilium generale, ſimpliciter appellatur: cujus ſtatuta & decreta in quinque libris Decretalium ſub diſtinctis titulis continentur. Sub eo incipit ordo fratrum minorum anno domini M. CC. VI.

Honorius tertius ſedit annos X. menſes IIX. dies XXIV. Hic primo anno Pontificatus ſui confirmavit ordinem prædicatorum, beato Dominico ejuſdem ordinis inventore procurante, anno domini M. CC. XX. Deinde ipſe confirmavit ordinem Fratrum Minorum. Ipſe etiam conceſſit viſitantibus eccleſiam Paderbornenſem in anniverſario dedicationis ejus XL. dies indulgentiarum, Anno X. Pontificatus ſui, ad inſtantiam Bernhardi quarti epiſcopi Paderbornenſis, in præſentia ejus tunc conſtituti.

Gregorius nonus ſedit annos XIV. Hic ſanctam Elizabeth, filiam regis Ungarorum, relictam Lantgravii Haſſiæ & Thuringiæ, canoniſavit. Item beatum Dominicum poſt mortem ejus anno XI. & à confirmatione ordinis anno XVIII. Et poſtea ſanctum Franciſcum, & ſanctum Antonium de ordine fratrum minorum canonicavit. Ipſe etiam conceſſit, quòd in die Annunciationis Mariæ virginis in eccleſia Paderbornenſi ſolennis fiat proceſſio & quòd ſequentia cantetur ad Miſſam; Sed non conceſſit ſingulis ejuſdem eccleſiæ ſacerdotibus illo die legere ſequentiam ad Miſſam. Item conceſſit viſitantibus eandem eccleſiam in feſto prædicto X. dies indulgentiarum. Item conceſſit porrigentibus manum adjutricem ad reformationem ejuſdem eccleſiæ XX. dies indulgentiarum: quia caſu cujuſdam turris ipſius in parte deſtructa fuit, ita quòd neceſſarium erat quatuordecim teſtudines ejus reformari. Eodem tempore in Brunſcwick decem magiſtri Gildonum à conſulibus ſuſpenſi ſunt & undecimus decollatus eſt, ſed duodecimus in peregrinatione exiſtens evaſit, & hoc fuit initium multorum malorum ibidem.

Cœleſtinus quartus ſedit dies XVII. Hic ſanctum Petrum de Verona de ordine Prædicatorum canonizavit. Innocentius quartus, natione Januenſis, ſedit annis XI. menſes VI. Hic celebrans concilium generale apud Lugdunum, plures ordines mendicantium caſſavit, & Fridericum Imper. depoſuit. Alexander quartus ſedit annos VII. Eodem tempore Wilhelmus comes Hollandiæ à Freſonibus occiſus eſt. Urbanus quartus ſedit annos tres menſem unum. Hic inſtituit feſtum corporis Chriſti. Clemens quartus ſedit annos tres, menſes novem. Hic uxorem & liberos habuerat, & uxore mortua factus eſt epiſcopus Podienſis. Poſt hoc Archiepiſcopus Narbonenſis: deinde Cardinalis & epiſcopus Sabinenſis, & demum Papa efficitur. Eo tempore Wernherus archiepiſcopus Maguntinus viſitans reliquias ſancti Liborii in Paderborn, meritis ejuſdem ſancti, ibidem à calculo liberatus eſt. Unde contulit manus porrigentibus adjutrices ad reformationem ipſius eccleſiæ Paderbornenſis de provincia Maguntina exiſtentibus XL. dies indulgentiarum, anno M. CC. LXVII.

Gregorius X. ſedit annos IV. dies X. Hic celebravit concilium apud Lugdunum. Et ipſe intendebat multitudines ordinum refrenare. Voluit enim ordinare, quòd non eſſent

eſſent niſi duo ordines mendicantium, videlicet Prædicatorum, & fratrum Minorum, & tantum tres ordines non mendicantium, videlicet nigrorum monachorum, & Ciſtercienſium & de Templariis & Hoſpitalariis tertium ordinem facere voluit, prout notat Johan. Andreæ. Innocentius quintus, de ordine Prædicatorum, ſedit menſes v. & ceſſavit Papatus diebus XVIII. Adrianus quintus, natione Januenſis, ſedit menſem unum, dies IX. & ceſſavit Papatus diebus octodecim. Johannes XXI. natione Hiſpanus, ſedit menſes octo, dies ſeptem, & ceſſavit Papatus menſem unum, dies ſeptem. Nicolaus tertius, natione Romanus de domo Urſinorum, ordinis fratrum minorum, ſedit annum unum, menſes novem. Hic ſtatuit, ut fratres minores in bonis mobilibus & immobilibus quibuſcunq; ipſis collatis ſeu per ipſos acquiſitis haberent tantum uſum fructum: ſed dominium rerum illarum ad eccleſiam Romanam ſpectare deberet. Et ſic ſub tali colore voluit ditare fratres ipſos, non obſtante ordinatione regulæ eorum. Et procuratores ipſorum fratrum hæc bona acquirentes, vendentes, commutantes, defendentes, ſeu de eis quomodo libet de licentia miniſtrorum provincialium diſpenſantes, hæc omnia agerent nomine Romanæ eccleſiæ & tamen nullum ex hoc Romanæ eccleſiæ: ſed ſolum ipſis fratribus profectum quoquomodo poſſint procurare. Eccleſia Romana in ipſis bonis nomen ſine re haberet. Sed Johannes Papa XXII. hæc omnia revocavit. Dicitur quòd iſte Nicolaus ſtatuit quò quoties ſedes apoſtolica vacaret, deberet eligi Papa de ordine fratrum Minorum. Unde poſtea quidam ſchiſmatici fuerunt, & adhuc eſſe præſumuntur, qui dixerunt nullum verum Papam fuiſſe à tempore ejusdem Nicolai, *(vid. quæ Crantius habet L. 8. c. 35. Saxon.)* quamdiu nullus de ordine minorum poſtea electus in papam extiterit. Et poſt mortem ejus vacavit ſedes menſibus quinque. Martinus quintus ſedit annos tres. Honorius quartus natione Romanus, de domo Sabelliorum, ſedit annos tres. Nicolaus quartus ſedit annos ſex, menſes octo. Cæleſtinus quintus poſtquam electus reſignavit Papatum: ſed quia quibusdam vertebatur in dubium, an Papa poſſit reſignare papatum, ipſe priusquam reſignavit, ſtatuit, quòd Papa poſſit reſignare papatum. Bonifacius octavus ſedit annos octo. De iſto dicitur fuiſſe prædictum: Intrabit ut vulpes; regnabit ut Leo; morietur ut canis. Unde dicitur de eo, quòd dum Cœleſtinus Papa prædeceſſor ſuus fuit electus iſte Bonifacius, tunc Benedictus vocatus, & Cardinalis exiſtens, Cœleſtinum ad reſignandum papatum fraudoloſe induxit. Fecit quandam fiſtulam, quam de nocte per parietem usque ad lectum Papæ porrexit, & per illam in noctis ſilentio loquens ſub ſpecie boni angeli Papæ ſuggeſſit, ut papatum reſignaret: quoniam ad regimen Eccleſiæ non ſufficeret: Unde Cœleſtinus motus papatum reſignavit, & factus eſt ſolitarius, & iſte Bonifacius ei ſucceſſit, & ſic intravit ut vulpes. Deinde regnavit ut leo: multum enim rigidus exſtitit, ut patet ex multis conſtitutionibus, quas ipſe fecit, quæ in ſexto libro Decretalium continentur, quem librum fecit compilari, & approbavit eum anno pontificatus ſui quarto. Iſte Bonifacius annum pleniſſimæ remiſſionis, qui more Veteris Teſtamenti Jubilæus dicitur, & in partibus Alemanniæ annus aureus appellatur, primum excogitavit, & eum inſtituit, anno Pontificatus ſui ſexto: Anno Dn. M. CCC. Et deinde quolibet anno centeſimo obſervandum. Et conſequi volentes illam indulgentiam, ſi erant Romani triginta diebus, ſi forenſes XV. diebus, continuis vel interpolatis Baſilicas apoſtolorum Petri & Pauli habebant de vote viſitare, prout hæc omnia continentur in bulla de ſuper confecta, quæ in introitu Eccleſiæ ſancti Petri Romæ inter ipſas januas in marmore exarata eſt. Bonifacius perſecutionem domus de columna perferens, ab eis, qui tunc Romæ potentes extiterunt, ut dicitur, preſſura colliſus, decubuit, & poſtea in brevi defunctus eſt. Et inde quaſi canis mortem pertuliſſe creditur prophetatus. Hic bonifacius conceſſit in quatuor feſtivitatibus tempore interdicti apertis januis celebrari. Et poſt compilationem ſexti libri Decretalium plures conſtitutiones fecit: ſtatuit enim pro debito pecuniario non ferre interdictum, & ſi ſecus fieret, irritum decernit & inane. Ipſe volens ſedare diſcordiam inter rectores Eccleſiarum & fratres mendicantes ſuper ſepultura, confeſſionibus audiendis, prædicatione verbi Dei, & acceſſoriis illarum, fecit conſtitutionem, Super cathedram, quæ ſolum fratres prædicatores & minores inter religioſos comprehendit: quare ipſe poſtea ipſam ad fratres ordinis Eremitarum extendit.

Ca-

CAPUT LXVIII.

HEnricus ſeptimus, qui fuit de Luzeleburg, regnavit annis ſex. Hic coronatus eſt à Clemente quinto. Mediolanenſes ei ſponte ſe ſubdiderunt, & Florentini ei rebellabant. Quare anno VII. imperii ſui Florentiam obſedit, & obſidione durante febre correptus moritur: ſed veneno ipſum fuiſſe intoxicatum à quodam fratre de ordine prædicatorum, dum ablutionem communionis recipit, fama perhibuit.

Lodewicus Dux Bavariæ regnavit annis XXXIII. Contra hunc in diſcordia electus fuit Fridericus Dux Auſtriæ conſobrinus ejus, & cum inter eos longa concertatio de regno fuiſſet, tandem ipſi bellum ſibi mutuo ſub certis pactis & pœnis indixerunt, & commiſſo prælio Dux Bavariæ triumphavit, & multa hominum ſtrage facta, Ducem Auſtriæ cepit, & ſic regnum obtinuit. Cum autem Ludowicus ſe de regno poſt hoc intromitteret, Johannes Papa XXII. ad inſtigationem Regis Franciæ, ſumpta occaſione quòd ipſe ſine approbatione Romani pontificis de regno ſe intromitteret, ipſum excommunicavit: ſed Rex excommunicationem non curans, anno regni ſui XIV. nativitatis Domini anno M.CCC.XXVIII. ad urbem Romanam cum exercitu ſe dirigit. Cumque eſſet in urbe, ipſe ſe gerens pro Imperatore, Papam declarat hæreticum & excommunicatum, & quantum in eo eſt, ipſum deponit de facto, decernens ei adhærentes privatos eſſe omnibus feudis, libertatibus, & privilegiis ab Imperatore conceſſis. Anno Ludovici ſexto, Bernhardus de Lippia, defuncto Thiderico epiſcopo Paderbornenſi electus eſt, & præfuit Eccleſiæ Paderbornenſi annis XX. minus duobus menſibus. Anno Domini MCCCXXI. principes & nobiles infra ſcripti præſtiterunt homagium ipſi Bernhardo epiſcopo Paderbornenſi, Lantgravius Haſſiæ ratione caſtri Schovenborg & caſtri Dreidenborg & ſylvæ Reinerswalt, Henricus Comes de Waldegge, Hermannus comes de Everſtein, Guntherus Comes de Swalenberg, Comes de Rethberge, Comes de Ravensberge, & Bartoldus Domicellus de Buren. Hic Bernhardus rebellantibus ſibi civibus Paderbornenſibus, obſidione vallavit urbem, & certis intervenientibus tractatibus cives dederunt ſibi quadringentas marcas, & epiſcopus juxta pronunciationem arbitrorum pacem cum eis fecit. Et quia quidam articuli arbitrii illorum minus plenè expreſſi ſunt, usque in hodiernum diem quidam, quadam curioſitate ſibi alios excedere videntes, obſervantiam, octoginta tribus annis jam præſcriptam, non contenti jurium quorumcumque determinatione, cotidie infringere tentant. Hic Bernhardus multum magnanimus & in bellis victorioſus fuit. Unde quadam vice obtenta victoria contra illos, qui Homelinge dicebantur, turres, cellaria caſtrorum ſuorum, & præſertim civitatis Paderbornenſis implevit. Ipſe fundavit caſtrum Dringenberg, & reditus caſtri Driborg illò tranſtulit: ipſe condidit caſtrum Beverungen & caſtra diruta reformavit. Et anno MCCCXL. moritur XIII. die menſis Januarii. & ſucceſſit ei Baldewinus de Steinvorde, qui præfuit eccleſiæ annis XX. Et eodem anno, quo obiit Bernhardus, civitas Paderbornenſis igne conflagravit. Hic Bernhardus conceſſit privilegium quoddam exorbitans à jure miniſterialibus. Eccleſiæ Paderbornenſis, ut conſentirent ſibi in exactione pecuniarum hominum ſuorum, videlicet, quòd villani non prohibeantur arcas ſuas in eccleſiis eorum ponere, & in cœmiteriis eorum ædificia erigere, quotquot velint, dummodo tantum ſpatium remaneat in cœmiterio, ædificiis non occupatum, quòd ſacerdos parochialis valeat cum cruce cœmiterium circumire. Et iſtud privilegium dedit cauſſam deſtructionis ferè omnium Eccleſiarum in diœceſi Paderbornenſi in rure ſitarum.

Ea quæ hucusque conſcripſi, fere omnia ex libris famoſis; pauca de ſcripturis privatis; pauciora ex relatu; pauciſſima propria imaginatione collegi. Ea verò quæ ſequuntur, paucis de ſcriptis authenticis interpoſitis, fide dignorum relatu, aut viſus experientia deprehendi.

CAPUT LXIX.

KAROLUS quartus, filius regis Bohemiæ regnavit annis XXXV. Contra hunc fuit electus in diſcordia Guntherus de Swartzeburg comes, qui cum ſibi videretur in electione prævalere caſtrametatus eſt in campis oppidi Franckenfort, prout moris eſt per electos de novo in reges Romanorum fieri. Et Karolus Maguntiæ cum exercitu ſuo ſe continuit. Et cum vidit ſe non poſſe regnum viribus obtinere, ordinavit, prout fama vulgaris volaverat, à quodam medico veneno intoxicari Guntherum, qui ibidem extinctus eſt. Et deinde Karolus electoribus magna placatis pecunia

cunia

Digitized by Google

cunia regnum obtinuit. Et anno regni ſui XI. Romam veniens ab Innocentio Papa ſexto coronatus eſt. Poſtea tempore Urbani quinti Carolus vocatus ab eodem Domino Urbano, contra Barrabonem tyrannum Mediolanenſium, qui multas terras Eccleſiæ invaſit, & Eccleſiæ Romanæ plurima damna intulit, venit in Italiam. Cumque Papa congregato exercitu intra Italiam contra prædictum tyrannum ſe crederet fortiter acturum, Karolus quanquam plurima ſui exercitus diſpendia pertulit, pecunia placatus ab Italia diſceſſit. Et poſt hoc idem tyrannus contra Eccleſiam fortiter infremuit: donec quidam nomine Egidius, natione Hiſpanus, Cardinalis effectus eſt. Hic duxit exercitum contra eum, & terras Eccleſiæ potenter recuperavit. Hic Karolus pro libertate Eccleſiaſtica contra dominos temporales plura ſtatuta edidit. Et eccleſiaſticis perſonis privilegia libertatis ampliavit. Nam poſtquam ſtatuta laicorum, contra eccleſiaſticam libertatem edita, irritavit, adjecit, quod quicunque laicus cujuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtat auſu ſacrilego vel propriæ temeritatis audacia, ſacerdotem vel clericum ſæcularem, aut religioſum, diffidaverit, proſcripſerit, captivaverit, ſpoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut hujuſmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaverit, vel favorem eis præſtiterit, eo ipſo ſit infamis, & omni honore privatus, nec ad placita, aut ad concilia nobilium admittatur quovis modo. Carolus anno regni ſui XXXIII. filium ſuum Wenceslaum apud electores promovit ad regnum. Baldewinus epiſcopus Paderbornenſis primis hujus Caroli temporibus rexit eccleſiam Paderbornenſem. Hic fuit multum gratioſus & affabilis: plura caſtra eccleſiæ acquiſivit, inimicos ſuos fortiter debellavit. Diem conceptionis beatæ Mariæ virginis per civitatem & diœceſim Paderbornenſem, tanquam ſummum feſtum, celebrari inſtituit, & exiſtentib. eo die in divinis officiis canonicis, & aliis in ipſa eccleſia Paderbornenſi beneficiatis, diſtributionem pecuniariam dari diſpoſuit. Et tandem podagræ & paralyſis vexatus incommodis aſſumſit Dominum Henricum Spegel, Abbatem monaſterii Corbienſis ſibi adjutorem. Et deinde altare quoddam fundavit in medio eccleſiæ Paderbornenſis, duas vicarias eidem annectendo, quarum unius vicarius cotidie miſſam in ortu diei celebraret, & alterius vicariæ vicarius infra ſummam miſſam chori miſſam ſingulis diebus legeret. Sed quia altare illud medium eccleſiæ occupare minus decenter viſum eſt, eo ablato non longè poſt mortem ejus vicariæ ad altare ſanctæ crucis tranſlatæ ſunt. Baldewinus ante altare prædictum, quod fundaverat fecit fodi ſepulcrum, & more cœmiterii ſpecialiter conſecravit, & conceſſit circumeuntibus ipſum XL. dies indulgentiarum. Ipſe etiam ſicut prædeceſſores ſui ante eum fecerant, per ſe ipſum officium Pontificatus exercuit, ordines eccleſiaſticos conferendo, chriſma conſecrando, eccleſias dedicando, & confirmationis ſacramentum miniſtrando, quod poſt eum uſque ad hoc tempus per aliquem epiſcopum Paderbornenſem minimè factum eſt. Et in ſummis feis, ut plurimum in ipſa eccleſia Paderbornenſi ſolenniter celebravit. Hic Baldewinus dedit licentiam cuidam presbytero, quod ipſe quendam laicum debitorem ſuum ab emunitate monaſterii ſanctorum Petri & Pauli Paderbornenſ. vi abſtraxit, & eum ad domum ſuam ductum in lignum detruſit, tenuitque eum ſic detruſum intra emunitatem eccleſiæ SS. Petri & Andreæ, donec ſatisfecit de debito. Et poſtquam præfuit ecclæ annis viginti defunctus eſt, & in ſepulcro, quod conſecraverat, tumulatur. Et ſuccedit ei Henricus Spegel, abbas Corbienſis ſupra dictus; & quia ille primus erat, cui proviſum eſt de eccleſia Paderbornenſi per ſedem Apoſtolicam, facta ejus, & ſucceſſorum ſuorum inter geſta Pontificum infra dicenda duxi referenda. Anno Domini M. CCC. XLIX. ſurrexit Secta quædam pœnitentium in Alemannia, ita quod multorum ſe ipſos flagellis ſeu ſcorpionibus cedentium conventicula fiebant, & tranſierunt tales catervatim, cruce præcedente, de civitate in civitatem, & de villa in villam, cantus quoſdam lugubres vulgari lingua cantando. Et deinde anno ſequente peſtilentia, de qua ſequitur, inchoante, maxima perſecutio Judæorum facta eſt, ita ut ferè in omnibus civitatibus Judæi ignibus traderentur: ſi qui tamen fidem Chriſtianam ſuſcipere volebant, vitam ſalvare potuerunt. Anno M. CCC. L. tam gravis peſtilentiæ morbus per Germaniam undique deſæviit, quod non erat in memoria hominum ſimilem peſtilentiam ante fuiſſe. Unde in hunc uſque diem, quamvis multæ peſtilentiæ interim fuerunt, mortalitas magna nominatur.

Digitized by Google

Deducebantur quidem corpora morientium præ nimia multitudine, ſuperſtitibus ad ferendum ea non ſufficientibus, in plauſtris & carris ad cœmiteria in civitate Paderbornenſi: & multi adhuc intra ſepulcra vivi palpitantes ex anguſtia, ſeu deſperatione, vel inadvertentia ſepelientium terra obruti ſunt. Et poſt hunc annum rarò ceſſaverunt peſtilentiæ particulares per Germaniam, & maxime quolibet anno ſeptimo poſt annum prædictum, usque ad annum Domini M. CCC. LXXXIII inclusivè in quo magna peſtilentia per Alemaniam & Italiam invaluit. Et deinde peſtilentiæ in ulteriores annos in civitate Paderborne & locis circumvicinis delatæ nondum ad præſens ceſſaverunt. Anno Domini M. CCC. LVIII. ego accipiens communem aërem primam vocem emiſi plorans. Anno Domini M. CCC. LXXI. XXII. die Auguſti factum eſt bellum inter ducem Brabantiæ & ducem Juliacenſem, & Dux Juliacenſis triumphavit, & obtinuit Ducem Brabantiæ in campo cum multis nobilibus, & multi occiſi ſunt. Anno Domini M. CCC. LXXIIII. miranda & inaudita peſtis Aquisgrani & Coloniæ, ac in aliis civitatibus & locis circa Rhenum orta eſt. Nam plurimi utriusque ſexus homines, quaſi furia bacchantes, per plateas, eccleſias, ſeu domos, more choriſantium ſaltabant, & tandem, quaſi amentes, cadebant in terram, & faſcia cincti ventrem, quaſi rupturam ex tumore metuentes, fortiter quodam ligno per transverſum faſciæ tranſmiſſo, reſtrinxerunt, nec hoc eis ſatis erat, quoniam etiam aſtantes ventres ſic cadentium pedibus calcare poſcentur, ita ut unus ſic cadens, duos aut tres ſe calcantes, impetu ventris elevaret. Inſuper pannum rubrum, & calceos roſtratos ſe abominari finxerunt. Unde primum videntibus eos magnum incuſſerunt horrorem: Sed poſtea compertum eſt, plures ex eis fuiſſe fallaces. An autem aliqui eorum verè fuerint aliquo tali morbo detenti, ſeu ſpiritibus immundis obſeſſi, manſit incertum.

CAPUT LXX.

WEnceslaus filius Caroli regnum tenuit annis XX. Hic patre præſente Aquisgrani ab archiepiſcopo Colonienſi coronatus eſt. Et ibidem Comes de Monte Wilhelmus Dux factus eſt. Iſtis temporibus quidam incubus, nominans ſe regem Goldemer, conjunxit ſe familiaritate cuidam viro, armorum mundanis actibus per omnia dedito, Neveling de Hardenberg nominato, in comitatu de Marka prope flumen Rure, in fortalitio ſeu munitiuncula habitanti, & loquebatur ſecum, & cum aliis hominibus: luſit dulciſſimè in inſtrumento Muſicali chordis aptato: luſit ad taxillos, pecunias expoſuit, vinum bibit, & ſæpè cum eo in lecto uno per noctem requievit. Multi viſitabant eum, tam viri religioſi, quàm ſæculares, quibus reſponſa dedit: Sed ſæpè religioſos, ad ſuæ conditionis revelationem anhelantes, ſcelera eorum occulta recitando confudit. Hoſpitem prædictum ſæpius de inimicorum ſuorum adventu præmonuit, & qualiter eorum machinationes evaderet ſibi conſilia dedit. Manus ſibi duntaxat palpandas præbuit, ſed videri negavit, & erant manus graciles & molles, ut ſi quis tangeret murem, aut ranam. Chriſtianos fidem in verbis: Judæos in lapidibus precioſis, & paganos in herbis ponere aſſeruit. Hæc omnia tunc à multis audivi, & poſt annos XXVI ab ipſo Neveling plenius intellexi. Hic habuit tunc ſororem pulcram, cujus gratia hunc incubum nonnulli moram ſecum trahere ſuſpicabantur. Unde ſolitus erat eum nominare generum ſuum. Et ipſe docuit eum ut hoc verſu ſe ſignaret: Increatus pater: increatus filius: increatus Spiritus ſanctus. Et poſtquam triennio ſecum morabatur ſine cujusquam læſione receſſit. Anno ejus tertio conſules civitatis Paderbornenſis fecerunt ſtatutum, quòd quicunque civis, vir aut mulier, in exequiis alicujus defuncti offerret plus, quam ad unam Miſſam, ſolveret conſulibus marcam argenti, cum prius ad tres miſſas, ut plurimum offerri moris erat, & ſic duæ miſſæ deinceps in exequiis ſubtractæ ſunt. Et quia nemo de rectoribus eccleſiarum parochialium vulneribus vinum infundit, putreſcentibus interioribus ſolo fotis oleo, cicatrices denuo ruptæ ſunt. Auctor tamen ſtatuti illius, primò ab hoſtibus captus ſubſtantiam, de qua dominum honorare recuſaverat, & proximo ſuo miſericordiam impendere renuit, ad inimicos transferebat invitus. Et poſtea contemtibilis omnibus in miſeria tabeſcens, in paupertate defunctus eſt. WENCESLAUS rex nihil memoria dignum egit, ſed Neronianæ crudelitatis ſectator

Digitized by Google

tor eſſe ſtuduit. Multos etiam viros ſolennes ſine culpa occidit, plures cruciatibus exquiſitis punivit, nonnullos propria manu ludibrii cauſa peremit. Contra ſubjectos ei in regno Bohemiæ nimia tyrannide uſus eſt; quare tandem Anno decimo quinto regni ſui ſurrexit contra eum marchio Moraviæ patruelis ejus cum multis nobilibus regni, & cepit eum: Sed Johannes marchio Brandenburgenſis frater ſuus, eo liberato, pacem inter eos reformavit, nec tamen emendatus eſt. Hoc tempore Witoldus Dux Litoviæ, quem vulgus Teutoniæ regem vocare conſuevit, fidem Chriſti ſuſcepit, & ipſe baptiſatus Alexander vocatus eſt, & multæ Eccleſiæ in Litovia fundatæ ſunt. Anno Domini 1396. factum eſt bellum 6. Kalend. Octob. inter regem Ungariæ, & regem Turcorum apud urbem Schildowe, quæ apud Græcos Nicopolis vocatur, de qua Jordanis epiſcopus ſic dicit: Trajanus Imperator victis Sarmatis condidit civitatem in Thracia, & vocavit eam Nicopolim, id eſt, civitatem victoriæ, & eſt de partibus Bulgariæ. Cum autem Turci Ungaris per annos præcedentes plurimum fuiſſent infeſti, & nonnullas terras regni Ungariæ occupaſſent, Sigismundus rex Ungariæ litteras ſuas regibus & principibus Chriſtianis hinc inde direxit, petens auxilia contra Turcos. Unde plurimi principes, & nobiles, ac alii militares convenerunt ad eum. Cumque congregato exercitu tranſiit Danubium Norachbackin rex Turcorum, & Baizabackin filius ejus ad bellum ex adverſo ſe præparant, & non ſolum viribus, ſed etiam fallaciis vincere ſatagunt. Nam palos acutos ligneos per campum inter rubos, quaſi per tria miliaria fixerunt in terram, & ubi non plenè rubis occultabantur, ramos arborum præciſos eis præfixerunt. Cumque rex Ungariæ expertorum conſilio acies ordinare decreviſſet, & princeps Wallachiæ, qui vicinus Turcis habitavit, & mores eorum in bellis, præcedentibus annis contra ſe geſtis noverat, primo bellum attentare petiiſſet, Francigenæ cum ſuis, ſi hoc eis non concederetur, æſtimantes ſe deſpectos, in hoc conſentire recuſabant, & abſque ordine, rege ignorante, Turcos aggrediuntur. Prima igitur acies Turcorum fugam ſimulat, & per certa loca, inter palos prædictos ad hæc diſpoſita, tranſiit: quos Chriſtiani per campum quaſi fugientes, ſtimulatis equis calcaribus, perſequuntur. Et dum ſe credunt equorum impetu rubos tranſire parvulos, in palos in terra fixos incidunt, nec eſt eis facultas procedendi, nec etiam propter impetum ſubſequentium retrocedendi. Hinc Turci Chriſtianis ſic defixis in maxima copia erumpunt ab inſidiis, & Chriſtianos cæde miſerabili proſternunt. Rex igitur Sigiſmundus nondum paratus ad prælium, & ſe adhuc ſecurum æſtimans, hac amicorum ſuorum clade cognita, & Turcis contra ſe ex improviſo venientibus, conſilio fidelium ſuorum, licet invitus, fuga navigii ſe ſalvavit, & Chriſtianis paucis, reſpectu illius multitudinis, evadentibus, cæteri capti, vel occiſi ſunt. Et captivorum alii capite truncati, alii membris genitalibus, alii oculis privati, alii venditi ſunt. Conceſſit rex Turcorum filio ducis Burgundiæ, tanquam captivorum inſigniori, quòd ſe cum certo numero militum, quos duceret eligendos, redimeret. Anno 1399. Dux Witold, ſeu Alexander, contra regem Tartarorum magnum produxit exercitum: ſed rege Tartarorum in multitudine quaſi innumerabili armatorum ei occurrente, Witold plurimis de ſuis occiſis fugatus eſt. Eo tempore ſurrexit quædam ſecta in Italia quorundam, qui albis induti veſtibus limina ſanctorum Romæ viſitabant certo modo, quem ſtatuerant, pœnitentiam agentes. Et in tantum numerus eorum augebatur, ut uno die quatuor, aut quinque millia eorum Romam venire crederentur, & multi latrones & maledrini in partibus illis converſis tali modo pœnitentiam egerunt. Et demum multi viri literati magnæ etiam reputationis ad recipiendum modum hujusmodi pœnitentiæ moti ſunt. Et deinde ſequenti anno maxima peſtilentia per Italiam ſecuta eſt. Cum igitur Wenceslaus rex ſchiſma, quod in Eccleſia Dei ab exordio regni ſui per annos xv. duraverat, de quo infra dicetur, conniventibus ſuſtinuit oculis, nec ad exſtirpandum ipſum animum quoquo modo intenderet, regnique negocia minus ſolerter diſponens, coronam Imperii tanto tempore recipere neglexit, atque alia plurima decus regni denigrantia commiſit, principes electores, poſt plurimos tractatus ſingulares, miſſis epiſtolis diverſis regni principibus, conventum publicum in menſe Majo in oppido Franckenfort habendum de anno Domini mcccc. pro negociis regni diſponendis, indixerunt. Quibus die ſtatuto convenientibus, tractatum eſt de electione

 novi

Digitized by Google

novi regis, qui poſſet & vellet contra Wenceslaum regnum vindicare, defenſare & reformare, quique coronam Imperii reciperet, & Eccleſiam Dei reintegraret: ſed cum electionis hujusmodi negotium pro tunc non plenum ſortiretur effectum, & in diem alium fuerat prorogatum, principes ab invicem diſceſſerunt. Cumque Dux Saxoniæ, & Fridericus Dux de Brunſwich, cum aliis nobilibus ſe verſus Saxoniam, per diœceſin Maguntinam, nihil hoſtile ſuſpicantes, dirigerent, Henricus comes de Waldegge, collecta armatorum multitudine, eos hoſtiliter invaſit. Unde ſuis hinc inde diſperſis, Dux Saxoniæ cum quibusdam aliis captus eſt, & Fridericus Dux de Brunſwick, occiſus eſt. Sed quia Henricus, tunc advocatus in Roſteborg ex parte archiepiſcopi Maguntini, aſſeruit ſe de mandato ejus hæc feciſſe, quod archiepiſcopus negavit, & coram principibus ſe de hoc juramento purgavit, Henricus ſpoliis reſtitutis captivos dimiſit. Poſt hoc principes circa Rhenum propè Bobardiam convenerunt, & ibi elegerunt regem, Rupertum Ducem de Bavaria & de Heidelberg, virum armis ſtrenuum, conſiliis acutum, & Deo devotum.

Rupertus electus in regem, poſt electionem ſuam, in menſe Septemb. juxta opidum Franckford tentoriis fixis in campo, una cum principibus per ſeptimanas & dies, prout electis ad regnum moris eſt, ſub dio moram traxit, & poſtea idem opidum feſtivis gaudiis intrat. Deinde anno Domini M.CCCC.I. in die epiphaniæ, Rupertus ab archiepiſcopo Colonienſi Coloniæ coronatus eſt. Nam cives de Aquisgrano, ubi locus coronationis eſſe conſuevit, ab epiſcopo, rege electo & à principibus requiſiti, ipſum electum recipere recuſabant, aſſerentes eis hoc non licere, quamdiu ab obedientia regis Wenceslai abſoluti non eſſent. Quapropter cives Aquenſes ab eodem anno, à rege in perſonis & bonis damnati, per civitates Imperii, tanquam rebelles, usque in præſens multa diſpendia ferunt. Eodem anno HENRICUS Dux de Luneburg, BERNHARDUS frater ſuus, una cum OTTONE Archiepiſcopo Bremenſi fratre eorum, magno congregato exercitu, venerunt contra archiepiſcopum Maguntinum, & HENRICUM comitem de Waldegge, mortem fratris ſui Friderici vindicaturi, & fuit eis adjutorio Landgravius Haſſiæ, & ferè omnes Duces, Comites & Barones Saxoniæ. Sed quia exercitus magnus erat, ipſi propter victualium defectum, priusquam quidquam perficerent, cogebantur ad partes ſuas redire. Et deinde inter archiepiſcopum Maguntinum & Henricum comitem de Waldegge ex una, & Lantgravium Haſſiæ parte ex altera graviſſimæ guerræ continuatæ ſunt. Ita quod neuter partium parcebat eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis, & clerici, ſeculares & monachi indifferenter capti carceribus & lignis detinebantur. Eodem anno Rupertus rex in menſe ſeptembri cum exercitu, non tamen, ut expediverat tam forti, alpes pertranſiens venit in Italiam, & receptus ibidem à Venetis, Florentinis & Bononienſibus ac Paduanis Paduæ hyemavit; Sed quia comes Virtutum, Mediolanenſium tyrannus, quem Wenceslaus rex depoſitus Ducem fecerat, majorem partem Lombardiæ tenuit, ipſe, valido conflato exercitu, totis viribus regi conabatur obſiſtere. Et interim fideles regis Wenceslaum regem Bohemiæ magnis guerris continuè pulſant. Anno Domini M.CCCC II. rex videns exercitum ſuum contra Comitis Virtutum potentiam non ſufficere, & eos, à quibus in Lombardia ſuſceptus fuerat, ac etiam Papam tam ſumtuoſe & liberaliter ſibi non aſſiſtere, Domino de Padua vicario ibidem conſtituto in Alemanniam reverſus eſt. Et eodem anno per quadrageſimam Cometa apparuit, & bonum tempus ſubſecutum eſt. Eodem anno in menſe Junio Bononienſes ab exercitu Comitis virtutum, traditione quorundam ſuorum, prælio victi, civitatem Bononienſem, cum ejus diſtrictu, eidem comiti tradiderunt, qui dirutis quibusdam domibus civium, caſtellum intra civitatem ipſam fecit ædificari. Et non longè poſt hoc ipſe defunctus eſt, relinquens filio ſuo parvulo ſub tutela quorundam ſuorum fidelium principatum. Eodem anno rex Tartarorum terram Turcorum diſſipat, & commiſſum eſt bellum, & rex Tartarorum triumphavit, ac regnum Turcorum ſubegit. Et deinde Saracenos invadit, multas civitates & terras eorum ſibi ſubdens. Anno Domini. M.CCCC.III. Bonifacius Papa nonus III. Kalend. menſis Octob. Wenceslao rege Bohemiæ reprobato, Rupertum regem approbavit. Eodem anno inter Landgravium Haſſiæ, & Henricum ducem de Luneborg ex una parte, & archiepiſcopum Maguntinum ex altera parte guerræ perſeverant, & ipſi principes caſtra quædam ipſius

ipſius archiepiſcopi potenter capiunt, nec ipſe valet eis reſiſtere. Eodem anno Bononia, Peruſium & aliæ terræ eccleſiæ, per fideles Papæ, de manu domini Mediolanenſis, recuperatæ ſunt, & ipſi Mediolanenſes tyranno ſuo rebellantes, caſtra, quæ in civitate tenuit, diruunt, & regimen civitatis, quibusdam inter ſe ad hoc electis, committunt. Eodem anno Wenceslaus rex Bohemiæ propter tyrannidem, quam exercuit in ſubditos, à Sigismundo rege Ungariæ fratre ſuo captus eſt & cuſtodiæ mancipatus: Sed anno ſequente è cuſtodia lapſus regnum ſuum recuperavit. Anno M CCCC. IV. Dominus de Padua Veronam de manu Mediolanenſis tyranni recuperavit, quam poſtea eo capto Veneti, una cum Padua & cum pertinentiis earum obtinuerunt, & obtinent usque in præſens. Eodem anno Papa conceſſit regi Ruperto decimam recipere à clero Alemanniæ, certis datis executoribus, qui compellerent ſolvere contradicentes: cum tamen archiepiſcopi & epiſcopi conſentire noluerunt, licet à quibusdam jam colligi incepta eſt, ex actio aliorum prætermiſſa eſt. Eodem anno Adolphus comes de Ravensberg, patrem ſuum, dominum Wilhelmum, ducem de Monte, nihil mali ſuſpicantem, quaſi Ducatus dilapidatorem captivavit, & in cuſtodia detinuit; ſed anno ſequente elapſus è cuſtodia guerris contra filium inſurgit, & intervenientibus tractatibus, filius quædam caſtra patri reſtituit, & ſic pacificati ſunt. Sed Dominus Wilhelmus electus Paderbornenſis, frater ipſius Domini Adolphi, pro ſuo interreſſe, ipſius, Adolphi remanſit inimicus, prout infra dicetur. Inter hæc Dominus Fridericus Archiepiſcopus, & cives Colonienſes, ex certis cauſſis ſe tangentibus, contra Adolphum guerris inſurgunt & ducatus de Monte flammis & prædis devaſtatur, videlicet anno M. CCCC. IV. Sed anno ſequente pacificati ſunt. Et Dominus Adolphus factus marſchalcus Domini archiepiſcopi Colonienſis circa Rhenum, fratri ſuo, Domino Wilhelmo, electo Paderbornenſi, ſibi reconciliato, ut inter fratres decet, & expedit, promiſit aſſiſtere favoribus & auxiliis oportunis. Anno domini M. CCCC. V. XV. menſis Septemb. conſules civitatis Paderbornenſis ediderunt ſtatutum, quod adhuc usque in præſentem diem perſeverat, videl. quod cives eorum volentes exequias peragere defunctorum, debent illas Dominicis diebus duntaxat peragere. Et fecerunt ſtatutum illud ſub forma mandati per nuncios, ſeu famulos ſuos, domatim publicè intimare. Quapropter ego, tunc curam gerens eccleſiæ forenſis ibidem, zelo domus Dei ductus, piæ correctionis cauſſa in ſermone publico hoc ſtatutum, redargui: ipſumque eſſe contra eccleſiaſticam libertatem editum, canonum decretis & Imperialibus ſanctionibus contrarium, pro poſſe meo declaravi, pœnas talia ſtatuentibus, tam à ſacris canonibus, quam Imperialibus edictis inflictas exprimendo, ut ſe transgreſſores emendarent, & ignari ſic inſtructi ad ſimilia deinceps adſpirare formidarent. Hinc elati mente, id quod dixi, cura paſtorali exigente, ex elationis ſpiritu, & avaritiæ fomite proceſſiſſe interpretantes, contra me, quaſi reum criminis læſæ majeſtatis, ſeditionem movere conabantur: Sed quamvis eousque eorum proceſſit indignatio, ut quibusdam mihi dubitandum de ſalute videretur: ego tamen juſtorum triumphis plurimorum mente confortatus & innixus veritati, ab his quæ dixi, non receſſi. Cumque illi non quieſcerent, ſed per anfractuum devia declinantes, juris compendia, ad ſimilia propè ſalutis diſpendia, vehementius anhelarent, & nemo medicorum ferrum, quo membra, quæ fomenta medicinæ non ſentiunt, præciduntur, agitare præſumeret: Ego his verbis beati Jeronymi. (*in prophetam Amos cap. 5.*) Expedit tacere prædicantem propter impietatem ſubditorum, & ſuperiorum etiam, qui vendunt juſtitiam; mente pulſabar. Et rurſus hoc dicto Prophetico: (*Eſaiæ.* 58.) Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum: corde gravabar. Quare tandem deliberatus, ne oves meæ converterentur in lupos, per ipſius forenſis eccleſiæ prædictæ, via permutationis, reſignationem, oneri prædicationis me ſubtraxi. Et deinde, juxta viſionis meæ cujusdam non vanam intelligentiam, animorum tempeſtatem, morum verò impietatem temporis decurſus abolevit.

Caput LXXI.

Benedictus Papa XI. de ordine Prædicatorum, ſedit annum I. Hoc anno Robertus ſcholaſticus Sozacienſis, à fide Chriſtiana declinans, Judæus efficitur: & in Franckenford apprehenſus uritur.

Clemens quintus ſedit annos XIII. Hujus temporibus anno Domini M. CCCC. IIII. Dominus Georgius de Enhus theſaurarius eccleſiæ Paderbornenſis, & poſtea Decanus, fundavit in eadem eccleſia capellam cum altari in honorem ſanctæ Trinitatis, & collata eſt capella Thiderico Lellen. Hic Clemens celebravit concilium Viennenſe, cujus conſtitutiones Clementinæ appellantur: & quia morte præventus conſtitutiones illas non fecit publicari; quare Johannes ſucceſſor ejus eas fecit publicari. Johannes XXII. ſedit annos XIX. Hic multas fecit conſtitutiones utiles, quæ hodie cum in corpore juris non continentur, Extravagantes dicuntur. Unde ſtatuit, (*Lib. 3. extravag. com. cap. 13. Tit. 2. cap. unico.*) quòd beneficia officialium curiæ, videlicet Vicecancellarii, Camerarii, notariorum, literarum contradictarum, auditorum, ſcriptorum & abbreviatorum ſint reſervata diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ. Item ſtatuit illum, qui de conſuetudine, privilegio & ſtatuto poteſt recipere fructus beneficii vacantis in quantitate ſummæ, quam ipſum beneficium in taxatione decimæ ſolvere conſueverat, vel in medietate obventionum, ſi ipſum beneficium ad decimam taxari ſolitum non eſt, debere eſſe contentum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Item (*Titul. 14. cap 2.*) prohibitiones & pœnas latas & comminatas contra diſputantes ſuper regula fratrum minorum per Nicolaum IIII. Papam uſque ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ ſuſpendit. Item (*Tit. 6. c. unico.*) declaravit ſuſcipientem ſacrum ordinem poſt contractum matrimonium, quamvis etiam nondum per carnalem copulam conſummatum, in ſic ſuſcepto ordine non debere miniſtrare nec ad ſuperiores adſcendere ac ad obtinendum beneficium eccleſiaſticum inhabilem: & ſi ingredi voluerit religionem, poterit ſecum diſpenſare ſuper ordinibus per epiſcopum, alias ad inſtantiam ſponſæ matrimonium conſumere cogetur. Item (*Titul. 14. cap. 4.*) illum declaravit eſſe hæreticum, qui pertinaciter affirmat, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe in ſpeciali, vel etiam aliquod habuiſſe in communi. Item (*Titulo 14. cap. 3.*) revocavit privilegium per Nicolaum quartum conceſſum Minoribus, videlicet, quòd ipſi fratres nomine Romanæ eccleſiæ poſſent habere propria. Item declaravit publicè, citationis edictum non ſolum illos qui impediunt, vel faciunt vel celant ſe, ne ad eos citatio perveniat, artare: verum etiam illos, quorum domicilia, vel loca tutè non poſſunt adiri. Item declaravit ordinarios illa, quæ ratione ſui officii ſibi facienda incumbunt, propriis debere explere ſtipendiis. Item damnavit ſectam illorum, qui ſe appellant de paupere vita publicè mendicandi & decrevit eos excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Item declaravit bladi quantitatem & certam pecuniæ ſummam, quæ pro quolibet menſe vel hebdomada canonicis miniſtratur non debere pro cotidianis diſtributionibus computari, ſed illa tantum quæ quotidie pro diurnis horis diſtribuuntur ſine fraude. Item ſtatuit certum modum taxandi literas apoſtolicas & pro quatuor vineis unum groſſum Turonenſem taxavit, & lineam in hoc caſu centum quinquaginta literas ſeu XXV. dictiones continere æſtimavit. Item epiſcopatum Tholoſanum in V. diœceſes diviſit & eccleſiam in metropolitanam erexit ſubjiciens ſibi reliquas quatuor eccleſias ab ipſa deciſas. Item prohibuit fieri cantum in horis canonicis & in miſſis cum diſcantu, triplis & motetis vulgaribus. Nec tamen poſt hoc voluit prohibere conſonantias muſicales, videl. octavas, quintas & quartas, ſic quod muſica bene notata per ipſas non immutetur. Item declaravit & recitavit Imperium devolvi ad Romanum Pontificem per obitum Imper. & ipſe uſus eſt in quibuſdam literis ſuis autoritate ſimul imperiali ſimul & Apoſtolica, ut in extravagantibus. Si fratrem & In delictorum. Ipſe ad complacendum regi Franciæ Ludovicum regem Romanorum excommunicavit. Anno Dn. hujus Papæ II. curia capellæ Trinitatis, ſitæ in eccleſia Paderbornenſi, eidem capellæ donata eſt per Wernherum de Brencken, canonicum eccleſiæ Paderb. Item ipſe conceſſit gratias exſpectativas ad beneficia eccleſiaſtica cum clauſula anteferri & etiam conceſſit reſervationes. Ipſe poſtquam ſenex effectus eſt deſipuit, prædicans animas ſeparatas à corporib. non videre eſſentiam divinam viſione faciali, ante diem judicii. Contra quod Thomas Walleis, de ordine prædicatorum, ſe exponens periculo propter fidem Catholicam, publicè prædicavit: ita quod propter hoc Papa miſit eum in carcerem, & ibidem fame cruciatus eſt, ſed tandem liberatus magno cum honore, Papa etiam anno XX. Ludovici regis in extremis conſti-

Digitized by Google

conſtitutus, ad inſtantiam quorundam amicorum ſuorum, prædictum errorem revocavit. Benedictus XII. ordinis Ciſtercienſis, ſedit annos VIII. & paucis dolentibus moritur. Anno ejus II. Thidericus Lelle rector capellæ ſanctæ Trinitatis moritur, qui domum ejuſdem capellæ primò conſtruxit pro habitatione rectoris ejuſdem capellæ, & ſucceſſit ei Gotfridus de Rivo. Hic Benedictus inter cæteras declarationes, quas fecit, declaravit, quòd gratia ſpecialis beneficio vacaturo extendit ſe ad beneficia ubique ſita, ad collationem illius ſpectantia, ſub cujus collatione cadit gratia conceſſa.

CAPUT LXXII.

CLemens VI. ordinis S. Benedicti ſedit annos X. Hujus temporib. claruit Romæ fœmina quædam Brigida, à vulgo Brigitta nominata, quæ de regno Sueciæ poſt mortem viri ſui, cujuſdam principis regni illius, cum filia ſua Romam venerat peregrinationis cauſſa, & ibidem vitam cœlibem duxit. Hæc plurimas à Deo viſiones habuit, quæ Romæ & Neapoli ac in locis aliis à multis tanquam prophetiæ in ſcriptis redactæ tenentur. Unde fuit vir quidam religioſus nomine Alfonſus, confeſſor & ſecretarius ejuſdem fœminæ, qui poſtea factus ſolitarius, ea defuncta de viſionibus plurimas reſeravit: quarum aliquas infra, prout propoſito convenire videtur, annotabo. Unde primo anno hujus Papæ Clementis ipſa ſcripſit ſibi, quòd hujuſmodi viſionem habuit, quòd ipſe Papa deberet ſe de Avinione Romam transferre, ut univerſalem eccleſiam poſſet reformare, & etiam quòd deberet denunciare annum Jubilæum, ſed Papa Romam venire non curavit, annum tamen Jubilæum, maximè ad inſtantiam Romanorum, de centeſimo anno ad quinquageſimum annum reduxit. Et inter eccleſias pro indulgentiis anni Jubilæi viſitandas conſequendis connumeravit eccleſiam Lateranenſem: concedens etiam, quòd hi, qui poſt iter arreptum, in ipſo anno Jubilæo legitimè impedirentur, quo minus ad urbem Romam pervenirent, ſeu etiam qui numero dierum in ipſis indulgentiis conſequendo taxato nondum expleto diſcederent, dummodo verè pœniterent, indulgentias ipſas conſequerentur. Hic Clemens privavit dominum Henricum de Verneberg Archiepiſcopum Moguntinum, pro eo, quòd ipſe adhæſit Ludewico regi, & dedit epiſcopatum Gerlaco de Naſſowe: ſed Henricus quamdiu vixit obtinuit epiſcopatum, Papa invito, Gerlacus verò tantum in partibus Haſſiæ exercuit favente ſibi ad hoc Landgravio Haſſiæ. Innocentius VI. ſedit annos X. Hujus anno VI. Gotfridus de Rivo, rector capellæ S. Trinitatis eccleſiæ Paderbornenſis obiit, qui domum ipſius capellæ ampliavit. Et ſucceſſit ei Wilhelmus de Warmelo: hic erexit murum domus ejuſdem ab occidente cum camino. Et poſtea ipſam capellam pro alio beneficio cum Ottone de Dicke commutavit. Hic Otto tenuit capellam annis XXIX. Et erexit murum curiæ verſus occidentem, procedentem à domo ipſius capellæ, uſque ad curiam Sterenberg. Et omnes ſupra-dicti rectores auctoritate ordinaria conſecuti ſunt eam. Hic Innocentius anno Pontificatus ſui ultimo providit Henrico Spegel, Abbati monaſterii Corbienſis, de eccleſia Paderbornenſi. Et hic Henricus fuit primus epiſcopus, cui per ſedem Apoſtolicam fuit proviſum. Et ceſſavit exercitium Pontificalis officii epiſcopi Paderbornenſis uſque in præſentem diem. Quoniam nec iſte, nec aliquis ſucceſſorum ſuorum, quidquam Pontificalis officii fecit in propria perſona, uſque in præſens. Idem Henricus multum rigoroſus & verax atque juſtitiæ amicus fuit, inimicos ſuos conturbavit undique, Comitem de Arnsburg tam frequentibus guerris fatigavit, opido ſub caſtro Arnsburg capto, quòd Comes ipſe pacem cum eo confirmare coactus eſt. Et poſt hoc idem Comes, non habens liberos Comitatum de Arensberg eccleſiæ Colonienſi in teſtamento legavit. Hic Henricus epiſcopos, Comites & nobiles Weſtfaliæ induxit ad faciendum pacem, ſic quòd eccleſiæ & Cœmiteria ac perſonæ eccleſiaſticæ, mercatores, peregrini, & arantes cum rebus ſuis libertate tali gauderent, quòd nemo eis violentiam inferret, & quicunque pacem illam infringeret ſuſpendio interiret. Et hæc pax jurata eſt ſervari & imperiali decreto, ut eſſet perpetua, HENRICO epiſcopo procurante, confirmata eſt. Et multi contrarium hujus pacis facientes ſuſpendio perierunt. Inter hæc KAROLUS Imperator, volens Wenceslaum filium ſuum promovere ad regnum, partes Weſtfaliæ pertranſiit, & veniens Paderbornam, à domino Henrico epiſcopo, & clero, ac civibus, reverenter ſuſceptus eſt. Et poſtquam

una

Digitized by Google

tavit Papæ Dominus Nicolaus Comes de Nola. Poſt hoc domina Brigida tranſtulit ſe Jeruſalem cauſa peregrinationis, & Papa manſit in Avinione. Cumque reverſa de peregrinatione Neapoli reſideret, prædictus dominus Nicolaus Comes requiſivit ab ea ex parte domini Papæ, quid voluntatis Dei eſſet de transferendo ſe Romam, & reſponſum eſt dominæ Brigidæ per revelationem ut prius, cum comminatione indignationis divinæ. Et iſtius revelationis reſponſum Alfonſus memoratus portavit Avinionem Papæ, Anno Domini MCCCLXXII. prout ipſe ſcribit in quodam tractatu ſuo, quem de electione Urbani ſexti poſtea conſcripſit. Sed Papa diſtulit venire Romam, quare terras eccleſiæ perdidit, & ipſæ ab invicem dilaceratæ & ſeparatæ ſunt. Nam civitates & communia terrarum eccleſiæ ligam quandam ſeu conſpirationem fecerunt, & in ſignum rebellionis arma quantum ad illam conſpirationem ſibi communia ante valuas civitatum, opidorum & caſtrorum depingebant, videlicet, clypeum blavei coloris, cui literæ aureæ per obliquum declinantes inerant hoc vocabulum Liberta exprimentes. Poſt hoc Papa cum pompa magna Romam ſe tranſtulit, ſed terras rebelles eccleſiæ non recuperavit. Et cum Avinionem iterum redire voluit, defunctus eſt, & ad Mariam novam in urbe ſepultus.

Caput LXXIV.

Urbanus ſextus natione Neapolitanus de Platea, Vindi, ſedit annos XI. menſes VI. Vacante enim ſede poſt mortem domini Gregorii præparabatur conclave, ut moris eſt, & interim Cardinales partim inter ſe ſæpè tractabant de perſona eligenda, & diviſi ſunt in duas partes. Ex una parte erant Gebennenſis, Glaudacenſis, Britannienſis, Lunenſis & de Alvernio Cardinales, qui attraxerunt ſibi tres Cardinales, videlicet Florentinum, Mediolanenſem & Urſinum. Ex alia parte erat Lemovicenſis, Vinarienſis, ſancti Euſtachii de agri folio, Pictavienſis & majoris monaſterii Cardinales, qui traxerunt ad ſe Cardinalem S. Petri: una pars voluit habere Papam Italicum, alia pars Gallicum. Et cum utraque pars vidit, quòd neutra earum potuit contra aliam in electione prævalere, quia neutra earum habuit duas partes votum Cardinalium, prout jura diſponunt, jam antequam conclave ingrederentur, cogitaverunt, quòd neceſſe haberent, eligere aliquem de extra collegium, & ambæ partes tractabant hoc ſecretè inter ſe, & viſum eſt utrique parti ad hoc aptiſſimum eſſe Dominum Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem. Quidam tamen deſiderabant eligere dominum Martinum de Galvis, Doctorem Decretorum, Referendarium domini Gregorii: ſed quia ille erat abſens, & ſatis juvenis, complacuit utrique parti, ſaltem pro majori parte, quod eligerent prædictum dominum Barenſem, quia ipſe eſſet vir literatus, honeſtus & devotus, ſciens practicam Cancellariæ Apoſtolicæ: quia ipſe tunc erat Vicecancellarius, & noverat modum expeditionis negociorum, & ſtylum curiæ Romanæ. Et quòd utraque pars Cardinalium iſta tractabat, altera neſciente, antequam etiam conclave ingrederentur, plures Cardinales utriusque partis referebant, poſtquam electio facta fuit. Cumque die Mercurii, ſeptima menſis Aprilis, jam conclave intrare diſponerent, & magna ſerenitas aëris exiſteret, ecce ſubitò tempeſtas oritur, & ictus tonitrui fortiſſimi tectum palatii Apoſtolici percuſſit, & usque ad pavimentum ſignum percuſſionis deferens, quaſi certum futuræ perturbationis eccleſiæ præbebat indicium. Cumque Cardinales poſt prandium, die prædicto, cum ſonitu inſtrumentorum Muſicalium conclave intrabant, Romani clamaverunt, Papam Romanum volumus, vel Italicum. Non tamen clamabant hæc verbis comminatoriis, ſed rogatoriis geſtibus. Die ſequenti hora tertia vel circa, Cardinalibus per conclave ambulantibus, quidam eorum colloquia ad invicem habentes, qui tamen erant de partibus contrariis, puta Cardinalis Lemovicenſis, qui tunc erat Præneſtinus, & Cardinalis de Luna tractaverunt de perſona eligendi, & uterque alteri eorum indicavit, quòd ipſe eſſet inclinatus ad eligendum Dominum prædictum Bartholomæum. Et illi vocabant ad ſe quoſdam de aliis, & illi conſentiebant invicem, licet erant de partibus contrariis. Et dixerunt: ſedeamus ergo ad eligendum. Et ſtatim quando omnes conſederunt, concordabant in ipſum dominum Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem ſine aliqua impreſſione. Et hoc quidam Cardinales revelabant ſecretè amicis ſuis eodem ſerò, poſtquam conclave exiverunt. Sed Cardinales timentes, quòd electio illa diſpliceret Romanis, noluerunt eum ſtatim publicare. Quare ordi-

navêrunt mittere certas ſchedulas unius tenoris ex parte collegii certis prælatis Italicis, Romæ tunc exiſtentibus, ſcilicet Archiepiſcopo Piſano, Archiepiſcopo Barenſi, epiſcopo Nucerino, & Abbati montis Caſſini, quòd venirent ſtatim viſa ſchedula, & quilibet eorum ſigillatim veniret propter ardua negocia, quæ emergerent in conclavi. Quibus venientibus Cardinales ibant ad prandium, quilibet in cellam ſuam, & prædicti prælati collocati ſunt in Camera pavimenti domus Papalis, quæ erat propè conclave, & ibi prandebant. Deinde circa horam nonam, dum ſilentium tenuerunt Romani à clamoribus, dixit Cardinalis S. Petri aliis Cardinalibus: Ecce, dummodo nullus clamat de Romanis, ſedeamus, & iterum eligamus dominum Barenſem, ne poſtea dicatur, quòd electio fuerit impreſſiva. Et tunc iterum ſederunt, & elegerunt eundem. Deinde hora veſperarum Cardinales exierunt conclave, non audentes detegere electionem propter populum Romanum. Tunc dominus Agapetus de Columna Romanus, epiſcopus Ulysbonenſis, interrogavit ipſum Cardinalem dicens: Multi multa loquuntur de electione, quam feciſtis. Cui Cardinalis reſpondit: Domine Agapete, ſi vultis liberare eccleſiam Dei, vadatis cum comitiva veſtra quia magnus eſtis in hac urbe, & cum parentibus veſtris cuſtodite bene iſta nocte Dominum Archiepiſcopum Barenſem, qui eſt abſconſus in palatio Papali, quia ipſum elegimus, & ipſe eſt verus Papa: licet populus credat, quod Cardinalis S. Petri, qui erat Romanus, foret electus: amici & conſanguinei ejus venerunt ad eum, & exhibuerunt ei reverentiam Papalem, & populus domum ejus ſpoliavit omnibus ſupellectilibus, prout moris eſt, & ipſe omnibus reſpondit, ſe non eſſe Papam. Et deinde Cardinalis Gebennenſis armavit ſe, & ad caſtrum Zagaroli ſe tranſtulit. Et dominus Agapetus cum amicis ſuis verſus palatium Papæ, ad cuſtodiendum dominum Barenſem ſe transferebat. Deinde die Veneris, ſummo manè, ipſe dominus Barenſis miſit pro Cardinalibus, tam illis, qui erant in urbe, quàm illis qui erant extra urbem, ut concurrerent ad inthroniſandum, & faciendum eas ſolemnitates, & illa officia, quæ circa talia moris eſt fieri. Quibus venientibus, dictus electus dixit Cardinalibus in effectu verborum, domini & patres reverendiſſimi, quia dicitur, quòd me indignum elegiſtis in ſummum Pontificem, rogo & ſupplico, in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, quòd veritatem dicatis mihi, ſi feciſtis hoc per aliquam impreſſionem, vel feciſtis hoc animo libero & voluntario. Qui tunc reſponderunt ei, & juramento firmaverunt, quòd non elegerunt eum per aliquam impreſſionem, ſed liberè, & electio erat legitima, juſta & canonica: ſicut unquam facta fuit electio de aliquo ſummo Pontifice, poſt ſanctum Petrum. Et tunc conſedentibus ipſis Cardinalibus, Florentinus, qui tunc erat Portuenſis, ad inthroniſationem ejus faciendam incepit per modum ſermonis proponere hæc verba Apoſtoli: Decet enim epiſcopum &c. Quibus finitis ipſe electus etiam per modum ſermonis incepit proponere hæc verba: Timor & tremor venerunt ſuper me, & volebat perſequi ſermonem. Tunc Cardinales interruperunt verba ſua, dicentes, quòd non eſſet moris, quòd ipſe faceret aliquem ſermonem: ſed ut ipſe ſederet in loco ſuo ordinato, ut ipſi induerent eum Papalibus indumentis, quo facto ipſi exhibuerunt ei reverentiam Papalem ſigillatím quilibet, videlicet, Cardinalium oſculando pedem ipſius domini Papæ, manum, & os, more in talibus ſolito, & impoſitum fuit ſibi hoc nomen Urbanus. Expletis itaque prædictis, præſentaverunt Cardinales in Papam ut verum ſummum Pontificem præſentibus gentibus & populo Romano. Et deinde per literas ſuas Imperatori, regibus & principibus Chriſtianis & prælatis multis hoc intimaverunt, quòd dominum Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem elegiſſent in Papam. Et deinde die Paſchæ, quæ tunc erat XVIII. dies menſis Aprilis ordinata pergula ante primas portas Baſilicæ S. Petri ipſum ſolenniter coronaverunt, & dederunt eum in Papam & Chriſti Vicarium toti multitudini ex diverſis mundi partibus tunc ibi pro indulgentiis congregatæ. Et deinde duxerunt eum ad S. Johannem de Laterano, maximum feſtum ibidem celebrando. Quo facto reduxerunt eum ad Papale palatium apud S. Petrum. Poſt hoc Cardinales impetrabant ab eo pro ſe, & aliis, beneficia, & officia, & fecerunt ſe abſolvi ab eo, & concedi pleniſſimam remiſſionem, prout in conſecratione ſummorum Pontificum fieri ſolet. Unde Cardinalis Gladacenſis impetravit ab eo epiſcopatum Oſtienſem. Sed poſt hoc non longo tempore, ipſe dominus Urbanus

Papa

Digitized by Google

Papa incepit Cardinales increpare, & exaſperare de multis, & præſertim Cardinalem Ambianenſem, qui venerat de Tuſcia. Sed Cardinales hanc increpationem ægrè ferebant, ita quòd quadam vice dominus Urbanus magnas habuit cum eodem Cardinale contentiones, coram aliis Cardinalibus, & tunc reſpondit ei Cardinalis Gebennenſis: Pater ſancte, vos facitis modicum honorem Cardinalibus in verbis & geſtis veſtris, & non tractatis eos honorificè, ſicut anteceſſores veſtri. Et ideo nos fortè taliter faciemus, quòd vos habebitis modicum honorem à nobis. Hæc quidam Cardinales ferebant amicis ſuis ſecretis in domibus eorum, poſtquam reverſi fuerant de palatio. Et deinceps cœperunt tractare ſecretè de confectione ſchiſmatis. Hæc ſupradicta de electione Domini Urbani, & ſequelis ejus prædictis, ſcripſit Alfonſus ſupradictus, in quodam tractatu, quem de eadem electione conſcripſit. Hoc tempore claruit Bononiæ, dominus Iohannes de Lignano, doctor egregius, qui de domino Papa Urbano prædicto, priusquam ſchiſma fieret, infra ſcripta prædixit: Hic Papa habebit multos adverſarios, inducentes perditionem principatus, retinebit tamen cum lite, & qui deberent eſſe auxiliarii, erunt adverſarii: & aliquod tamen pro ipſo adjutorium tandem ex alto proveniet. Ipſe declinabit multoties à propoſito ſuo, habens ſemper aliquos exoſos & inſidiantes ſibi ad minus occultè. Regnum ejus aliquantulum erit diuturnum, & non perdet dominium, ſed continuè habiturus eſt æmulos. Cavendum eſt ſibi, in anno Domini MCCCLXXXI. & in anno MCCCLXXXV. Ipſe timebitur, & impedimentum in factis ſuis ex ipſo erit, non obſtante, quòd erit bonæ legis & religionis. Erit valde rigoroſus, per ſe ipſum multa expediet, & conſiliariorum miniſterio non utetur. Sanus atque ſalvus ab infirmitatibus erit. Cum magna fraudulentia adverſarii laborabunt contra eum, & finaliter cadent in perſecutionibus ſuis, & fortè incident in grande infortunium itineris, religionis vel mortis. Inter amicos morietur, & fortè extra propriam terram. Innovabit geſta prædeceſſorum ſuorum, de quo non commendabitur. Non erit bonum ei itinerare, licet ipſe intendat mediante religione vel itinere augere regnum: quod non fiet ex hoc, ſed à populo ipſum neſciente erit augmentum regni. Cardinales non diligent eum, & laborabunt contra eum maximè, qui ſunt de natura Jovis: ſed qui ſunt de natura Martis concordabunt ei. Et immutabunt voluntatem ſuam infra præſentem menſem Septembrem anno Domini MCCCLXXXVIII. & tendent ad concordiam cum eo. Poſt hoc idem dominus Johannes de Lignano, jam ſchiſmate invaleſcente, venit Romam, & à domino Urbano honorificè ſuſceptus eſt, & multas habuit cum eo collationes. Et deinde reverſus Bononiam, peſtilentia graviſſima in partibus Italiæ & Germaniæ invaleſcente anno MCCCLXXXIII. obiit. Et ea quæ de domino URBANO prædixerat, ita ut prædixit, evenerunt, prout infra patebit. ALFONSUS, de quo ſæpius dictum eſt, in tractatu ſuo prædicto ſcribit: quòd poſtquam ſchiſma in eccleſiam introductum erat, cuidam in viſione dictum fuit: Urbanus eſt verus Papa, & ſponſus eccleſiæ, ſed in regimine ſuo tenebit modum ſine modo.

CAPUT LXXV.

CArdinalibus igitur, ut ſupra dictum eſt, propter correptionem domini Urbani commotis, Cardinalis Gebennenſis, unà cum quibusdam aliis Cardinalibus, in menſe Junio, urbem exiens Fundis ſe recepit. Et receptus à Comite Fundorum, cum aliis Cardinalibus de impugnatione electionis domini Urbani tractavit. Et tandem tribus Cardinalibus aliis, qui cum Domino Urbano adhuc erant, ad ſe fraudulenter attractis, idem Cardinalis Gebennenſis ſe in Papam, ſeu verius in Antipapam eligi ordinavit, &, mutato nomine ſuo Robertus, Clementem ſeptimum ſe appellavit. Et ſic ſchiſma, quo majus in eccleſia Dei non fuit, confectum eſt, & ſecuta ſunt homicidia, incendia, rapinæ, guerræ, deſtructiones, non ſolum terrarum, ſed etiam regnorum, & calamitates omnibus Chriſti fidelibus & errores, usque in præſentem diem. Cardinalis Gebennenſis, licet favori dominæ Johannæ, reginæ regni Siciliæ, ſeu Neapolitani, inniteretur, non tamen audens intra regni illius diſtrictum permanere, cum Cardinalibus ſuis Avinionem ſe tranſtulit, & à rege Franciæ ſuſceptus eſt. Et deinde reges & principes ac prælati diviſi ſunt. Rex quidam Franciæ, cum univerſo regno ſuo, & tota Hiſpania, & regina Siciliæ, cum majore regni parte, Roberto Antipapæ adhæſerunt. Imperator verò Carolus, & filius ſuus Wenceslaus rex Bohemiæ

Digitized by Google

Ludewicus rex Ungariæ, rex Angliæ, & omnia regna Septentrionalia, nec non provinciæ Italiæ, extra regnum Siciliæ conſtitutæ, regna Cracoviæ & Poloniæ, domino Urbano cum ſubditis ſuis adhæſerunt. Quidam tamen principes Alemanniæ altæ, cum epiſcopis quibusdam & collegiis, ſibi in temporalibus adſtrictis, ut Lippoldus dux Auſtriæ, palàm, & quidam nobiles Alemanniæ baſſæ, ut Engelbertus Comes de Marcka, & Adolfus frater ejus, Comes de Clivis, clàm Roberto adhæſerunt. Albertus vero dux Auſtriæ principalis, frater ducis Lippoldi major natu domino Urbano fideliter adhærebat. Dominus verò Urbanus Robertum Antipapam, cum ſuis Cardinalibus, excommunicavit, & Cardinalatus honore ac beneficiis & dignitatibus omnibus privavit. Et proceſſus graves contra eos in regnis ei adhærentibus facit publicare. Anno Pontificatus ſui ſecundo, VIII. Idus Aprilis, omnes adhærentes eidem Roberto beneficiis privavit, & reſervavit illa diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ. Et demum dedit collectoribus fructuum cameræ Apoſtolicæ debitorum poteſtatem, partes adhærentes privare beneficiis, eadem diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervando, prout commiſſio & ſubdelegatio venerabilis patris epiſcopi Wormatienſis, collectoris provinciæ Moguntinæ, in præmiſſis mihi directa, continebat.

CAPUT LXXVI.

QUemadmodum Dominus excelſum faciens Aaron, ſtatuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi ſacerdotium gentis ſignis terribilibus, clementique miraculo pandit, dum invidentibus ſibi ſuper ipſius electione, divinitus facta, diutius contendentibus, apperta eſt terra, & deglutivit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron, & axarſit ignis in Synagoga, tandemque dum arentis virgæ cœli rore fœcundati flores ſe transformarunt in fructus: ſic ipſe memor in ſæculum teſtamenti ſui, dominum Urbanum prædictum, ut verum Chriſti filii ſui vicarium, honore ſummo Pontifici hic in terris debito, ſignis plurimis venerandum potenter oſtendit, cum ejusdem Domini Urbani maledictionis promulgatio, in amicosq; benedictionis collatio efficaciæ tantæ fuiſſe noſcuntur, ut exitu harum utriusq; probante, ipſe adeo ſuper gentes & regna conſtitutus credatur non immeritò, ut cujuscunque potentis terrore deſpecto, tanquam fronte à Dno. ſupra adamantis ſilicisq; fortificata duritiem evellat ac deſtruat & diſperdat, ædificet, plantet: prout his, quæ ſequuntur, intendo declarare. Anno pontificatus ſui ſecundo, Urbanus validè intoxicatus hauſtu veneni tam graviter, æmulorũ ſuorum procurante livore, languebat, ut pene ab omnibus, ei adſidentibus, morti vicinus eſſe crederetur: ſed ſuper illud dictum CHRISTI: Si mortiferum quid biberint eis non nocebit, fides ejus firmiter innixa, intoxicationis ſcelere validum per dolorem vehementis acceſſus, lentique receſſus, manifeſto deſideratum miniſtrantis virus ipſum fruſtrabatur effectum, non ut abſque manifeſtato doloris aculeo ſuperato veneno hujus ſceleris reorum immanitas, ſe non DEI, ſed cujuſquam antidoti privata medela reretur illuſam, ſed ut ægritudinis ejus cauſſa priſtinæque ſanitatis adeptione, partes per urbis plurimas, divulgatis à multis ipſe protectus cœlitus viroſo hauſtu cenſeretur invictus. Poſt hoc quadam die, populus Romanus contra eum commotus, tumultu concitato, armata manu palatium expetivit. Cumque tumultuantis multitudinis occurſus ſibi nunciatur, ipſe jubens portas Palatii protinus aperiri, in ſedem ſuam ſe collocat, & CHRISTI factum imitatus, miraculum, quo CHRISTUS Judæos terruit ſe quærentes, mirabiliter innovat. Tumultuantis enim turbæ primores in acie conſtitutos aſpectu ſerio, & his verbis, Quid vultis? in ſui præſentia ita ſtare compellit, quòd eis promptitudinem reſpondendi, & furori ſubſequentium acceſſum adimit propiorem. Et ſic eorum pertinacia leniter, prout res exigit, increpata, eos placatos facit abſcedere. Ad declarandum ea, quæ dehinc acta ſunt, domina JOHANNA regina Siciliæ deducatur in medium. Hæc enim ſchiſmatis execrabilis fomitem plurimum excitavit. Dum enim ad ſummi Pontificatus apicem electionis Domini URBANI ad ipſius notitiam certitudo pervenit, in gaudiorum corde ſuo diverſitatem reſoluto, ipſam ſe de Neapoli Papam ſibi factum cunctis gloriari demonſtrans, in ſymphoniis, choreis, epularum conviviis, aliiſque deliciis plurimis palàm omnibus Neapoli feſta multiplicavit. Speravit ſiquidem OTTONEM Ducem, de domo Ducum Saxoniæ exortum, tunc maritum ſuum, Jeruſalem & Siciliæ regnorum, quorum ipſa gaudebat titulis, in Regem per Papam

Digitized by Google

Papam coronari: Sed idem Dux maritus ipſius reginæ quartus extiterat, & ipſa jam annos ſterilitatis attigerat. Principibus etiam regni renitentibus hujuſmodi deſiderii effectum à Papa minimè potuit obtinere. Et deinde callidioribus quibuſdam inter Papam & ipſam intervenientibus delatoribus, uterque eorum contra alterum exaſperatus eſt. Quapropter cum ut non caput nequius ſuper caput colubri, ſic non eſt ira ſuper iram mulieris, breviſque omnis malitia ſuper malitiam mulieris, ipſa Regina conſilii ſceleſti ſchiſmaticorum Cardinalium conſcia facta, ROBERTUM Antipapam Vicarium CHRISTI verum furore pertinaci mentis affirmans, ut maritus ejus prædictus regium ſuſciperet diadema, ipſi domino URBANO ſuiſque fidelibus totis viribus ſatagebat obeſſe. Quare Neapolitani, gravibus inter ſe ſeditionibus ortis, clamantes per plateas alii, vivat Papa de Roma: alii vivat Papa de Fundis, mutua cæde ſe pertruncare conantur. Cumque ipſa ſic potens in iniquitate in malitia gloriando dilexit malitiam ſupra benignitatem, DEUS deſtruxit eam in finem, & evulſit eam de tabernaculo ſuo. Nam Dominus URBANUS, juſtum penes ordinem juris, excommunicationis, honoris, dignitatumque, quarumcunque, & præcipuè regnorum Jeruſalem & Siciliæ privationis contra ipſam ſententiis cum maledictione præmiſſis, regna prædicta domino KAROLO de Duratio, qui à vulgo KAROLUS de Pace dicebatur, contulit, ut ipſe auxilio regis Ungariæ, cui conſanguinitate conjunctus fuerat, regnum Siciliæ ab ipſa JOHANNA evincendo, ſententias Papæ, contra eam latas, tentaret facere ratas. Rex itaque Ungariæ jamdudum contra prædictam reginam ægrum geſtans animum ex eo, quòd quondam rex ANDREAS frater ejuſdem regis, primus ipſius reginæ JOHANNÆ maritus, in Averſana civitate noctu in palatio ſtrangulatus, & de feneſtra projectus, & de manè repertus in horto fuerat: cujus ſceleris ipſam reginam communis fama conſciam prædicabat, licet eundem fratrem ſuum magnificè vindicaverat, ad ipſius reginæ exterminium ferventius anhelabat. Unde KAROLUS collecto exercitu de Ungaria, per partes profectus Italiæ, Romanam pervenit ad urbem, ubi à Papa URBANO, præſtitis ſibi jure homagii fidelitatis ſacramentis, regni Siciliæ diadema recepit. Et deinde ſic regni inſignibus decoratus Apoſtolicæ benedictionis gratia confortatus, noviſque generibus armorum adauctus, verſus Neapolim cepit dirigere greſſus. Cujus dum adventum Regina & Dux OTTO perceperunt mentis eorum cogitamina non modici terroris turbo diſperſit. Veruntamen Dux OTTO, priuſquam KAROLUS Neapolim perveniret, ſe belli conflictibus ei opponere decernens, ſe contra DEI potentiam pugnaturum non perpendens, de ſuorum confidens fortitudine & audacia, ipſi obviam egrediebatur in campum. Cumque itineris tranſitus, per quos KAROLUS erat tranſiturus, occuparet, de quorundam ſuorum, forte ſibi non fidelium, conſilio ſeceſſit à via, ut eodem aſſerente conſilio, KAROLUS cum ſuis, ſpaciis illis pertranſitis, inter ipſius Ducis OTTONIS exercitum ipſum tunc inſequentis à tergo, & civitatem Neapolim ſe cernens interceptum, omni fugæ præſidio deſtitutus, cogeretur conflictus ingredi belli. KAROLUS igitur illic pertranſiens, celeriter verſus Neapolim tendens, portis civitatis illo, dum venerat, die apertis, ſuorum conſilio fidelium procurante, repertis, civitatem ipſam cum ſuis feſtinanter intravit. Dux autem OTTO avidus belli veniens à retro, intelligens KAROLUM introiviſſe Neapolim, vehementer obſtupuit, & ex alto ſuſpiria pectore trahens, nimio præ dolore queruloſis vocibus anxioſa lamenta produxit. Unde Dux OTTO ad caſtrum ſancti ERASMI ſupra Neapolim in montis amœniſſimi vertice conſtitutum ſe recepit. Et KAROLUS intra civitatem, ſuorum fidelium cooperante miniſterio, caſtrum novum regia venuſtate decorum, quod regina in extremo civitatis in littore maris ſitum tenuit, plurimis inſtrumentis bellicis fortiter impetiit, mœnia trium tecta palatiorum ſaxis ingentibus bombardis aut machinis violenter emiſſis ex omni parte perforando, & ſimul invicem concutiendo. Ut igitur citius KAROLI conſilium ſui laboris finalem conſequeretur effectum, quoddam turpis machinationis genus hunc excogitavit in modum: capiebantur quædam barilia, quæ ſtercore humano mixto cum manibus, pedibus, vel capitibus, aut aliis membris à captivorum corporibus nimia crudelitate præciſis, impleta, machinis ad aëris alta projecta, dehinc cadentia deorſum, ſuper ipſius caſtri planiciem, vel ædificiorum ſtructuras, impetuoſè magno cum fragore colliſa,

Digitized by Google

colliſa, tantum fudere fœtorem, ut intra caſtrum exiſtentes, in aëris infecti attractione continua vomere compulſi, ilicò ſe ſuffocari timuerunt, ipſiſque omnibus, tam crudelis & impia humanorum membrorum diſperſio, non immeritò validum incuſſit horrorem. Interea aquæ-ductu per ducem OTTONEM interciſo, Neapolitani non ſolum propter hominum, verum-etiam equorum multitudinem, aquarum penuria anguſtati, pluvialibus aquis, ciſternis diu confotis, ſunt contentari coacti. Tandem Dux OTTO corpus proprium pro dominæ & uxoris redemptione ſe mortis periculo ſubdere non metuens, dum ut adhuc contra KAROLUM pugnaret, per montem caſtri ſupra-dicti, quò adſcenderat cum ſuis armatus deſcendit equeſter, gentes CAROLI pedeſtres, pro-ut proditoriè ordinatum aſſerebatur, in ipſius montis vineis latitantes, ipſum cum ſuis eorum inſidias advertentes minimè, abſque reſiſtentia quacunque ceperunt. Quod dum ad reginæ notitiam pervenerat, ipſa quaſi mente deficiens præ dolore, tot ſe cernens anguſtiis circumſeptam, ſeipſam dans in manus Karoli caſtrum quod tenuit, de ſuccurſu fideli deſperans, tradebat. Hinc aquæductu reformato rex Karolus civitatis Neapolis ipſius caſtrorum trium reliquorum videlicet ſancti Eraſmi, caſtri Ovi & caſtri Capuani & civitatum aliarum ac caſtrorum ipſius regni plurimorum potens effectus, Ducem Ottonem carceribus mancipavit. Regina verò in vindictam mortis Andreæ regis ſupra-dicti ſecretè jugulata dicebatur: quidam tamen eam in carcere fame ſpontanea periiſſe aſſeruerunt, & apud ſanctam Claram extra eccleſiam eſt ſepulta. Cauſſam ſucceſſionis hæreditariæ Karoli in regno, & mortis Andreæ regis occaſiones has intellexi fuiſſe: Regina quidem Johanna habuit ſororem pulcram valdè, cui ceſſit in diviſione hæreditarii juris Ducatus Duracii, cum nonnullis aliis terris Apuliæ. Hanc ANDREAS rex adamavit, & clam gravidam fecit. Unde miſit eam ad Dominum LUDOVICUM regem Ungariæ, ubi peperit filium, qui Karolus eſt nominatus. Et iſte KAROLUS, ſic exiſtens filius ſororis reginæ JOHANNÆ, quamvis illegitimus, cùm tanquam ex duabus coronis regiis procreatus juſtè ſuccedere poſſe in regno patris dicebatur, in regem à Papa URBANO prædicto promotus eſt. Ex his perpendi poteſt liquidè Domini Urbani Papæ benedictio quantæ fuerit efficaciæ, cum rex KAROLUS, abſque belli conflictu, ſibi tanta ſubegit, ipſiuſque maledictionis ſententia in quanta diſpendia adverſantes ſibi deduxit, cum Domina JOHANNA, Siciliæ regina, Provinciæ & Pedemontis comitiſſa, mariruſque ejus Dux OTTO, tot divitiis tantaque potentia fulti, ſunt tam ſubitò ad infelicitatis invia dejecti: quis enim hæc audiens ipſa ultionis modo divino contigiſſe negaret? Hinc NEAPOLITANI novi regis in laudem, ut Trojani Paridis in nuptiis, non quia perpetratione violentiæ gaudebant injuſtè, ſed quia venturæ tribulationis ignari gaudiorum ſatagebant inſiſtere feſtis. Campſores igitur etiam pecunias per platearum theatra ſparſerunt. Hæc igitur tam grandis & horrenda in regni capite, puta Neapoli, inchoata turbatio, totum regnum, cunctas per ipſius provincias diſperſa, magno concuſſit horrore. Unde effuſa eſt contentio ſuper principes, & eorum plurimi, cum civitatibus, caſtris, omnibuſque ſubjectis contra KAROLUM inita conjuratione ſunt ei rebelles facti. Cumque Neapolitani, inter ceteros captivos, Teutonicos, in odium Ducis OTTONIS maximè exoſos haberent, omnes eos poſtulabant occidi. Plurimos enim ex eis, licet Duci nihil auxilii præſtiterint, ſolummodo nationis cauſſa trucidabant. Unde multi eorum, inter alios populares mechanicis artibus inſudantes, ut aliàs degentes ibidem, ab honeſtis mulieribus miſericordia motis intra ciſternas & cellaria occultabantur, donec primi tumultus furor quieſcebat. Rex KAROLUS, videns Neapolitanorum animos in Teutonicorum necem obſtinatos, nec eos flectere valens, nec eis reſiſtere audens, commiſit VILLANUCIO militi, duci exercitus ſui, ut in hoc articulo quid expediret protinus ordinaret. Quapropter VILLANUCIUS cunctis Teutonicis cum Duce OTTONE captis congregatis in unum, ſingulis eorum arma ſua reddidit, & convenientibus eis in planicie, ante caſtrum novum, quæ Carreria dicitur, VILLANUCIUS Neapolitanis dixit, ut Teutonicos apprehenderent, ſi placeret ipſis occidere eos. Neapolitani verò tanto ſe recuſantes ſubmittere periculo, ut Teutonici illi extra regni confinia ſalvi diſcederent, conſenſum præbuerunt. Quapropter rex KAROLUS quibuſdam galeis aptatis eos extra regni ſui diſtrictum ſalvos perducere fecit.

Digitized by Google

CAPUT LXXVII.

CUM igitur hujuſ-modi geſtorum fama, per plurimas mundi partes diffuſa, ad regnum Franciæ miranda pervenit, LODEWICUS Dux Andegavenſis, verum regni Siciliæ, poſt ipſius reginæ Johannæ deceſſum, ſe arbitratus hæredem, congregavit exercitum magnum, caſtra fortia valdè, & quemadmodum Rex ANTIOCHUS contra Machabæos procedens, ærarii ſui clauſtris apertis, larga ſtipendia præſtans, regni Siciliæ poſſeſſionem, KAROLO & cunctis ei faventibus invitis, ſe capturum manu potenti aſſumſit. Ipſe igitur iter arripiens ad Antipapam regiæ coronationis cauſſæ Avenionem magna cum pompa properavit: & deinde poſtquam de facto coronatus eſt, verſus Italiam tendens tantum ſibi collegit exercitum, ut principem aliquem tantam gentium multitudinem, tam longinquas ad partes, tanto traduxiſſe decore hominum memoria nulla comprehendat. Nam plurimi de ipſa referentes, audientium quaſi mendaces incidere deriſum: alii enim ex centenis, alii ex ſexagenis lancearum millibus: alii ex tot milibus armatorum eam conſtitiſſe contendunt. A quodam tamen, qui ſe de eodem exercitu fuiſſe fatebatur, intellexi, quod idem Dux dum verſus Italiam tendens Avinionem exiverat, habebat duodecim millia equitum: antequam verò ad regnum Siciliæ pervenit exercitus ejus amicorum ſuorum confluentia, & ſtipendiorum prodigalitate ſic crevit, ut Apuliam ejuſdem regni provinciam cum ſeptuaginta quinque milibus equitum cenſeretur inire. Ipſe igitur cum tanta veniens poteſtate, per KAROLO rebelles in regem & dominum ſuſceptus eſt. Unde ſeditiones & guerræ per cunctas ipſius regni provincias ſunt multiplicatæ. His itaque aliquandiu continuatis, Dominus URBANUS Papa Romæ exiſtens, regnum prædictum, ob diſcordiæ gravitatem langueſcens, abundantia pacis ſatiare deſiderans, ut principes & nobiles regni redderet unanimes, ad regis KAROLI profectum & contra LUDOVICUM Ducem, jam in exercitu ſuo fame & peſtilentia debilitatum, verſus Neapolim ſe direxit. Cumque rex KAROLUS, juramentis & pactis, Papæ tempore coronationis ſuæ præſtitis & promiſſis, non uſquequaque ſervatis, Papam verſus Neapolim iter arripuiſſe cognovit, ipſe Papam ob ſuæ perturbationis, & conſanguineorum Papæ promotionis cauſſam venire ſuſpicatus, æmulorum Papæ conſilio, Papæ vi doloque reniti decrevit. Unde Papa civitati Averſanæ appropinquante, KAROLUS egreſſus obviam ei, oſculis inde lætitiam ſimulans, ipſum cum reverentia dolis plena ſuſcepit. Hinc KAROLUS equi Papæ manu propria apprehenſis habenis, Papam ad ipſius civitatis caſtrum ducere ſatagebat: ſed Papa, ne forte ſibi liber abſceſſus abinde non pateret, caſtrum aſcendere renuit, ſed curiam epiſcopi, rege quodammodo invito, adiit. Rege igitur illa, quæ pro cœna fecerat parari, ad curiam epiſcopi mandans deferri, ibidem cum Papa, lupina mente agni vellere tecta, cœnavit. Nam die ſequenti tranſacta, quæ fuit vigilia omnium ſanctorum, de anno Domini MCCCLXXXIII. noctiſque ſequentis per urbem diffuſa caligine, rex damnoſo conſilio circumventus, ad curiam, in qua Papa reſidebat, quoſdam viros armatos dirigens, Papam ad ſe venire mandavit: Qui cum illam horam, ſe ad regem venire poſtulari, illi horæ, qua Judæi CHRISTUM comprehenderunt, aſſereret, illi qui miſſi fuerant, in Papam manus violentas mittere tentant. Unde Papa quaſi malefactor ductus eſt, & nihilominus ſe ducentes excommunicatos denunciat, eoſque ut ſacrilegos voce libera damnat. Et poſtea expertum eſt, quòd principis illius manus & latus dextrum, qui manus primùm miſit in Papam, eodem anno exaruerunt. Tribus itaque diebus Papa ſolatio & conſilio deſtitutus, totaque ejus curia perturbata in caſtro cum rege permanſit invitus. Et tandem concordatis eis, Papa & rex Neapolim ſe in magna ſolennitate transferebant, & in caſtrum novum ſe ſimul receperunt. Deinde poſt paucos dies, Papa ad Archiepiſcopi curiam ſe transferens, actus Romanæ curiæ conſuetos, craſtino octavæ Epiphaniæ Domini inſtituit continuari. Procedente verò tempore, dum Sol gratiores dies produxit æſtivos, KAROLUS, quaſi contra Ducem LODEWICUM pugnaturus cum exercitu magno profectus eſt, & in Apulia ferè per totam æſtatem reſidebat. Inter hæc Papa futurorum providus caſtrum quoddam egregium Nuceria, vel Luceria, Chriſtianorum appellatum, à Neapoli per XXIV. milliaria diſtans, frumento, vino, & aliis victualibus ſufficienter præmunivit, & in menſe Junio illuc ſe cum curia ſua transferebat, ſub quo burgus erat vix ſeptuaginta

ginta domos habitabiles continens, qui muro, duas habente valvas & portam parvulam, abſque foſſatis, cingebantur: quapropter non ſolùm ob incommoditatem, verum etiam penuriam hoſpitiorum curiales tæduit ibidem trahere moram. Unde locum ipſum, cum in diœceſi Salernitana tunc extitit, quidam ſubſannativè Miſeriam Sauratæ, quod lingua vulgari Stultæ vel tædioſæ ſonat diœceſis, appellabant. Papa igitur ſedem Apoſtolicam inſtaurans ibidem, caſtrum ipſum in literis Apoſtolicis caſtrum civitatis Luceriæ Chriſtianorum appellari decrevit. Accidit deinde ſeptima die menſis Auguſti, circa horam diei ſextam, quòd fumo quodam, non longè ab eodem caſtro, in montibus aſcendente, quidam gentes, neſcio quas, armatas ſuſpicati fore propè, rumorem magnum de inimicis jam propè exiſtentibus, ad deprædandum Curtiſanos accelerantibus, concitaverunt: quarè perturbatis omnibus, Cardinales, epiſcopi, prælati, nec non penè curtiſani omnes, verſus loca diverſa fugiendo feſtinabant: ſed quia non erat, ut fama detulerat, poſt dies paucos reverſi ſunt. Poſt hæc die, inter regem Karolum & Lodewicum Ducem Andegavenſem decreto, veniente, quo eorum guerræ importunitatem belli conflictu ſopirent, Dux ſuper rivum quendam in campis patentibus caſtrametatus eſt, & rex Barletum, ſeu caſtrum Baroli exiens inter vineas exercitus ſui caſtra diffudit. Cumque ſic triduo utroque exercitu ſtante neuter contra alterum aciem dirigeret, Dux LODEWICUS, victualium compulſus penuria, locum mutans ad loca, quæ propè tenuit munita, ſeceſſit. Mortuo duce Andegavenſi Dux OTTO ſolvitur à carcere, & in quodam caſtello ſub bona fide liberè verſari permittitur. Et tandem rex miſſis quibuſdam armatis jubet eum adduci ad ſe, quod fideles Ducis Andegavenſis defuncti explorantes inſidias per viam poſuerunt, & cum juxta ſe Dux OTTO deduceretur, ipſi ab inſidiis erumpentes Ducem OTTONEM liberant, & fugatis his, qui duxerunt eum, ipſum ſecum abducunt, & ipſe Capitaneus eorum factus eſt: ſed non diu eo tempore cum ipſis perſeveravit.

CAPUT LXXVIII.

INter hæc Dominus URBANUS Papa regnum Siciliæ volens de quodam gravamine, puta de gabellis vini, quæ KAROLUS vendentibus vinum indixit, relevare, mandavit, ne quis vinum vendentium de-cæterò regi gabellum ſolveret ſub pœna excommunicationis. Unde gabellum in vulgo dicitur certa quota quæ datur de certis vaſis vel menſuris vini vendendi domino terræ, vel communi civitatis. Quapropter Domina MARGARETA regina uxor KAROLI, rege nondum de partibus Apuliæ reverſo, hujuſmodi Papæ edictum moleſtè ferens, Papæ clam moliebatur obeſſe. Quia igitur, ampliato concilio, ipſa perpendens, nullam peſtem inimico familiari magis eſſe nocivam, illos Papæ domeſticos, de quibus ſcriptum eſt: (*Amos. 6.*) Væ vobis qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraelis: ad ſe fraudulenter attraxit, qui magis ſemetipſos, quàm gregem dominicum paſcere curantes, ſuper Romanæ curiæ de Luceria tranſlatione, etiam exitio Papæ mediante ſi fieret, propter habitationum aliarumque rerum mundanis delectabilium notabilem ipſiſque intolerabilem defectum, conſilia plura ſunt exorſi. Quapropter illo dicto Cayphæ: Expedit ut unus homo moriatur pro populo, propoſito, juxta illud quod ſcriptum eſt, Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: venite ergo, & fruamur bonis: circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius & operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ: contumelia & tormento interrogemus eum, morte turpiſſima condemnemus eum: contra URBANUM Papam conſpirationem temerè ſtatuere complendam. Hinc eſt quod quinque Cardinales videlicet Comenſis, Tarentinus, de Sangra, Januenſis & Venetianus, prout poſtea quibuſdam officialibus Papæ revelatum eſt, unde ad me notitia hujus facti devenit, quia de familia Cameræ Apoſtolicæ tunc extiti, (*Vide Theod. à Niem de ſchiſmate lib. 1. cap. 42. ubi rem longè aliter narrat.*) infra ſcripto modo procedere determinabant: quilibet eorum, die ad hoc inter ſe condicto, quando ad ipſum caſtrum conſiſtorium Papæ juxta morem adjutoriis adſcenderent, duodecim familiares armatos, longis veſtimentis arma tegentes, ſe facerent anteire, qui cùm forent in caſtro congregati tumultu inopinato excitato, contra Papam impetu facto eum caperent, & de caſtro ad eccleſiam S. Franciſci ſub eodem ſitam deducerent violenter.

Et

Et ibi certi articuli Papæ deberent objici, quibus reſpondere cogeretur: & deinde qualitercunque reſponderet, vel ſi non reſponderet, falſi producerentur contra eum teſtes, quibus ipſi articuli probarentur: & articulis ſic probatis Papa tanquam hæreticus condemnaretur puniendus, & ſtatim ſententia per ipſos Cardinales tanquam per collegium ſic lata, executio ejuſdem per ignem fieret ibidem: & deinde Cardinales illi, reliquos hujus conſilii ignaros, vel ſaltem conſenſus innoxios, aut quia Karoli regis poteſtatem, in cujus regno reſidebat, timerent, aut quia ſtatum liberiorem voluntati, delectabiliorem corpori, ac pompoſi mundi gloriæ habiliorem ardenter affectarent arbitrantes hoc factum approbare, alium, quem jam determinabant Papam, Karoli regis & reginæ confiſi poteſtate crearent. Cumque hujusmodi contra Papam clam molirentur inſidias, labiis eum glorificabant, cor autem eorum longè fuit ab ipſo. Et licet ipſi de ſapientioribus mundi erant præcipuè reputati, omnis ſapientia eorum devorata eſt dum ſuum à Domino abſcondendo conſilium hujusmodi cogitationem ſuam non judicantes eſſe perverſam, illud Jeſaiæ (*c. 30.*) non timuerunt: Væ vobis filii deſertores, ut faceretis conſilium & non ex me; & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, ut adderetis peccatum: ſuper peccatum qui ambulatis, ut deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti. Quapropter in eis completum eſt illud, quod ibidem ſubditur, & erit vobis fortitudo Pharaonis, videlicet Karoli, in confuſionem & fiducia umbræ Ægypti, ſcilicet regni Siciliæ, in ignominiam: dum ut eis per Prophetam (*Amos* 6.) dictum eſt, migraverunt in capite transmigrantium. Nam Deus, qui conſilium, quod Achitophel contra David Christum Domini dedit, Chuſi miniſtrante infatuari voluit, prædictam conſpirationem contra urbanum Papam factam volens fruſtrari, diſpoſuit, quòd quidam de cæteris Cardinalibus in conſpirationem hujusmodi conſentire tentatus, quendam Secretarium ſuum, ſuper hoc cautè conſuluit, qui neſciens ſe in hoc facto horribili expedire, domino ſuo Cardinali, ut alium quendam virum literatum conſuleret, protinus ſuaſit. Cui cum Cardinalis hujusmodi conſpirationem detexit, ille conturbatus reſpondit: nihil eſſe ſalubrius, quàm Papæ illud ſine dilatione revelari. Cardinalis igitur timens, ne forte quisquam eum in hoc præveniret, & ipſe conſpirationis illius reus diceretur, ad præſentiam Papæ ſe contulit, & per ordinem hæc omnia recitavit. Papa igitur hoc audiens, non immeritò ſtupefactus remedium cogitavit apponere. Cumque die Veneris, quæ tunc decima tertia menſis Januarii futura erat, iſtud juxta conſpiratorum condictum perfici debuerat, Papa die Mercurii præcedente, quæ erat XI. ejuſdem menſis, videlicet anni nativitatis Domini MCCCLXXXV. hoc diſturbium volens prævenire dominum Franciſcum, principem Capuæ, nepotem ſuum, ad ſe vocavit, & ea quæ ſibi revelata erant, ei ſecretius intimavit, ut ſibi de fidelibus ſuis armatis ad hunc diem cautius provideret. Venientibus igitur Cardinalibus eodem die ad præſentiam Papæ, more conſueto, Cardinales de conſpiratione prædicta accuſatos, cæteris licentiatis, ad Cameram ſuam Papa convocavit. Cumque Papa de conſpiratione hac eos impeteret & penitus eam negarent, Papa commiſit eos nepoti prædicto examinandos. Ipſi verò dum chordarum tormentis afficerentur, crimen ipſum confeſſi ſunt, ſed Dominus Adam, Cardinalis de Anglia, cum eis comprehenſus, dum tormentis ſubdebatur, conſilium reliquorum ſe ſciviſſe, non tamen eis conſenſum præbuiſſe dicebat. Sed quia ſcitum non revelavit, quaſi favens conſpirationis ſceleri unà cum aliis carceribus mancipatur. Cùm igitur illud Jeremiæ: (*cap. 8*) Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum: confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt: in eis Papa conſiderabat impletum, ipſe, quia talibus, prout ſequitur, dominus promiſit: propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum heredibus, adimplere non tardans, ipſos dignitatibus, honoribus & beneficiis omnibus privavit. Familiaribus verò eorum hinc inde diſperſis, domibusque eorum publicatis, contra Papam (prout temporibus Cyri contra Danielem ob ſacerdotum populum ſeducentium captionem factum eſt) non modicus tumultus eſt ortus. Nam amici Cardinalium detentorum, una cum æmulis Papæ, ad hoc regina Margareta connivente, Papam obſidione vallabant. Sed quia priusquam Cardinales detinebantur, videlicet die Lunæ præcedente, Dominus Petrus de Lupis, præpoſitus eccleſiæ Januenſis, miſſus per Papam de Lu-

Digitized by Google

de Luceria cum quibuſdam gentibus armorum Beneventum ad monaſterium S. Sophiæ caſtri Beneventani in traditione ſibi negata recepit, ego de familia ejuſdem præpoſiti tunc exiſtens circa præmiſſorum, & infra dicendorum veritatem experiendam, præcipuam adhibui diligentiam. Unde accidit quod quadam nocte menſis Aprilis talem ibidem viſionem habui. Jubebar, cujus neſcio, præcepto aſcendere turrim monaſterii S. Claræ in Neapoli, & perſpicere civitatem: & cum ſic ſtarem in ſummitate turris mare intumuit contra civitatem procellis magnis, & ego perpendens ædificiorum civitatis ipſius magnificentiam lacrymabar & civitatem ipſam perituram amaro corde deflebam. Et quòd hæc viſio non fuit inanis, ſequentia plenè declarant. Dum enim Dominus Urbanus regem & reginam prædictæ conſpirationis conſcios fuiſſe cognovit, ipſe citavit eos, & in pœnam contumatiæ contra eos ritè procedens, ipſos excommunicavit & usque ad quartam generationem maledixit: honoribus & dignitatibus & præſertim Jeruſalem & Siciliæ regnis, tanquam dominus feudi, & etiam ut ſummus Pontifex eos privavit, ac ſtrictiſſimum interdictum Neapoli, & in terris aliis ei adhærentibus ſervari mandavit. Quapropter de conſenſu reginæ, rege non præſente, Papæ propinquis & amicis Neapoli habitantibus captis, rebusque & bonis eorum diſſipatis, in caſtro Luceriæ eſt Papa obſidione fortiori concluſus. Inter hæc rex Carolus de partibus Apuliæ Neapolim reverſus, clericis ſub carceris & rerum omnium perditionis pœna celebrare divina publicè contra mandata Apoſtolica diſtrictè mandavit: quare quibuſdam eorum, paucis tamen, inde recedentibus, multi, & præcipuè religioſi, regi plus, quàm Papæ, parebant. Multiplicato inter hæc exercitu Papam obſidente, capta eſt civitas Luceriæ, non ſine Papæ fidelium cæde. Et deinde erectis machinis, bombardiſque oppoſitis, ingentia ſaxa emittentibus nec non crebris baliſtarum ſagittis caſtrum impugnatur, & capto exteriori muro caſtri hortus magnus ipſius caſtri per adverſarios Papæ occupatur. Erat autem caſtrum alio quodam muro alto, quo arx, quæ vulgo Rocka dicitur defendebatur, undique cinctum. Cum verò Papa, ut ſic plurimum ſuorum deſtitueretur auxilio, licet ſperaret in Domino, & hoc dictum ſapientis: (*Eccleſiaſtici cap, 2.*) Nullus ſperavit in eo, & confuſus eſt, verum eſſe non dubitaret, tamen ne Deum tentare videretur, humana ſubſidia ex locis diverſis epiſtolarum ſecretarum miniſterio ſibi procurare non diſtulit. Unde Januenſes Papæ fideles, prout temporibus retrò actis ſæpius eccleſiæ Romanæ auxiliis aſtiterunt, decem galeas armatas ſibi deſtinare feſtinabant. Præterea dominus Raymundus de Baltzio, filius Comitis de Nola, famoſæ ſtrenuitatis miles, perlectis ſibi per Papam directis epiſtolis, ad deſtructionem Caroli totus anhelans, ſe per terram Papæ auxilia præſtiturum eſſe ſpoſpondit. Erat igitur in partibus illis quædam gentium ſeu prædonum collectio, qui congregationem ſuam ſocietatem ſancti Martini appellabant. Hanc dominus Raymundus de theſauro Papæ largis datis ſtipendiis ſub fide ſibi aſſocians, ad viſitandum Papam ſe verſus Luceriam manu potente direxit: Sed quia hujus ſocietatis capitanei, magnorum munerum à Carolo promiſſione corrupti, Raymundum in manus ipſius Caroli tradere jam conſpirarent, Raymundus caſtris Papam obſidentibus una cum ſocietate prædicta appropinquans, adverſariis de caſtris ipſius in magna ſibi multitudine occurrentibus eos, quos adjutores adſumſit, fallaces invenit. Unde ipſe in tali conſtrictus articulo, cum ſuis fidelibus ſe contra occurſantes dirigens, animoſus equum ſuum coëgit in curſum, & ſic ſuorum fidelium adjutorio fultus, in propriæ perſonæ ſtrenuitate, ac equi ſui ferocitate, qui naturali quodam inſtinctu, lanceas adverſariorum, nunc dentium morſibus, nunc pedum ictibus collidens in fruſta, inter conflictuum preſſuras, à ſe mirabiliter prohibebat acceſſus, diſrumpens acies, cum paucis ſuorum, licet pede ſagitta vulneratus, pervenit ad caſtrum. Illos verò Raymundi traditores, dum fugam ſimulabant, Franciſcus princeps, nepos Papæ, ad caſtrum Scaphati eorum ſalvationis cauſſa recepit, qui videntes ſe non poſſe traditionem Raymundi perficere principem prædictum cum ipſo caſtro Carolo tradiderunt. Inter hæc Raymundus cum Papa in caſtro perſeverat. Et poſtquam cum Papa de modo redimendi Papam concordavit, cum ſuis noctu de caſtro receſſit, & ad Dominum Thomam de S. Severino militem ſtrenuiſſimum, exercitus per Ducem Andegavenſem defunctum relicti capitaneum, ſe conferre feſtinavit, & cum eo qualiter ad deſtructionem Caroli Papam ab obſidi-

Digitized by Google

obſidione liberarent, largiſſima promittens ſtipendia, ex parte Papæ finaliter ordinavit. Hac itaque obſidione durante, Pheolus Citrulli, capitaneus quidam partialitatis roſæ rubeæ, Carolo, qui partem albæ roſæ foverat, occaſione partialitatis obeſſe deſiderans, magno peditum baliſtariorum & aliorum armatorum conflato exercitu, caſtrum obſidionis irrupit, & ad caſtrum Luceriæ, adverſariis Papæ invitis, aſcendit, & brevi cum Papa habito colloquio feſtinè recedens, majorem priori ad redimendum Papam collegit exercitum. Interea Petrus Tartarus, abbas montis Caſſini, Caroli conſiliarius præcipuus, in propria perſona contra Papam in caſtro obſidionis cum multis armatis ſe recepit. Hic ad deſtructionem Papæ omnem quam potuit diligentiam adhibens, ſic omnes ipſius caſtri vias obſervari diſpoſuit, ut penè nullus aut accedere caſtrum, aut ab eo de nocte recedere poſſet, & ſi quos accedentes aut recedentes hujuſmodi capi contigerat, eos idem Abbas variis tormentis affecit. Unde quidam curſor nomine Petrus, natione Beneventanus, cum literis Papæ ſecretis de caſtro nocte deſcendens, comprehenſus, manibus & pedibus ſibi colligatis ſacco imponitur, & more ſaxi cum machina verſus caſtrum jacitur: qui cum tantæ molis, prout inſtrumenta jactus exegerant, minimè fuerat, ad intra caſtrum non pertingens, extra murum colliſus in fruſta cadebat. Propter hanc inhumanitatem & crudelitatem nimiam, villani circum morantes in caſalibus à longè, qui usque ad prædicti Abbatis adventum ſæpius victualibus ad muros ipſius caſtri clam venditionis cauſſa deductis, fovebant obſeſſos, nequaquam caſtrum accedere de cætero præſumebant. Hinc victualium & præcipuè vini inſtante penuria, multi cum Papa exiſtentes in caſtro cotidianis tritici bulliti pulmentis, & aqua cum eodem ad modum cereviſiæ cocta, aut aqua mixta cum aceto ſe ſuſtentare curabant. Et quamvis per ſingulas dies caſtrum hoſtiliter impugnabatur, nunquam tamen toto obſidionis tempore aliquis de his, qui caſtrum ab intra defendebant, gratia eos protegente divina, adverſariorum jaculis aut ſagittis occubuit: quamvis per ipſius montis declivitatem ſæpe deſcendentes in armis, fundis jaciendo lapides dimicabant: plures tamen eorum ſagittis vulnerati ſunt. Sed quidam ſcriptor literarum Apoſtolicarum, natione Beneventanus, quadam vice ad hoſtium caſtra incaute deſcendens, in campo interfectus eſt. Interea dominus Pileus Cardinalis de Ravenna, qui legatus Domini Urbani in partibus Alemanniæ fuerat, & dudum, dum adhuc Papa Neapoli reſidebat, de legatione reverſus, Cornetum civitatem ex parte Papæ regendam ſuſceperat, cum duabus galeis de Corneto Neapolim venit & Carolum tanquam regem, licet depoſitum & excommunicatum, reverenter viſitavit. Et deinde ſub ſpecie concordiæ inter Papam & Carolum per ſe faciendæ verſus Luceriam cum magna comitiva ſe direxit: Sed quia niſi Papa certos obſides ſuis amicis de caſtro traderet pro libero ejus ab inde receſſu obtinendo caſtrum intrare renuit, Papæ ſuſpectum ſe reddidit, & Papa non ſalutato receſſit. Cumque circa initium obſidionis illius multi timore perculſi Papam dereliquerunt, & de reliquis, dum eorum in Deum fiducia aquarum potu, tribulationis tempore probaretur, pauci & pro majori parte clerici, belli & armorum inexperti, ut cum Gedeone lambentes aquam cum Papa manſerunt. Aquis igitur anterioris ciſternæ, circa portam pene exhauſtis & victualibus deficientibus, & obſidione jam penè menſibus quinque continuata, Papæ adverſarii caſtrum fortius impugnantes, exercitus pro redemptione Papæ adventuri vehementer timidi, ipſum Dominum Urbanum Papam cum ſuis exitio gravi periturum ſtridoſis vocibus minati fuere dietim, quaſi cum Rabſace exprobrando & blaſphemando dicerent: Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum ſuper Ægyptum, videlicet, exercitum olim Ducis Andegavenſis, cui ſi innixus fueris intrabit manum tuam, & perforabit eam. Et ſi reſponderis in Domino Deo noſtro confidimus: nonne ipſe eſt, cujus eccleſiæ excelſa luminaria, ſcilicet, Cardinales abſtuliſti? Quapropter Papa in orationibus ad Deum, cum ſpe firma, ut Ezechias, aſſiduè ſuos animis fore conſtantes de ſuccurſu celeri divinitus ordinando non diffidentes eſſe debere diligenter admonuit, quendam Dei hominem virum religioſum, Nicolaum nomine, ſecum continuè commorantem intimè ſibi dilectum, ſuper orationibus pro ſe ſuiſque fundendis ad Deum effectu ſpeciali requirens, qui ſuccurſum fidelem adventurum ſibi, ut Iſaias Ezechiæ, Deo diſponente ſpopondit.

Eo tempore, quo Papa prædictis tenebatur anguſtiis, ut Chriſti fideles, ad liberationem ſummi Pontificis, ſi contingeret eum de-cæterò ſimilia perferre incommoda, anhelarent, malignantes in ſummum Pontificem, pœnis pluribus, ultra pœnas à Bonifacio octavo promulgatas in tales, innodando, ſub Bulla decrevit: quod ſi in futurum ſummum Pontificem, obſidionis aut captivitatis modis prædictis, aut ſimilibus vexari contingeret, omnes Chriſtiani nominis profeſſione gaudentes, propè locum obſidionis, aut captivitatis, ad decem diætas circumquaque morantes, ſub certis pœnis, in ipſo ſtatuto ſuper his edito, contentis, aut in perſonis propriis, aut rebus ſuis, juxta facultatem ſuam, teneantur Papæ præbere ſuccurſum. Et qui in hoc ſe juxta ſuum poſſe fideles exhibebunt, eaſdem indulgentias, quas ſedes Apoſtolica, contra Chriſtiani nominis hoſtes, ad terram ſanctam concedere ſolet tranſeuntibus ad plenum conſequentur. Hanc conſtitutionem ego legi & vidi bullatam poſt liberationem in Minorbino civitate Apuliæ. Item dominus Urbanus in eodem caſtro Luceriæ prima die menſis Maji declaravit, quòd Clerici cujuscunque ordinis contra Karolum de Duracio, & gentes ſuas pro defenſione ipſius Domini Urbani, & aliorum exiſtentium infra caſtrum Luceriæ bellantes, ſi contingeret eos occidere aliquem, vel membro aliquo mutilare, nullam ſententiam excommunicationis vel irregularitatis incurrerent, & illa indulgentia illoque privilegio gaudere deberent, quibus gaudent euntes in ſubſidium terræ ſanctæ. Et hoc idem declaravit de eis, qui ante illam diem aliquem de prædictis occiderunt, aut mutilaverunt.

CAPUT LXXIX.

A Decima die menſis Januarii, cujus undecima die Cardinales capti ſunt, ut prædixi, & per totum tempus, quo maledictionis filii & Pharao nolens dimittere populum Domini, niſi in manu forti, durati prædictis contra Papam machinationibus inſtiterunt, ego in ſervitiis Cameræ Apoſtolicæ in civitate Beneventana, à Luceria Chriſtianorum quaſi per triginta miliaria Italica diſtante, donec cum Papa illo veniente abinde receſſi, morabar, ſuper quam quatuor judicia Dei peſſima, per Prophetam tranſgreſſoribus fidei comminata, pleniùs inducta perpendi. Cùm enim domina Johanna olim regina ſupradicta adhuc regni Siciliæ poteſtate fungebatur, civitas Beneventana tam in temporalibus, quàm in ſpitualibus Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubjecta, variis affluens delitiis, hominum multitudine fulta, tanta dicebatur eminentia claruiſſe, ut penè civitates ſingulas ipſius regni portu marino carentes ſua venuſtate præcellere diceretur. Poſtquam verò Johanna devicta, Dux Andegavenſis intravit fines Apuliæ, ſuper ipſam civitatem per ipſius Ludowici Ducis prædicti, & ſuorum diverſos exercitus de foris judicium gladii conſtat inductum. Intrinſecus verò, civibus ipſis ſeditiones concitantibus, gladii judicium fortius invaluit: cùm propter execrabilem partialem contrarietatem, quæ per cunctas ipſius regni partes diffuſa plurimas civitates evertit, cives Beneventani alii de parte Roſæ albæ, alii de parte Roſæ rubræ ſe aſſerentes, inter ſe invicem ſub gravibus perſonarum & rerum diſpendiis, certamina ſæpe foverunt: tandem pars rubra, alias per albam partem expulſa, extraneæ gentis procurato juvamine prævalens, dum adhuc Dominus Urbanus Papa Neapoli reſidebat, illos, qui partis albæ fuerant, de civitate violenter evulſit. Illi verò ſic evulſi deforis ſuæ partis fidelibus congregatis, porta civitatis ſub caſtro ſita ſibi clam aperta, civitatem ingreſſi ſuper adverſarios repertos inermes magna ferocitate irruerunt, & miſerabili in eos cæde bacchantes, civitatem obtinuerunt. His itaque modis burgis civitatis ab utroque latere deſtructis, domibusque & bonis expulſorum intra civitatem deſolatis, & hinc inde diſtractis, civitas ipſa in tantum erat deſerta, quod eo tempore vix quarta pars civitatis inhabitabatur. Dumque anni præcedentis æſtate priuſquam hujuſmodi diſſenſio dictum ſortiretur effectum, gravis peſtilentiæ morbus plurimas partes mundi inficeret, Beneventus plurimis habitatoribus ſibi eodem morbo ſubtractis, judicium ſecundum, videlicet, peſtilentiæ ſuper ſe miſſum eſſe perſenſit. Cum verò eodem tempore gentes Ducis Andegavenſis propè Beneventum loca munita tenentes quaſi per ſingulos dies cauſſa prædæ Beneventanis vagabantur in campis, cives ipſi infra biennium nullum penè de agris ſuis aut vineis percepére profectum: quapropter civitatem ipſam in tantum judicium DEI tertium, puta fames oppreſſit, ut pauperes

peres & mediocres caſtaneis, fabis, & fructibus aliis cum magna penuria ſe ſuſtentarent, qui non pecuniis abundabant, comederunt in pondere panem. Unde rotulus panis, qui ponderat uncias XXXII. aut circa pro quinque granis emebatur. Rotulus quidam per ipſum regnum genus ponderis eſt, & granus genus numeri, videlicet ſex denariis parvulis conſtans. His verò famis anguſtiis perſeverantibus judicium quartum, ſcilicet, beſtiarum ſuper civitatem ipſam perpendi patenter inductum: cum lupi circum civitatem ipſam in tantum hominibus erant infeſti, quòd promiſcui ſexus homines ſeptem de locis circumvicinis exiſtentes illa devorabant æſtate. Unde die quadam, tempore meſſis, me unà cum multis aliis ante portam civitatis ſtante, lupus quidam ferocitatis ingentis in pueros propè civitatem ludentes in area vehementer inſiliens, quendam puerum quaſi ſeptem annorum dentibus arreptum per macerias vinearum velut agnum ſaltibus feſtinis evexit, ſed quidam meſſores occurrentes puerum jam fermè mortuum de faucibus ejus repentè eruerunt, qui ſic ſemivivus ad civitatem deductus, à morſibus lupinis, quos tantum in collo ſub occipite ſuſceperat, ſalvus factus eſt. Cum igitur Beneventanos de ſalute deſperantes, hujuſmodi anguſtiarum diverſitas cujuſcunque ſceleris exacerbaſſet in præceps, nobis, qui ex parte Cameræ Apoſtolicæ degebamus ibidem, non minor propter ambiguas traditorum inſidias periculi mortis timor incubuit, quàm his quos cum Papa cotidie in caſtro Luceriæ manifeſtus inſultus hoſtilis angebat.

CAPUT LXXX.

TANDEM cum quinta die menſis Julii, & tota nocte ſequente, gentes Karoli, defenſores Papæ propiare ſcientes, caſtrum omni modo, quo potuerunt, tam hoſtiliter impugnabant, Papa cum Ezechia non immerito dicere potuiſſet: dies tribulationis, & correptionis & blaſphemiæ dies hæc: quia venerunt filii uſque ad partum, & non eſt virtus pariendi: bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe: qui populo ſuo afflicto in Ægypto providit ſuper ductore maris & deſerti, ſe providiſſe de ductoribus clementer oſtendit. Nam Raymundus de Baltzio & Thomas de S. Severino milites ſupra-dicti cum gentibus exercitus Ducis Andegavenſis defuncti, aliiſque diverſis de partibus Calabriæ & Apuliæ collectis, nec non Pheolus Citrulli ſupra dictus, cum multis de terra Laboris, præcipuè peditibus baliſtariis, pro redemptione Papæ ſe verſus Luceriam potenti manu tranſtulerunt. Sed quia per iter anguſtum, montibus altis undique cinctum, eis in certis locis erat tranſeundum, Karoli fideles, ſagittariorum copia loca anguſta occupantes, tranſitum eorum prohibebant: Unde variis innisi conſiliis, tandem cuſtodes montana circumeuntes auro corrumpentes, per ſylvam quandam viam latam ſecuerunt, per quam tranſeuntes, gentes Karoli anguſta loca occupantes, ſic conturbaverunt, quòd omni reſiſtentia ſepoſita caſtra obſidionis fugere feſtinabant. Unde caſtris conturbatis, & omnib. Papæ adverſariis hinc inde diſperſis, caſtrum cum Papa tenentes fame fatigati, victualia cum armis adverſariorum in campo relicta, ad ipſum caſtrum detulerunt. Advenientibus igitur propugnatorum Papæ victricibus caſtris Raymundus cum quibuſdam fidelibus caſtrum adſcendit, & ad præſentiam Papæ ſe contulit, ordinatiſque vigilantibus excubiis, undique nocte ſequente exercitu caſtrametante, ſeu verius adverſariorum caſtra in campis occupante, cum Papa remanſit in caſtro. Manè igitur diei ſequentis, quæ erat dies Veneris, ſeptima menſis Julii, Papa ſupellectile ſua beſtiis impoſita, & caſtro deſcendens, Cardinales quos vinculis detinebat ſecum deducendo cum univerſo exercitu verſus Salernitana campeſtria ſe direxit, & in tranſitu illo adverſarii viribus reſumptis Papam in locis anguſtis tentant impugnare: ſed Papa pertinacia eorum non obſtante tranſiit non tamen ſine rerum ſuarum diſpendio, quas in repellendo adverſarios prædictos milites & pedites ſui exercitus quaſi furtivi ſuſtulerunt. Cumque prope Salernum caſtrametati ſunt, quidam eorum de ſtipendiis certificari volentes, nec Papam poſſe ſatis facere arbitrantes, occaſionem de fide ſibi non ſervanda ſumere conabantur & eum niſi cautionem præſtaret ſufficientem Avenionem, qua reſidebat Antipapa, perducere proponebant. Sed Dominus Raymundus cum Italicis & Teutonicis fidem ſibi ſervare ſatagens noluit aliquo modo illis conſentire: Unde ſic eis diffidentibus Papa ſolvit prompte XI. milia florenorum, & XXVI. milibus ſub fide & cautione pignoratitia ad certum tempus dandis promiſſis,

Digitized by Google

miſſis, poſt triduum abinde profectus ad caſtrum Flumeri ſe recepit. Et deinde Francigenis & Britonibus, ac de Italicis licentiatis plurimis, Raymundum cum ſuis Italicis fidelib. & Teutonicis, videl. trecentarum lancearum comitiva retinebat. Hinc ſtatim Beneventum ad Antonium Bulcanum militem Neapolitanum, conſanguineum ſuum, & Dn. Petrum de Lupis theſaurarium Cameræ Apoſtolicæ ibidem, directis epiſtolis eis, ſe Beneventum venturum indicavit, de quo cives Beneventani malè contenti variis ſecretè ſunt uſi conſiliis, qua poſſint Papæ acceſſum occaſione fruſtrari. Sed cum fraudem cum nullo ſe noverant palliare colore quidam eorum, puræ traditionis modo, quadam nocte, prout Papa fidelibus ejuſdem noctis ſero revelabatur, civitate Papæ adverſariis tradita, Papæ fideles repertos ibidem decreverant dare morti. Unde Anton. miles prædictus, de hoc plenius informatus, vigilias noctis in caſtro inſtantius ordinavit. Circa 3. igitur noctis horam, prope murum civitatis ſtrepitu per vigiles caſtri notabiliter, percepto, in eodem caſtro pulſatur ad arma. Unde vulgus civitatis hujus traditionis ignarum, excitatum concurrit ad arma. Nobis igitur, ex parte Papæ ibidem in monaſterio S. Sophiæ degentib. conturbatis, fugere verſus caſtrum anhelantib. illi qui deforis hujuſmodi nobis intulere terrorem, videl vel illi quos veniſſe timuimus, vel alii, de quibus poſtea certificati non fuimus, tumultum populi percipientes lætanter abierunt. Et quia æmulos Papæ quodammodo irritavimus, dum percupientes ejus liberationem in turri dicti monaſterii campanis pulſatis, & luminarib. accenſis, clamorib. gratulationis totam civitatem commovimus, nec erat aliquis in civitate vel caſtro ejus, aut extra ea, qui nobis ſimilibus gratulationibus, prout in partib. illis moris eſt, ſignis reſponderet, nobis, qui vix IV. erant, timendum fuerat. Per plures quidem dies in turri prædicta panem & vinum conſervavimus, quod ſi impetus aliquis ex improviſo inſurrexiſſet in nos, ſubitum periculum declinare potuiſſemus. Dn. Urbanus de his ſuorum & civitatis periculis apud caſtrum Flumeri plenius informatus, fraude fraudem deludere volens, ſe Beneventum nolle venire ſimulans, civibus indicavit, quod Cardinalem Neapolitanum, qui poſtea Papa factus eſt, ad eos dirigere vellet. Et quia viſum eſt ei, quod civitatem & caſtrum aliter recuperare non poſſet, ipſe cum toto exercitu Beneventum ſe direxit. Cumque civitati appropinquavit, æmuli ejus mente confuſi, exteriorib. ſimulatis judiciis obſiſtere non valentes, alio ex ejus adventu dolore, quam illo, quem corde geſtabant, intrinſecus ſe angi ſimulabant, dicentes: ut quid dominus noſter Papa adventum ſuum nobis indicare dedignatus ſuper nos ſic inopinatè venire voluit, quod ex improviſo præventi, in apparatu reverentiæ ſanctitatis ſuæ congruo, & à nobis præcipuè debito, gloria & honore condignis ipſum receptare privamur? Sed Papa ingreſſus civitatem, ad eccleſiam Bartholomæi caſtro pertranſito devotionis intuitu ſe contulit, & oratione facta in caſtrum cum familiarib. ſuis & Cardinalib. captivis adſcendit. Inter hæc decem galeis per Januenſes in auxilium Papæ deſtinatis portum Neapolitanum ingreſſis, patroni earundem ad Papam Beneventum colloquio ſecum habito Neapolim redierunt, & ibi cum ſuis tractatu ſuper receptione Papæ habito, Papam de ſuorum intentione informaturi redeunt Beneventum, nihilominus inter Carolum & Papam tractatus quoſdam ſuper eorum concordia intermiſcentes, & ſic tandem cum Papa de introitu galearum concordati, Neapolim reverſi mari ſe committunt, die noctuq; navigando, donec ad partes Apuliæ applicuerunt. Tertia igitur die menſis Auguſti, quæ erat dies Jovis, Papa mille florenis à Beneventanis extortis regiminecque civitatis Raymundo cum filiis ſuis fidelibus una cum ipſius caſtro commiſſo, de Benevento recedens, Flumeri reverſus eſt. Et ſic nos, qui ibidem in anguſtia degimus ſervitiis Cameræ Apoſtolicæ inſudando, deinceps cum Papa profecti ſumus terræ mariſque per diſcrimina plura. Die Veneris, qua Papa quievit Flumeri, transacto, Sabbato deinde ſe tranſtulit in quoddam caſtellum Lacedonia dictum, de quo Dominica die recedens, verſus Minorbium civitatem Apuliæ ſe contulit. Et tota illa die, ab ante ortum ſolis, uſque ejus poſt occaſum, cibos nobiſcum, prout filii Iſrael fugientes Æpyptios, deferentes, cum locus ſecuritatis per viam defuit, in forti ardore ſolis carpſimus iter: itaque vix una hora circa fluvium quendam in meridie refectionis & ſomni nobis fuit pauſa. Cumque Minorbium venimus, manſimus ibidem diebus XII. videlicet, donec galeæ ad littus maris Adriatici applica-

applicarent: quoniam in littore maris Jonii, ſeu Tyrrheni, Papæ tutus non erat acceſſus. Jam tempus vindemiæ propè fuit, & ſiccitas terræ magna, quæ pluviam ultra tres menſes ibidem non pertulit, nobis aquæ penuriam notabiliter inflixit. Unde per dies aliquot laguncula una, quæ vulgo barile dicitur, pro granis quinque venivit; vini quoque non modicum defectum ſuſtinuimus, unde ut plurimum vinum acre ex aceto & aqua commixtum erat nobis refocillatio potus. Hinc XIX. die menſis Auguſti manè ante ortum Solis, ad tubæ ſonitum excitati, egreſſi Minorbium verſus mare dreximus iter, & cum circa horam diei ſextam ad locum galeis deputatum circa Barletum quaſi ad tria milliaria pervenimus, galeas ibidem non invenimus: nec de cujusdam turris ſummitate ibidem ſitæ galeæ videbantur in mari. Unde papa non modicum conturbatus, omnibus nobis ad tubæ ſonitum collectis in unum, ita ut nec minimus permitteretur abeſſe, ſpeculatoribus hinc inde ordinatis, à longe circumeundo Barletum Carolo adhærentem, verſus civitatem Tranenſem ſe divertit. Cumque per viam proficiſcebamur de galearum adventu ſolliciti ſæpius verſus mare proſpicientes, tandem circa ſecundam horam poſt meridiem angulos velorum galearum à longè proſpeximus protenſos in altum. Quapropter declinantes à via, per agrorum & vinearum invia, maris feſtinabamus ad littus, ubi plures noſtrorum propter aquæ defectum, & fervorem ſolis incenſum, ſi non uvarum liquoris expreſſione nos refocillaſſemus, crebrò defeciſſent. Cum igitur Papa venit ad littus inter Barletum & Tranenſem civitatem, à ſex galeis ipſe cum ſuis in magno clangore tubarum & fiſtularum cum reverentia & honore ſuſceptus eſt, & mane ſequentis diei galeæ ad portum Barenſis civitatis applicuerunt, ubi quatuor aliæ galeæ Papam exſpectabant. Et ibi omnes, qui cum Papa ſex galeas intraverant, in decem galeas diſtributi ſunt. Cumque cives Barenſes erant de parte Ducis Andegavenſis defuncti, non erat nobis civitatem ingrediendi facultas, ſed quia Raymundus, cujus ordinatione aliâs civitas ipſi Duci prædicto adhæſit, ex parte Ducis ejusdem, quamvis tunc defuncti, caſtrum civitatis tenuit, ejus ſalvo conductu ad civitatem nobis permittebatur ingreſſus. Cum verò quidam de noſtris civitatem ingreſſi ſunt, alii reliquias beati Nicolai viſitando, alii victualia comparando, inter Barenſes & Januenſes magnus tumultus eſt ortus, ita quod Januenſes alii cum baliſtis turrim civitatis mare contingentem occupantes, alii murum ferreis inſtrumentis perforantes, alii per portam civitatis irrumpentes, civitatem ipſam deprædari præſumebant: Sed ſtatim per patronos galearum, & per Dominum Raymundum non tamen ſine Barenſium damno, tumultus ille ſedatus eſt. Deinde die Lunæ XXI. menſis Auguſti inde recedentes galeæ portum nullum præter Monopolitanum, in quo non plenè duabus horis ſtabant, ingreſſi ſunt. Donec circumgyrata Apulia ad Rheginenſem portum pervenerunt, quo pertranſito fretum Siculum, quod inter Calabriam, Rhegii ultimæ civitatis Italiæ provinciam, & inſulam Siciliæ mediat, transfretabant, & in portu magno & tutiſſimo Meſſanæ civitatis in eadem inſula ſtationem receperunt, quæ quidam civitas à Barenſi civitate ſeptingenta miliaria marino tranſitu diſtare perhibetur. In hoc portu galeis triduo quieſcentibus, proceſſus quos Papa contra Carolum fulminaverat, publicè lecti ſunt, & Papa tam à Clero, quàm à civibus in multorum victualium præſentatione honoratus eſt. Recedentibus inde galeis tempeſtas maris oritur, unde galeæ ab invicem diſperſæ; quædam earum montem Strumuli, qui, ut mons Ætna, continuè ardet, & tamen ædificia diruta apparent in eo, & undiq; mari cinctus eſt à dextris, quædam à ſiniſtris reliquerunt: ſicque nunc velis extenſis, nunc remorum ductu navigabant, donec miliaribus trecentis quinquaginta, inter Meſſanam & Neapolim mediantibus, fere pertranſitis, ſinum Neapolitanum ſunt ingreſſæ, quem pervagando nunc ad portum Neapolis, nunc ad portum Caſtelli-maris, nunc ad portum mariciſcapræ, galeæ plures acceſſerunt, ſed galea Papæ portum Neapolitanum non intravit. Duobus itaque diebus galeis ſic per ſinum prædictum navigantibus, die tertia inde recedentes portum quendam antiquum circa Neapolim verſus occidentem ingreſſæ ſunt, ubi locus, in quo ibidem civitas condita fuit, propè illa naturalia balnea, quæ ibidem toto orbe mirabiliora ſunt, totus in lacum verſus eſt. Et in hoc portu galeas, tertiò per Papam directas Neapolim, usque ad ſolis declinationem præſtolabantur. Quibus cum ſorore Papæ, domina Cicca abbatiſſa,

batiſſa, à Carolo aliquandiu detenta, Cajetam navigabant, tantum tamen una earum portum Cajetanum intravit, & pluſquam quinque horis ibidem ſtetit in portu. Et quamvis civitas ipſa Carolo adhæſit, ego tamen, & quidam alii ſub umbra Januenſium civitatem intravimus, S. Eraſmi reliquias ibidem viſitando. Deinde velis extenſis navigando, oſtio Tiberis à dextris relicto, poſtquam à Neapoli ducenta quinquaginta miliaria perfecerunt galeæ portum Cornetæ ſunt ingreſſæ. Stantibus ibi galeis per triduum, Papa tradidit Januenſibus Cornetum, quæ eſt de patrimonio S. Petri in pignus, pro illa pecunia, quæ in ſumptus galearum ab eis expoſita fuit, quæ ad quatuor menſes, per quos galeæ ſervitio Papæ deditæ fuerunt, extendebat ſe ad octoginta milia florenorum. Quælibet enim galea indigebat pro uno menſe in expenſis & ſalario duo milia florenorum. Habebat quælibet earum ſimul & ſemel remigantes viros centum octoginta, & baliſtarios quinquaginta, præter familiam patroni & gubernatoris, ac alios officiatos, quibus omnibus quolibet menſe certa dabantur ſtipendia. De Corneto recedentes diverſos portus non accelerando, ut antea, ſed magis quaſi recreando nos, intravimus: donec tandem à Corneto trecentis, à civitate verò Barenſi, ad quam poſt galearum introitum primò venimus, mille ſexcentis miliaribus completis, die Sabbati XXIII. die menſis ſeptembris ad civitatem Januenſem pervenimus, ubi Papa ad hoſpitale ſancti Johannis in occidentali burgo ſitum ſe contulit captivos Cardinales ſecum deducendo, quos ibidem carceribus mancipavit. Eodem anno quadam nocte menſis Decembris camera, in qua Papa quievit, tremuit, ita ut cubicularii ejus, & alii, prope locum illum quieſcentes, perterriti, ſtratis exilirent, & manè facto alter ad alterum dixit: Nunquid non ſenſiſti hac nocte motum totius palatii factum? Sed licet eodem tempore, ego in eodem palatio dormiebam, non tamen ego, nec aliquis etiam de illis, qui mecum in una camera quieverunt, motum illum percepimus: ſicut nec plures alii, in diverſis locis ipſius Palatii dormientes, hunc motum perceperunt. Et inde præſumptum eſt, motum illum non fuiſſe naturalem; & ſic etiam factum illud non eſt divulgatum.

CAPUT LXXXI.

POſt hæc quidam de regno Franciæ auſu ſacrilego tumidus Prophetam ſe ſimulans, V. die menſis Martii, cum quatuor familiaribus Januam equitando pervenit. Hic de ſuorum verborum diſertitudine confiſus, quaſi miſſus foret à Deo, Papam circumvenire tentavit. Nam die ſequenti, talarib. veſtibus nigris indutus, ſtatura magnus, nigræ barbæ prolixitate, & oculorum depreſſione aſpectu ſerius, verſus Papæ palatium ſe direxit. Cujus adventum Papa præſciens, certos prælatos, & præcipuè Francigenas, ad ſe venire mandavit, & prandio facto hunc ad ſui præſentiam venire permiſit: qui cum ad præſentiam Papæ venit, Latinum loqui ſe neſcire proteſtatus, coram Prælatis ſupradictis Gallica lingua Papam his verbis aggreditur: Domine ad vos venio, ut ob Dei eccleſiæ unionem vobis annunciem ea, quæ mihi revelatione divina ſunt patefacta. Ego quidem jam annis XV. contemplationibus vacans in Eremo, ſanctiſſimum in Chriſto patrem & Dominum Dominum Clementem verum ſummum Pontificem, & Chriſti Vicarium, voſque Pſeudopapam eſſe revelatione divina percepi: quare ob eccleſiæ Dei unionem, animæque veſtræ ſalutem, abrenunciare Papatui dignemini. Cui Papa reſpondit: Unde ſcis hanc præſentem revelationem, quam aſſeris divinam, à Deo factam. Cumque ille narrationem ſuam, nec ſigno viſibili, nec ſacræ ſcripturæ teſtimonio confirmaret, ſed ad confirmationem ſuam, dicti ſui corporis tormenta nulla ſe formidare aſſerens, verba abſque ratione multiplicaret, Papa videns eum annulum quendam aureum, lapide quodam precioſo ornatum, geſtare digito, credenſque in eo ſpiritum fortè quendam teneri incluſum, cujus ipſe inſtigatione ſic intrepidè iſta referret, dixit ad eum: Cum eremitas annulis digitos ornare inconſuetum eſſe dignoſcitur, unde hic annulus tibi? quem ſic publicè geſtare præſumis. Ipſe reſpondit: Sanctiſſimus in Chriſto pater & Dominus Papa Clemens illum contulit mihi. Et Papa quanquam ipſum iſta orioſitas angebat abintra, quaſi ad verba jocoſa converſus, annulum ſibi monſtrari popoſcit, quem cum extenſa manu curvato digito eliciens, ipſumque cuidam tradens ſubridendo dixit: tu ſcis aliqua de nigromancia, vide quid iſtud ſit. Et deinde Papa familiares ſuos teneri, & ipſum carceribus cum familiaribus tradi mandavit, quod ita factum

Digitized by Google

factum eſt· duo tamen familiares fuga evaſerunt. Hic verò nce non familiares ejus ſeorſim tormentis ſubacti ſunt. Unde revelationis divinitatem, quam tormentorum ſufferentia ſe jactaverat approbare, ſuggeſtionem Diabolicam magis eſſe confeſſus eſt. Cum igitur tanquam reus criminis læſæ majeſtatis propter præmiſſa foret puniendus, intercedentibus prælatis Francigenis, Papæ fidelibus, ne, ſi iſte ultimo ſupplicio puniretur, cognati & amici eorum, in regno Franciæ morantes, ſimilia forſan paterentur, cum hunc noverant ſpeciali regis Franciæ favore ſuffultum, Papa conſilio de ſuper habito, decrevit, ut ipſe barba raſus, juramento fidelitatis ſibi præſtito, proxima die Dominica ſequente, in miſſa Papæ, ſermone finito, omnia, quæ contra ipſum Dominum URBANUM Papam dixerat, publicè revocaret, eaque revocando, nullum verum eſſe Papam, quam ipſum Dominum Urbanum, ſe confiteri referret. Quapropter ſolutus à carcere, & in ſignum confuſionis barba privatus, eadem die Dominica, quæ erat undecima menſis prædicti, & prima Dominica Quadrageſimæ, omnia præmiſſa, ut dictum eſt, alta voce recantavit. Et deinde diſpenſatione veſcendi carnibus à Domino Urbano ſuſcepta per dies aliquot Januæ commoratus eſt. Et demum equis & annulo ſibi reſtitutis, verſus Franciam, quaſi pro unione eccleſiæ ſpecialiter acturus, greſſus ſuos de conſenſu Papæ reflexit. Inter hæc poſt obitum Ludewici regis Ungariæ, qui dum vixit filiam ſuam Mariam Sigiſmundo, filio Caroli Imperat. & regis Bohemiæ deſponſaverat, eundem Sigismundum regem Ungariæ deſignans heredem, Carolus de Duratio ſupradictus cauſſa ſuſcipiendæ coronæ ipſius regni Ungariæ, quorundam principum regni favori innixus, verſus Ungariam per mare ſe contulit, & à multis principibus & civitatibus ipſius regni ſuſceptus eſt. Sed quia benedictionem Domini Urbani Papæ, qua alias regnum Siciliæ adeptus erat, demeruit, benedictio elongata eſt ab eo, & maledictio ejuſdem Domini Urbani, ſicut aqua ingreſſa in interiora ipſius facta eſt ei, ſicut veſtimentum, quo opertus in vita, nec morte quidem interveniente exutus eſt. Nam poſtquam magnam Ungariæ partem contra Sigismundum ſibi vendicaverat ab adverſariis, Sigiſmundo faventibus, inter fideles ſibi commixtis, in caſtro quodam ſibi ſubdito, dum ſe ſecurum credidit, gladio ſubitò percuſſus interiit. Poſt mortem Caroli Dux Otto Neapolim recuperavit, & multis de parte ſibi contraria interfectis, potentiores quoſdam ſub cuſtodia detinendos Tarentum deſtinavit. Regina verò Margareta uxor Caroli cum filio ſuo fugit, & in civitatem Cajetanam firmiſſimam ſe recepit. Poſt hoc filius Ducis Andegavenſis defuncti veniens cum exercitu magno, Duce Ottone ſubſidium ſibi ferente, Neapolim cum multis aliis civitatibus & caſtris ipſius regni Siciliæ in deditione ſuſcepit. Eodem anno videl. nativitatis Domini M. CCC. LXXXVI. Barrabo tyrannus Mediolanenſium à filio quodam fratris ſui, videlicet Comite Virtutum, qui Papiam tenuit, captus eſt: & cuſtodiæ mandatus, & priuſquam per annum in cuſtodia degit defunctus eſt, & ipſe comes, filiis Barrabonis fugatis, Mediolanum cum ſuo diſtrictu obtinuit univerſo. Eodem tempore Lippoldus dux Auſtriæ occidentalis cum magno exercitu intravit fines Suicerorum, qui bellum contra eum inierunt, & ipſe Dux qui Dn. Papæ adverſabatur, cum toto exercitu ſuo, vix uno evadente, deletus eſt. Et propter hoc frater ejus Albertus Dux Auſtriæ orientalis, multis congregatis principibus profectionem fecit contra Suiceros, ſed priuſquam procederetur ad bellum, treugæ factæ ſunt inter eos, & principes ad propria redierunt. Inter hæc æmuli Papæ pro Cardinalium captivorum liberatione ad intoxicationem, quam ad ſuos direxere cognatos, proceſſerunt: Sed Papa de hoc informatus quoſdam ſibi ſuſpectos carceribus mancipari mandavit: quoniam paucis antea diebus elapſis, quidam ipſorum manu armata palatium Papæ noctu invaſerunt, æſtimantes partim vi & partim favore quorundam intra palatium exiſtentium, ſic eos poſſe liberari: Sed cum primum januam palatii jam aperuerant; audito, quòd Papæ fidelibus excitatis rumor manifeſtus oriebatur, ipſi territi receſſerunt. Cumque Papa præmiſſorum conatuum auctores diligentius conaretur inveſtigare, Dominus Pileus Cardinalis de Ravenna, & Cardinalis de Petra mala de curia fugiendo, ſe circa præmiſſa ſuſpectos reddiderunt, & tandem Avinionem ſe transferentes, ab Antipapa in Cardinales recepti ſunt. Sed & dominus Pileus in majorem Domini Urbani contumeliam capellum, quem ab eo inſigne honoris Cardinalatus accepit Papiæ in foro publicè flamma combuſſit, Co-

Digitized by Google

mite Virtutum hoc gratum habente. Qui idem Comes alias parum ante hoc tempus tentavit effici Rex, & titulum regni Longobardiæ ſibi à Domino Urbano innovari: Sed Dominus Urbanus ei non conſenſit. Inſuper idem Cardinalis, poſtquam ab Antipapa receptus eſt, ſcripſit principibus Alemanniæ in detractionem Urbani, ſe nimis erraſſe, & apertis oculis lumen non vidiſſe, dum Urbano adhærens Clementi contrarius extitiſſet: Sed principes hæc in ſui ipſius contumeliam & ſcandalum retorquentes, maximè cum ipſe legationis officio fungebatur, ejusdem Urbani gloriam prædicaverat, ipſum in præmiſſis non laudaverunt. Hinc Urbanus duos Cardinales prædictos excommunicavit, & Cardinalatus honore privavit. Eodem tempore, verſus quoſdam, quos de geſtis Domini Urbani ſuperioribus feceram diebus, eidem Domino Urbano volui præſentare, ſed quia Cardinalium prædictorum averſione turbabatur, acceſſum ad ipſum habere non poteram oportunum; dimiſi illos apud venerabilem patrem & dominum, Dominum Guillermum Anconitanum, theſaurarium ipſius domini Urbani, quando de curia Romana receſſi, qui in abſentia mea eoſdem verſus ipſi Domino Papæ poſtea præſentavit, quos quidem verſus, ne tædio legentibus exiſterent, huic loco non inferendos eſſe decrevi: Si tamen quenquam illos videre delectat, ille poſt finem hujus libri illos hic infra ſcriptos inveniet. Et prædictorum Cardinalium diſturbium notabilis mei profectus non modicum tali modo præſtitit impedimentum. Eodem anno videlicet nativitatis Domini M. CCC. LXXXVI. in Sabbato ſancto feſti Paſchæ præteriti, dominus Guillermus epiſcopus ſupradictus de ſpeciali commiſſione Papæ ordines celebravit, & perſonas quaſi ducentas, inter quos LXXII ad ſacerdotium tunc promoti ſunt, quorum ego, licet indignus, unus extiti, ordinavit. Anno M. CCC. LXXXVII. præfectus de Viterbio, qui longo tempore Romanæ eccleſiæ rebellis extiterat, à fidelibus Domini Urbani interfectus eſt. Eodem anno Dux Otto & Domina Margareta uxor quondam Caroli conciliati ſunt. Et deinde Dominus Papa receſſit de Janua, & in receſſu quinque Cardinales, quos usque tunc in carceribus detinuit, ibidem mortuos reliquit, ſed quomodo, aut quali morte vitam finierint, non plenè mihi conſtat. Undecimo tamen anno Domini Bonifacii Papæ, ſucceſſoris immediati Domini Urbani, intellexi à quodam, qui dixit ſe eorum ſepulturæ præſentem fuiſſe, quod ipſi in carcere jugulati, & in ſtabulo equorum clam noctu ſepulti fuerint. Sed Dominus Adam Cardinalis de Anglia ex cauſſis ſuperius dictis vivus reſervatus eſt. Eo tempore quidam vir Januæ habitavit, qui licet abſque manibus natus erat, & cum hoc pedibus ambobus à nativitate caruit lagunculas novas, quæ barilia vulgò vocantur, fecit opere mechanico tam bonas, quaſi ambas manus haberet, quod multotiens ego cernens ab eo fieri, non ſolum in opere ipſius admiratus verum etiam quod ipſe manibus, & cum hac magna parte brachii inter cubitum & manum ex utroque latere carens illam artem attentare præſumpſit, quem etiam Dominus Urbanus Papa ad ſe vocatum artem ſuam exercere coram ſe fecit, & admiratus, voluit illi de quadam præbenda in certo hoſpitali providere, ſi peteret. Ille verò habens uxorem & liberos magis de laboribus ſuis, quàm de eleemoſynis vivere ſe velle reſpondit. Eodem tempore, quo Dominus Urbanus Papa prædictus Januæ moram traxit, civitas Januenſis una cum magnificentioribus civitatibus totius Italiæ tanto honore, potentia & dignitate fulgebat, ſicut unquam temporibus retroactis fulſiſſe memoratur, ſed quia, quamvis Domino Urbano in neceſſitate auxilium præſtitit, tamen reverentiam tali Chriſti Vicario debitam, de ſua potentia nimium præſumens, non usquequaque exhiberi curavit. Nam de his, qui ob liberationem Cardinalium, in carcere poſitorum, palatium Papæ noctu vi armata petierunt, nulla juſtitia ſibi adminiſtrata eſt, quamvis Januenſes in offuſcationem famæ ſuæ nimium cedere arbitrarentur, ſi quis cuipiam quamcunque ibidem violentiam inferret impunè: imò quidam ſatellites poteſtatis, ſeu Ducis Januenſis, reverentiæ ſummi Pontificis minimè deferentes, quoſdam Papæ familiares de palatio Apoſtolico vi diſtractos tormentis adfecerunt. Quare poſt Papæ receſſum Januenſes, qui longo tempore fuere concordes, in tam graves diſſenſionis & ſeditionis caſus incidere, quod parte contra Papam prævalente, civitas ipſa aliquando domina gentium, & princeps provinciarum, facta ſit ſub tributo, dum ſe regi Franciæ nulla vi extranea, ſed inteſtina clade cogente ſubdiderunt, qui dominium civitatis usque in præſentem diem noſci-

Digitized by Google

noſcitur obtinere. Poſtquam Dominus Urbanus receſſit de Janua, Lucam ſe tranſtulit & ſtetit ibi quaſi menſibus novem: poſt hoc tranſtulit ſe Peruſium & inde recedens intendebat iterum ad regnum Siciliæ dirigere, quoniam Romam ire voluntatis ſuæ omnino non erat: Sed venit ad eum quidam eremita dicens ei: Velis nolis, Romam ibis & ibidem morieris. Unde poſt hoc quadam nocte, voluntate mutata, Romam ſe transferre decrevit. Cumque verſus Romam flecteret iter, viſa eſt imago S. Petri in ea forma, quæ exciſa eſt de petra, ſtans ante porticum baſilicæ ejusdem Romæ, ipſi Papæ & quibusdam aliis in aëre, quaſi viam, quæ verſus urbem protendit, oſtendens, & Papa præcepit eis, qui hoc ſecum viderant, ne cuidam revelarent. Et poſt obitum ejus epiſcopus Tarentinus confeſſor ſuus ſermonem faciens hoc miraculum publicè prædicavit. Cum igitur urbi appropinquavit, Romanos obviam habuit cum magna ſolennitate, & multis in campo tractatibus cum eo habitis, Romam cum honore magno regreſſus eſt. Dominus Urbanus, anno Pontificatus ſui XI. nativitatis Domini M. CCC. LXXXIX. tertio Idus Aprilis, tria memorialia inſignia inſtituit. Primum fuit, quod annus Jubilæus, per Clementem ſextum de centeſimo anno ad quinquageſimum annum deductus, deberet temporibus inde futuris: de triceſimo tertio anno, in triceſimum annum tertium obſervari, & ſtatuit, quod annus nativitatis Domini, tunc proximè venturus, videlicet M. CCC. XC. deberet eſſe Jubilæus, & deinceps annus triceſimus tertius ſemper deberet eſſe Jubilæus, & movit eum, quod totum tempus vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti in humanitate, poſtquam natus eſt de virgine per cujus mortem theſaurus eccleſiæ, unde indulgentiæ peccatorum quæcunque emanant, tumulatus eſt, triginta trium annorum curriculo complebatur. Secundum fuit Feſtum viſitationis beatæ Mariæ virginis, quod ſtatuit craſtino octavæ S. Johannis Baptiſtæ ſingulis annis in eccleſia celebrari, ut beata virgo ſuis precibus eccleſiæ unionem reformare, & reformatam conſervare dignaretur. Tertium fuit, quòd non obſtante interdicto eccleſiaſtico, in Feſto corporis Chriſti poſſint apertis januis, eo modo, quo conceſſum eſt per Bonifacium octavum, in quatuor feſtivitatibus divina celebrari. Et ſic completum eſt iſtud, quod de feſto corporis Chriſti venerabilis doctor Johannes Andreæ, ante annos LXXX. prædixit, ſuper Clementina ſi dom. de re & ve. ſanc. in gloſſa ſuper verbo relatum. Inſuper Dominus Urbanus adjecit huic gratiæ, quod quicunque ſequuntur corpus Dominicum, quando defertur de eccleſia ad infirmum, & de infirmo ad eccleſiam, illi ſi confeſſi & contriti fuerint centum dies indulgentiarum auctoritate Apoſtolica conſequentur. Et ſuper omnibus his literæ apoſtolicæ per Bonifacium IX. poſt obitum Domini Urbani conceſſæ ſunt, quarum copias propter brevitatem, præſenti libro non inſerui, maximè cum ad uſum ipſa reducta ſint. Fecit autem Dominus Urbanus quandam declarationem ſuper Clementina: Dudum. de ſepul. propter varias opiniones & gloſſas doctorum cujus copiam, quia paucis innotuit, deciſam infra ſubjicere decrevi. Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, univerſis religioſis, cujuscunque profeſſionis, vel ordinis, præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi animarum affectantes ſalutem. Et infra: Nos igitur, qui ex ſuſcepti apoſtolatus officio. Et infra: Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus parochianos diebus Dominicis & feſtivis non recipiatis decæterò in eccleſiis, ſeu oratoriis veſtris, temerè ad divina, nec ipſos ſine licentia ſacerdotis ad pœnitentiam aliqualiter admittatis, cum ſi quis alieno ſacerdoti juſta de cauſſa ſua voluit confiteri peccata, ſecundum ſtatuta concilii generalis, licentiam prius poſtulare, ac etiam obtinere debet à proprio ſacerdote, vel alias ſibi primo confiteri, & recipere abſolutionis beneficium ab eodem: Aliter namque ipſe abſolvi non poterit, cum duplex in judicando funiculus, pietatis & ſcientiæ requiratur, quorum alterum in alieno conſtat deficere ſacerdote. Et ne parochialibus eccleſiis devotio debita ſubtrahatur, ante miſſarum ſolennia, ad quæ audienda parochiani prima diei parte in ſuis conſueverunt & debent eccleſiis convenire: Nequaquam enim eccleſiis veſtris ſupradictis, nec hora ipſa ſolennes eis faciamus ſermones, ne propter hos audiendos ad vos populus confluens parochiales eccleſias derelinquat. Sed nec ad prædicandum ſolenniter ad illas parochias accedatis, niſi à ſacerdotibus earum parochiarum fueritis invitati, vel ſaltem ab illis humiliter petieritis, obtinueritis

Digitized by Google

ritis vos admitti. Et ut debitus honor epiſcopis deferatur, eadem die, qua diœceſanus epiſcopus, vel alius loco ejus ſolenniter prædicat, maximè in eccleſia cathedrali, nullus veſtrum in ea civitate, vel loco prædicare præſumat, ne ſalubris prædicationis doctrina ex frequenti inculcatione, quaſi tædium generet, contemnatur. Si verò in caſu licito parochianos alterius ad ſepulturam (quam nemo ſine juſta & rationabili cauſſa temere debet eligere) antiquis parentum ſuorum dimiſſis ſepulturis, in veſtris eccleſiis vos recipere contingat: omnium quæ obtentu ſepulturæ hujusmodi fuiſtis conſecuti, medietatem vel tertiam partem, vel quartam, juxta felicis recordationis Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri decretum, & ſecundum conſuetudinem regionis, etiam non requiſiti, infra octo dies à tempore receptionis eorum epiſcopo vel ſacerdoti, de cujus parochia mortuus eſt aſſumptus, exhiberi curetis. Et infra. Si quis verò veſtrum hujusmodi præcepti transgreſſor proviſionis veſtræ extiterit, vel contra prædicta, vel aliquid prædictorum venire præſumſerit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis ſententiam, quam de facto ipſum incurrere volumus, gravi ſuo periculo ſubjaceat: & nihilominus à loci diœceſano ad præmiſſa omnia & ſingula obſervanda cenſura eccleſiaſtica, appellatione remota, diſtrictius compellatur, nullis ei contra hoc indulgentiis, vel privilegiis apoſtolicis valituris. Datum Neapoli XI. Kalendarum Decemb. Pontificatus noſtri anno VII. Anno Pontificatus ſui XII. Urbanus iſte Romæ obiit, & in capella S. Andreæ apud S. Petrum ſepultus eſt; ad cujus ſepulcrum dum poſtea veneram, & videns corpus ejus non mauſoleo, ſed communi ſepulcro reconditum, infra ſcriptos verſus confeci hexametros, nullis intermixtis pentametris, prout antiquorum epitaphiorum moris eſt, felicem ejus fuiſſe tranſitum quaſi per hoc innuerem, eosque juxta ſepulcrum ejus tabulæ ligneæ clavis adfixi: Sed ab æmulis laudis ejus ablati ſunt.

Bartholomeus nomine, natu Parthenopæus,
Sextus & invictus Urbanus Papa, relictus
Huic humili tumbæ: qui dum purgare columbæ
Pennas rebatur heu mox formoſa jugatur.
Unde metus cura prohibet me dicere plura,
Multa per adverſa qui vidi mente repreſſa.
Credidit inque Deum geſtans animum Machabæum;
Me miſeret quare ſic ipſius oſſa cubare,
Forſitan inculta ſua ſic ſtant oſſa ſepulta,
Donec ut in vita ſignis fiant redimita.

Poſtea tamen corpus ejus in eccleſiam S. Petri translatum honorificentiori ſepulcro traditum eſt.

CAPUT LXXXII.

ANno Pontificatus domini Urbani prædicti ſecundo videlicet nativitatis Domini M. CCC. LXXIX. prima die menſis Martii dominus Henricus Spegel epiſcopus Paderbornenſis, poſtquam eccleſiæ præfuit utiliter annis XIX. plenus dierum obiit: Et ſucceſſit Simon Decanus eccleſiæ Paderbornenſis.

Simon de Sternberg impetravit epiſcopatum Paderbornenſem à domino Urbano ſexto, & præfuit eccleſiæ annis octo, menſibus ſex, diebus decem. Hic Simon Friderico archiepiſcopo Colonienſi, ut eum apud ſedem Apoſtolicam promoveret, & eum poſtea in poſſeſſionem epiſcopatus potenter introduceret, prout & fecit, maximam ſummam pecuniæ, in qua ratione officii marſchalciatus, quod Henricus epiſcopus exercuerat, eccleſiæ Paderbornenſi obligabatur, capitulo non conſentiente, remiſit. Ipſe munere conſecrationis in curia Romana ſuſcepto, reverſus Paderbornam XV. die menſis Julii ſolenniter admiſſus eſt, nec tamen officium Pontificale exercuit, & vix duas miſſas in Pontificalibus toto tempore regiminis ſui celebravit. Hic Simon levis animi fuit: cum archiepiſcopo Colonienſi ſupradicto intravit partes Haſſiæ in exercitu magno, & violata ab eis eſt pax illa, quam Henricus Spegel epiſcopus tanquam perpetuis temporibus duraturam introduxerat. Hic Simon quendam presbyterum, videlicet dominum Ludewicum de Buren, rectorem cryptæ ſitæ in eccleſia Paderbornenſi, pro eo, quòd eccleſiam Rurenſem tanquam vacantem impetrave-

Digitized by Google

traverat à ſede Apoſtolica, captum, per quoſdam fautores monialium ejuſdem Ruренſis eccleſiæ, ad caſtrum ſuum Dringenberg duci, & in lignum detrudi juſſit. Et quia idem presbyter quædam jura beneficii ſui minus diſcretè defendit, indignationem incurrerat, in caſtro prædicto fame cruciatus, capitulo non contradicente, in ſterquilinio mortuus eſt. Item ſi quos aliquando Simon epiſcopus, ſe vel diœceſin ſuam hoſtiliter offendentes, fortuna ſibi favente, comprehendit, quos juſtè velut hoſtes puniviſſe potuiſſet, illos vel verbis ſibi ſubtrahi ſinebat, vel in campis abire permiſit. Ipſe ſubditos ſuos laicos non correxit miniſteriales, quibus ſe nimis familiarem exhibuit, non advertens, quod nimia familiaritas parit contemptum. Confœderationes, quas prædeceſſores ſui cum principibus & nobilibus ſoliti erant facere, ipſe cum miniſterialibus prædictis, quamvis ſibi alterutrum nexu fidelitatis de jure conſtricti fuerant, facere non recuſavit: quare tandem quidam eorum, inſurgentes contra eum, publici ejus hoſtes effecti ſunt. Anno Domini M. CCC. LXXXVIII. 18. nocte menſis Decembris habui viſionem, quam de ipſo Simone interpretabar, & vera fuit interpretatio, ſicut exitus rei comprobavit. Viſum quidem mihi eſt in ſomno, quòd maxima tempeſtate aër turbaretur, & lapides grandinis in quantitate malorum punicorum caderent in terram, & ictus tonitrui fortiſſimus percuſſit turrim majoris eccleſiæ Paderbornenſis, ipſam à ſummo muri, uſque ad terram in uno latere ſcindendo. Et ecce ſubito ſecundus ictus, fortior priori, ſubſecutus, percuſſit ipſam turrim, & projecit eam in terram, & ſummitas tecti, quaſi ligna colliſa de fulmine, cecidit ſuper rotas molarum Paderæ, & turris nuſquam comparuit, nec aliquod veſtigium ex ea, ſed quoddam ædificium novum pulcrum viſu annexum Eccleſiæ in loco turris apparuit, quod tamen in altitudine ſummitati Eccleſiæ fuit inæquale. Et ego territus incœpi legere Pſalmos pœnitentiales, & cum perveni in finem primi verſus tertii Pſalmi evigilavi totus ex timore ſudore madens: & licet (Eccleſiaſtici cap. 34.) ſcriptum ſit: Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum: ſic & qui attendit ad viſa mendacia: tamen quia ſubjungitur: ſomnia extollunt imprudentes, niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, hanc viſionem ratus ſum, non fore penitus inanem, maximè ex eo, quòd dum ſero ejuſdem noctis ut dormirem me ad ſtratum meum repoſueram, memor viſionis Danielis, in qua dixit angelus ad eum: à die qua poſuiſti cor tuum ad intelligendum &c. deſideravi quaſi rabida mentis cogitatione aliqua futura mihi revelari. Judicavi igitur ex hac viſione epiſcopi futurum detrimentum, & eccleſiæ Paderbornenſis mutationem notabilem adfuturam. Accidit itaque ſtatim poſt hoc, quod epiſcopus Simon obſedit quoſdam miniſteriales ſuos ſibi rebelles in munitiuncula Brobeke, & ibi ab uno eorum ſagitta in inguine ſauciatus eſt, de cuius vulnere per menſem unum decumbens mortuus eſt, anno Domini MCCCLXXXIX. XXV. die menſis Januarii. Eodem menſe, ſecunda die præcedente, dominus Otto de Dyke, præsbyter, rector capellæ S. Trinitatis, ſitæ in eccleſia Paderbornenſi obiit, & ſequenti die auctoritate apoſtolica mihi proviſum eſt de eadem, à quo die uſque ad præſens, circa reformationem capellæ, domus, & curiæ ejuſdem ultra LXXX. florenos expendi: murum quidem in longitudine XIV. pedum cum camino erexi, & inter domum in ea parte domus, quâ idem murus protenditur, pavimentum ex lapidibus & calce ſtravi: cellarium domus teſtudine cooperui lapidea: portam de lapidibus ſectis & fontem reformavi & ſolaria ſuperiora perfeci, cæteraque quæ de lignis & eorum pertinentiis fieri feci, quia citius pereunt, non duxi numeranda.

CAPUT LXXXIII.

POſt mortem Simonis epiſcopi Paderbornenſis electus ſeu poſtulatus eſt, Rupertus primogenitus Wilhelmi ducis de Monte, ſed quia iſti jam proviſum erat de eccleſia Patavienſi, & habuit in ea quendam adverſarium, cui favebat dux Auſtriæ, ipſe auxiliis conſanguineorum ſuorum Ducum Bavariæ fretus, guerras magnas cum eodem adverſario ſuo habuit, quare ultra quindecim menſes, quamvis ſæpe per capitulum rogatus & requiſitus Paderbornam venire diſtulit: unde accidit quòd omnes raptores, tam in diœceſi Paderbornenſi, quàm in locis circumvicinis habitantes, illis, qui jamdudum contra Simonem epiſcopum conſpiraverant, adjuncti, diœceſin Paderbornenſem incendiis & rapinis miſerabiliter vaſtaverunt, quorum omnium principalis

Digitized by Google

Fridericus de Pathberg junior erat. Et dum proſperatum eſt opus malum in manibus eorum, quidam ex ipſis auſu ſacrilego blaſphemias in ſanctos Dei referebant dicentes: S. Liborium eccleſiæ Paderbornenſis patronum eſſe caſtratum, quia virilia ad reſiſtendum eis non haberet. Ordinati ſunt autem quidam capitanei militiæ per capitulum & eccleſiæ fideles, videlicet, Bertholdus de Natheſungen, & Ludolfus & Hermannus de Herſe, fratres, poſtquam Gerhardus capitaneus & defenſor eccleſiæ aliàs electus, à prædictis eccleſiæ adverſariis nimis inopinatè inermis captus eſt. Hi cum iiſdem congreſſi, una cum fidelibus ſimiliter capti ſunt, præter Bertholdum de Natheſungen, qui vix eques evadit. Quare domini de capitulo eccleſiæ Paderbornenſis, ut captivos illos redimere poſſent, & ne omnino diœceſis Paderbornenſis deſtrueretur, neceſſitate coacti Fridericum de Pathberg inimicum ſuum præcipuum, in capitaneum ſuum & defenſorem ſui & ſuorum receperunt, & pro certa pecuniæ ſumma, qua captivi erant ex condicto redimendi, caſtrum Dringenberg ei tradiderunt obligatum. Inter hæc dominus Urbanus Papa ſextus Rupertum, ab eccleſia Paderbornenſi poſtulatum, maximè ad inſtantiam ducis Auſtriæ de eccleſia Pataviensi ad eccleſiam Paderbornenſem tranſtulit. Et ſic poſt tantas Paderfontanæ eccleſiæ clades ipſe dominus Rupertus, Papa Urbano jam defuncto, venit Paderbornam & VIII. Idus Aprilis inthroniſatus eſt, anno MCCCXC. Hic erat juvenis imberbis, ſupra canitiem ſenum ingenioſus, diſcretus, juſtus, magnanimus, Deum timens, & in pauperes maximè liberalis, & tam virtuoſus & ſtrenuus, ut in brevi, fama ejus divulgata, timor ejus ſuper omnes latrones & raptores irrueret, nec ſolùm ſuper illos, verum etiam ſuper principes & nobiles non ſolum Weſtfaliæ, ſed etiam Saxoniæ. Poſtquam igitur admiſſus eſt, ſtatim ſoluta pecunia Friderico de Pathberg, pro qua caſtrum Dringenberg tenuit obligatum, ipſum caſtrum recuperavit. Fridericus verò, unà cum ſuis complicibus, qui facinori ſuo nomen Bengeler indiderunt, in cujus oſtentationem fuſtes argenteos ante pectus geſtabant, Domino Ruperto inſidiatur, & ei publicas inimicitias indicit, & multos diſcurſus hoſtiles per diœceſin Paderbornenſem facit, & Rupertus ei fortiter reſiſtere ſatagebat. Tandem prædicti Friderici complices caſtrum Vorſtenberg, quaſi derelictum ſtans abſque cuſtodia, quadam nocte pervaſerunt, & in eo præſidium ponere tentabant: quare dominus Rupertus ſuis collectis fidelibus illos qui caſtrum ipſum pervaſerant in eodem obſidione concludit. Durante obſidione, Fridericus cum cæteris ſuis complicibus prædis & incendiis circa villas intendens auſu ſacrilego eccleſias hinc inde ſatagit deprædari. Cumque XVIII. die menſis Junii circa eccleſiam & cœmiterium Vernde commiſiſſet ſacrilegium, & cum ſpoliis verſus Pathberg ſe dirigeret, dominus Rupertus quibuſdam fidelium ſuorum in obſidione caſtri relictis, cum cæteris propè opidum Buren ipſi animoſus occurrit, & in iſto certamine vicit, ac Fridericum cum ſuis, ſeptuaginta octo videlicet viros præſtantiſſimos armatos obtinuit in campo. Tanta ſiquidem elatio mentis eorum erat, ut duodecim viros de ſecta eorum octodecim viris Paderbornenſibus jactarent prævalere, ſumentes ſibi proverbium blaſpemum dicendo: Decem & octo Paderbornenſes conſtituunt ſolidum. Et inde à Deo juſtè ordinatum eſt, quòd licet dominus Rupertus cum multo majori exercitu ſuorum, quos non longè à loco certaminis in obſidione reliquit, eis occurrere potuiſſet, tamen æquali numero quamvis ignarus ipſis occurrens triumphavit: non enim credidit eos tot eſſe, quot fuerant, quando tranſitus eorum ei fuerat nunciatus. Unde & ipſi victi admirati ſunt, quòd ab illis, quos ſibi cenſebant omnino diſſimiles, audacia & pugnæ peritia quamvis minimè pares ſuperati ſunt: præſertim cum ipſorum victorum plurimi burgenſes extiterunt. Hoc bello peracto res ibidem miranda apparuit: Nam cum victores ſingulos captivos perſpicerent, capreolus quidam ſylveſtris, impetuoſè proſiliens in medium, & inopinatè inter circumſtantes cadens, fractis cruribus expiravit, certum præbens indicium, vehementem mutationem fortunæ fallacis adfuturam. Nam ab illo die, dominus Rupertus cum conſenſu capituli ſtatuit hunc diem, ſicut diem Dominicum, ſingulis annis per civitatem & diœceſin Paderbornenſem celebrari. Illi verò, qui obſeſſi erant in caſtro Vorſtenberg, audita ſuorum clade, caſtrum reddiderunt, & ipſi dimiſſi ſunt. Poſt hoc complices captivorum, qui in bello non fuerunt, licet capti non erant, ſe victos eſſe profeſſi

ſunt.

Digitized by Google

ſunt. Unde Herboldus de Brobecke, qui fuit occaſio mortis Simonis epiſcopi per internuncios à domino Ruperto veniam poſtulavit, quam, poſtquam magnam pecuniæ ſummam domino Ruperto ſolvit, conſecutus eſt. Deinde Conradus Spegel miles gratiam domini Ruperti obtinere ſatagebat, quam quodammodo ſed non funditus, obtinuit. Dehinc dominus Rupertus cum certis principibus, epiſcopis & nobilibus, de pace ſervanda in partibus Weſtfaliæ, Saxoniæ & Haſſiæ tractatus plurimos habuit, donec eos induxit ad hoc, quòd ſtatuerunt & juraverunt, pacem certo modo ad duodecim annos continuos ſe ſervare, & quoſcunque pacem illam infringentes certo modo exterminare velle. Inter hæc dominus Fridericus de Pathberg, cum quibuſdam concaptivis ſuis, de ſumma, qua ſe redimere poterat, cum domino Ruperto concordabat, & inducias ad certum diem, quo modum redemptionis ſuæ plenè confirmaret, receperunt, pecuniam pro redemptione ſua mittentes, nequaquam ad præſtandum juramentum fidelitatis, ut victoribus jurare captivorum moris eſt, ad dominum Rupertum reverti voluerunt. Imò ipſe Fridericus, pacem principum totis viribus infringendo, domino Ruperto denuò inimicitias publicas indicit. Quapropter Rupertus, una cum principibus & Dominis univerſis, qui ſecum pacem prædictam ſtatuerant, magno congregato exercitu, caſtrum Pathberg obſidione concludit, & ſtatim opidum infra arcem in valle ſitum expugnans, defenſores ejus eo relicto fugere compulit. Cumque jam ſpes nulla eſſet in caſtris ipſis ſalvandis, dominus Rupertus morbo peſtilentiæ infectus XVIII. die menſis Junii ab hac vita deceſſit, & obſidio ſoluta eſt, & iterum multiplicata ſunt mala in terra. Corpus epiſcopi Paderbornam deductum cum fletu & planctu omnium, tam cleri, quàm laicorum, ante altare S. crucis eſt ſepultum, nec unquam tantus & tam univerſalis planctus viſus Paderbornæ creditur: tam ab intraneis, quàm foraneis, quantus & qualis in morte ipſius domini Ruperti factus eſt, quapropter ego memor planctus Ieremiæ Prophetæ, quem fecit ſuper morte Joſiæ regis Juda, cui hic aſſimilari non immeritò potuit, verſus infra-ſcriptos columnæ juxta ſepulcrum ejus affixi.

Plangite Rupertum, varia virtute refertum,
Montis magnificum Bavariæq; Ducem:
Germen animoſum, deteſtans omne doloſum,
Gloria Weſtphalicæ qui fuit eccleſiæ:
Hujus & electus: nunc terræ tegmine tectus:
Ante triumphator, fœderis atque ſator.
Quo pax juratur, quo patria tota beatur,
Iſta refota ſuis viribus adſiduis.
Virtutum cultor, vitiorum ſtrenuus ultor.
Hic judex æquus militiæque decus.
Senſibus antiquis ſenior; metuendus iniquis,
Cum vinci juvenis marte nequieverat is.
Linquens magnatis ſpeculum ſe ſtrenuitatis,
Parcarum ſævas pertulit inſidias.
Ante diem Julias terno ſurgente Kalendas
M. ſine ſex anni cum C. quater Domini.
Ergo fleamus eum, veluti noſtrum Machabæum,
Oremusque Deum, qui ſibi ſaluet eum.
Ad regnum vitæ cœleſtis quando venite
Qui ſtant ad dextrum, dulce ſonabit eis.
Clauda quòd alterno ſubſiſtant carmina metro
Triſtia, Naſo ſuo ſic docet eloquio.
Carmina quæ pulcra veterum lege ſcripta ſepulcra
Ut decet elegi quæ metra nunc elegi.

Alios etiam verſus ad commendationem ipſius domini Ruperti compoſui, quos, cum facta ejus & quorundam præceſſorum ſuorum ſuperius expreſſa comprehendunt, & ne faſtidio legentibus eſſent, hic ponere ſuperfluum exiſtimavi: ſi tamen quenquam illos legere delectat, poſt fines hujus libri eos ſcriptos inveniet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXXIV.

BOnifacius Papa nonus, poſt obitum domini Urbani, electus de collegio Cardinalium ſedit feré annis XV. Hic communiter Cardinalis Neapolitanus priùs fuerat nominatus, quamvis plures Cardinales de Neapoli per Dominum Urbanum creati fuerunt. Nam Dominus Urbanus in caſtro Luceriæ antequam obſidione vallaretur XVII. Cardinales creavit, inter quos erant Trevirenſis, Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi quamvis erant abſentes: ſed illi non acceptaverunt, & plures erant de Neapoli. Iſte tamen ab eodem Urbano creatus de Neapoli ante hoc tempus præcipuè Cardinalis Neapolitanus appellabatur. Hic Bonifacius coronatus eſt V. Idus Novemb. anno MCCCLXXXIX. & ſtatim confirmavit ea, quæ dominus Urbanus ſtatuit, de reductione anni Jubilæi de quinquageſimo ad triceſimum annum, & de feſto viſitationis Beatæ Mariæ virginis, ac de Feſto corporis CHRISTI, nec non de indulgentiis ſequentibus corpus CHRISTI, quando defertur ad infirmum. Ipſe dominum Adam Cardinalem de Anglia per Urbanum depoſitum reſtituit, & Dn. Pileum Cardinalem de Ravenna ab Antipapa, cujus erat factus Cardinalis, reverſum ſimiliter recepit ad Cardinalatus honorem. Caſtrum S. Angeli, quod à Romanis in magna parte deſtructum fuit, pro eo, quòd ex ipſo maxima damna ſuſtinuerunt Romani, in principiis ſchiſmatis, ab illis, qui de parte Antipapæ fuerunt, & qui ultra annum in eodem à Romanis obſeſſi, ipſum fame coacti reddiderunt, iſte Bonifacius magnificè reformavit. Item comitem Fundorum, qui principium ſchiſmatis ſtabilivit, penitus exterminavit, & ipſe Romanis non ſolum ut Papa, ſed tanquam rigidus Imperator dominabatur. Multos quidem eorum ſibi ſuſpectos de infidelitate, per juſtitiarios ſuos fecerat occidi: Capitolium & Palatium ſuum fortius munivit, nec fuit ante eum quiſquam Romanorum Pontificum, qui talem poteſtatem temporalem Romæ & in patrimonio S. Petri exercuiſſe legatur. Inter hæc Robertus olim Cardinalis Baſilicæ XII. Apoſtolorum, tunc Antipapa, moritur, & electus eſt in ejus locum Petrus de Luna, olim Cardinalis, qui ſe Benedictum nominat. Et deinde rex Franciæ, qui prædictos Antipapas fovit, moritur, & ſuccedit ei filius ſuus in regno: qui poſtquam aliquandiu regnavit, in amentiam verſus eſt, & cum per intervalla temporum quandoque ſanæ mentis effectus eſt, animum ſuum, licet debiliter, ad unionem eccleſiæ intendit. Et quia adhucusque in præſentem diem eodem morbo ſæpe laborat, ſollicitudinem pro reformatione unionis prædictæ oportunam nondum effectualiter oſtendit. Cum autem idem rex Wenceslaum regem Romanorum & Bohemiæ ad unionem prædictam, quamvis per eum ad hoc requiſitum, anhelare perpendit, ipſe ab obedientia Antipapæ ſe ſubtraxit, mandans per univerſum regnum Franciæ, quòd nemo ei aut collectoribus ſuis, de quibuscunque reditibus, cenſibus aut fructibus, ad eccleſiam Romanam ſpectantibus, reſpondere deberet: proteſtans expreſſè, quòd decætero ſibi tanquam Papæ obedire non vellet, nec per hoc intenderet adverſario ſuo, videlicet domino Bonifacio quoquomodo adhærere. Et ſic omnes regnicolæ regni Franciæ neutrales ſunt effecti, anno videlicet Domini MCCCXCVIII. Deinde neutralitas ipſa etiam ad quaſdam civitates Flandriæ & Brabantiæ derivata eſt. Unde civitas Leodienſis, inuſitatis gratiis, à Domino Bonifacio conceſſis, mota ab obedientia ejus receſſit, & neutralis effecta eſt. Rex tamen Franciæ in neutralitate illa, quam aſſumpſit, non finaliter perſeveravit. Anno Pontificatus Bonifacii primo, multi pauperes clerici curiam Romanam pro gratiis obtinendis ſatagebant viſitare. Et cum examinabantur, modus examinandi inauditus tunc ortus exitus ſiniſtri earundem gratiarum certum præbebat indicium. Nam miniſtri examinatorum, ipſis dominis ſuis non inſciis, ab examinandis pecuniam exegerunt. Cum igitur diſtributio gratiarum poſtea facta eſt, omnibus impetrantibus gratias in rotulis pauperes clerici poſtpoſiti ſunt, & gratiæ eorum penè inutiles efficiebantur. Annis enim ſecundo & tertio ipſe ſignavit multas rotulas ſub data anni primi, ac ſi cum aliis rotulis in principio anni primi porrectæ fuiſſent. Nec erat diſcretio, quis rotulas illas emitteret, vel qui continerentur in illis. Et iſti omnes gratiis pauperum in primo anno obtentis præjudicabant. Deinde ſucceſſu temporis quaſi omnes ſupplicationes ſibi porrectas ſub gratiis ſpecialibus cottidie ſignavit. Poſtea multi obtinuerunt duas, tres vel quatuor gratias ſpeciales ſub data familiarium Papæ. Deinde multi obtinuerunt gratias

cum

cum clauſula anteferri, quæ non ſolum præjudicabant gratiis pauperum generalibus, ſed etiam gratiis ſpecialibus. Poſtea vacantibus beneficiis, quæ hujusmodi gratias habentes acceptabant, alii impetrabant eadem ſub data diei obitus & gratias exſpectativas quascunque excluſerunt. Multi etiam impetrabant gratias, in quibus Papa ſcripſit, motu proprio ſe illas conceſſiſſe, quamvis Papa perſonas illas, quibus hujusmodi gratias conceſſit, minimè novit. Et ſic quilibet excogitavit ſibi modum, quo poſſet alium excludere, nec dubium erat de ſignatura obtinenda aut literarum expeditione facienda, ſi impetrans non defecit in pecunia expendenda. Ex prædictis quaſi inexplicabiles lites ortæ ſunt, & ſuccedentibus diverſis Papæ declarationibus, vix aliquis in beneficio, per gratiam ſedis Apoſtolicæ tunc obtento, ſibi ſecurus videbatur. Imò ſæpius accidit, quod duobus litigantibus in curia Romana, & latis duabus ſententiis definitivis pro una parte, ille contra quem latæ fuerunt, jam inſtante prolatione tertiæ ſententiæ, impetravit à Papa parti, pro qua duæ prædictæ ſententiæ latæ fuerunt, imponi ſilentium, vel ſaltem mandari auditori tertiæ inſtantiæ, ne juſtitiam in illa cauſſa adminiſtraret. Tandem quid parvi & infirmi ſtatus obtinuerunt gratias in duabus vel tribus diœceſibus, ad omnes collatores vel collatrices earum ad beneficia absque numero, certo tamen valore, magno quidem valdè, expreſſo, ita quòd ipſi præcederent omnes ante ſe gratias obtinentes, paucis exceptis, ſub quacunque forma verborum conceſſas: etiam-ſi contingeret Papam, tales illorum gratias revocare, nihilominus tamen ipſi gratiæ optatum impetrantium conſequerentur effectum. Pro quibus quidem gratiis nonnulli C. alii XC. alii LXXX. & ſic tandem usque ad XX. florenos deſcendendo expendebant. Cum autem prædictæ gratiæ, & quædam aliæ, de quibus infra dicetur, per Cancellariam, regulis ejusdem obſtantibus, tanquam à jure & uſu communi exorbitantes, expediri non poterant, per Cameram expeditæ tranſierunt. Tandem adhoc devenit expeditio literarum Apoſtolicarum, ſuper hujusmodi gratiis conficiendarum quòd volens habere gratiam à ſede Apoſtolica, non habebat ſollicitari ſuper ſignatura ſupplicationis, aut ſcriptura minutarum, aut groſſarum, cancellaria, camera, bulla, vel regiſtro, ſed ſolum cum ad hujusmodi ordinatis concordare, quantum vellet pro gratia obtinenda ſub formam, quam eligeret, expendere, & literas ſuper gratia tali absque ulteriori ſollicitudine reciperet expeditas. Ex prædictis accidit, quod rudes & quaſi illiterati Magiſtris & Doctoribus præferuntur in illis: & clerici ſimplices nationis plebeiæ Cardinalium prærogativa quantum ad pluralitatem beneficiorum, & etiam in eis compatibilitatem eorum, licet eis ſcientia ad hæc minimè ſuffragatur, attingunt: ita quòd unus decem vel duodecim beneficia habere comprobatur. Item multi impetrabant diſpenſationes, quòd poſſent plura beneficia curata & aliàs incompatibilia poſſidere. Item plurimi de fratribus ordinum Mendicantium impetrabant, quòd poſſent in eccleſiis parochialibus, earum rectoribus invitis, audire confeſſionem parochianorum, & prædicare ſolenniter in eisdem. Item nonnulli de prædictis fratribus impetrabant, quod poſſent habere plura beneficia eccleſiaſtica, ſecularibus perſonis debita, etiamſi curam haberent animarum. Item hic Bonifacius ſtatuit, quòd quicunque fratrum Mendicantium vellet tranſire ad ordinem non Mendicantium, ille ante omnia Cameræ Apoſtolicæ centum florenos auri ſolvere teneretur. Sed mirum videtur, unde Papa voluit illum aliquid ſolvere, qui nihil habuit, vel ſaltem nihil debeat habere.

Caput LXXXV.

Epiſcopatus plurimi, & per Alemanniam ferè omnes, iſtius Papæ temporibus vacaverunt: multisque eccleſiis perſonæ indigne, vel inutiles præfectæ ſunt. Et qui plus ſolvit Papæ epiſcopatum obtinuit: unde pro expeditione circa talia oportuna multi expenderunt decies tantum, quantum ſolverunt Cameræ Apoſtolicæ prædeceſſores eorum, nam quidam impetrantes Archiepiſcopatus XL. milia: alii LX. milia: nonnulli LXXX. milia florenorum Papæ ſolverunt. Vacante igitur ſede Paderbornenſi per mortem Dn. Ruperti, anno Pontificatus Bonifacii quinto, electus ſeu poſtulatus eſt à capitulo Paderbornenſi Johannes de Hoja frater epiſcopi Monaſterienſis. Et tunc ſtatim Fridericus de Pathberg tunc miles effectus, congregato exercitu magno, cum

adjutorio comitis de Marcka, diœceſin Paderbornenſem flammis & rapinis pervagatur: opidanos opidi Borgentrike certam pecuniæ ſummam ſibi ſolvere cogens, opidum Lichtenow ſagittis igne confectis incendit: & niſi fortes viri armorum muros ejuſdem defendiſſent ipſi opidanos cum ſpoliis abduxiſſent univerſos. Interim Johannes de Hoja noviter electus, ſuis congregatis amicis, cum Friderico pugnare diſpoſuit, ſed propter locorum diſtantiam amicis ejus tardiùs convenientibus Fridericus cum ſuis receſſit. Sed poſtquam prædictus electus à Domino Bonifacio confirmatus eſt: Ipſe tendens ipſi Friderico inſidias cepit eum, una cum fratre ſuo Johanne & Gotſchalco de novo caſtro Pathberg, & eos in vincula conjecit. Gotſchalcus poſt longam ſui detentionem pecunia ſe redemit, & cæteri duo fuga elapſi ſunt: ſed Fridericus debilitatus fugere neſciens expeditè iterum comprehenſus eſt. Et deinde multis tractatibus intervenientibus Fridericus & Johannes prædicti, cum omnibus amicis ſuis, utrumque caſtrum Pathberg tenentibus, epiſcopo & capitulo Paderbornenſi fidelitatem juraverunt. Et ſic fidejuſſoribus datis, & magna pecuniæ ſumma ſoluta Fridericus dimiſſus eſt. Poſt hoc Dominus Johannes electus Paderbornenſis, ad eccleſiam Hildenſemenſem poſtulatur: & poſtquam eccleſiæ Paderfontanæ præfuit annis v. per Dominum Bonifacium Papam ad eandem eccleſiam Hildeſienſem transfertur. Sed priuſquam transferretur ipſe de conſenſu capituli Paderbornenſis, & quorundam miniſterialium ſuorum, cum Hermanno comite de Everſtein ſuper comitatu ſuo diœceſi Paderbornenſi poſt mortem Comitis ejuſdem incorporando & uniendo, certum contractum conſummavit, & aſſignavit ipſi comiti ad vitam ſuam caſtrum Dringenberg, cum opidis & villis ab illa parte ſylvæ Oſing ſitis univerſis, præter caſtrum Steinheim cum pertinentiis ſuis. Et deinde domini de capitulo prædicto, de conſiliis ipſius domini Johannis, Wilhelmum filium Wilhelmi Ducis de Monte, fratrem quondam Ruperti ſupra-dicti, juvenem infra decem & octo annos conſtitutum, elegerunt. Et illi aſſignaverunt caſtrum Novum cum omnibus pertinentiis ipſius diœceſis ab hac parte Sylvæ prædictæ. Inter hæc cum literæ Apoſtolicæ ſuper translatione domini Johannis ſupra-dicti in curia Romana expediebantur, & nemo ſuper proviſione alterius electi ad eccleſiam Paderbornenſem apud ſedem Apoſtolicam inſtaret, dominus Bertrandus de Arvaſſanis, Canonicus eccleſiæ Ravennatenſis, natione Lombardus, de civitate Ferraria, Doctor Decretorum, auditor in Palatio Apoſtolico, epiſcopatum Paderbornenſem à Papa impetravit, & tandem Paderbornam veniens, quorundam favori innixus, qui per eum ſibi poteſtatem epiſcopalem in temporalibus credebant vendicare, à dominis de capitulo, multis mirantibus, receptus eſt, die videlicet XXVIII. menſis Octobr. anno MCCCXCIX. Eodem anno corpus S. Viti martyris pluſquàm per ſeptem menſes ſtetit in caſtro Lippeſpringe, & multi de civitate Paderbornenſi, tempore veris & æſtatis, ipſum ibidem viſitabant: quoniam inter Abbatem & conventum orta diſcordia, corpus ipſum à monaſterio Corbejenſi abſtractum, conventuales ſub tuitione Wilhelmi electi Paderbornenſis & capituli ſui eò perduxerunt: ſed XIII. die menſis Junii ad monaſterium Corbejenſe reductum eſt. Cumque dominus Bertrandus, inſinuatis literis ſuis capitulo, eſſet admiſſus, nec haberet locum, quo ſe reciperet hoſpitio, in curia Volmari de Brencken, qui eum fovere videbatur, reſidebat. Miniſteriales eccleſiæ Paderbornenſis in ipſam eccleſiam convenientes, in Wilhelmum filium Ducis ſupradicti concorditer conſentire ſe dixerunt, ut ipſe dominus eorum eſſet, hunc Italicum penitus execrando, ipſumque Dominum Bertrandum accedentes dixerunt ei, quòd ipſi eum pro domino ſuo nequaquam eſſent recepturi, nec regimen ſuum ejus poſſe prodeſſe. Et hæc omnia per interpretem ei narrabant, quia linguæ Teutonicæ ignarus erat. Deinde pluribus vicibus à conſulibus civitatis Paderbornenſis juramentum fidelitatis ſibi præſtari poſtulavit, ſed ipſi de die in diem ſuper hoc ſibi reſpondere diſtulerunt. Cumque vidit cives Paderbornenſes ad præſtandum ſibi hujuſmodi juramentum graves ſe reddere, timens ſibi periculum imminere, conſilio eorum, qui eum foverunt, edoctus à proconſulibus civitatis Paderbornenſis ſalvum conductum petiit, & obtinuit. Cumque proconſules prædicti à Dominis capituli ſæpè ſciſcitarentur, an ipſi deberent illi, per eos admiſſo, juramentum præſtare fidelitatis; reſponderunt: Nos fecimus illa, quæ per nos erant facienda: quid igitur per vos faciendum ſit, vos ipſi cogitate: nec tamen

Digitized by Google

tamen apertè dicere voluerunt, quòd juramentum ei præſtarent, vel quòd ipſi parere recuſarent: cum tamen uſque ad illud tempus obſervatum fuerat, quòd cives Paderbornenſes nulli electo, ſeu admiſſo in epiſcopum, juramentum hujuſmodi præſtiterint, niſi capitulum eccleſiæ cathedralis hoc fieri decerneret. Poſtquam igitur Dominus Bertrandus ferè per unum menſem Paderbornæ moram traxit XXIV. die menſis Novembr. fugitivè receſſit. Et cum extra civitatem perveniret ad campum, à quibuſdam equitibus in odium domini Wilhelmi ſuſceptus eſt, & ad caſtrum Dringenberg uſque perductus. Hermannus comes de Everſtein, exiſtimans ſe per eum totius diœceſis Paderbornenſis dominium conſequi poſſe, ipſum ſuſcepit gratulanter. Deinde dominus Bertrandus contra Capitulum & cives Paderbornenſes, nec non contra Wilhelmum graves proceſſus januis eccleſiæ in opido Dringenberg, quaſi per edictum publicandos, affixos, emiſit: ſed pactis & tractatibus quibuſdam intervenientibus proceſſus illos revocavit. Deinde, non obſtantibus pactis ſupra-dictis, alios proceſſus emiſit, & ab illis eſt ad ſedem Apoſtolicam appellatum. Cumque Dn. Bertrandus in caſtro Dringenberg degeret, quoties Comitem abeſſe contingeret, ipſe victualium competentia ſæpè carebat: quoniam omnibus à maximo ad minimum odioſus execratione habitus eſt. Unde Comes prædictus, licet confœderationem quandam cum eo contraxerat, cum vidit ſe nihil de eo conſequi poſſe, quod optaverat, conniventibus oculis ejus incommoda tranſiit. Quare tandem quidam in opido Dringenberg ſibi ponentes inſidias ceperunt eum, & nullo de opidanis defendente, eum ad caſtrum Novum, quod Dominus Wilhelmus tenuit, vinctum perduxerunt, & ibi in cuſtodia ſervabatur honeſta: donec eo reſignante eccleſiam Paderbornenſem, & Papæ pro Domino Wilhelmo ſupplicante, literis propria manu ſcriptis, ipſi Domino Wilhelmo per ſedem Apoſtolicam de ipſa eccleſia proviſum eſt, atque ſuper defectu legitimæ ætatis diſpenſatum cum eodem. Et interim quòd hæc expediebantur in curia Romana, ſpiritualium regimen per diœceſin Paderbornenſem habere cenſebatur, Domino Wilhelmo & Domino Hermanno Comite prædictis temporalia diviſim tenentibus. Sicque eccleſia Paderbornenſis filia cum eccleſia Romana matre ſua contagioſo partitionis morbo decumbens unionis ſolatium toto præſtolabatur affectu. Anno igitur nativitatis Domini MCCCCI. pridie Idus Martii dominus Wilhelmus inſinuatis literis ſuis capitulo admiſſus eſt, & dominus Bertrandus receptis duobus equis, & XX. florenis per capitulum ſibi ſponte donatis, ſub certis juramentis & ſcripturarum munimentis per eum præſtitis, dimiſſus, cum non modica confuſione receſſit. Inter hæc uxor Hermanni Comitis filium pepererat: quare contractus de Comitatu ſuo diœceſi Paderbornenſi uniendo, juxta quod condictum erat, reſolutus eſt, & diœceſis ipſa anno Domini MCCCCII. redintegrata, Domino Wilhelmo electo & confirmato, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ſoli integraliter, prout anteceſſoribus ſuis, obedivit. Eodem anno Dominus Wilhelmus exercens inimicitias ſingulares contra Henricum de Oer, qui caſtrum Ravensberg, à fratre ipſius domini Wilhelmi, videlicet domino Adolfo comite de Ravensberg tenuit obligatum, dum verſus partes Rheni, fratri ſuo prædicto & patri ſuo auxilium laturus, proficiſceretur, ab eodem Henrico, in quadam villa, qua cum ſuis requievit, nocte captus eſt, XXVII. die menſis Octobris.

CAPUT LXXXVI.

SIcut inuſitata quædam circa gratias, à ſede Apoſtolica diverſis perſonis conceſſas, tempore iſtius domini Bonifacii Papæ Noni, conſueta facta ſunt, de quibus ſupra jam ſcripſi, ſic circa indulgentias diverſis locis conceſſas, quædam incognita publicata ſunt. Primo quidem Pontificatus ipſius anno, cum juxta ordinationem domini Urbani Papæ ſexti, & approbationem iſtius domini Bonifacii, plurimi pro indulgentiis anni Jubilæi conſequendis, de univerſis mundi partibus, obedientiam ipſi domino Urbano præſtantes ad urbem Romanam confluerent, illi qui de regno Franciæ erant, & alii obedientiam ejus repudiantes, illo anno pro hujuſmodi indulgentiis Romam non venerunt: ſed juxta priorem ordinationem Clementis VI. anno domini MCCCC. in maxima multitudine pro hujuſmodi indulgentiis conſequendis Romam venientes limina ſanctorum viſitabant. Poſtquam verò annus Jubilæus juxta conſtitutionem Urbani & approbationem iſtius Bonifacii tranſiit, ipſe dominus Bonifacius u-

Digitized by Google

num annum ſub anni Jubilæi urbis Romæ indulgentiarum forma Colonienſi civitati conceſſit: ita quòd venientes Coloniam, vel ibidem habitantes, illo anno durante viſitantes certas eccleſias ad hoc decretas, cum oblationibus ſuis poſſent conſequi indulgentias conceſſas viſitantibus urbem Romam in anno Jubilæo: videl. pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum. Quo anno elapſo ſimilis annus conceſſus ab eodem Bonifacio ſub eadem forma civitati Magdeburgenſi. Et ad utramque harum civitatum miſſus eſt collector domini Papæ, qui certam quotam recepit oblatorum. Deinde conſimiles indulgentias conceſſit viſitantibus quaſdam alias civitates Germaniæ ad certos menſes: Unde in Miſnia & Praga, ex hujuſmodi conceſſione concurſus magnus erat populorum. Deinde conceſſit multis locis Alemanniæ, quòd viſitantes certas eccleſias ipſorum locorum conſequerentur indulgentias conſimiles, quæ erant quondam conceſſæ tali vel tali loco, ſeu tali vel tali eccleſiæ, quæ in ipſo privilegio conceſſionis exprimebantur, de quibus locis vel eccleſiis fama vulgaris erat, quod viſitantibus ea vel eas conceſſæ eſſent olim à ſede Apoſtolica indulgentiæ à pœna & à culpa. Et prædictæ conceſſiones indulgentiarum non ſolum concedebantur in locis inſignibus, imò in villis & muratis & in monaſteriis vel eccleſiis ſitis in campis. In omnibus privilegiis conceſſionum prædictarum ponebatur clauſula, Porrigentibus manus adjutrices: ita quòd videbatur neminem poſſe hujuſmodi indulgentias conſequi, niſi ipſis locis vel eccleſiis manum porrigeret offerentem. Et tandem quibuſdam locis concedebantur hujuſmodi indulgentiæ bis vel ter in anno, & in ſingulis locis, qui fecerunt ſermones, ad populum, indulgentias iſtas annunciabant, indulgentias eſſe à pœna & à culpa, quamvis literæ conceſſionis Apoſtolicæ hoc non continebant, ſed ſolum remittebant ad alia loca, de quibus iidem ſermocinantes, an in eis tales eſſent indulgentiæ, informati legitimè non fuerunt. Unde quibuſdam in locis concedebantur tandem expreſſæ indulgentiæ à pœna & à culpa, licet quidam ſummi pontifices abſurdum cenſuiſſe videntur aliquas indulgentias à pœna & à culpa nominandas, cum à ſolo Deo culpa deleatur, & indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis: quapropter quidam intelligentes ſibi vertebant in dubium, an Papa tales indulgentias conceſſiſſet, vel etiam literæ Apoſtolicæ ſuper talibus de certa ſcientia Papæ fuiſſent expeditæ: ſed poſtea manifeſtè apparuit, omnia prædicta tam de gratiis beneficialibus, quàm indulgentiis de certa ſcientia facta fuiſſe, quando ea ſub bulla revocavit, prout infra patebit. Hic Dn. Bonifacius Papa tandem tam prodigus indulgentiarum factus eſt, ut nemini eas petenti negaret, ſed abſque pecunia ſuper eis literas expedire, vel eas conſequi, impoſſibile vel difficilimum viſum eſt. Unde quidam conceſſiones hujuſmodi magis deceptiones, quam indulgentiarum conceſſiones interpretantes, cum eas intuitu lucri temporalis fieri judicabant, dicere non timebant: anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Inter eccleſias quibus prædictæ tales indulgentiæ conceſſæ ſunt, indulgentiæ, quæ à ſede Apoſtolica viſitantibus eccleſiam S. Martini Caſtellanæ Diœceſis in die aſcenſionis Domini olim conceſſæ fuerunt, Eccleſiæ majori Paderbornenſi pro viſitantibus eam in die viſitationis beatæ Mariæ virginis conceſſæ ſunt. Et quòd capitulum ipſius eccleſiæ eligere poſſet certos confeſſores pro audiendis confeſſionibus ipſorum viſitantium, qui abſolvere poſſent ſibi confitentes ab omnibus peccatis, præter à caſibus Papæ reſervatis.

CAPUT LXXXVII.

POſtquam Dominus Bonifacius Papa ſupradictus gratias pauperibus & etiam aliis anno primo Pontificatus ſui conceſſas, per novas gratias cottidie jam per annos XIII. modis prædictis poſt-tergavit, animoſque eorum per tantum tempus ſpe retardationis inſolitæ liberalitatis ſuſpendit, nec etiam in gratiis deinceps concedendis progreſſus ulterior ſoliti finis efficax videretur, inopinato ac inaudito modo conſolatur eoſdem. Quoniam Pontificatus ſui anno XIII. XI. Kalend. menſis Januarii ſolubilem deſperationis laqueum contexens ſuſpendii faſtidium relaxando omnes gratias exſpectivas, ſub quacunque verborum forma à ſe conceſſas, perſonis quibuſcunque revocavit: & deinde novos modos ſuper gratiis beneficialibus inducens ſtatuit, quòd quicunque deinceps gratiam ab eo impetraret, literas ſuper illa gratia infra annum à tempore Datæ computandum procurare deberet, aliâs gratia illa haberetur pro non

facta

facta, nec literæ ſuper ea poſt annum deberent expediri. Et literæ deberent, ut priùs ſolitum erat, per cancellariam expediri. Et ſi quæ de-cætero literæ Apoſtolicæ ſub bulla, ſeu bullatæ, habentes Datam poſt dictam diem, gratiam ſeu juſticiam in ſe continentes, ſub quavis forma vel expreſſione conceptæ reperirentur, quæ non forent expeditæ per cancellariam ſuam, & quæ non haberent ſigna conſueta ipſius cancellariæ: tales deberent & cenſeri nullæ, & nullius exiſtere roboris vel momenti, nec eis in judicio, vel extra, aliqua fides eſſet adhibenda, etiamſi in eis continerentur clauſulæ, non obſtante iſta ordinatione, vel aliis cancellariis, vel quacunque alia clauſula derogatoria quorumcunque verborum, exceptis duntaxat literis de curia & ſecretis, quæ fierent de mandato Papæ. Item revocavit omnes gratias cum clauſulis Anteferri & Antelationis, nec non indulta & facultates, quibuſcunque prælatis conceſſas, ſuper conferendis beneficiis in poſterum vacaturis, & eorum prærogativis, quæ nondum erant ſortita effectum, non obſtante, ſi in hujuſmodi gratiis, aut aliqua earum contineretur clauſula, ſi contingeret per nos tales gratias, aut aliquam earum quomodolibet revocare, vel hujuſmodi gratiæ non comprehendantur in genere ſub hujuſmodi revocatione, niſi de verbo ad verbum de talibus gratiis expreſſa mentio habeatur, vel ſub ſimilibus clauſulis quibuſcunque verbis derogatoriis, vel aliis quibuſcunque. Item irritavit & annullavit omnes uniones parochialium eccleſiarum, monaſteriorum, etiam monialium, ac dignitatum, prioratuum, præbendarum, officiorum & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, ac eorum locorum quorumlibet hactenus ſive per ipſum, ſive per prædeceſſorem ſuum imediatum, aut etiam per quoſuis ordinarios factas, quibuſcunq; eccleſiis, vel monaſteriis, vel aliis locis eccleſiaſticis, vel menſis epiſcopalibus, aut capitularibus, vel Abbatialibus ſeu collegiis, officiis, dignitatibus, aut præbendis, aut quibuſvis aliis locis, aut hoſpitalibus, quæ fuerunt ſortitæ effectum, aliâs quàm per obitus illorum qui dicta beneficia unita obtinebant, tempore unionum de illis factarum, etiamſi eſſent factæ motu proprio, ac etiam illas, quæ factæ fuerunt ſine magna neceſſitate, vel ex falſis, vel nullis cauſis, etiamſi ſuper ipſis unionibus lis pendebat indeciſa in quacunq; inſtantia fuerat. Et ſimiliter caſſavit, & annullavit, & irritavit quaſcunque confirmationes à ſe factas de unionibus per ordinarios factis, etiamſi in literis Apoſtolicis ſupradictis unionibus & confirmationibus continebatur clauſula, & ſi contingeret Per nos revocari uniones in genere, ipſæ per eaſdem literas factæ non intelligantur revocatæ. Item declaravit, & decrevit, quòd prætextu conceſſionum à ſe factarum, quibusdam prælatis eccleſiarum regularium, aut monaſteriorum, etiam monialium, aut prioratuum, aut locorum quòd poſſunt Parochiales eccleſias, vel beneficia curata, ſeu perpetuas Vicarias eis unita facere regi per monachos ſuos etiam removibiles ad nutum ipſorum vel aliàs qualitercunque nulla parochialis eccleſia, aut perpetua vicaria parochialis eccleſiæ, vel aliud curatum beneficium, quæ priùs regebantur per alios ſæculares clericos, poſſent deinceps regi per monachos, aut regulares canonicos, ſed in eis inſtituerentur perpetui vicarii ſeculares presbyteri: & ſi antè non fuiſſent aſſignatæ congruæ portiones, ſicut de jure aſſignandæ fuiſſent, per locorum ordinarios aſſignarentur, & deinceps tales eccleſiæ parochiales, & curata beneficia, ſeu perpetuæ vicariæ, conſueta priùs per ſeculares clericos regi, & gubernari, nullatenus per monachos vel religioſos alios regerentur, vel etiam gubernarentur, non obſtantibus quibuſcunque conceſſionibus ſeu indultis, eccleſiis regularibus, aut monaſteriis & prioratibus, aut locis aliis religioſis prædictis, ſub quavis forma vel expreſſione verborum factis, vel conceſſis: quæ extunc totaliter caſſavit, revocavit & annullavit, & voluit, quòd locorum ordinarii poſſent & deberent exemptos etiam auctoritate Apoſtolica compellere ad obſervandum præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia. Item revocavit & annullavit omnes & ſingulas indulgentias, in quibus continebatur à pœna & à culpa, vel plena indulgentia, vel remiſſio omnium peccatorum, & alias, quæ conceſſæ fuerant ſub forma indulgentiarum eccleſiarum Urbis anni Jubilæi, vel ſancti ſepulcri Dominici, ſancti Michaëlis Archangeli de monte Gargano, ſancti Jacobi de Compoſtella, & ſancti Marci de Venetiis, ſanctæ Mariæ de Angelis in portiuncula, ſanctæ Mariæ de Calomadiis, & omnes alias, quæ factæ fuerunt ad inſtar Indulgentiarum quibuſuis aliis eccleſiis conceſſarum. Et voluit, quòd nullius roboris

Digitized by Google

boris eſſent vel momenti, etiamſi in literis Apoſtolicis, ſuper dictis indulgentiis confectis, contineretur talis clauſula, videlicet, ſi contigerit per nos revocari indulgentias, vel in genere, vel in ſpecie, quòd indulgentiæ per eaſdem literas conceſſæ non intelligantur revocatæ. Item caſſavit & irritavit indulgentias & gratias conceſſas illis, qui præeſſent certis piis locis, eccleſiis vel monaſteriis, quòd ipſi poſſent eligere certos confeſſores, qui audirent confeſſiones confluentium, pro indulgentiis ipſis locis, vel eccleſiis, monaſteriis conceſſis, & abſolvere illos, qui eis confiterentur, etiam in caſibus epiſcopalibus, ac eccleſiæ Apoſtolicæ ſedi reſervatis. Item caſſavit & irritavit literas ſuas, per quas conceſſerat quibuſdam fratribus de ordinibus Mendicantium, quòd poſſent etiam invitis & contradicentibus rectoribus parochialium eccleſiarum in ipſorum eccleſiis audire confeſſiones ipſorum parochianorum, ipſosque abſolvere etiam in caſibus ſupra-dictis: Et plura alia contra Decretalem piæ memoriæ Bonifacii octavi Papæ, quæ incipit: Supra cathedram, & in concilio Viennenſi per felicis recordationis Clementem Papam quintum innovatam. Et voluit omnes tales poteſtates & literas, ſub quavis forma vel expreſſione verborum conceſſas, nullius roboris eſſe vel momenti. Item annulavit & revocavit omnes gratias diſpenſationum à ſe factarum quibuſcunque fratribus ordinum mendicantium, quòd poſſent obtinere beneficia eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura, conſueta clericis ſecularibus aſſignari, ſi eis alias Canonicè conferrentur, ſub quacunque forma verborum vel expreſſione, quæ non erant ſortitæ effectum. Et illi, qui vigore talium diſpenſationum actu plura beneficia ultra unum conſecuti, dimitterent illa, & unum duntaxat retinerent, ſi tamen curatum exiſteret, aliis in manibus ordinariorum dimiſſis liberè: quòd ſi infra ſex menſes à tempore publicationis ipſarum revocationum non dimitterent, eo ipſo eſſent dicto uno, & aliis privati, & diſpenſationes ipſæ omni effectu carerent, & reputarentur pro non factis. Item ordinavit & voluit, quòd illi, cum quibus eſſet per eum uſque ad illum diem diſpenſatum, quòd poſſent plura beneficia incompatibilia, videlicet, dignitates perſonatus, vel officia, vel parochiales eccleſias inſimul retinere, etiam ultra duo, vel tria, vigore talium diſpenſationum non poſſent aſſequi, vel retinere ultra duo incompatibilia: & ſi qui magiſtri in Theologia, Doctores juris Canonici, vel civilis, ſive illuſtres fuerant, tunc ultra duo talia beneficia aſſecuti, illa quæ ultra duo aſſecuti fuerant, debeant infra ſex menſes ab iſto die computandos permutare pro aliis beneficiis ſimplicibus: & alii, qui ultra duo beneficia incompatibilia tunc poſſidebant, infra dictum terminum, illa quæ ultra duo obtinebant, liberè dimittere verbo & effectu in manibus ordinariorum: alioquin ſi Magiſtri & Doctores & Illuſtres infra dictum terminum non permutarent, & alii prædicti non ea dimitterent, ut refertur, eo ipſo eſſent privati omnibus incompatibilibus, quæ obtinerent, exceptis Dominis Cardinalibus, Notariis Papæ, Correctoribus literarum Apoſtolicarum, Subdiacono Papæ, Auditoribus cauſſarum Palatii Apoſtolici, Cubiculariis & Acolytis Papæ, clericis Cameræ Apoſtolicæ, & Secretariis Papæ, quos ſub hac regula voluit nulla-tenus comprehendi. Item revocavit & annullavit omnes exemptiones perpetuas à ſe factas, quibuſcunque monaſteriis, vel eccleſiis, aut capitulis, vel prælatis, aut conventibus, quorumcunque ordinum, ſeu religionum, & ſecularium eccleſiarum, cathedralium, collegiatarum, univerſitatumque, quorumlibet caſtrorum, terrarum, vel villarum, & literas ſuas ſuper illis confectas decrevit eſſe irritas, & inanes. Item voluit & ordinavit, quòd illi, qui de ordinibus Mendicantium impetraverunt Capellanatum honoris, non eſſent propter hoc exempti à juriſdictione ſuperiorum: & ſimiliter perſonæ ſeculares quando poſſent corrigi & puniri ab eorum ſuperiore, non obſtantibus literis Apoſtolicis ſupradictis eis conceſſis, nec etiam proceſſibus deſuper eis conceſſis per Camerarium Papæ, exceptis Magiſtris & Baccalauriis formatis in Theologia, & Doctoribus Juris Canonici & civilis. Item caſſavit & annullavit gratias conceſſas per Dominum Urbanum Papam ſextum quibuſdam Prælatis, quòd literæ Apoſtolicæ examinarentur per eos, ſeu officiales eorum, alias non admitterentur, ſeu fieret executio earum & ſtatuta aliorum Prælatorum, qui hoc idem per ſtatuta Provincialia ſeu Synodalia ſtatuerunt, & literas, quas iidem prælati ſuper approbatione literarum Apoſtolicarum ipſarum, quas vidimus appellabant, concedebant, ac ſtatuta prædicta an-

nullavit

Digitized by Google

nullavit & caſſavit, volens quòd judices & notarii ac alii requiſiti poſſent & deberent exequi literas Apoſtolicas, abſque talibus literis approbationis, ſeu Vidimus, & ſententias, quas ipſi prælati, ſeu officiales, contra executores literarum Apoſtolicarum ferrent, decrevit irritas & inanes. Item revocavit literas familiaritatis, quas multis conceſſit, qui familiares ejus continui non extiterant. Item revocavit conceſſiones, quas fecerat quibuſdam laicis, qui bona monaſteriorum aut piorum locorum tenuerant, & voluit, quòd bona illa reverterentur ad monaſteria, & loca prædicta: & decrevit literas deſuper conceſſas irritas & inanes. Item revocavit facultates à ſe conceſſas quibuſdam fratribus mendicantibus ſuper prædicando verbo crucis & indulgentiis dandis per eoſdem. Sed non obſtantibus revocationibus prædictis, Maguntinenſis & Colonienſis Archiepiſcopi, nolentes lucro & commodo, quæ de literis Vidimus ſupradictis, habere ſoliti erant, carere, ſine eiſdem literis Apoſtolicas literas exequi non ſinebant. Poſtquam Dn. Bonifacius prædictas revocationes, ordinationes, annullationes & caſſationes fecit, novas gratias, non tamen ab anteceſſoribus ſuis concedi ſolitas conceſſit, & gratias ad beneficia exſpectivas ad quinquennium reſtrinxit. Unde nullum eorum, quos revocationibus gratiarum ſupradictis offendit, reddidit deſperatum, quin poſſet iterum plenitudinem poteſtatis Apoſtolicæ ſuis temporibus tentare confidenter, ſed pro ſignatura ſupplicationis cujuslibet ducatum unum dare oportebat impetrantem. Inſuper ipſe Dn. Bonifacius, non ſolum contra Apoſtolum, ſed etiam contra Evangelium diſpenſavit. Nam Ladislao regi Siciliæ, ſeu Neapolis, indulſit, quòd ipſe, abdicata à ſe uxore ſua legitima, jam multis annis cum eo commorante, aliam ſuperinduxit uxorem. Ecce ſicut hic Bonifacius ſuper omnes Romanos Pontifices, prædeceſſores ſuos, terreni principatus poteſtatem rigidius in Romanos oſtendit, ita auctoritatis Apoſtolicæ plenitudinem latiùs, quàm iidem prædeceſſores in Imperii Romani extremos fines uſque diſtendit, non ut aurum, quo Petrus claudum ſanans caruit, ſe cumulare monſtraret, ſed ut dum vices illius geſſit in terris, cui nemo dicere poteſt: cur id facis? auri ſitim auro extingui non poſſe, non ſolum verbo, verùm etiam exemplo confirmaret. Cum igitur hic lapis offenſionis & petra ſcandali, duab. domibus, clericis, videlic. & laico in principio hujus operis expreſſus, verbis conflatis in aurum, auroque verſo in arma, terras eccleſiæ alienatas rebellibus ſubactis, verbis, auro, armis potenter recuperavit, laudatur in factis ſuis, ab his qui ambulabant in viis ejus: Interim tamen, quia vicarius ejus, de quo ſcriptum eſt: Non eſt quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filii hominum, ut immutetur, tam mutabilis viſus eſt, auctoritas & reverentia Papalis ex factis ejus plurimum viluit apud omnes, & à laicis non ſolum auctoritati ordinariæ eccleſiaſticæ, ſed etiam his, quæ olim à ſummis Pontificibus ſanctis, Spiritu ſancto illuminatis, ordinata ſunt, licenter detrahitur: cleruſque quotidie magis & magis eiſdem laicis vergit in contemptum. Inter hæc Dn. Bonifacius Papa calculi infirmitate gravatur, & dum ſe opera medicorum ſatagit ſanari, in membro virili putreſcit: & ſic quamvis torſionibus intolerabilibus cotidie quatitur, tamen aurum ſitire non deſivit, donec XV. anno Pontificatus ſui in Kalendis Octobr. prædicto morbo defecit.

CAPUT LXXXVIII.

Vacante igitur ſede, Cardinales infra ſcripti congregati, videlicet Angelus tituli S. Laurentii Florentinus, Franciſcus tunc S. Suſannæ Monopolitanus, Henricus S. Anaſtaſiæ Neapolitanus, Coſmatus S. crucis in Jeruſalem Bononienſis, Angelus S. Potentianæ Laudenſis, presbyteri: Nec non Rainaldus S. Viti in macello de Branchaciis, & Landolfus S. Nicolai in carcere Tulliano Barenſis, Diaconi, conclave intraverunt, & coram pluribus notariis & teſtibus ſolemnibus compromiſerunt, & compromiſſum ſervare juraverunt, nec unquam ſe abſolvi ab illo juramento ſe petituros, neque abſolutionem aliquam recepturos ſe ab eodem, videlicet: quòd ipſi ſinguli, & communiter, & ſi quis eorum forte in Papam eligeretur, vellet omnem diligentiam, quam poſſet adhibere ad hoc, quòd unitas eccleſiæ reformaretur, etiamſi opus eſſet adhoc renunciare Papatui, vel reſignare illum, qui ex eis Papa fieret, & quòd Cardinales abſentes ad ſimile juramentum præſtandum coarctarent. Et ſi fortè novos Cardinales poſtea creari contingeret, quòd ante omnia ſimile juramentum

Digitized by Google

tum præſtarent. Et poſt hoc proceſſum eſt ad electionem, & electus eſt ex eis Dn. Coſmatus ſupradictus, & vocatus eſt Innocentius ſeptimus. Hic ſtatim poſt electionem ſuam regimen urbis Romanis reddidit: unde elati in ſuperbiam inſolentias eis conſuetas ultra modum exercere præſumſerunt. Dominus verò Innocentius Papa Archiepiſcopis & Prælatis, per diverſa regna conſtitutis, literas ſuis cum nunciis ſolennibus direxit, inſinuans eis, quòd in Kalendis Novembris, deinde proximè futuris, concilium generale in urbe Roma pro unione eccleſiæ eſſet celebraturus, & exhortans eos, ut ſe cum prælatis ſibi ſubditis, vel ſaltem viros idoneos ad idem concilium dirigere curarent. Sed adveniente menſe ſeptembri, Romæ inter amicos Papæ, & quoſdam Romanorum orto diſturbio, quidam Romani æmuli Papæ, à fidelibus ejus trucidati ſunt. Quare Papa quaſi fugiendo ab urbe receſſit, & Viterbium ſe tranſtulit. Unde multi Curtiſani à Romanis capti cuſtodiis deputati ſunt, nec non rebus ſuis ſpoliati: ſed Paulus de Urſinis nobilis Romanus cum exercitu magno Romam venit, & fugato Johanne de Columna, nobili Romano, Papæ adverſario, cum ſuis complicibus, populum Romanum quodammodo pacificum reddidit. Adveniente die pro concilio celebrando prædicto, Prælatis Teutoniæ diſturbio ſupradicto permotis non venientibus, Papa diem Concilii ad diem Beati Martini continuavit, & deinde uſque ad Kalendas menſis Maii futuras ipſum concilium prorogavit. Hic Dominus Innocentius in principio creationis ſuæ, more prædeceſſorum ſuorum, diverſos rotulos ſuper gratiis beneficialibus ſignavit: ſed volens modum illum, qui vitio Simoniæ invaluit, extirpare, ſeptimo Idus Aprilis omnes gratias & conceſſiones, vicioſè vel Simoniacè, ſeu etiam per ſcitum & conceſſum eorum, ſub quorum titulis rotuli hujuſmodi confecti fuerunt, in rotulis ipſis, ſeu extra illos, ad inſtantiam cujuſcunque, ſeu quorumcunque obtentas, & quæcunque inde ſecuta, caſſavit & irritavit. Inſuper in omnes & ſingulos, cujuſcunque gradus, ſtatus, vel conditionis exiſterent, etiamſi Pontificali, aut alia quavis præfulgerent dignitate, quos forſitan in futurum hujuſmodi nefanda in rotulis hujuſmodi, vel extra illos Simoniacè procurare, vel tractare, aut propterea pecunias, vel alia munera dare, vel promittere, ſeu recipere contingeret, excommunicationis ſententiam promulgavit, à qua per alium, quàm Romanum Pontificem, præterquàm in mortis articulo abſolvi non poſſent. Et nihilominus procurantes, tractantes, dantes, promittentes ac recipientes hujuſmodi omnes & ſingulos, ſive pro ſe, ſive pro aliis, omnibus beneficiis eccleſiaſticis, quæ eo tempore quomodolibet obtinerent, eſſent privati & inhabiles ad alia beneficia obtinenda. Sed heu ille mille artifex, zizaniæ ſator, ſemine bono ſuffocato vincula ſupradicta, quamvis arctiſſima ſuæ calliditatis arte diſſolvit, ita quòd literæ ſuper gratiis ſuſpectis de præmiſſis expeditionem inter cæteras literas receperunt, & concilium prætermiſſum eſt, quod ad Kalendas Maii fuerat prorogatum. Hoc anno, videlicet nativitatis Domini MCCCCVI. Pontificatus Dn. Innocentii Papæ prædicti ſecundo, prima die menſis Junii, ecclipſis Lunæ facta eſt, & XVI. die ejuſdem menſis Sol obſcuratus eſt, & factæ ſunt tenebræ hora quinta ante meridiem, ita quòd unus alium juxta ſe ſtantem vix diſcernere potuit, & deinde plurimæ inundationes aquarum, quæ à medio Aprilis incoaverant, uſque ad medium Septembris, & parum ultra continuatæ ſunt, paucis diebus interpolatis aura clara perſeverante. Quidam aſtrologi dixerunt, hæc damnificamenta Solis & Lunæ, magnum quendam & horribilem eventum ſignificare: quicunque tamen eventus ille fuerat, ego per obſcurationes prædictas luctum quendam Solis & Lunæ recipio deſignatum. Lugendum quippe eſt, non ſolum Soli & Lunæ, imò cunctis ſtellis in principio hujus libri deſignatis, eò quod mulier Solis amicta pallio, Luna de ſub pedibus ejus elevata faciem ipſius obſcurante eam, toto cycli ſolaris curſus tempore, ſchiſmatici devii ſedit in tenebris, & nunquam in aliquo cœli puncto tantum ſolaris fervor invaluit, quod ipſa filios ſuos, lunaris fluxus inundatione dilapſos, videre valeret reſtrictos in unum. Eodem anno, ſeptima die menſis Novembris, obiit Innocentius Papa: & poſt hoc in die beati Clementis Cardinales numero quatuordecim, in conclavi pro electione ſummi Pontificis congregati, juraverunt & compromiſerunt, quod quicunque ex eis eligeretur in ſummum Pontificem, deberet propter eccleſiæ unionem reformandam Papatui renunciare, ſi & quando adverſarius ejus ſimiliter renunciaret prætenſis juri

ſuo

Digitized by Google

ſuo & Papatui, ſive decederet, dummodo Anticardinales vellent effectualiter ſic convenire, & concordare cum eis, quod ex eis omnibus collectis ſequeretur canonica electio unici ſummi Pontificis: & ille, quem ſic eligi contingeret ex eis, tunc in conclavi congregatis ſtatim poſt inthroniſationem ejus, deberet infra tres menſes mittere ſolennes ambaſſiatores ad concordandum de loco habili & decenti pro prædictis. Et deinde electus eſt ex eis Dominus Angelus tituli S. Marci presbyter Cardinalis, qui fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, & coronatus XIV. Kalendas Januarii Gregorius XII. eſt appellatus: qui ſtatim direxit literas ſuas primò, & deinde ſolennes ambaſſiatores ad Petrum de Luna, qui ſe pro adverſa parte Benedictum nominavit, & ille reſpondit, ad omnia ſe fore paratum: unde per totum annum, videlicet, nativitatis Domini M.CCCC.VII. multi tractatus habiti ſunt inter eos per ſolennes nuncios, & non eſt effectus ſecutus intentus. Eodem anno Dominus Wilhelmus electus Paderbornenſis pridem de captivitate liberatus bello caſuali vicit Comites de Spegelberg, & opidanos de Hamelen, in die beatæ Ceciliæ virginis: & ceciderunt ex eis XVI. & multi ex eis capti vinculis ſunt aſtricti, plurimi intra ipſum opidum recepti evaſerunt: & de victoribus nemo cecidit, ſed quidam graviter fuerunt vulnerati. Unde idem electus de conſenſu capituli ſui diem beatæ Ceciliæ, ut Dominicam diem per civitatem & diœceſin Paderbornenſem ſtatuit celebrandum. Eodem anno idem electus cum multis principibus & nobilibus contra Simonem Domicellum Lippienſem, & Bernhardum filium ejus ligam iniit, & cum eis opidum Horne obſidione concluſit: Sed obſidione poſt plures ſeptimanas ſoluta guerræ per totum annum continuatæ ſunt, donec anno ſequente, videlicet nativitatis Domini M.CCCC.VIII. idem electus ex ſubditis ſuis ante opidum Lemego exercitu quingentarum lancearum producto, præfatos Simonem & Bernhardum ſibi homagium facere, & fidelitatis juramentum præſtare coëgit: & ipſe Horne & Valkenberg ab eo ſpecialiter, & cætera, quæ ab eccleſia Paderbornenſi tenebant in genere receperunt in feudum. Et deinde Præfatus electus à rege Romanorum avunculo ſuo Ruperto obtinuit confirmationem, ſeu innovationem privilegiorum Imperalium eccleſiæ Paderbornenſis ſuper illis bonis quondam conceſſorum: inter quæ ſpecialiter Lemego & Dethmelde fuerunt expreſſa. Eodem anno illuſtris Dux, princeps WILHELMUS de Monte, pater iſtius WILHELMI Electi Paderbornenſis VIII. Kalendas Julii deceſſit: cujus obitu & commemoratione verſus in Duſeldorp & Bilfelde acceptabiles feci infra ſcriptos.

Turbida me cogis, ô mors, inſignis Herois
Heu minus egregio geſta referre ſtylo.
Verſibus alternis claudis gradior, quia ſpernis
Gaudia: cur animo triſtior hoc eligo.
Mors Ducis illuſtris Wilhelmi turbida luſtris
Fluxis Virginei bis C. puerperii
Hic anni Julias ſepteno ſtante Kalendas
Bis C. bis octavi vi fuit acta gravi.
Hinc fuit ipſe bonus pater, eccleſiæque patronus:
Excolit ornatus hanc per eumque datus,
Divinum cultum dilexit creſcere multum,
Factis magnificus qui fuit, iſque pius.
Mœnia caſtrorum turres teſtantur eorum,
Et quòd collegium condidit egregium.
In Duſel-villa muri turres & in illa
Ejus temporibus nobilis in Ducibus.
Si quis erat, dubito, permunificentior iſto.

* * *

Utque leonina tulit hic inſignia bina,
Armorum quod ei contulit urbs Julii:
Montis & ipſe ſtatus meruit quem primò Ducatus:
Sic virtus gemina protulit acta ſua.

Hinc generoſorum quod haberet more decorum,
Hunc Mauſolæum valde deceret eum.
Terra ſed oſſa tegit, animam qui Tartara fregit
Lucis perpetuæ collocet in requie.

CAPUT LXXXIX.

QUarta die menſis Maii hujus anni Gregorius Papa exiſtens in civitate Luca, & præſumens adverſarium ſuum doloſe ſecum agere, mandavit Cardinalib. ſuis ne ſine licentia ſui ſpeciali Lucam exirent, & ne invicem in aliquo loco, ſine ſpeciali ejus mandato, convenirent ſub pœna periurii: Et ſi Lucam aliter exirent ipſo facto eſſent Cardinalatu privati, ſimiliter & beneficiis omnibus quæ haberent. Item mandavit eis ne tractatus aliquos haberent cum Anticardinalibus aut oratorib. Gallicis. A quibus mandatis, & ab ipſo Papa Gregorio, tanquam malè informato, ad eundem tanquam melius informandum, & ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum judicem venturum, & ad concilium generale, & ad futurum Papam, ſeptem Cardinales, in civitate Piſana, ad quam ſe tranſtulerant, XIII. die menſis ejuſdem appellaverunt. Inter hæc Ladislaus Rex Siciliæ, ſeu Neapolitanus filius Caroli de Pace, uſurpavit ſibi dominium urbis Romanæ, & multarum civitatum & caſtrorum patrimonii S. Petri, & ad titulum Romani Imper. viſus eſt aſpirare. Supradicti Cardinales tandem miſerunt epiſtolas ſuas Regibus, archiepiſcopis, epiſcopis & principib. diverſis conquerendo de Papa; & Gregorius Papa ſimili modo contra Cardinales literas ſuas direxit eiſdem, & quidam ex eis ſcripſerunt, quomodo ipſi receſſiſſent ab obedientia illius. Et deinde Cardinales Petri de Luna, qui ſe Benedictum nominabat, derelinquentes eum convenerunt cum Cardinalibus Gregorii apud Ligurinum portum, videl. Piſanum: & illi ſimul concordaverunt indicere concilium generale celebrandum in civitate Piſana, in feſto annunciationis beatæ Mariæ virginis, tunc proximè venturo, & hæc deliberatio utriuſque collegii facta eſt XXIIII. die menſis Junii. Cumque hæc deliberatio venit ad noticiam Gregorii & Benedicti, uterque generale concilium celebrandum indixit. Gregorius quidam ad feſtum Pentecoſtes tunc proximè futurum in provincia Aquilegienſi, vel in archiepiſcopatu Ravennacenſi nullum certum locum aſſignando, & Benedictus apud Parpinianum civitatem Arragoniæ ad Feſtum omnium ſanctorum. Et Cardinales in literis ſuis, quas ad diverſas miſerunt provincias declarabant puncta jurata per Gregorium in conclavi: inter quæ principale fuit, cedere Papatu, & inſerebant eiſdem literis quaſdam concluſiones, in quibus univerſitates Bononienſis & Pariſienſis ſtudiorum conſentire docebant, quarum prima fuit iſta. Uterque de Papatu contendens, ex debito paſtoralis officii veri, vel prætenſi, juri communi, vel circumſcripto quolibet juramento, ſtante ſchiſmate tam inveterato cum tanto populi ſcandalo, tenetur, & debet cedere: ex quo propter dubia juris & facti ſuper Papatu aliter non poteſt commodè dari unio & pax in eccleſia Dei, ne plus temporalem dignitatem, quam populi ſalutem & unitatem appetere videatur. Secunda concluſio longè fortius ad hoc adſtringitur concurrentibus tam ſolennibus vinculis, promiſſionis, voti & juramenti. Tertia concluſio: Papa ſtante tali ſchiſmate pertinaciter reſiſtendo, non implendo quod vovit & juravit, ad quod etiam abſque voto & juramento tenetur, incurrit crimen notorium, propter quod ſubjicitur proviſioni Concilii. Et ultra hoc concluditur ſchiſmatis nutritor & fautor, cujus obſtinatione & vetuſtate deſcenditur in hæreſin & fides læditur, cujus proviſio ſpectat ad Concilium. Quarta concluſio: Stante dubio, an hoc juramentum ſchiſmatis tranſeat vel an tale ſit delictum, è quo proviſio ſpectat ad Concilium, hoc cognoſcere in dubio ad idem pertinet. Quinta concluſio: Stante dubio Papatus inextricabili propter dubium facti & juris, ne in ſubverſionem fidei Eccleſia ſic maneat diviſa perpetuo, cum tanto ſcandalo & animarum perditione, proviſio ſpectat ad Concilium & Eccleſiam univerſalem, ut utrumque, eis non cedentibus, poſſit à Papatu ejicere. Sexta concluſio: Stantibus terminis, ut ſtant, & ambobus detrectantibus implere, quod juraverunt & voverunt, cum ex hoc nutriatur ſchiſma manifeſtum, ſubditi poſſunt & debent ab eorum obedientia recedere, & etiam peccant, ſi ſe non ſubtrahunt, tanquam principaliter ſchiſma facientes, vel ſaltem auxilium indirecte præbentes nutritoribus ſchiſmatis antiqui, nec ſententiis contendentium de Papatu aliquatenus

tenus

Digitized by Google

tenus propter hoc valere vel alligare. Septima concluſio: Ex factis & dictis, quæ ſupra ponuntur, quæ univerſo mundo notoria ſunt, ſatis notoriè patet utrumque detrectare, quod implere debeat, & ad quod tenetur ex debito officii & juramenti, cùm ſaltem potuerunt cedere per procuratores idoneos, vel uterque in manibus collegii ſui, & ſic dare pacem populo Chriſtiano, maximè cum uterque de jure & forma juramenti arctetur ad nihil de utilibus neceſſariis aut quomodolibet oportunis omittendum. Cùm etiam ab utriuſque dependet pietate, ſolvere perplexitatem conditionum juramenti, ſi qua ſubſit, & quæ contra hoc excuſationes allegantur, frivolæ ſunt, & earum cognitio eſt concilii. Item Cardinales in prædictis literis accuſabant Gregorium, quomodo Saonem civitatem pro loco conventionis utriuſque partis approbavit, & poſtea recuſavit, allegans plures ſecuritates ſibi neceſſarias eſſe, quas tamen exprimere non volebat. Item quòd ipſe poſtea conſenſerit in civitatem Piſanam, ſed certum tempus exprimere recuſaverit. Item quòd ipſe multos creaverit Cardinales contra formam juramenti. Hæc & alia plura in prædictis literis continebantur. Unde archiepiſcopus Maguntinus miſit tranſſumpta literarum prædictarum cum literis ſuis omnibus ſuffraganeis ſuis vocans ad civitatem Maguntinam ad feriam tertiam infra octavas Epiphaniæ Domini tunc proximè venturas occurrentem. Hoc anno Leodienſes obſederunt Trajectum ſuper fluvium Moſæ ſitum: quia abdicabant dominum electum Leodienſem, fratrem Ducis Hollandiæ, & prælatos ac clericos ei adhærentes beneficiis privabant, mediante filio cujuſdam nobilis, dicto de Perwiis, quem ſibi dominum conſtituerunt, & eos omnes expulerunt, quibus Trajectum præſidium fuit: ſed congregatis amicis dicti electi, videlicet, Burgundiæ & Hollandiæ Ducibus, inſtauratum eſt bellum contra eos, & victi ſunt Leodienſes, & ceciderunt ex eis circiter triginta ſex millia Dominica die ante feſtum Michaëlis. Et deinde præfatus electus cepit Leodium, & alias civitates ſibi rebelles, & occiſi ſunt ac ſubmerſi homines utriuſque ſexus circa quatuor millia.

Anno Domini M. CCCC. IX. in menſe Januario, videlicet, in octava Epiphaniæ Domini, factus eſt conventus regis & principum apud Francfordiam, & venerunt illuc duo Cardinales, unus ex parte Gregorii, alter ex parte collegii, & poſtquam publicè multas altercationes habuerant, major pars archiepiſcoporum & prælatorum ac principum declinavit in partem collegii: ſed Rex & archiepiſcopus Trevirenſis, & Duces Bavariæ, cum paucis aliis in partem Gregorii declinabant, cum quibus electus Paderbornenſis illo tempore manſit. Iſto eodem menſe in civitate Paderbornenſi in platea vulturis natum eſt monſtrum, cujus tanta fuit deformitas, quòd mulieres ipſum videntes & tractantes expeditam relationem de illo facere non valebant: quoniam loco crurum & pedum plures deciſiones tanquam caudas ſe ſimul involventes, & loco brachiorum ſimiles partitiones ſe mutuo cancellantes & involuentes, & duas facies habebat, & natum fuit ex fornicario coitu cujuſdam presbyteri, ut mater illius aſſeruit, quæ alias pepererat per eundem, quod erat notorium, ſed presbyter ille verecundia ſuffuſus ſe patrem illius eſſe negavit. Et deinde in menſe Aprili natum eſt aliud monſtrum in ipſa civitate in platea Grave / qua itur directe de Eccleſia Rurenſi ad plateam Kamp / quod in pectore & ventre tanquam unum corpus conglutinatum quatuor brachia ſe complectentia, & duas facies ac diſcretionem fœminei ſexus habebat. Hæc monſtra videntur portendiſſe colligationem patriæ deſolatoriam, in civitate & diœceſi Paderbornenſi poſtea factam. Prædictis monſtris aſſentire videtur, quod anno ſequente natum eſt in opido Wartberg dictæ diœceſis, de menſe Septembri, puer, videlicet, maſculus carens lingua, & habens retro ſub occipite in cervice pudenda virilia, & nihilominus membra pudenda habebat in loco debito: quod ſi ad verecundiam tranſgreſſionis juramentorum linguis fidelitatis caſſantibus poteſt retorqueri, qui legit ſequentia diligenter advertat. Inſuper hoc anno, quo in civitate Paderbornenſi nata ſunt monſtra prædicta, vapor igneus deſcendens ab aere in die S. Martini duas mulieres Eccleſiam monaſterii S. S. Petri & Pauli viſitare volentes, ante portam Abbatiæ dicti monaſterii obruit, ut nimio fulgore perterritæ ab alterutrum in terram ruerent, ſed nullam eis intulit læſionem. Hoc ſiquidem anno Abbas ejus monaſterii cum Priore veniens in diſcordiam ipſum Priorem privavit prioratu, & ad inconſuetas damnavit emendas; à quo Prior ad electum Paderbornenſem

Digitized by Google

nenſem tamquam judicem Abbatis immediatum appellavit. Sed Abbas reverentiæ Domini electi non deferens termino ad dandum Apoſtolos adhuc pendente, aliam Priorem per ſuos eligi ordinavit, & confirmavit. Et iſtud fuit exordium futuræ calamitatis, non ſolùm ipſius civitatis, ſed etiam totius diœceſeos Paderbornenſis, nec non locorum quorundam aliorum.

Caput XC.

CARDINALES utriuſque collegii Concilium, quod ad Feſtum Annunciationis indixerant, uſque ad Feſtum Pentecoſtes prorogabant, & tunc convenientibus ipſis in civitate Piſana cum multis Prælatis, Doctorib. & Magiſtris pronunciatum eſt ibi, congregationem illam eſſe Concilium generale: Et Gregorium ac Benedictum à Papatu deponendos. Et concilium deponebat eoſdem, & deinde electus eſt ibidem in Papam Petrus de Candia Cardinalis, magiſter in Theologia præcellens, natione Græcus, & coronatus in die Apoſtolorum Petri & Pauli Alexander V. eſt appellatus. Eodem anno Dn. Wilhelmus electus Paderbornenſis tentavit reformare monaſterium in Bödeken ſuæ diœceſis, illud ad ordinem Canonicorum regularium transferendo, quod ferè toti clero, & potioribus civitatis Paderbornenſis, & multis de miniſterialibus diſplicuit. Ut autem juſtæ intentionis pietas & diſſentientium ſibi in hoc caſu immaturitas, pleniùs eluceſcant, privilegii ſuper hujuſmodi reformatione conceſſi hic partem interſerere decrevi, prout ipſum ſub hac forma concepi. Wilhelmus de Monte, electus Paderbornenſis & confirmatus, ad perpetuam rei memoriam: Quamvis Domini eſt terra, & plenitudo ejus: certa tamen loca pro cultu frequentiori ſuæ majeſtatis, ſingularibus ſignorum indiciis plærunque conſecrare conſuevit, quæ quantò majoris corporis negliguntur incuria, tantò majori negligentes ipſi rei Dei redduntur injuria: qui rurſus à Deo neglecti, & in deſideria cordis ſui traditi, nonnunquam ſic in vanitatibus ſuis evaneſcunt, quòd loca & perſonæ, divinæ juſtitiæ diſpenſante ſecreto, contrectatione mutua tabeſcentes, ipſa cum perſonis loca vileſcunt. Et quia deviis à tramite veritatis veritas dicit: Regnum Dei auferetur à vobis, & dabitur genti facienti fructus, ad honorem nominis divini plurimum cedere non ambigimus, ſi vepribus & ſpinis ab agro Dominico funditùs extirpatis, loca ſancta inhabitantium culpa in deſpectionem deducta, novellis olivarum, quas in circuitu menſæ divinæ conſtitutas Propheta commemorat ſtuduerimus fœcundare. Cum igitur monaſterium in villa Bödeken/ noſtræ diœceſis, quondam ab almo Chriſti confeſſore Sancto Meinolfo diacono, juxta ſeculi faſtum viro nobili, quem inclitæ memoriæ Karolus Magnus, tunc rex Francorum, & poſtea Romanorum Imperator, poſtquam gentem Saxonum Occidentalium fidei Chriſtianæ jugo ſubjecit, de ſacro fonte levavit, pro congregatione fæminarum, quæ canonicæ ſæculares appellantur, ſingulari quodam divino miraculo prævento, quod admodum veterum literararum teſtimonio didicimus, fundatum partim negligentia, partim caſibus fortuitis & malo ſtatu patriæ incurrentibus, ſic penitus deſolatum eſſe conſpicitur, quod ex omnibus ipſius ædificiis ipſa eccleſia, plus tamen, fimo & immundicia ejus teſtantib. pro receptaculo beſtiarum, quam pro Dominici cultus exhibitione in parte reformata & in capellis eidem eccleſiæ quondam annexis, nunc verò dirutis, immò ſuper ipſa altaria capellarum, ſicut in ſaltu virgulta ſuccreſcunt, unde tam canonicæ, quam Rector curiæ, ac etiam clerici cæteri, ſola abbatiſſa ibidem in tugurio ruſticano degente, terram fructiferam, tanquam eis verſam in ſalſuginem, abhorrentes locum ipſum dudum reliquerunt. Nos ad loci ſupradicti reformationem, pro divini cultus reſtauratione, pietate curæ paſtoralis allecti, intenſis deſideriis aſpirantes, ne ficulnea infructuoſa rurſus terram pernicioſius occupet, eundem locum, malitia temporis, loci qualitate & ſexus fragilitate penſatis, non ſub hujuſmodi canonicarum ſecularium ſtatu, quem ſedes Apoſtolica approbare non dignatur, ſed ſub certæ, per eandem approbatæ religionis titulo, cujus profeſſores ſexus virilis non ſolum carne, ſed & adverſitatis turbo non terret, nec arriſus fallacis fortunæ diſſolvit, decrevimus reformare. Hinc eſt quod abbatiſſa, canonicis, & rectore parochiali, ceteriſque eccleſiaſtici juris in ipſo loco ſibi quicquam vendicantibus ſupradictis ad noſtram vocatis præſentiam, de loci prædicti lamentabili deſolatione, non ſine ſua culpa ad tantum progreſſa diſpendium, & de ipſius reformatione religioſa per nos concepta,

Digitized by Google

cepta, tractatu diligenti præhabito, cum eiſdem Abbatiſſa primum ipſius abbatiæ dignitatem, deinde canonicæ, dehinc rector parochialis & demum beneficiati cæteri canonicatus & præbendas, eccleſiam cum cura ipſarum, & beneficia eccleſiaſtica, ac omne jus, quod eis, & eorum cuilibet, in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum, prout ad eos, & eorum quemlibet conjunctim & diviſim ſpectabant, in manibus noſtris communiter & diviſim ſponte reſignarunt. Nos igitur hujuſmodi reſignationes admittentes, recipientes ratas, & gratas habentes, cum honorabilibus viris, Dominis, Præpoſito, & capitulo eccleſiæ noſtræ Paderbornenſis prædictæ, tractatu capitulari & matura deliberatione præhabitis abbatiam, eccleſiam & monaſterium ſic, ut præmiſſum eſt, in manibus noſtris reſignata, cum omnibus prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, bonis & rebus mobilibus, terris, agris, cultis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarum decurſibus, viis & inviis, ac pertinentiis eorundem univerſis, honorabili viro, Johanni Weil priori monaſterii in Swollis, Trajectenſis diœceſis, tradimus, concedimus & aſſignamus per præſentes, ita quod ipſa eccleſia ac monaſterio ſupra dictis, prout ei facultas ſuppetit, reformatis, congregationem convenientem virorum Deo devotorum canonicorum, videlicet, regularium, religioni ſui monaſterii in Swollis ſupradicti conformium, juxta ejuſdem religionis exigentiam ibidem inſtituat, præſertim cum ſanctus Meinolphus ejuſdem monaſterii fundator ſupradictus religionis illius creditur fuiſſe profeſſor. Et infra. Sicque monaſterium in Bödeken ſupradictum de ſtatu canonicarum ſæcularium ad obſervantiam canonicorum regularium, de conſilio, conſenſu & beneplacito honorabilium Dominorum, Præpoſiti & capituli eccleſiæ noſtræ prædictorum in DEI nomine transferimus per præſentes &c. Et per totum annum præcedentem conceſſionem hujus privilegii, quæ facta fuit in menſe Majo, tractatus habiti ſunt plurimi inter Dominum Electum, & Priorem de Swollis, ſuper ipſa materia præſcripta. Et cuidam per certas viſiones indicatum eſt, quod factum ipſum eſſet profectum habiturum. Et priuſquam dictus electus ad hanc reformationem ſeu translationem inductus fuit, ipſe cum Decano eccleſiæ Paderbornenſis in magna comitiva ad villam Bödeken pro reliquiis S. Meinolphi ad eccleſiam Paderbornenſem transferendis propter loci deſolationem ſe contulerat, ſed quædam mulieres villæ illius percipientes adventum eorum, currentes ad eccleſiam, arcam, quæ præfatas continebat reliquias, & ſatis ponderoſa erat, abſque omni difficultate ab altari ſubitò ſuſtulerunt, & retro quandam capſam intra eccleſiam recondebant. Et illis quærentibus, quo arca deveniſſet, illæ reſponderunt ad caſtrum Welsborg per caſtellanos illius loci eſſe deductam. Hoc anno, videlicet, nativitatis Domini M. CCCC. IX. Wilhelmus electus Paderbornenſis, monaſterium SS. Petri & Pauli Paderbornenſe, propter diſcordiam inter Abbatem & Priorem ſupradictam, & maximè propter ſtatus regularis diſſolutionem, quam ipſemet ſæpius attendit, in menſe Octobri tentavit viſitare. Sed abbas de Prælatorum, cleri, & civium potiorum civitatis, quos conviviorum, & munerum frequentia ſibi pro majori parte attraxerat, favore confiſus, introductis potioribus ex laicis ſupradictis ad locum capitularem monaſterii, quo Dominus electus cum multis Prælatis præſidebat, inter ipſius viſitationis ſecreta ſcrutinia, in magna numeri quantitate, prædictam viſitationem fruſtrari conabatur. Cumque ipſe Dominus electus præfatos laicos ſub debito præſtiti juramenti, præſertim magiſtros civium, & conſiliarios civitatis, ut locum illum exirent, inſtanter requiſivit, ipſique palàm proteſtabantur, ſe non exituros, priuſquàm Abbas eos licentiaret, & monachi reſiſtendi audacia concepta, ut correctionem effugerent, in vocem appellationis proruperunt. Unde Dominus Electus attendens eos frivolis appellationibus ſibi velle refragari, ipſis reputatis contumacibus, mandatum quoddam contra eos excommunicationis, monitione prævia canonica, protinus emiſit, à quo per Abbatem & monachos appellatione interjecta capitulum eccleſiæ cathedralis appellationi tali ad Alexandrum Papam provocanti & totus clerus adhæſit, quamvis uſque ad illud tempus in obedientia Gregorii perſtiterunt, nec adhuc per ipſum Electum & capitulum ſuum determinatum extitit, cujus obedientiam de Papatu contendentium vellent obſervare. Cum enim Dominus Electus & capitulum eccleſiæ majoris ſuper hujuſmodi obedientia tractatus haberent, Dominus Electus ſummam totius conſilii in

Digitized by Google

capitulum refundebat, qui reſpondentes ei, dixerunt, nos in talibus factis ſine conſilio capitulorum Halberſtadenſis & Hildenſemenſis eccleſiarum tanquam fraternitate cum illis conjuncti, non conſuevimus aliquid diffinire: quare mittemus literas noſtras ad illas, & illorum habitis reſponſis ſimul deliberabimus, quid in hoc caſu finaliter nobis ſit agendum. Ad quæ Dominus Electus plenum conſenſum præbens, ad caſtrum ſuum ſe tranſtulit de civitate. Sed vix unius horæ tranſacto ſpacio, capitulum convocato clero civitatis obedientiam Alexandri ſuſcepturum ſe Domino Electo requiſito, una cum clero determinavit. Cum enim Dn. Electum ad reformationem eccleſiaſtici ſtatus videbant aſpirare, ne ipſi adhæſionis appellationis monachorum, qui hujuſmodi reformationi jam non ſine occulto conſpirationis ſuſurro cœperunt refragari, exortes remanerent, Alexandro, ad quem appellatio ſupradicta ſtudioſe interpoſita videbatur, omnes feſtinabant adhærere. Plurimi quidem ex ipſis arbitrabantur, quod ipſe electus tanquam propter regem obedientiam Gregorii non relicturus, per Alexandrum veniret eccleſia Paderbornenſi privandus, & ſic quiſque correctionem ſui ſtatus evitaret. Sed priuſquam adhæſio fiebat ſupradicta, Dominus Electus de intentione capituli ſecretius informatus per fideles ſibi quod eſſet gravamen, in quo gravaſſet monachos propter quod ipſi appellationi eorum vellent adhærere, quod ſi dicerent, ipſe paratus eſſet illud revocare, à capitulo fecit inquiri; & rurſum omnino non potuit obtinere. Deinde poſtquam adhæſio hujuſmodi facta fuerat, eodem modo fecit inquiri, iterum eorum informationi, ut prius, ſe ſubjiciens; & tunc vix ei reſponſum eſt, quod ipſe per ſe gravamen poſſet videre, poſtquam appellatio ſibi foret inſinuata. Deinde multis intercurrentibus tractatibus Dominus Electus ad inductionem capituli mandato illo, à quo fuit appellatum, revocato, monaſterium ſecundo cœpit viſitare. Sed Abbate & monachis non comparentibus, & contumacibus reputatis, Electus aliud mandatum contra eos miſit, in quo inter cæteras cenſuras eccleſiaſticas, per certa intervalla diſtinctas, interdictum eccleſiaſticum in loco quibus Abbas & monachi degerent, & ad quæ devenirent, generale ferebatur, à quo licet pro parte monachorum fuit appellatum, nemo tamen de clero appellationi illorum adhæſit. Sed Abbas & monachi excommunicati denunciabantur per eccleſias ſingulas, & per ſeptem menſes continuum interdictum generale ſervabatur per civitatem Paderbornenſem. Abbas verò ad curiam Romanam, quam Alexander tenuit, ſe transferens, multos prodigalibus ſumtibus ibidem ſibi conquiſivit amicos, & citationem contra electum & ejus Officialem, cum ſui & ſuorum abſolutione, & interdicti duntaxat ad eccleſiam monaſterii lati relaxationem, ad partes rediens, reportavit. Clerus igitur civitatis, tanquam monachorum favoris avidus, ſolum interdictum ſpeciale relaxatum non advertens, per totam civitatem divina reſumſit. Dominus verò electus cives, qui eum in negotio viſitationis perturbaſſe videbantur, ad conſiſtorium Regis evocavit, ſed negotio ad tempus ſuſpenſo, Rex deceſſit, & inter clerum & civitatem pernicioſa diſſenſio ſerpſit. Anno Domini M. CCCC. X. menſis Maji die tertia, Alexander nuper in Papam electus, in civitate Bononienſi, ad quam ſe cum curia tranſtulerat, deceſſit: & poſt ejus obitum Dominus Balthaſar de Coſſa, natione Neapolitanus, Cardinalis Bononienſis vulgariter nuncupatus, electus in Papam VIII. Kalend. Junii coronatus JOHANNES XXIII. eſt appellatus, in cujus electione multi ſcandalizati ſunt, quia ut tyrrannus rexiſſe Bononiam, & vitæ mundanæ deditus dicebatur. Ipſe confirmavit, ſeu confirmari mandavit Hiſtoriam ſeu cantum, quam, vel quem ego anno præcedente de feſto viſitationis beatæ MARIÆ virginis feceram, qui cantus incipit: Tecum principium. Hoc fecit poſt coronationem ſuam infra ſex ſeptimanas, me in præſentia ejus conſtituto. Et poſt coronationem ejus ſtatim Dominus rex Rupertus defunctus eſt. Hoc anno rex Poloniæ, & Vitoldus Dux Litoviæ, cum maxima multitudine armatorum præſertim paganorum intrabant Pruſſiam, & per milites cruce ſignatos ordinis domus Teutonicorum inſtauratum eſt bellum contra eos XV. die menſis ſeptembris: & rex Poloniæ triumphavit, & ceciderunt homines utriuſque partis XCIIII millia de quibus ex parte militum prædictorum ad ſex millia ceciderunt, de quibus cruce ſignati milites ſexcenti fuerunt. Eodem menſe principes Electores convenerunt apud Francfurdiam pro rege eligendo, & Archiepiſcopus Trevirenſis, Ludowicus Dux Heidel-

Heidelbergenſis Palatinus Rheni, & Burggravius Noribergenſis, tunc procurator Marchionis Brandenburgenſis quantum ad eligendum, elegerunt Dn. Sigiſmundum regem Ungariæ fratrem regis Bohemiæ, ad quem tunc ſpectabat Marchia Brandenburgenſis, in Regem Romanor. archiepiſcopis Colonienſi & Maguntinenſi adhuc in deliberatione perſiſtentib. Sed rex Bohemiæ & Dux Saxoniæ ad electionem non venerunt, & hæc electio facta fuit xx. die dicti menſis. Et ſtatim archiepiſcopus Maguntinus mandavit eccleſias opidi Francford non aperiri, ne illi, qui elegerant, electionis ſuæ publicationem & ſolenniſationem conſuetas perficiendi haberent facultatem. Unde illis venientibus ad fores eccleſiæ, nec ingreſſum habere valentibus, electionis illius publicatio retrò chorum ipſius eccleſiæ facta eſt per eoſdem. Et poſtea Maguntinenſi & Colonienſi archiepiſcopis iterum convenientibus, Jodocus Marchio Moraviæ vir grandævus per ipſos in regem eſt electus, qui poſt hoc eodem anno defunctus eſt, & deinde prædicti archiepiſcopi Maguntinenſis & Colonienſis in regem Ungariæ ſupradictum cum aliis conſenſerunt. Johan. Papa Bononiæ reſidens rigorem, quo Bononienſib. prius dominabatur, non relaxans, maximam pecuniarum ſummam ex gabellis civitatis, etiam per eum augmentatis, recepit per ſingulos menſes, ita ut etiam meretrices de ſtatu ſuo circa florenos trecentos ſolvere viderentur in menſe. Tunc Gregorius, quem nonnulli partis adverſæ Errorium malebant appellare ſub protectione Caroli de Malateſta Ariminium ſe contulit, & Benedictus aliquibus Maledictus appellatus ad regnum Arragoniæ ſe recepit. Deinde Johannes Papa cum rege Siciliæ poſt graviſſima damna ſub certis pactis, non parvis diſpendiis oneroſis, concordatus, ad urbem Romanam ſe conferens, Bononienſes ſibi ſenſit eſſe rebelles. Gregorius autem ad protectionem regis prædicti confugiens ad civitatem Cajetanam, quaſi per centum milliaria Romana ab urbe diſtantem ſe contulit: & plus anno reſidens in eadem tandem Ariminium eſt reverſus. Interea Johan. Papa concilium generale in urbe celebrare decrevit, quod Alexander prædeceſſor ejus in tertio anno poſt concilium Piſanum ſupradictum decreverat celebrandum: Sed Prælatis non venientibus in copia, quam rerum poſcebat gravitas, illud concilium non ſortiebatur effectum. Cumque iſtis temporibus nonnunquam literæ Apoſtolicæ, in quibus de Urbano, Bonifacio, Innocentio, Gregorio, Clemente vel Benedicto per tempora ſchiſmatis præterita ſuper Papatu contendentibus ſupradictis fuit mentio facienda, ſtatutum fuit, ut nullus eorum in dictis literis Papa ſimpliciter, ſed cum hac determinatione, in ſua obedientia, nominaretur. Anno domini M. CCCC. XIII. Johannes Papa & rex Siciliæ Ladiſlaus iteratò mutuo guerris ſe conturbabant, & rex magno conflato exercitu verſus Urbem ſe dirigit, & nocte quadam menſis Junii muro diruto urbem potenter intrabat: quod Papa non præſentiens cum nonnullis Curtiſanis ſpoliati ſunt, quidam etiam interfecti, & Papa veniens Florentiam ibidem reverenter receptus eſt. Et tunc in menſe Decembri Concilium in Kalendis Novembris deinde proximè venturis indixit: locum tamen concilii non determinavit. Quapropter duos Cardinales ad regem Romanorum, tunc in Italia moram trahentem, ad concordandum de loco deſtinavit, qui ſimul in civitatem Conſtantienſem conſenſerunt. Et poſt hoc Papa & rex in Laudenſi civitate convenientes locum eundem pro concilio generali celebrando approbarunt.

CAPUT XCI.

ANNO Domini M. CCCC. X. ſupradicto inter Dominum Wilhelmum Electum Paderbornenſem ex una, & Dominum Fridericum archiepiſcopum Colonienſem, & Adolphum Comitem de Clivis & de Marbe parte ex altera, ortæ ſunt guerræ graviſſimæ. Unde archiepiſcopus & Comes valido exercitu conflato terram quandam Domini Electi paludibus & foſſatis undique cinctam Delbrugge nominatam, die XIIX. menſis Decembris, potenter intrabant. Villani tamen terræ illius eis occurrentes ingreſſum illorum per plures horas retardabant: Sed tandem inermes cedentes armatis in paludes ſe receperunt. Dominus vero Electus, à loco ingreſſus hoſtium per pluſquam ſexaginta diſtans ſtadia, hujus facti penitus ignarus, in caſtro ſuo reſidebat. Cumque flamma incendii domorum, perluſtrans aëra, ſibi indicavit adeſſe præſentiam, ipſe de exercitus eorum informatus potentia, bellum cum ipſis inire primò non præſumſit. Et licet Archiepiſcopus & Comes antedicti, in terram illam nocte

nocte ſequente caſtrametari decreverant, mulierum tamen loci illius diſpendioſo agente miniſterio domibus, quas pro unius duntaxat noctis commodo, & incendio craſtino præſumſerunt reſervare, furtivum per incendium fruſtrati, ſubitò ipſi, tanquam principes, plus deliciis, quam nocturni frigoris incommodis aſſueti, ſub dio noctem ducere ſibi grave nimis arbitrantes terram illam pro tunc exire, & ipſius exterminationem craſtino reſervare, ſeque ad alia loca vicina ditioni ſuæ ſubjecta transferre, conſilio deliberabant immaturo. Cumque viam, per quam paulo ante intraverunt, progreſſu feſtino petiverunt, illam ſudibus & foſſatis factam prorſus inviam, & baliſtariorum cuſtodia munitam invenerunt: quapropter declinantes abinde, locum alium per paludes ſibi pervium effecerunt, & poſtquam Archiepiſcopus & Comes, cum nonnullis armatis equitibus, & peditibus ſuis univerſis, tranſirent: villani per paludes diſcurrentes, viam hanc, de novo factam, occupant, & adverſariorum plauſtra, ſagittas ferentia, cum bombardis, in tranſitu anguſto, fortiter evertunt. Nam quidam villani, ipſi quaſi quatuor millibus ſagittis emiſſis fuerant telis prorſus deſtituti: unde tunc telis in plauſtris hoſtium everſis acquiſitis, baliſtas ſurſum trahunt, ſagittas hinc inde, ante & retrò, dirigunt, & adverſarios propriis eorum jaculis viæ ſic præcluſæ arcent ab acceſſu. Unde, nocte ſuperveniente, principes ipſi inopinatis incommodis fatigati, diviſim per devia, quaſi tota nocte laborantes, receſſerunt: ſigna ſua, cum magna parte gentis ſuæ, in terra illa dolenter relinquendo. Illos igitur qui ſic inviti remanebant, villani cœcis ictibus ſagittarum tota nocte fatigare non ceſſabant. His auditis, Dominus Electus ſuos fideles eadem nocte, prout circumquaque colligebat, & ſe diluculo cum ſuis ad terram illam feſtinanter conferebat. Illucente igitur diei luce hoſtes hinc inde per ipſius terræ devia pererrantes, exitus ſui locum undique quærunt: nec Dominus Electus, tanquam ſuorum fidelium adventus ſpe ſuſpenſus oportuni, pugnam cum eis ſubito inire præſumſit, ſed ipſis tanquam laqueis ſuis comprehenſis diligentius obſervatis, quaſi fugam ſimulando, primò divertit ab illis. Illi autem ſe ſic illaqueatos perpendentes, & adverſariorum ſuorum numerum videntes plus & plus augeri, tanquam mortis deſperatione, per paludis invia tranſitum facere tentaverunt: Sed pedites Dn. Electi, præſertim cives Paderbornenſes, illos inter paludes excipientes fortiter, quibuſdam captis, & nonnullis occiſis, hunc eorum fruſtrabantur exeundi conatum. Multi tamen ex eis, priuſquam pedites prædicti eos attigerunt, cum vexillo Comitis evaſerunt. Tandem quaſi hora poſt meridiem tranſacta ſecunda, Dn. Electus eos bello conſtanter aggreditur, & ipſi ex adverſo inſtruentes aciem, equorum curſum calcarium ſtimulis excitabant. Sed ipſi, priuſquam ferri probaretur acumen, occurſum, quem equorum impetu, armorum colliſione, & objectu lancearum exhibuerunt terribilem, declinantes in obliquum, ſubitò verterunt in fugam: ſicque ſtrati ſparſim per agros, & equis, ac curſu devio, & palude devicti, capti ſunt armati numero trecenti ſexaginta, & inermes propè ſexaginta: paucique ex eis vel occiſi, vel palude ſubmerſi ſunt, quorum numerus ad ſedecim fuit æſtimatus, & numerus equorum quos victi perdiderunt ad octingentos equos fuit æſtimatus: quamvis inter dividendum ſpolia, nequaquam tot equi producti fuerunt. Sequente die Electus Dominus à ſingulis captivis juramento ſub certa forma recepto, qui de genere fuerunt militari, unius menſis inducias eis dedit, populares juſſit cuſtodiæ mancipari. Volens tamen cives de Soſato, cæteris popularibus fama celebriores, militarium prærogativa gaudere, eis conſimiles inducias dedit, pueriſque miniſterio curſus equorum deputatis, induciarum tempus ultra tres menſes prorogavit. Elapſo igitur induciarum menſe ſupradicto, ſinguli captivi militaris generis, juxta terminum eis conſtitutum, vi juramenti tacti in captivitatem redierunt. Cives autem de Soſato armati quippe octoginta octo, & famuli eorum ſedecim, à quodam Comitis prædicti capitaneo in via, qua ad redeundum in captivitatem tendere videbantur, ſtudioſe capti & cuſtodiæ mancipati, in captivitatem minimè redierunt. An autem cives iſti, vel ex eis aliqui, hujus captivitatis, ſic ab eorum litis conſorte ipſis illatæ, conſcii fuerint conſilii, tunc multi dubitabant: de conſenſu tamen Dominorum ſuorum prædictorum, captivitatem illam prodiiſſe, multi crediderunt. Tolerabilius tamen nonnullis viſum eſt, factum hoc in illis, quam ſi factum fuiſſet in iſtis, qui de genere militari fuerunt

procreati:

procreati: cum principes regni Teutoniæ, more Romanorum antiquorum, qui Marcum Regulum, ſuis temporibus gloria militari Romanos ſupergredientem univerſos, juramenti religione tactum, in captivitatem redire volentem, prohibere reveriti pudendum eſſe cenſebant, milites ſuos victos, in fide ſervanda, uſque ad illa tempora, non conſueverunt impedire. Exacerbatis autem ſic, ut præmiſſum eſt, Archiepiſcopo & Comite prædictis guerrarum curſus dirius inſtauratur, ipſique in quatuor opidis, videlicet Brilon, Ruden, Geſeke & Lippe in multitudine armatorum præſidia ponunt, quibus Dominus Electus in duobus diœceſis ſuæ opidis fideles ſuos opponit, & contractis ſecum in ligam unam Ducibus, comitibus, nobilibus & Baronibus numero XXI. eis potenti manu reſtitit. Hinc fiunt hominum cædes, domorum incendia, prædæ multiplices & varii hoſtiles incurſus utrinque. Nunquam tamen Archiepiſcopus vel Comes antedicti, poſt bellum ſupradictum, in perſonis propriis terram ipſius Domini Electi intrare præſumſerunt: Sed ipſe Dominus Electus ſæpiùs in perſona propria ducens exercitum, terras eorum prædis & incendiis tentavit pervagare, unde opidum Kalenhart captum ignis incendio dedit. Magnæ utrobique fiebant expenſæ, ſed quanto magis Domini Archiepiſcopus & Comes divitiis abundabant, tanto in eorum præſidiis fiebant expenſæ potiores. Sed Dominus Electus in expenſis victualium, quas in magna parte ab adverſariis ſuis potenter extorſit, & donorum largitione, præſertim in equis militaribus, quorum ultrà ducentos infra tempus hujuſmodi litis largiebatur, tam liberalem ſe exhibuit, quam benignum familiaritatis affatu cunctis ſe præbuit: quòd plures militares de partibus exteris fama ejus tracti ad ipſum convenerunt. Tandem poſtquam guerrarum hæc tempeſtas IX. duravit menſib. epiſcopus Leodienſis, ob archiepiſcopi Colonienſis favorem Electo Paderb. literas diffidationis direxit. Cujus Domini potentia ipſum Electum adverſarii ſui plurimum terreri æſtimabant Archiepiſcopus & Comes ſupradicti, magnoque conflato exercitu cum quadrigis multis victualibus & armis onuſtis, tanquam terram Electi manu potenti pervaſuri, ad præſidiorum ſuorum loca ſe contulerunt: viros tamen ſolennes ad certum locum, quaſi inter ipſa adverſa præſidia medium, ipſi: & Dominus Electus ex adverſo conſimiles illis ſuos fideles ſuper pace tractanda miſerunt. Arbitrabantur enim illi, Dn. Electum, exercitus eorum famæ magnitudine territum, vel ſaltem in aggreſſu potenti eorum neceſſitate coactum, pacem ab eis petere, relaxationis ſponſione captivorum: quod electus præſentiens conuocatis amicis ad numerum penè mille lancearum armatorum militarium, abſque popularibus armatis ſubditis ſuis equitibus peditibusque pervenit. Demum verò, multis tractatibus per amicos utriuſque partis habitis, ſexta die menſis Septembris, illarum guerrarum tempeſtas per viam compoſitionis amicabilis ad pacis tranquillitatem eſt redacta.

CAPUT XCII.

HIS igitur guerris ſic ſopitis, ipſius Domini Electi nomen celebre factum eſt per loca vicina circumquaque: nec erat qui eum, aut ejus ſubditos inquietaret, ſed omni parte pacis tranquillitas illis alluſit. Tunc ipſe Dominus Electus decem millia florenorum de pecunia ex captivorum prædictorum redemtione ſeu exactione proventura, quæ ferè quarta pars totius ſummæ fuerat, ad redimenda caſtra & bona menſæ epiſcopalis oppignorata liberaliter aſſignavit. Sed odio, invidia & rancore, de correctionis monachorum attentione ſubortis, agentibus, famæ celebritas & pacis tranquillitas cum pecuniarum profectu prorſus ſunt abſorptæ. Dudum ſiquidem abbate & monachis monaſterii ſupradicti à Simoniaca fratrum receptione, à mulieris intra ſepta monaſterii admiſſione, & à pietatis abdicationis contradictione, prout Dominus Electus exegit ab ipſis, deſiſtere recuſantibus, ipſe monachos tanquam rebelles ſibi, carceribus mancipandos minabatur. Quod dum capitulum eccleſiæ ſuæ, cum clero & conſiliaris civitatis cum populo ægrè ferebant, omnes ipſi defendendi libertatem animo ſe conflabant in unum variiſque cautelis innifi totis ſatagunt viribus, aut eum magnis fatigare laboribus & expenſis, ut à propoſito deſiſtat; aut ipſum prælationis honore reddere deſtitutum. Unde ſe in obedientia ſedis Apoſtolicæ ei primo difformare ſtuduerunt, ut eſt ſupradictum. Interea Dominus Rupertus rex, avunculus maternus Electi, intelligens nepotem ſuum zelo reformandi ſta-

rum ſingulari ſe velle imitari, monachum quendam ſenem ordinis S. Benedicti valde devotum, per quem jamdudum quinque monaſteria ejuſdem ordinis ipſe reformavit, ad ſe Heidelbergam fecit accerſiri, eumque cum alio confratre ejuſdem religionis ad Dominum Electum deſtinavit, ut per eum factum reformationis ritè poſſet expedire. Quem dum in domo officialis per dies LX. moram traxit, fereque per ſingulos dies in eccleſia cathedrali miſſæ officium devotè peregit, nemo de prælatis, clero, aut majoribus civitatis aliquo caritatis indicio viſitavit, uno excepto clerico, qui ei paucula pyra præſentavit. Unde tandem, cum non videbatur ſpes ſupereſſe reformationis, ipſe à Domino ELECTO ad monaſterium ſuum Caſtrum dictum, & in diœceſi Eiſtadenſi ſitum, poſt menſium quinque decurſum, quibus cum Domino Electo & ſuis fidelibus moram traxit, eſt cum honore remiſſus. Anno dehinc ſequente, videlicet, nativitatis Dominicæ M.CCCC. XI. abbatis & monachorum, fautorumque eorundem indignatio in Officialem prædictum ſeverius graſſabatur. Unde Abbas palàm eo fuit proteſtatus, quod ipſe animam ſuam cum corpore vellet ſubmittere periculis, ut ſe vindicare poſſit in eum, nec non familiares & fautores eorum, ipſi Officiali publicè minas intulerunt, & non longè poſt Officialis ſe veneno ſenſit infectum, ſed repentinis uſus remediis evaſit periculum. Deinde die XVII. menſis Martii, poſtquam unus ex monachis cum nonnullis clericis, & laicis, officialem in domo habitationis ſuæ ſtudioſe viſitans de domo receſſit, rubeo pulvere cibis officialis ſubitò & improvisò adſperſis inventis, de veneno ſe una cum aliis reddidit quam vehementi præſumtione notatum. Quot autem, & quantis dolis per illos, & eorum fautores obtendebatur excuſatio: qualiter apprehenſi ſunt ipſi in aſtutiis ſuis: non propter perſonarum, ſed propter loci reverentiam, ſcribere non intendo. Cumque totum quicquid injuriæ, contumeliæ, vel minarum officiali ſic fuit irrogatum, & prælatis & majoribus civitatis, nec non ferè omnibus tanquam ad beſtias damnati pugnam ſpectantium in theatro placitum ferebatur, officialis in epiſcopali ſynodo, coram clero ibidem congregato, de inſecuritate perſonæ ſuæ, propter machinationes in mortem ejus attentatas, proteſtans, de ſpeciali mandato Domini Electi, curiam epiſcopalem cum juriſdictione ſua, ad opidum Bilſelde / diœceſis Paderbornenſis, ipſi Domino Electo de jure patrimoniali pertinens, transferebat. Cujus quidem curiæ translationi pro parte capituli fuit contradictum ſola conſuetudine in contrarium allegata, nullaque proviſione ſecuritatis officialis adjecta. Poſtquam rex rebus exceſſit humanis, unde citationis contra cives Paderbornenſes factæ ſupradictæ fuerat fruſtratus effectus, & ipſe Dominus Electus cives ipſos ſuper tranſgreſſione juramenti fidelitatis ſibi per eos præſtiti crebro notavit, cives ſuper hujuſmodi aſſerta tranſgreſſione & ſuper aliis impetitionibus eis per ipſum Dominum Electum quibuſcunque determinationi capituli majoris eccleſiæ ſtare ſe offerunt: in quod Dominus tandem ſub certa forma conſenſit. Unde capitulum in ſe ſumit arbitrium nulla pœna vallatum, nec partibus in forma arbitrii concordantibus, neque ſimul coram ſe conſtitutis. Et deinde die feriata, non renunciatis feriis, partibus vocatis pronunciavit. Cui pronunciationi, tanquam forma arbitrii non ſervata, Dominus Electus, infra triduum, literatoriè contradixit, & an pronunciationi illi ſtare de jure foret obligatus, determinationi miniſterialium eccleſiæ ſuæ, ac opidanorum diœceſis ſuæ primò, & deinde epiſcoporum, principum, Comitum, nobilium, militum, capitulorum & civitatum vicinarum ſe ſubmiſit: Sed cives & capitulum recuſabant in hoc conſentire. Quapropter ipſe omnes cives Paderbornenſes à duodecim annis & ſupra, ad certum locum extra civitatem ad tribunal judicii ſæcularis citavit in campum, & ne poſſent ibi ſibi vim inferre, exercitum quingentarum lancearum convocavit. Sed die comparitionis appropinquante, ipſe die præcedente hora veſpertina jam tranſacta, quorundam conſilio circumventus, exercitum illum jam in terminis ejus caſtrametantem licentiavit, comparitione judiciali quam prætendit prætermiſſa. Et deinde nonnulli de ſuis fidelibus capitulum & cives diffidationibus, captivationibus & prædis afficiebant, eo non prohibente. Cum verò ad requiſitionem capituli & civium invaſorib. eorum reſiſtere denegaret, niſi prius ſuper impetitionibus ſuis ſibi fiat juſtitiæ complementum: ipſi ad ſubjiciendum ſe alteri Domino ſuos conatus dirigunt. Unde tandem capitulum, civitas Paderbornenſis, & opida tria

Wartburg,

Wartburg, Brabel, & Borgentribe & quinque de miniſterialibus, cum nobili Bernhardo de Lippia, contra ipſum electum allegationem faciunt, & ſinguli miniſteriales ac Bernhardus, necnon civitas cum ſupradictis opidis, eidem fidelitatem, qua ſibi obligabantur, reſignant, juramentis ſeu homagiis ſibi præſtitis ſibi ipſis relaxatis: nec tamen bona, quorum occaſione ſibi fidelitatis aut homagii juramenta præſtiterunt, dimiſerunt: non obſtante quod anno vix tranſacto idem Dn. Electus per Bernhardum ſupradictum in compaternitatem fuerat tractus filium ejus de fonte ſacro levando, quam etiam honoravit ſuis donariis munificentia quadam ſingulari. Cæteri vero miniſteriales eccleſiæ, novis juramentis & literis contra ligam ſupradictam una cum Domino Electo fœdus ineunt: quibus protunc opida certa conſentiunt: ſicque periculoſum nimis bellum ſurgit inteſtinum, quo honeſtas excœcatur: virtus infirmatur: animarum ſalus languet: impugnatur corpus armis: verbis irritatur animus: fama ſcriptis læditur: naturale fœdus rumpitur: cognati ſanguinis frigeſcit ebullitio: fides & perfidia diſcernuntur lucidè, & fraudibus via panditur atque dolis manifeſtè. Cumque deinde capitulum & cives Paderbornenſes contra Dominum Electum & honorem ejus circumquaque literas dirigunt, ipſeque per conſimiles literas illis reſpondet, tandem ipſe Dominus Electus judicio Regio, ſoli terræ Weſtphaliæ prorogato, contra quoſdam canonicos hujuſmodi, ut dicebatur, judicii profeſſores & contra nonnullos cives dudum concitato, multorum Ducum, Comitum, Baronum & nobilium fultus auxilio, mille trecentarum lancearum armatorum militarium, cum multis peditibus collegit exercitum, & una parte exercitus in campis civitatis caſtrametante, ipſe cum alia parte in loco dicto Schonelo, comparitione ſolenni regio tribunali aſtitit, canonicis ac civibus præfatis talis judicii expeditione concluſis. Deinde cum toto exercitu in campis oppidorum Brackel & Borgentricke ſata devaſtat, nihilominus tectis domorum Borgentricke igne confectas immittendo ſagittas. Poſt hoc convenientibus amicis utriuſque partis in oppido Lude pro pace tractanda, illuſtri Duce Brunſuicenſi Domino Bernhardo mediante, poſt multos tractatus omnes excepto Capitulo, & quibuſdam militaribus comitatus de Ravensberg, concordati ſunt. Sed quia civitas & oppida certas pecuniarum ſummas, in ipſa amicabili compoſitione ſpecialiter adjectas, Domino Electo in termino ad hoc adſignato, & ultra plus quàm per ſex menſes ſolvere diſtulerunt, quamvis frequenter moniti & requiſiti, ut juxta promiſſum ſatisfacerent & condictum, & multi de militaribus comitatus prædicti propter eos, qui de ſui diſtrictus conſortibus à compoſitione præfata ſecluſi manſerunt, Bernhardum Lippienſem ſtatim poſt compoſitionis illius pronunciationem diffidarunt, ipſa compoſitio minus debitum ſortita fuit effectum. Unde rurſus ipſe Bernhardus Domino Electo inimicitias indicendo civitatem & oppida ſub debito juramenti, ſibi ratione conſpirationis præfatæ præſtiti, contra Dominum Electum in ſubſidium vocavit. Et quamvis in præfata compoſitione fuit adjectum, quòd via juris determinari deberet, an prædicta conſpiratio ſeu liga poſſet de jure ſubſiſtere, & cives ac oppidani civitatis & oppidorum prædictorum fuiſſent pro parte Domini Electi ad diſcutiendum ſæpius requiſiti, ipſi tamen illo articulo ſuper illius ligæ ſubſtantia concepto, & à partibus hinc inde conceſſo minimè diſcuſſo, dicto Bernhardo contra Dominum Electum aſſiſtentiam talem præſtiterunt, quòd ſubditos, fideles & auxiliatores ipſius Domini Electi hoſtilibus incurſibus, & damnis, inimicitiarum denunciatione præmiſſa, graviter affecerunt. Unde non obſtante, quod Dominus Electus obtulit ſe ad ſatisfaciendum dicto Bernhardo in jure vel in amicitia, ad determinationem civium ſuorum prædictorum ſuper omnibus, de quibus eum impetere vellet, & ad obligandum ſe ad perficiendum hoc ſub pœna pecuniaria, ſeu per obſides ſufficientes, dummodo præfatis Bernhardus ſimili modo ſibi prius, aut poſt, juxta juris militaris exigentiam, juſtitiæ vel amicitiæ faceret complementum, tamen ipſo Bernhardo, hæc omnia recuſante cives prædicti ſibi contra Dominum proprium auxilia, ut jam dictum eſt, præſtiterunt.

Caput XCIII.

ANNO Domini M. CCCC. XIV. IIX. Idus menſis Aprilis obiit Dominus Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, & die ad præficiendum Eccleſiæ Colonienſi Paſtorem, per capitulum ejuſdem decreto adveniente, multi principes & nobiles interceſſerunt

Digitized by Google

ceſſerunt pro Domino Wilhelmo de Monte, electo Paderbornenſe, ut ipſe poſtularetur & convenientibus paucis Canonicis ad locum capitularem, alii recedentes de civitate ad oppidum Brunnenſe ſe tranſtulerunt. Et quia Dominus Thidericus de Morſe, Præpoſitus Brunnenſis, nepos dicti Archiepiſcopi, theſaurum & clenodia per eum relicta, & caſtra quædam diœceſis ipſius Colonienſis jam apprehendit, multorum favores conquirendo ſibi, pro ſui electione fortiter inſtabat. Unde electio facta eſt bipartita: illi quidem Canonici, qui Coloniæ remanſerant, Dominum Wilhelmum præfatum poſtulabant: alii verò in præfato opido Dominum Theodoricum prædictum, quinta die poſt diem ad hoc primò decretum, elegerunt. Eodem menſe monachus ille, qui dudum de veneno cibi Officialis Paderbornenſis immixto, ut ſupradictum ſuſpectus habebatur, de curia Romana veniens, in ducatu Montenſi comprehenſus cuſtodiæ mancipatur, & de facto veneni interrogatus coram notariis & teſtibus, pulveres illos, quos officialis præfatus in cibariis ſuis invenerat, venenum fuiſſe confeſſus eſt, ſe tamen à conſenſu facti illius conabatur excuſare, quamvis confitebatur ſe ſcire, quòd cocus Abbatis tunc, quando unà ſecum domum habitationis Officialis intraverat, habuit voluntatem pulveres illos cibis Officialis immiſcere. Iſto anno in marchionatu Miſnenſi, in opido Sangerhuſen, multi hæretici deprehenſi ſunt, qui articulos infra ſcriptos contra fidem Catholicam tenuerunt & occultè docuerunt. Primus erat articulus, quòd ſecta eorum fratres Flagellatores ſeu Crucifratres diceretur, & originem haberet ex quibuſdam ſcripturis per angelos ſanctos ſuper altare S. Petri Romæ delatos, circa annum nativitatis CHRISTI CCCXLIII. Unde ipſi primo illo tempore per mundum diſcurrentes ſe flagellis ceciderunt. Unde & dixerunt quòd illo tempore DEUS Romanum Pontificem cæteroſque Prælatos licentiavit, ne deinceps populo Chriſtiano præeſſent, eoſque omni auctoritate ligandi atque ſolvendi, aut quaſcunque res conſecrandi privavit. Nam ut in expulſione negotiatorum de templo Chriſtus propter malitiam ſacerdotum abjecit, & repudiavit ſacerdotium Judaicum, ita in tranſitu fratrum Crucifratrum, propter ſacerdotum nequitiam, licentiavit DEUS, & abjecit ſacerdotium Evangelicum, & ſic ſex ſacramenta eccleſiæ ceſſaverunt. Item dicunt, quòd in tranſitu Crucifratrum, videlicet, quando tranſiverunt primò per mundum, cruce præcedente eos, flagellis publicè ſe flagellando, lex baptiſmi in aqua deponebatur à DEO, & lex baptiſmi in proprio ſanguine inſtituebatur. Unde dicunt cum Chriſtus in Cana Galileæ circa finem convivii nuptialis aquam mutavit in vinum rubeum, deſignavit, quòd circa finem mundi baptiſmus aquæ in baptiſmum ſanguinis mutari deberet. Et ſicut vinum rubeum præ omni vino priùs poſito, convivantibus magis placuit, ita nova lex baptiſmi ſanguinis, DEO præ cunctis legibus grata exiſtit, & ſic poſt prædictum tranſitum nemo verus Chriſtianus fuit, nec intrare potuit regnum cœlorum, niſi qui proprio ſanguine, de corpore per flagellum in memoriam paſſionis CHRISTI ſponte excuſſo, fuit baptiſatus. Item in Sacramento altaris nec verum corpus CHRISTI, nec verum Deum eſſe, & quòd ipſum eſſet Kuckuk ſacerdotum affirmabant. Item quòd ad remiſſionem peccatorum nihil prodeſt confeſſio facta ſacerdoti, nec abſolutio facta per eundem, ſed quantumcunque enormia ſint peccata ſufficit cum cordis contritione ſola flagellatio corporis proprii. Unde omnes indulgentiæ, per quemcunque conceſſæ, nullæ ſunt. Item dixerunt, quòd Helias & Enoch jamdiu apparuerunt in mundo, & mortui ſunt. Unde dicunt Heliam combuſtum ante quadraginta annos in Erfordia, & Enoch fuiſſe magiſtrum Conradum Smet, ſeu Fabrum juxta linguam Latinam, qui hujus ſectæ primus divulgator in Thuringia fuit. Unde dicunt, quòd DEUS creaverit omnes animas ſimul in principio, & collocaverit eas in Paradiſum cum primo homine, & quando fœtus humanus in utero matris debet animari, tunc anima per angelum de Paradiſo ſumpta illi infunditur, & quòd ſic animæ Enoch & Heliæ prædictis eorum hæreſiarchis infuſæ fuerint. Item dicunt, quòd iſte Magiſter Conradus Smet eorum hæreſiarcha ſedebit judicium, ſeu præſidebit ut judex in noviſſimo die, & non CHRISTUS. Item quòd poſt mortem nullum ſit purgatorium: quòd exequiæ eorum defunctorum nihil proſint defunctis, ſed ſint ſolatia vivorum, & repleant marſupia clericorum. Item quòd nullius diei feſtivitas ſit celebranda, niſi diei Dominicæ & nativitatis CHRISTI ac aſſumtionis beatæ Mariæ

Digitized by Google

Mariæ virginis. Item quòd nullum jejunium ſit obſervandum, niſi feriæ ſextæ, & nativitatis Chriſti, & aſſumptionis beatæ Mariæ: & quando dies nativitatis Chriſti cadit in feriam ſextam, ſuper jejunio illius diei diſpenſari non poſſit. Item confeſſi fuerunt, quòd ipſi ſe in obſervatione feſtorum & jejuniorum, ac in veneratione ſanctarum imaginum, quarum venerationem aſſerebant Idololatriam, aliis Chriſtianis conformant. Hoc ideo faciunt ne notentur ab hominibus, ſed de illo agunt poſtea pœnitentiam flagellis ſe percutiendo. Super præmiſſis articulis præfati hæretici culpabiles inventi, per magiſtrum Henricum Schonefeld, magiſtrum Theologiæ, & inquiſitorem hæreticæ pravitatis, igni adjudicati in præfato opido Sangerhuſen combuſti ſunt. Poſtquam poſtulatio de duobus, Domino Wilhelmo de Monte, & electio de Domino Thiderico de Morſe prædictæ fuerunt celebratæ, ad dominum Johannem Papam pro confirmatione ſeu proviſione ſolennes viri cum maximis mittuntur expenſis partem per utramque. Et quia major pars capituli domino Thiderico adhæſit, ipſe caſtrorum & terrarum pro majori parte ſibi vendicabat poſſeſſiones. Cum enim Dn. Fridericus avunculus ejus ſupradictus fuerat vita functus, iſte theſaurum & clenodia ipſius primò, deinde plura caſtra eccleſiæ nondum electus apprehendit, ſicque canonicorum & multorum aliorum favoribus conquiſitis, plurima de caſtris diſtraxit, & pignore obligavit. Unde magnas pecuniarum ſummas collegit, & ſic eo multa millia florenorum expendente, & promittente, Papa præſertim ad importunam inſtantiam Sigiſmundi regis Romanorum & Ungariæ, & Johannis Archiepiſcopi Maguntinenſis eum duxit confirmandum, & verbo primo confirmavit, non obſtante, quòd plures principes Teutoniæ pro Domino Wilhelmo ſupplicabant. Quapropter Dn. Wilhelmus ab hujuſmodi proviſione tanquam devotoriè intruſo, & pro ingreſſu Simoniaco procedente facta, ad unicum verum & indubitatum ſummum Pontificem, & ad ſedem Apoſtolicam, & ad concilium generale, Conſtantiæ tunc celebrandum, appellavit, & in appellatione ſua Dominum Johannem Papam, non ſimpliciter Papam, ſed Dn. Johannem, quem Bononienſem & quidam alii Papam modernum appellant, nominavit, & hanc appellationem ſuam valvis eccleſiæ Colonienſis publicè fecit affigi. Et nihilominus dominus Adolfus dux Montenſis ad Gregorium pro confirmatione, ſeu proviſione, Domini Wilhelmi videlicet fratris ſui legationem deſtinavit, & quoniam multi principes & domini, cum domino Wilhelmo confœderationem inierunt, guerræ graviſſimæ inter ipſas partes ſunt ortæ: quibus capitulum & civitas Paderbornenſis, cum ligæ ſuæ conſortibus, immiſcere ſe cupientes, cum dicto domino Thiderico, & ſibi adhærentibus, fœdus inierant, poſtquam de decreto confirmationis ejus ſupradicto certificati fuerunt. Nocte verò ſecunda, diem dicti decreti, quæ dies fuit penultima menſis Auguſti, præcedente, orta tonitruorum terribili tempeſtate, in civitate Paderbornenſi, ſtupendus ſecutus eſt tempeſtatis effectus: ſonantibus enim campanis magnis in turri majori, ictus tonitrui fortiſſimus lapides duorum angulorum, ſibi alterutris oppoſitorum, in fruſta minuta comminuens, impetum campanarum, tam gravi mole propulſum, ſubitò fixit, ſonum abſtulit, & trahentes funes campanarum, ſine læſione notabili, quaſi mortuos dejecit in terram: qui quidem effectus, quamvis naturalibus cauſſis progreſſus fuiſſe creditur, mihi tamen impetus cujuſquam, in illo loco tumultuantis, refrenationem portendiſſe videtur, aut forte inopinatum in electione epiſcopali ſilentium, de quo infra dicetur, indicavit. Licet igitur Dominus Wilhelmus, electus Paderbornenſis, priuſquam ſe pro eccleſia Colon. obtinenda Coloniam tranſtulit, certos vicarios ſuos, videlicet, in Pontificalibus alium Officialem, & vicarium in ſpiritualibus generalem, in diœceſi ſua Paderbornenſi reliquerat, necnon in temporalibus illuſtri Bernhardo Duci Brunſuicenſi cum caſtro Dringenberg partem unam diœceſis, ac Bernhardo de Horde famulo cum Novo caſtro alteram, partem, tuendas commiſerat: tamen Capitulum majoris eccleſiæ ſuæ, ſua propria auctoritate pronunciavit, eum non eſſe electum eccleſiæ Parderbornenſis, certum quendam alium Officialem curiæ Paderbornenſis, & tutores eccleſiæ, tanquam ſedes vacaret, conſtituendo: nec non vaſallos, & cives ac miniſteriales eccleſiæ à fidelitate ipſius atque juramentis ſibi præſtitis abſolutos decernendo. Propter quod multi alii ſponte, alii coactè in partem adverſam ſibi declinabant. Unde caſtrum Beverungen

rungen primò traditum eſt eis: deinde in menſe Decembri caſtrum Dringenberg traditione opidanorum obtentum eſt partem per adverſam. Anno Domini MCCCCXV. ultima die Januarii Bernhardus Domicellus Lippienſis defunctus eſt: unde notabilis perturbatio ſuæ partis eſt exorta. Perſeverante itaque domino Wilhelmo electo in partibus Rheni, cæteris jam traditis, vel treugis quieſcentibus caſtris & opidis, in tres perſonas fidelium ſuorum totum æmulorum ſuorum hoſtilis conatus eſt directus, videlicet, in Bernhardum de Horde prædictum, in Fridericum de Driberg, qui opida Lichtenowe & Cleinenberg tenuit, & in Reinerum de Lippe, qui opidum Steinheim cum caſtro ſuo tenebat. Caſtrum itaque Steinheim cum opido adverſa pars obſidione concludere ſatagit: ſed ſatis vaſtatis in campis obſidionem ſolvens ſecunda die receſſit. Deinde præfati ipſius Electi inimici opidum Clenenberg opidanorum ejuſdem traditione ceperunt: Sed Fridericus de Driborg cum ſuis progreſſus de opido Lichtenowe contra eos bellum inſtaurat; commiſſoque prælio campum obtinuit, & cæteris fugam capientibus, notabiliores ex eis ſeptuaginta cepit armatos, quos cum viginti eorum familiaribus etiam captis abduxit. Quapropter liga prædicta nimis exacerbata in unum ſe colligens opidum Lichtenowe obſidione concludit, quod tertio obſidionis die, de conſenſu dicti Friderici, rebus ſuis & ſuorum ac perſonis ſalvis, traditum eſt: non obſtantibus certis literis, ipſi Friderico ab Epiſcopo Paderbornenſi, & capitulo conceſſis, in contrarium tendentibus manifeſtè. Deinde cives Paderbornenſes, nocte quadam tentabant pervadere caſtrum Novum, vel ſaltem ambitus ejus: ſed repulſi ſunt ſuarum cum diſcrimine perſonarum. Et licet ex eis plures fuerunt ſagittis ſauciati, tamen, quia nemo ex eis cecidit, viceſima ſexta die menſis Junii ad idem redierunt. Et iterum octo eorum mortuis, & ultra quadraginta vulneratis, ad civitatem cum ignominia redierunt. Eodem menſe, quintodecimo die ejuſdem, capitulum eccleſiæ Paderbornenſis, à Papa Johanne, jam à concilio Conſtantienſi fugitivo, in opido Friborg ſub tuitione Friderici ducis Auſtriæ degente, eccleſiam Paderbornenſem impetravit Archiepiſcopo Colonienſi, Dn. Wilhelmo electo prædicto invito, commendari: non obſtantibus decretis dicti concilii in contrarium factis. Et literæ Apoſtolicæ ſuper hujuſmodi commendatione confectæ, VII. die menſis Auguſti, in dicta Paderbornenſi eccleſia ſunt inſinuatæ, & à capitulo, & civitate cum gaudio ſunt ſuſceptæ: non obſtante, quod præfatus Johannes Papa, jam in menſe Majo, proximè præcedente, per concilium præfatum, etiam propter hæreſin, depoſitus erat à Papatu. Eodem tempore, eccleſia Oſnaburgenſis, per epiſcopum Monaſterienſem regebatur. Eodem menſe Julio, tertio quidem ejuſdem die, horribilis tempeſtas ſuper civitatem Paderbornenſem irruit. Nam grando prægrandis, glacie ad pedis & amplius longitudinem magnæ ſpiſſitudinis commixta cadebat. Unde in campis ſata vaſtata: turris majoris eccleſiæ in magna parte, atque ipſa eccleſia tectorum tegulis, ita ut plurimum gravis ponderis, per unum miliare veherentur per aëra, ac turris eccleſiæ Rurenſis toto ſuo tecto nudata fuerat: pluresque domus funditus everſæ, & ferè omnes perforatæ, vel in tectis damnificatæ fuerunt: nec tamen in tanta tempeſtate aliquis mortuus inventus eſt, quia nondum Sathanæ data eſt in carne poteſtas. Et cum multi de populo ex hoc moti hoc eſſe vindictæ divinæ judicium dicerent, quam peccatis eorum exigentib. Deus ipſis manifeſtaret, ne reverterentur à via ſua prava, quidam presbyter in ſermone publico conſolatus eſt eos dicens: Nequaquam eſſe vindictæ cujuſquam ſignum, ſed operatione elementorum naturali fore productum. Deinde XXIII. die ejuſdem menſis turris eccleſiæ S Johannis Baptiſtæ in novo opido Wartburg, fulmine ſub pinnaculo tacta, deorſum ad XL. pedes in longum eſt combuſta: cujus pars inferior cum maximo labore fuit conſervata. In menſe Septembri ſequente Dominus Wilhelmus electus de partibus Rheni revertitur, & convocatis amicis ſuis diœceſin Paderbornenſem manu forti intrare diſponit. Unde adverſarii ſui plurimum trepidabant: ſed die ſtatuta veniente Bernhardus & Henricus Duces Brunſuicenſes, & exercitus Landgravii Haſſiæ juxta condictum non venerunt: quare profectio illa intermiſſa eſt, & adverſarii ejus ex hoc ſunt nimiùm conſolati. Die dehinc ſecunda menſis Octob. Archiepiſcopus Colonienſis venit Paderbornam, & admiſſus eſt pro adminiſtratore ibidem, & cives præſtiterunt ei juramenta fidelitatis, & quintadecima die poſt hoc Bernhardus de Horde tradidit Novum caſtrum

Digitized by Google

ſtrum in manus ejus. Videns igitur Dn. Wilhelmus electus Paderbornenſis æmulorum ſuorum fraudibus non poſſe ſe reſiſtere viribus, & diſpenſationis ſuper muneris conſecrationis delatione ſibi quantum ad eccleſiam Paderbornenſem à ſede Apoſtolica conceſſæ tempus infra annum expirare, nec præſumens ſe poſſe ad eccleſiam Colonienſem pervenire, quamvis Adolfus Dux Montenſis frater ejus guerris graviſſimis Archiepiſcopum Colonienſem fatigavit, æmulorum prædictorum commenta alia quadam via cautelosè diſſolvit: quoniam cum dicto Domino Archiepiſcopo amicabiliter compoſitus ſe eidem affinitate conjunxit. Nam filiam ſororis ſuæ Alheidim videlicet filiam Comitis de Tekeneborg duxit & celebratæ ſunt nuptiæ in caſtro Arnsberg XIX. die menſis Februarii eodem domino Archiepiſcopo præſente, ſicque præfati æmuli, illum, quem ſibi aſciverant in ipſius Wilhelmi exterminatorem, coacti ſunt ejus tolerare defenſorem. Cauſſa etiam illa, quæ inter electum ſupradictum & Abbatem ac conventum monaſterii SS. Petri & Pauli jam ferè ſeptem annis in perniciem totiùs patriæ duraverat, tunc per eundem Dn. Archiepiſcopum via compoſitionis amicabilis eſt ſopita, & monachus ille, qui de veneno, ut ſupra dictum eſt, ſuſpectum ſe reddiderat, à vinculis, quæ caſualiter inciderat, & per menſes XXI. toleraverat, eſt relaxatus.

Caput XCIV.

ANno Domini MCCCCXIV. ſupradicto Papa Johannes venit Conſtantiam in menſe Octobri, pro concilio generali celebrando. Et licet in Kalend. Novembris, tunc immediatè ſequentibus, concilium immediatè inchoari decretum fuerat, tamen propter certas cauſſas uſque ad quartum diem hujus menſis prorogatum eſt. Rex autem Sigiſmundus Aquiſgrani ab electo Colonienſi, videlicet, domino Thiderico de Morſe, nondum in epiſcopum conſecrato, octavo die menſis Novembris coronatus eſt. Et deinde Coloniam ſe transferens dictum electum Colonienſem cum adverſario ſuo ſuper eccleſia Colonienſi componere tentavit. Et dum per Ducem Montenſem conſenſus ad hoc non dabatur, ipſe Conſtantiam ſe tranſtulit, operam dans concilio incoato. Poſt plurimos igitur tractatus totum concilium in quatuor nationes eſt diviſum, quæ quatuor ex ſe prælatos quælibet, videlicet, unum elegerunt, qui præſidentes concilii dicebantur: & harum quatuor nationum determinatione ſingula ipſius concilii negotia decreta fuerunt expediri, quòd Cardinalibus omnino cum Papa diſplicuit. Unde Dn. Johannes pluries à concilio ut cederent, tentabatur. Anno igitur MCCCCXV. ſecunda die menſis Martii ipſe Johannes Papa vovit & juravit, quòd cedere vellet, ſi & quando ſecum contendentes de Papatu cederent juxta determinationem ipſius concilii, etiamſi alio modo per ceſſionem ſuam pervenire poſſet ad unionem eccleſiæ: ſed pòſt viceſima die ejuſdem menſis tranſacta, ipſe in habitu transformato nocte clam receſſit, & in opidum Schafhuſen ſub protectione ducis Auſtriæ ſe recepit. Et deinde cum eodem Duce ad diverſa loca ſe tranſtulit: & quidam de Cardinalibus ſuis ſecuti ſunt eum: propter quod Rex contra ipſum Fridericum Ducem Auſtriæ infinita ad ſe multitudine armatorum de civitatibus & terris Imperii & principum circumjacentibus concurrente procedens, civitates, caſtra, fortalitia ejus potenter occupat, & Ducem ſe cum omnibus terris ſuis in gratiam ſuam dare compellit, & ut in obſtagio Conſtantiæ ſtet donec Johannem Papam ſibi præſentet, cogit ſub pœna perditionis omnium terrarum, quas tenuit: quæ, ſi ſecus ageret, eo ipſo ad imperium eſſent devolutæ. Viceſima ſexta die Martii, quæ fuit tertia feria poſt Palmas, pronunciatum fuit per Concilium, quòd illa Synodus eſſet legitimè convocata, initiata, & uſque tunc ſic celebrata: & quòd per receſſum Papæ non eſſet ſoluta, & quod diſſolvi non deberet, donec fieret perfecta ſchiſmatis extirpatio, & eccleſia reformaretur in fide, & in moribus in capite, & in membris. Item penultima die Martii, quæ fuit vigilia Paſchæ, fuerunt pronunciati quidam articuli per unum de Cardinalibus minus ſufficienter: quapropter ſexta die menſis Aprilis iidem articuli per unum alium de concilio, Rege præſente, pronunciati ſunt reformati. Primus hic erat: Synodus in Spiritu ſancto congregata generale concilium faciens eccleſiam Catholicam militantem repræſentans poteſtatem immediatè habet à Chriſto, cui quilibet, cujuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & exſtirpationem ſchiſmatis, ac refor-

Digitized by Google

reformationem eccleſiæ Dei in capite & in membris. Tertius articulus, dimiſſis cæteris, fuit de irritatione gratiarum per Johannem Papam factarum poſt receſſum ſuum à concilio in translationibus, privationibus, & commendis factis prælatis invitis, & de cæteris poteſtatem judiciariam concernentibus. In ſexta ſeſſione per unum de Prælatis aviſamenta iſta propoſita fuerunt: Prima veritas eſt, quòd nequaquam in hoc ſacro concilio ſeu tractatibus, quæ fiunt in ipſo, Papa & Cardinales debent intereſſe: Ratio, quia ibi agendum eſt de reformatione eccleſiæ in capite & in membris, ſcilicet in Papa & in Cardinalibus, ſed illi non poſſint, nec debeant eſſe judices in proprio facto. Secunda veritas eſt, cum id ipſum Cardinales electores Dn. Johannis Papæ ſcientes eum eſſe talem prout fuit, & eſt, nihilominus elegerunt ipſum in Papam, ubi optimum debebant elegiſſe, vel ſaltem mediocriter bonum & utilem, abuſi ſunt poteſtate eligendi, & debent privari electione, & alias graviter ſunt puniendi: quia per talem abuſivam electionem ipſorum, totam eccleſiam ſcandaliſarunt: & ſic nullatenus hujuſmodi concilio & ejus actibus debent intereſſe. Tertia veritas eſt, quod cum ipſi domini Cardinales dictum Dn. Johannem Papam poſt ejus turpem fugam de Conſtantia, per quam totam ſcandalizavit eccleſiam, illicentiati per hujuſmodi concilium ſecuti fuerunt, & eo ipſo reddiderunt ſe ſuſpectos vehementer prædicto concilio, quòd extunc non poterunt, nec poſſint, eidem concilio & actibus intereſſe. Quarta veritas eſt, quod cum ipſi Cardinales, vel plures eorum, huc reverſi poſt eandem fugam, & etiam aliqui eorum, qui hic remanſerunt, publicè aſſeruerint, quòd per receſſum dicti Dn. Joannis à Conſtantia diſſolutum fuerit concilium prædictum, ita quòd extunc non fuit concilium, ſed conciliabulum, videntur enormiter erraſſe: & infra per conſequens ipſi ſic dicentes ſe-ipſos excluſerunt à concilio & actibus antedictis & cæteris. Quinta veritas eſt, quòd interim, quod non revocabuntur, vel ſuſpenduntur poteſtates, Papalis & dignitatum, nunquam poterit eccleſia reformari, in capite & in membris, per quemcunque etiam ingenioſum, vel potentem, nec per ipſum concilium: quoniam ipſe Dn. Johannes inveniet ſemper ſibi faventes, & potentes, ut lac ſugant, id eſt aurum de ipſo: invenietque ſemper emptores dignitatum in copia, & ab eis habebit aurum copioſè. Secunda die menſis Maii decreta fuit citatio per concilium contra Johannem Papam, & citabatur per edictum ad reſpondendum certis articulis in finem quod deponeretur à Papatu. Qui quidem articuli inter cætera in ſe continebant, quòd ipſe per Simoniacas mendicationes copioſum theſaurum ſibi acquiſivit, & per Simoniam ad Cardinalatum promotus fuit: & mortem Alexandri Papæ prædeceſſoris machinatus fuit, illum & medicum ejus veneno intoxicari procurando. Beneficia, officia, dignitates, & prælaturas plus offerentib. in precio vendidit, ut illi fructus earum percipiendo presbyteros pro regimine earum ad libitum ipſorum conducerent: Datam coronationis multis reddidit pro certa taxata pecunia, videl. pro XXV. florenis: de Camera plures bullas fecit ſuper beneficiis, quas mercatorib. vendendas tradidit pro certa pecuniæ quantitate. Plura beneficia in manibus ſuis fuiſſe reſignata confinxit, & bullis ſuper beneficiorum illorum vacationibus aſſertis confectis, beneficia illa vendidit, poſſeſſores eorum ſic temerè ſpoliando. Unde & idem beneficium pluribus vendidit, & quandoque uni & eidem repetitis vicibus. In gratiis exſpectativis, declarationibus, ſurrogationibus & per impoſitionem ſilentiorum jus acquiſitum abſorbuit. Multos tranſtulit invitos de eccleſiis ſuis, ut illas ſic vacantes carius vendere poſſet. Indulgentias & reliquias ſanctorum pro numerata pecunia vendidit: unde caput S. Johannis Baptiſtæ, quod in monaſterio S. Sylveſtri digna veneratione conſervatur Romæ, Florentinis pro quinquaginta millibus ducatorum vendere conabatur, & illos, qui hoc prodiderunt, incarcerabat & tormentabat, donec vitam magnis pecuniis redemerunt. Item cuidam laico uxorato dedit poteſtatem deputandi commiſſarios habentes fulminare cenſuras eccleſiaſticas contra non ſolventes ſibi certas pecunias, quas nomine Cameræ apoſtolicæ in partibus Brabantiæ & locis circumvicinis debebat poſtulare, & eidem laico dedit poteſtatem conſtituendi confeſſores pro certa pecuniæ quantitate, quòd haberent auctoritatem abſolvendi à pœna & culpa confitentes ſibi. Bona & poſſeſſiones multarum eccleſiarum & monaſteriorum de urbe vendidit & alienavit. Item præceptoriam hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani vendidit baſtardo regis Cypri adhuc infanti quin-

quinque annorum, & diſpenſavit ſecum, quòd poſſet in illa ætate profiteri, decernens quòd illa profeſſio illum obligare deberet, aliaque conceſſit inaudita & contra ordinis iſtius privilegia eidem, pro quibus magnam pecuniarum ſummam à rege prædicto recepit: & dum à magiſtro ordinis petebatur iſta revocare, noluit conſentire, niſi prius ſex millia ducatorum ſibi darentur & regi Cypri reſtituerentur pecuniæ, quas expoſuit pro prædictis. Item fratrem dicti ordinis majorem annis expreſsè profeſſum, à voto, regula & habitu religionis abſolvit & dedit ſibi licentiam matrimonium contrahendi: propter quod ſexcentos ducatos repetiit ab eodem. Item ipſe pertinaciter aſſeruit, quòd non eſſet vita poſt hanc vitam, nec eſſet futura reſurrectio mortuorum. Item ipſe graviter fuit infamatus, quòd cum uxore fratris ſui concubuerit: cum ſanctimonialibus inceſtum, cum virginibus ſtuprum & cum conjugatis adulterium perpetraverit, nec non alia flagitia, propter qualia ira DEI deſcendit in filios diffidentiæ. Item promiſit, vovit & juravit, velle cedere Papatu, ſed dum ad hoc fuerat requiſitus, denegavit. Unus articulus qui fuit in ordine ſextus plura vitia concluſit ſub hac forma. Item quòd dictus Johannes fuit & eſt pauperum oppreſſor; juſtitiæ perſecutor: iniquorum columna: Simoniacorum ſtatua: carnis cultor: vitiorum fex: à virtutibus peregrinus: infamiæ ſpeculum & omnium malitiarum profundus adinventor: adeò & in tantum ſcandalizans eccleſiam Chriſti, quòd inter Chriſti fideles vitam & mores ſuos cognoſcentes vulgariter dicitur Diabolus incarnatus. Et quia Johannes præſentatis articulis ſupradictis ſibi per duos epiſcopos, & duos Abbates coram protonotariis duobus & notariis ac teſtibus ex parte concilii in oppido Cellis, Conſtantienſis diœceſis, non audens contradicere, nec contra teſtes ſuper eiſdem productos puta Cardinales, Epiſcopos, Abbates, protonotarios, auditores, magiſtros, & doctores aliquid curans opponere, determinationi concilii ſe ſubmiſit, concilium, Rege præſente in regalibus inſigniis, ſententiam depoſitionis tulit contra eum, ipſumque Papatu & adminiſtratione illius privavit, nec non omnes & ſingulos Chriſtianos ab ejus obedientia abſolvit, die XXIX. menſis Maii. Decretum quoque eſt per concilium, quòd idem Johannes ſub regis cuſtodia ad ipſius concilii beneplacitum ſervari deberet. Et ſic, poſtquam regi præſentatus eſt, Rex tradidit eum illuſtri Ludovico Comiti Palatino Rheni, qui eum ad quoddam caſtrum ſuum duxit cuſtodiæ carcerali mancipandum. Eo tempore, quo cauſſa depoſitionis Johannis Papæ adhuc pendebat in concilio, Gregorius, qui Angelus de Carrario dicebatur, de ceſſione ſui juris, quod in Papatu ſe habere prætendit, plurimum tentabatur. Unde tandem miſſis procuratoribus ipſe concilium Conſtantienſe approbavit, & IV. die menſis Julii, Rege cum regiis inſigniis præſente, per illuſtrem domicellum Karolum de Malateſtis de Ariminio, ad hoc habentem ſpeciale mandatum, Papatui & omni juri ſibi in eo competenti in publica ſeſſione coram concilio renunciavit: quam renunciationem Rex & totum concilium gratanter acceptabant, & approbabant, quamvis dudum per concilium Piſanum depoſitus fuiſſe credebatur: quoniam in aggreſſu hujus concilii Conſtantienſis fuit expreſsè decretum, quod iſtud eſſet illius continuativum. Unitis ſic iſtis duabus obedientiis concilium decrevit, quod Angelus de Carrario poſt ſummum Pontificem eligendum ſuper omnes Cardinales primum locum obtineret, & legatus ſedis Apoſtolicæ in marchia Anconitana ad tempus vitæ ſuæ maneret. Cardinales ejus etiam inter cæteros Cardinales digno recipi deberent cum honore. Poſtquam Johannes depoſitus fuit de Papatu, Rex dedit gratias ad beneficia eccleſiaſtica exſpectivas, eo ſub colore, quòd ipſe de conſuetudine antiqua haberet primarias preces in qualibet collatione beneficiorum ad eccleſiaſticas perſonas ſpectante. Et licet conſuetudo illa in memoria hominum in Alemannia baſſa non fuit, plures tamen clerici eo modo beneficia fuerunt aſſecuti.

Caput XCV.

PENDENTIBUS ſic cauſſis ſuper unione ſupradictis, cauſſa fidei deducta fuit in concilium ſuper articulis cujuſdam Joannis Wicleff dudum defuncti. Et licet ex libris dicti Joannis Wicleff extracti fuerunt CCXL. articuli, jam in concilio nuper in Urbe ce-

be celebrato damnati, tamen, quia quidam magiſter in artibus dictus Johannes Huſs articulos ex eis aſtruere & defendere nitebatur, quos ipſe, & alius magiſter Pragenſis dictus Hieronymus publicè prædicabant Pragæ, & ferè totum regnum Bohemiæ hæreſi repleverunt: ita ut Wenceslaus Rex frater Dn. Sigismund. Regis Romanorum ſupradicti eis conſentiens, ipſos & errores eorum tyrannice defenderet, unde tandem ſtudium Pragenſe annihilatum eſt. Prædicti magiſtri, videlicet, Johannes Huſs & Hieronymus per concilium Conſtantienſe citati ſunt ad reſpondendum ſuper certis articulis numero XLV. de quorum aſſertione, prædicatione, & defenſione publicè infamati fuerunt: quorum aliqui ſequuntur ſub hac forma: Subſtantia panis materialis, & ſubſtantia vini materialis, in Sacramento altaris manent. Item accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento. Item Chriſtus non eſt identicè in eodem Sacramento, neque realiter in propria præſentia corporali. Item ſi epiſcopus vel ſacerdos eſt in peccato mortali non ordinat, non conficit, non conſecrat, neque baptiſat. Item non eſt fundatum in Evangelio, quòd Chriſtus miſſam ordinaverit. Item Deus debet obedire Diabolo. Item ſi homo debitæ fuerit contritionis, confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis. Item ſi Papa eſt præſcitus & malus, & per conſequens membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi fortè à Cæſare. Item poſt Urbanum ſextum non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum more Græcorum ſub legibus propriis. Item contra ſcripturam ſacram eſt, quòd viri eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones. Item nullus prælatus debet aliquem excommunicare, niſi priùs ſciat eum excommunicatum à Deo: qui ſic excommunicat hæreticus ex hoc vel excommunicatus eſt. Item prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem & ad concilium regni, eo ipſo eſt traditor regis & regni. Item nullus eſt Dominus civilis: nullus eſt prælatus: nullus eſt epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. Item Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia poſſeſſionatus habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu non ſolo actu delinquentibus. Item populares poſſunt ad arbitrium ſuum dominos delinquentes corrigere. Item decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum ſuum eas auferre. Item conferens eleemoſynam fratribus eſt excommunicatus ex facto. Item ingrediens religionem privatam quamcunque tam poſſeſſionatorum quàm mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei. Item ſancti inſtituentes religiones privatas ſic inſtituendo peccaverunt. Item religioſi viventes in religionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana. Item fratres tenentur per laborem manuum ſuarum victum quærere, non per mendicitatem. Item omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus. Item omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt. Item univerſitates, ſtudia, collegia, graduationes in eisdem ſunt ex vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ, quantum Diabolus. Item excommunicatio Papæ, vel alterius cujuſcunque Prælati, non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti. Item peccant fundantes monaſteria, & ingredientes ea ſunt viri Diabolici. Item ditare clerum eſt contra regulam Chriſti. Item Sylveſter Papa & Conſtantinus erraverunt Eccleſiam ditando. Item omnes de ordine Mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam ſunt excommunicati. Item Papa cum omnibus clericis ſuis poſſeſſiones habentibus eſt hæreticus, eò quòd poſſeſſiones habent, & omnes conſentientes eis, ſcilicet Domini temporales & laici cæteri. Item eccleſia Romana eſt ſynagoga Satanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus vicarius Jeſu Chriſti & Apoſtolorum. Item Imperator & Domini ſæculares ſeducti ſunt à Diabolo, ut eccleſiam dotarent de bonis temporalibus. Item electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſt introducta. Item non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias. Item fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & epiſcoporum. Item juramenta illicita ſunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia. Item Auguſtinus, Benedictus & Bernhardus damnati ſunt, niſi pœnituerunt de hoc, quòd habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt & intraverunt religiones: & ſic à Papa, uſque ad infimum religioſum omnes ſunt hæretici. Item omnes religiones indifferenter introductæ ſunt à Diabolo. Ultra prædictos articulos Johannes Huſs

tenuit

Digitized by Google

tenuit articulos infra ſcriptos. Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſorum. Item Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit quoſdam actus actibus malignantium conſimiles. Item præſciti non ſunt partes Eccleſiæ. Item duæ naturæ divinitas & humanitas ſunt unus Chriſtus. Item præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars Eccleſiæ. Et prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis. Item Petrus non fuit, nec eſt caput Eccleſiæ Catholicæ. Item Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ perfectio & inſtitutio à Cæſare potenti emanavit. Item non oportet credere, quòd iſte quicunque Romanus Pontifex ſit, caput eſt cujuscunque particularis Eccleſiæ ſanctæ, niſi Deus eum prædeſtinaret. Item nemo gerit vicem Chriſti vel Beati Petri, niſi eum ſequatur in moribus: cum nulla alia ſequela ſit pertinentior. Item Papa non eſt manifeſtus & verus ſucceſſor principis Apoſtolorum, ſi vivit morib. contrariis Petro. Et ſi quærit avaritiam, tunc eſt vicarius Judæ Iſcariotis. Et pari evidentia Cardinales non ſunt manifeſti & veri ſucceſſores collegii aliorum Apoſtolorum, ſervantis mandata & conſilia Domini noſtri Jeſu Chriſti: per condemnationem hujus articuli non datur intelligi, quod Cardinales non epiſcopi ſuccedant Apoſtolis. Item Doctores ponentes, quòd aliquis per cenſuram eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſeculari judicio eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Scribas & Phariſæos, qui Chriſtum innocentem in omnibus, dicentes, nobis non licet interficere quenquam, ipſi ſæculari judicio tradiderunt, & tales ſunt homicidæ graviores quàm Pilatus. Item per cenſuram eccleſiaſticam, videlicet, excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti clerus ad ſui exaltationem populum laicalem ſibi ſuppeditat: avaritiam multiplicat: malitiam protrahit, & viam præparat Antichriſto. Item ſi papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc, ut Judas Apoſtolus, eſt Diabolus, fur, & filius perditionis, & non caput ſanctæ militantis eccleſiæ. Item Papa non debet dici ſanctiſſimus etiam ſecundum officium: quia alias rex etiam deberet dici ſanctiſſimus etiam ſecundum officium: prædones dicerentur & ſancti, imò Diabolus debet vocari ſanctus, cum ſit officiarius Dei. Item non eſt niſi ſcintilla apparentiæ, quòd oportet eſſe unum caput in ſpiritualib. regens Eccleſiam quod ſemper cum ipſo Eccleſia militans conſervetur. Item Chriſtus, ſine talibus monſtruoſis capitib. per ſuos veraces diſcipulos, per orbem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet. Item Apoſtoli & fideles ſacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum, & ſic facerent uſque in diem judicii. Item nulla hæreſis debet damnari per potentiam, ſed per diſputationem in ſcholis. Item populus non debet credere bullis Papæ. Unde idem Johannes Huſs igni adjudicatus & combuſtus eſt. Hieronymus verò magiſter Pragenſis licet ſupradictos articulos dudum tenuit, & defendit; tamen in ſeſſione publica XXIII. die menſis Septembris, ſe correxit, nec non prædictos articulos publicè abjuravit. Sed quia non perſeveravit, quoſdam ex eis iterum præſumens defendere, igni adjudicatus eſt & combuſtus: & dum accedere debebat ad ignem cantabat alta voce: Credo in unum Deum, uſque ad finem: deinde cantavit reſponſorium: Circumdederunt me viri mendaces: & poſt hæc cantavit reſponſorium, Chriſti virgo. In hoc menſe Septembri rex Angliæ cum navib. M. D. LXX. millibus armatorum onuſtis mare verſus regnum Franciæ transfretavit, contra quem rex Franciæ bellum inſtauravit & commiſſo prælio rex Angliæ triumphavit, & ex parte regis Franciæ, Dux Brabantiæ, Dux Barenſis, Marchio Barenſis, & alii multi principes ceciderunt, & perſeveravit rex Angliæ manu potenti, regnum donec Franciæ ſubegit. Poſtquam Johannes olim Papa fuit depoſitus, & Gregorius ſimiliter in ſua obedientia Papatui renuntiavit, ut ſupra dictum eſt, ordinati fuerunt per Concilium certi prælati viri ſolemnes ad hoc, ut cum Sigiſmundo rege Romanorum verſus Hiſpaniæ partes ſe transferrent, pro tractatibus habendis cum Petro de Luna, Benedictus Papa in ſua obedientia nominato. Et profecti ſunt cum rege de Conſtantia in menſe Julio ſupradicto, & poſt graves itineris labores pervenerunt ad eum, & multis cum eo tractatibus habitis finaliter nihil perfecerunt. Unde tandem ipſo Petro de Luna ſe in quoddam caſtrum in mari ſitum munitiſſimum recipiente cum theſauro & nonnullis familiaribus

Digitized by Google

ſuis, Rex Sigiſmundus cum ambaſſiatoribus concilii generalis parte ex una, & ambaſſiatores Arragoniæ, & Caſtellæ & Navarræ regum & Arnigmati & Fuxi comitum parte ex altera, tertia die menſis Decembris, in eccleſia Narbonenſi convenerunt, & ipſo Petro de Luna in ſua pertinacia relicto, ſuper unione mutua, quantum ad reformationem eccleſiæ univerſalis, certis modis concordabant, literis juramentis & ſigillis eorum roboratis, ſub forma publicorum inſtrumentorum confectis ſuper eiſdem. Quibus expeditis Dn. Sigiſmundus Rex verſus regnum Franciæ ſe contulit: deinde ad regnum Angliæ, ut reges regnorum illorum pacificaret. Unde per æſtatem & autumnum ſequentes, ſcilicet anni Dn. M. CCCC. XVI. in regnis illis moram traxit: ſed finaliter, quantum ad concordiam regnorum illorum, parum profecit. Et interim quod ipſe perſeveravit ibidem, ambaſſiatores regum & principum Hiſpaniæ prædictorum, Conſtantiam venerunt, circa principium æſtatis, & multis tractatib. præcedentib. in cum adhuc Schafhauſen moram trahebant, tandem à concilio cum magno recepti ſunt honore, ipſique cum regnis prædictis concilio ſunt uniti, & ſic concilium in quinque nationes eſt diviſum. Rex igitur Sigiſmundus circa finem Autumni ad partes Alemaniæ eſt reverſus, & per plures dies Aquiſgrani moram traxit, & convocatis ad ſe ibidem Dominis, Thiderico Archiepiſcopo Colonienſi, & Adolfo Duce Montenſi cum fautoribus & auxiliariis eorum lites & guerras verſantes inter eos magno cum labore diremit, & poſt hoc non longe ad concilium Conſtantiam eſt reverſus.

CAPUT XCVI.

DEmum anno Domini M. CCCC. XVII. menſis Martii die XVI. concilium cum Regis conſenſu contra Petrum de Luna citationem emiſit, & citavit eum ad primam diem menſis Aprilis: Sed terminus ille continuatus eſt usque in menſem Julium: ut interim viri idonei ad accedendum præſentiam ejus & ut ipſe ſufficiens haberet tempus ad præparandum ſe ad viam veniendi ad concilium. Sed eo permanente in pertinacia ſua, in pœnam contumaciæ papatu privatus eſt, quamvis dudum per concilium Piſanum privatus videbatur. Poſt hoc electi ſunt viri literatiſſimi ex omnibus illis nationibus qui nomine totius Eccleſiæ reformationem ſtatus eccleſiæ ordinarent & conſcriberent. Illis autem moram in hoc facientibus orta eſt ſeditio inter Regem & nationem Germaniæ parte ex una, & cæteras nationes parte ex altera: Rege cum ſuis volente quod priusquam ad electionem ſummi Pontificis procederetur, fieret reformatio eccleſiæ, tam in capite quam in membris: Cæteris contendentibus ex adverſo, quod prius procederetur ad electionem Papæ, per quem reformatio eccleſiæ eſſet deducenda ad effectum. Tandem reformatione concepta, ipſa tamen nondum publicata, proceſſum eſt ad electionem ſummi Pontificis. Unde ex qualibet natione electi ſunt viri literatiſſimi & devoti 6. qui erant numero 30. qui una cum Cardinalibus omnibus debebant eligere Papam, & iſti ſunt ingreſſi in conclave: Cardinales quidem numero 21. & cæteri 30. die Lunæ, 8. menſis Novembris, poſtquam concilium jam per annos tres integros continuatum fuerat, intraverunt & XI. die dicti menſis concordes effecti, elegerunt Dominum Oddonem de columna, nobilem Romanum Cardinalem, qui de obedientia Urbani ſexti deſcenderat, & appellatus eſt Martinus 5. Eodem quippe die feſtum B. Martini celebravit eccleſia. Quod autem in Papam electus eſt ille, qui de collegio Cardinalium obedientiæ Urbani Papæ ſexti deſcendit, ſpiritus ſanctus quodam myſterio ſingulari egiſſe præſumitur: Cum id, quod prius ira, odium, invidia, & protervitas & ultio dubium facti temporis diuturnitate ſubortum, de Papatus juſta poſſeſſione, diſcerni non ſiverant, hoc jam totius mundi conſenſus ſimplicitas in cordib. veritatem & juſtitiam diligentium ſcintillaret. Sic etiam Gregorius, ſeu Angelus de Carrario, quod Karolo de Malateſta ſuper renuntiatione Papatus dederat, conabatur inſinuare, quamvis Papatus niſi à ſanctæ memoriæ Urbano 6. per electionem collegii Cardinalium ab eodem deſcendentibus translatum ferè fuiſſet. Eo tempore, quo concilium iſtud Conſtantiæ agebatur, abbates, priores & prælati cæteri ordinis S. Benedicti de provincia Maguntina ibidem exiſtentes, perpendentes, quantum ordinis ſui religio per dictam provinciam, in ipſius or-

Digitized by Google

us ordinis, & totius eccleſiæ ſcandalum, mundanis illecebris offuſcata, à regulari ſua obſervantia indecenter deviaret, & quanto Dominus Rex erga reformationem ſtatus Eccleſiaſtici ducebatur affectu generalem, reformationem univerſalis eccleſiæ in hoc prævenire cupientes, concordaverunt, quod omnia & ſingula monaſteria dicti ordinis, per præfatam provinciam conſtituta, regulam S. Benedicti per omnia ſervare deberent, & ad hoc proſequendum & executioni plenariè demandandum viri idonei per ipſam provinciam mitti deberent. Quapropter quarto die menſis Februarii anni Domini 1418. duo monachi monaſterii Cluniacenſis, cum ſolenni comitiva Paderbornam venerunt ad viſitandum monaſterium SS. Petri & Pauli ibidem, & productis literis Apoſtolici & Dn. Regis ac Abbatis Cluniacenſis, cui idem monaſterium SS. Petri & Pauli ex ſui primitiva inſtitutione eſt ſubjectum, de auctoritate ſibi ſuper via viſitationis commiſſa, abbati & monachis ibidem plenam fidem faciendo, obſervantiam regulæ S Benedicti eis ſub magnis pœnis eo modo, quo in præfato monaſterio Cluniacenſi ſervatur, per omnia tenendam indixerunt, expreſsè injungentes eiſdem per obedientiam, quod ipſi deinceps tria ſubſtantialia monachatus, videlicet, abdicationem proprietatis, caſtitatem, & obedientiam ante omnia ſervarent, & quod in refectorio ſimul reficerentur: non carnibus niſi infirmi paſcerentur: ſilentium in locis debitis ſervarent: cellas moſciis feneſtratas haberent, nec lectis de plumis neque camiſiis lineis uterentur, & quòd nullas ſepta monaſterii intrare permitterent. Hæc omnia Abbas & monachi redimentes tempus acceptabant, an autem verè, vel ſimulatè, rerum probabit eventus. Abbas autem menſes quatuor poſt hoc in humanis perſeverans undecima die menſis Junii, magnis torſionib. calculi & colicæ paſſionis quaſſatus, abſque Sacramentorum perceptione eſt defunctus. Veruntamen unum de permiſſis inter omnia eis fuit acceptum, videlicet, quod materia habitûs eorum precioſior, quàm uſque ad illa tempora eſſe conſueverat, eis per ipſos viſitatores fuit indulta: Forma tamen, quæ utique religionis devotionem majorem prætenderet, ipſis diſplicebat. Et ecce, nemo de clero, vel de populo, aut militaribus fuerat, qui dictis viſitatoribus foraneis nutu quidem ſe opponeret; qui prius ſe domino ſuo, uſque ad rerum, corporum, honorumque pericula, ne monachi corrigerentur, oppoſuerant, ipſi nempe traditi in deſideria cordis ſui ſaturati fuerunt conſiliis ſuis: Unde adhuc degentes ſub Domino archiepiſcopo Colonienſi prædis & rapinis turbantur cotidianis, pœnitenteſque abdicatione prioris domini ſui, videlicet, Wilhelmi de Monte, ſe, ſi ipſius tuitionis priſtinæ poſſent gaudere præſidio, fore felices affirmant, multique ex eis pro eo, quod eccleſia Paderbornenſis habens ſub ſe civitatem, opida & caſtra murata plusquam 30. ſponte ruit in tam ignominioſum præcipitium, quod ſe ad electionis Pontificalis prærogativam non valet elevare, gravi mœrore tabeſcunt. Poſtquam Dominus Martinus Papa prædictus fuit coronatus per nationes concilii petebatur fieri reformatio eccleſiæ, tam in capite, quàm in membris, prout in Reformatorio per ad hoc electos conceptum fuerat. Sed quia non omnes æque ardenter inſtabant, Cardinalibus etiam in hoc torpentibus, parum profecerunt. Unde natio Gallicana Regem adiit, petens ab eo, ut Papam ad Eccleſiam dignaretur informare: qui reſpondit eis: dum nos, ut reformatio fieret, priuſquam ad electionem ſummi Pontificis procederetur, inſtabamus, vos nolentes acquieſcere, Papam, priuſquam fieret reformatio eccleſiæ, habere voluiſtis. Et ecce Papam habetis, quem & nos habemus: illum pro expeditione hujuſmodi reformationis adite, quoniam pro nunc noſtri non intereſt, prout intererat ſede Romana vacante. Sunt tamen quædam reformata, quamvis reſpectu conceptorum pauca, verbis quidem & ſcriptis, quæ propter humanam mentis mutabilitatem, divinitatis excuſantem ſe ſub umbra hic inſerere non præſumo. Ego quidem jam annis multis ſtatum pertractans eccleſiæ, per quem modum ad univerſalis eccleſiæ reformationem, ſcandalis ſublatis omnibus, perveniri poſſet, curioſa mente revolvi. Quem quidem modum Dominus fortaſſe oſtendet, cum in ſpiritu vehementi conteret naves Tharſis. Porro anno Domini 1418 ſupradicto 22. die menſis Aprilis iſtud concilium Conſtantienſe abſolutum eſt: & aliud concilium generale deinde ad quinquennium in Papia civitate Liguriæ ſeu Lombardiæ celebrandum, per Papam eſt indictum. Et quia corpus, quod corrumpitur, nimis aggravat animam, me tædet hujuſmodi ſcripris

Digitized by Google

amplius occupari. Cùm igitur in vineam Domini ſim inter ſub denarii diurni mercede conductos ingreſſus, ad ipſum agricolam, qui purgando palmites fructum afferentes, infructuoſos palmites novit auferre, ſub ſpe qua Propheta æſtuando dixit: Deus virtutum convertere: reſpice de cœlo & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua, me convertens, hunc librum, ſub Bonifacio Papa 9. inchoatum, & ſub Martino Papa 5. anno Pontificatus ejus primo, die 1. menſis Junii, anni Dominicæ nativitatis 1418. illuſtriſſimo Sigiſmundo, Romanorum, Teutoniæ & Ungariæ regnorum in ſceptris agente, conſummatum, hac eccleſiæ oratione concludo: Da nobis Domine, quæſumus, ut & mundi curſus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & eccleſia tua tranquilla devotione lætetur.

Chriſtia-

Chriſtianus Urſtiſius, Mathematicus & Hiſtoricus clariſſimus Præfatione in Volumen Hiſtoricorum Germanicorum.

UT iis magnas debemus gratias, qui in ſcribenda Hiſtoria, ne rerum memoria, ſuccedentibus ſeculorum ætatibus obliteretur, de omni poſteritate bene ſunt meriti. Sic & illi operæ pretium, patriæq; debitum officium præſtitiſſe cenſentur, qui bonis ejus generis libris, è tenebris in lucem proferendis, obſtetricantur, neglectosque & ſquallentes, deterſo ſitu, in hominum conſpectum atque conſortium deducunt. Vicisſim gravi vituperatione digni ſunt, non minus, quam Plautinus ſenex, theſaurum olim defodiens, qui veterum labores, boni publici cauſa ſuſceptos atque peractos, inutiliter atque avarè detinent, celant, ac cæco carcere premunt. Occulta ſapientia, inquit Siracides, & theſaurus abſconditus, quæ utilitas in utrisque? Muſarum certè fores invidentiæ peſte laborare non decet.

HEN-

Digitized

Digitized by Google

HENRICVS MEIBOMIVS Junior
LECTORI S.

HUc usque Hiſtoriam ſuam produxit *Gobelinus*, nec plura in ſuis Codicibus MStis invenit Avus meus. Meminit quidem *Gobelinus* Coſmodr. Æt. VI. c. 81. Poematis ſui de Urbano Pontifice, & c. 83. alterius de Ruperto Epiſcopo, & poſt finem libri ſui ſcripta notat, quæ in iſtis codicibus tamen deſiderata. An in aliis reperiantur, neſcio. Habuit Eminentiſſimus Princeps ac Dominus, Dn. FERDINANDUS, Epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis, Gobelini Coſmodromium in membrana ſcriptum, antiquius illis codicibus, quos habuit Avus, uti vel uno illo ex loco, quem jam adducam, patebit. Cum enim in Avi mei editione Ætat. VI. c. 41. hæc verba habeantur: *Meinolphus in Eccleſia S. Vincentii Cenomanenſi vovit monaſterium Sanctimonialium fundare in honorem beatæ Mariæ & S. Liborii in loco qui dicitur Bodeken*, Crantzius quoque Metrop. l. 1. c. 28. ſine dubio ex Gobelino, (quem ſequi, & etiam ubi non nominat deſcribere ſolet) id referat, ideoque non alio exemplari uſus fuiſſe videatur, imò cauſam quoq; voti addat, ut ſcilicet proſperare Deus dignaretur legationem eorum, cùm Meinolphus à Badurado Epiſcopo Paderbornenſi ad reliquias S. Liborii impetrandas ad Cenomanos una cum aliis miſſus eſſet: Tamen Reverendiſſimus *Auctor Monumentorum Paderbornenſium* p. 220. monet, in vita S. Meinolphi, quæ extat, cujusque ipſum Gobelinum auctorem eſſe exiſtimat, hujus voti, apud Cenomanos nuncupati, nullam fieri mentionem, imo huic narrationi videri adverſari, quod S. Meinolphus jam ante, quàm ad Cenomanos legatus iret, Ludovicum Pium Imperatorem ſuaſu Baduradi Epiſcopi Ao. 816. Aquisgrani in Concilio Provinciali acceſſerit, facultatem ædificandi monaſterium ab eo impetraturus: Reverendus vero *Adolphus Overham*, eruditus amicus noſter, qui vitam Meinolphi edidit, in notis ad eam ſuis p. 416. monet, in antiquiſſimo membranaceo codice (Ita enim Paderbornenſem illum vocat) verba illa, cum multis aliis, abeſſe ab ipſo textu, ad marginem autem addita, alia manu & charactere longè recentiori,

centiori, quæ deinde à librariis in textum ſeriemque hiſtoriæ ſint recepta. Verba ipſa, ut in illo codice habentur, huc adſcribam, ut quanto plus in edito ſit, quantaque variatio, lector videre melius poſſit: *Anno Imperii Ludowici XXIII. translatus eſt S. Liborius de civitate Cenomanica Galliæ, in qua quondam ipſe fuerat Epiſcopus, ad Paderborne civitatem Weſtfaliæ, Aldrico Cenomanenſem & Badurado Paderbornenſem regentibus Eccleſias. Et quidam Clericus Paderbornenſis Eccleſiæ, Ido nomine, conſcripſit miracula, quæ vidit in translatione S. Liborii, & habentur ſcripta in Eccleſia Paderbornenſi ſupradicta. Eo tempore floruit Rabanus Poëta Abbas Fuldenſis &c.* Quod ſi in hunc usque diem vixiſſet optimus ille Princeps magna Hiſtoriæ & omnis eruditionis jactura immatura morte nuper ſublatus, ſine dubio ab ipſo Membranas illas impetraſſem, pro inſigni quo Hiſtorica ſtudia, & me quoque immerentem, complectebatur amore. Cogimur autem nunc hoc Gobelino, qualem Avus meus edidit, eſſe contenti, gratiasque eo nomine boni & eruditi viri illi debebunt ſemper, quamvis non deſint ſuperſtitioſuli Curiæ Romanæ adulatores, qui, quoniam nimis liberè de Pontificibus Romanis ſcripſit, & Legendas de Urſula & Catharina in dubium vocavit, ſuppreſſum mallent. Quis vero bonus ſupprimat, aut ſuppreſſam velit veritatem? Quis non tales ſcriptores extare plures, & publicari oportet, qui, ut Gobelinus de ſe ipſo & ultima parte ſui libri Æt, 6. c. 68. teſtatur, *ea, quæ ſcribunt, paucis de ſcriptis authenticis interpoſitis, fide dignorum relatu, aut viſus experientia deprehenderint?* Cum vero quædam in Gobelino occurrerent, aut obſcuriora, aut minus recte ſe habentia, Notas quasdam adjecit Avus meus, quas, cum nonnulla erudita, nec infrugifera, contineant, hic iterum comparere voluimus alicubi, ubi ſignum * appoſitum eſt, à nobis auctas.

NOTÆ

NOTÆ IN COSMODROMIUM GOBELINI PERSONÆ

Ætatis 2. capite 2.

VT ſcribit Philo) Quæ in hoc & ſequentibus aliquot capitibus ex Philone citantur, extant in libro Biblicarum antiquitatum, qui nomine Philonis circumfertur. Verum quia nec cum ſacris literis, neque cum Joſepho convenit, inter ſuppoſititios eſt habendus. Indubitata Philonis opera à diverſis interpretibus converſa Lugduni excuſa ſunt, & duobus tomis comprehenduntur. De eruditione ejus legantur Euſebius lib. 2. cap. 17. Hiſtor. Eccleſiaſt. Auguſt. lib. 12. cap. 2. contra Fauſtum Manichæum. Suidas in Lexico: Volaterranus in Anthropolog. lib. 18. Ab Hieronymo ſcriptoribus eccleſiaſticis accenſetur.

Ætatis 3. cap. 16. & Ætat. 4. cap. 10.

Ovidius in libro de Vetula dicit, quod Ulyxes fuit inventor] Inter cætera poëmatia, quæ indigna elegantiſſimo ejus ingenio, Ovidio Naſoni adſcribuntur, recenſetur à Lilio Gyraldo de poët. hiſt. dialogo 4. liber de Vetula: qui qualis ſit, pronunciare non poſſum, cum integrum nondum viderim. Meminit ejus Theodoricus de Niem in Nemore unionis, tractat. 6. cap. 38. his verbis. Si quis delectaretur plenius videre curſum hominis in prædictis tribus ætatibus, recurrat ad libros Ovidii de Vetula, ubi exemplariter actam vitam ejus in juventute, & in media ætate longo tractu deſcribit. Sed ejus perfectam ætatem & ſpeculationem in ſecundo libro, ubi vates eſſe videtur, ſubtilibus metris & profundis ſententiis comprehendit, & in quo conſummationem mundi in igne fieri, & ſex ſectas, quibus aſſerit omnes viventes diverſis ritibus principaliter inhærere, in unam prius redire debere. Hæc ibi. Auctor Rudimenti novitiorum, operis inquam ampli & prolixi, quod poſt Henricum de Hervordia, in Saxonia ſcriptum eſt, ſuſpectum habuit hunc librum. Verba addo. Ætate 6. Ovidius etiam ſcripſit ſecundum quoſdam librum de Vetula, quod probatur ex titulo libri, & quod dicitur ibi in principio:

Ovidius Naſo Peligni juris alumnus
Edidit hunc librum, &c.
Impoſuitq; ſuo titulum nomenq; libello
De Vetula ——

Sed neque authenticus eſt, nec habetur in uſu: ex pluribus tamen ibidem contentis patet alium utique libri iſtius auctorem fuiſſe. Hactenus Rudimentum.

Ætat. 5. cap. 11.

Saxonum origo à Græcis] Fabuloſæ Saxonum originis, qua à Macedonibus arceſſuntur, primus aſſertor eſt Witichindus Monachus Corbeienſis. Eum ſecuti ſunt Gotfridus Viterbienſis in Pantheo: Conradus abbas Urſpergenſis, Albertus Stadenſis in Chronico, Theodoricus de Niem in libro cui titulus: privilegia & jura Imperii. Wernerus Rolevingius de laudibus Weſtvaliæ, item Chronicon Saxonicum German. excuſum anno 1492. Ex recentioribus hanc opinionem amplexi ſunt Joannes Boemus Aubanus, Cornelius Kempius Phriſius, & poſt utrumque Suffridus Petrus, ordinum Phriſiæ hiſtoricus, multis argumentis defendendam ſuſcepit. Meras autem fabulas eſſe, que ille de Friſone, Saxone & Brunone, totidem diſtinctarum gentium conditoribus, ex annalibus, & monumentis Phriſiæ commemorat, extra omne dubium eſt:

neque eſt opus, ut in illis refellendis operam ponamus. Præſtitum hujus aliquid à Crancio, Nicolao Ciſnero, Petro Albino, Reineccio & aliis. Vera autem & indubitata Saxonum origo eſt à Sacis gente Scythica in Aſia: à quibus Saſſones Ptolemæi, qui in Scythia, vel Aſia Boreali, ſupra montes Alanos citra tamen Imaum montem habitarunt. Hi ex Aſia in occidentem, & deinde in provincias, quæ nunc Germaniæ ſunt immigrarunt: etſi quo definito tempore, quibusque ducibus & occaſionibus id factum ſit, nullus tradat.

* Non deſunt tamen circa illam de Saxonum origine & vocis Etymologiam dubia.

Thuringorum nomen] De Thuringorum etymo veriore item origine vide Petr. Albinum in Progymnaſmat. novæ Saxonum hiſtoriæ pag. 187. & Reineccium de Myſorum origine.

Suevi à monte Suevo] Suevi non à monte Suevo, nec à Suevo Gambrivii F. de quo fabulæ Beroſianæ, ſed à moribus gentis nomen habent: id ſonat vagabundos. De antiquitatibus gentis conſule Althamerum in Germaniam Taciti, & Reineccium parte tertia Hiſtoriæ Juliæ in regno Germanico.

Ætat. 6. cap. 14.

Quidam neſcio quibus fabulis intenti] Fabulam de undecim millibus Virginum, Gobelinus rationibus nequaquam levibus refutat: plures, ſi operæ precium eſſet, adduci poſſent. Nam & de D. Urſulæ, quam ducem harum virginum faciunt, parente variant fabulatores: aliis eum Scotiæ, aliis Britanniæ regem facientibus. Nec de anno inter eos ſatis conſtat. Taceo apud ſcriptores horum temporum expeditionem iſtam Amazonicam reticeri, quod factum minime fuiſſet, ſi tale quid eveniſſet. Baleus centuria 1. cap. 39. ex ſcriptoribus Britannicis veram de Urſula recenſet hiſtoriam, videlicet, quod genere fuerit Britanna, Dinoti Cornubienſium Ducis filia, ingenio & eruditione clara. Cum autem pòſt ſubactas à Maximo Britannorum rege, Romanoque Cæſare, Armoricas terras, quas minorem Britanniam hodie vocant, Gallicarum mulierum aſpernati connubia Britanni, uxores ex ſua petebant gente, factum eſt, ut frequens mulierum numerus illuc ex inſula navigare ſtatuerit, & inter illas Urſula Canani Ducis eorum deſignata conjunx. Sed ea cum undecies utriusque ſexus millibus vi tempeſtatum periit, cæteris ad littus à contrariarum factionum tyrannis cæſis. Quæ de monacha Schonaugienſi, ejusque revelationibus Gobelinus addit, intelligimus de Elizabeta ejus loci abbatiſſa: cujus & miracula & revelationes diverſæ recitantur. Scripſit peculiarem librum de undecim millibus virginum Colonienſium. obiit anno 1162.

* DE Urſulæ & undecim millium virginum ſive hiſtoria, ſive fabula, à multis acriter defenſa, ab aliis doctius exploſa, multa poſſent dici, quæ conſulto omitto, quoniam nec hujus loci, nec tanti ſunt. Ad *Gobelinum* tamen, Avumque meum defendendum, propter quendam Societatis Jeſu ſacerdotem, aliquid dicendum videtur. Eſt is *Hermannus Crombachius* qui A. 1647 vaſtum volumen, undecim libris, tit: *S. Urſula vindicata* edidit, in quibus operosè Traditionem Colonienſem de Martyrio Urſulæ & undecim mille virginum contra omnes diſſentientes tueri nititur, obligatus ad eam rem voto, cum ex febri graviſſimè decumbens, invocatis ſanctis illis virginibus, arteriaque mox melius pulſante, ipſarum honoris defenſionem ſuſcepiſſet. Quid vero præſtat tam immani libro, cui exaſciando ſubſidia ex Italia, Luſitania, Francia, ſuperiore & inferiore Germania ſeſe conquiſiviſſe gloriatur? Nihil aliud, quàm ut ὐ χθὲς, ὐ πρώην ſed à pluribus jam ſeculis fabulam illam in Eccleſia Romana credi cæptam, evincat. At inde nondum confirmatur ejus veritas, nec deſinit eſſe fabula,

Ex uno quondam male cæpta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta.

Quod vero Crombachius, in præf. ad D. Mariam virginem, ſcribit, *Heterodoxos hoc primum tempore cæpiſſe S. Urſulam divam imaginariam appellare*, in eo non fallitur tantum, ſed contra propriam conſcientiam loquitur, cum jam ſeculo decimo quarto *Gobelinus* de hiſtoriæ illius veritate dubitarit, quem *Crombachius* & legit, & non uno loco adducit, quamvis nec bene de *Gobelino*, nec de editore ejus *Meibomio* ſentiat. Quoniam enim ab Eliſabetha monacha Schonaugienſi fabulam illam

Digitized by Google

illam de Urſula originem ſuam habuiſſe ſcripſerat *Gobelinus*, ejusque Revelationum fidem elevarat, *Crombachius* l. 3. c. 23. Eliſabethæ ſanctitatem, ſpiritum Propheticum, revelationesque defendit, & de Gobelino, ejusque editore ita loquitur: *Dandum aliquid huic viro magis in jure civili, quàm ſacris ſcriptoribus, aſceticis, & myſticis ſcriptis revelationibusque verſato, quamvis non vitio careat, qui & liberius aliquando Sedem Apoſtolicam, S. Benedicti ordinem, è quo S. Eliſabetha prodierat, & S. Catharinæ martyrium perſtringit. Ideo hæretici eum in lucem extulerunt, ut dentatas ex eo catholicis & mordaces ſententias objicerent.* Auſim vero dejerare, non cogitaſſe Avum meum de Urſulæ aut Catharinæ Legendis, cum Gobelini, toties deſiderati à patriæ antiquitatis amatoribus, in illorum gratiam non ſine magno labore ederet. An vero hiſtoricæ veritatis amans non debet ea edere, quæ liberè de Pontificibus, de ſacri ordinis hominibus ſcripta ſunt? An ſedis Romanæ & ordinum honor prævalere veritati debet? Quam multi in ſcriptis ſuis, illuſtriſſimi quoque ordinis Viri, allegant *Gobelinum*! quantas editori egerunt gratias! Nuper adhuc Illuſtris, & magnæ dignitatis Vir, *Johannes Philippus à Voorburg*, Præpoſitus monaſterii grandis vallis, Conſiliarius Moguntinus, & Herbipolenſis, hiſtoriæ omnis, ſacræ & profanæ, peritiſſimus, & fabularum cenſor judicioſiſſimus, cum *Gobelinum* ab Avo meo editum laudaſſet, exemplo illius oſtendit, *quoſdam Legendam de undecim mille virginibus in dubium vocare cœpiſſe, ſimulac hiſtoria vigorem aliquem acquirere cœpit.* Quin in ipſa Colonia ſub ſuperioris ſeculi finem *Hermannus Flejen* SS. Theol. D. & S. Cuniberti Decanus, loco *Gobelini* ex *Coſmodromio* producto, de revelationis & Urſulinæ hiſtoriæ vanitate ſententiam planè approbat. *Ex quibus*, inquit p. 761. *manifeſtiſſimum eſt, doctiſſimum virum & in Eccleſiaſticis rebus diu multumque feliciſſime verſatum* (Baronium Cardinalem intelligit) *omnes illos, qui revelationes, de quibus ſupra diximus, in deſcribenda Virginum hiſtoria ſequuntur, repudiare, neque ullam illis fidem attribuere; quomodo & plerique aute ipſum, ut Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis lib. 11. de locis Theologicis in obj. 13. item Crantzius in Metropoli; Trithemius Abbas in Epitoma Hiſtoriæ Francorum: & his antiquior Gobelinus, & nullam vel certe parvam iisdem revelationibus & viſionibus fidem hactenus adhibuerunt. Et ad me quod attinet, liberè & ingenue profiteor, mihi revelationes iſtas ſemper fuiſſe ſuſpectas. Nec vero ſine cauſa: multa enim in revelationibus iſtis proferuntur abſurda, inter ſe pugnantia, & à veritate prorſus aliena.* Et alibi: *quoniam nulla nituntur veritate, merito non tantum revelationes iſtas habui ſuſpectas, ſed & hiſtoriam Virginum ex iisdem conſcriptam.* De Argumentis ab Avo meo contra Urſulinam fabulam allatis & à Crombachio examinatis, non eſt, ut aliquid addam: unum tamen à ſilentio ſcriptorum illius ævi deſumptum, cortra Crombachium urgebo. Quamvis enim ſciam, Argumentum illud non ſemper locum habere, tamen in hoc caſu, ubi de Expeditione tam celebri, Undecim Millium Virginum, earumq; clade cum Regina, non deficientibus ſcriptoribus agitur, non leve pondus illi ineſſe arbitror. *Crombachius* l. 1. c. 2. validum hoc telum declinaturus, ad illa vulgaria progreditur, defectum Scriptorum illius ævi, qui ſanctorum Martyrum acta notaſſent, abolitionem librorum hac de re ſcriptorum, Codicum corruptionem, Hiſtoricorum, in Germania imprimis, raritatem, negligentiam, & oſcitantiam, abolitionem eorum quæ ſcripta, per bella, vaſtationes & incendia cœnobiorum: Obſtitiſſe tempora, quo minus in his locis Urſulana hiſtoria annotaretur: obſtitiſſe Diocletiani, Attilæq; vaſtationes, quo minus, ſi qui libri ſcripti, ad nos usq; pervenerint. Verùm, qui poteſt defectus Scriptorum hîc objici, cum ſuperſint ab illo ævo non pauci, quique alia non minoris momenti curioſè annotarunt? Malo in hac re uti verbis paullo ante laudati Illuſtris Viri *Joh. Philippi à Voorburg*, eaque ex *volum. III. p. 160.* integra deſcribere, quoniam eruditum illud & magnæ molis opus juſto eſt rarius. *Cur* inquit, *Sulpitius Alexander, qui, ut Gregorius Turonenſis ex ejus hiſtoriis l. 2. c. 9. ait, Francos Genebaldo, Marcomere, & Sunone Ducibus A. 388. in Germaniam prorupiſſe ac pluribus mortalium limite irrupto cæſis fertiles maximè pagos depopulatos, Agrippinenſi etiam Coloniæ metum incusſiſſe teſtatur, ſtragem tot & tantarum ex regio & illuſtri Sanguine virginum tam inſignem tacuit? Cur Ambroſius tantus virginitatis præco, dum*

 Hun-

Digitized by Google

Hunnos atque Alanos Galliæ appropinquaſſe Epiſt. 27. dicit, in Galliam etiam & ad Rhenum penetraſſe, atque tam nobilem ſangvinem hauſiſſe, non addidit? Cur Hieronymus tantus impudicitiæ cenſor, qui à Vandalis præcipuas à Rheno ad Sequanam civitates everſas, qui Romam ab Alarico captam Epiſt. 16. memorat, tam diram Hunnorum crudelitatem omittit? Cur Oroſius ſummus Catholicæ religionis patronus eam tacet? Cur Proſper Aquitanicus, cur Comes Marcellinus, cur Jornandes, cur Hiſtoriæ Miſcellæ Auctor hanc nec attingunt quidem? Cur Socrates, Sozomenus & Theodoretus tanti religioſarum fabularum & miraculorum captatores iſtam tamen fabulam præterierunt? Cur, inquam? quia nec dum nata erat. Et dein p. 171. ita pergit: Sufficit hoc, quod nullum vetuſtiorem authorem, quàm Bedam, nec poſt hunc alios, quam Alcuinum, Uſuardum & Wandelbertum, ex quibus ille poſt A. 700. hi poſt A. 800. virginum harum meminerint, allegare poſſunt. Quibus an fides ſupra Euſebium, Tertullianum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Ruffinum, Oroſium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Severum Sulpitium, Sulpitium Alexandrum, Renatum Frigeridum Profuturum, Salvianum, Proſperum Aquitanicum, Comitem Marcellinum, Prudentium, Sidonium Apollinarem, Caſſiodorum, Jornandem, Hiſtoriæ Miſcellæ Authorem, Anaſtaſium, Gregorium Turonenſem, & tot alios veteres Divorum Europæorum Actuarios, nullam Urſulæ, ſociarum, & tantæ ſtragis, cui ſimilis non extitit, mentionem facientes, habenda ſit, apud Lectorem judicium eſto. Sequenti autem pagina de natali tempore hujus fabulæ hæc ſubjungit: Nunc, quia ante Bedam, Alcuinum, Uſuardum, Wandelbertum, nemo claſſicus auctor hujus fabulæ mentionem facit. & Beda A. 723. hiſtoriam ſcribere cœpit, & hujus diſcipulus Alcuinus maxime circa A. 791. quo nobiliſſimæ Academiæ Pariſienſis fundamenta jecit, per Galliam floruit. cæteri duo tanti nominis ſunt, evidenter conſequitur, inter Gregorium & Bedam, hanc famam vel exortam vel certe propagatam, ante Gregorium autem vel omnino nullam, vel parum receptam fuiſſe, & magnum contra Hiſtoricam veritatem peccatum eſſe, ſi quis de ea non ſolum tuenda, ſed etiam ad Alexandri Severi Cæſaris tempora & ad An. Chr. 237. referenda contendat. Nondum viderat Illuſtris Voorburgius immenſum laborem Crombachii; cum tamen in Hiſtoriæ Urſulanæ Synopſi, Coloniæ edita, legiſſet in fine, cætera permitti calamo eruditiſſimo, qui undecim libros brevi daturus de hiſtoria Urſulana, ita de illis libris præſaga mente ſcribit: Eruditiſſimum ſanè calamum eſſe oportebit, ſi ex falſo verum efficere, & horum præſertim Auctorum ſententiam inter cæteras omnium veriſſimam tueri velit. Niſi autem melius defendat, quàm hi, tunc illos undecim libros vel ad aniles vel poëticas fabulas rejicere poterit, & hoc ipſo Urſulanæ hiſtoriæ ſugillatores excuſabit, quod malint ab imperitis & falſi amantibus ſugillatores audiri, quàm à peritis fabulatores. Quod ſi Voorburgius ipſum illud undecim librorum Chaos de Undecim mille virginibus vidiſſet, magno conatu maximas nugas actas certò dixiſſet, & iterum exclamaſſet: Tantum eſt ſententiæ hujus, veluti miraculoſæ, divinæ, ad ornandum catholicum cultum valdè idoneæ, & pro urbe Colonienſi, decus etiam ex fictitiis ſacris, ſicut olim Roma ex ſimilibus commentitiorum Deorum Jovis, Apollinis, Martis, Junonis, Dianæ, & ſimilium aris quæſierat, petente, honorificæ, obque muliebrem hanc fortitudinem jucundæ. tuendæ ſtudium, ut ſummi iſti viri omnes difficultates ſuperare, ex impoſſibili poſſibile, & ex falſo verum facere omnibus viribus ſint conati. Quod ſi vero Crombachius adhuc viveret, Voorburgiique liberam, & tanto Viro dignam, Urſulanæ hiſtoriæ cenſuram legeret, non minus φιλαθέςαλοι illum ſugillaret, quam Avum meum. Hunc enim Tom. I. lib. 2. c. 2 hominem dicacem & bonorum inſectatorem vocare non erubeſcit, provocatque ad ejus Parodias Horatianas. Ubi vero eſt frons tua, Crombachi? Idcircone bonorum inſectator, quia forte Malleum Jeſuitam, hominem nauci, & patriæ religionis deſertorem, levitatis tùm nomine omnium voculis exagitatum, Parodia Horatiana tetigerat? An idcirco bonus factus, quia ad Jeſuitas tranſiit? Credo in veſtro ordine eſſe, aut ad illum accedere membra quoque putrida, & indigere etiam ſale, quo defricentur, & non minus apud vos, quàm alibi, verum eſſe:

Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Bonum virum, non bonorum inſectatorem, agnoverunt omnes Avum meum,

qui

Digitized by Google

qui eum noverunt: veritatis vero Hiſtoricæ ſtudioſiſſimum prædicant omnes, qui incorrupto judicio ſcripta ejus legerunt. Nihil certè in eo ſimile tui, *Crombachi*: qui ex febrili æſtu delirus, ſimulac pulſare iterum arteria incepit, ad Urſulæ ſociarumque ejus vindicias voto te obſtrinxiſti, & hinc illius tantum exolvendi cupidus, nulla habita veritatis ratione, injurius in Deum, conſcientiæ tuæ gravis, tot ſimplicium animarum deceptor, Voluſianos Annales congeſſiſti. O! ſi ſuperaret adhuc Avus meus, quàm ſalſa Parodia Horatiana diſtringeret tam lepidum ex febrili voto hiſtoricum, nec idcirco bonorum virorum inſectator, ſed inepti hiſtorici caſtigator, apud peritos & æquos judices audiret. Diceret de te idem παρωδιῶν, quod de Malleo Jeſuita: *Flammis & undis quanta ſortito obtigit, tecum mihi diſcordia eſt*: de toto vero opere tuo Centonem Virgilianum (nam & illo non minus, quam parodiis Horatianis ludere interdum ſolebat) conſcriberet, & notum illum Poëtæ verſum imprimis applicaret; *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum:* lumen, inquam, Hiſtoriæ, Veritas, quæ libro tuo deeſt.

* *Æt. VI. cap. 18.*

Unde in Hiſtoria Romana, ubi de hoc Saxonum tranſitu legitur) Intelligit Hiſtoriam Miſcellam *Pauli Diaconi*, ex quâ ea, quæ de Saxonibus paullo ante dixit, & hæc ipſa verba deſcripta ſunt. Vide librum XII.

* *Ætat. VI. cap. 23.*

Provinciam Vitarum) Notabilem hunc *Gobelini* locum non obſervarunt Viri illi præclari, qui de *Vitis*, qualis populus fuerit, & an rectum nomen illud, diſputarunt, *B. Rhenanus*, *Suffridus Petri*, *Georg. Fabricius*, *Cambdenus in Britannia*, *Joh. Iſaacus Pontanus in chorographica Daniæ deſcriptione*, *Daniel Langhorn in Elencho Antiquitatum Albionenſium*. Neque ego nunc diſputationes illas hîc meas faciam: exiſtimo tamen, fruſtra expungi *Vitarum* nomen, & ex hoc Gobelini loco manifeſti erroris convinci illos, qui putant *Vitarum* nomen in *Bedæ* MStis codicibus non extare, & ante *Bedam* excuſum (ita enim loquitur *Seringham* p. 38.) neminem ullum *Vitarum* meminiſſe, cum tamen *Gobelinus*, qui ante typographiam inventam vixit, ex *Beda*, & Chronica quadam Regum Franciæ eos adducat.

Ætat. 6. cap. 29.

Ipſe debellabat Saxones & quemcunque virum) Engelhuſius ſub annum 633. hæc ad Slavos refert, & Dagoberto tribuit. Guillermus Brito Armoricus Philippidos lib. 10. Carolo M. adſcribit: verba addo.

Francorum rubuit gladiis Saxonia dudum,
Cum meritis ſubiit Carolo ſub vindice pœnam:
Qui nullum ſupereſſe marem permiſit in illa,
Illius gladio qui corpore longior eſſet.

Robertus Gaguinus facit cum Gobelino, lib. 3.

Ibidem.

* *Auſtriam Carolus adjecit Regno Teutoniæ & fecit eam Ducatum.*) Falſum hoc quodque hîc ex aliorum opinione proponit Gobelinus, rectius explicat infra cap. 60. Fridericum ſcilicet, primum ejus nominis Imp. Marchiam Auſtriæ à Ducatu Bavariæ diviſiſſe, & feciſſe eam Ducatum ob amorem patrui ſui Henrici Marchionis ejusdem. Diploma ipſum Erectionis habent *Andreas Presbyter*, *Guillimannus in Habsburgicis*, *M. Freberus*, aliique. Facit vero privilegiorum Auſtriacis à Friderico datorum mentionem quoque *Gobelinus Æt. VI. c. 64.*

Ætat. 6. cap. 38.

Wodan dicebatur] Wodan deaſter, vel idem cum Saxonico, vel diverſus ab eo, una cum Fricconecultus eſt à Sueonibus: teſtis eſt M. Adamus Bremenſis in hiſtoria populorum Septentrional: Lipſius ad Tacitum pro Wodan legendum cenſet Wonſtam, vel Wondam, à lucro nomine deducto: de qua conjectura nihil dico.

* De Wodano non adduco huc ea, quæ clariſſimi Viri, qui res Septentrionales erudite illuſtrarunt, *Wormius*, *Pontanus*, *Schefferus* in ſuis libris, & Robertus *Seringhamus de Anglorum gentis origine* habent. Unum addo locum *Guilhelmi*

helmi Malmesburienſis de Reg. l. 1. c. 1. *Erant enim* (Hengiſtus & Horſa) *abnepotes illius antiquiſſimi Woden, de quo omnium penè Barbararum gentium regium genus lineam trahit, quemque gentes Anglorum Deum eſſe delirantes & quartum diem ſeptimanæ & ſextum uxori ejus Freæ, perpetuo ad hoc tempus conſecraverunt ſacrilegio.* V. CL. *Kirchmaier.* ad Tac. Germ. c. 9.

Ibidem.

* *Caſtrum Iborg, quod nos corrupto nomine Driborg)* De illo caſtro, ejuſque deſtructione, & quomodo tandem habitari deſierit, incolis ob incommodum montis adſcenſum ad illius pedes demigrantibus, vide Monumenta Paderborn. pag. 192.

Ibidem.

* *Ut ſcribit quidam, qui poſtea in eodem loco, tempore Arnulphi Regis vitam duxit religioſam)* Celebris Academiæ hujus Hiſtoricus *Reinerus Reineccius* exiſtimavit hunc eſſe illum, qui Annalium de Geſtis Caroli M. libros V. verſu ſcripſit, Arnulpho æqualis, ab ipſo primum ex Wolfenbuttelenſi, nunc Academiæ Juliæ Bibliotheca evulgatus. Verum nec in his Annalibus locus ille à Gobelino de Urbe Padelbrunna citatus comparet, & præterea ſatis patet, eum non de aliquo, qui verſu, ſed qui proſa ſcripſerit, loqui. Reverendiſſimus verò Epiſcopus notari hîc antiquum ſcriptorem vitæ S Liborii exiſtimat, in Monumentis Paderborn. p. 185. ubi multa egregia de illa Urbe congeſſit.

Ibidem.

A Witikindo prædicto duces Saxoniæ] Explodendus itaque Theodoricus de Niem, qui tractatu de privilegiis & juribus Imp. Witikindum non niſi unicum filium eumque illegitimum reliquiſſe fabulatur.

Ibidem.

Quandoque Rex nominatur, quandoque Dux) Witikindus à Dithmaro Merſeburgio libr. 1. Rex nominatur. Idem fit in epitaphio ejus, quod ſepulchro adſcriptum eſt. Witikindus Corbeienſis magnum ducem vocat. Annales Francici ad annum 887. unum è primoribus Weſtphalorum dicunt. Nos ſequitur Abbas Urſpergenſis. Quæ vero à Suffrido Petro de Witikindo, cujus nomen ante baptiſmum Ludgerus fuerit, à Phriſiis capto & regi Carolo tradito, pro vero affirmantur, ea nullam merentur fidem.

Ibidem.

Witikindus Dux Saxonum & Albio Saxo) Si anno poſt Chriſtum natum 772. incoatum eſt bellum Saxonicum, ut Annales Francici, item auctor vitæ Caroli M. à Reineccio editus teſtantur: Et Witikindus autem baptiſmum accepit anno 785. ut iidem ſcribunt, & hic à Gobelino repetitur, quomodo conſtabit, quod eſt apud monachum Corbeienſem Witikindum cum Carolo M. triginta ferme annis bellum geſſiſſe. Rectius Eginhardus & Helmoldus Burovienſis lib. 1. cap. 3. qui triginta tribus annis cum univerſis Saxonibus pugnatum ſcribunt.

Ibidem.

Herſtelle) Herſtelle arx, ſeu prædium potius, agri Paderbornenſis in ripa Viſurgis occidentali. Hariſtallium nominant annales Francici. Nomen inditum à Carolo M. qui ibi caſtra metatus fuerat, ut volunt monachus Engoliſmenſis in vita Caroli M. & auctor ἀνώνυμος à Reineccio editus. Cum utroque facit Regino ad annum 797. & Cranzius in metropoli libr. 1. cap. 12. Ego vero non tam de caſtris ibi locatis, quam de palatio quodam Francico denominatum puto, cui fortaſſis ſitu loci & amœnitate ſimile fuit. Palatii iſtius meminit auctor vitæ Caroli M. ubi villam nominat: meminit auctor vitæ Ludovici Pii, & poſt hos Regino. Idem ad annum 772. expreſſe dicit, Carolum reverſum in Franciam Natalem Domini in Heriſtallio celebraſſe. Præterea annales Francici ad differentiam alterius diſerte nominant Hariſtallium Saxonicum. Et ſimile exemplum ſuppeditat Padus Saxonicus ab Italico denominatus: ſuppeditat Corbeia ad Viſurgim à Francica Corbeia ad Somam appellata. Ex Chronico Mindenſi MS. conſtat epiſcopatum Paderbornenſem primam ſedem habuiſſe Heriſtallii, atque inde Paderbornam tanquam in locum commodiorem translatum. Arcem ipſam diu poſſedit equeſtris Falkenburgiorum familia, donec eam epiſcopus Henricus ex illuſtri Laoburgenſium principum domo repigneraret.

Ibidem

Digitized by Google

Ibidem

* *Anno Dom. DCCXCIX.*) De Anno conſecrationis Templi hujus multa eruditiſſimè notantur in Monum. Paderborn. p. 115.

Ætat. 6. cap. 40.

Carolus Saxones Trans-albianos tranſtulit in Franciam) Annales Francici ad annum 804. item ſcriptor vitæ Caroli à Pithoeo editus. Eginhardus huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda diviſione diſperſos dicit.

Ætat. 6. cap. 41.

Quæ Welp dicta fuit) Uxor Ludovici Pii Imp. altera fuit Judith, filia Huelpi comitis, ut annales Francici ad annum 819. Welphonis nobiliſſimi comitis, ut auctor vitæ Ludovici Pii. Ignominia huic fæminæ ejusque fratribus Conrado & Rudolpho illata deſcribitur à Thegano, de geſtis Ludovici Imp. Nithardo hiſtor. lib. 1 Reſtitutionem in integrum iidem commemorant.

Ætat. 6. cap. 42.

Dalmatas ſibi tributarios) Hi à Witikindo monacho Dalmatæ: ab aliis Dalmatici: à Dithmaro Dalemincii appellantur. Sunt autem Sclavorum populus, ut Dithmarus, lingua patria dicti Glomatii. Sedes habuerunt ea in regione, quæ deinceps Miſnia dicta eſt.

Ibidem.

Luithgardam filiam Luithdolphi Ducis Saxoniæ) Ludolphus hic Witikindi M. ex Wigberto F. pronepos fuit, quem à Gobelino Ducis nomine appellari notandum eſt. Filios habuit Brunonem, qui juſſu Ludovici Imp. contra Danos pugnans occubuit, & Ottonem. Utrique horum nomen Ducis attribuitur: huic à Witikindo monacho lib. 1. Adamo Bremenſi cap. 34. illi à Dithmaro Merſepurgio lib. 1. Falſum itaque, quod Helmoldus lib. 1. cap. 10. affirmat, Saxoniam à Caroli tempore usque ad Hermannum Billingium Ducibus caruiſſe.

Ibidem.

Brun fuit occiſus à Normannis) Annales Francici ad annum 880. ubi Bruno Dux nominatur. Cæſi dicuntur cum eo epiſcopi duo & comites 12. quorum nomina ibi reperias. Epiſcopi ſunt Marquardus Hildeſienſis, & Theodoricus Mindenſis: conſentit Dithmarus lib. 1. item Albertus Stadenſis. Crantius plures duobus iſtis per errorem cæſos affirmat. Vide metrop. lib. 2. cap. 3.

Ætat. 6. c. 45.

Sergius prius dictus fuit os Porci) De mutatione nominum teneatur dictum Bedæ: Quando mutantur nomina mutantur & opera. Conſtat enim Pontifices Romanos, qui poſt hæc tempora vixerunt, à majorum ſuorum virtutibus plane degeneraſſe, ac monarchiam politicæ gubernationi ſimilem in eccleſiam invexiſſe.

Ætat. 6. c. 46.

Ludovicus à fidelibus Berengarii capitur & excœcatur) Ludovicus Arnolphi F. Imp. non excœcatus eſt à Berengario, ſed anno 12. regni ſui placidè mortuus eſt: teſtis Gotfridus Viterbienſis & Sigebertus Gemblacenſis. Qui vero à Berengario excœcatus eſt, is fuit Ludovicus F. Boſonis regis Burgundiæ. Ille enim evocatus in Italiam, cum incautius ageret, Veronæ à Berengario captus, & regno oculisque privatus eſt.

Ibidem.

Saxones Tranſylvani nominantur) Sunt, qui Tranſylvanos coloniam Saxonum velint à Carolo M. eo deductam, videatur Ant. Bonfinius rerum Hungar. Decad. 1. lib. 9. & Decad. 4. lib. 6. Item Joan. Boëmus de moribus gentium libr. 3. cap. 5. Sed hæc aſſertio caret veterum documentis. Videtur autem veriſimilius Tranſylvanos Getarum & Dacorum reliquias eſſe, & per illas linguam Germanicam in iis oris conſervatam.

Ætat. 6. c. 47.

Henricus rex minis & precibus extorſit) Conſule Albertum Stadenſem ad annum 920. Viterbienſis à Boſone rege provinciæ lanceam ſacram ad Imperium translatam dicit. Eum ſequitur Theod. de Niem in Nemore unionis, tractatu 6. c. 33.

Ibidem.

Monaſterium in Hervorde) Dabimus hoc urbi elegantiſſimæ, quæ avum meum maternum, Joannem Dreierum Doctorem Theologum, eccleſiaſten primarium habuit,

buit, ut de ejus antiquitatibus nonnulla referamus. Floruit Hervordia ſub Carolo M. & ita quidem, ut comitem habuiſſe legatur. Ultimus familiæ, cum ἄπαις eſſet, hortatore eodem Carolo, nobilium puellarum cœnobium Hervordiæ inſtituit, ampliſſimeque dotavit. Fundatio hæc incidit in annum Chriſti 790. Ludovicus Pius Imper. anno regni ſui ſexto cœnobium hoc, per Wolderum Comitem ſibi commendatum, manumiſit (ſic loquuntur veteres libri) & in defenſionem ſuſcepit. Anno 12. Imper. ſui Ludovicus ſecundus quasdam decimales eccleſias in diœceſi Osnaburgenſi, conſentiente epiſcopo & omni clero, cœnobio Hervordienſi tradidit. Quomodo Cobbo comes Tekelburgius, cujus ſocer ibi abbatiſſam agebat, hoc monaſterium ditârit, refert Ertwini Ertmanni Chronicon Osnaburgenſe, & repetit ex eo Crantius in metropoli: Sed hæc bona non ſine controverſia poſſedit. videatur idem Ertwinus. Secuta deinde everſio per Hungaros facta: Secuta inſtauratio, quam Gobelinus infra cap. 52. explicat: ubi notandum, quod eo tempore Immam abbatiſſam habuerit. Primaria ejus loci ædes S. Cruci dicata condita eſt à Meinwerco antiſtite Paderbornenſi. Inter doctos viros, quos hæc urbs multos extulit, merito numeratur Henricus de Hervordia, qui perperam à Trithemio Erfordienſis nominatur. Scripſit is præter alia nonnulla volumina, Hiſtoriam Univerſalem ab orbe condito usque ad annum Chriſti 1355. in qua de rebus Saxonicis multa notatu digna reperiuntur. Vixit autem usque ad annum 1370. quo obiit die Dionyſii, ſepultus Mindæ in monaſterio S. Pauli; reliqua petantur ex Chronico Mindenſi MS. quod σὺν θεῷ brevi edemus.

* Diploma ab Henrico VII. Imp. in confirmationem privilegiorum Cænobio huic datum ita habet: *In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS divina favente Clementia Rex. Omnium namque fidelium noſtrorum petitionibus ſerenitatis noſtræ aurem accommodare oportet. maxime tamen eorum. qui de ſacris mentionem faciunt cœnobiis obtemperare decrevimus. Nam noſtris crebreſcentibus peccatis multimodas paganorum caſtigationes quibus Chriſticolas affixerunt ſentimus. Inter quas etiam Mathildam dilectam conjugem noſtram unà cum Bodarbrunnenſis Eccleſiæ Epiſcopo videlicet Unwano ſeu & cæteris fidelibus noſtris de ſanctis Herivurdenſis monaſterii monialibus interpellantem cognovimus. quatinus illarum præcepta regia. quæ ab ethnicorum vaſtatione exuſta ſunt renovari præciperemus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum induſtria. quia miſeratione earum repleti. ob amorem Dei Sanctorumq́; petitionibus eorum aſſenſum præbentes. prout & ab anteceſſoribus noſtris habere videbantur. noſtræ auctoritatis renovatione prænotari juſſimus. ea videlicet ratione. ut quicquid in veſtitura ſupradicti loci. ſive de Regum vel cujuslibet perſonæ traditione appareat. nullo injuſtæ contradictionis impedimento. æternaliter ad ejusdem congregationis nutrimina perſeveret. quatinus absque alicujus ſecularis vexationis conflicto. ſub noſtræ tuitionis munimine. dignas ac Deo placitas perſolvere ſtudeant laudes. Noſtrasque noſtrorumque anteceſſorum, quàm & ſucceſſorum frequentent orationes. Quorundam autem locorum vocabula. quæ quidam falſitatis fraude abſtrahere conantur. huic conſcripto ſubnectere præcepimus. Angeresgawe. Winiſwalde. Overenberh. Liudwidesdorp & Hunbech ſecus fluvium Sigina. Hæc omnia cum reliquis cunctis poſſeſſionibus tam in agris cultis & incultis. quam & in omnibus appendiciis ad præfatum locum reſpicientibus. firma ſtabilique ſtatione in jam dictæ familiæ poteſtate perrenni tempore conſiſtant. Et ut hoc noſtræ confirmationis Præceptum firmum ſtabileque permaneat. manu noſtra ſubtus illud firmavimus, annuloque noſtro ſigillari præcepimus.*

Signum Domini HEINRICI Sereniſſimi Regis.

Simon Notarius ad vicem Herigeri Archiepiſc. Capellani recognovit.

Data XV. Kal. Apr. Anno Incarnationis DCCCCXXVII. Indictionum XV. Anno vero regni glorioſiſſimi Heinrici VII. Actum Aſtnid. in Dei nomine feliciter. Amen.

Vide Monumenta Paderborn. p. 224.

Ibidem.

Ibidem.

Edgith filiam regis Angliæ) Hæc à Witikindo monacho lib. 2. Edidis: à Dithmaro Editha: à Liutprando libr. 4. cap. 7. Otgit nominatur. Diplomata vetuſta, referente M. Georgio Torquato in Chronico Magdeburg. MS. Ædgidam vocant. Continuator hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglicæ à Beda ſcriptæ Eggittam appellat. Fuit autem filia Ethmundi Anglorum regis, non Eduardi, ut Roſuitha Poëtria ſcribit.

Ibidem.

Thiderici Comitis de Aldenburg.) Hunc Grantius Saxon. lib. 3. cap. 2. Comitem de Ringelheim appellat. Sigeberto Gemblacenſi eſt Rex Saxoniæ, ſed falſo. Cum Gobelino facit Joannes Sciphowerus in Chronico Oldenburgenſi MS. & Ertwinus in hiſtoria Osnaburgenſi. Conjunx Theodorici hujus fuit Reinhildis, auctor Dithmarus lib. 1.

Ætat. 6. cap. 48.

Tenuit urbem Eresburg.) Recte Gobelinus: nam apud Dithmarum Merſpurgum minus recte dicitur. Id quod liquet ex illis, quæ de Irmenſul idolo ibi culto narrantur: ea enim Merſepurgo non competunt. In hoc diſcedit Gobelinus ab aliis, quod Henricum Imperatoris Fr. Eresburgi captum dicit. Witikindus enim lib. 2. & continuator Reginonis in præſidio Badeliki hoc factum volunt. Eſt autem Badelicum, vel Badulinum, ut Roſuita, forte Bellick infra Rhuden opidum in Weſtphalia. Notetur & hoc, Tancmarum à Dithmaro Tammonem dici: cæſum autem à Theobaldo filio notho Cobbonis comitis Tekelburgici.

Ibidem.

De corio antiquo incidere nummos) De hoc ſic ſcribit Theodoricus de Niem lib. de privil. & juribus Imper. Otto fuit vindex & juſtitiarius magnus, ut patet in multis ipſius exemplis: & præſertim quando Mediolanenſes falſificarunt ejus monetam auream & argenteam, injunxit eis, ut moneta facta de corio uterentur, prout factum fuit ex tunc ſemper eo vivente.

Ibidem.

Hildewardus capellanus regis) Hujus meminit Dithmarus lib. 2. ſed ut modice variet de nomine, vocat enim Hillibardum. Patrem habuit Ericum, qui reus conſpirationis in Cæſarem Ottonem M. capite truncatus eſt. Meminit Witikindus, aliter tamen de morte ejus explicans. In Catalogo epiſcopor. Halberſt. à Bruſcio concinnato Hildewaldus comes Werlovianus dicitur. Eſt autem Werla opidum veteris Saxoniæ. De morte hujus epiſcopi habet Dithm. lib. 4.

Ætat. 6. cap. 49.

Exclamatio irriſionis facta eſt contra clericos) Vide de eadem re querelam Dithmari libr. 3.

Ibidem.

Sedes epiſcopalis, quæ poſtea Lubeke translata) Falſum hoc eſt. Vide Helmoldum lib. 1. cap. 9. Crantium in metropoli lib. 6. Translatio epiſcopatus Aldenburgenſis Lubecam accidit anno 1161. ut Rudim. Novit.

Ibidem.

Ignem omni re præter acetum inextinguibilem) Intelligit ignem Græcum, quem hiſtoria miſcella l. 19. ignem marinum vocat & ejus inventorem laudat Callinicum architectum: quæ repetit Faſciculus temporum. Meminit Gulielmus Neubringenſis libr. 4. cap. 19. rerum Anglicarum verbis ſequentibus: Fiebant ab obſeſſoribus diverſi generis machinæ arte & ſumtu inani. Muris enim admotæ incendebantur ab hoſtibus quodam ignis genere, quem Græcum dicunt. Denique hoc genus arte confectum miræ eſſe potentiæ dicitur: nec contrario cedere elemento. Item Sigonius de regno Italiæ lib. 6. his verbis: Ardericus Archiepiſcopus Mediolani miſſis ad Imperatorem legatis triremes ignemque Græcum ſibi dari poſtulavit, cujus ea vis erat, ut niſi liquore aceti infuſo nequiret extingui. Vide præterea Zonaram tomo 3. & Arnoldum Lubecenſem libr. 4. cap. 36.

Ibidem.

Obiit Otto dux Bavariæ) Hic Otto fuit filius Ludolphi Ducis Sueviæ, nepos Ottonis M. Ducem Bavariæ appellat Dithmarus lib. 3. nam Henrico rebelle expulſo Bavariam

zed by Google

riam una cum Carinthia accepit regendam: id factum anno 976. ut Schaſnab. Sed Henrico ad officium redeunte, ceſſit de provincia Bavariæ, & retinuit Carinthiam. Errat autem Gobelinus, quod Henricum nominat Ottonis F. qui conſanguineus fuit.

Ætat. 6. cap. 50.

Filium Ottonis Ducis Carinthiæ) De Brunone Germano, qui ab Ottone tertio ad Pontificatum evectus, Gregorius quintus nominatus eſt, quædam diſcrepantia eſt apud hiſtoricos. Recentiores filium faciunt Ludolphi Ducis Sueviæ, ſed errant cum fuerit ex filio Ottone nepos. Confunditur deinde à quibuſdam cum Brunone epiſcopo Verdenſi, qui Amelungo ſucceſſit, ſed inepte, uti patebit. Bruno Verdenſis præſul obiit circa annum Chriſti 976. cum Bremæ Antiſtitem ageret Adaldagus. Erat tum Bruno provectæ ætatis, ut diſerte indicat Dithmarus lib. 2. Bruno autem, qui Gregorii S. nomen aſſumſit, Papa factus eſt anno 996. ut Sigebertus, vel 995. ut Onuphrius. Erat tunc temporis juvenis ætate, ut ex epithaphio ejus, quod Romæ extat, & ab Onuphrio recitatur, palam fit. In eo & hoc indicatur, egiſſe eum in urbe Vangia, hoc eſt, Wormatiæ ſacerdotem egiſſe. Conciliet iſta qui poteſt. Theod. de Niem de privileg. & juribus Imper. Brunonem filium facit CONRADI DUCIS Franciæ Orientalis, quem Aventinus ſequitur.

Ibidem.

Quendam comitem fecit decollari) Hiſtoria hæc deſcribitur prolixe à Gotfrido Viterbienſi Chronici parte 17. à Sigfrido Miſnenſi libro 1. & in Chronico Saxonico Germanico. Quos auctores Crantius, Cuſpinianus, & alii imitati ſunt. Sed mirum eſt, neque Dithmarum Merſepurgium, neque Hermannum contractum, neque Lambertum Schatnaburgenſem, neque Ottonem Friſingenſem ejus mentionem feciſſe.

Ætat. 6. cap. 51.

Sylveſter natione Gallus) Sylveſter Papa non à Gobelino tantum, verum ab aliis etiam hiſtoricis magiæ accuſatur. Vide continuationem hiſtoriæ eccleſiaſticæ Bedæ lib. 2. cap. 13. 14. 15. & 16. ubi multa de eo referuntur. Perperam tamen Joannes 15. vocatur. Credibile vero eſt, quod refert Theod. de Niem de privil. & juribus Imperii, videlicet mathematicum fuiſſe, & ob id apud imperitos in ſuſpicionem magiæ perveniſſe. Idem meminit ſcriptorum Philoſophicorum, quæ reliquerit. Epitaphium habet Onuphrius. Vide etiam Dithm. lib. 6.

Ætat. 6. cap. 52.

Palichi) Dithmarus Palithi lib. 5. Schaſnaburg Poletha. Eſt autem Poleda monaſterium ordinis S. Benedicti diœceſeos Moguntinæ.

Ibidem.

* *Foreſtam, quæ incipit à Delcana in ſolitudine Sende quod flumen vulgo Dalke dicitur, & tendens per Oſingen ſylvam, & ſolitudinem Sende finitur in via, quæ ducit ad Horbuſen.*) In Monumentis Paderb. Reverendiſſimus Auctor Foreſto hoc, Paderbornenſi Eccleſiæ donato, maximam partem nunc frui Lippienſes Comites, Eccleſiæ Paderbornenſis beneficiarios, ſcribit, multaque ibi de Senda, deſerto vaſtoque ericeto, quod ſub radicibus montis Teutoburgienſis longo porrectum ſpatio per ditionem Paderbornenſem, Lippienſem, Ravenbergenſem & Ritbergenſem, uſque in diœceſin Monaſterienſem & Oſnaburgenſem excurrit, egregia affert, pag. 234. Deſcribitur autem illud Foreſtum aliter paullo, aliiſque terminis, ac à *Gobelino* fit, in Diplomatibus antiquis & ab *Auctore vitæ B. Meinwerci.* Qui quidem Auctor ne ſibi quidem ſatis conſonat. In capite enim IX. ita: *Foreſte, quod incipit de Delchana flumine & tendit per Oſniche, Ardeſinam & Sinethlen, uſque ad viam, quæ ducit ad Heriſi.* capite vero XIII. ita: *Foreſtim, quæ incipit de Delgana flumine & tendit per Oſninge & Sinithle, uſque in viam, quæ ducit ad Horbuſen.* In Ottonis III. Imp. diplomate: *Foreſto, quod incipit de Delbina flumine, & tendit per Ardennam & Sinede uſque in viam, quæ ducit ad Heriſiam.* Et ita quoque habetur in Henrici II. Imp. Claudi ſeu Sancti dicti diplomate dato Quidilingaburc. MIII. In alio vero Ejuſdem Imp. anno præcedente in Bochbardon dato: *Foreſtum, quod incipit de Lutbera flumine & tendit per Oſnig & Sinidi uſque in viam, quæ ducit ad Horibuſam.* Magis vero variat ejuſdem Henrici Diploma datum eodem anno MII. in

Digitized by Google

MII. in Merſeburc: *Nemus vel Foreſtum intra hæc loca ſitum. Farwinckel. Brutauſſen. Angarn. Oſning. Seneto. Bergesbovel.* Ubi illud imprimis notatu dignum mihi videtur, quod, quam ſylvam *Gobelinus*, & alia diplomata, vocant *Oſning*, ea in Ottonis diplomate vocetur *Ardenna*, unde Auctor vitæ Meinwerci cap. IX. fecit *Ardeſinam.*

Ibidem.

Meinwercus decimus Epiſcopus) De Epiſcopo Paderbornenſi Meinwerco multa habet Dithmarus libr. 7. & 7. Soror ejus fuit Emma, quæ Lothario vel Luidgero, ut ADAMUS BREMENSIS nominat, Billingio nupſit: & marito annos 40. ſuperſtes, mortua eſt anno 1042. ut Chronicon Bremenſe & Albertus Stadenſis. Encomium ejus lege apud Crantzium libr. quarto. cap. 29. Saxoniæ.

Ibidem.

Sed Walo abbas) Vide Dithmarum libr. 7.

Ibidem.

Hic mendicus) Adi Dithmarum lib. eodem, cujus hæc verba ſunt: Ad ſupra memoratam ſolemnitatem & ad prædictum locum (Immaleshuſen) quidam ruſticus de occiduis veniens partibus novam Imperatori legationem detulit, & hanc nulli niſi ſoli unquam aperire voluit, portans adhuc ſtimulum hunc, quo tunc pecus arans minavit, cum hoc ei cœlitus per columbam juſſum fuit. Et hic erat tantæ longitudinis, ut omnes qui eum viderant, nimis admirarentur.

Ibidem.

In Tremonia habuit concilium) Ex hoc loco ſuppleri poteſt lacuna illa, quæ eſt apud Dithmarum lib. 6. ubi ſit mentio hujus Synodi, & tempus celebratæ ejus indicatur, videlicet annus Chriſti 1005. Non. Julii: Sed decretum ejus deſideratur, alludit ad id Dithm. pag. 93.

Ibidem.

Epiſcopus Wirziburgenſis nolens) Vide Dithmarum lib. 6. Loquitur autem de Henrico Comite à Rotemburg, qui 16. ejus loci epiſcopus numeratur.

Ibidem.

De adulterio quadam vice ſuſpectam) Hanc hiſtoriam eleganter expoſuit Joachimus Camerarius in Chronologia Nicephoriana pag. 132. & ſeq. De vomeribus ignitis diſcrepant Hiſtorici: videatur Fabricius Orig. Saxon lib. 2.

Ætat 6. cap. 53.

Ad importunam inſtantiam) Bruno Henrici Imp. germanus 17. fuit Epiſcopus Auguſtanus. Fratris felicitati ſemper invidiſſe ſcribitur ab Alberto Stadenſi. Repetit idem ex Eccardo hiſtorico Rudim. Novit. & addit Imperatorem iſtas injurias patienter tuliſſe, & æmulum beneficentia emollire conatum. meminit ejus Dithm: lib. 5. & 6.

Ibidem.

Solemnem curiam habuit in Minda) Conradus 2. Imper. biennium Mindæ aulam habuiſſe, ſcribitur in Chronico Mindenſi MS. Et ibidem anno 1030. Adolphus nobilis à Santersleve (male Salingsleve, ut Crantzius & eum ſecuti) ex diœceſi Magdeburg. oriundus, primus Schowenburgenſis comes creatus eſt. Agebat tunc temporis Mindæ epiſcopum Sigebertus, ordine 15. qui Adolpho in conſequenda hac nova dignitate plurimum profuit. Plura habet Chronicon Schowenburgenſe MS. auctore Hermanno de Lerbeke, monacho Dominicano, quod ſuo tempore publici juris faciemus.

* *Ibidem.*

In diviſione facta cum quadam ſorore ſua) Loci hujus verba, uti in editióne Avi mei leguntur, obſcuriora ſunt. In *Chronico* autem *Magno Belgico*, à Monacho Nuſſienſi conſarcinato, & à *Piſtorio* edito in quo plurima ex Gobelino, interdum nominato, aliquando non item, deſcripta ſunt, locus hic integrior extat: *Meinwercus multa prædia de paterna hæreditate, tam in Diœceſi Trajectenſi, quam de comitatu Teſterbant, & de Comitatu Radicben, quæ ex diviſione facta cum quadam ſorore ſua fundatrice monialium in Elten ad eum pertinebant, in diœceſi Paderbornenſi* &c.

Ibidem.

Anno Domini MIII.) Numerus eſt depravatus. In canone citato extat annus MXII. Quæ de fundatione epiſcopatus Spirenſis dicuntur, ita ſe habent. Injuria temporum plane ille collapſus erat, bonis & reditib. diſſipatis: cui malo ſuccurrit pius Imp. Conradus, nec ademta tantum reparavit, ſed nova adjecit. In hac pia contentione æmulam habuit conjugem Giſelam: inde factum, ut hi religioſi conjuges non benefactores epiſcopatus, ſed ſecundi fundatores dici meruerint. Vide Bruſchium in Catalogo epiſc. Sp.

Ætat. 6. cap. 54.

Erat quidam carpentarius) Vide Reineri Reineccii appendicem ad Chronicon Alberti Stadenſis

Ibidem.

Prius dictus erat Suigerus) Sindgerus, ut Adamus Bremenſis, vel Suidegerus, ut Herm. Contractus, fuit capellanus Hermanni Archiepiſcopi Bremenſis, Bambergenſibus deinde datus eſt Epiſcopus, ubi ſumma cum laude præfuit quadriennium. Papa creatur anno Chriſti 1047. moritur ſequenti.

Ibidem.

Succeßit ei Immadus) Immed Schafnaburgenſi, ſicut anteceſſor Immadi eidem Rudolfus dicitur. Karſenbruchius in Catalogo Epiſcop. Paderb. Immadum comitem Pleſſenſem vocat: Schafnab. Wilhelmi antiſtitis Trajectenſis conſobrinum dicit.

Ætat. 6. cap. 55.

Succeßit ei Poppo Bavenborgenſis ep.) Poppo nobilis ab Holte, ut Kerſenbruchius, Præpoſitus fuit Bamberg. teſte Schafnab. & ſuis factioſis molitionib. tantum effecit, ut Hermannum ejus loci epiſcopum loco moverit. Vide etiam Bruſchium.

Ibidem.

Altmannus epiſcopus Pataviensis) Altmannus à Wigulejo Hund in metropoli Saliſburg. ſub catalogo epiſcopor. Pataviensium ſcribitur fuiſſe Saxo, aut Weſtphalus, ex vetuſto Putinenſium ducum genere. Quos ſi quis cum Wiguleio Wetinenſes accipiat, non diſſenſerim: manet interim origo Altmanni Weſtphalica, à Widikindo videlicet, ſatore familiæ Wetinenſis. Quomodo ad epiſcopatum pervenerit, indicat Herm. Contractus, & ejus continuator Bertholdus Conſtantienſis: item Schafenburg. qui Altmannum vocat virum apoſtolicæ converſationis, & magnarum in Chriſto virtutum. Conjugium ſacerdotum juſſu Pontificis Rom. inſectatus eſt, ob id ordini ſuo maxime inviſus. Qua re ad Imp. Henricum 4. delata, factus ille ex amico & patrono hoſtis acerrimus, Altmannum proſcribit. Itaque exul aliquandiu vixit Halberſtadii. Illinc digreſſus Paderbornæ hæſit. ſed cum ibi etiam, propter impugnatum conjugium ſacerdotum, in odio eſſet, Romam adiit Pontificis opem imploraturus. Sed Imperator, nonnullis eum inſtigantibus, Altmannum ab epiſcopatu plane excluſit, fruſtra reſtitutionem ejus urgente Pontifice: à quo tandem in odium Imperatoris legati honore affectus eſt. Obiit exul anno 1091. 6. Idus Aug. ut habet Bertholdus Conſtantinus. Meminit Avent. lib. 5. Vide reliqua apud Wigul. in metropoli Salisb. pag. 127. & ſeqq.

Ibidem.

Dux Bohemiæ ſuæ gentis Rex factus eſt) Dignitas regia quando & à quo Ducibus Bohemiæ indulta ſit, diſſenſione hiſtoricorum pene incertum redditur. Gobelinus Henrico 4. Imp. tribuit: cum quo faciunt Paulus Langius in Chronico Citizenſi, & Æneas Sylvius in hiſtoria Bohemica, cap. 24. indicant hi annum coronationis 1086. & primum regem Uratislaum nominant. Eadem habet Procopius Lupacius in ephemerid Bohemica ad diem 15. Junii. Alii, ut Radevicus lib. 1. cap. 13. Guntherus in Ligurino lib. 6. ad Fridericum Barbaroſſam hoc referunt: quos ſequitur Peucerus in Chronico. Addit Aventinus lib. 6. Ladislaum à Friderico regem ſalutatum, hac lege, ne ea dignitas ad poſteros tranſiret: ſed ei honori ſucceſſor exhæres foret. Tandem à Philippo rege integrum jus eligendi regis Bohemis datum eſt, ut habet Lupacius in eph. Bohem. ad 6. Junii.

Ibidem.

Multi principes & epiſcopi verſus terram ſanctam) Hiſtoria belli ſacri, quod in Concilio

Digitized by Google

Concilio Claromontano principib. perſuaſum, & deinceps à Gotfrido Bulionio geſtum eſt, deſcripſerunt Gulielmus Tyri archiepiſcopus, Robertus de Monte monachus, Fucherius Carnotenſis capellanus Balduini regis, Benedictus de Accoltis, & alius quidam auctor ἀνώνυμος editus à Reinero Reineccio. Videantur præterea P. Æmilius lib. 4. Gaguinus lib. 6. Blondus decad. 2. lib. 4. & alii.

Ibidem.

Fridericum comitem Weſtphaliæ, alias de Arnsberg) Arnsbergenſis vel Arnsburgenſis comitatus eſt in Weſtphalia cis Rhenum, in diœceſi Colonienſi. Ejus dynaſta Fridericus potens & bellicoſus nominavit ſe comitem Weſtphaliæ. obiit anno 1124. ut Alb. Stadenſis. Filiarum unam elocavit Godefrido de Arne, ex quo matrimonio nati Henricus & Fridericus, comites Arnsbergenſes. Henricus cum Imp. Henrico 5. Romam profectus, moto in urbe tumultu, Romanis obſes datur, ut Gobelinus infra cap. 58. Fridericus Lothario Duci Saxoniæ contra eundem Henr. 5. militavit. Quomodo comitatus Arnsbergenſis ad Colonienſem epiſcopatum pervenerit, meminit Gobelinus infra cap. 72. à quo diſſentit Joannes Sciphowerus in Chronico Oldenburg. MS. nam à Gotfrido Comite Arnsbergenſi, epiſcopo Bremenſi, eccleſiæ Colonienſi donatum ſcribit. Videatur Hermannus Hamelmannus lib. 1 Familiarum Saxonicar. emortuarum, & Petrus Merſæus in catalogo Electorum Colonienſium.

Ætat. 6 cap. 58.

Hugo de S. Victore natione Saxo) Hugo ex domo & familia comitum Blankenburgenſium ad ſilvam Harcyniam oriundus fuit. Juvenis vixit in monaſterio Hamerslebienſi diœceſis Halberſtadenſis, quod teſtatur liber de arrha animæ, quem monachis ejus loci inſcripſit. Studiorum gratia Pariſios miſſus in monaſterio S. Victoris vixit, inde nomen aſſecutus. Epitaphium ejus habet P. Langius in Chronico Citizenſi. Scripta recenſet Trithemius lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis, & in Chronico Hirſaugienſi.

Ætat. 6 cap. 59.

Alberto marchioni de Brunſuick) Legatur Helmoldus Chronici Slavor. cap. 55. Albertus Stadenſis ad annum 1138. & alii. Perperam autem Albertum Brunſvigi marchionem vocat. Fuit enim marchio Brandeburgenſis ex familia Aſcania, cognomento Urſus, ſeu Pulcer.

Ætat. 6. cap. 60.

Fridericus comes in Altena) Origines & res geſtas comitum Marcenſium deſcripſit Leonoldus à Northoff eques Weſtphalus & Canonicus Leodienſis, in Chronico Marcenſi, quod MS habemus, & luci dabimus. Ab eo toto cœlo diſſidet Pontius Heurnius, cujus genealogiæ aliquot, & inter has Principum Clevenſium ſtemma, extant plenæ craſſiſſimis erroribus.

Ibidem.

Dux in propria perſona S. Thomam invaſit) Quæ Gobelinus de cæde Thomæ Cantuarienſis, ab Henrico Leone promota, commemorat, habent etiam Crancius & alii, verum ſunt ea plane fabuloſa. Eſt is hominum mos, ut quo fortuna, eo etiam animi & calami inclinent. Magnas fuiſſe in Leone virtutes dubium non eſt: nihilominus cum in calamitates extremas prolapſus eſſet, nihil non de eo inepti & iniqui ſcriptores commenti ſunt. Erant illi temporibus Leonis ſacri ordinis homines, canonici aut monachi, plærique indocti & venalis linguæ mancipia. Conſtat autem epiſcopos Leoni infortunium ſuum conflaſſe, quod tota hiſtoria oſtendit, & continuator Sigeberti Gemblacenſis Robertus de Monte diſertis verbis affirmat. Sed de hoc alias: nunc de cæde Cantuarienſis. Occiſus eſt ille anno Chriſti 1171. ut Albertus Stadenſis, Robertus de Monte, Matthæus Pariſienſis, Hermannus de Lerbeke & alii teſtantur. Additur etiam dies videlicet 29. Decemb. ſed hoc anno Mechtildis Anglicana ultra biennium in matrimonio Leonis fuerat. Etenim anno 1166. nuptias haſce procuravit Reinoldus archiepiſcopus Colonienſis, hoc nomine ab Imp Friderico in Angliam amandatus. Anno 1168 Sponſa miſſa eſt in Germaniam, & Mindæ in ſummo templo ante altare S. Petri Henrico Leoni matrimonialiter (verba ſunt Lerbecii) copulata eſt: quanquam iſta in annum ſequentem rejiciat Robertus de Monte: ſed cum Lerbecio conſentit Alber-

Digitized by Google

Albertus Stadenſis, qui anno 1168. nuptias Brunſuigæ celebratas dicit, hoc addens Mechtildin ſponſam Leonis fuiſſe relictam viduam regis Franciæ, quod, Crantio excepto, à nemine quoquam indicatum eſt. Conſtat præterea Leonem ad ſocerum in Angliam navigaſſe, id quod anno 11-0. factum eſt, ſed eodem domum reverſum & ædem primariam in urbe Lubecenſi fundaſſe ex Annalibus Saxonicis conſtat. Mira eſt hominum in fabulis comminiſcendis libido. Sed gratificandum erat Pontificibus, ut optimus princeps, qui præter meritum affligebatur, magis ſua culpa, vindicante priora delicta Nemeſi, quam aliorum machinationibus in calamitates illas delapſus videretur. Addam hoc in loco aliud, his non diſpar. Saxo Sialandicus hiſtoriæ Danicæ ſcriptor vetuſtus neque invenuſtus, exemplo Timæi, quem Ἐπιτίμαιον Græci dixere, inductus, ut puto, Henricum Leonem principem omnium teſtimonio & religioſiſſimum & fortiſſimum acerbiſſimis verbis exquiſitiſſimiſq; calumniis perſtringit: Referre iſta pudet: itaq; lectorem eo remitto. Oppono autem logodædalo huic Radevicum Friſingenſem canonicum, qui l. 2 c. 38. Leonem his verbis deſcribit: Erat idem princeps (Leo) filius Henrici ducis, & Gertrudis filiæ Lotharii Imper. qui à primis cunabulis patre & matre orbatus, ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, ſed multo maxime ingenio validus, non ſe luxui neque inertiæ corrumpendum, ſed (uti mos Saxonum eſt) equitare, jaculari, curſu cum æqualibus certare: & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus eſſet. Ejus ſtudium (ut de quodam dicitur) modeſtiæ, decoris, ſed maxime ſeveritatis erat. Cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat. Eſſe quam videri bonus malebat. Ita quo minus appetebat gloriam, eo magis illam aſſequebatur. In omnibus glorioſis plurimum facere, & minimum ipſe de ſe loqui, &c. Audin hæc Grammatice? Sed mentiri tibi non inſolens. Saxonibus tribuis levitatem: qua gente quæ fuit conſtantior? Fridericum I. Imper. hominem vocas fallaciſſimum: quis vero eo principe.

Sive fide, ſeu quis bello eſt expertus & armis,

melior inventus eſt? Oppono tibi totam antiquitatem, oppono ipſos Græcos, ex quibus Nicetam Choniatem ſi produxero, erit inſtar omnium. Sed in re manifeſta quid opus eſt verbis?

Ibidem.

Terroribus circumvenit) Præfectos Henr. Leonis ab Imp. corruptos eſſe indicat etiam, quanquam obſcurius, Arnoldus continuator Helmoldi lib. 2. cap. 2. ſub finem. Nominatur Ecbertus Wolfenbutelenſis: de quo & hoc habet Chronicon Saxoniæ, à Leone captum, & in perpetua cuſtodia aſſervatum eſſe.

Ibidem.

Petitioni Dux aſſenſum non præbuit) Initium diſſenſionis inter Cæſarem & Leonem profluxit ex eo, quod indicavit Gobelinus: cui acceſſit aliud fomentum, nimirum repulſa, quam paſſus eſt Leo. Cum autem à ſolo continuatore Ottonis de S. Blaſio hoc referatur, verba quibus utitur, referam: exſtant cap. 24. Dux Henricus, utpote ſolus ad ſubveniendum Imperio hoc tempore opulentia & potentia idoneus, Goslariam ditiſſimam Saxoniæ civitatem jure beneficii pro donativo ad hoc expetiit. Cæſar autem tale beneficium ſibi invito extorqueri ignominioſum exiſtimans, minime conſenſit: pro quo Henricus iratus ipſum in periculo conſtitutum recedens reliquit.

Ibidem.

Eodem anno Bernhardus de Lippia) Bernhardus hic comes Lippienſis à Bernhardo Wittio in Chronico Lippienſi MS. princeps exercitus Ducis Saxoniæ appellatur. Comes indigitatur ab Helmoldo lib. 2. c. 30. à Chronico Bremenſi opera Erpoldi Lindenbruch edito: item ab Alberto Stadenſi ad annum 1219. Hos auctores ſequitur vetus Chronicon Saxon. Moguntiæ excuſum, quod tam hunc, quam ejus poſteros comites nominat. Videatur ad annum 1181. 1221. 1404. & 1464. Quorum teſtimoniis refellitur Crantzius, qui lib. 7. c. 40. Metropol. familiæ Lippienſi comitatus dignitatem derogat. Bernhardi hujus hiſtoriam deſcripſit Juſtinus Lippienſis poëmate cui titulus Lippiflorium, quod MS. habemus.

Ibidem.

ized by Google

Ibidem.

Multæ querimoniæ) Adi Arnoldum Lubecenſem lib.2. cap.29.

Ibidem.

Caſtrum ipſius Ducis Haldenſleve) Vide eundem Arnoldum libro prædicto cap. 30. & Chronicon Saxonicum ad annum 1181.

Ætate 6. cap.63.

Vaſtavit incendio Helmeſtede) Helmeſtadium, nunc Academiæ Juliæ hoſpitium, urbs eſt antiqua. Conditam ſcribunt tempore Caroli M. Imp. à Divo Ludgero, primo eccleſiæ Monaſt. Antiſtite. Dith. lib.4. & Saxonicum Chronicon. Is eam una cum cœnobio prope urbem exſtructo Abbati Werdenſi regendam tradidit: cujus imperio ſubfuit usque ad annum Chriſti 1490. tum enim in Ducum Brunſvicenſium poteſtatem tranſiit.

Ibidem.

De periculis noviſſimorum temporum) Liber ille adhuc exſtat, & ſcriptus eſt contra monachos mendicantes: Verum juſſu Pontificis Alexandri 4. combuſtus eſt. Sabellicus tomo 2. Enn.9. lib. 6.

Ibidem.

Otto Imper. cum Ferrando comite Flandriæ) Bellum Gallicum inter Philippum regem & Ottonem Imp. deſcriptum eſt à Guillermo Britone libris poſterioribus Philippidos: videatur ſimul Gaguinus lib. 6. cauſſam belli indicat Chronicon monachi Paduani lib. 2.

Ætat. VI. cap. 64.

Fridericus comes de Altena) Atrocis hujus delicti atroci pœna puniti mentionem faciunt Albertus Stadenſis, Sigfridus Miſnenſis, Ertwinus Ertmannus, Leonoldus Northoff, Chronicon Colonienſe & alii ſcriptores plurimi.

Ibidem.

Epiſcopum Bremenſem) Gerhardum Lippienſem intelligit: de quo legatur Chronicon Bremenſe, Albertus Stadenſis, Metropolis Crantii lib. 7. c. 40. & 47.

Ibidem.

Epiſcopus Trajectenſis ante Covordiam) Lege hiſtoriam integre apud Ubbonem Emmium in hiſtoria Phriſica, Merſæum & Hadrianum Barlandum in catalogo epiſcoporum Trajectenſium, & alios. Accidiſſe hoc anno 1227. ſcribit Alb. Stadenſis. Fuit autem hic epiſcopus Otto familiæ Lippienſis, comitis Bernhardi, de quo ſupra, filius

Ibidem.

Bernhardus quartus, qui rexit eccleſiam) Bernhardus ejus nominis quartus Paderbornenſis epiſcopus, Ottonis Trajectenſis Antiſtitis frater fuit, filius Bernhardi comitis Lippienſis. Ante hanc dignitatem Præpoſitum egerat Embricæ ad Rhenum, ut Stadenſis, & Chronicon Bremenſe.

Ibidem.

A tribus Baratoribus) Meminit hujus rei compilatio Chronologica, edita à Joanne Piſtorio his verbis: Hic (Fridericus 2.) iniquitatem in excelſo locutus eſt, ponens in cœlum os ſuum dixit, audiente Henrico Landgravio, tres, inquit, ſeduxerunt omnem mundum, videlicet Moſes Hebræos, Chriſtus Chriſtianos, Mahometus barbaros. Quamobrem, ſi principes Imperii inſtitutioni meæ aſſentirent, ego utique meliorem modum credendi & vivendi ordinare vellem.

* *Ibidem.*

Contra Papam & cardinales blaſphemas direxit Epiſtolas, quarum unius tenorem) Hanc Friderici II. Imp. Epiſtolam, cujus excerpta dedit Gobelinus, integra extat apud *Petrum de Vineis* lib. 1. Epiſt. 1. licetque ex collatione hujus, & Excerptorum Gobelinianorum, veram ſcripturam, alicubi corruptam eruere, quod tamen nunc agere, animus non eſt: hoc tamen monendum, ubi in *Gobelino* habetur: *actus concordent actibus, & Capuanus adhæreat Galilæo*, rectius apud Petrum de Vineis legi, *Campanus adhæreat Galilæo*, id eſt, Petro, qui Galilæus vocatus fuit, adhæreat Gregorius IX. pontifex, qui Campanus eſt, natus ſcilicet Anagniæ, quæ quondam caput Hernicorum, qui deinde dicti Campani, ut alias notum eſt, &

Digitized by Google

in vita Alexandri IV. Anagnienſis docet *Platina*. Deinde in eadem Epiſt. apud *Gobelinum* hæc verba: *& de te ſat male optime dici poteſt*, nullum habere ſenſum, apud P. de Vineis vero ita rectè legi: *Et de te, ſacerdos male, optimè dici poteſt.*

Ætate 6. cap. 65.

Simon epiſcopus qui rexit) Hunc ejus nominis primum Paderbornenſem epiſcopum Kerſenbruchius Schartenbergium vocat, ſed male: fuit enim ex familia Lippienſi, Hermanni comitis F. Fuit homo bellicoſiſſimus, ſed in præliis infelix, in epiſcopatu Bremenſi patrui vices geſſit ad annos 7. & eo extincto cum Gerhardus Lippienſis electus eſſet, ipſe ejus partes tutatus eſt. Legantur de eo plura in Chronico Bremenſi edito à Lindenbruchio. Juſtinus Lippienſis poëma ſuum de origine comitum Lippienſium circa annum Chriſti 1254. huic Simoni inſcripſit.

* *Ætat. VI cap. 70.*

Filio ducis Burgundiæ) Is fuit Johannes Philippi Audacis Ducis Burgundiæ F. Vide *Rob. Gagvinum. lib. 9. cap. 3. Jacobi Majeri Annales Flandr.*

Ibidem.

Cum electionis hujusmodi negocium non pl. ſort. effectum) Imo ſortita eſt effectum, & electus eſt Fridericus Dux Brunſuicenſis, ut Chronicon Saxoniæ, ad annum 1400. & Peucerus in Chronico: ſed optimo principi obſtitit invidia Moguntinenſis epiſcopi, cujus fraude oppreſſus eſt. Exſtat epitaphium ejus admodum querulum, perfidiam & tyrannidem auctori cædis exprobrans.

Ætat. 6. cap. 71.

Robertus ſcholaſticus Soſacienſis) Hæc Rudimentum novitiorum ita refert: Anno 1298. Robertus canonicus & ſcholaſticus eccleſiæ Soſacienſis celebris opinione moritur. Nam antea factus fuit Judæus, & circumciditur Francofordiæ, & multis annis judaiſavit: quo mortuo, in quodam vaſculo traditur cuidam ruſtico, & in ponte per quendam juvenem ante civitatem vas pugione perforatur, & continuo exivit terribilis flamma: tandem vas cecidit de plauſtro in aquas, nec extinguebatur flamma in aquis, donec miſerum corpus cum vaſe integrum abſumebatur.

Ætat. 6. cap. 73.

Gregorius XI. ſedit annos VIII.) Quia Gobelinus in deſcribendis negociis Pontificum Rom. deinceps multus erit, ſequentium PP. ſex mores, ubi depinguntur à Theodoro à Niem tractatu 6. cap. 39. Nemoris unionis, hic præmittam. Verba ejus hæc ſunt: Ego jam luſtris ſeptem & parum per ultra, ſequendo Romanam curiam recolo vidiſſe me, & peroptime cognoviſſe electos interim quinque ſummos Pontifices, videlicet Gregor. XI. qui fuit, dum eligebatur in Papam, forſitan circa 35. annos & ſic attigit mediam ætatem; vir fuit parvæ ſtaturæ, Licentiatus in LL. acutus, ſtudioſus in libris, & libenter cum intelligentibus diſputabat, & deligebat eoſdem, liberalis, honorabilis & verecundus. Omni enim petenti ſe tribuit, nec ſcivit aliquid juſte petenti denegare, eleemoſynarius magnificus in publico & privato, & valde compatiens omnibus afflictis, habens prudentiſſimos referendarios, ac etiam Secretarios mundos & honeſtos: qui licet haberet patrem, nec non duos fratres, ac etiam quoſdam nepotes adhuc vivos, dum ab Avinionenſibus recederet cauſa veniendi in Italiam, tamen illi eum retrahere non potuerunt, quod ulterius in Avinione remaneret: ſed transfretando per mare, eandem Italiam intrando multa ſuſtinuit pericula maritima me vidente &c. Cum in Papatu ſucceſſit Urbanus PP. VI. ætatis LX. annorum & ultra tempore ſuæ electionis in Papam, qui diu ante fuit in Romana curia converſatus, totus humilis & devotus communiter reputatus: qui etiam fuit ſolemnis Doctor Decretorum, & habuit manus mundas, quia non erat Simoniacus, nec avarus; ſed in Papatu ſubito poſtquam electus & coronatus fuerat, mutatus in virum alium cœpit tyranniſare, ac dominos Cardinales, qui eum elegerant male tractare & alia multa inordinata facere inconſulte: qui habuit quendam nepotem Franciſcum Pregnanum nuncupatum, hominem prorſus inutilem, & plusquam decet libidinoſum, & non niſi ociis & voluptatibus incubantem. Huic plures ducatus & comitatus in regno Siciliæ dare voluit, ipſumque de illis intitulavit, & libenter etiam ſi potuiſſet, in Soldanum Babyloniæ erexiſſet, licet apertiſſime idem Franciſcus deſpota, ſeu œconomus unius domunculæ non fuiſſet. Et poſtremo ipſo Urbano nullus in Papatu repertus eſt ha-

ctenus

Digitized by Google

ctenus truculentior & ſævior, ita etiam, ut multos Epiſcopos, & alios Cardinales faceret immaniſſime trucidari, ſecum ſuper hoc, ut æſtimo, Diabolo diſpenſante. Cui in Papatu ſucceſſit Bonifacius IX. pulcræ ſtaturæ, ſed vitioſi ſubjecti. Nemo enim unquam in ſede Apoſtolica legitur præſediſſe, qui adeo publice & inverecunde Simoniæ vitium præſumeret exercere, ſcandaliſando indifferenter propter pecuniæ quæſtum, valde multos archiepiſcopos, epiſcopos, & aliorum ſtatuum eccleſiaſticos prælatos ordinando nec non clericos & ſacerdotes: omnia vitioſe faciendo: qui etiam fratres ſuos marchiones & duces ac comites fecit, eos ultra modum ditando ac etiam exaltando. Qui fuit ætatis circiter quadraginta annorum, vel circa, dum eligebatur in Papam. Cui ſucceſſit Innocentius Papa VII. in quo virtutes & vitia militabant. Fuit enim magnus ſimulator & bleſus, & carnali affectione ſimiliter ardens. Suos ſtatim in divitiis temporalibus ſublimavit, nec, quam vovit & juravit ſe facturum unionem, in eccleſia generali facere curavit. Qui dum eligeretur in Papam, ſexageſimum quintum complevit annum, ut audivi. Cui ſucceſſit præſens Dn. Gregorius Papa XII. modernus in Papatu, qui ſeptuageſimum annum peregerat dum aſſumeretur in Papam: ſed qualiter ipſe cum ſuis conſanguineis, & circa eandem unionem per ipſum faciendam, ſe hactenus habuit & habet, ſatis clarum eſt. Et hi quatuor ultimi eleemoſynas non dederunt, quod eſt ſignum damnationis, & peſſimum in prælato: quia nemo ſine caritate ſalvatur, ut 1. Joh. 3. in epiſtola dicitur videlicet. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Item: Gloria epiſcopi eſt opibus ſuis pauperum neceſſitati providere. Hactenus Niemius.

Ætat. 6 cap. 76.

Ottonem Ducem, de domo Ducum Saxoniæ) Otto maritus Johannæ reginæ Siciliæ & Neapol. fuit Dux Brunſuicenſ. & Lunæburg. familiæ Grubenhag. Patrem habuit Henricum, cognom. Mirabilem, F. Alberti M. multis annis militavit in Italia, ac in 40. præliis victoriam abſtuliſſe ſcribitur. Videatur Theoderic. de Niem in hiſtoria Schiſmatis lib. 1. cap. 6. 7. 8. 17. 23. 24. Item lib. 2. cap. 3. obiit anno ætatis octuageſimo Foggiæ in Apulia. A Theoderico pater principum & norma nobilium nominatur.

Ibidem.

Regis Ungariæ, cui conſanguinitate conjunctus fuerat) ut hæc hiſtoria illuſtrior ſit, adſcribam partem Genealogiæ.

Ludovicus VIII. Rex Galliæ.

S. Ludovicus Rex Galliæ.	Carolus Rex Siciliæ & Neapolis.
Philippus Audax R. Galliæ.	Carolus 2. Rex Neap.

Philippus pulcer R. Galliæ.	Carolus Valeſius Comes Alenconii.	Carolus Martellus Rex Hungariæ.	Robertus Dux Calabriæ.	Joannes Dux Dyrrachij.
	Philippus Valeſius R. Galliæ.	Carobertus vel Robertus R. Hungariæ.	Carolus Dux Calabriæ.	Ludovicus Dux Dyrrachij.
	Joannes Valeſius R. Galliæ.	Andreas Rex Neapol. maritus Joannæ.	Joanna Regina Siciliæ conjux Andreæ R. & poſtea Ottonis Brunſvicenſis.	Carolus Rex Neapolitanus creatus ab Urbano VI. PP.
	Ludov. D. Andium oppugnat Carol. regē Neap.			

Digitized by Google

* *Ibidem.*

Urbani Papæ benedictio) Num benedictio Papalis profuerit Carolo, vel fraus & doloſæ machinationes, manifeſtum eſt ex Hiſtoria *Theodorici de Niem. de Schiſmate.*

* *Ætat. 6. cap. 78.*

Unde ad me notitia hujus facti devenit) Nominat *Gobelinus* Auctores ſuos. Aliàs rem hanc longe aliter narrat *Theod. à Niem* de Schismat. lib. 1. c. 42.

Ibidem.

Franciſcum, principem Capuæ, nepotem ſuum) Franciſcus Pregnanus cognomento Butyllus Urbani 6. Papæ ex fratre nepos fuit: Theod. de ſchiſmate lib. 1. cap. 8. homo effœminatus & inutilis lib. 1. cap. 21. libidinoſus & voluptuarius, ut idem in Nemore unionis tractatu 6. cap. 39. cui patruus Pontifex Capuanum & Amalſitanum ducatus, item multos in Sicilia comitatus acquiſivit, de ſchiſmate lib. 1. cap. 21. & ſi potuiſſet regnum Siciliæ ipſi contuliſſet. Spoliis hiſce poſt obitum patrui rurſus exuitur, & deinceps Romæ contemtus & deſpectus in paupertate vivit. l. 1. cap. 69. Inde in Siciliam abiens vixit apud Raimundum de Baucio, & quadam die ex convivio ſurgens ſeipſum aliquoties vulnerat, ſed non lethaliter, lib. 2. cap. 31. tandem in Venetias navigaturum mare una cum matre, filio ac filia abſorpſit. ibidem. Scelera ejus recenſentur à Theodorico Niemio dicto lib. 1. cap. 33. & 67. ad quæ cum patruus non tantum conniveret, ſed ea excuſaret, divina ultio reum corripuit. Matrimonium alaſtoris hujus habet idem lib. 1. cap. 34.

Ibidem.

Raymundus de Baltzio) Theodoricus Raymundum de Baucio nominat lib. 1. de ſchiſmate cap. 44. & 51.

* *Ætat. 6. cap. 81.*

A filio quodam fratris ſui.) Intellige Johannem Comitem Virtutum. Ita enim nominatur à *Theodorico de Niem.* l. 1. de Schiſm. c. 57.

Ibidem.

Bartholomæus nomine, natu Parth.) Onuphrius aliud ponit epitaphium Urbani, quod exiſtimo idem cum eo, cujus Hartmannus Scheddel in Chronico ſuo meminit, & ineptum ruſticumque dicit.

* *Ætat. 6. cap. 83.*

Adverſarius, cui favebat Dux Auſtriæ) Is erat Georgius Comes ab Hohenloo, qui à paucioribus Canonicis electus, ope Alberti III. Auſtriæ Ducis, neglecto adverſario Ruperto, Epiſcopatu potitus eſt. *V. Wigulej. Hundium in Metropol. Saliſb. p. 144.*

Ibidem.

Qui facinori ſuo nomen Bengeler) Fuſtuarii hi, iidem aut non multum diverſi fuerunt ab illis, quos hiſtoria de Landgraviis Thuringiæ cap. 155. nominat Tritas, idem eſt, Flegelers/à flagellis, quibus frumentum excutitur. Erat autem colluvies hominum ex infima fece vulgi, puta meſſoribus, trituratoribus & agricolis collecta, quæ ſpe conſequendæ melioris fortunæ impleta, ſed ducibus comite Suarceburgico & Barone Helderungio, in finibus Saxoniæ & Thuringiæ graſſabatur. Fabricius in Orig. Saxonicis lib. 7. factionem Tribulariam vocat. meminit Spangebergius in Chronico Saxonico.

Ætate 6. cap. 85.

Epiſcopatus plurimi, & per Alemanniam fere omnes) Indicat idem Crantius in Metropoli lib. 11. cap. 13. De quo illud, quod ante diximus, repetimus, videlic. eum integras pagellas ex Gobelino exſcripſiſſe. Videatur lib. 10. cap. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19. Item ibidem caput 21. 39. 50. lib. 11. caput 16. 17. 18. &c.

Ætate 6. cap. 90.

Balthaſar de Coſſa, natione Neapolitanus) Hujus monſtri vitam & mores peculiari libro prolixe & graviter depinxit toties à nobis laudatus Theodoricus de Niem: quem librum MS. habemus, & Deo dante, cum eccleſia communicabimus. Non merentur ejus ſcelera cognoſci aut legi, ſed eccleſiæ intereſt, ut hoſce Alaſtoras norit. & quidem quales à teſtibus fide dignis minuſque ſuſpectis depinguntur. Talis eſt

Niemi-

Digitized by Google

Niemius ſcriptor graviſſimus, qui ut ipſe de ſe ſcribit, tract. 6. cap. 39. Nemor. Unionis, ultra 35. annos Romæ vixit, & quidem in contuberniis procerum primariorum. Habuit autem patriam, ut id addam, Weſtphaliam, natus in oppido Nihem diœceſeos Paderbornenſis. Impetravit ab hoc Bonifacio PP. Epiſcopatum Verdenſem ſed non diu ibi præfuit, paulo poſt enim Cameracum translatus eſt: cætera de ejus vita & ſcriptis reſervabimus ſuo loco.

Continuatio Catalogi Epiſcopor. Paderbornenſium.

GOBELINUS catalogum Antiſtitum Paderbornenſium, à prima Epiſcopatus fundatione uſque ad ſua tempora, huic operi inſeruit. Sequentes ad præſentem uſque diem brevi mentione indicabimus.

Theodoricus Comes Morſenſis, archiepiſcopus Colonienſis, epiſcopatus Paderbornenſis adminiſtrator poſtulatus eſt abdicato Wilhelmo: præfuit diœceſi annos 38. obiit anno Chriſti 1463. die Valentini.

Ei ſucceſſit Simon, hujus nominis 3. numero 36. comes Lippienſis: qui prudentiſſime & ſumma cum laude diœceſin gubernavit annos 35. obiit anno 1498.

Hunc excepit Hermannus Haſſiæ Landgravius: qui cum anteceſſoris ſui ſenis & valetudinarii vices per decennium geſſiſſet, defuncto ſurrogatus eſt, obiit anno 1508. 27. Septembr. cum eccleſiam 10. annos rexiſſet.

Hermanno ſucceſſit Ericus, ex familia Grubenhagenſi, Brunſuicenſis Dux, princeps opt. qui cum utiliſſime præfuiſſet annis 24. obiit anno 1532. die 14. Maii.

Huic ſurrogatus eſt Hermannus, ejus nominis ſecundus, Comes à Weda: qui cum Chriſtum recte invocaret, & de abuſibus tollendis cogitaret, in epiſcopatu commorari diu non potuit, itaque anno regiminis 15. eo privatus eſt. anno Chriſti 1547.

Hermanno ſucceſſor datus eſt Rembertus à Kerſenbruch eques Weſtphalus, quadrageſimus Paderbornenſis præſul: qui 21. annis diœceſin tranquille adminiſtravit. Deceſſit anno Chriſti 1568. 12. Febr.

In locum Remberti demortui inauguratus eſt Joannes comes Hojenſis, princeps doctus & expertæ induſtriæ: qui non diu præfuit. Extinctus eſt anno Chriſti 1574. 5. die Apr. cum ſexennium regnaſſet.

Huic ſucceſſit Salentinus comes Iſenburgius, Colonienſis elector. Sed triennio exacto munus ſuum reſignavit anno 1577. die 5. Septembr.

Salentino collegium ſubſtituit Henricum principem Laoburgenſ. Is tenuit clavum Reip. uſque ad annum Chriſti 1585. quo, die Apr. 20. extinctus ſucceſſorem accepit

Theodoricum à Furſtemberg, equitem Weſtphalum, qui adhuc hodie Epiſcopatum gubernat.

¶ Si quis plura de hiſce Præſulibus cognoſcere avet, legat catalogos Epiſcoporum Paderbornenſium M. Hermanni Kerſenbruchii, & Caſparis Bruſchii. In primis vero adeunda eſt continuatio Saxoniæ & metropoleos Crantianæ, auctore Davide Chytræo, Theologo & Polyhiſtore incomparabili.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEVOLDIA NORTHOF,

Equitis Marcani, Canonici Leodienſis, &
Abbatis ſecularis Viſetenſis,

ORIGINES MARCANÆ:

Sive

CHRONICON COMITUM DE MARCA ET ALTENA,

A quibus deſcendunt Duces Juliacenſes, Clivenſes & Bergenſes, &c.

Quorum familia nuper in Johanne-Wilhelmo deſiit.

Digitized

AMPLISSIMIS, SPECTATISSIMIS, PRUDENTISSIMISQUE

VIRIS

CONSULIBUS ET SENATORIBUS

Inclytarum Civitatum

SUSATENSIS, LIPPIENSIS ET HAMMONENSIS,

Dominis & Patronis ſuis plurimùm colendis

dicat, conſecrat

HENRICUS MEIBOMIUS,
Lemgovienſis, in Juliâ Academiâ Hiſtoriarum & Poëtices Profeſſor.

HEN-

Digitized by Google

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior
LECTORI S.

LEVOLDI NORTHOVII, Illuſtris Viri, *Chronicon Comitum de Marca & Altena*, nunquam antea editum, ex duobus MSS. Codicibus *Henricus Meibomius*, Avus meus, A. cIɔ Iɔcxiii, *Typis Wechelianis apud hæredes Johannis Aubrii Hanoviæ* publicavit. Pauci illud, cum MStum adhuc eſſet, viderunt, nec niſi ab *Hamelmanno*, unoque forte & altero Weſtphalo, adducitur: publicatum vero & cito diſtractum, etiam non ad plurium notitiam pervenit. Nam nec *Gerhardus Johannes Voſſius* hunc nobilem ſcriptorem, res Markanas vicinas narrantem vidit, ſine dubio aliàs inter Hiſtoricos Latinos locum illi daturus. Dignum igitur judicavi, quem hoc Tomo, cum notulis Avi, recudi facerem, cum deſiderari à doctis, qui præſertim in iſto Comitatu

 & vi-

Digitized by Google

& vicinis locis vivunt, ſciam. De Auctore hoc ex aliis, cum nemo ejus meminerit, referre nihil licet; ex ipſo verò hoc Markenſi Chronico *Vitam* ejus curioſè collegit Avus meus, quam hîc præmitto. Quando mortuus ſit, ignoratur. Chronicon ſuum perduxit ad annum usque MCCCLVIII, & tum forte, octogenarius jam, non diu amplius ſuperfuit. Hoc enim tantò mihi fit probabilius, quod ad manus ſit (Operis hujus Tomo Secundo etiam edendus) ejusdem *Levoldi Northovii* brevis *Catalogus Archiepiſcoporum Colonienſium*, quem in quinquageſimo ſexto Archiepiſcopo *Wilhelmo de Genepe* finit, ejusque mortem, quæ in annum MCCCLXII incidit, non annotat, ſed ſolum Sectæ Flagellantium exortum, quæ ad A. MCCCXLIX pertinet, & maximam peſtilentiam, quæ circa A. MCCCL graſſata, deſcribit.

VITA

Digitized by Google

VITA
LEVOLDI NORTHOVII
EX CHRONICO MARKENSI
COLLECTA.

LEVOLDUS Northovius patriam habuit Weſtvaliam, natus in agro Marcano familia equeſtri, quæ ante annos multos deſiit. In lucem editus eſt anno Χριςογονίας MCCLXXIIX. die xxi. Januarii, quem in faſtis noſtris occupat Agnes virgo Romana. Ab ineunte ætate ad bonas literas aſſuefactus, quantum profecerit teſtatur hoc ſcriptum, quod evulgamus modo, luci datum eo tempore, quo ſtudia artium & linguarum in Germania triſti barbarie oppreſſa jacebant. Annum agens XVI. miſſus eſt Erfordiam ſtudiorum gratia, ſed biennio elapſo à Rutgero de Altena, Comitis Marcani Dapifero (vulgus Droſſatum nominat) domum revocatur. Ægre hoc ei accidit, tum quod oportuna in literis proficiendi ibi occaſio, tum quòd ex popularibus non pauci commilitones una viverent. In aulam tum adſcitum & junioribus comitibus, Engelberti filiis, erudiendis præfectum credibile eſt. Anno MCCCIIX. menſe Majo ad acad. Avenionenſem, propter ſedem Pontificiam Româ eo translatam, tunc temporis maxime florentem acceſſit. Quod vitæ religioſæ ſe addixiſſet, anno MCCCX. ab Adolfo Comite Marcano, Præpoſito Wormatienſi, ſacerdotio Bopardiæ donatus eſt: qui idem Præſul Præpoſituræ ſuæ adminiſtratorem fecit, & cum non multo poſt Leodienſis Epiſcopus electus eſſet, anno MCCCXIV. magis opimo ſacerdotio in eccleſia Leodienſi Levoldum cohoneſtavit. Quib. beneficiis optimus Princeps ſervitia ſibi ſuiſque præſtita benigne remunerari voluit. Poſt annos XII. Levoldo Romam eundum fuit cum Engelberto Comite Marcano, quo ulterius ad Rupem-amatoris progrediente, ipſe in curia Pontificia ſubſiſtens Præpoſituram Bopardienſem & chorepiſcopatum Colonienſem Engelberto prædicto, ipſius fratri Eberhardo Coloniæ & Leodii ſacerdotia impetravit, anno MCCCXXX. quo eodem Engelbertus Senior Comes vitam finivit, patrique in gubernatione ſucceſſit Adolfus: de hujus conſenſu Levoldus emit bona nonnulla hereditaria in Dreſole, quibus tamen non niſi ad religionem promovendam uſus eſt. Nominat ſe abbatem ſecularem eccleſiæ Viſetenſis, id non ſatis aſſequor: hoc ſcio Viſetum ab auctore vitæ Henrici IV. Vegeſatum nominari: antiquitus vero Taxandriæ ſive Toxandriæ appellatione veniſſe. Meminit Plin. lib. IV. cap. XVII. Hodie Weſet oppidum ad Moſam fl. inter Trajectum & Leodium medio itinere. Quando Levoldus obierit non comperi: ad ſummam ſenectutem pervenit. Nam cum finem hinc libro imponeret, annum ætatis exceſſerat LXXX. erat is à ſalute reſtituta MCCCLIIX. quo tempore ſe Comitibus Marcenſibus circiter L. annos inſerviiſſe teſtatur. Summæ iſthic auctoritatis fuiſſe, & totus liber, & præfatio cumprimis teſtatur. Magna ibi *παρρησία* in præceptis bonæ & ſalutari gubernationi neceſſariis inculcandis. Quibus cauſſis ad ſcribendum inductus ſit, exponit ipſe: juſtæ illæ & graves.

Digitized by Google

Atque utinam inveniſſet, qui telam hanc bene cœptam fideliter continuaſſent. Conſervationi ſui fœtus ſtuduit diligenter, factusque eſt voti compos, tum per alios, qui dignum vita laborem non paſſi ſunt intermori, tum per me, qui publici nunc juris facio. Quod ut præſtarem, multa me movebant, atque inter cætera hoc, quod viderem Origines Comitum Marcæ intra XX. annos fabulis contaminatas, præeunte aliis Ponto Heutero, aliàs viro docto & diligenti: quem qui hic exſcripſerunt, ſemet-ipſos & alios in errorem præcipitarunt. Et ſane tutius ſequi potuiſſent clariſſimum Peucerum. Reſtat, ut de noſtra opella aliquid ſubjungam, & eos, quorum vitula aravi lectori indicem. Exemplaria Levoldi ad manus habui duo: unum ante annos XXX. mecum communicavit Eberhardus Curtius JCtus Weſtvalus, eo tempore, quo hic ſtudiorum cauſa agebat. Erat is codex ἀκέφαλος: deerant etiam nonnulla in fine: neque non lacunæ hinc inde ſe offerebant. Interdum pro auctore loquebatur interpolator quidam: quæ omnia dubium me reddebant, verumne haberem exemplar Levoldi, an ſuppoſititium. Cumque omnino de eo, quale quale eſſet, edendo cogitarem, oportune accidit, ut vir nobilis, & in omni antiquitate præclariſſime verſatus, Caſparus Svvartzius, patricius Tremonienſis, à Caſparo Pafradio, Doctore Theologo, & hujus academiæ Profeſſore celeberrimo, expugnatus, aliud exemplar Levoldi ad me tranſmitteret. His duobus inter ſe cum cura collatis, quem hic vides, lector exhibere tibi conatus ſum Levoldum, hiſtoricum non vulgarem, ſed eximium, certe prudentem. Utinam omnes principum conſiliarii & miniſtri huic ſint ſimiles, parique fide & animi contentione Principum ſuorum, imo totius Reipub. ſalutem & emolumentum quærant, promoveant. Mihi voluptati eſt decus nobilitatis, & literatorum ſui temporis, adeoque communis patriæ lumen ac ornamentum, redivivum huic ſeculo exhibuiſſe. Quas ex noſtro penu adjeci notas, tales eſſe puto, quæ huic auctori, imo aliis etiam nonnihil lucis impertiri poſſint. Poſtremo diſſimulandum non puto, Hermannum Hamelmannum, patriæ hiſtoriæ amantem probeque gnarum, affirmare alicubi, Levoldum hiſtoriam ſuam ad annum MCCCLXXXIII. perduxiſſe: cui videtur contradicere codex noſter in anno MCCCLIIX. deſinens. Verſiculos fini adjectos nihil moror: nam de librarii exſcriptione eos intelligo. Obtigit tamen mihi ſupplementum quoddam incipiens ab anno MCCCLIIX. & deſinens MCCCXC. quod cum lectore communicare volui, ne quid intervertam. Si ſunt paralipomena Levoldi, interpolata tamen alterius calamo, cum hæc ſcriberet ille, annorum fuit C. & III. Si alterius ſunt, quod puto, nihilominus tamen, tanquam profutura, boni conſulantur. Nomen Levoldi, ſi quis & hoc ſcire velit, Germanicum eſt, ſignificans perquam amabilem, voce compoſita à *Lieb* & *bold*: Germani ſuperiores *Lippoldum* dicunt. Chriſtianus Cleinſorgius in Chronico Lippienſi MS. ut & exemplar Eberhardi Curtii hunc auctorem *Leonoldum* vocant, quod in medio relinquo.

CHRO-

CHRONICA DN. LEVOLDI DE NORTHOF.

NOBILI viro, Domino ſuo cariſſimo, Domino Engelberto Comiti de Marka, Levoldus de Northof, Canonicus Leodienſis, & Abbas ſecularis Eccleſiæ Viſetenſis, Leodicenſis Diœceſis, terram veſtram, & ſubditos cum DEI timore & juſtitia fideliter gubernare. Amen.

Chriſti nomine invocato, ex ſpeciali affectione, quam ad vos, & ad veſtrum Comitatum de Marka ſemper habui, ad perpetuam memoriam, tam præſentium, quam etiam futurorum, eorum præſertim, qui honoris & ſtatus ejusdem Comitatus Zelatores exiſtunt, de Comitibus de Marka, veſtris progenitoribus: de eorum origine, & ipſorum geſtis & ſucceſſibus; qualiter ſe habuerint: qualiter creverint, & profecerint: qualiterque & quam ſtrenue ſuam terram & dominium usque in hodiernum diem dilataverint, prout ea habui & percepi, partim ex ſcriptis antiquis; partim ex antiquorum dictis & relatibus: partim quoque ex his, quæ egomet præſens vidi & cognovi, hoc opuſculum duxi conſcribendum, ut vos veſtrorum progenitorum Comitum de Marka veſtigiis inſiſtentes, diſcatis in juſtitia & in Dei timore veſtram terram & veſtros ſubditos debite gubernare. Ad hoc namque huic compilationi operam dare me induxit veſtra & ipſorum Comitum de Marka, & Comitatus nativa dilectio: quia progenitores mei ab antiquo ipſis familiariter adhæſiſſe dicuntur, eisq; in dilatatione dominii, & defenſione terræ memoratæ non inaniter ſerviviſſe. Intendo etiam hic nonnulla temporum incidentia inſerere & innectere, videlicet de Imperatoribus, de Regibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & aliis quibusdam Principibus & magnatibus, & præcipue de tempore venerabilis Domini Adolfi de Marka, bonæ memoriæ, quondam Leodienſis Epiſcopi geſtis & honoribus, qui ſibi & Eccleſiæ Leodienſi, in qua me fecit Canonicum, ſuo tempore contingebant, nec non de Domino Engelberto de Marca Epiſcopo Leodienſi, ejus nepote, & ſucceſſore; qui nunc præeſt, quem DEUS per ſuam gratiam dirigat & conſervet. Multa per ipſum geſta & ſuo tempore facta duxi huic operi annectendum, & prout convenientius potui, inſerendum, ut ſic faſtidioſus lector diverſa alternatim legendo hoc deguſtet, quod ipſum magis delectet. Sed antequam procedam ad ea, quæ ſuperius ſunt narrata, ſi non dedignatur veſtra dominatio, ad informationem veſtram & veſtrorum ſucceſſorum duxi aliqua præmittenda.

Olim igitur, cariſſime Domine, dum adhuc in teneriori ætatis veſtræ ſtatu apud me in ſchola Leodienſi eſſetis conſtituti, ego bonæ indolis veſtræ ingenium aptum conſiderans, præter documenta ſcholaſtica, nonnunquam ſtudui vobis dicere & imprimere aliqua, quæ cogitavi vobis prodeſſe poſſe, dum ad regimen comitatus de Marka venire vos contingeret. Verum quia hæc non multum, ſicut credo, tunc veſtræ memoriæ commendaſtis, idcirco hic aliqua ex prædictis duxi vobis ad memoriam revocanda, ut ex ipſis, & ex aliis, quæ hic ſuperaddo, ſi placet, poſſitis eligere, quæ dant vobis materiam cogitandi, & quod expedit, faciendi. Et pro ingrato non habeatis, ſi per ſimplicitatem meam, minus plane, vel minus caute, in hoc aliqua ſcribere præſumo, quæ veſtræ, vel aliorum intentionis voto videantur minime convenire: cum hoc faciam bono zelo. Scio enim à Deo vobis datam talem induſtriam naturalem, quod ſi mente ſolicita velitis attendere negotia veſtra, multò levius, multoque melius poteritis expedire. His igitur generaliter prælibatis, primo, & ante omnia, vos exhortor, ut in omnibus veſtris factis DEUM præ oculis ſemper habeatis: juſta judicia faciatis: Eccleſias & præsbyteros honoretis: eosque non gravetis, ſed ab inimicis defendatis. Publicas vias, & ſtrata terræ veſtræ, pro tranſeuntibus & venientibus, tam incolis, quam

Digitized by Google

quam extraneis, ſecura & libera conſervetis. Nec ſit vobis aliquis ita carus, quod non puniatur, qui hanc violaverit libertatem: in his vos taliter habentes, ut mali vos timeant, & boni diligant. Item hæreditates veſtras, & jurisdictiones, jura & dominia conſervetis, & non minuatis, ſed augeatis; ſicut veſtri fecerunt progenitores. Item veſtros ſubditos, inter ſeſe diſcordantes, ad pacis concordiam revocetis. Item non ſitis in terra veſtra ſpoliatorum receptator, vel fautor: ne contingat de cætero, quod vobis, & patri veſtro, bonæ memoriæ contingebat quandoque, ut pro ipſis oporteat ſpolia perſolvere. De aliis namque veſtris Progenitoribus non audivi, quod ſpoliatores diligerent, vel foverent, ſed eos potius odiebant: & eos dum deprehenſi fuerunt, vivere non ſinebant. Item cum vicinis Dominis, & cum civitatibus & oppidis, quantum in vobis, amicitiam & concordiam conſervetis, non permittentes, ut veſtri ſubditi, vel quicunque alii, ex veſtris munitionibus, & de terra veſtra, ipſos Dominos & eorum terras, atque civitates, & oppida, infeſtent ſeu moleſtent: ne ſic de veſtris amicis vobis faciant inimicos, & in vos conſequenter transferant guerram ſuam: ſicut recolo, veſtris progenitoribus, non ſemel, ſed pluries, contigiſſe. Ipſis quoque veſtris vicinis, civitatibus & oppidis, ac aliis pertranſeuntibus, iter tutum faciatis, non permittentes eis inferri moleſtiam. Hæc vobis cum veſtris vicinis concordiam ſtabilem conſervabunt: hæc veſtram famam, longe lateque divulgabunt: per hæc eritis tam incolis, quam extraneis non ſolum metuendus, ſed ab omnibus collaudandus; & ſic terra veſtra ſtabit in pace, & in requie opulenta. Item conſiliarios habeatis viros maturos, juſtos & fideles, DEUM timentes, qui in conſiliis dandis non quærant lucra propria, vel ſuorum. In conſiliis autem ſemper attendatis, quid quisque conſulat, utrum bene, vel non bene: & eorum dicta examinetis tacite in corde, ut poſſitis, dum finiunt, reſpondere, & vos ad ea habere prudenter. Et ſi dixerint, vel conſulant, quæ vera ſunt & juſta, illa admittatis: & ſi aliqui ſint, qui odio vel favore ducti, rogent, vel conſulant, quod non ſit juſtum, illius nequaquam admittatis conſilia, ſive preces: ſed ſemper ſequamini veritatem, & juſtitiam. Item ad officiatos veſtros attendere curetis, ne veſtros homines & ſubditos gravent indebite. Eorum computationes perſonaliter audiatis, ad eas ſolicite attendentes. Officiatos, in quantum vitare poteritis, mediante pecunia non ponatis, pro qua ipſa officia obligetis eisdem, quia eò ipſi ſe reddunt quodammodo ſuſpectos, qui quærunt officia pro pecunia obtinere. Nec fuit hæc conſuetudo ab antiquo, officia pro pecunia ſic obligare, quod non poſſent deponi ab officiis, niſi prius pecunia perſoluta. Quam damnoſum autem ſit vobis, & veſtris ſubditis, officia pro pecunia obligare, exemplum recipere poteritis ex his, quæ narro. videlicet, quæ inter Leodienſes ſæpius vidi & expertus ſum, quomodo hi, qui lucra immoderata ſectantur & captant, quærunt & procurant, ut in officiis ponantur mediante pecunia. Et ſi quando à ſeipſis pecuniam tantam, quæ ad hoc ſufficiat, non habent, à ſuis amicis, qui libenter vellent lucri participes eſſe, ſub mutuo recipiunt, vel ſub uſura conquirunt: Et hoc totum in Dominorum & ſubditorum damnum, maxime cum ex ipſis officiatis aliquando ſint nonnulli, qui lucra exercere uſuraria conſueverunt, quorum tanto minus conſcientiis in officiorum adminiſtratione & regimine eſt credendum. Periculoſum enim eſt, ponere adminiſtratores officiorum, qui DEUM non timent, nec habent conſcientiam. Nam tales per tyrannidem ſubditos rodunt & opprimunt, computationes quoque aggravant, & cumulant, ut ſic dominis adempta facultate redimendi officia, tanto diutius valeant in officiis remanere. Hæc vobis ſcribo, ut ſimilia inconvenientia vitare poſſitis, ſic placet. Dicitur enim in proverbio: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.* Propter quod officiales, quos, experientia docente, fideliter in officiis ſe habere noveritis, non facile ad eorum amotionem ſeu mutationem vos permittatis induci. Et quia plerumque ad bene agendum, exempla provocant plus, quàm verba, licet vos & veſtri prædeceſſores Comites de Marka plures habuiſtis, & adhuc habetis officiatos meritò commendandos, illorum tamen præ cæteris eſt memoria ſpecialiter recolenda, qui plus cæteris comitatum in caſtris, munitionibus, jurediſtionibus & poſſeſſionibus dilataſſe & provexiſſe noſcuntur, quorum opera usq; in hodiernum diem extant, & apparent, ut eorum Exempla ſequentes moderni, qui officia gubernanda ſuſceperunt, tanto diligentius, tantoque fidelius in ipſis officiis ſe ſtude-

Digitized by Google

ſtudeant exercere. Inter cæteros tam vivos, quam mortuos officiatos, tres ſunt, de quibus ad præſens mea informata eſt memoria, quorum adhuc apparent opera, videlicet, Ludolfus de Boynen miles, Rutgerus de Althena miles, & Gerhardus de Plettenberg, qui adhuc ſupereſt. Ludolfus namque, ſicut teſtatur antiquorum relatio, ſub Adolpho Comite, ad ejus uſum caſtrum de Marka cum ejus pertinentiis à quodam Rabodone de Marka acquiſivit & emit: caſtrum de Blanckenſteine conſtruxit & fundavit, multasque poſſeſſiones & jura emit, & Comitatui applicuit. Rutgerus quoque de Althena dapifer, cujus ego novi converſationem & facta, honoris & utilitatis ſui Domini fidelis & ſtrenuus extitit executor. Hic ſub Comite Everhardo in guerra contra Epiſcopum Colonienſem caſtrum de Woldenberg & dominium, cum ſuâ pecuniâ, ad uſum ipſius Comitis à Dn Hunoldo de Plettenberg redemit & munivit. Hic oppidum, quod dicitur Nienſtatt incepit & firmavit. Hic caſtrum de Schwartenberg firmavit, & turrim fortem ibi conſtruxit. Gerhardus autem de Plettenberg dapifer prædictus in officio ſuo, quàm utilis fuit ac fidelis, ejus opera manifeſtant. Hic in terra ſibi commiſſâ jura veſtra conſervando, dona à ſubditis non quærendo, taliter ſe geſſit, quod his, quibus ipſe præeſt, omnibus gratus exiſtit. Hic caſtrum dictum de Schwartenberg & oppidum Nienſtatt per prædictum Rutgerum militem primò incepta & fundata amplius fortificavit, & perfecit, & caſtrum novum adjecit oppido ſupradicto, & alia multa utilia ibi fecit. Hic etiam caſtrum in Rœde cum oppido adjacente funditus conſtruxit & firmavit: & multa ibidem circum-circa bona acquiſivit, ad uſum caſtri prædicti, aliaque plura utilia tam in molendinis, quàm in piſcariis fecit ibidem. Idem quoque Gerhardus caſtrum de Cluſenſtein conſtruxit, & firmavit.

Inter hæc notandum eſt, de prædictis tribus officiatis, videlicet de Domino Ludolfo de Boynen, Rutgero de Althenâ milite, & prædicto Gerhardo, quòd aliquis eorum nunquam aliquod fortalitium tempore ſui officii pro ſe acquiſiverit, ſicut officiati moderno tempore faciunt, & caſtra Domini ſui permittunt quandoque ruere & perire. Caſtra verò veſtra, in ædificiis integra conſervetis: & dum tempus exquirit, prout poſſibile erit & neceſſe, munita hominibus & victualibus teneatis. In guerris & actibus bellorum, vos ſemper confortatum & conſtantem vultu & animo oſtendatis. Etiam in adverſis ſeniorum converſationem & conſilia ne ſpernatis, attendentes quod de Roboam rege, filio Salomonis legitur in lib. III. Reg. cap. XII. Hic relicto conſilio ſeniorum, ſecutus eſt conſilium juvenum, propter quod populi qui ſecundum conſilium datum regi per ſenes, obedire volebant, propter conſilium, datum regi per juvenes receſſerunt ab eo, & ſe regi Jeroboam ſubdiderunt. Non tædeat vos habere conſilia in factis veſtris: quia ſcriptum eſt in libro ſapientiæ: Omnia facias cum conſilio, & poſt non pœnitebit. Et iterum. Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur Sapientiâ. Hæc conſilia cum amicis tractanda ſunt, quos in veſtros conſiliarios duxeritis ſpecialiter eligendos, non cum levibus perſonis, vel juvenibus, qui adulantur, & loquuntur vobis blanda & placentia, ut trahant vos ad vana, & ad ea aliquando, quæ non expediunt, & non curant, quantum expendatis, quantum detis, vel undè, vel qualiter talia perſolvatis. Nec ſic innitamini veſtro ſenſui, ut non velitis audire conſilia veſtrorum ſpecialium conſiliariorum, vobis fidelium, de quibus certi eſtis, quòd non vellent vobis conſulere, niſi quod ad veſtrum pertineret honorem. Scriptum eſt enim per Salomonem: Ne innitaris prudentiæ tuæ, hoc eſt, pertinaciæ.

In publicis tamen judiciis, propter debita publica faciendis, expedit quandoque, ut Domini ſe inexorabiles & conſtantes oſtendant, maximè dum ſalva juſtitia & honore ejus non licet facere, quod rogatur. Nam quandoque rogant illi, quod non vellent, quod fieret hoc, quod rogant. Dum eſtis in populo, exhibeatis vos eis affabilem & benignum, in ſalutationibus & loquelis veſtris, hominibus quoque pauperibus, vobis attinentibus, in eorum neceſſitate conqueri volentibus, audientiam non negetis. Pro ſervitio vobis impenſo, vel pro quacunque alia re vobis grata, non negligatis hominibus grates reddere, læto vultu, ut cognoſcant, vobis gratum eſſe, quod fecerunt. Iſtud non conſtat vobis, niſi verba, quod multum hominibus erit gratum. Audivi aliquando, ſalva reverentia veſtra, quod ſatis raro iſtud facere conſveviſtis. Illis namque, qui in ſervitio veſtro uſque in finem vitæ ſuæ fideliter perſeverant, decet vos non ſolum grates referre, ſed etiam eorum ſucceſſoribus, filiis & nepotibus; ut propter hoc etiam illis tanto favorabilior exiſtatis. Tem-

Digitized by Google

Tempora veſtra non inutiliter expendatis: ut diem non vertatis in noctem, & noctem in diem: Sed horas diei, ſi placet, taliter diſtinguatis, ut primo mane vacetis DEO, & vobis, Miſſam audiendo, & deinde ante prandium, ſi non habueritis neceſſaria pertractare, luſibus & ſolatiis, prout libet, & placuerit vacando. In expenſis faciendis, & in curiis tenendis & conviviis, nec non in donis tribuendis, vos taliter temperetis, ne plus expendatis, quam convenienter & commode perſolvere valeatis. Minus enim vituperabile eſt, in his exceſſum non facere, quam ſemper in debitis remanere. Nam Principes & Magnates, qui habent terras defendere, non timentur, nec quicquam facere poſſunt, ſi in bonis deficiunt. In donis autem dandis ſecundum doctrinam ſapientis conſideranda ſunt hæc quatuor: videlicet; Cui detis, quid detis, quare detis, quando detis. Melius eſt enim quandoque non dare, quam quod dandum eſt, ſub mutuo percipere, & poſſe illud poſtea difficulter ſolvere. Et ſi quando ex quocunque vos oportet mutuum contrahere, caveatis vobis ab mutuis uſuratis in quantum poteritis, & maxime ab illis periculoſis mutuis & damnoſis, pro quibus vos oporteat multitudinem fidejuſſorum ponere ad comeſtus, ſicut in Colonia conſuetum eſt fieri. Hujuſmodi enim debita mortuorum debitores creditorum ſubjiciunt ſervituti. Scriptum enim eſt in libro Sapientiæ: qui accipit mutuum, ſervus eſt fœnerantis.

Ad ea igitur, quæ ſuperius ſunt prædicta, alia, quæ ſequuntur, ad debita, & ad pacificam terræ gubernationem & defenſionem inter cætera expediens eſſe puto, ut ipſius Comitatus de Marka unitas indiviſibiliter conſervetur, videlicet, ut caſtra, jurediƈtiones, & diſtrictus per unum tantummodo, & non per plures Comites gubernentur. Sic enim pax in terra poterit conſervari: Sic contra vicinos Dominos & alios extraneos invaſores tanto fortius defenſari: quod fieri non poſſet, ſi in ſeipſa eſſet diviſa. Nam ſi dividatur, tunc una pars ſubditorum uni Domino, altera pars alteri Domino adhærebit, & tanto terra ad ſe defendendum erit debilior contra adverſarios extraneos, quando ſic eſſet diviſa, quæ huc uſque unita fortiter & viriliter ſe defendit.

Scriptum eſt enim in Evangelio: Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, quod ſatis patet in nonnullis Dominiis, Ducatuum, Comitatuum, & aliorum dominiorum, qui olim magni fuerunt nominis & potentiæ, quæ nunc per partitiones diverſas in hæredes factas, ad ſtatum modicum ſunt redacta: maxime cum Imperiali autoritate ſit ſancitum, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus dividi non debere. Et ſicut videtur in Dominiis, quæ diviſa ſunt, quod ſemper decreſcunt, ſic videtur, e contra, quod in dominiis, quæ diviſionem non patiuntur, quod continue magis & magis fortificentur & creſcant: Virtus enim unita viget; diviſa frangitur; Et ſecundum Philoſophum omnis virtus aggregata fortior eſt ſeipſa ſeparata. Ad vos igitur caſtrorum caſtrenſes, & alios Comitatus de Marka milites & armigeros univerſos, nec non oppidorum oppidanos dirigo nunc ſermonem, vos hortando, ut ſi volueritis in terra habere tranquillitatem & pacem perpetuam, vobis & veſtris filiis ac ſucceſſoribus neceſſariam, & quam maxime profuturam, hoc etiam peragite, ut per unum tantummodo Comitem, cui fidelitatem præſtetis, Comitatus regatur: alioqui ſi regimen Comitatus in plures partiri contigerit, ex hoc veriſimiliter formidandum eſſet, ne multa inconvenientia & pericula ſequerentur, videlicet, guerra diſcordiæ inteſtinæ inter dominia ſic diviſa, & inter milites & armigeros, & oppida, quorum una pars uni Domino, & alia pars alteri adhæreret, ut prædictum eſt. Et ſi illi Domini, in quos ſic terra partiretur, plures filios generarent, ita quod jam diviſa ſubdividi iterum contingeret, ſic Comitatus de Marka omnino redigeretur in nihilum, & perderet nomen atque famam, honorem & fortitudinem: qui per Comites de Marka, qui fuerunt pro tempore, uſque in præſens tempus, cum maxima ſolicitudine & labore dilatatus eſt, & cum adjutorio ſuorum militum & armigerorum & aliorum ſubditorum, ſibi fortiter & fideliter aſſiſtentium viriliter & ſtrenue propugnatus eſt. Et, ſicut famoſa numeroſitas & ſtrenuitas hominum militarium, quibus ipſe Comitatus abundare dinoſcitur, ipſum Comitatum fortificavit, & decoravit huc-uſque, ſic eorundem militarium numeroſitas, cum eſſent inter ſe diviſi, terræ tanto periculoſius caderent in ruinam, quando inter ſe altera pars contra alteram in diſſenſiones, & in guer-

Digitized by Google

guerras forſitan conſurgerent, & ſic omnes ſubditi depauperarentur, cum nulla in eis eſſet ſecuritas. Verum adhæc vobis illa duxi ad memoriam revocanda, quæ ego præſens vidi & audivi, & plures ex vobis audiſtis & vidiſtis. Ex quibus ad præmiſſa præcavenda, informationem habere poteritis aliqualem, quod videlicet, defuncto bonæ memoriæ Domino Adolfo Comite, Domini noſtri Engelberti Comitis patre, dum Domicellus Everhardus de Marka, ipſo adhuc præpoſito Monaſterienſi exiſtente, in Eccleſia monialium in Hurde, coram multitudine copioſa caſtrenſium & aliorum militum, militarium, nec non oppidanorum Comitatus de Marka, à Domino Comite Clevenſi, & à Domino Comite Engelberto prædicto ibi præſentibus, peteret ſibi portionem condividi Comitatus.

Ad hoc prædictorum Caſtrenſium, & aliorum militum & militarium, qui ibi aderant, auxilio & conſilio requiſito, dicti Caſtrenſes & alii ſupradicti de voluntate partium prædictarum ſe trahentes ad partem, unanimo conſilio inter ſe habito redierunt, & eisdem Domino Clivenſi & Domicello Everhardo, qui tunc nondum erat miles, per vivæ vocis organum Domini Johannis de Limborg reſponderunt. Rogabant namque & ſuadebant, quod prædicto Domicello Everhardo de bonis & reditibus Comitatus de Marka talis & tanta portio ſecundum conſilium & concordiam amicorum partium, utrinque ad hoc aſſumendorum, daretur & aſſignaretur, ſicut deceret, & de quo poſſet & deberet merito contentari: hoc rogabant & ſuadebant: Sed quod Comitatus de Marka in caſtris, munitionibus, & in reditibus ſcinderetur, vel partiretur, in hoc non conſentiebant: Sed volebant, ut Comitatus ipſe indiviſus maneret, & ejus regimen apud unum tantummodo Comitem maneret: cui fidelitatem tenerentur præſtare. Hæc vel ſimilia, ſicut poſſum recolere, ibidem audivi.

Veruntamen ſi comes, qui fuerit pro tempore, fratres haberet & ſorores, juſtum eſt & debitum, ne pecuniæ hæreditariæ expertes maneant, quod fratribus ſecundum amicorum conſilium, prout poſſibile fuerit & conveniens, de Comitatu bona aliqua & reditus aſſignentur, & ſorores maritentur, ſicut ſtatum eorum decebit: vel aliter provideatur eisdem pro-ut decens fuerit, & juſtum: Sic tamen, quod ipſius Comitatus caſtra, oppida & munitiones, juredictiones & diſtrictus indiviſi maneant, & ſub unius Comitis poteſtate ſemper conſiſtant. Hæc prædicta ſcribo, pro-ut ſecundum ſenſus mei parvitatem expedire mihi videtur, ſalvo tamen in omnibus conſilio meliori.

Poſt hæc autem ad hiſtoriam de Comitibus de Marka, & eorum origine; prout ſuperius in principio ſum exorſus, ad quod principalis mea in hoc opere intendit intentio, me converto: Sicut & ſcripta antiqua in monaſterio Montis veteris Ciſtercienſis ordinis, habita & reperta teſtantur, & ante hæc tempora, & uſque in præſens antiquorum fida relatio memoratur & tenet. Duo igitur erant fratres, Ottoni Imperatori Tertio ſpecialiter cari, ex nobili & illuſtri Romanorum proſapia & progenie procreati, videlicet Urſinorum, qui usque in hodiernum diem inter nobiliores & potentiores in urbe Romana reputantur. Hi duo fratres cum prædicto Imperatore ad partes citra-montanas venerunt, qui per proviſionem ſuorum parentum, cum pecunia abundarent, ipſius Imperatoris freti potentia & favore, terram emerunt & dominium, cupientes ſibi domicilii locum tutum & fortem quærere, montem quendam vocatum à terræ illius incolis Wolveſecke, in terra inculta, montoſa & nemoroſa, ac vaſtæ ſolitudinis, cœperunt firmare. Primo quidem ipſius montis cacumen de arboribus explanantes in circuitu ejus ipſum montem cum arboribus circumcirca ſuccisis vallabant & firmabant. Inter hæc avis quædam, quæ *Haſelbon* vocatur vulgariter, futuri boni omen pronuncians per operantium & ſecantium ſtrepitum fugata, in ſinu Domini refugium quærens, ſe recepit: quam idem Dominus recepit in veſte, quæ Cappa ſecundum morem temporis illius à nobilibus uſus fuit portari, circumvolvit, dicens operariis: Non deficiet, donante Deo, opus proſperum: procedite ad opera ſecuri de Dei gratia, opus hoc feliciter proſperabitur. Interim percipiente hoc Comite de Arensberg, cujus tunc termini Comitatus longe lateque diſtendebantur, & poteſtas, nec aliud nomen Comitis in terra illa habebatur: arbitratus eſt ſibi fieri injuriam, ſibique non expedire, montem illum firmari, & per alienigenas occupari, miſit ad eos, requirens, ut ceſſarent ab opere, quia nimis prope

Digitized by Google

eſſent apud eum. Ex hoc caſtro ſuo nomen indiderunt vocantes ipſum Altena, quod eſt dicere nimis prope. Comes vero de Arensberg volens eos propulſare, cum dictum montem, in quo caſtrum firmare cœperunt, obſidere tentaret, videns locum fortem & inexpugnabilem, vacuus inde receſſit.

Poſt hæc hi duo fratres dicto caſtro Altena firmato, aliud caſtrum, quod magis prope eſſet apud Rhenum verſus Coloniam ſuper fluvium, qui Düne dicitur in monte, ubi adhuc apparent caſtri veſtigia, quod Aldenberge vocabatur, fundarunt. Sicque dicti fratres dicta duo caſtra aliquanto tempore communiter poſſidebant, qui per ſuam induſtriam & probitatem, nec non Romani Imperii potentia ſe ſucceſſivis temporibus in poſſeſſionibus & dominiis, prout inferius dicetur, poſtmodum non modicum dilatabant. A prædictis duobus fratribus Comites de Monte, & de Marka & eorum Comitatus & Dominia ſumſerunt initium, propter quod ſicut fraternalis unitas & dilectio dictis duobus Comitatibus dedit principium: Sic inter eorum ſucceſſores Comites concedat Dominus per ſuam gratiam vinculum pacis perpetuum. Hoc namque expediens eſt utrique: per hoc ſtant fortiter utrobique, & ſe mutuo confoventes per eorum unitam potentiam poterunt impugnantium inſultus fortius propulſare. Quod ſi non fecerint, (quod abſit) eorum potentia diviſa adverſantium facilius ſuccumbet incurſibus. Hoc progenitores eorum non improvide attendentes, quotiens retroactis temporibus per propagationes longævi temporis propinquitate graduum eos disjungi & diſtare contigerat, totiens per matrimonia propinquitatem iterum renovabant, & non ad inſipientiam ſibi, qui quando propinquitate ſanguinis erant disjuncti, tunc nunquam vel raro inter eos viſum eſt, guerras non eſſe.

Quia prædictorum duorum fratrum, & eorum, qui ab ipſis deſcenderunt filiorum & nepotum nomina ad ipſorum ſucceſſus & geſta, usque ad tempora Lotharii Tertii Imperatoris, antiquitas temporum abolevit, ea propter de Imperatoribus & Regibus, qui tempore medio regnaverunt, & de aliquibus aliis incidentibus hic duxi aliquid inſerendum, incipiendo ab Ottone Tertio Imperatore, qui regnare incepit Anno Domini Milleſimo. Prædicto Ottone defuncto, Henricus Dux Bavariæ, filius Henrici Ducis, qui fuit genitus de Hinrico fratre primi Ottonis Imperatoris, ſuccedit & ungitur in Regem ab archiepiſcopo Maguntino Anno Domini M. III. Sancto Heriberto Colonienſi archiepiſcopo Eccleſiæ Colonienſi tunc præſidente, qui ipſum non coronavit, pro eo quod idem Dux in reverſione de Italia ipſum offenderat, inſignia realia poſt mortem Ottonis violenter de ejus manibus extorquendo, quem tamen idem Imperator, poſtmodum feſtum Natalis Domini in Colonia celebrans, humili ſatisfactione placat. Cui reconciliatus idem Archiepiſcopus prædixit prope diem eſſe mortis ſuæ, quod & factum eſt: Cui ſucceſſit Peregrinus archiepiſcopus.

Defuncto Henrico Pio Imperatore, & deſignato prius à Principibus ſibi ſucceſſore Conrado, viro regii ſanguinis, & egregiæ libertatis, quippe, qui nunquam ſe ſubmiſerat alicujus ſervituti, idem Conradus ſuſcepit in regno, Anno Domini MXXV. Hujus Conradi filius Henricus Puer ſublimatur in Regem Aquis, & poſt filiam regis Angliæ duxit in uxorem. Iſte Conradus Slavos invadit.

Defuncto Conrado Imperatore ſuccedit filius ejus Anno Domini MXL. Hic Wandalitios invadit, & ſuperat, & Hungros.

Defuncto Henrico Tertio Imperatore ſucceſſit ejus filius Henricus Quartus, Anno Domini MLVII. Hic Saxones, creato ſibi tyranno Rudolfo, Duce Burgundionum, ſæpius rebellantes, invadit, & inter hæc ille Rudolfus occiditur. Hic Henricus Imperator diſcordiam contra Papam Gregorium, qui alio nomine Hillebrandus vocabatur, longo tempore tenuit: unde magnum ſchiſma fuit: Romam obſidet: Romam Leoninam capit: urbem ingreditur: Papa inde recedit. Rex Papam Wicbertum conſtituit, & ab ipſo coronam Imperialem recepit. Poſt hæc Conradus Imperatoris filius puer Aquis in regnum coronatur. Iſtius Imperatoris tempore à Chriſtianis capitur Antiochia IIII. Kalend. Julii, & ibi lancea Domini inventa eſt, Anno Domini MXCIIX. Poſtea capitur Jeruſalem Idus Julii feria ſexta hora diei nona, & ibidem Godefridus, Dux de Bulione, in reſurrectione Domini Rex conſtituitur: quo veneno perempto, cum vix uno anno regnaſſet, frater ejus Baldewinus princeps Armeniæ in regem aſſumitur. Henricus Imperator expulſus regno à filio ſuo Henrico

Digitized by Google

rico Rege, exſul moritur Leodii Anno MCV. & corpus ejus ſepultum in Eccleſia ſancti Lamberti de juſſu legati ejicitur, & in Eccleſia Cornelii Montis juxta Leodium non conſecrata ſepelitur, donec poſtmodum filio cum Papa reconciliato ad Spiram delatum eſt. Hujus etiam Imperatoris Anno XXIIX. Bruno, natione Teutonicus, de Colonia, ordinem Carthuſienſium incipit: & ſimiliter inceptus eſt ordo Ciſtertienſium ſub iſto Imperatore, videlicet Anno Domini MXCVII.

Henrico autem Quarto Imperatore à filio expulſo & mortuo, ipſe filius ejus Henricus Quintus Anno Domini MCVII. ſuccedit in regno, & poſt ſeptem annos Romam vadit, Paſchali Papæ reconciliatur, & abjurata ab eo Simonia in Imperatorem benedicitur. Iſte Henricus Imperator Calixto Papæ reſignat inveſtituras per annulum & baculum, Eccleſiis relinquens electionem liberam. Sub iſto Henrico Anno Domini MCXX. Ordo Præmonſtratenſium incepit, & poſt Anno Domini MCXXIII. incepit ordo Templariorum.

Anno Domini MCXXV. feria quinta poſt Pentecoſten in Ultrajecto Henricus Imperator moritur: Cujus corpus ejectis inteſtinis ſale conſperſum ad Spiram portatur, & ibi ſepelitur. Defuncto igitur Henrico Imperatore Legati ſedis Apoſtolicæ cum Archiepiſcopis & Principibus Maguntiæ conveniunt, & omnes Lotharium Ducem Saxoniæ virum ſapientem & induſtrium, Eccleſiæ devotum, præpotentem divitiis & victoriis, eligunt omnium aſſenſu, quem Colonienſis Epiſcopus Aquis in exaltatione ſanctæ Crucis ungit in Regem; quem poſtmodo Innocentius Papa Secundus in Leodio in Imperatorem, & uxorem ejus in Imperatricem coronat. Unctus igitur in regem Lotharius Bohemiam invadit, ſed quorundam ſuorum principum fraude, multam ſuorum militum paſſus eſt ſtragem, videlicet quingentis & quadraginta occiſis.

Eodem anno Karolus Comes Flandriæ in Eccleſia Brugenſi occiditur. Hic Imperator expeditione jam ſecundo in Italiam mota rediens Anno Domini MCXXXVII. in patria ſua moritur.

Sed nunc intermiſſis hiſtoriis Imperatorum & Regum ad hiſtoriam Comitum de Altena & de Monte, unde digreſſi ſumus, redeamus, quia de ipſis ſcribere præſentis operis principalis eſt intentio.

Prædicti igitur Lotharii Imperatoris tempore, qui regnare cœpit Anno Domini MCXXVI. cum prædicta duo caſtra Altena & Aldenberg & eorum dominia iterum per duos fratres primorum fundatorum ſucceſſores, quorum uni nomen erat Adolfus, alteri Everhardus, regerentur, vel communiter, vel diviſim: accidit ut iidem fratres Adolfus & Everhardus cum Duce Limburgenſi in bello, in diœceſi Leodienſi, contra ducem Brabantiæ, Comitem Lovaniæ, & Comitem Flandriæ intereſſent, ubi non modica hominum ſtrages facta eſt. Cum autem iidem Comites reverſi eſſent ad propria, dictus Everhardus exinde tam gravem concepit conſcientiæ ſcrupulum & remorſum, ut relictis omnibus, in vili habitu nocturno tempore de caſtro Altena clam recederet, propoſitum habens ad peragendam pœnitentiam perpetuo ſe exilio relegare. Sicque Sanctorum Petri atque Pauli in urbe Romanorum, deinde Sancti Jacobi, poſtremo Sancti Ægidii limina viſitavit, & deinde rediens venit ad quandam grangiam Monaſterio Morimundo pertinentem, in qua per plures annos generoſitatem alti ſanguinis parvi pendens, ut animam ſuam lucrifaceret, porcos paſcebat. Accidit autem, ut duo milites ejus miniſteriales in peregrinatione iter facerent, & illic pertranſirent: qui cum de via dubitarent, quendam, quem ſecum habebant, hiſtrionem mittunt, ut de via perquirat. Hic paſtorem porcorum à longe proſpiciens, ad ipſum adiit, de via requirit. Inter hæc paſtorem illum curioſius intuens per cicatricem in vultu, quam in bello prædicto contraxerat, ipſum agnovit, & concitato curſu ad dominos ſuos rediens hoc nunciavit eiſdem: qui ſtatim dictum hiſtrionem de tali relatu, tanquam incredibili, redarguere cœperunt: ducti tamen ejus aſſertionis conſtantia, usque ad locum, ubi porcos paſcebat, venerunt. Et alloquentes ipſum in Teutonico, in Gallico reſpondebat, ut ſic ſe occultaret, ne eum agnoſcerent, quos ipſe tamen priùs, ſtatim quando eos vidit, agnovit, tandem eorum indefeſſa percontandi importunitate devotaque ſollicitatione victus, (commota quippe fuerunt ejus viſcera) illos recognovit. Tunc flentes præ gaudio in ejus venerunt oſcula, ſe-

Digitized by Google

cum ad grangiam pergunt, magiſtro grangiæ quis ſit, & quantus, omnia per ordinem narrantes. Qui admirans non modicum conſurgit de nocte, Abbatem Morimundenſem feſtinus adiit. Abbas non minori admiratione, mane facto, Priorem & Cellarium advocat, ipſis, quæ à magiſtro grangiæ ſibi relata fuerunt, refert, & eos ſecum ad grangiam prædictam adduxit. Ubi per ordinem ab ipſo Comite, & à ſuis militibus veritatem rei geſtæ, ſerio ſuis cuncta narrantibus, didicerunt. Abbas autem videns hanc in viro tali mutationem fore dextræ Dei excelſi, & ipſum agi ſpiritu divino, perſuaſit, ut habitum monachalem aſſumeret, Deo, propter cujus amorem ſe taliter humiliaverat, perpetuo ſerviturus: qui conſentiens, nam & literatus erat, ad Monaſterium Morimundum cum Abbate adducitur. Factus ibi Monachus, Deo devotiſſime ſerviebat. Proceſſu vero temporis, cum eſſet ordinis Ciſtertienſis ferventiſſimus zelator, & cultor, divina gratia inſpirante, ut ordinem ipſius dilataret, Abbatis petita licentia eaque obtenta, fratrem ſuum Adolſum Comitem de Altena & alios ſuos propinquos ad viſitandum perrexit. Frater ſuus Adolfus inter cætera locutionis verba, audito fratris conſilio ſalutari, quia maximè eum diligebat, caſtrum Aldenberg cum multis poſſeſſionibus, ſibi ad petitionem ſuam tradidit ad cœnobium Ciſtertienſis ordinis conſtruendum. Proinde multum exhilaratus, gratias Deo perſolvens, quia nihil fuiſſet ſuæ contrarium voluntati, venit ad Thuringiæ partes viſitare conſanguineos ſuos, nobilem virum Zizonem Comitem, & Gizellam Comitiſſam conjugem ſuam. Dumque ſalutaribus monitis cœleſtis vitæ ipſis pabula monſtraſſet, tandem conſilium dedit, ut fundarent Abbatiam ordinis prædicti. Comes vero, divina gratia ſic volente, ad petitionem uxoris ſuæ Gizellæ per omnia acquieſcens, tradidit domicilio exſtruendo montem Sancti Georgii cum omnibus pertinentiis ſuis. Frater Everhardus, olim Comes, hæc audiens, Deum in omnibus benedixit, gratias ei perſolvens, in Morimundum cum gaudio eſt reverſus, & Abbati & conventui omnia, quæ egerat expoſuit: qui eum in factis ſuis omnino commendaverunt. Tunc Abbas inito conſilio, & aſſumto fratrum ſuorum conſenſu, emiſſis de Morimundo, probabilis vitæ, tam Monachis, quam converſis, virum admodum religioſum ac boni teſtimonii jam dictum Everhardum, memorati Comitis Zizonis cognatum, unanimi voto, parique eorum fratrum conſenſu in patrem ſpiritualem elegerunt. Qui à venerabili Henrico Maguntino Archiepiſcopo in Abbatem per Pontificalem benedictionem eſt promotus. Proinde præfatus Comes Zizo cum conjuge ſua Gizella, Deo à quo bona cuncta procedunt, gratias exoluentes, locum ipſum cum conſenſu filiorum ſuorum, Henrici & Guntheri, & aliorum legitimorum hæredum, omnipotenti Jeſu Chriſto, ejusque ſanctiſſimæ genitrici Mariæ, ſanctoque Georgio Martyri, & beato Benedicto in odorem ſuavitatis obtulerunt. Adolfus vero Comes prædictus, qui prædictum cœnobium Montis-Veteris, ſuggerente ejus fratre, fundaverat, ut præmittitur, defunctus in ipſo monaſterio ſepelitur. Recognoſcit in diem hodiernum usque diem ibidem fratrum memoria non ingrata, Comites de Altena dicti fundatores loci principales extitiſſe.

Nunc igitur iterum ad hiſtoriam Regum revertamur. Defuncto Lothario prædicto, Conradus, Henrici Imperatoris ex ſorore nepos, frater Friderici Ducis Sueviæ, qui antea etiam regnum affectaverat, ad regimen venit. Hic etiam unà cum fratre ſuo prædicto contra Lotharium Spiram ad rebellionem animaverat, ſed Imperator Spiram obſidens bis ad deditionem coëgit. Cœpit autem hic Conradus regnare Anno Domini MCXXXIIX. & imperavit annis XV. Hic prædicante in Spira Sancto Bernhardo, & ibidem miracula multa faciente, crucem recepit, & anno regni ſui XII. ipſe & Rex Franciæ per Conſtantinopolin in ſubſidium terræ ſanctæ exercitum movent, & in perfidiam delabuntur, & anno ſecundo inefficaces revertuntur. Hoc tempore erat Hildegardis, quæ manſit prope Binguiam ſuper Rhenum, & multa miranda prædixit.

Anno Domini MCLII. moritur Conradus Imperator, ſuccedit Fridericus, filius fratris ſui Friderici, Ducis Sueviæ. Hic totus nobilis, glorioſus & magnificus fuit. Hic Anno Domini MCLV. Romam proficiſcitur in die Marci & Marcellini, & à Papa Adriano coronatur.

Anno Domini MCLX. in die Sancti Joannis cives Maguntini archiepiſcopum ſuum in æde

in æde Divi Jacobi crudeliter occidunt. Anno Domini MCLXIIII. Imperator Fridericus menſe Martio Mediolanum capit & deſtruit: inde tunc corpora trium Regum per Reinoldum archiepiſcopum Colonienſem ſunt tranſlata. Iſte Fridericus Anno Domini MCLXIX. in die aſſumptionis beatæ Mariæ filium ſuum Henricum coronari fecit in regem.

Anno Domini MCLXXV: Fridericus Imperator, cum Imperatrice Beatrice uxore ſua, & filio Henrico rege Juvene Aquis Paſcha celebrat cum magna gloria.

Anno Domini MCLXXXVII. Salahadinus, princeps Turcorum, Guidonem regem Hieroſolymorum in bello vincit: Dominicam crucem de manibus Chriſtianorum violenter rapit: Acon capit & alios portus marinos: deinde Jeruſalem ad deditionem compellit, & Chriſtianis inde expulſis Turcos in ea collocat. Poſthæc crux à Cardinali prædicatur: multi cruce ſignantur. Sequenti anno Imperator Fridericus cum magna multitudine gentium venturus in ſuccurſum terræ ſanctæ per Bulgariam tranſit: Poſt multas ſtrages Turcorum, victoriaſque Iconiorum in Syria fluvium tranſiens equo cecidit, & de aqua extractus moritur, & in Antiochia in Eccleſia ſancti Petri Anno Domini MCXC ſepelitur. Cujus exercitum Fridericus filius ejus, Dux Bohemiæ, ſibi regendum aſſumpſit: qui etiam non diu poſt moritur, & non modica Chriſtianis inde mœſtitia relinquitur.

Friderico igitur Imperatore mortuo ſuccedit filius ejus Henricus Rex, ſtrenuus in agendis rebus, & acer in hoſtes, largus & munificus, & Anno MCXCI. in craſtino Paſchæ à Celeſtino Papa cum uxore ſua Conſtantia, filia regis Siciliæ, benedictionem Imperialem recipit.

Anno Domini MCXCIII in vigilia beatæ Catharinæ, Albertus Epiſcopus Leodienſis frater ducis Brabantiæ, Comite de Hoſteden procurante & Imperatore Henrico favente, Remis occiditur.

Sequenti anno Rex Angliæ Richardus per ducem Auſtriæ de ultramarinis partibus revertens capitur, & Imperatori traditur, à quo ſe redemit per maximam pecuniæ ſummam.

Anno MCXCIV Henricus Imperator reparata expeditione ſecunda, Apuliam & Siciliam, quas ſibi ratione uxoris ſuæ vendicabat, feliciter ſubjugavit, & tunc natus eſt ei filius, quem Fridericum nominavit. Has poſtmodum terras videlicet Apuliam & Siciliam, Fridericus prædictus de conſenſu principum, Imperio conjunxit, ad eum finem, ut Imperium ſuis hæredibus hæreditarium fieret.

Anno Domini MCXCVIII. menſe Septembri Henricus Imperator in Apulia moritur, relicto ſuo filio Friderico parvulo cum matre Conſtantia quem ſtatim mortuo patre in regem Siciliæ ſublimabant. Sed revertamur ad Markenſes.

Prædictus Adolfus Comes de Monte & Altena, veteris Montis fundator, genuit Adolfum Comitem, Adolfus autem ille genuit Brunonem archiepiſcopum Colonienſem, & Adolfum Comitem. Hic Bruno tempore Lotharii Imperatoris Colonienſi præſedit Eccleſiæ, & cum ipſo Imperatore in Apulia exiſtens, apud Barrum mortuus eſt. Prædictus autem Comes Adolphus ſub Conrado & Friderico Imperatoribus genuit Fridericum & Brunonem, qui in Colonienſes promoti archiepiſcopos extiterunt. Genuit idem Everhardum & Engelbertum, Everhardum videlicet de Altena, Engelbertum Comitem de Monte. Prædictus vero Fridericus archiepiſcopus cum Friderico Imperatore in expeditione contra Mediolanenſes profectus, in Papia obiit, cujus oſſa relata in loco prædicto Berg, quem patruus ſuus Bruno fundaverat, ſepulta fuerunt. Bruno autem Præpoſitus Bonnenſis, frater prædicti archiepiſcopi Friderici, mortuo poſtmodum Philippo archiepiſcopo, Colonienſem archiepiſcopatum ſub Henrico Imperatore Friderici Imperatoris filio ſuſcepit, ſed ſenio jam confectus & debilis renunciat. Et Adolfus fratris Everhardi prædicti Comitis filius in archiepiſcopatu anno Domini MCXCIII. ſuccedit. Iſte Adolfus, archiepiſcopus, mortuo Henrico Imperatore, paucis ſibi adhærentibus Epiſcopis, vel principibus, favente Papa, Innocentio Tertio, Ottonem Henrici Ducis Saxonum filium, regis Angliæ ex ſorore nepotem, Comitem Pictaviæ, ſolus elegit, ipſumque Anno Domini MCCIIX. Aquis coronavit in Regem: cæteris principibus Philippum Ducem Sueviæ, Heinrici quondam Imperatoris fratrem eligentibus. Hunc Ottonem idem archiepiſcopus Adolfus neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitate compulſus, vel (ut alii dicunt) 5. millibus marcarum corruptus, poſtmodum deſeruit, & Philippo adhæſit, propter quod autoritate Apoſtolica depoſitus eſt. Sed poſtmodum, Ottone per Papam reprobato, extitit reſtitutus.

Anno Domini MCCXXII. menſe Majo coronatus eſt Henricus Friderici Secundi filius Aquisgrani in Regem per Engelbertum de Monte epiſcopum Colonienſem.

Cum autem progenies illa Comitum de Altena & de Monte, ſicut dilatabatur in poſſeſſionum ampliatione, ſic ſucceſſivis temporib. diverſificabatur & multiplicabatur in filiorum & hæredum propagatione, ut prædictum eſt, propter quod partitiones dominiorum in plures hæredes fieri oportebat. Fuerunt ergo duo Comites prædicti archiepiſcopi Colonienſis fratres Fridericus & Everhardus. Fridericus Comes tenuit Caſtrum de Altena, & Everhardus caſtrum quoddam ſuper fluvium Lippiam in Parochia Heringen, quod Nienbrugge vocabatur, & caſtrum de Iſenberg ſuper Ruram, quod per fratrem ſuum Adolſum archiepiſcopum dicitur fuiſſe conſtructum. Iſti duo fratres in ſecundo gradu conſanguinitatis Comiti de Monte, qui tunc erat, creduntur fuiſſe conjuncti. Iſtis duobus fratribus ſucceſſerunt Adolfus Comes de Altena, filius Friderici Comitis, & Everhardo Comiti ſucceſſit Fridericus filius ejus Comes de Iſenberg, qui habuit ſororem Henrici Ducis de Limburg, & Diabolo perſuadente, auſu ſacrilego venerabilem patrem Engelbertum archiepiſcopum Colonienſ. licet ipſe conſanguineus ſuus eſſet propinquus, quia prædictus archiepiſcopus Engelbertus filius fuit Engelberti Comitis de Monte: & licet etiam duos fratres ſuos, unum videlicet in Monaſterienſem, & alium in Oſnaburgenſem Epiſcopos promoviſſet, inſidias ponendo in nemore Gevelsberg, ut eum caperet, Anno Domini MCCXXII. in die Beati Willebordi Epiſcopi, miſerabiliter occidit. Hoc ſcelus tam nefandum & horrendum, Henricus de Molenarcken, qui ſibi in Epiſcopatu ſucceſſit, ad vindicandum animatus, faventibus ſibi Friderico Imperatore, cui dictus Archiepiſcopus multum carus extiterat, nec non Henrico ejus filio, quem ipſe de conſenſu Principum coronaverat in Regem, ſententia condemnationis contra prædictum Comitem Fridericum & ſuos hæredes, nec non poſſeſſiones eorum per prædictum Henricum regem in Nurenberg prolata, caſtra ejus Iſenberg & Nienbrugge, cum oppido ſibi cohærente, diruta ſunt & ſolo coæquata, poſſeſſiones eorum aliis Dominis, à quibus tenebantur, adjudicatæ: Singuli illas prout potuerunt arripuerunt ſibi. Poſthæc dum idem Comes Fridericus omnibus ſuis munitionibus & poſſeſſionibus prædictis exutus confuſus abiiſſet, in terra Leodienſi inter Hoje & Leodium à Baldewino milite de Geneff capitur, &, ut quidam dicunt, tanquam hoſpes ab eo invitatus fuit, & ſuſceptus, quem pro duobus millibus marcarum vendidit in Viſeto, Comiti Geldriæ & advocato Colonienſi. Qui extra portam Sancti Severini in Colonia columna quadam facta ibi in monticulo, qui ibi adhuc cernitur, poſitus eſt in rota ænea. Interea negligentes non erant nec deſides Adolfus Comes de Altena prædictus & ſui milites, qui ſibi adhæſerunt, inter quos duo notiores erant, præ cæteris ſibi principaliter adhærentes, videlicet progenies de Boynen & de Altena, quorum præcipue auxilio & conſilio terram ſuam gubernabat, & non modicum dilatabat. Hic namque Comes prædictus parentelis ſibi fideliter aſſiſtentibus, tempore hujus diſperſionis, diſperſa recolligere non improvide cogitans, inter Lippiam & Aſnam fluvios concurrentes oppidum, quod Hamme vocant, conſtruxit & firmavit, ut ibi gentes diſperſas de caſtro Nienbrugge & oppido noviter deſtructo, qui locus abinde parum diſtat, revocaret. Incepta autem fuit dicti oppidi conſtructio A. Domini MCCXXVI. in die cinerum. Poſthæc, prout circa partes Lippiæ erat ejus intentio ſollicita, ut congregaret diſperſos, ſicut dictum eſt: Sic in partib. ſuper fluvium Rure, ubi caſtrum Iſenberg dirutum erat, non minore ſolicitudine per Ludolfum de Boynen militem, dapiferum ejus, caſtrum quod Blanckenſtein vocabant anno ſequenti in die Pancratii conſtruxerunt, ut haberent refugium hi, qui erant diſperſi & deviantes, per quarum munitionum duarum conſtructionem Comitatus erat confortatus, & non modicum dilatatus. Hic Ludolfus de Boynen dapifer, (ut ſuperius eſt narratum) quantum ſua fidelitate & induſtria Comitatum dilataverit & auxerit, antiquorum adhuc narrat relatio. Ipſe enim, cum eſſet dapifer, & potens amicis, & Domi-

Digitized by Google

& Dominus ſuus in poteſtate ſua commiſerat & reliquerat ſua omnia, toto tempore ſui officii, cum XXV. annis Comitatum gubernaret, nihil tamen præter curiam in Aldenmetler acquirere voluit, ſed totum Domino ſuo voluit applicari. De hoc non plus: Sed inde ad propoſitum revertamur.

Poſthæc tranſacto aliquanti temporis ſpacio, cum filius & hæres primogenitus dicti Friderici Comitis de Iſenberg apud Ducem Limburgenſem avunculum, qui eum ſibi aſſumſerat nutriendum, una cum matre, quæ eodem anno poſt homicidium, per maritum ejus perpetratum defuncta eſt, idem Dux Henricus, qui & Comes de Monte erat, ſi quo modo nepoti ſuo aliqua de paterna hæreditate recuperare poſſet, quæ jam per diverſas manus diripientium extitit occupata, congregato exercitu magno, ſuper fluvium Leene caſtrum, cui ex nomine caſtri ſui de Limborg nomen Limborg dedit, conſtruxit. Idem Dux (ut fama eſt) tantam multitudinem militum ibi habuit, quod tot erant milites, quot tabulæ ſive platen, quibus arx muniebatur.

Exinde Comitibus de Monte uſque in hodiernum diem hoc jus in dicto caſtro reſervatum eſt, quod eis ad exeundum & redeundum, ut dicitur, patens eſſe debet. Poſt hæc per plures annos, quaſi continue guerræ erant inter Comitem de Marka adverſus illum de Limborg, aſſiſtente ſibi avunculo ſuo Henrico Duce de Limborg, & Comite de Monte, qui congregato exercitu militari copioſo terram dicti Comitis de Marka intravit, eam depopulans incendiis & rapinis. Hic cum jaceret cum exercitu ſuo prædicto ſuper rivum, qui vocatur Siſeke, in Edinghauſen & in Vladercke, & de gente ſua quidam intrarunt villam Boynen, forſan ad eam comburendam & ſpoliandam: erant quidam de gente Comitis de Marka, (ſicut audivi ab illo) qui interfuit, qui illos in dicta villa invadentes alios interfecerunt, alios ſecum captivos duxerunt. Poſthæc cum idem Comes ab una parte ab illis de Limborg & Comite de Monte, & ab alia parte ab his aliis Dominis ultra Lippiam reſidentibus, forſan cum aliquib. fœderatis infeſtaretur, illos de Altena poſuit pro defenſione terræ ſuæ, contra illos de Limborg, habuitque contra illos, qui de ultra Lippiam ipſum infeſtabant, in Marka & Hammone alias ſuas gentes, inter quas præcipui tunc erant illi de Boynen, quorum unus, videlicet Lubertus miles, Ludolfo de Boynen milite tunc defuncto, dapifer erat. Igitur cum quadam die illi Domini, qui ultra Lippiam reſidebant, ſe invicem collectis cum gente non pauca villas ac domos, quæ erant juxta Hammonem ultra Lippiam, videlicet Heeſſen, Heitvelde, Dasbecke, & alias vicinas domus incenderent & ſpoliarent. Comes Adolfus qui tunc præſens erat, cum militibus de Boynen & aliis ſuis caſtrenſibus inito conſilio, quid faciendum foret in hoc reſedit conſilium, ut inimicos perſequerentur, ſicque factum eſt, ut quanquam haberent reſpectu inimicorum manum ſatis exiguam, confiſi tamen de Dei adjutorio, cui non eſt differentia in multis, vel in paucis dare victoriam, inimicorum ſequentes exercitum, qui cum in reditu ſuo ad propria jam adeo proceſſiſſent, & eorum exercitus in duo dividerent, una parte à dextris verſus Widenbrugge, & alia parte à ſiniſtris verſus Steinvorde & verſus Oſenbruge, ſe dividentibus, hi qui ad partem ſiniſtram diverterunt, cum viderent Comitem de Marka paratum, ut eos invaderet, fugæ ſe commiſerunt auxilio. Ex quibus non niſi unus, nomine Henricus de Iborg captus extitit. Inter hæc fama quomodocunque ad alios iſtorum ſocios, qui ad aliam partem ſe diverterant perveniente, quod ſocii ſui eſſent jam in actu belli, cum Comite revertuntur, ut ſociis præſtarent auxilium. Cum quibus idem Comes congreſſus in prælium juxta Widenbrugge eos debellavit & vicit, & ferè omnes captivos reduxit, donec ab ipſis qui multi erant, magnas pecuniarum ſummas extorſit. Iſta namque fortuna victoriæ, (ſicut audivi ab illo referri, qui bello interfuit) Comitem prædictum & ſuum Comitatum provexit non modicum. Poſt paucos autem dies ecce illi de Altena, qui ab alia parte contra illos de Limborg terræ tenebant cuſtodiam, non minus ſtrenuitate pollentes, quadam die, dum terram Comites ultra Ruram ad comburendum & ſpoliandum intraſſent, illi de Altena cum ſua cohorte ponentes ſe in nemore, quod Lüre dicitur, Limburgenſium reditum expectare volentes, miſerunt ſpeculatores poſt ipſos, ad explorandum eorum potentiam, & quid facerent, & quo ſe converterent. Inter quos exploratores erat unus Magiſter Henricus dictus Knop venator, qui poſtmodum caſtri de Altena portenarius fuit. Hic viſis & conſideratis inimicis, rediens, eorum reditum

Digitized by Google

ditum jam propinquum, & quod multo plures ipſi eſſent, & ad occurrendum illis fortiores, nunciavit, quod tum Arnoldus miles ſtrenuus & animoſus, qui jam ab aliis ſolus receſſit, ut ante alios ſciret, quid reportaret, dum audiret, quod de eorum nunciavit fortitudine, inhibuit ne hoc diceret, quod intrepide cum ipſis confligere poſſent, cum pauciores eſſent. Quod cum M. Henricus referre recuſaret, Arnoldus miles prædictus, rediens una cum ipſo apud ſuos dixit: parati eſtote omnes, ecce quod M. Henricus veniens jam propinquum inimicorum nunciet adventum. Cumque Hermannus & Theodoricus milites ab ipſo Magiſtro quærere inciperent, reſpondit ſe Domino Arnoldo fratri eorum dixiſſe quod ſciret, & amplius non reſpondit. Sed cum hoc ipſi multum ſuſpectum haberent, & ſui fratris nimiam in hac parte animoſitatem arguerent, ecce quod inter hæc Limborgenſ. villam Swerte intrant & incendunt. Quod cernens ille Arnoldus magna voce dixit: *Ecce, Theodorice frater, villam noſtram jam comburunt: amodo morandum non eſt nobis: hoc certè non reportabunt impune.* Sicque inſtructa acie belli ordinaverunt, quod in vado fluvii Rure juxta Velliſt congreſſionem facerent cum ipſis, & quod eorum familiares, qui inermes erant, congreſſione facta, omnes conjuncti cum uno vexillo ſequerentur, quod & factum eſt. Commiſſum itaque eſt bellum durum in medio fluminis prædicti, ceſſitque illis de Altena victoria illa die, & Limborgenſes uſque ad numerum militum & militarium valentium circa LX. ſecum captivos duxerunt.

Sub iſto etiam Comite Adolfo aliud eſt bellum commiſſum in monte quodam, qui vocatur Gorſenbracht juxta Herſchede contra Dominum de Wildenberg, & plures alios nobiles congregatos, qui terram ipſius Comitis invaſerant. In quo bello illi de Altena multum ſtrenue ſe habebant, & parti Comitis ceſſit victoria. Iſte Comes Adolfus, licet eſſet mitis & benignus, multum tamen ſtrenuus in armis & multa bella tempore ſuo feliciter peregit. Filios habuit, quos genuit de ſorore Comitis Geldriæ, videl. Everhardum, Engelbertum, Gerhardum & Ottonem. Everhardus qui fuit major natu, ſtrenuus & fortis viribus in Tornamento apud Nuſſiam mortuus eſt. Alii tres literati, videl. Gerhardus in Epiſcopum Monaſterienſ. promotus eſt. Hic qualis fuerit, & quam laudabiliter & pacificè gubernaverit Eccleſiam Monaſterienſem & terram ejus, adhuc hodierno tempore in Eccleſia ipſa Monaſterienſi & diœceſi veneranda & multum honorifica ejus teſtatur memoria. Circa hæc tempora contigerunt quæ ſequuntur.

Anno Domini MCCXII. Dominica Adventus Domini Fridericus juvenis Rex Siciliæ, quondam Henrici Imperatoris ex conſtantia filius, favente rege Franciæ in Franckenfort contra Ottonem, jam per Innocentium Papam III. excommunicatum & depoſitum, in regem ſolenniter eligitur. Poſt hæc autem orta diſſenſione, inter regem Franciæ, & regem Angliæ, prædicti Ottonis avunculum, cui Ferrandus Flandriæ & Reinardus Bolonienſ. Comites adhæſerunt, Otto prædictus volens ferre auxilium ſuo avunculo regi Angliæ, adductis ſecum multis Teutonicis, aſſiſtentibus ſibi prædictis Flandriæ & Bolonienſi Comitibus, Anno Domini MCCXIV. menſe Julio apud Bovinas, contra regem Franciæ bellum commiſit: ſed victus Otto inde receſſit. Ibi capti fuerunt prædicti Comites Flandriæ & Boloniæ. Ibi etiam ſtrenui milites Bernhardus de Horſtmal, & Gerhardus de Randerode capti fuerunt. Poſtea Fridericus Rex congregato exercitu copioſo, ut Ducem Brabantiæ ſubjugaret, cujus filiam prædictus Otto, mortua alia ſua uxore, filia Philippi Suevi regis, in camera ſua in Bavenberg per quendam ſuum Comitem crudeliter interfecti, duxerat in uxorem, ultra Moſam proceſſit, ſed accepto obſide filio ipſius Ducis primogenito rediit, nec tamen coronatus eſt: anno vero Domini MCCXV. in die beati Jacobi idem Fridericus Aquis coronatur. Ibi crux prædicatur, quam idem Rex ibidem recepit. Illuc ad regem venit Epiſcopus Monaſterienſis, qui longo tempore per Ottonem captivus detentus fuit. Hic Otto tunc de Colonia ad Saxoniam recedere compellitur, & illuc ſequitur ipſum Fridericus Rex, & Dominos Saxonicos ſibi ſubegit.

A. Domini MCCXX. Fridericus Rex celebrem curiam in Franckenfurt tenens per omnes principes fidelitatem Henrico filio ſuo puero præſtare procurat, quem Engelbertus archiepiſcopus Colon. Aquis in Regem coronat, ipſumque & totum regimen ſuſcipit in tutelam: ſicque ordinatis regni Alemannici negotiis, Fridericus poſt feſtum

feſtum Joannis Bapt. Italiam cum virtute magna ingreditur, & in die B. Ceciliæ in urbe Roma coronatur. Iſte Fridericus potenter regnavit, ſed cum Eccleſiæ Romanæ rebellis eſſet, per Innocentium Papam IV. Lugduni depoſitus eſt, Anno Domini MCCXLV. contra quem idem Innocentius Landtgravium Thuringiæ in Regem eligi procuravit, opponente ſe una cum quibusdam principib. Conrado dicti Friderici filio. Sed dicto Landtgravio non diu poſt defuncto eligitur in regem Comes Hollandiæ. Hic urbem Aquenſium cum magno obſedit exercitu, quia eidem Wilhelmo reſtiterunt, fidem Friderico ſervare volentes. Contra quem Papa crucem fecit prædicari, & eam urbem Aquenſem ad deditionem compulit, & per Wilhelmum Sabinenſem Cardinalem eſt coronatus ibidem, A. Domini MCCXLIIX. menſe Novembri. Eodem tempore Henricus frater Comitis Gelriæ in favorem ipſius Wilhelmi regis, cujus ipſe filius ſororis erat, electus eſt in Epiſcopum Leodienſem, & cum ipſo rege in obſidione Aquenſium fuit potenter.

Prædictus Comes de Marka obiit A. Domini MCCXLIX. in vigilia SS. Petri & Pauli. Cui in regimine Comitatus ſucceſſit Engelbertus Comes ejus filius. Hic fuit magnæ conſtantiæ & zelator juſtitiæ, qui iniquos odio habuit & æquitatem dilexit. Quoscunque enim vidit parum habentes, & multa expendentes, hos toto animo perſequebatur, donec venit occaſio vel cauſa de ipſis judicium faciendi. Et eos, qui bonorum ſuorum facultatibus ſic aptabant, quod de ipſis vivere potuerunt, hos dilexit & provexit: & ſi qui inter eos erant bonæ nationis, qui libenter ſerviebant, quibus adhoc non ſuppetebat facultas, illis clam manus adjutrices porrigens, exemplo B. Nicolai, qui trium virginum ſtuprum occultis prohibuit muneribus. Ad locum ubi tales venturos eſſe ſciebat, ſecum pecuniarum ſummas in pannis ligatas apportans ſub abſconſo chlamidis ſuæ quæ toga vocatur, clam illis porrigere conſuevit, inhibens eis, ne cui dicerent. Hæc enim vera eſt liberalitatis virtus, ubi qui beneficium præſtat, ſpectantis turbæ laudem non quærit, ſed ut munerato utilitatem impendat.

Poſtquam autem idem Engelbertus ſolum aliquandiu Comitatum rexiſſet, Otto ejus frater ſenior, qui hactenus clericatui inhærebat, (fuit enim Canonicus majoris Eccleſiæ Leodienſis, & Præpoſitus S. Mariæ Trajectenſis) cupiens laicari, à fratre portionem paternæ hæreditatis popoſcit, ipſisque fratribus aliquandiu ſuper hoc diſſidentibus, Adolfo Comite de Waldegge mediatore, de partitione hæreditatis concordant. Obtinuit namque idem Otto pro ſua portione duo caſtra, videlicet Altena & Blanckenſtein, cum quibusdam aliis jurisdictionibus & bonis. Iſte Severus homo erat & magni animi ad exercendam vindictam in eos quos odiebat. Uxorem duxit viduam Domini Rudolfi de Meinhovele militis, Ermingardin de Holte. Hic nullo hærede de corpore ſuo relicto obiit A. Domini MCCLXII. in vigilia aſſumtionis B. Mariæ. Et ſic totus Comitatus redintegratur ad prædictum Comitem Engelbertum, quem ſuo tempore non ſine guerrarum inſultibus laudabiliter gubernavit. Iſte Comes in bello Wolffeskampe victoriam obtinuit. Iſte villam Mendene munitam & firmatam obſedit & deſtruxit. Hic defuncta uxore ſua prima Cunigundæ, cum eſſet Manburnus Comitatus de Teckenburg, ſede Oſnabrugenſ. Eccleſiæ vacante, in Epiſcopum concorditer poſtulatur. Cum vero ipſius Comitis Engelberti dapifer Bernhardus miles dictus Bitter quosdam oppidanos de Zuzato cepiſſet, contigit exinde inter Dominum Engelbertum de Valkenberg, Archiepiſcopum Colonienſem & ipſum Comitem gravem ſuboriri guerram. Et dicto Archiepiſcopo gentem ſuam in Eſſende & Iſenberg petentem ad invadendum terram Comitis prædicti, accidit ut cum quadam feria ſecunda menſis Aprilis hora prandii cum gente armata Bernhardus dapifer adveniſſet, gentes Archiepiſcopi, forſan ipſius dapiferi tum ignorantes adventum, villam de Hatnegge comburunt. Quod cernentes illi de Blanckenſtein ad arma ſine mora convolant inimicos perſequentes, in loco qui dicitur Capelle bellum durum committunt, & licet multo plures eſſent Archiepiſcopi gentes, tamen debellatæ ſunt, captique ſunt usque ad numerum xxc bonorum hominum vel circiter militarium. Ex hoc autem archiepiſcopus commotione magna ſuccenſus, ad intrandum terram Comitis gentem congregat. Econtra Dominus Engelbertus Comes ad reſiſtendum cum exercitu gentis validæ tam de ſua, quam de vicinis terris congregatæ ad villam Ketwig usque procedit. Quod cum Archiepiſcopus intelligeret, exerci-

Digitized by Google

tum ſuum diſſolvit & licentiat, ficte tamen. Nam cum hoc ipſe Comes intellexiſſet, gentem ſuam etiam abire permittit. Archiepiſcopus intelligens, quod gens Comitis diſparuiſſet, ſtatim redintegrato & reſtaurato exercitu ſuo procedit, terram Comitis intrat, villam in Unna firmatam oppugnat, capit & comburit. Eccleſia ſpoliatur, gentes militares & alii oppidani capiuntur. Bernhardus dapifer poſt captionem oppidi per poſticum unum exiens, & ſperans evadere capitur. Sed captus ad Zuſatienſes in campis occiditur. Tunc Theodoricus miles dictus Volerſpeit, neſcitur quo ductus conſilio vel ſpiritu, villam Camene, forſan ea intentione, quod inimici locum hoſpitandi non haberent, comburit. Interim tractatur de pace: pax quoque procedit & confirmatur mediante matrimonio. Deſponſatur enim Comiti Eliſabeth neptis archiepiſcopi, filia Domini de Valckenberg, de qua idem Engelbertus Comes genuit Gerhardum & uxorem Florentii de Machlinia, matrem quondam Comitiſſæ Gelriæ.

Prædicti Engelberti Comitis tempore Anno MCCLI. poſt mortem Friderici Imperatoris filius ejus Conradus, ut regnum Siciliæ ſuſciperet, cum magno exercitu per mare venit in Apuliam, Neapolin capit & deſtruit: Sed ſequenti anno cum infirmaretur, veneno adhibito in clyſteri moritur.

Anno Domini MCCLIII. 5. Idus Maii, in die B. Odelrici, Flandrenſes vincuntur in Selandia, ibi capiuntur & occiduntur multa millia hominum. Comes Barrenſis Theobaldus oculum ibi amittit & capitur à Comite Clivenſi.

Anno Domini MCCLIV. 5. Idus Maji Wilhelmus de Hollandia Rex navali prælio Friſones vincit & ſubjugat, circiter quinque millibus interfectis. Eodem anno idem Rex, ut recuperaret ad uſum Comitis Hannoniæ, ſororii ſui Comitatum Hannoniæ de manibus Domini Caroli fratris regis Franciæ, cum magno exercitu ipſum Comitatum intrat, ſed inefficax revertitur.

Anno Domini MCCLX. in die Converſionis S. Pauli Wilhelmus Rex à Friſonibus occiditur: quo mortuo principes in electione diſcordant, alii regem Caſtellæ, alii Richardum regis Angliæ fratrem elegerunt.

Hoc anno Henricus de Gelria electus Leodienſis apud Vienamont per Comitem Juliacenſem ſuum ſororium vincitur in die S. Laurentii.

Eodem tempore idem electus apud Bontheem judicio præſidet: poſtea porta ſancti Walburgis ſibi traditur, & caſtrum inde firmatur.

Anno Domini MCCLXVI. in nocte Nativitatis Domini Comes Lucemburgenſis Navicennam intrat, ſequenti die caſtrum obſidet.

Anno Domini MCCLXVII. Richardus Regis Angliæ frater Aquis per Conradum Archiepiſcopum Colonienſem ungitur in Regem.

Anno Domini MCCLXVII. Urbanus Papa IV. regnum Siciliæ dedit Karolo fratri regis Franciæ, ut illud de manibus Manfredi eriperet, & anno ſequenti Manfredus à Carolo prædicto victus perdidit regnum & vitam.

Anno MCCLXVII. Henricus Epiſcopus Leodienſ. contra Machlinienſes movit magnum exercitum, ſed nullum conſecutus eſt effectum, licet multa promiſſa fuiſſent eidem.

Anno MCCLXVIII. Conradinus cum Teutonicis, aſſociatis ſibi Romanis Apuliam cum magno exercitu intrat: Sed Romanis terga vertentibus, vincitur & capitur, & tandem decapitatur.

Anno MCCLXIX. nocte Maurorum martyrum Dominus de Valkenburg frater archiepiſcopi Colon. Engelberti, cum ſuis complicibus muros Colonienſ. de nocte ſubintrare nititur: Sed bellum cum ipſo committitur, & ipſe cum multis in civitate occiditur.

Anno Domini MCCLXXIII. mortuo Richardo rege eligitur in Regem Rudolfus de Havekesberge, Comes de Suevia, procurante hoc maxime Engelberto archiepiſcopo, qui ibi cum magna intererat potentia.

Anno MCCLXXIV. Henricus Epiſcopus Leodienſis per Gregorium X. Papam in concilio Lugdun. menſe Majo deponitur, cui Johannes de Angines, Epiſcopus Tornacenſis, in Leodienſi cathedra ſubſtituitur.

Poſthoc anno ſequenti Engelbertus archiepiſcopus Colon. cum de concilio Lugdunenſi rediiſſet, moritur, cui Sifridus de Weſterborg, præpoſitus Maguntin. ſuccedit.

Digitized by Google

cedit. Nunc autem ſufficiant, quæ dicta ſunt, quæ prædicti Comitis tempore acciderunt, ad propoſitum redeamus.

Anno igitur MCCLXXVII. circa feſtum omnium ſanctorum, cum idem Comes Engelbertus, qui propter recta judicia, quæ ſtrenue conſuevit exercere, carus erat bonis & juſtis, & odioſus malevolis, verſus Comitatum de Tekenborg, (cujus tutelam geſſit) pro quibusdam ibi expediendis negociis proficiſci deberet, Hermannus de Loën collectis complicibus inſidias ponendo ipſum invaſit, & inflictis vulneribus ipſum captivum ad ſuum caſtrum Bredevort deduxit, ibique detentus non tam ex vulnerum atrocitate, quam impatientia, quam ex eo habuit, quod ſic improviſus incidit in latrones, homines videl. viles ſpoliatores, qui eum ſic præſumſerunt invadere, poſt paucos dies, videlicet in die B. Othmari, quæ eſt quinta dies poſt feſtum S. Martini, receptis Sacramentis exſpiravit.

Eodem anno MCCLXXVII. in vigilia B. Gertrudis, Wilhelmus Juliacenſ. cum duobus filiis militibus, aliisque viris valentibus & ſtrenuis, urbem Aquenſem armata manu intrans, interemptus eſt. Hoc audito Siſridus archiepiſcopus Colonienſis gaviſus de ejus morte Coloniam intrat, miſſam feſtivam in Eccleſia majori celebravit, quæ eſt de S. Petro, videlicet: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus angelum ſuum, & liberavit me de ore leonis.* Deinde Juliacum obſidet, capit & comburit. Sed antequam ipſum oppidum caperetur, gentes Comitis Juliacenſ. inde exeuntes viriliter cum Archiepiſcopo durum habuerunt conflictum. Sed prævalente multitudine victi ſunt, ſicque idem archiepiſcopus totum fere ſibi Comitatum ſubjicit, præter caſtra Nidegge. Officiatos ſuos in ipſo Comitatu conſtituit: ſed gentes Comitatus Juliacenſ. filiis dicti Comitis interfecti, qui ſuperſtites remanſerant, videl. Walramo & Gerhardo, aſſiſtente eis Comite Loſſenſi, illos quos Archiepiſcopus in terra dimiſerat continuo invadentes capiunt & interficiunt, & ſic ſucceſſive, eis de terra vi expulſis, terram totam recuperant.

Engelberto igitur Comite de Marka, ut prædictum eſt, in captivitate defuncto, Everhardus filius ejus ſuccedit. Iſte Engelbertus ex uxore ſua prima Cunegunda genuit filium Everhardum prædictum, & tres filias, videlicet Agneten matrem Comitis de Monte, ſecundam Comitiſſam de Tekenborg, tertiam Comitiſſam de Zegenhagen. Everhardo quoque ejus filio prædicto, ipſo patre adhuc vivente, deſponſatur & traditur in matrimonium nobiliſſima Ermegardis, filia Adolfi Comitis de Monte, qui fuerat filius Henrici Ducis Limborgenſis & Comitis de Monte, frater quoque Walrami Ducis Limborgenſis. Habuitque prædicta Ermegardis fratres Adolfum Comitem de Monte, Wilhelmum poſtea Comitem, Conradum, qui electus fuerat in Epiſcopum Monaſterienſem, nec non Henricum Dominum de Windecke, qui de prædicta Agnetâ ſorore dicti Everhardi Comitis de Markâ genuit Adolphum Comitem de Monte.

Iſte Everhardus Comes adoleſcens ſpectabilis, poſt obitum patris ſequenti anno caſtrum Bredenvort, in quo patris ejus corpus exanime aromatibus tamen conditum adhuc tenebatur, obſidet: corpus redditur, & in Kappenberg honorificè ſepelitur, obſidione tamen manente, hi, qui in caſtro erant, fortiſſimè impugnantur. Sicque caſtro vacuo derelicto nocturno temporis ſilentio clam effugerunt, & caſtrum deſtruitur.

Anno Domini MCCLXXIIX. Everhardus ad curiam Rudolphi regis aſſumptus eſt, cui non mediocriter carus erat. Dicebant namque quidam ipſius Regis familiares, Regem non poſſe triſtem eſſe, quamdiu iſte adoleſcens Comes in ejus verſaretur conſpectu. Erat enim aſpectu delectabilis, & colloquio affabilis, quem ipſe Rex militari demum charactere inſignivit.

Hoc anno Domini MCCLXXVIII in die beatæ Agnetis hunc mundum intravi.

Poſtmodum autem, cum officiati archiepiſcopi Colonienſis, qui caſtra regebant Comitatui de Markâ adjacentia, ipſum & terram ſuam multis premerent injuriis, Archiepiſcopo hoc diſſimulatione permittente, vel potius conſentiente, idem juvenis, in quo magnanimitatis virtus, quæ pullulare in mente ſua jam cœpit, cælari non potuit; ſua defendendi ſibi ſumit audaciam, ſuos confortans amicos, & adjutores ſolertes habere procurat, ſororium ſuum Adolfum Comitem de Monte ſibi adjutorem conſociat.

Digitized by Google

Inter hæc guerra jam mota, officiati de Recklinghauſen Theodoricus dictus Kigge miles cum ſuis complicibus de caſtro, quod vocatur Ahuſs, ſuper Lippiam, die Dominica ante Nicolai anno MCCLXXXVII. menſe Decembri terram Comitis invadentes incendunt & ſpoliant. Quod cum Comes ſentiret, qui tunc in Camene præſens erat, ſubito de prandio ſurgens, omnes ad arma feſtinare jubet, hoſtes inſequitur, qui cum caſtro Ahuſs appropinquaſſent, equis ſuis ad caſtrum præmiſſis, ſuper ripam fluvii Lippiæ adventum Comitis pedites expectant: quos Comes ipſe cum paucis primo viriliter aggrediens fortiter pugnat, proſtratus reſurgit, hoſtes vincit & expugnat, quibusdam in dicto flumine ſubmerſis, aliis captis, paucis evadentibus, caſtrum obſidet, & poſt aliquot dies capit & deſtruit. Deinde confœderatione procurata per ipſum inter Ducem Brabantiæ ex una parte, qui Ducatum Limburgenſem acquiſitum & emptum à Comite de Monte prædicto, quem alioqui ipſe Comes poſt mortem Comitiſſæ Gelriæ filiæ Ducis Limburgenſis patrui ſui ſine hærede decedentis ſibi jure hereditario vendicabat, & proſequebatur: & inter cives Colonienſes ab altera parte, qui contra Dominum ſuum Archiepiſcopum ſuam proſequebantur injuriam, videlicet pro eo, quod idem Archiepiſcopus caſtrum in Woringen reædificavit (quod non debuit) telonia indebita exegit, multasque alias injurias & gravamina irrogavit. Inter hæc idem Comes caſtrum Raffenberg, quod ſibi magis erat vicinum & infeſtum craſtino aſſumptionis Domini, quo die oppidum Hamme ex parte comburitur, machinis & ingeniis oppugnat. Demum hi, qui in caſtro erant, penuria aquæ cogente, & aliis inſultuum continuorum incommodis, ad deditionem ipſius caſtri compelluntur. Quod ſub hoc reddunt pacto, ut teneatur, & non diruatur, usque ad Nativitatem Domini, ſi forſan interim eis venire poſſet redemtio. Dicto autem caſtro Raffenberg capto (ut prædictum eſt) idem Comes cum ſuis verſus Rhenum expeditionem ordinat, ubi Dux Brabantiæ, qui jam illuc pro obſidione caſtri Woringen facienda venerat, in Colonia ejus quotidie præſtolabatur adventum, arbitrans, ſe nihil poſſe facere in hujusmodi negociis ſine ipſius Comitis præſentia. Et cum de ejus adventu diutius expectando deſperaſſet, ſuumque reditum in Brabantiam deſtinaſſet, venit Comes, Ducem, ut obſidione procedat, animat, & confortat. Sicque facta obſidione archiepiſcopus Colonienſis Sifridus & Comes Gelriæ gentem congregant, cum quibus erant præcipui Comes Lutzemburgenſis cum ſuis fratribus, Comes de Naſſowe, Dominus de Valkenberg, & multi alii Barones & Nobiles. Erantque pro parte altera in obſidione prædicta Dux Brabantiæ, Comes de Monte Adolfus, Comes Juliacenſis, Comes de Marka prædictus, Comes de Waldegge, & alii plures Comites & Barones, cum civibus Colonienſibus, quos in obſidione illa principaliter tangebat negotium. Pars tamen archiepiſcopi & Comitis Gelriæ potentia militari & numero non modicum excedebat. Caſtris igitur eorum metatis apud Bruwider, & incertum vicinis villis conſilium erat eorum, ut non committerent bellum, ſed tranſirent ſuper Rhenum, & ſe ponerent inter civitatem Colonienſem & exercitum partis adverſæ, ut ſic eis advectionem victualium prohiberent, & quod ibi usque ad feriam ſecundam Brunnenſium & Andernacenſium & aliorum expectarent adventum. Sed ecce, quod animoſitate quorundam hoc conſilio mutato, ut ſabbato bellum committant, conſentiunt, ſicque acies ſuas ordinant, ad bellum procedunt, congreſſionem faciunt, verſumque eſt totum pondus congreſſionis primæ in Ducem Brabantiæ. Contigit autem hoc ex eo, quia licet ſuas prius acies taliter ordinaſſet, quod archiepiſcopus cum civitate Colonienſi, & his qui cum eis erant, & Comes Gelriæ, cum Duce Brabantiæ, Comes quoque Lutzemburgenſis cum Comitibus de Monte & de Marka congrederentur. Omnes tamen iſtæ tres acies ex caſu coadunatæ cum Duce congreſſæ, Standhardum poſt ſe derelinquentes, qui ſubito per garſiones inermes Comitis de Marka everſus & confractus, interfectis, qui in eo erant & vexillo lacerato diſparuit. Quod non modicum parti Archiepiſcopi nocuit, & cum inter eos durum eſſet prælium, quibusdam de gente Comitis Gelriæ, qui ab initio non ad pugnam, ſed ad prædam manus extendebant, cum jam de ſpoliis, quæ in tentoriis Ducis capiebant, equos & ſaccos onuſtos haberent, videntibus adverſum ſe durum eſſe bellum, ne perderent, quæ lucrati erant, fugientes turpiter ſe à prælio diverterunt, quorum nonnulli alii hoc videntes, ſequi veſtigia inceperunt. Aliis tamen hinc inde in bello perſiſtenti-

Digitized by Google

ſtentibus, viriliter & ſtrenue pugnantibus, tandem ſucceſſit victoria Duci & Comiti de Monte, Juliacenſi, & de Marka, & civibus Colonienſibus; captique Archiepiſcopus per Comitem de Monte: Comes Gelriæ per Ducem Brabantiæ. Mortuus eſt autem Comes Lutzenburgenſis: cum tribus fratribus & frater archiepiſcopi: mortui ſunt quoque multi alii, & magna ſtrages militaris gentis ibi facta eſt. Ex parte Comitis ibi mortuus eſt Rutgerus miles, dictus Vretell de Swanebolen dapifer. Acta ſunt hæc anno MCCLXXXIIX. in die beati Bonifacii. Poſt hæc obſidione remanente deditum eſt caſtrum & deſtructum. Deinde Comes Everhardus de Marka eodem anno oppidum Werle obſidet, ad deditionem compellit, muros & foſſata ſolo coæquat. Caſtrum etiam Volmerſtein, quod archiepiſcopi erat, obſidet & diruit: Similiter & caſtrum Iſenberg.

Hoc anno videlicet MCCLXXXIIX. menſe Auguſto, natus eſt Comiti prædicto filius Adolfus nomine, Leodienſis futurus Epiſcopus. Archiepiſcopus vero Sifridus interim in caſtro Comitis de Monte, quod Novum vocatur in captivitate pro liberatione ſua Comiti de Monte Waldenberg, Rodenberg, Wenden Aſpell, Wide, arces & oppidula obligat, & ſic liberatus poſt aliquod temporis intervallum inde recedit. Comes Gelriæ, detentus per Ducem in caſtro Balterſen, pro liberatione ſua Ducatum Limborgenſem prædicto Duci Brabantiæ dimittit.

Anno Domini MCCXCI. civitas Aconenſis à Saracenis capitur & deſtruitur. Circa idem tempus Comes de Marka Everhardus in quadrageſima expeditionem ordinat in ſubſidium nepotis ſui Ottonis Comitis de Tekenborg, terram Epiſcopi intrat, & per octo dies continue in ea circumcirca peragrando eam depopulatur & devaſtat, archiepiſcopo Colonienſi Sifrido, Epiſcopo Paderbornenſi, Epiſcopo Mindenſi, Domino de Lippia & aliis multis nobilibus, & militibus, nec non tota terra illa Oſnaburgenſi cum Epiſcopo tunc in civitate Oſnaburgenſi in adjutorium ejus congregatis, qui ipſum invadere non audebant, licet multo plures & fortiores eſſent.

Anno Domini MCCXCII. mortuo Rudolpho Romanorum rege, electus eſt Adolfus Comes de Naſſaw, procurante hoc præcipue archiepiſcopo Colonienſi Sifrido, qui ſe per ipſum de inimicis ſuis cogitaverat vindicare, & in die beati Joannis coronatus eſt in Regem.

Anno MCCXCIII. circa feſtum purificationis nati ſunt Comiti Everhardo duo gemelli, Conradus & Cunigundus: poſt quorum partum nobiliſſima eorum mater Ermegardis Comitiſſa debilitata & infirmata, feria tertia ante feſtum Paſchæ, diem clauſit extremum, & in vigilia Paſchæ, in Vrondenberg honorifice eſt ſepulta: ubi filiam ſuam Catharinam devoverat eſſe monialem. Poſt hæc eodem anno idem Comes cum Rege Adolfo in expeditione in terram Miſnenſem profectus eſt: qua pro majori parte per Regem ſubacta, conſtituit in ea idem Rex Henricum Comitem de Naſſowe, qui ibidem poſtmodum captus extitit, & multa paſſus. Interim autem Comes de Marka intellecto, quod archiepiſcopus Sifridus ad partes Weſtphaliæ ipſum invaſurus tranſiviſſet, in feſto nativitatis Domini rediit. Tunc Dominus de Lippia eo abſente, pro defenſione terræ ſuæ ſe bene exhibuit.

Anno MCCXCIV. In die inventionis S. crucis Joannes Dux Brabantiæ magnificus, ex læſione haſtiludii in Barro interiit: cui Johannes filius ejus ſucceſſit. Eodem anno tranſtuli me ad ſtudium in Erford.

Anno MCCXCV. Comes de Marka oppidum Recklinghuſen obſidet, illuc in adjutorium venit nobiliſſimus & magnificus Johannes Dux Brabantiæ, ſecumque ad deditionem oppidi permanſit. Quo dedito, & poſtmodum muris & foſſatis coæquatis, inter Paſcha & Pentecoſten feſta, Comes ipſe cum Duce prædicto in obſidione caſtri Waſſenberge tranſivit, & illo caſtro capto in ſeptimana poſt Pentecoſten inde rediit.

Eodem tempore, videlicet in die Pentecoſtes, anno Domini MCCXCVI. Rutgerus de Altena dapifer Comitis caſtrum Waldenberg, quod ab Hunoldo de Plettenberg milite pro D. Marcis redemit, intravit, illud hominibus & victualibus muniens, ut inimicos, qui in Attendorn & in Snellenberge erant, ex vicino loco convenientius poſſet infeſtare, & terram Comitis ab eorum incurſibus defenſare. Hic Rutgerus dictum caſtrum tenens Dominum de Bilſtein, & caſtrenſes in Waldenberg, qui tunc multū pollebant potentia & virtute, ſibi attraxit, qui in guerra contra Johannem de Plet-

Digitized by Google

dePlettenberg,tuncMarſchalcũ Weſtphaliæ, ſibi ſemper viriliter & fideliter aſſiſtebant.

Eodem anno per prædictum Rutgerum dapiferum, de Erfordia fui revocatus, licet invitus.

Eodem anno in vigilia S. Michaelis Adolfus Comes de Monte moritur, & in Grevenrode ſepelitur, cui ſuccedit frater ejus Wilhelmus. Eodem anno tranſivit ad Weſtphaliam archiepiſcopus Sifridus uſque Ruden oppidum, conſanguineam ſuam filiam de Retberge tradit in uxorem Wilhelmo, primogenito Comitis Lodowici de Arensberg. Poſt nativitatem Domini Archiepiſcopus infra treugas, per Regem adornatas, ad partes Rheni rediens, conductum à Rutgero dapifero petiit & obtinuit, & reverſus Bunnam, in nocte Palmarum diem clauſit extremum, & ſepultus eſt in Bunna.

Anno Domini MCCXCVII. in principio Maji ſtatuta eſt dies ad eligendum Epiſcopum Colonienſem in Nuſſia, quia civitas Colonienſis adhuc erat interdicto ſubjecta. Illuc convenientibus Rege Adolfo archiepiſcopo Trevirenſi Boemundo, & pluribus Principibus & magnatibus, electus eſt Wickboldus de Holte, Decanus majoris Eccleſiæ Colonienſis, procurantibus hoc præcipue Juliacenſi Walramo, & Everhardo de Marka Comitibus.

Eodem anno, feria ſecunda ante feſtum S. Johannis, Bernhardus Bitter filiam Gerwini de Rinkenrode militis venientem de Vrondenberg rapuit, & eam fratri ſuo Engelberto in matrimonio copulavit, quam pater ejus poſtmodo ſibi redditam primogenito Domini de Volmunſteine dedit in uxorem, cujus facinoris actores, videlicet Bernhardum Bitter, & ſuos complices ſtatim è terra ſua eliminavit, multamque in ipſorum bonis ſatis rigidus irrogavit. Comes Everhardus aſſociata ſibi electa militum & ſcutiferorum comitiva, inter quos erat Comes de Waldegge præcipuus, regi Angliæ Eduardo & Comiti Flandriæ Guidoni fert auxilium, villam Ipreniem intrat, illam cuſtodit non ſine magno ſui & ſuorum periculo: Cum interim Rex Franciæ eſſet in obſidione Inſulæ cum magna potentia, & quotidie ipſe Comes ab ejus exercitu pateretur inſultus, & aliæ bonæ villæ Flandrenſes, videlicet Brugis jamjam inciperent Gallo ſe ſubmittere.

Anno Domini MCCXCIIX. Adolfus Rex in die beatorum Proceſſi & Martiani ab Alberto Duce Auſtriæ in bello occiditur, & ſtatim poſt principes eundem Ducem in Regem elegerunt, ipſumque in die beati Bartholomæi coronaverunt. Hic poſtea ſolennem curiam in Nurenberg tenuit. Deinde in ſequenti feſto converſionis S. Pauli Comes Everhardus pro filii ſui primogeniti Engelberti, & filiæ ſuæ Margaretæ nuptiis ſolennem curiam tenuit in Hammone, quæ multum laudabiliter fuit adornata: ubi intererant Comites & Barones.

Eodem anno Adolfus filius dicti Comitis Everhardi adhuc ſatis juvenis præpoſituram Eccleſiæ S. Martini Wormatienſis eſt adeptus.

Anno MCCXCIX. in quadrageſima Everhardus Comes Dominica Reminiſcere exercitum movit contra Everhardum Epiſcopum Monaſterienſem occaſione Comitis de Tekenborg, terram intrat. Villa Dulmene ſe cum pecunia redemit, ne conbureretur. Dominus Hermannus de Ludinckhuſen caſtrum ſuum ſibi & pro tunc, & pro futuro tempore obligat, ut ſibi & ſuis hæredibus contra inimicos ſuos patens exiſteret. Interim de pace tractatur, & pax procedit.

Anno Domini MCCC. inter archiepiſcopum Colonienſem Wickboldum, cui in hoc ſejungebat, & confoederabat Sobbo miles occaſione caſtri Limborg, quod idem Sobbo occupavit, ex una parte, & Comitem Everhardum ex altera parte, guerra mota eſt, tunc Comes, menſe Majo, turrim ipſius Sobbonis in Werden ſuper Ruram diruit, caſtrum in monte dicto Ecke juxta Limborg ad conſtringendum caſtrum Limborg firmat, ſed poſtmodum pace facta caſtrum Limborg Comiti de Marka redditur, & novum caſtrum in Ecke diruitur.

Eodem anno, menſe Auguſto, Comes Lutzenburgenſis Henricus cum magno exercitu Treverim impugnat, vineas ſuccidit, blada conculcat, & deinde ad ſuam voluntatem pacem facit. Intererat tunc cum ipſo Engelbertus primogenitus Comitis Everhardi, Dominus de Arberg, parte interim in Colonia, propter infirmitatem, qua gravabatur, manente.

Eodem anno, interfecto Comite Hollandiæ, rex Albertus Comitatum jure devoluto

Digitized by Google

voluto ad ſe pertinere contendit: exercitum congregat, uſque ad Noviomagum procedit: Sed Wilhelmo Comite Hannoniæ cum terra Hollandiæ obſiſtente, vacuus inde receſſit.

Eodem anno Rex poſt ejus reditum de expeditione prædicta incepit movere guerram contra Colonienſem, Moguntinum, & Trevirenſem archiepiſcopum, nec non Ducem Bavariæ, propter telonia, quæ voluit removere, & mediante Comite de Marka, ſibi attraxit Comitem Juliacenſem, & alios quoſdam inferiorum partium Dominos, nec non Colonienſes.

Eodem anno videlicet MCCC. ante feſtum Nativitatis Domini pace facta inter Archiepiſcopum & Sobbonem ex una parte, & Comitem de Marka ex altera parte, archiepiſcopus caſtrum de Waldenberg redemit pro tribus millibus marcarum.

Anno MCCCI. Everhardus Epiſcopus Monaſterienſis moritur, & feria ſexta ante feſtum Philippi & Jacobi, Otto de Rethberge in Epiſcopum Monaſterienſem ex inſperato eligitur; ibi intererat Comes de Marka, cum magna militum & militarium Comitiva, qui illuc venerat, ſperans Henricum Abbatem Werdenenſem ut poſtularent in Epiſcopum, ſed ſua ſpe fruſtratur.

Eodem anno guerra inter Regem & prædictos Archiepiſcopos incipiente moveri, Ruthgerus de Althena dapifer in die S. Servatii oppidum, quod Nienſtatt vocatur, & in craſtino beati Remigii caſtrum Swartenberg, conſtruxit atque firmavit.

Eodem anno Hugo de Cabillone, Epiſcopus Leodienſis ad Eccleſiam Biſuntinam transfertur: & Adolfus de Waldegge præpoſitus Trajectenſis Eccleſiæ Leodienſi per Bonifacium octavum præficitur.

Eodem anno Caſtrum & oppidulum Leggenich, menſe Julio, per Comitem Juliacenſem obſidetur, cum quo erat Dominus de Arberg, primogenitus Domini de Marka, cum centum armaturis ſelectis, interim ejus patre Everhardo Comite in obſidione caſtri Rodenberg morante, qui capto & deſtructo, in craſtino Petri ad vincula, caſtro Rodenberg prædicto, ad obſidionem Leggenich acceſſit, ibi usque ad deditionem & demolitionem dicti caſtri permanſit. Tunc commiſſum eſt bellum in nemore, quod Vele vocatur, juxta villam Glune cum illis qui erant in Broyle, & ceſſit victoria Juliacenſi & de Marka Comitibus, qui in ipſo conflictu viriliter ſe habuerunt.

Eodem anno apud Hoveſtadt conflictus habitus eſt per Bertoldum de Tunen officiatum in Hamme & Caſtellanos de Marka ab una parte, & Hunoldum Plettenberg Hoveſtadenſem officiatum ab altera parte, & ceſſit parti Comitis victoria.

Anno Domini MCCC II. fuit bellum prope Cortracum in Flandria: ibi ex parte regis Franciæ multi ceciderunt Comites & Barones, & aliorum de gente militari numerus infinitus.

Eodem anno Rex Albertus contra Ducem Bavariæ primo, & deinde contra archiepiſcopum Maguntinum cum magno exercitu deſcendens, obſedit plura caſtra ipſorum, & ea ad deditionem compulit. Tandem usq; ad inferiores partes deſcendit cum magna potentia, & caſtra ſua metatus eſt intra Coloniam & Bunnam poſt feſtum S. Remigii. Ibi facta pace rediit, & teloniorum amota eſt exactio.

Eodem anno in die beatæ Luciæ Adolfus de Waldegge Epiſcopus Leodienſis moritur, & Thetbaldus frater Comitis Barrenſis ſuccedit.

Anno MCCCIII. poſt feſtum S. Remigii Comes Everhardus, aſſiſtente ſibi Ottone Epiſcopo Monaſterienſi, caſtrum Bredenvort capit, & tam Epiſcopus, quam Comes illud gente ſua muniunt & tenent. Inde motus Wickboldus archiepiſcopus, cujus ſoror uxor erat Hermanni Domini de Bretenvort, congregat exercitum, & venit usq; Dorſtene, & econtra Epiſcopus & Comes bellum expectant: Tandem treuga facta inde diſcedunt. Deinde poſt feſtum Epiphaniæ Domini Comes Everhardus caſtrū Hoveſtadt obſidet, capit & deſtruit. Hinc iterum motus Archiepiſcopus gentem congregat, venit usque Zuſatum, Landgravium Haſſiæ & Comitem Henricum de Naſſaw ſibi aſſociat. Oppidani Zuſatienſes tandem victi ab archiepiſcopi inſtantia, licet inviti, Comitem diffidant. Interim Comes ad reſiſtendum congregato copioſo exercitu militari caſtra ſua metatus eſt in Bodericke, & in villis circumjacentibus. Sed cum per plures dies ibidem ipſius Archiepiſcopi præſtolaretur exitum & adventum, & videret, quod exire non vellet, ipſum gravitate expenſarum urgente, proceſſit usq; prope Zuſatum,

Digitized by Google

tum,& ibi moram faciens fere per diem unam, villas, quæ erant in circuitu, combuſſit, & deinde exercitum permiſit diſſolvi, aliquos ex eis in ſuis munitionibus ponens. Exercitu vero (ut præmittitur) diſparente, poſt aliquot dies Archiepiſcopus caſtrum in Hoveſtadt reſtaurat & firmat. Sed & Ludolphus de Dicke, Canonicus Colonienſis, officiatus Archiepiſcopi in partibus inferioribus circa Rhenum, in die S. Gertrudis in quadrageſima, collecta gente Zuſatum mane ante diem exit, Villam Unna, quæ non erat firmata, & terram Comitis vicinam usque Aßlen comburit, & eodem die Zuſatum revertitur. Deinde Archiepiſcopo ægrotante treugæ fiunt, & Archiepiſcopus in vigilia Paſchæ diem clauſit extremum, & ibidem ſepelitur.

Anno MCCCIV. die ſtatuta initio Maji in Colonia ad eligendum futurum Epiſcopum, eligentium vota non concordant. Alii namque Henricum de Verneborg majoris Eccleſiæ Præpoſitum: Alii præpoſitum Brunnenſem Sifridi quondam Archiepiſcopi fratrem eligunt; Alii quoque Wilhelmum de Juliaco, præpoſitum Trajectenſem non in ſacris conſtitutum, poſtulant. Henricus de Verneborg ad curiam pro ſua confirmatione proficiſcitur. Tunc eodem anno Bonifacio Papa octavo mortuo, Benedictus undecimus ſubſtituitur, quo menſe Julii die quinta mortuo Cardinales diſſentiunt: ſed tandem Clementem quintum eligunt. Hic in Lugduno Dominica poſt feſtum S. Martini in Eccleſia S. Juſti coronatus Henricum in archiepiſcopum Colonienſem ibidem confirmat.

Anno Domini MCCCV. Comes Everhardus in gubernatorem Comitatus Gelriæ per Comitem Reinardum ſeniorem aſſumitur. Interim inter Ottonem Epiſcopum Monaſterienſem & Comitem Everhardum occaſione caſtri Bredenvort, Epiſcopo Comitis gentes de caſtro expellente, guerra oritur, caſtrum Dulmene capitur, caſtrum novum juxta Rickeſmelen per Epiſcopum firmatur. Quod cum Comes cum gente valida obſideret, Epiſcopus congregata gente ad liberandum caſtrum, feria ſexta ante Dominicam Oculi Comite impræmonito, cum jam multos de ſuis abire feciſſet, ſupervenit. Sed in expectando peditum ſuorum progreſſum & acceſſum, interim Comes ſuum recolligit exercitum, & modica foſſa, hinc inde prohibente congreſſum, erant qui loquebantur de pace, qua facta caſtrum novum, quod Epiſcopus conſtruxit, dirutum eſt, & Comes de Caſtro Bredenvort reſtitutus, & Dulmene Epiſcopo reſtitutum eſt.

Anno MCCCVI. Henricus archiepiſcopus Colonienſis de curiâ confirmatus revertitur, ſtatimque collectis amicis, & præcipue Comite de Marka Lintberg & alia caſtra, quæ Ludolphus de Dicke tenuit, obſedit, & ad deditionem compulit.

Eodem anno Otto Epiſcopus Monaſterienſis de conſilio archiepiſcopi Colonienſis & ſui Officialis minus canonice deponitur. Conradus frater Comitis de Monte non plus Canonice ſubrogatur: caſtra Epiſcopi per Comitem Everhardum ad deditionem compelluntur. Epiſcopus jam depoſitus & derelictus à ſuis ſubditis ad curiam Romanam, quæ tunc Pictavii reſidebat, properat, ibique vitam finit.

Anno Domini MCCCVII. Archiepiſcopus Henricus congregata gente ad Weſtphaliam verſus in terram Epiſcopi Paderbornenſis expeditionem fecit, & inde rediens caſtrum Furſtenberg conſtruxit.

Hoc anno MCCCVII. Rutgerus de Altena dapifer feria quinta poſt Dominicam Lætare in Altena coram Everhardo Comite de XII. annis officii ſui computationem fecit. Quam factam Comes accepit gratanter, ipſumque ut in officio dapiferatus remaneret, cum inſtantia requiſivit. De quo idem Rutgerus ſe tunc excuſavit, quibus ſic actis idem Rutgerus ad ipſum Comitem libera mente atque voce locutus eſt in hæc verba: *Domine, non curo à vobis aliud habere lucrum, niſi quod ſervitium meum in officio vobis impenſum gratum exiſtat. Quitetis me apud creditores meos, quibus pro vobis obligatus exiſto, & quod reliquum eſt de ſumma ex computatione mihi debita, habeatis pro vobis.* Quo audito Comes lætanter cum filiis ſuis, & militibus, & caſtrenſibus, qui ibi aderant, venit ad ipſum, & regratiatus eſt ei, hortans filios ſuos, quod hoc in perpetuum præ oculis habere deberent. Sicque de nongentis marcis, in quibus Comes debens ſibi remanſit, computatione de XII. annis facta, de quibus non computaverat, quilibet annis, licet in diverſis guerris & magnis, nec non in conſtructione caſtri Swartenberg, & oppidi de Nienſtatt multas & magnas ſuſtinuiſſet expenſas, ipſe nihilo-

Digitized by Google

nihilominus in cccl. marcis contentabatur, & reliquum tum Comiti liberaliter dimiſit, ut prædictum eſt. Ego præmiſſis præſens adfui, vidi & audivi, & teſtimonium perhibeo veritati. Hæc autem, quæ de prædicto milite Rutgero, & quæ de Domino Ludolfo de Boynen ſcripſi ſuperius, duxi ſcribenda adhuc, ut officiati, tam Epiſcopatus Leodienſis, quam Comitatus de Marka, qui ad præſens ſunt & fuerunt, attendant: Illi ſcilicet, qui officia cupiunt aſſumere, non ut honorem & profectum Dominorum fideliter procurent, ſed ut inſatiabiliter lucra quærant, ut ſe ditent: qui dominorum poſſeſſiones & jura conſervare, & defenſare non curant, ſed ſuas poſſeſſiones ſatagunt ampliare: qui fortalitia & domos ſibi conſtruunt, & caſtra dominorum ruere & perire permittunt: qui computationes ſuas conſtringere & cumulare ſolent, quantum poſſunt, ampliores, ad hoc, ut factis computationibus ipſis in magnis ſummis maneant obligati: ut ſic tanto diutius in officiis permaneant, quando Domini magnas pecuniarum ſummas ſolvendi facultatem non habeant.

Anno Domini mcccviii. menſe Aprili Wilhelmus Comes de Monte moritur, & in veteri-Monte ſepelitur. Cui Adolfus ex fratre Henrico Comite de Windegge nepos ſuccedit.

Hoc anno transtuli me ad ſtudium in Avinione, Menſe Majo.

Eodem anno in die Apoſtolorum Philippi & Jacobi Albertus Rex à nepote ſuo occiditur, & ſuccedit ei Henricus Comes de Lutzenburg, & in feſto Epiphaniæ Domini Aquisgrani coronatur.

Eodem anno, in octavis Pentecoſtes, oppidum Hammonenſe igne proveniente è domo Gerhardi de Berge fere totum combuſtum eſt.

Eodem anno, in die beati Odelrici, Comes de Marka Everhardus moritur, & in Vrondenberg ſepelitur: Cui filius ejus Engelbertus ſuccedit, qui poſtea poſt feſtum S. Remigii terram Epiſcopi Oſnaburgenſis ingreditur, caſtrum Oſthoff conſtruit, Epiſcopo Oſnaburgenſi cum gente ſua bellum cum ipſo aggrediente. Cum ipſe Comes Engelbertus acies belli ordinat, hoſtes viriliter eſſet aggreſſus, ſuis de terra ſua & de comitatu Teckenborg ſibi aſſiſtentibus, aliis qui cum eo erant eum non ſequentibus, proſtratus & vulneratus, aliquibus de ſuis mortuis, aliquibus captis, non tamen multis, manſit, & poſtea recollecta gente non parva iterum terram illam intravit, caſtrum Zegevortt obſedit, terram illam ad pacem coegit.

Anno Domini MCCCIX. electio regis Henrici de Lutzenborg per Papam Clementem menſe Julio confirmatur. Idem Rex in Nativitate Domini curiam tenuit in Colonia. Tunc fuit frigus intenſum nimis, ex quo vineæ multæ in partibus Rheni perierunt.

Eodem anno cruce ſignati, qui *Fratres Crucis* vocabantur, in diverſis terris & nationibus ſe per turmas collegerunt, & ad Romanam curiam concurrerunt, intendentes (ut dicebant) mare tranſire in ſubſidium terræ ſanctæ. Sed cum venirent Avenionem, vel ad mare, diviſi ab invicem, per vias diverſas redierunt.

Eodem anno, Menſe Auguſto, Comes Hannoniæ cum multis nobilibus Fridinirum obſedit: Sed Epiſcopo Leodienſi Theobaldo exercitum de terra Leodienſi illuc movente, pace facta, vacuus inde receſſit.

Eodem anno Ludovicus filius Landtgravii Haſſiæ, procurante Ottone Comite Clevenſi, in Epiſcopatum Monaſterienſem per Clementem Papam promotus eſt.

Anno Domini mcccx. Rex Henricus Lutzenburgenſis ultra montes proficiſcitur, corona ferrea in Mediolano coronatur ante feſtum omnium Sanctorum. Adolfus de Marka fit Canonicus Colonienſis circa purificationem Mariæ. Henricus frater Comitis de Monte moritur, & in Veteri-Monte ſepelitur. Tunc Adolfus de Marka, Præpoſitus S. Martini Wormatienſis, ad ſtudium Aurelianenſe ſe tranſtulit. Eodem anno idem Dominus Adolfus præpoſitus mihi de præbenda Bopardienſi providit, & ſequenti anno gubernationem Præpoſituræ ſuæ commiſit.

Anno mcccxi. Rex Henricus de Lutzenborg in Lumbardia in obſidione Brixiæ laborat, cui Rex Robertus, quantum poteſt, parat reſiſtentiam.

Eodem anno Clemens Papa V. in autumno concilium celebrat in Vienna: ibi ordinem Templariorum condemnat.

Eodem anno caſtrum Furſtenberg per Comitem de Marka obſidetur.

Anno Domini MCCCXII. Theobaldus Epiſcopus Leodienſis in urbe Roma, poſt coronationem Imperatoris ibi factam in die S. Urbani, occiditur. Cui Adolfus de Marka in epiſcopatu ſuccedit.

Eodem anno, quarta die Auguſti, cives majores urbis Leodienſis occiduntur in Eccleſia S. Martini per communitatem Leodienſem. Prædictus Dominus Adolfus de Marka feria quarta ante feſtum Palmarum per Clementem Papam in Epiſcopum ordinatur, & per Wilhelmum Præneſtinum Epiſcopum in vigilia Paſchæ ordinatur in Diaconum.

Eodem anno feria VI. ante feſtum Paſchæ archiepiſcopus Colonienſis ab oppidulo Recklinghuſen tranſit per Comitatum de Marka, ſine tamen combuſtione, caſtrum de Furſtenberg reſtaurat. Tunc in vigilia Paſchæ magna pars Coloniæ civitatis comburitur.

Anno Domini MCCCXIII. Imperator Henricus in die S. Bartholomæi moritur, & in eccleſia Piſis honorifice ſepelitur.

Eodem anno Adolfus Epiſcopus Leodienſis in vigilia Nativitatis Domini primam miſſam celebrat, & magnam curiam tenuit, Hannoniæ de Marka & de Monte Comitibus, & Domino de Valckenberg & aliis multis nobilibus præſentibus.

Anno MCCCXIV. in Aprili Clemens Papa moritur Pontificatus ſui anno IX. & vacavit ſedes annis duobus, & menſibus tribus & XVII. diebus.

Eodem anno poſt feſtum Paſchæ proviſum fuit mihi de præbenda Leodienſi, per Dominum Adolfum Epiſcopum ante feſtum Jacobi.

Eodem anno Dominus Epiſcopus bellum habuit in Hanſevels contra Dominum de Bailion & Hojen, & Dionenſem, quos ibidem in campis circumdedit, & ad pacem coegit, mediante pecunia ſibi promiſſa.

Eodem anno Dominus Ludovicus Dux Bavariæ in die Beatæ Catharinæ coronatur in Regem, adhærentibus ſibi archiepiſcopo Trevirenſi, & Hannoniæ & Juliacenſi Comitibus. Interim autem Dux Fridericus Auſtriæ electus contra prædictum Ludovicum, per archiepiſcopum Colonienſem coronatur in Bunna, faventibus ſibi Epiſcopo Leodienſi, Comite de Marka & de Valckenberg.

Anno MCCCXV. Leodienſes cives rebellant, quibus Comes Loſſenſis adhæſit. Epiſcopus cum Duce Brabantiæ confœderatur. Canonici Leodienſes apud Namurcum reſident, & Hojenſes caſtrum de Moha per quatuor ſeptimanas obſident, ſed vacui inde recedunt.

Eodem anno incepit cariſtia, quæ duravit usque ad Auguſtum anni ſequentis.

Anno Domini MCCCXVI. invaluerunt cariſtia, fames & mortalitas, valuit enim modius Speltæ quatuor ſolid. groſſis & amplius. Tunc ante feſtum S. Johannis facta eſt pax in villa de Fech, quæ hodierno die vocatur *Pax de Fech*, qua facta, Dominus Epiſcopus in die beati Joannis Leodium intravit, & receptus fuit ab omnibus lætanter & gratanter.

Eodem anno VII. die Auguſti Johannes Papa XXII. in Lugduno electus eſt in Papam.

Anno MCCCXVII. Epiſcopus Leodienſis cum magno exercitu intrat terram Lutzenburgenſem. Comes de Marka caſtrum Strunckede obſidet. Guerra inter Epiſcopum Colonienſem ex una parte, & Juliacenſem & Hannonienſem Comites & civitatem Colonienſem ex altera parte mota eſt. Brüle obſidetur.

Anno Domini MCCCXVIII. Syſtrat per Ducem Brabantiæ obſidetur, & per Epiſcopum Leodienſem, caſtrum Herve obſidetur, & deſtruitur in principio Auguſti.

Anno MCCCXIX. orta eſt diſcordia & guerra cum Comite Namurcenſi, occaſione Dionenſis, & illorum de Bovina.

Anno Domini MCCCXX. iterum guerra movetur contra Lutzenburgenſem & Hannonienſem Comites. Comes Namurcenſis oppidum de Sermeto nocte intrat, ſed inefficax inde recedit.

Eodem tempore Epiſcopus Monaſterienſis caſtrum Porteslere obſedit, poſtquam ſcivit, quod Comes de Marka læſus fuit de crure ſuo fracto, ſed Epiſcopus prædictus per archiepiſcopum Colonienſem, Comitem de Monte, Comitem de Verneborg & per illos de terra de Marka ab obſidione fugatur.

Anno

Digitized by Google

Anno Domini MCCCXXI. per Epiſcopum Leodienſem, adſiſtente ſibi Comite de Monte, Boviniam obſidet, & dum jam prope erat, quod caſtrum illud & oppidum potuiſſet habuiſſe, Caſtellanus de Waremia ex invidia bonas villas informavit, & fecit, quod Leodienſes, & aliæ bonæ villæ dimiſſa obſidione recedebant. Interim autem eodem die, quando recedebant gentes Epiſcopi, qui pro cuſtodia Haſbaniæ relictæ fuerant, contra gentem Namurcenſis, qui Comitatum de Moha invaſerant, bellantes apud Berbuis obtinuerunt victoriam, exercitu, qui ante Boviniam fuit, hoc ignorante.

Anno MCCCXXII. in die Coſmæ & Damiani tres Reges transferuntur ad locum, in quo nunc manent, & novus chorus conſecratur, & Archiepiſcopus celebrat concilium provinciale.

Eodem tempore bellum committitur inter duos Reges electos, Ducem Bavariæ Ludovicum, & Ducem Auſtriæ Fridericum: ibi idem Dux Auſtriæ capitur.

Anno Domini MCCCXXIII. feria tertia poſt Pentecoſten Epiſcopus Monaſterienſis Heſſus, dum oppidum in Hammone intendebat capere, captus eſt, & multi nobiles & armigeri cum eo. Poſtea in vigilia beatorum Petri & Pauli apud munitiones provinciæ, vulgo Landwere, in terra Monaſterienſi idem Comes contra gentes Epiſcopi obtinuit victoriam. Poſthæc autem in craſtino beatæ Margaretæ apud Ruſchenberg gentes prædicti Epiſcopi, qui villam Metler exuſſerant, obtenta eſt iterum victoria, & multi probi homines & armigeri capti fuerunt ibidem.

Anno Domini MCCCXXIV. Comes Engelbertus caſtrum de Wolmerſtein feria ſecunda ante aſcenſionis Domini obſidet, & in feſto Jacobi intrat & deſtruit, in qua quidem obſidione Rex Bohemiæ & Comes Hannoniæ motu proprio venerunt, & tam ipſi, quam Comes de Monte, usque in finem fideliter aſtiterunt: Archiepiſcopo Colonienſe cum Comite de Verneborg, & alia ſua gente interim in Zuzato, & in Werle moram faciente, & intendente, an caſtrum ipſum ab obſidione liberare poſſent: Sed Epiſcopo Leodienſi in oppido de Unna pro cuſtodia terræ exeunte, archiepiſcopus & gentes ſuæ terram Comitis non audebant intrare.

Eodem anno inter Epiſcopum Leodienſem & cives Leodienſes oritur diſſenſio, quæ usque ad annum XXVIII. & amplius duravit. Canonici Epiſcopo adhærentes, & ipſe Epiſcopus in oppido Hojenſi ſe recolligunt & receptant, ad quem locum in fine omnes Canonici Leodienſes, ipſo Epiſcopo procurante, venire autoritate Apoſtolica ſunt compulſi.

Anno Domini MCCCXXV. in die S. Bartholomæi inter nationes & progenies de Awans & Warans grave certamen in loco Dammartin committitur, in quo pars illorum de Warans ſuccumbit multorum ſtrenuorum interitu.

Anno Domini MCCCXXVI. ante feſtum Pentecoſtes Engelbertus Comes de Marka ad curiam Romanam vadit, ubi me ſecum habere voluit, & habuit. Deinde eo expedito de curia vadit ad Rupem amatoris; me in curia manente per ſex menſes poſt ejus receſſum, ubi tunc impetravi pro ejus filio Engelberto præpoſituram Bopardienſem & pro alio filio ſuo Everhardo Colonienſes & Leodienſes præbendas, pro quibus impetrandis multas ibi ſuſtinui anguſtias & labores. Sed dum iſtis ſic impetratis rediiſſem ad partes, Henricus dictus Beyer per potentiam archiepiſcopi Trevirenſis, & ſuorum amicorum ſibi aſſiſtentium, in Præpoſitura Bopardienſi ſe oppoſuit, & tenuit me in lite, tam in curia, quam in partibus per plures annos, quam litem cum pecunia mea non parva ſuſtinui uſque ad tertiam ſententiam, qua habita, & multis proceſſibus Apoſtolicis contra ipſum adverſarium & ejus adhærentes, ex parte mea ſæpius publicatis, venerunt ad me Henricus & ejus ſororius Johannes de Bopardia miles, & ad dictum meum dederunt ſe ad captivitatem Domini mei Epiſcopi, & renunciaverunt Præpoſituræ, & obligaverunt ſe ſub juramento, omnia damna reſtituere, & ad dictum Domini mei Epiſcopi emendare. Sed hæc omnia ad rogatum Comitis de Monte fuerunt remiſſa & quitata, & placuit mihi, quia probi viri fuerunt, & ipſe Henricus, pater ſuus, & fratres ſui poſtmodum ſe erga nos fideliter habuerunt.

Anno MCCCXXVII. in Quadrageſima ambaſiatores civium Leodienſium intendentes contra Epiſcopum ire ad curiam, videlicet, Dominus Johannes de Lardario miles, & M. Andreas, & alii plures per Conradum de Lonfuriis & Conradum de Altena,

Digitized by Google

tena, Balivum de Moha, & cæteros familiares Domini Epiſcopi in regno Franciæ capti ſunt, & deducti ultra Rhenum. Tunc Johannes Gilard Canonicus Leodienſis, qui de conſilio Epiſcopi erat, & ejus officiatus, de rebus ſuis contra Epiſcopum ivit ad curiam, & Dominus Antonius de Bogella, Canonicus Leodienſis, pro Epiſcopo in curia ejus procurator & defenſor ſtetit tanquam fortis athleta, ipſum Epiſcopum & ſuos adhærentes ſtrenuiſſime defendendo.

Anno Domini MCCCXXVIII. feria ſexta poſt Pentecoſten, Epiſcopus Leodienſis in monte apud Hojen cum paucis militaribus, & oppidanis Hojenſibus ſibi adſiſtentibus, contra maximam militarium & civitatenſium multitudinem, DEO ſibi auxiliante & eum protegente, victoriam obtinet. Deinde feria quinta ſequenti, Dominus Conradus de Marka, qui in prædicto bello fuit miles effectus, collecta gente militari non magna, illos de S. Trudone, cum quibus fuit Burggravius de Montenarken revertentes à Leodienſi exercitu, ubi combuſſerant prope Warenam, viriliter invaſit, & multis captis, & aliis fugatis obtinuit victoriam.

Poſt hæc eodem anno Dominus Epiſcopus in craſtino octavæ S. Lamberti, aſſiſtente ſibi Comite Gelriæ, contra Leodienſes & eorum adhærentes apud oppidum Husle obtinuit victoriam, ubi fuerunt multi mortui & captivi, quos captivos Comes Gelrienſis fere omnes meliores ſecum ad partes deduxit, à quibus magnam habuit pecuniam, nec voluit habitis illis manere cum Epiſcopo, ſed ipſum dereliquit ibidem. Qui tunc aſſiſtentibus ſibi de Marka & de Monte Comitibus, & Domino Gotfrido fratre Comitis Juliacenſis, nec non oppidanis Hojenſibus oppidum Tongrum obſedit. Tunc in Wigonia per quosdam inceptum eſt tractari de pace, pro qua conſummanda cives Leodienſes dederunt XX. obſides, qui ponebantur in caſtro de Moha, donec dicta pax erat firmata & perfecta. Et fuit illa pax facta, mediante ſumma pecuniæ, Epiſcopo perſolvenda. Et fuit etiam pax firmata ſub pœna L. millium librarum ſolvenda Epiſcopo per Leodienſes cives & eorum adjutores, quotiens contra pacem venirent.

Eodem anno XXVIII. Comes Engelbertus de Marka, menſe Julio in die S. Arnolfi moritur, & in vigilia S. Jacobi in Vrondenberge ſepelitur, cui filius ejus Adolfus Comes in Comitatu ſucceſſit.

Eodem anno de voluntate prædicti Adolphi Comitis emi cum pecunia mea à domo de Odeckenbach manſionem & bona in Dreſole, poſſidenda ad vitam meam, prout ipſe ea tenuit. Circa quam quidem manſionem, & quicquid ibi ædificatum, totum ego feci expenſis meis non parvis, præter domum lapideam, quam melioravi in feneſtris & quibusdam aliis, feci etiam ibi duo vivaria. Prædictarum igitur expenſarum recompenſationem idem Dominus Comes mihi donavit, fructus eorundem bonorum quatuor annis poſt obitum meum percipiendos, in ſolutionem debitorum meorum, ſeu pro ſalute animæ meæ convertendos, & ſuper hoc dedit mihi apertas literas ſub ſigillo ſuo majori ſigillatas, quas habeo. De quibus reditibus ſeu fructibus quatuor annorum prædictorum feci ordinationem teſtamenti, quam idem Dominus Comes, & Adolfus Epiſcopus quondam Leodienſis confirmaverunt, & poſtmodum vos Comes & veſtri fratres ratificaſtis: ſicut hæc omnia apparent, per ſcripta & ſigilla appenſa, quæ apud Domini Dithmari militis conſanguinei mei uxorem ſunt depoſita. Unde ſupplico vobis, Domine cariſſime, ut non permittatis, quod hoc veſtri officiati & ſubditi impediant, quin dicti reditus quatuor annorum in uſu, ad quem eos in teſtamento meo prædicto deputavi, taliter convertantur, attendentes, quod illa, quæ per me de illis reditibus ſunt ordinata in pios uſus cedere debebunt, & maxime ad uſum Eccleſiæ in Altena pro luminari & pro Eleemoſyna ibidem diſtribuenda, & pro veſtra & pro parentum veſtrorum & progenitorum Comitum & Comitiſſarum memoria perpetuo facienda, prout videre poteritis in literis & ſcriptis ſuper hoc factis, & per vos (ſicut prædicitur) confirmatis. Rogo etiam vos caſtrenſes de Altena, quatenus prædictum Comitem rogetis, ut non permittat prædictam ordinationem ab aliquo impediri. Nam veſtram etiam memoriam & veſtrorum progenitorum per prædictam ordinationem conſtitui faciendam.

Anno Domini MCCCXXIX. in Flovis tractatur de pace, & ibidem conſummatur inter Epiſcopum Leodienſem, & cives Leodienſes & eorum adhærentes.

Anno

Anno Domini MCCCXXX. in vigilia S. Mariæ Magdalenæ facta pace prædicta & confirmata, Canonici revertuntur Leodium, & poſtmodum in vigilia omnium Sanctorum reverſa eſt curia officialis & ſigillum.

Eodem anno, ante feſtum annunciationis Domini, moritur in S. Trudone Engelbertus dictus Franſos, Canonicus Leodienſis, Dominorum de Marka ſervitor fideliſſimus, & inter Clericos ſuperior Epiſcopi conſiliarius.

Eodem anno circa feſtum Purificationis, nocturno tempore venit quidam rumor, quod Andreas magiſter civium occulta traditionis ordinatione facta cum quibuſdam complicibus vellet occidere Scabinos & Canonicos, propter quod multi timentes fugerunt de Leodio & manſerunt extra.

Anno Domini MCCCXXXI. Adolfus Comes de Marka ivit ultra mare ad videnda loca ſancta.

Eodem anno Epiſcopus Leodienſis Adolfus cum nobilium & militarium & aliorum proborum exercitu glorioſo præſedit judicio in Voeceem juxta Leodium, ubi XXIX. de civibus Leodienſibus adjudicati ſunt, qui omnes eadem die, videlicet, feria ſecunda ante Servatii civitatem exire coacti ſunt. Et fuit hoc judicium maturiori conſilio præordinatum, quam illud judicium, cui poſtmodum in eodem loco Dominus Engelbertus Epiſcopus ejus ſucceſſor præſedit.

Eodem anno circa feſtum Epiphaniæ Domini, Dominus Henricus de Verneborg archiepiſcopus Colonienſis moritur. Cui Dominus Walramus Præpoſitus Leodienſis frater Marchionis Juliacenſis, ipſo Marchione in curia apud Papam hoc procurante ſuccedit. Hoc anno vina fuerunt optima, quæ in principio Septembris fuere matura.

Anno Domini MCCCXXXII. feria V. poſt Paſcha Rex Bohemiæ feudum, quod ratione Comitatus Lutzenburgenſis ab Eccleſia tenet, corom tota patria ibidem convocata, ab Epiſcopo Adolpho publice accepit. Tunc Dominica Quaſimodogeniti prædictus Dominus poſt guerras & bella per ſeptem annos habita & amplius, pace facta, & rite omnibus ordinatis, Leodium cum magna ſolennitate intrat per portam S. Walpurgis, ubi tunc deſcenderat: ibi omnes Canonici Eccleſiæ Leodienſis & Clerici cum cappis & pulſatione campanarum occurrerunt ſibi à dextris & à ſiniſtris, & in illa proceſſione Rege Bohemiæ & Coneſtabili Franciæ, & eo introducto ad Eccleſiam poſt Miſſam ſolenniter celebratam, venerunt ad capitulum, & ibi per concordiam Capituli, & patriæ, indicto contra Ducem Brabantiæ exercitu, veniunt ad campum Banneſem, & deinde exponunt Standhardum. Poſthæc in craſtino inventionis S. Crucis aſſiſtentibus ſibi prædicto Rege Bohemiæ, nec non Comite Barrenſi, Comite de Marka, Comite Loſſenſi, Coneſtabili Franciæ & Domino de Beamont, cum multis aliis nobilibus, cum tota terra Leodienſi, potenter intrat Brabantiam uſque Perewirs, Duce Brabantiæ cum ſuo exercitu Heilechem jacente, qui ibi tunc miles effectus eſt. Tunc Comes Hannoniæ & quidam nobiles miſſi ex parte regis Franciæ inceperunt tractare de treugis, & factæ ſunt treugæ, & aſſignata eſt dies ad tractandum de pace per ipſum Regem Franciæ faciendam. Ad quam diem utræque partes convenerunt, videlicet apud Compendium, juxta monaſterium Scholarium, quod vocatur Realen, ubi tunc per Regem facta eſt pax, quæ nec valuit, nec effectum habuit. Ibidem Rex tunc cum prædictis Dominis magnam curiam tenuit, & multa donaria dedit eiſdem. Quibus ſic peractis ſtatim Rex Franciæ convenit cum Duce Brabantiæ, ut filius Ducis primogenitus ducere deberet in uxorem filiam ipſius Regis, qui tamen filius Ducis filiam Comitis Hannoniæ ſecundum conventionem inter ipſum Ducem & Comitem prius habitam & ratam, ipſius Comitis filiam debuiſſet duxiſſe. Ex hoc motus eſt Comes convocatis omnibus amicis fecit allegationem contra Ducem, & ponit ſe in guerram, de qua poſtmodum in anno ſequenti in feſto Pentecoſtes pax intemerata facta eſt.

Anno Domini MCCCXXXIII. in hyeme per Comitem Juliacenſem Rode obſidetur, & per Comitem Gelriæ Sittard.

Deinde Dux volens liberare Rode tranſit Moſam per Trajectum, ſed perdito Rode, niſi feſtinanter ſe circa Moſam retraxiſſet, & niſi de Hoye pecunia Ducis corrupti exitum bonarum villarum retardaſſent, ipſe Dux non ſic evaſiſſet: Tunc Trajectum obſedit eodem anno.

 Eodem

Digitized

Eodem anno Comiti Flandriæ Machlinia venditur ſub tali conditione, quod nunquam poſſet à Comitatu Flandriæ ſeparari. De qua venditione reſiſtentibus oppidanis, & Duce Brabantiæ eis aſſiſtente, magna guerra ſurrexit.

Eodem anno circa Reminiſcere natus eſt Domino Comiti de Marka ex nobiliſſima Comitiſſa Margareta filia Comitis Clevenſis primogenitus filius Engelbertus, nunc Comes de Marka, cui per gratiam det Deus vitam bonam & longam & timore Dei fideliter dirigere ſuos actus.

Anno Domini MCCCXXXIV. menſe Auguſto Rex Franciæ in civitate Ambianenſi, præſentibus ibidem Rege Bohemiæ, Adolfo Epiſcopo Leodienſi, Flandriæ, Gelriæ, Juliacenſi Comitibus, & aliis eorum confœderatis ex una parte, & Duce Brabantiæ cum Machlinienſibus & eorum adhærentibus ex altera, tractat de pace, jurantque publice & ſolenniter utræque partes, ſinguli ſingulariter ſuper ſancta Evangelia ſervare pacem quam Rex ipſe pronunciaret. Quam quidem pacem Rex ipſe, recepto in ſe ab eiſdem partibus compromiſſo, juramento (ut præmittitur) firmato, pacem pronunciavit, & literas ſuas ſuper hoc ſingulis partibus tradidit ſuo ſigillatas ſigno majori, quæ pacis ipſius continebat tenorem. Tunc quoque idem Rex Comitem Flandriæ per minas coegit, quod Machliniam in ſuis manibus poſuit, hac conditione tamen appoſita per ipſum Comitem, ut ipſa Machlinia non poſſit pervenire ad manus Ducis vel ſuorum, ſed potius, quod ad Eccleſiam Leodienſem rediret, quæ tamen poſtea nunquam rehabuit, nec iſta, quæ Comes ipſe fecit de conſenſu Domini Epiſcopi & Capituli, facta fuerunt

Anno MCCCXXXV. Dominus Adolfus de Marka Epiſcopus Leodienſis pacem fecit de mortalibus guerris, quæ multos annos duraverant inter milites & militares de Awans & Warans, & alios de eorum progenie, de quibus multi valentes viri & armigeri, nunc de iſta parte, nunc de alia parte, tam in conflictibus, quam extra conflictus, diverſis annis & temporibus ad magnum damnum patriæ ſunt occiſi. De qua pace facta idem Dominus Epiſcopus magnum habuit honorem apud homines, & meritum, (ſicut creditur) apud DEUM.

Anno MCCCXXXVI. Comes Ludovicus moritur, non relictis liberis. De Comitatu vero obtinendo inter Dominum Epiſcopum & Capitulum ex una parte & Dominum Theodoricum, Dominum de Hinsberg Comitis defuncti ex ſorore nepotem, contenditur, Epiſcopo & Capitulo aſſerentibus, *Quod ſecundum privilegia Eccleſiæ Vaſallo ſine hærede maſculo de ejus corpore procreato decedente, feuda ad Eccleſiam devolvi deberent:* Domino de Hinsberg prædicto contrarium aſſerente, videlicet, Quod ipſe potius jus haberet, tanquam ex conſanguinitate proximior. Quæ quidem cauſa ad curiam Romanam fuit deducta, & poſt multas diſceptationes & diſcordias per plures annos, tam in curia, quam in partibus habitas, de voluntate Papæ per Abbatem S. Nicaſii Remenſis & quoſdam Canonicos Leodienſes de pace tractatur, & Dominus de Hinsberg ſub certis conditionibus & pactis de Comitatu prædicto, per Dominum Adolphum Epiſcopum infeudatur. Propter quod per furorem populi Leodienſis Canonici fere omnes interfecti fuerunt, & ſecuta eſt exinde guerra gravis, ſicut inferius apparebit.

Anno MCCCXXXVII. Rex Angliæ parat ſe ad guerram contra Regem Franciæ, & mittit Epiſcopum Linconenſem ad partes noſtras ad ſtipendiatos conducendos.

Anno MCCCXXXIIX. Dux Brabantiæ facta conſpiratione cum Comite Loſenſi & aliis magnatibus magnum congregat exercitum apud Heilletheim, in Feſto Palmarum, & Epiſcopatum Leodienſem invadit. Econtra Epiſcopus Leodienſis Adolfus ad reſiſtendum eiſdem ſimiliter congregat exercitum, ubi Rex Bohemiæ ſibi ſuccurſum cum magna gente venit, propriis in expenſis, & tunc facta eſt pax in die cænæ apud Montenarke: Sed Comes Hannoniæ dictam pacem poſtmodum, quantum potuit impedire & inficiari conatur, Rege Bohemiæ ſibi reſiſtente. Tunc mediante prædicta pace in Montenarken Eccleſia Leodienſis bona ſibi per Ducem ablata rehabuit. Hoc anno Rex Angliæ venit Coloniam & deinde ad Confluentiam ad Dominum Ludovicum de Bavaria, quem Imperatorem vocabant, ubi ad invicem habuerunt colloquia.

Anno ſequenti in Octobri Rex Angliæ cum Duce Brabantiæ cum multis Nobilibus

bus & militibus armigeris intravit regnum Franciæ, ubi multa fecit damna incendiis & rapinis.

Sequenti anno in vigilia S. Johannis Baptiſtæ, rex Franciæ multa damna per regem Angliæ paſſus eſt in mari, tam in navibus perditis, quam in hominibus ibi mortuis, ubi etiam ex parte ipſius Regis Angliæ mortui multi fuerunt. Poſthæc Rex Angliæ Tornacum obſedit.

Anno Domini MCCCXLII. in feſto Sacramenti, Mechlinia oppidum exuſtum & igne devaſtatum eſt.

Hoc anno nobilis vir Dominus Conradus de Marka, & ejus uxor nobiliſſima monaſterium S. Claræ juxta arcem Huerde fundare cœperunt, quod poſtea collatis ei bonis ſuis perfecerunt, ditiſſimeque reditibus providerunt.

Anno Domini MCCCXLIII. Hojenſes oppidani cum Duce Brabantiæ confœderantur, quos Legatus ſedis Apoſtolicæ, qui tunc præſens erat, excommunicavit, & poſuit interdictum tam in Hoje, quam in Brabantia. Tunc Comes Hannoniæ venit Leodium ad tractandum de pace, qui tamen videbatur favere parti Ducis magis, quam Domino Epiſcopo Leodienſi, à quo tenet totum Comitatum Hannoniæ. Ibi etiam tunc præſentes erant Comites de Monte & de Marka. Tunc Epiſcopus Leodienſis, Comitibus de Marka & de Monte minime informatis, vel non advertentibus per Comitem Hannoniæ & quoſdam alios circumventus, conſenſit in quandam ordinationem, & eam ſigillat, ſibi & Eccleſiæ ſuæ multum præjudicialem, quæ tamen poſtmodum extitit lacerata. Poſthæc quoque per inductionem & circumventionem non boni conſilii ipſe Adolfus Epiſcopus revocavit pœnam ordinatam, in quadam pace Eccleſiæ multum honorabili, & pro tranquillitate civitatis accommoda, quæ per ipſum Epiſcopum per guerrarum & bellorum victorias glorioſas extitit quæſita, videl. ut quicunque in civitate verbo vel facto ſeditionem vel diſcordiam concitaret, vel eis occaſionem daret, quod ipſi *Murmur* vocabant, ipſe à ſuo honore adjudicare deberet. Cujus ordinationis metu in civitate magna pax & tranquillitas habebatur.

Anno Domini MCCCXLIV. mota & incepta guerra inter archiepiſcopum Colonienſem & Comitem de Arensberg. Comes de Marka Adolphus in adjutorium & favorem ipſius Comitis de Arensberg ſine conſilii ſui conſilio diffidavit Archiepiſcopum ſupra dictum, & ſe inconſulte in ipſius Comitis de Arensberg guerram ingeſſit, quod multis ſuis amicis diſplicuit, & non immerito, quia rem periculoſam & gravem ſibi & ſuæ terræ incepit, niſi Deus ſibi de victoria prævidiſſet. Venit igitur idem Comes de Marka menſe Julio ante novum oppidum Menden, ut ibidem inſultum faceret, ſed vacuus inde receſſit. Deinde ante feſtum omnium Sanctorum nocturno tempore ejusdem oppidi muris tranſcenſis ipſum intrat, & totaliter deſtruit & devaſtat.

Eodem anno videl. MCCCXLIV. tertia die poſt feſtum omnium Sanctorum Dominus Adolfus Epiſcopus in Claremont moritur, & in Eccleſia Leodienſi ante majus altare honorifice ſepelitur. Cui nepos ejus Dominus Engelbertus de Marka per proviſionem Papæ Clementis VI. ad preces Regis Franciæ Philippi in Epiſcopatu ſuccedit. Qui poſt feſtum Paſchæ venit de curia ac in Leodio honorifice eſt ſuſceptus.

A. Domini MCCCXLV. poſt feſtum Paſchæ Comes Adolfus de Marka apud oppidum Recklinghuſen contra gentes archiepiſcopi Colonienſis in bello obtinuit victoriam, ubi multi Nobiles, milites & armigeri capti fuerunt per Comitem ſupradictum, propter quod archiepiſcopus Colonienſis, ut comitatum invadat, ad vindicandum ſe, congregat exercitum, deſcendit per Rhenum. Sed Comite de Marka cum gente non parva contra ipſum loco munito, ubi ſibi occurreret conſiſtente, Archiepiſcopus non proceſſit, ſed interim inceptum eſt tractari de pace, in quem tractatum Comes Hannoniæ, non in bonum Comitis de Marka, (ſicut videbatur) ſe ingeſſit: Sed tractatu usque Coloniam deducto, & Duce Brabantiæ in favorem ipſius Comitis de Marka cum magna Comitiva gentium illuc veniente, pax extitit conſummata, mediante certa ſumma pecuniæ, quam habuit Comes pro captivis, Comite Hannoniæ pacem impediente, quantum potuit.

Eodem anno idem Comes Hannoniæ Ultrajectum obſedit, ſed poſt multas expenſas ibi per ipſum factas vacuus inde receſſit.

Eodem anno prædictus Comes Hannoniæ in feſto SS. Coſmæ & Damiani incaute & inconſulte Friſones invadendo, ſe & ſuos præcipitavit in malum. A.

Digitized by Google

A. Domini MCCCXLVI. circa feſtum Joannis Baptiſtæ Leodienſes & Hojenſes contra Epiſcopum Leodienſem & Comitem Loſenſem moverunt guerram. Tunc Epiſcopus poſuit diem de quorundam Scabinorum conſilio ad præſidendum judicio in Veterm, quod multum ego tunc ex certa cauſa diſſuaſi. Et licet ipſe Dominus Epiſcopus maximum convocaſſet exercitum, talem & tantum, qualis nunquam fuit viſus in iſtis partibus, (ſicut plurimi retulerunt) quia inconſulte & improviſe ac inordinate cum inimicis quidam congreſſi ſunt, & invaſio facta fuit per quoſdam, de exercitu aliquos perdidit, de ſua gente, quia mortui fuerunt ibidem Dominus de Valkenborg & alii plures milites & armigeri.

Eodem anno mortui ſunt in bello contra regem Angliæ, circa feſtum Bartholomæi Rex Bohemiæ, Comes Flandriæ, Dux Lotharingiæ, Comes de Menſoen, frater Regis Franciæ, & multi alii Magnates & Nobiles.

A. Domini MCCCXLVII. Prædicta guerra inter Epiſcopum Leodienſem & cives Leodienſes adhuc non ceſſavit, ſed acrius invaluit. Nam ipſi Leodienſes & Hojenſes cives attracta ſibi per vim, & per metum, vel quocunque alio modo tota patria, caſtra, Claremont, Argetal & Hamele obſederunt & deſtruxerunt, & multa alia commiſerunt incendiis & rapinis. Propter quod Epiſcopus confœderatione facta cum Duce Brabantiæ, mediante certa ſumma pecuniæ ſibi danda, ut ſibi aſſiſteret, ad ſubjugandum populum ſuum ſibi rebellem. Sicque Epiſcopus amicis ſuis de Alemannia, quos habere potuit, convocatis, & aſſiſtente ſibi Comite Loſſenſi, ſe traxit verſus locum, ubi inimici cum totius Epiſcopatus potentia erant congregati. Sed Dux, qui magnum habebat exercitum, cum Epiſcopus veniret ad ipſum rogandum, quod procederet & veniret, renuit procedere dicens, quod non procederet unum pedem, niſi prius filium ſuum Henricum infeudaret de Machlinia. Sicque Epiſcopus poſitus in anguſtia, videns in proximo ſuo bellum imminere, neceſſitate coactus fecit, quod jure facere non potuit, & prædictum filium Ducis infeudavit: Licet illa infeudatio non teneret de jure, & eſſet invalida, tanquam de feudo, quod ex ſui prima fundatione hanc conditionem habebat annexam, quod à Comitatu Flandriæ, & â duobus aliis feudis, videlicet Geraldimont & Vortcleem huic feudo Comitis ſeparari non poſſet. Quibus ſic actis Epiſcopus & Comes Loſenſis cum ſuis & cum Duce Gelriæ, ſperantes Ducem Brabantiæ adventurum, apud Tacnis viriliter irruerunt in hoſtem, qui ibidem demoti & fugati per ipſos, antequam Dux Brabantiæ adveniret, fuerunt: ubi dicitur cecidiſſe & interemta plus-quam XII. hominum millia, præter captivos. Dux autem Brabantiæ tunc adveniens, hoſtibus jam fugatis, villam S. Trudonis, quæ eſt villa Epiſcopi, violenter intravit, & eam occupavit, caſtrumque Waleme, Meſſia & Werema, quæ ſimiliter pertinent ad Epiſcopum, diruit & deſtruit, cives etiam Leodienſes, & alios ſubditos Epiſcopi ſe ſibi alligari coëgit. Quæ omnia & ſingula fuerunt expreſſe contraria his, quæ ipſe Dux in confœderatione facta Epiſcopo promiſerat, & juravit, prout hæc in literis ſuis ſuper hoc factis, plenius continentur.

Poſthæc autem inter ipſum Epiſcopum, & cives Leodienſes, & ipſorum allegatos pax eſt facta, quæ utinam ex parte prædictorum civium Leodienſium fuiſſet & eſſet adimpleta & bene ſervata. Canonici autem Leodienſes, qui tunc reſidebant in Namurco adhuc, nec in illo anno, nec in ſequenti ad Leodium ſunt reverſi.

Eodem anno videlicet XLVII. ante feſtum S. Severini Comes Adolfus de Marka in terra Gelriæ, ubi in Manburnum fuit aſſumtus, moritur, & in Vrondenberge fuit ſepultus: Cui in Comitatu ſuccedit filius ſuus Engelbertus, qui nunc eſt Comes, cui Deus per ſuam gratiam concedat vitam bonam, proſperam & longævam.

Anno Domini MCCCXLIIX. in fine menſis Martii, oppidani S. Trudonis ab iniquo jugo Ducis Brabantiæ cervicem ſuam abſtrahentes, ad ſuum veterem Dominum Leodienſem Epiſcopum ſunt reverſi.

Eodem anno Domicellus Adolfus de Marka in Colonienſi Eccleſia admiſſus eſt ad præbendam, quam ſibi procuraveram, & pro ea aliquandiu litigavi.

A. Domini MCCCXLIX. Archiepiſcopus Colon. Dominus Walramus de Juliaco Pariſiis moritur, & in Colonia in majori Eccleſia ſepelitur: Cui Dominus Wilhelmus de Genepe Canonicus Colonienſis in archiepiſcopatu ſuccedit.

Eodem anno & tempore graviſſima incepit mortalitas. Tunc etiam ſecta flagellato-

gellatorum per turmas diſcurrit, inter quos licet multi eſſent, qui ex devotione ſe ſociaſſent iisdem, fuerunt tamen plures, qui non recta intentione fecerunt omnino fingentes & mentientes ſe facere miracula, & alias ſuperſtitiones exercuerunt diverſas. Et ſic eorum error detegitur, ita quod Eccleſia ipſos non poterat diutius ſuſtinere. Tunc vero omnes Judæi in Colonia interfecti ſunt ſub occaſione dicta. Tunc Comes de Marka multam pecuniam de bonis Judæorum Tremoniæ & alibi dicitur habuiſſe, quæ tota ad ejus utilitatem non creditur perveniſſe.

Eodem anno Karolus Rex in feſto S. Jacobi Aquisgrani coronatur.

A. Domini MCCCL. tres Domicelli de Marka fratres Comitis de Marka Engelberti, videl. Adolfus, Theodoricus & Everhardus in die SS. Marci & Marcelliani ad me venerunt Leodium, & mecum manſerunt ibidem, donec ipſos ad curiam Romanam & ad Montem-Peſſulanum ad ſtudium procuravi tranſmitti.

A. Domini MCCCLI. menſe Julio Domicellus Adolfus receptus eſt ad præbendam Leodii, quam nunc habet, quam per meam ſollicitudinem impetravi.

Anno Domini MCCLII. inter Comitem de Marka Engelbertum & Comitem de Arensberg guerra orta eſt, in quam quidem guerram oppidani Tremonienſes ſe ingeſſerunt, per conſilium Lamberti dicti Beyen, & quorundam aliorum decepti, qui hoc credebant poſſe facere contra Comitem & ſuam terram, quod facere minime potuerunt, ſicut rei experientia hoc oſtendit. Nam ipſe Comes & ſui ſubditi ipſos oppidanos ſic undique conſtringebant, quod nec terræ Comitis de Marka nocere poterant, ut ſperabant, nec Comes de Arnsberg ipſis venire potuit in ſuccurſum. Sicque tandem, vexatione intellectum eis dante, cum Comite de Marka pacem mediante amicitia inierunt. In hac guerra domus, quam prædictus Comes de Arensberg habuit in caſtro de Swartenberg, extitit demolita.

Anno Domini MCCCLIII. Comes Engelbertus de Marka ivit ultra mare, licentia ſedis Apoſtolicæ non obtenta, propter quod poſtmodum pro ipſis, & ſuis conſociis & familiaribus abſolutionem à ſententia excommunicationis à Papa oportuit impetrari. Interim prædicto Comite ſic abiente, tres fratres ſui mittuntur ad ſtudium. Eodem anno, quando Comes ivit ultra mare, Gerhardus de Plettenberg, (de quo ſupra fit mentio) abſente Comite incepit fundare & conſtruere caſtrum de Rode & oppidum quod adjacet, & ſimiliter caſtrum de Cluſenſteine, ſicut hæc opera hodierno tempore cernuntur.

A. Domini MCCCLIV. in feſto B. Petri ad vincula, prædictus Comes de Marka de ultra-marinis partibus rediit: poſtmodum autem in guerram Gelrienſem ſe ingeſſit, adſiſtendo Domicello Eduardo fratri ducis Gelriæ, ad ſuum & prædicti Everhardi honorem, ſicut dicebatur, quod tunc eidem Eduardo & ſuis fautoribus gratum fuit: neſcio tamen ſi ibi utilitas adhuc provenit.

A. Domini MCCCLV. Dux Brabantiæ Johannes circa feſtum B. Nicolai obiit, & in Villari in habitu monachali ſepelitur: ſed exequiæ ſuæ poſtmodum in craſtino Purificationis celebratæ ſunt, cum magnis expenſarum pompis.

A. Domini MCCCLVI. Inter Ducem Brabantiæ & Comitem Flandriæ magna orta eſt contentio ſuper villam Machlinienſem: utroque petente ſe infeudari ab illa per Epiſcopum Leodienſem: Duce Brabantiæ, videl. ratione ſucceſſionis, & Comite ratione emtionis. Sed quia Dux, licet Dominus Epiſcopus ſibi melius faveret, quam Comiti, ductus malo conſilio facere renuebat ea, quæ erga ipſum & Eccleſiam, & maxime, quod Machlinienſes de cætero non deberent exire armatim contra Epiſcopum & terram Eccleſiæ, quia hæc facere & permittere nolebat, Mechliniam non habuit, quam habuiſſet, ſi præmiſſa feciſſet. Igitur Comes Flandriæ mediante tractatu Comitis Namurcenſis, & mediantibus multis pactis, per ipſum juratis, extitit infeudatus per Epiſcopum in Capitulo ſolenniter: ubi omnia pacta & conditiones appoſitas expreſſe juravit. Ibi etiam tunc ab Epiſcopo relevavit feudum, quod ratione, Comitatus Regiſtenſis tum ab Eccleſia Leodienſi tenebat. Sed quia oppidani Machlinienſes prædicti Comiti obedire nolebant, multa exinde damna provenerunt. Comes enim Flandriæ, menſe Junio, intravit Brabantiam, ubi Dux cum magno exercitu exibat contra Comitem, ubi tunc facta fuit pax per probos viros, hinc inde ad hoc electos. Cujus pacis modus & conditio dum perveniſſet ad Bruxellenſes, forte Duciſſa & communi-

munitas aliqua, quia ſenſerunt per illam pacem Machliniam non deberent habere, commoti ſunt, & quodammodo in ſeditionem verſi in tractationes pacis inſurgere cæperunt. Sicque pax illa rupta eſt, & caruit effectu. Poſtmodum circa feſtum Laurentii Comes Flandriæ videns ſe deceptum, iterum congregavit exercitum, priori exercitu multo majorem, & intravit Brabantiam usque Bruxellam. Dux autem cum Comite de Monte, & comite Loſenſi, & Lovanienſibus, & Bruxellenſibus exeuntes contra eos, dum contra Flandrenſes inciperent confligere, neſcio, ut dicitur, qua traditione Brabanti decepti terga verterunt & fugati ſunt, & ex eis mortui ſunt multi & aliqui ſubmerſi. Ibi Comes de Monte bene ſe habuit, & multum fuit commendatus. Sequenti vero die, hoc eſt, in craſtino octavarum S. Laurentii, Bruxellenſes ſe Comiti reddiderunt, ſalvis eorum privilegiis, rebus & corporibus. Poſtea die viceſima Lovanienſes audita diffidatione Epiſcopi Leodienſis, ſe Comiti ſimiliter reddiderunt. Qui quidem Epiſcopus Ducem cum ſuis diffidavit, pro eo, quod Comitem Flandriæ in Machlinia, quam ab eo in feudo relevaverat, impedierunt. Et quod ipſi Lovanienſes & Bruxellenſes coëgerunt ipſum Ducem jurare, quod non ſervaret ea, quæ ſervare debebat, quæ continentur in pace facta per regem Franciæ, quæ Johannes Dux prædeceſſor ſuus ſervare juraverat, videl. Quod judicium pacis & quarantenarum, & juriſdictiones Epiſcopi & Archidiaconi non impedirent, & plura alia, quæ in dicta pace Regis Franciæ continentur. Et cum ex parte Domini Epiſcopi fuiſſent ſæpius requiſiti, ut iſta revocarent, & quod Comitem Flandriæ non impedirent, quo minus poſſet gaudere poſſeſſione pacifica villæ Machlinienſis, & hoc facere recuſarent: Ipſe Dominus Epiſcopus ſe cum Comite Flandriæ allegavit, & tunc ipſos diffidavit, ut prædictum eſt.

Et poſtea XXI. menſis Auguſti gentes ipſius Domini Epiſcopi terram Brabantinam invaſerunt, & combuſſerunt Hannene & Landenen, & alias plures villas: & commiſerunt bellum cum Thenenſib. & ſi qui inde exierunt victi ſunt Thenenſes, & multi mortui ſunt & capti. Comes autem Namurcenſis poſt octavas S. Laurentii intravit Brabantiam circa Gemblacum, & circa Pierveirs, & multas villas combuſſit. Epiſcopus vero Leodienſis, cum Standhardum feciſſet exponi, & eſſet paratus cum ſua tota potentia intrare Brabantiam, accepit literas à Comite Flandriæ in vigilia B. Bartholomæi, ut ſuperſederet, & ſic retraxit & ſuperſedit: licet adhuc per ſe finem non haberet, quem poſtea habuit à Lovanienſibus & Bruxellenſibus quibusdam, qui tunc fecerunt coacti, quod prius facere noluerunt, & ad hoc ſe firmiter obligaverunt, videlicet obſervare omnia, quæ in pace Regis Franciæ continentur.

Item eodem anno MCCCLVI. craſtino S. Severini Duciſſa Brabantiæ cum magna gente, & Comite de Monte, cum Comite de Marka, & multis aliis Comitibus & nobilibus intravit terram Comit. Namurcenſis, & multas villas ibi combuſſit.

Item eodem anno ante feſtum Nativitatis Domini venit Karolus Imperator Metim, & ſolemnem ibi curiam celebravit, cum omnibus Imperii Principibus. Ibi Princeps quilibet ſecundum ſuum ordinem officii ſervitium debitum exhibebant. Ibi erat Cardinalis ſedis Apoſtolicæ legatus, & Dominus Delphinus filius Regis Franciæ, nepos Imperatoris: Ibique aderant multi Archiepiſcopi & Abbates, aliique Principes, Comites & Magnates & Nobiles infiniti. Ibi Imperator fecit publicari diverſas conſtitutiones per ipſum editas, multum utiles, inter quas erat una, quæ ponit remedium contra diffidationes fraudulentas: quæ cum in Weſtphalicis partibus videatur eſſe neceſſaria, ipſam duxi in hoc opere inſerendam, ſub hoc tenore. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Karolus IV. divina favente clementia Romanorum Imperator, & Bohemiæ Rex, ſemper Auguſtus, ad perpetuam rei memoriam.* Poſthæc præmiſſis quibuſdam conſtitutionib. & ordinationibus, ſub hoc titulo De diffidationibus ſequitur in hæc verba: *Eos qui de cætero adverſus aliquos juſtam diffidationis cauſam ſe habere fingentes, ipſos in locis, ubi domicilia non obtinent, aut ea continenter non inhabitant, intempeſtive diffidant, declaramus, quæcunque per incendia, ſpolia vel rapinas diffidatis ipſis cum honore ſuo inferre non poſſe. Et quia patrocinari non debet alicui fraus & dolus, præſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus, diffidantibus hujusmodi, quibuscunque Dominis aut perſonis, cum quibus aliqui fuerint in ſocietate, familiaritate, vel honeſta quavis amicitia converſati, ſic factas vel fiendas in poſterum non valere.*

Digitized by Google

valere. Nec licere prætextu diffidationis cujuslibet quempiam invadi per incendia, ſpolia, vel rapinas, niſi diffidatio per tres dies naturales ipſi diffidando præſenter, vel eo in loco, quo habitare conſuevit, publice fuerit intimata, poſſitque de intimatione hujusmodi per teſtes idoneos fieri plena fides. Quisquis ſecus quempiam diffidare vel invadere modo præmiſſo præſumpſerit, infamiam eo ipſo incurrat, ac ſi nulla diffidatio facta eſſet, quem etiam tanquam proditorem per quoſcunque judices pœnis legalibus ſtatuimus caſtigari. Prohibemus etiam ac damnamus univerſas & ſingulas guerras & lites injuſtas, cuncta quoque injuſta incendia, ſpolia & rapinas indebita & inconſueta telonia, & conductus, & exactiones pro ipſis conductoribus extorqueri conſuetas, ſub pœnis, quibus ſacræ leges præmiſſa, & eorum quodlibet ſanciunt punienda.

Item Anno Domini MCCCLVII. in craſtino Marcelli Papæ, videlicet, quinta die poſt Epiphaniæ Domini, venit Karolus Imperator Trajectum, ſed parum profecit in his, ad quæ tendebat. Voluit namque, quod Epiſcopus Leodienſ. de terra ſua inciperet guerram, pro ſe & pro Duce fratre ſuo contra Comitem Flandriæ pro ducatu Brabantiæ defendendo. Sed cum Epiſcopus & ejus patria, propter quasdam cauſas rationabiles ſe excuſarent, excuſationem gratam non habuit, ſicque in vigilia B. Scholaſticæ à Trajecto receſſit, ita quod ejus adventus & præſentia plus nocuiſſe, quam profuiſſe dicitur Brabantinis.

Eodem tempore ante carnisprivium Comes de Marka ſolennem in Werdene tenuit curiam pro nuptiis ſororis ſuæ, quam Comiti de Naſſaw deſponſavit.

Hoc anno guerra ſuborta eſt inter Ducem Juliacenſem ex una parte, & Walramum de Borne ex altera parte, occaſione caſtri & Domini de Valckenborg.

Item hoc anno Dominus Ludovic. de Haſſia Epiſcopus Monaſterienſ. qui XLVIII. annos præfuit Eccleſiæ, obiit in Auguſto. Tunc etiam Monaſterienſi ſede vacante Capitulum Monaſterienſe in venerabilem virum, Dominum Adolfum fratrem Domini Engelberti Comitis de Marka, corpore elegantem, moribus & vita ornatum, Baccalaureum in Decretis, de unanimi conſenſu direxerunt ſua vota, ipſumque in paſtorem & Epiſcopum poſtularunt. Et non ſolum Capitulum poſtulavit, ſed etiam totius Epiſcopatus caſtrenſes, civitas Monaſterienſis, oppida univerſa, pro ipſo Domino Papæ cum magno deſiderio unanimiter ſcripſerunt, & duos majoris Eccleſiæ Canonicos transmiſerunt, viros honeſtos: videl. Dominum Lubertum de Rumensberg Officialem Monaſter. & Baccalaureum in jure Canonico, & Magiſtrum Henricum de Unna in Artib. & in Medicina Licentiatum, qui venientes ad Curiam negotium hujusmodi perſequebantur fideliter & prudenter. Ipſe quoque Dominus Adolfus poſt feſtum S. Remigii curiam intravit, & honorifice fuit ibidem exceptus. Sed licet Papa ex notitia dudum de ipſo habita, quia ipſum ſecum habuerat aliquando, favorabilis ſibi exiſteret: tamen propter graves occupationes & arduas, quas illo tempore habuit, ſuper guerris, quibus tunc illa terra provinciæ graviter premebatur, ejus expeditionem oportuit ut differret, ſicque commiſſione trib. Cardinalibus facta, negotioque cum debita maturitate diſcuſſo, licet nonnulli conarentur ipſum impedire, objectis & eorum precibus refutatis, in die S. Leonardi, Papa de conſenſu Cardinalium ſibi de Eccleſia Monaſterienſi vacante cum magno favore & honore providit. Manſit itaque poſtea in curia ad diem B. Nicolai Epiſcopi, & tunc licentia Domini Papæ & Cardinalium recepta, fratribus ſuis Theodorico & Everhardo in ſtudio Monte Peſſulano dimiſſis, iter arripuit verſus partes, & ante Nativitatem Domini Hoyen intravit.

A. Domini MCCCLVIII. Prædictus Dominus Monaſterienſ. electus reverſus de curia, (ut prædictum eſt) feſtum Natalis Domini cum Domino Leodienſi tenuit in caſtro Hojenſi, ubi per oppidanos Hojenſes abundanter per encænia vini & piſcium extitit honoratus. Simili modo in Leodio, dum illuc deſcenderet, fuit per Capitulum & per diverſas perſonas in donis precioſis, & in conviviis multipliciter feſtivatus: ubi dum per aliquod temporis ſpacium moram traxiſſet, tandem in die S. Agnetis cum Domino Leodienſi tranſivit ad Weſtphaliam, qui ipſum hactenus retinuit, ut cum ipſo tranſiret, & per ſuam præſentiam ejus introitum in Monaſterio honoraret. Igitur

Digitized by Google

tur Anno Domini MCCCLIIX. Dominica ſexageſimæ ſolenniter intravit Monaſterium, & ibidem receptus eſt cum magno gaudio & honore.

Nunc autem prædicto Domino Adolfo Monaſterienſi electo in ſede Cathedrali (ſicut prædictum eſt) per Dei gratiam ſublimato, gaudeat Comitatus de Marka, & gaudeant omnes, qui ejuſdem Comitatus profectum diligunt & honorem, quia non parvum eidem Comitatui accreſcit roboris fulcimentum, quando terra Monaſter. & Comitatus de Marka inter ſe mutuam pacem nutriunt & conſervant. Sicut modo fiet Domino concedente, quia venit lapis angularis miſſus à Deo, iſte videl. frater comitis de Marka, qui faciet utraque unum, hoc eſt, utramque terram in unitate pacis & concordiæ ſolidabit. Et ego de ſua ſublimatione nonne merito gaudere debeo cum gaudentibus? qui tempore non parvo die noctuque laboravi, & ſollicitus fui circa ipſum, & pro ipſo, ut ſic proficeret & ſe regeret, quod ſtatum talem, qualem nunc adeptus eſt, mereretur accipere. Sed quam ab eo de meo labore mercedem habeo? quam retributionem expecto? Merces mea hæc erit: ſi bene ſe rexerit in moribus, & in vita, & in ſuis agendis Deum ſemper habeat præ oculis, ut faciat judicium & juſtitiam: ut ſtudeat pacem facere in terra ſua, & ſervet cum vicinis ſuis pacem, quantum in eo eſt: ut faciat vias & ſtrata in ſuis terminis ſecura pro tranſeuntibus. Terram ſuam & jura ſua cum adjutorio ſui fratris, & aliorum ſuorum conſanguineorum, quos circa ſe per Dei gratiam habet quam plures potentes, gladio temporali & ſpirituali viriliter defendat. Aſſumat ſibi in conſilium de Capitulo, & de patria viros diſcretos, maturos & juſtos, qui non quærant munera: ſequatur potius conſilia ſenum, quam juvenum, ſuo ſenſui pertinaciter non inhæreat, ut non velit audire conſilium familiæ ſuæ: ſciat bene præeſſe & bene nos regere: habeat familiam neceſſariam, & non ſuperfluam, habeat honeſtam, & non inutilem: expenſas ſuperfluas & inutiles devitet. Hæc & ſimilia faciendo, & taliter ſe regendo, erit Deo dilectus & hominibus: & Romanæ curiæ, quæ ipſum ad hunc provexit honorem, erit gratus, ita quod ex hoc non ſolum ipſe ſecundum ſpem ſibi promiſſam erit adhuc amplius exaltatus, Deo concedente: ſed & fratres ſui, & tota ejus parentela melius inde valebunt. Et ſic ego laboris mei habeo mercedem, & aliam non poſco. Nam à juventute mea progenitorum meorum ſequens veſtigia ſemper fui Comitatus de Marka fervens zelator, ejus cupiens augeri potentiam & honorem. Sicque ab annis 50. vel circiter Comitib. de Marka & eorum filiis, prout potui, ſervivi, intendens & cupiens, ut filii, qui ad diſcendas literas ponebantur, taliter addiſcerent, taliter ſe regerent, taliterque regerentur, ut ſic proficerent, quod in Clericatu ad talem provenirent ſtatum, quo poſſent merito contentari: Ita quod Comitatus in diverſa dominia nullatenus partiretur. Sciebam enim & ſcio, quod partitio Comitatus & ejus diviſio, ſit deſtructio ejus, ſicut ſuperius ſufficienter oſtendi. Quapropter conſulo quod Comites de Marka, qui fuerint pro tempore, filios ponant ad diſcendas literas. Nam magnus eſt defectus in principe vel magnate, neſcire literas. Provideant quoque ſibi, ut præficiant ſibi viros maturos, & filiis ſuis viros bene literatos, fideles & honeſtos, qui eos inſtruant, non ſolum in literis & doctrina ſcholaſtica, verum etiam in converſatione honeſta, & bonis moribus atque vita. Tales autem ad tale regimen nobilium eligendi ſunt, non de conſilio eorum, qui non diſcernunt inter idoneum & non idoneum, inter utilem & non utilem: ſed de conſilio virorum prudentium & fidelium, qui ſunt literati. Et in hoc non attendantur preces, ſed magis filiorum utilitas. Ne contingat, ſicut olim ex Comitibus de Marka cuidam contingebat, qui pro filiis ſuis ſine conſilio eligebat talem, qui parum ei utilis exiſtebat, neque ad inſtruendum eos in ſcientia & in ſcholaſtica doctrina, neque ad informandum eos in bonis moribus & in vita.

De cætero expedit nunc, ut quieſcam ab opere præſenti, & junior aliquis & peritior, qui Comitatum de Marka diligat, mihi ſuccedat, & hoc opus corrigat & emendet: & illa, quæ deinceps temporibus futuris contigerint, quæ digna fuerint memoria, conſcribat, & huic operi ſuperaddat, ſi placet. Tempus enim eſt, ut ego amodo recolligam me, & ſollicitudines ſecularium negotiorum & curam excludam à mente, ut qui die B. Agnetis nuper præterita, ætatis meæ 80. annum incepi, modicum illud temporis mei, ſi quid inde mihi reſtat, utilius expendendo, quam prius mortem, quam ſemper mihi ſuſpicor eſſe propinquam, poſſim tanto ſecurius expe-

Digitized by Google

expectare. Rogo igitur, cum Dominus meus Comes venerit ad Altena, & fuerit in caſtro, ut iſte libellus ex parte mea muneri præſentetur. Cujus muneris ſi vilipenditur æſtimatio, mei tamen laboris circa hoc impenſi non contemnatur, precor, affectio. Præterea volo, quod libellus iſte extra caſtrum non portetur, ne perdatur: ſed maneat in cuſtodia uxoris Domini Dithmari militis conſanguinei mei, vel in cuſtodia Capellani caſtri, quando uxor Domini Dithmari præſens non fuerit. Et iſti duo poterunt librum cui voluerint commodare, dummodo reddatur, & non deportetur de caſtro: Et volo, quod filius Domini Dithmari prædicti, ille videlicet, qui erit Capellanus poſt eum, una cum capitulo caſtri ipſius libri ſit conſervator & cuſtos.

Verſus ſequentes Codici Swartziano erant ſubſcripti, quos addendos putavi:

Millenus ter-centenus ſimul octoque genus
Quartus, inceptus Nati-Domini fuit annus,
Decimus Aprilis ſcripti fuit ultima finis.

Finis Annalium Markenſium D. Levoldi de Northoff.

SVPPLEMENTVM LEVOLDI NORTHOVII, CUJUS SUPRA MENTIO FACTA.

IDEM Adolfus poſt quoddam annorum curriculum per quoſdam Cardinales, licet citra illius præſcientiam, ad archiepiſcopatum Colonienſ. quam dignitatem patruus Engelbertus Epiſcopus Leodienſis pro ſemetipſo & quidem fruſtra affectaverat, promotus eſt. Cum vero Theodoricus Comes Clivenſis Adolfi avus maternus abſque maſcula prole deceſſiſſet, iſte Comitatus Clivenſis ad memoratum Epiſcopum Colonienſem Adolfum devolutus eſt. Sic ille cum vix IX. menſibus archiepiſcopatui præfuiſſet, aſſenſu & complacito Romani Pontificis & Cardinalium dictum archiepiſcopatum patruo ſuo Engelberto Epiſcopo Leodienſi, cujus ſupra mentio facta eſt, reſignavit. Qui Leodienſi Epiſcopatu relicto Colonienſem, quippe quem dudum affectaverat, benevole complexus eſt: ille tamen ægritudine corporis, poſtquam iſtum archiepiſcopatum adeptus fuerat, mire divexatus fuit. Idem propter Andernacenſium tum malitiam, tum contumaciam ut plurimum teloneum (ibi enim vectigal antea exigebatur) Andernaco Lincium tranſtulit, quo inſuper etiam molam exſtruxit. Ille ſimili cura oppidulum Sulpeke quondam Juliacenſibus Ducibus oppignoratum, qui illud multis jam annis poſſederant, ad archiepiſcopatum redemit. Cum vero infirmiori valetudine corporis detineretur ille, conſenſu & voluntate capituli vicarium ſibi & adminiſtrum Cononem archiepiſcopum Trevirenſem conſtituit, ipſe autem morbo magis & magis ingraveſcente morte vitam commutavit, Anno Domini MCCCLXIX. die Saturni poſt Bartholomæi.

Commemoratus vero Cono, ut ſempiterno beneficio erga archiepiſcopatum demereretur, Comitatum Arnsbergenſem cum omnibus attinentiis & juribus ſuis emit à Godefrido Comite de Arensberg, illumque diœceſi Colonienſi dono dedit: Comiti vero ut domicilium haberet, commutatione facta arcem Broele cum omnibus proventibus ſuis & inſuper decem aureorum millibus quotannis paciſcitur. Facta ſunt hæc anno MCCCLXIX.

Engelberto archiepiſcopo fato jam ſublato, in regimine archiepiſcopatus Fridericus Dominus à Sarvverdo & Mourſa, archiepiſcopi Cononis ex ſorore nepos, ſubſecutus eſt. Qui quidem poſtquam magnanimus vir extitiſſet, & multum apud Cæſarem auctoritate polleret, plus nimio ſibi in primatus honore arrogavit, & eo audaciæ devenit, ut civitatem Colonienſem in ſuis juribus & privilegiis impediret. Quamobrem civitas, ut hujuſmodi injurias depelleret, bellum cum Archiepiſcopo ſuſcepit. Archiepiſcopo in auxilium ſe junxere Dux Brabantinus & civitas Aquenſis. Colonienſibus vero contra archiepiſcopum adſtitit Engelbertus Comes de Marka, qui ex ærario urbis iſtius dicitur habuiſſe XVI. aureorum millia. Literæ quibus Archiepiſcopo renunciabant, non Colonienſium, ſed quorundam ſuorum amicorum, quorum gratia illi fidem renunciare cogerentur, mentionem faciebant. Igitur Engelbertus Comes civibus Colonienſibus aſſociatus, die D. Gereonis in diœceſi Colonienſi Lechenich, Gimmenich & vicos atque pagos circumjacentes incendiis corrumpit & devaſtat. Proximo vero poſt Remigium die archiepiſcopus Fridericus cum Bonnenſibus, Sechtin & Waltorp incolis in campum contra Comitem, tanquam cum eo conflicturus egreditur, ſed Epiſcopus citra prælium circa meridiem ſeſe cum ſuis intra Bonnæ muros recepit. Tum archiepiſcopus Comiti, quod illi ſalva pace & pacto in Weſtvalia inito, minime liceat ſibi renunciare, ſcripſit. Igitur Præfecti & Officiati terræ Colonienſis poſtquam diffidationis ab Archiepiſcopo certiores facti & hoſtilia moliri juſſi, Comitis terram incendio & præda & omnis generis damno infeſtam reddidere, idque potiſſimum in confinibus utpote Herdinchuſii & circa Reklinkhuſen.

Eodem anno in ipſis Bacchanalibus cum Comes Engelbertus arcem Botzler inſediſſet, & captam funditus, excepto Henrici de Monſter domicilio devaſtaſſet & demolitus fuiſſet, ab utriuſque partis arbitris & conſiliariis quædam pacis tranſactio paciſcitur. Poſtea vero quam Adolfus Engelberti Comitis frater Epiſcopatum Colonienſem & Monaſterienſem reſignaſſet, & terram Clivenſem, tanquam ex matre heres auxilio fratris & aliorum amicorum præoccupaſſet, duxit uxorem Margaretam Comitis Montenſis ſororem A. Domini MCCCLXX. quæ illi anno MCCCLXXIII. die Stephani protomartyris primogenitum filium Adolfum, poſtea primum Ducem Clivenſem factum, & poſt anni curriculum ſecundum, Theodoricum nomine peperit.

Anno Domini MCCCXCI. die Martis poſt Bartholomæum, Engelbertus, Comes de Marka, expedito exercitu, Rheno trajecto diœceſin Colonienſem ingreditur, inque ea IX. noctibus & totidem diebus paſſim oberrat. Prima nocte apud Urdingum oppidum, ſecunda apud Zons, tertia & quarta inter urbem Colonienſem & arcem Bruele, quinta in Bruvvilern, ſexta & ſeptima in Friſſem, inter Lechenich & Galpe pagum, octava in Frimerſtorp, apud arcem Comitis de Ritterſcheidt, nona vero nocte rurſus ſuper Rhenum ante Orſoi oppidum Clivenſe conſedit. Haud parva ſane diœceſi damna illata ſunt, ſiquidem ultra XXX. milliaria peragravit terram, domicilia pagana paſſim corrumpens populationibus & incendiis. Ad hoc vero conducebatur regio Montenſis, terra de Nuenar ſive Morſenſis, terra de Linne, & terra Kempenſis, & alii pagi complures.

FINIS SUPPLEMENTI.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI MEIBOMII NOTÆ AD LEVOLDI NORTHOVII ORIGINES MARCHANAS.

COmitatum de Marca) *Comitatus Marcæ Weſtvalicæ eſt ampliſſimus, ut inter Rhenum & Albim vix parem habeat. Præfecturæ in eo ſunt XV. & totidem urbes ac oppida. In quibus merito principatum ſibi vendicat Suſatum, perquam vetuſta & opulenta civitas. In iſto tractu antiquis temporibus habuerunt domicilia & ditiones ſuas Barones ſive Dynaſtæ, Caſtorpii, Crangii, Ruenthalii, Vitinckhovii & Wolmunſtenii, quorum familiæ à ſtirpe interierunt. Eſt præterea in agro Marchano Tremonia civitas Imperialis, vulgo* Dortmund, *de cujus antiquitatibus præclare Chytræus Saxon. lib. XVII. Eſt cœnobium Werdenſe, cujus abbas inter Imperii principes cenſetur. Eſt denique collegium Eſſenſe, quod Sacerdotes maximas, ſive Abbatiſſas, non niſi ex Principum, Comitum & Baronum filiabus eligit, quæ ſimiliter inter ordines Imperii locum habent. Solum in hoc Comitatu frugum fructuumque eſt feraciſſimum, piſcoſisque fluminibus Lippia, Rura, Lena, aliisque irrigatur. Invenias ibi fontes limpidiſſimos, ſilvas amœniſſimas, paſcua & prata florida: ut ſumen Weſtvaliæ non immerito dici, nomenque ipſum à medulla promanaſſe credi poſſit.*

* Hæc verba omnia Avi mei, ne unico quidem mutato tranſtulit, nomine ejus non addito, *Hermannus Stangevolius in præfationem l. III. Annalium circuli Weſtphalici.* Cujus quidem Viri opus Hiſtoricum & Chronologicum eo nomine hic à me laudatur, quod in eo contineantur non pauca de Comitatu Marcano ejuſque Dominis & poſſeſſoribus, excerpta ex libris plurimis, etiam nondum editis, ut *Chronico Clivenſi, Gerhardi Cleinſorgii, Gerhardi* de Schuren, *nobilis ab Hövel,* aliorumque hiſtoriis: quamvis multa in illo, ſatis confuſe omnia narrante, deſideres.

In Schola Leodienſi) *De collegio Leodienſi præclarè Chronicon Belgicum magnum his verbis:* Fuerunt hoc tempore *(Anno MCXXXI.)* in Eccleſia Leodienſi canonici reſidentiam facientes, filii Regum XXI. Ducum quoque filii XIV. Comitum vero XXIX. militum & Baronum VII. inter quos etiam fuere plures diverſarum gentium Doctores & Magiſtri ſolemnes. *Adi Merſæi catalogum Epiſcoporum Leodienſium, ubi variat.*

Pro quibus vos oporteat multitudinem fidejuſſorum ponere ad comeſtus) *Intelligit pactum obſtagii, quo fide-juſſores, nomine principalis debitoris in caſu non factæ ſolutionis, tempore convento & conſtituto obſtringunt ſe creditori, quod requiſiti ab ipſo, ejus heredibus, vel alio ejus nomine, ad hoſpitium publicum ſibi pro obſtagio nominatum, omnes & ſinguli cum tot miniſtris & equis, quot in tabula cautionis ſint expreſſi, ingreſſuros, neq; inde exceſſuros, donec creditori tam de ſorte quam de uſuris, damnis & expenſis omnibus ſatisfactum ſit. Germanic.* Einritt und Leiſtung / oder Leiſtmanung. *De iſto pacto vide Daniel. Molleri JCti ſemeſtria libro tertio capite 30. Andreæ Gailii obſervationes practicas, l. 2. c. 45. Morem iſtum in hiſce regionibus ante Annos CCC. uſitatum fuiſſe didici ex literis Balduini de Wenden junioris, in quibus iſta:* Ad abundantiorem vero cautelam honorabiles viri Borchardus ſenior, & Borchardus junior dicti de Bertensleve, Henricus & Ludolfus milites & Georgius famulus de Wenden, nobiſcum compromiſerunt, quod ſi prædicti filii noſtri ac filiæ, aliquo interveniente obſtaculo, poſtquam requiſiti fuerint, dictam proprietatem non reſignarent, aut minime conſentirent, ex tunc jam dicti milites & famulus una nobiſcum, & nos cum eis, civitatem Bruneſwich intrabimus, ibidem manſuri, nec inde exituri ſine licentia emtoris. *Litteræ datæ ſunt MCCCXIIX. propter fœdum abuſum, quem idem Mollerus deſcribit, iſta pacta ex Electoratu Saxoniæ primum, deinde ex toto Imperio eliminata ſunt.*

* In

Digitized by Google

* In conventione Ottonis IV. Imp. cum Theodorico Miſniæ Marchione: item in Forma Unionis inter eundem Imp. Ottonem & Albertum Marchionem Brandenburgenſem: item in Forma compoſitionis inter Ottonem Imp. & Ludovicum Ducem Bavariæ: quæ omnes editæ ſunt à Madero cum Gervaſio Tilberienſi N. X. XI. & XII. talia obſidum datorum exempla illuſtria extant.

Duo igitur erant fratres) *Henricus de Hervordia, monachus Dominicanus ædis San-Paulinæ in urbe Minda, quem Trithemius, & qui eum ſequuntur, perperam Erfordienſem nominant, de hac re ita.* Hic eſt notandum, duos Comitatus illos, de Marka & de Monte, ſub Henrico Quinto Romanorum Imperatore anno Imperii ſui XVI. Anno vero Domini MCXXII. de quorundam ſententia in hunc, qui ſequitur, incepiſſe modum. Duo namque fratres germani Adolfus & Eberhardus, nobiles Romani de genere Urſinorum, per dictum Imper. ad partes Weſtvaliæ perducuntur, cujus freti auxilio & favore loca tuta pro conſtruenda habitatione inquirunt & inveniunt. Primus ex illis Adolfus fundat caſtrum in monte, Wolveshegge ab incolis dicto, in terminis Comitis de Arensberg ſito. Qui Comes percipiens caſtrum in præfato monte ædificari, hortatus eſt, ut ab incepto deſiſteret, dicens nimis prope eſſe terminis ſuis: & ob hoc ipſum caſtrum ab ædificantibus dictum eſt ALTONA, id eſt, nimis vicine. Cum vero Comes de Arensberg niteretur eos obſidione à loco repellere, præ loci fortitudine deſtitit: deinde fratres iſti alia bona ad idem caſtrum comparantes, divitiisque aucti, Comites de Altena, nunc vero de Marka dicti ſunt. Alter vero frater Everhardus ædificavit caſtrum de Aldenberge in terra Montenſi. Et ſic ab iſtis duobus fratribus duo prædicti ſpectabiles Comitatus, Markenſis & Montenſis, originem ceperunt. *Hæc Fr. Henricus de Hervordia, citante Chronico Belgico magno pag. CLXXX.*

Romanorum proſapia & progenie procreati, videlicet Urſinorum) *Generoſa & illuſtris familia, cui primum arx Altena, deinde Marcana nomen fecit, ſine dubio fuit ex nobilitate Saxonica, quæ priſcis iſtis temporibus diffuſa fuit & numeroſa. A Ludovico Pio Romanorum Imperatore omnes Saxonici Comites evocantur ad bellum Danicum: annales Pithœani ad Annum DCCCXV. Totius Saxoniæ Comites ſimul cum Marchionibus indicantur in iisdem annalibus ad Annum DCCCXXIIX. Duces Saxoniæ reperias in vita Ludovici Pii, à Pithœo edita, pag. 372. Vide præter hos Aimonum libro 4 capite 97. Crancium in Saxonia libro ſecundo, capite decimo ſexto. Ecce hic nobilitatem Saxonicam & in ea Duces, Marchiones, Comites. Faceſſant igitur otioſæ & frivolæ aſſertiones de Romana iſta principum noſtrorum origine. Neſcio quid ſuperioris ævi ſcriptores impulerit, quod illos ex Italia, quam patriis regionibus arceſſere maluerint. Ab Urſinis Romanis deducit principes Anhaldinos Erneſtus Brotuſius: Duces Megapolitanos innominati ſcriptores apud Crantium in Wandalia: Comites Lippienſes Bernhardus Wittius in Chronico Lippienſi MS. Ad Columnenſes Romanos refert Marchiones Hochbergios Franciſcus Irenicus: Comites Oldenburgios Joannes Sciphower: Comites Zollerianos ſcriptores per-quam multi. Quam-bene, imo quam-inepte, monent Crantius in metropoli libro ſexto, capite tertio. Wandalia libro decimo quarto, capite trigeſimo tertio. Peucerus in Chron. Philippico lib. 5. Cyriacus Spangenb. Chron. Henneberg. lib. 1. cap. 2. Hermannus Hamelmanus præfat. Chron. Oldenburg.*

* Addam conjecturam aliquam viri eruditi *Ægidii Gelenii ex Auctario hiſtoriæ S. Engelberti*, ubi cum multa de origine Comitum Altenaniorum diſputaſſet, ita loquitur pag. 306. *Ex his omnibus fabuloſam eſſe concludo Comitum de Altena originem, quaſi ſint ex Urſinis oriundi, cum ex Advocatis proficiſcantur Tuitienſibus, ex quibus Hermannus vivebat ſub Ottone II. Imp. At ſi fuiſſent Urſini, jam non ſub Ottone II. ſed III. vixiſſent; eò, quod cum Ottone III. ex Italia in has provincias dicantur migraſſe. Commento tamen priori occaſionem exiſtimo datam ex Urſini homonymia. Urſos enim & Urſinos appellant frequentiſſimè Trans Rhenani, qui & parta tuentur, & ea omnino non vel ægrè eripi ſibi patiuntur, exemplo urſi, qui infantem vel hominem complexu ſuo coercitum vel nullo modo vel difficulter ſanè dimittit. Ita dum hos duos fratres à caſtri Altenani ædificatione removere, aut in ejus conſummatione impedire non poſſent vicini Comites, ab ipſis Urſinos exiſtimo fuiſſe appellatos.*

Comite

Digitized by Google

Comite de Arensberg) *Dynaſtia hæc inter Weſtvalicas antiquiſſima creditur. Anno Chriſti DCLX. vixiſſe ſcribitur Guntherus Comes Arensbergius. Quomodo ab una ad aliam familiam devoluta ſit, petatur ex Spangenb. Chronico Querfurtenſi lib. 2. cap. 15. & 43.*

Peregrinus) *Hermannus Contractus, Marianus Scotus & Sigebertus Piligrinum indigitant.*

Hic Wandalitios invadit) *Intelligit Slavos Leuticos, ab Henrico III. Imp. domitos, ut annotat Hermannus Contractus ad Annum MXLV. Confundit autem Levoldus Wandalos (quos novo vocabulo* Wandalitios *appellat) cum Henetis: quem errorem erravit etiam Helmoldus in ſua Slavia: ſequitur Crancius in Wandalia. Refutarunt Cromerus hiſtoriæ Polon. lib. 1. cap. 2. & 5. Goropius lib. 5. Spangenbergius Chron. Saxon. cap. 14. Leutici, ſive Lutici, Slavi alio nomine dicti fuere* Wilzi, *à lupina rapacitate: diverſi à Luzicis, qui Luſatiæ nomen dederunt.*

In bello in diœceſi Leodienſi) *Belli hujus cauſas exponit Chronicon Belgicum in hiſtoria Alexandri Epiſcopi Leodienſis. Principes, qui omiſſis nominibus hic indicantur, fuere Lovanienſis Godfridus: Walramus ſive Walrabus Limburgenſis: Flandrens. Theodoricus: Brabantini nomen non reperi.*

Non modica hominum ſtrages) *Chron. Belg. DCCCCXXIV. homines occubuiſſe refert. Catalogus Abbatum Veteris-Campi addit Comitem Eberhardum in hoc prælio vulnus in capite accepiſſe.*

Grangiam monaſterio Morimundo pertinentem) *Grangia eſt vocabulum monaſticum, ſignificans villam ſive prædium, vel borreum ſpicarium. Franco-gallis* Grange *Apud* Urſbergenſ. *pag. 311.* Otto Palatin. interfector Philippi Imp. ab Henrico Calatino obtrucantur in quadam grangia non procul à Ratisbona. *Sic in Monumentis Vallis Mariæ prope Helmæſtadium,* Grangia Mammendorp: grangia Eskenrode, grangia Hakenſted. *Qui grangiis iſtis præerat,* grangiarius *dicebatur.*

Milites ejus miniſteriales) *Miniſteriales ſunt noſtri equites,* die Ritterſchafft. *Saxonibus* die ehrbare und gute Männer: *à miniſterio, quod ratione clientelæ principibus debent,* Knapen oder Knechte. *Latine ſervi, ſervientes, & famuli: ſic enim loquuntur diplomata. Diſtinguuntur & quaſi opponuntur liberæ conditionis hominibus, ut apud Bruſchium de monaſter. pag. 41. Ex his qui torque donabantur, Milites,* Ritter *appellabantur, reliqui Famuli vel ſervi. Exemplo ſit diploma Magni ducis Brunſuicenſis, quod hoc modo clauditur:* Teſtes hujus rei ſunt Gevehardus & Burchardus de Werberge, nobiles: Lippoldus de Vreden, & Baldewinus de Dalem: milites: Henricus de Veltheim, & Burchardus de Aſſeburg famuli. *Anno MCCCLVII. Et in alio tranſactionis inſtrumento:* Nos Burchardus de Aſſeborg, Joannes de Oberge, Conradus de Saldere, milites: Gebhardus de Werberge, Heinricus de Heimborg, Gunzelinus de Aſſeborg, Burchardus de Aſſeborg dictus Lochte, Gebhardus de Bortfelde, Ludolfus de Veltheim, famuli. *Rem explicat paucis Fabricius in Chronico Miſnenſi his verbis:* Illo tempore (*circa Annum MCCCLXXX.*) non amplior virorum nobilium fuit titulus, quam ut ſtrenui famuli nominarentur, quod literis probari poteſt: Equites vero aurati, ut dicerentur milites. *Adi Crantium in Metropoli libro 1. capite 2. lib. 3. cap. 11. Morem initiandi Milites, & ordinis militaris regulam vide in Chronico Belgico pag. 244.*

Abbatem Morimundenſem) *Monaſterium hoc invenio fundatum Anno MCXIV. Eſt autem diœceſis Lingenenſis in Galliis.*

Nobilem virum Zizonem Comitem) *Reticet familiæ nomen, more mediæ ætatis ſcriptoribus Germanicis uſitato. Quem jure reprehendens Joachimus Camerarius V. CL. in Chronolog. Nicephor. ſic ſcribit:* In ſcriptoribus noſtratibus oſcitantia quædam reprehendi & futilitas poſſit: qui quaſi omnibus æque explorata & nota atque ipſis, quæ exponerent, quaſique etiam poſteri tum præſentes eſſent, ita neque explicate, neque diſtincte, tam de negociis, quam rebus verba fecerunt, cum nominibus perſonas varie confudiſſe reperiantur. De quibus quid poſſimus nos aliud, quam optare, plus fuiſſe in illis diligentiæ prudentiæque & doctrinæ? *Hæc ille. Fuit autem Zizo Comes, de quo Levoldus hic agit, familiæ Keferbergiæ apud Thuringos. Arx quæ Comitibus nomen dedit, vicina eſt Arnſtadio, Comitatus Suartzburgici oppido non ignobili. Zi-*

Digitized by Google

zonis nomen more majoribus noſtris uſitato abbreviando corruptum eſt, dictus enim fuit Sighardus. Quemadmodum autem Bernhardum Brunonem; Burchardum Bucconem: Conradum Cunonem, Eberhardum Epponem, Godefridum Godeconem, ſic Sighardum Siſonem vel Sizonem dixere. Sighardi hujus meminit Paulus Langius in Chronico Citizenſi, affirmans Eccleſiam Naumburgenſem ab ipſo conditam: idque probat teſtimonio vetuſti cujuſdam voluminis, in monaſterio Vallis-Sangeorgianæ reperti. Zizo memoratur in deſcriptione Salæſt. qui liber ſub nomine Georgii Grotſclii Lipſiæ prodiit. Adducitur etiam teſtis in quodam privilegio à Conrado Tertio Imperatore Anno MCXLIX. monaſterio Ebracenſi in Franconia dato, ubi hæc exſtant verba: Comes Siſſo de Thuringia. *Diploma exſtat apud Bruſchium de Monaſteriis pag. 40. Meminit Spangenbergius Chronic. Henneberg. libro ſecundo, capite nono. Quod vero cœnobium San-georgianum à Comitibus Keferbergiis conditum ſit, affirmat Fabricius Originum Saxonicarum libro ſexto. Annum fundationis MCXLVII. annotavit auctor Chronici Thuringici à Piſtorio publicati. Sigfridus presbyter Baſilicam ibi conditam ſcribit Anno MCXLII. quem ſequitur Petrus Albinus in Chronico Miſnenſi, titulo duodecimo, ubi Zizonem noſtrum Sittichum appellat. Vetus eſt familia Keferbergia. Nam ex hac oriundum volunt Hugonem illum, quem Divus Bonifacius primum ex nobilitate Thuringica ad Chriſtianiſmum inflexit, ſacroque fonte abluit Anno DCCXXIIX. Ejuſdem familiæ Comites Anno DCCCCXXV. condiderunt monaſterium Waſſenbergenſe, quod ſequentibus annis migravit Arnſtadium. Arx ejus nominis adhuc apud Thuringos ſupereſt. Tempore Conradi Salici vixit Guntherus Comes Kefernbergius, qui Ludovico Barbato, primo Thuringorum Comiti, familiaris fuit, eique de ſuis poſſeſſionibus prædia nonnulla divendidit, circa Annum Chriſti MXLV. Tempore Conradi III. Imperatoris vixit hic Zizo, Siſſo, Sittichus, ſive Sighardus de quo nunc agimus: in ejus matrimonio fuit Giſella, Giſſele ex qua ſuſtulit duos filios Henricum & Guntherum, ut Levoldus noſter. Henrici Leonis Saxon. & Bavariæ Ducis συγγενὴς fuit alius Guntherus, qui Ludolfo & Wulbrando fratribus Comitibus Hallermundiis in Palæſtina defunctis (Bremenſe Chronicon MS. cum Imperat. ſubmerſos affirmat) decimam agrorum ad pagum Mander, quam Comites iſti beneficio Leonis poſſidebant, Leo vero jure feudali ab Epiſcopo Hildeſienſi tenebat, ſibi concedi petens, etſi nonnulla alia ab Eccleſia Hildeſienſi impetraret, in hoc tamen repulſam paſſus eſt. Idem cum Ottone Epiſcopo Monaſterienſe Coloniæ, juſſu Cæſaris Ottonis capto, Werdine ad Ruram in carcerem compactus eſt, ex quo poſt annum uterque liberatur opera Adolfi Comitis Montenſis, ut teſtatur Albertus Stadenſis ad Annum MCCXV. Alius ejuſdem nominis, cum filio Bertholdo captus eſt à Rudolfo pincerna de Varila Anno MCCXLIIX. ut Chronicon Thuringicum. Pincernam iſtum alii Waltherum vocant. Bertholdus ille, cujus meminimus antea, ceperat Henricum Bambergenſ. Epiſcopum, ſed dimittere coactus eſt, Anno MCCXLVI. Unde triginta annis poſt Guntherus Kefernbergius cognomento ſenior Henrico Comiti Hennebergio caſtrum ſive præfecturam Elgersburg CD. marcis argenti vendidit. Idem Guntherus ab eodem Hennebergio captivus abductus eſt: cauſam exponit Spangenbergius Chronico Henneb. libro tertio capite primo. Guntherus Junior ſenioris F. vixit in aula Woldemari marchionis Brandenburgenſis, Landsbergenſis & Luſatienſis: teſtis ab eo adducitur in literis datis Anno MCCCX. Ejuſdem Marchionis munificentia accepit in feudum dynaſtiam Luchovienſem, familia Comitum exſtincta. Inveſtitura facta eſt Anno MCCCXIX. verum anno inſequenti totum iſtum agrum vendidit Ottoni Duci Brunſuicenſi, cognomento ſtrenuo. Idem Guntherus junior urbem & caſtrum Ilmena, cum pago Kirchheim, vendidit Henrico principi Hennebergio Anno MCCCXL. Clauſit hanc familiam Guntherus junioris filius, vel nepos. Is ducta Mechtilda Mansfeldia, Burchardi F. Anno MCCCLXXIX. cum ſterile haberet matrimonium, totum ſe religioſis negotiis mancipavit. Quinquennio poſt initum matrimonium pietatis ergo Hieroſolymam profectus eſt: qua perluſtrata ad montem Sanctæ Catharinæ pergens in itinere obiit, vir ætatis florentis. Cadaver defuncti in Thuringiam relatum in Valle-Georgiana una cum armis & inſignibus eſt tumulatum. Ditio Kefernbergia ad Balthaſarum Thuringiæ Landgravium devenit, ut Fabricius Origin. Saxon. libro ſexto. Spangenberg Chronic. Saxon. capite ducenteſimo nonageſimo octavo. Inſignia hujus Dynaſtiæ fuere, Leo coronatus, flavi coloris, capite & collo inverſo, ſtans in campo cœruleo, ut annotat Petrus Albinus in Chronico Miſnenſi. Hæc de per-antiqua iſta familia quaſi per*

Saty-

Digitized by Google

Satyram. Unum hoc loco addam, etſi alibi à nobis etiam indicatum ſit, nempe errore non levi familiæ Kefernbergiæ adſcribi Albertum & Wilbrandum Fratres, archiepiſcopos Magdeburgenſes, cum abſque omni dubio è Saxonibus Comites fuerint Hallermundii. Errorem hunc errat Spangenbergius in Chron. Saxon. Pomarius & Wernerus in annalibus Magdeburgicis, decepti à Chronico veteri Saxonico vernacula lingua ſcripto, & Anno MCCCCXCII. Moguntiæ impreſſo. Sed ut huic fidem derogem, & in aliam ſententiam eam, movent me indubitata vetuſtatis monumenta. Vidi enim literas Alberti & Wilbrandi archiepiſcoporum, vidi Ludolfi Comitis Hallermundii, qui horum frater fuit. Alberti literæ ita ſe habent: Omnibus ad quos præſens pagina pervenerit, Albertus Dei gratia Magdeburgenſis Eccleſiæ archiepiſcopus. Notum ſit omni generationi futuræ, quod Wilbrandus frater meus, Sancti Nicolai Præpoſitus, & Ludolfus frater meus Comes de Hallermund, Eccleſiæ N. unum manſum in Ekenbardeleve, quem Burchardus ab ipſis tenuit, communi contulerunt conſenſu. Ut autem hujus donationis firma ſit collatio, eam ſigilli noſtri, & prædictorum meorum fratrum impreſſione firmavimus Anno MCCXX. *Wilbrandi diploma tale eſt:* Wilbrandus Dei gratia SanctæMagdeburgenſis Eccleſiæ Præpoſitus, & in ejuſdem Eccleſiæ archiepiſcopum electus, univerſis Chriſti fidelibus hanc literam inſpecturis ſalutem. Cum frater noſter Comes Ludolfus de Hallermund, recipiens bona pro bonis, Eccleſiæ N. contuliſſet proprietatem quinque manſorum & dimidii, qui ſiti ſunt in villa Levede, nos amore retributionis æternæ talem commutationem ratam & gratam habentes, facto fratris noſtri impertiri curavimus noſtrum beneplacitum & conſenſum. Datum Magdeburg Anno MCCXXXV. Quarto Non. Julii. *Ludolfi Comitis literæ ita clauduntur:* Porro ne quis forſan in futuro auſu temerario eandem Eccleſiam de bonis prædictis moleſtare præſumat, legitimorum hæredum noſtrorum, videlicet, reverendi Domini & fratris noſtri Wilbrandi Magdeburgenſis archiepiſcopi, & dilectæ ſororis noſtræ Adelheidis Comitiſſæ de Racisborg, filiique noſtri Ludolfi voluntarium & beneplacitum aſſenſum huic ſchedulæ inſcripſimus. Acta ſunt hæc Anno MCCXXXVII. Epacta XII. Concurrente III. Indictione X. *Vides hic plana & perſpicua omnia. Albertus & Wilbrandus archiepiſcopi fuere germani, quod etiam confirmat Chronicon Lauterbergenſe MS. ubi hæc verba invenias:* Otto majoris Eccleſiæ præpoſitus immatura morte vitæ terminum conſecutus eſt, cui in præpoſitura ſucceſſit Wilbrandus frater archiepiſcopi. *Hæc ibi. Utriusque Archiepiſcopi frater fuit Ludolfus, ut oſtendimus: atque ille non Kefernbergius, ut Chronic. Saxonic. non Kirchbergius, ut Crancius in metropoli, ſed Hallermundius ex Saxonibus. Taceo quod horum Comitum familiæ nomen Wilbrandi uſitatum fuerit. Wilbrandus Comes Hallermundius refertur ab Helmoldo libro ſecundo, capite trigeſimo ſecundo. Huic fuere tres filii, Borchardus, Ludolfus & Wilbrandus, teſte Hermanno Lerbecio in Chronico Schauenb. MS. Ultimi ejus familiæ fuere Otto & Wilbrandus, quorum hic ex abbate Corbeienſi electus eſt Epiſcopus Mindenſis: vide Crancium in metropoli libro nono, capite quadrageſimo ſecundo, ubi* Wullebrandus *ſcribit, quomodo hodie etiam vulgus loquitur. Atque iſta per occaſionem, tollendis ex Crancio aliisque recentioribus Hiſtoricis quibusdam erroribus inſervitura.*

Cœnobium Montis-Veteris) *Catalogus Abbatum Veteris-Campi in diœceſi Colonienſi (nam Novus-Campus fuit in Pomerania, Colonia ex hoc deducta) à Joanne Ditmaro Coloniæ Anno MDLVII evulgatus, hanc fundationem collocat in annum MCXXX.*

Cives Moguntini Archiepiſcopum ſuum) *Arnoldus Moguntinus Antiſtes cives Moguntinos debellaturus, cum in Monte-ſpecioſo exercitum præſtolaretur, à civibus urbe erumpentibus, in monaſterio Sancti Jacobi occiſus, totumque monaſterium in cineres redactum eſt. Additiones ad Schafnab. Bruſchius de Epiſcopis Moguntinis: Trithemius in Chron. Sponheimenſi parricidium hoc & pœnas collocat in Annum MCLXIIX.*

Albertus Epiſcopus Leodienſis) *Hic ex archidiacono eligitur epiſcopus Leodienſis: ſed Imperator Henricus VI. pecunia corruptus, ſive Leodienſis potentiam metuens, ut Neubrigenſis libro quarto, capite trigeſimo quarto, Lothario Præpoſito Bonnenſi Epiſcopatum tribuit. Papa Cœleſtinus cum ex Alberto Romam profecto rem totam coram cognoviſſet, ad Wilhelmum archiepiſcopum Rhemenſem, ut ab eo conſecraretur, Albertum ablegavit, quod cum Imperatori aliiſque innotuiſſet, miſſi ſunt, qui innocentem trucidarent.*

Epitaphium ejus tale legitur.

Legia me legit: electum Roma probavit:
Rhemis ſacravit, ſacratum martyriſavit.

Ducis Brabantiæ) *Henrici ejus nominis Quinti, qui Anno MCCXXX. obiit, alii Ducem Lovanienſem appellant.*

Comite de Hoſteden) *Chron. magnum Belgicum perperam ſcribit* Horſtal. *Loquitur autem Levoldus de Theodorico Comite Hoſtedenſi, qui ut fratrem ſuum Lotharium, Præpoſitum Bonnenſem, ad honorem Epiſcopalem perduceret, connivente Imperatore innocentem Albertum, quem diximus, occidi procuravit. Prædictus Comes Theodoricus interfuit Comitiis Geilenhuſanis contra Henricum Leonem Anno MCLXXX. coactis. Dynaſtiam Hoſtedenſem Conradus Lotharii F. quod familiæ ſuæ ultimus eſſet, Eccleſiæ Colonienſi, cui præfuit, condonavit.*

Sequenti anno Rex Angliæ Richardus) *Guilelmus Neubrigenſis rerum Angl. libro quarto, capite viceſimonono, & ſequentibus, diligenter perſequitur hiſtoriam captivitatis hujus regis. Scribit autem interceptum eſſe Anno MCXCII. menſe Decembri: dimiſſum MCXCIV. menſe Januario: tempore Quadrageſimalis jejunii menſe Martio in Angliam rediiſſe. De λύτρῳ variant ſcriptores: Robertus de Monte, Sigeberti continuator CL. habet Marcas: Godefridus monachus CLXX. Neubrigenſis centies mille libras argenti numerat. Otto de Sancto Blaſio capite trigeſimo octavo, certum precii pondus explicare non vult, ne propter incredibilitatem falſa dicere videatur. Cum iſta pecunia ſtatim dependi non poſſet, dati ſunt Imperatori obſides, Galterus Rothomagenſis archiepiſcopus, Batonienſis epiſcopus: & ex nobilitate Germanica duo Henrici Leonis filii, Otto & Wilhelmus, ut habet Chron. Stederburgenſe MS.*

Bruno tempore Lotharii) *Chron. Belgicum affirmat Brunonem hunc à Lothario Imperatore contra Godefridum Præpoſitum Xantenſem Anno MCXXXII. intruſum eſſe. Obiit in Italia, cum præfuiſſet annos VI. Defuncto ab eodem Lothario ſucceſſor datus eſt Hugo, qui poſtquam ab Innocentio Papa conſecratus eſſet, ſtatim vivendi finem fecit.*

Fridericus archiepiſcopus cum Friderico) *Hunc Antiſtitem Chron. Belgicum Saxonem, & quidem Comitem Daſſilienſem vocat: quem errorem ſequitur Merſæus admodum inepte. Chronicon quidem Belgicum ſibi ipſi contradicit, dum Brunonis ſecundi ex fratre nepotem facit. Obiit MCLIIX.*

Senio jam confectus & debilis) *Bruno hujus nominis Tertius Ubiorum archiepiſcopus præfuit ſuæ Eccleſiæ annis tribus, ut Chronicon Hirſaugienſe & Colonienſe. Belgicum vix uno anno præſediſſe affirmat. Induit ſacram veſtem in monaſterio Veteris montis, ibique obiit, conditus ad latus fratris Friderici archiepiſcopi.*

Paucis ſibi adhærentibus Epiſcopis) *Electores Ottonis Quarti fuere: Adolfus Colonienſis archiepiſcopus, Bernhardus Paderbornenſis, Thietmarus Mindenſis, Epiſcopi: Witichindus Abbas Corbeienſis, Gerhardus Tudenſis, Heribertus Werdenſis abbates: Henricus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, Heinricus Comes de Kule. Vide conſtitut. Imperiales Melchioris Haiminsfeldii pag. 72.*

Comitem Pictaviæ) *Otto Henrici Leonis F. dono regis Angliæ poſſedit Comitatum Pictavienſem in Galliis, qui tunc Anglo, ut Duci Aquitaniæ, parebat. Tenuit idem Otto in Anglia Comitatum Eboracenſem, teſte Guilielmo Cambdeno in deſcriptione Britanniæ.*

Idem Adolphus archiepiſcopus) *Adolfus archiepiſcopus Colonienſis, hujus nominis primus, Brunonis tertii anteceſſoris ſui non frater, ut vult Merſæus, ſed ex fratre Eberhardo nepos fuit. Præfuit diœceſi annis XII. remotus ab officio auctoritate Pontificia. Conatus quidem eſt recuperare Eccleſiam, ſed fruſtra. Videatur Godfridus monachus ad Annum MCCXII.*

Neceſſitate compulſus) *Arnoldus Lubecenſis libro 7. capite 1. ſcribit Adolfum archiepiſcopum à Wilhelmo Juliacenſi Comite, cui Philippus Cæſar præmii loco opimum prædium tribuerat, callide perſuaſum eſſe, ut Ottonem deſereret. Idem auctor habet fulmen Papale Innocentii Tertii, quod in Adolfum vibratum eſt. Ibidem cap. 3.*

Venerabilem patrem Engelbertum) *Hiſtoria Engelberti archiepiſcopi, per ſummum ſcelus interemti, à multis ſcriptoribus inculcatur. Adi Albertum Stadenſem ad Annum MCCXXV. Sigfridum presbyterum libro ſecundo, Chron. Colonienſe Germanicum,*

Ertwi-

Digitized by Google

Ertwinum Ertmannum in hiſtoria Epiſcoporum Oſnab. Crancium in Metropoli libro ſeptimo, capite quadrageſimo tertio. Chronicon Belgicum magnum pag. 326 Chronicon Hirſaugienſe, Coſmodromium capite 64. & alios. Notatu vero digna eſt iſta tam ſevera animadverſio in hominem, illuſtri & generoſa familia natum: quæ majorum noſtrorum gravitatem & adverſus ſcelera & flagitia extremum odium manifeſtat.

* Canoniſatus eſt A. 1226. celebraturque ejus memoria in Romano Martyrologio ad VII. Novembris diem. Vitam ejus libris tribus copioſè deſcripſit *Cæſarius Heiſterbacenſis*, inſertus *Surii Tomo VI*, ſed iterum anno trigeſimo tertio hujus ſeculi editus ab *Ægidio Gelenio*, viro doctiſſimo, qui integro eum commentario illuſtravit, in quo multa ad hiſtoriam illius ætatis, nobiliumque familiarum exortum, multa etiam ad hujus Levoldi Northovii noſtri librum dilucidandum, egregia adducuntur, deque Comitum Altenanorum & Montenſium origine, ex antiquarum tabularum fide, curioſè diſputatur.

Duos fratres, unum videlicet in Monaſterienſem) *Friderici Iſenbergii Comitis fratres fuere Theodoricus Monaſterienſis, & Bruno Oſnaburgenſis, epiſcopi: uterque, quod parricidii à fratre commiſſi non inſcii crederentur, ab Epiſcopatu remotus eſt. Non multo poſt tamen reſtituti ſunt.*

Oppidum, quod Hamme vocant) *HAM, unde novæ urbi nomen, vetus eſt vocabulum Saxonicum, ſaltum ſive nemus ſignificans. Sic in Ditbmarſia reperias duos ſaltus, quorum alter* Suderham, *alter* Noderham *appellatur. Friſiis* Ham *eſt ager paſcuus, ſive pratum foſſula incinctum. Hamburgum urbs florentiſſima nomen ſuum traxit, non à Gambriviis, ut eruditi quidam opinantur, neque ab Hammone Jove vel Hama pugile, ut Crancius nugatur, nec etiam à pernis ſalitis, ut Goropius Becanus ſomniat, ſed à ſylva* Ham, *ad quam urbs condi primum cœpit: ſicut à ſylva Hercynia Hartesburgum, ab Huia Huinsburgum nomen accepit. Adamus Traziger in Chronico Hamburg. MS. Oppidi Hammenſis, ſive Hammonenſis encomium gemino poëmatio deſcriptum extat in Eclogis Job. Murmellii Ruremundenſis.*

Ibid. Ludolphus Dapifer) *& ſimul adminiſtrator redituum & totius fiſci, atq; ideo rationibus reddendis obnoxius, ut apparet infra num. 70. Tales Dapiferi* (Truchſeſſen) *ſunt etiam in quibusdam locis Palatinatus, ut apud Simeram, Crucenacum, Kirchbergam.*

Primogenitus dicti Friderici) *Neque bujus, neque quos habuit, fratrum vel ſororum nomina annotata invenio.*

Apud Ducem Limburgenſem avunculum) *Ducatus Limburgenſis eſt in Belgio ad Moſam fl. Caſtrum, unde agro nomen, Henrico IV. imperante conditum eſt à quodam ejus loci dynaſta Henrico, qui inde ſe Comitem Limburgenſem appellavit. Proficiſcente vero in terram ſanctam Godefrido Bulionio, Lotharingiam accepit gubernandam, ſed poſt ſexennium ea exutus titulum tamen Ducalem retinuit, ſicut & poſteri ſe Duces Limburgios dixerunt. Meminit Helmoldus lib. 1. cap. 33. bujus Henrici: meminit etiam Urſpergenſis tanquam proditoris, & Chron. Colonienſe eum accuſat infidelitatis.*

Gerhardus in Epiſcopum Monaſt.) *Gerbardus XXXI Monaſt. Epiſcopus collegium Borkenſe fundavit & Eccleſiæ ſuæ dynaſtiam Horſtnow* (*forte* Horſtmar) *acquiſivit, Crantius Metropol. lib. 8. cap. 55.*

Regem Angliæ prædicti Ottonis avunculum) *Intelligit Joannem ejus nominis I. Henrici III. ex familia Andium oriundi F. Bellum hoc deſcribitur à Guillermo Brittone Armorico, Philippidos lib. 11. & 12. vide etiam Rigordum ad annum MCCXV. Gaduinum lib. 6.*

Reinardus Bolonienſis) *Hunc alii Reinaldum. Rigordus Reginaldum vocat.*

Apud Bovinas) *Bovinum nomen pontis, ut Rigordus & Crancius Saxon. l. 7. c. 34.*

Bernhardus de Horſtmal) *Bernbardus iſte fuit dynaſta, ſeu Comes Horſtmarienſis in Weſtvalia. Arx & præfectura ejus nominis adbuc ſupereſt, in diœceſi Monaſterienſi tribus à metropoli milliaribus. Exiſtimo eundem eſſe, de quo Arnoldus Lubecenſis lib. 5. cap. 3. ubi* Horſtemer *ſcribitur. Rigordus Gallus nomen corrumpens Bernhardum de* Hoſtemalo *nominat, laudatq; ab inſigni fortitudine. Guillermo Britoni Philippidos lib. 11. per errorem Girardus dicitur. Verba ejus hæc ſunt:*

Et quo Teutonicos inter præſtantior alter
Non fuit, aut major membris aut corde, Girardus,

Hoſtimalis contra Francos emiſſus ab oris.
Qui tantæ famæ, qui tanti nominis heros,
Ut vix Ottonem Saxonia præferat illi.

Idem auctor paulo poſt rectius enuncians eundem Hoſtimarenſem *appellat.*

Gerhardus de Randerode) *Randerodium præfectura eſt agri Juliacenſis. Gerbardus hic Rigordo eſt Girardus de Randerodes, Britoni Guirandus Randerodenſis. Interfuere eidem prælio Bovinenſi captique ſunt Conradus Tremonienſis Comes, & Otto Tekelburgenſis, quem Brito nunc* Tinqueburnitem, *nunc Ottonem* de Tinquenaburg *nominat. Habuiſſe autem Tremoniam antiquitus Comites, dubium non eſt. Arcem Randerode propter rebellionem deſtruxit Fridericus II. Arch. Colonienſis.*

Ducem Brabantiæ) *Intelligit Henricum ejus nominis V. Godefridi III. filium, cui ex priore conjuge Mathilda, Matthæi Boloniæ Comitis F. nata eſt Maria altera Ottonis IV. uxor. Eſt autem hic locus notatu dignus: plerique enim rerum Germanicarum ſcriptores Mariam Brabantinam, Ottonis Cæſaris conjugem, non ſecundam, ſed primam faciunt, addentes quod propter cognationem à marito ſit ſeparata. Erravit hunc errorem Cuſpinianus in hiſtoria Cæſarum, doctiſſimumque Peucerum & alios, ut idem crederent, induxit. Deſponſata quidem eſt Ottoni Maria, teſte Godefrido monacho ad annum MCXCIX. ſed non domum deducta, quod occiſo Philippo, (factum id novennio poſt) de concilio principum Imperii Beatricem Philippi F. in matrimonium ſibi tradi paſſus ſit, cum qua demum nuptias celebravit anno MCCXII. ut Godefr. monach. Hac, ut idem, intra dies quatuor (Chronicon Saxonicum habet XIV.) non ſine ſuſpicione accepti veneni defuncta, Otto animum iterum adjecit ad Mariam Brabantinam, eamque ſibi copulavit anno MCCXIV. Addam verba Chronici Belgici, quæ rem planam faciunt:* Item eodem anno (*videl. MCCXV.*) in Paſcha cives Colonienſes pacti ſunt pecuniam Ottoni reprobato, ut recederet ab eis, & abſolverunt eum ab omni debito, quod eis debebat: & dederunt ei inſuper DC. marcas argenti. Quo recepto poſt Paſcha etiam receſſit, & poſt ejus receſſum Maria uxor ejus, filia Ducis Brabantiæ, ſub ſpecie viri peregrini ſecuta virum ſuum. *Hæc ibi. Sed addamus teſtimonium domeſticum ex Chronico antiquo ritbmice.*

In derſelbigen zwidracht,
Nam hernach Keyſerlicher acht
Zu Northuſen ſin Junckvrowelin
Beatricem das Megetin,
Die ich nante hi zuvoren.
Das Vrowelin hochgeboren
Ir ſtarb in vierzen nachten,
Do von Gottes bort ſich brachten
Duſent zwehundert und zwelf Jar.
Ire Sveſter ſcone unte klar,
Der her ouch an hute plach,
Gaph her herlich darnach
Dem Konige us Spanielant,
Ine weis neiz we he was genant.
Darnach an kurtzen tagen
Nam der Keyſer (hör ich ſagen)
Des Hertzogen Schweſter us Brabant
Maria ſo was ſie genant.

Quando Maria Auguſta obierit, non inveni: Lovanii in æde Sanpetrina apud parentes humatam indicat Chronicon Belgicum. Camerarius in Chronologia Nicephoriana hunc de Ottonis Cæſaris conjugibus errorem animadvertit, ſed non ſatis rem explicavit.

Ad Regem venit Epiſcopus Monaſterienſis) *Godefridus monachus ad annum MCCXIII.* Item ipſo anno Otto Monaſterienſis Epiſcopus Coloniam veniens, à quibusdam fautoribus Imperatoris capitur, & Werdene miſſus juſſu Regis viventis (lege, vinculis) mancipatur. Idem ad annum MCCXV. Otto Imp. Coloniæ diu cum uxore ſua commoratus, cum nullas preces pro abſolutione Epiſcopi admitteret

ret, Adolfus Comes de Monte ipſum caſtrum obſedit. Quod dum per plurimos dies oppugnaret, & parum proficeret, tandem per foſſores maximas cavationes per fundamentum turris faciens, ipſos defenſores caſtri in deditionem adduxit. Qui neceſſitate compulſi, Epiſcopum cum ipſo caſtro tradiderunt, liberum receſſum cum ſuis omnibus impetrantes. Quod factum eſt in vigilia Jacobi Apoſtoli. Chron. Belgicum de hac re ita: Interea Fridericus Rex caſtrum munitiſſimum in Werdun, in quo propter loci munitionem Otto Imp. poſuerat captivos ſuos, videlicet XII, obſides, quos habebat à civibus Aquisgrani, & Epiſcopum Monaſterienſem, quem ante biennium ceperat in quadam eccleſia, & duos Comites, & alios multos, quos omnes Rex Fridericus, oppugnato per ſex hebdomadas oppido, & demum capto liberavit, & liberatos ad propria remiſit. *Hæc ibi. Ex Comitibus in captivitate detentis alter fuit Guntherus Keſernburgius, ut Albertus Stadenſis, captus ab Ottone in Thuringia, ut Chronicon Thuringicum à Piſtorio editum.*

Eligitur in Regem Comes Hollandiæ) *Wilhelmus, qui à primævo juventutis ſuæ tempore magis adamavit rigorem ferri, quam nitorem auri, ut Chron. Belgicum. Uxor ejus Eliſabeta Ottonis Ducis Brunſuicenſis F. ducta anno MCCLI, ut Stadenſis.*

Per Wilhelmum Sabinenſem Cardinalem eſt coronatus) *Pompam hujus coronationis prolixe & eleganter deſcribit Chronicon Belgicum magnum p. 244. repetit Tritthemius in Chronico Hirſaugienſi.*

Duxit viduam Dn. Rudolfi de Meinhovele) *Dynaſtia hæc fuit in diœceſi Monaſterienſi, non procul ab oppido Wolbeck. Ut Barones iſtos diœceſi ſua ejecerit Ludovicus Epiſcopus Monaſterienſis, refert Crantius Metrop. lib 8. cap. 14.*

Bonorum hominum) *Exprimit vocem Germanicam majoribus noſtris uſitatam. Illis enim equeſtris ordinis homines nominabantur* Gudemans *ἰσανδρες. Exempla ſuppeditat Chron. Saxon. vernacula lingua ſcriptum, & anno MCCCCXCII. impreſſum, quære ibi annum* MCCCXLIIX. MCCCLI. MCCCLXVII. MCCCLXXXIX. MCCCC. MCCCCXXII. *Pomarius Magdeburgenſis, qui hos annales Miſnice loqui fecit, voce non ſatis intellecta, pro ea ſubſtituit, nunc* Stiftsgenoſſen, *nunc* Unterthanen: *interdum plane omittit.*

Villam in Unna) *Quam villam hic dicit, ea hodie eſt urbs non ignobilis, clara cereviſia, quam coquit ſapidiſſimam.*

Villam Camene) *Hoc oppidum putatur nomen traxiſſe à Chamavis, vel (ut quidam legunt) Chamanis: quos iſto in loco ſedes habuiſſe dubium non eſt. Videatur Althamerus in Tacitum, & Peuc. in Chr. Phil.*

Anno Domini MCCLX.) *Ubbo Emmius habet annum MCCLVI & diem addit V. Kalend. Febr. de anno conſentit Stadenſis. Erat tum temporis Wilhelmus annorum XXVII.*

Comitis Hannoniæ ſororii ſui) *Is erat Johannes Aviennis, maritus Eliſabetæ Florentii IV. Hollandiæ Comitis F. Wilhelmi Cæſaris ſororis.*

Henricus de Geldria) *Gerhardi F. & Ottonis, qui XXV. annos Comitatum gubernavit frater, Epiſcopus Leodienſis XL.*

Anno MCCLXIX. Dominus de Valkenborg) *Huic nomen fuit Theodoro. Hiſtoriam ita explicat Chronicon Belgicum*: Dn. Engelberto à captivitate Colonienſi liberato, conſanguinei ejus, propter injuriam civium exacerbati, videlicet frater archiepiſcopi Dn. de Valkenburg, Dux quoque Limburgicus, Comes de Clivis, & nobilis de Heynsberg, anno MCCLXXIIX. forti armatorum manu contracta, civitatem Colonienſem per quandam domum muro adhærentem, amplo aditu per murum civitatis per aliquos cives corruptos fraude, ſive pecuniis patefacto, in cujusdam noctis intempeſtæ ſilentio ſubintrarunt: ſed cives eo præcognito, ad arma conclamentes, dictos nobiles armata vi repulerunt: ubi dictus Dominus de Valkenburg frater archiepiſcopi occiditur: Dux Limburgenſis capitur: plurimi alii occiduntur: alii fuga dilabuntur. *Hactenus Chron. Tota hiſtoria prolixe deſcripta eſt in Chronico Colonienſi Germanico.*

Johannes de Angines) *Chron. Belgicum nominat Joannem* de Angyns, ſive Anginiis: *fuit nepos regis Franciæ, ſacræ Theologiæ Doctor, nuper Abbas Stabulenſis. Merſæo eſt Joannes de Agennis.*

Anno

Digitized by Google

Anno igitur MCCLXXVII.) *Chronicon Colonienſe Germanicum habet annum MCCLXXIIX. & Comitem Engelbertum captum affirmat ab Hermanno de Bredevord.*

Anno MCCLXXVII.) *De hac miſerabili clade reperi ſequentia, neſcio cujus auctoris*: Anno MCCLXXVII. in die S. Hereberti, Wilhelmus Comes Juliacenſis cum tribus filiis & CCCCLXIIX. nobilibus, militibus & armatis Aquiſgranum noctu circa horam IX. intravit, volens civitatem capere, & ſuo dominio ſubjugare. Quo cognito, cives ad arma conclamantes, & accurrentes, ipſum cum omnibus ſuis in medio foro bello congreſſi occiderunt. Pro cujus facti expiatione graviter poſtea mulctati fuere: nam tertiam partem oblationum in templo B. Mariæ virginis ex devotione peregrinorum, Comitibus de Juliaco dare perpetuo tandem coacti ſunt. Inſtitutionem Præpoſituræ Aquenſis eccleſiæ Comites Juliacenſes ex illo tempore ceperunt. Adi etiam Chron. Colonienſe Germanicum. *Quin etiam monumentum hujuſce cladis ſaxeum, atque adeo marmoreum, in ipſa urbe Aquiſgrano non longe à foro, in media platea, inter Monaſterium prædicatorum & cœnobium monialium (quas Albas Dominas vocant) poſitum extare, crucem nimirum ingentem, tribus ſublimibus columnis ſuperne coeuntibus implexam, indicium mihi fecit vir amicus, & hujuſce rei teſtis αὐτόπτης, Marq. Freherus, V. C.*

Duobus filiis) *Primogenito legitimo, & duobus nothis.*

Woringen) *Chronicon Belgicum*, Wornick.

Standhardum poſt ſe derelinquentes) *Vocabulum eſt Germanicum notionis non obſcuræ. In epiſtola Burchardi notarii Imperialis, edita à Marquardo Frebero I. tomo hiſtoricor. German. per errorem librarii* Standeit *ſcribitur, pro* Standert, *Francogallis eſt* Eſtandart. *Meminit Guillermus Brito Philippidos lib. XI. ubi ejus deſcriptio*:

Mox Otto Imperii declarans ſigna, volenſque
Jam quaſi promeriti rem declarare triumphi,
Standardum ædificat, miroque inſignit honore
Imperii, ut faſces tanto illuſtrante paratu
Se dominatorem totius diſputet orbis.
Erigit in carro palum, paloque Draconem
Implicat, ut poſſit procul hinc atque inde videri,
Hauriat & ventos cauda tumefactus & alis,
Dentibus horreſcens rictuſque patentis hiatu.
Quem ſuper aurata volucer Jovis imminet ala,
Tota ſuperficies cujus nitet aurea Solis
Æmula, quo jactet ſe plus ſplendoris habere.

Crancius Saxoniæ lib. 8. cap. 18. Carroſum, *Urſpergenſ.* Carrociam, *alii* Carrocium *appellant: cujus luculenta deſcriptio eſt in commentario Wolfgangi Hungeri ad Cæſares Joannis Cuſpiniani pag. 628. editonis Wechel. verbis ſequentibus*: Nunc porro, ut omnia plenius cognoſcantur, ſciendum eſt, Carocium fuiſſe genus carri, quo tum utebantur in Italia, valde quidem amplum, & à multis boum jugis trahi conſuetum, circumdatum undequaque gradibus ad modum tribunalis aut ſuggeſtus, pulcre elaboratum & multo ornatu excultum: eoque geſtabantur ſigna & vexilla populi, cujus erat id carocium, ſimulque civitatum fœderatarum: & erat Carocium in exercitu perinde ac prætorium quoddam ſeu tribunal, ad quod recipiebant ſe milites, tamquam ad munitionem, & locum potiorem totius exercitus, & in quo ipſi magiſtratus univerſum robur, & pars melior copiarum, veluti in ſubſidio conſiſtebant. Atque tunc quidem prorſus cenſebatur exercitus fuſus & ſuperatus, quando devincebatur carrocium. Præ omnibus autem invenio Mediolanenſes, Bononienſes, Parmenſes, & Cremonenſes hoc genere carri multum uſos, & fieri id ſolitum in ſignum fœderis, & quo minus eſſent ad fugam promti, nimirum conſpicientes præcipuum robur exercitus, & vexilla haud facile ſuo loco poſſe moveri, aut aliqua celeritate ſe pugnæ ſubtrahere, ob ipſius ſcilicet ædificii molem. *Hæc ille ex Pandulphi Collenutii hiſtoria regni Neapol. Italica. Catellianus Cotta JC. Mediolanenſis lib. rerum memorabilium teſtatur poſt Gotthos deletos potiſſimum Reipub. Mediolanenſi in uſu fuiſſe.*

Digitized by Google

fuiſſe. Meminit Carocii Sigonius lib. 7. & 17. de regno Italiæ. Plura Marquardus Freberus V. CL. in gloſſario primo tomo ſcriptorum rerum Germanicarum præfixo.

Comes Geldriæ) *Reinoldus, ultimus Geldriæ Comes & primus Dux.*

Mortuus eſt autem Comes Lucemburgenſis) *Chronicon Belgicum, ut & Colonienſe volunt, Henricum & Walramum Lucemburgenſes Comites in hoc prælio occubuiſſe. Meierus annal. Flandr. lib. 11. addit tertium fratrem Balduinum. Vult Chronicon Belgicum, nec diſſentit Colonienſe, hujus Henrici filium fuiſſe Henricum VII. Imp. Mirum igitur, quod Conradus Vecerius, qui vitam hujus Imp. deſcripſit, de parentum ejus nominibus dubitari affirmat.*

Frater archiepiſcopi) *Henricus de Weſtenburg, eques auratus.*

Caſtrum etiam Volmerſtein) *Volmerſtein, ſive Wolmunſtein, fuit dynaſtia in territorio Marcenſi. Primogeniti Domini de Volmunſtein meminit Levoldus infra ad annum MCCXCVII. Bruſchius in hiſtoria monaſteriorum, ubi de fundatione cœnobii Eremitarum, vulgo Waldſaſſen, agit, meminit Gerbici nobilis Dynaſtæ de Wolmunſtein, qui ex milite monachus Sigebergenſis factus, deinde prædicti cœnobii eremitarum circa annum Chriſti MCXXXIII initium fecerit. Henricus de Volmerſtein, ut refert Chron. Colonienſe, à Friderico Imp. ejus nominis primo juſſus electionem Philippi archiepiſcopi Colon. promovit. Ex hac familia fuit oriundus Radbrandus abbas Werdenſis, ordine XVI. teſte Chron. Werdenſi MS. Dithmarus Merſepurg. Redbaldum appellat libr. 5.*

Tunc Dominus de Lippia eo abſente) *Is fuit Simon, ſub quo Lemgoviæ condita eſt Neapolis. Patrem habuit Bernhardum: avum Hermannum virum ſapientem & illuſtrem: ut Albertus Stadenſis ad annum MCCXXX.*

Attendorn) *Oppidum hoc dedit nobis Joannem Rivium, Philoſophum & Theologum, Mauricii & Auguſti Electorum præceptorem, natum anno MD. Kalend. Auguſti. Hujus ſcripta recenſentur in Bibliotheca Geſneri.*

Wicboldus de Holte, Decanus majoris eccleſiæ) *Dynaſtæ, ſive Barones de Holte, habuerunt olim ſedes ſuas in diœceſi Oſnaburgenſi. Arx iſtius nominis ab Oſnaburga vix quinto lapide diſtans deſolata eſt. Fuit Baronib. iſtis multum juris in urbe ipſa: nempe porta, quæ ſemper ipſis pateret, quoties vel ingredi vel exire vellent: tota præterea platea ab illis* die Holtzſtraaſſe *appellata. Cum autem Ecbertus & Engelbertus hujus familiæ Barones, tempore Philippi Epiſcopi, mercatoribus aliiſque iſthac iter facientibus, moleſti eſſent, Epiſcopus à Comite Ravensbergio adjutus arcem firmiſſimam, ſeptennii integri obſidione fatigatam, expugnavit, & Barones tota ditione ejecit.*

Dn. Hermannus de Ludinckhuſen) *Oppidum & arx hujus nominis diſtat tribus milliaribus ab urbe Monaſterienſi, & totidem ab Hammona. Wernerus Rolevincius inter Comitatus & Dominia antiquæ Saxoniæ, quæ hodie Weſtvalia, hunc etiam recenſet. Dynaſtiæ hujus oppidum primarium fuit Dulmona, nobilitata ſepulcro Hermanni Buſchii, viri tam genere, quam doctrina perilluſtris.*

Engelbertus Comitis Eberhardi F. major natu Comes de Arberg) *Ab hoc Engelberto propagata eſt familia dynaſtarum Arbergiorum, quam habet Pontus Heuterus, in hoc à Levoldo diſſidens, quod Engelberto, qui per matrimonium factus eſt Comes Arbergius, patrem tribuit Adolfum, cum hic Eberhardus nominetur.*

Interfecto Comite Hollandiæ) *Intelligit Florentium V. Wilhelmi Auguſti F. qui à familiaribus ſuis, Hermanno (aliis Hartmannus) de Waerden, Gerbardo de Velſen, & Giſelberto de Amſtel, dum aucupio animi gratia indulget, deteſtando parricidio ſublatus eſt. Huic Florentio ſucceſſit quidem Johannes F. ſed & ille veneno tollitur. Vide Barlandum de Comitibus Hollandiæ, Meierum hiſtoriæ Flandricæ lib. 10. Chron. Belgicum pag. 253. ubi nefandum hoc parricidium, eique inflictæ pœnæ commemorantur.*

Henricum abbatem Werdenenſem) *Werda, ſive Werdena (diplomata & literæ antiquæ habent* Werthina) *Monaſterium eſt ordinis D. Benedicti, conditum ad Ruram fl. à S. Ludgero Friſio, primo Monaſterienſium Epiſcopo, imperante Carolo M. Henricus abbas, de quo Levoldus hic agit, fuit ordine XLI. domo Wildenbergius: cujus tempore Helmæſtadii (quæ urbs tum una cum monaſterio Sanludgeriano parebat abbati Werdenſi) cœnobium fratrum Auguſtinenſium extrui cœpit.*

Adolfus de Waldegge, præpoſitus Trajectenſis) *Hujus mater Helena fuit filia Marchionis Brandenburgenſis.*

Præpoſitum Brumenſem Sifridi quondam fratrem) *Reinhardum, ut Colonienſe: Meinhardum, ut Belgicum Chron.*

In terram Epiſcopi Paderbornenſis) *Hoc tempore in diœceſi Paderbornenſi tumultuabatur propter canonicorum in electione novi Antiſtitis diſcordiam. Elegerant quidam Comitem Sualenbergenſem Guntherum: alii Theodorum Baronem Itterenſem, qui tandem Epiſcopatum Paderbornenſem obtinuit, Gunthero non multo poſt Magdeburgi ad archiepiſcopatum evecto.*

Qui poſtea poſt feſtum S. Remigii terram Epiſcopi Oſnaburgenſis) *Loquitur de bello, quod Ludovico ex Comitibus Ravensbergiis Epiſcopo Oſnaburgenſi Engelbertus (ut noſter auctor) Eberhardus (ut Ertwinus Ertmannus in hiſtoria Epiſcop. Oſnaburg.) Comes Marcanus intulit anno MCCCIIX. in quo Comes ab equo dejectus eſt, cui incumbens Epiſcopus ictu aberrante à proprio miniſtro lethaliter vulneratur, Victoria tamen manſit penes Epiſcopum. Recitat Ertwinus quosdam verſus leoninos de hoc prælio, quos ſubjungam.*

Corpore Zacheus, animo Judas Machabæus,
Alter & iſte David, Markenſem cuſpide ſtravit.
Ter C. milleno bis quarto tempore pleno
Virginei partus, & eum locus hic tenet arctus.
Ut vacet à pœnis, pie judex, da ſibi lenis.
Marka, Monaſterium, Tekenenberg, Juliacum,
Arnsberg, Waldegge, Loen, Retberg, inſuper Ahus,
Tremoniæque Comes, Petrus vos terruit omnes.
Strunkede vosque lupi fugiſtis, vel cecidiſtis.
Auxiliante Deo corruit iſte leo.
Hos verſus dico generoſo de Ludovico
Præſule jucundo, de Ravensberg oriundo.

Ludovicus filius Landgravii Haſſiæ) *Henrici, quem* infantem Haſſiæ *nominabant.*

Invaluerunt cariſtia, fames & mortalitas) *Vide Chronicon Belgicum, affirmans Cometam apparuiſſe, protendentem radios ſuos inter Septentrionem & Occidentem: ſubſecutas continuas pluvias, quæ toto durarint anno, famique & peſti occaſionem dederint. Tempus oſtenditur ſequente verſu.*

Ut lateat nullum tempus famis, ecce CUCULLUM.

Anno MCCCXXIII. die Veneris poſt Pentecoſten) *Ertwinus in Chronico Oſnab. hujus belli meminit verbis ſequentibus:* Ludovicus de Landgraviis Haſſiæ natus plures habuit guerras circumquaque cum Comitibus & Nobilibus, præſertim cum Engelberto Comite de Marca, qui juxta oppidum Hamme eundem Epiſcopum plus-quam cum LXX. armatis cepit, & deinde pro competenti ſumma Epiſcopo redemto, ſurrexerunt adverſus eundem Theodoricus Comes Clivenſis, qui partem Comitis Geldriæ tenuit, unde guerra ſubſecuta caſtrum Bredevort per Comitem Geldriæ fuit captum; & impetravit Comes Geldriæ auxilium Regis Bohemiæ, & Epiſcoporum Leodienſis & Trajectenſis, & Comitem Juliacenſem, de Marca, de Monte, Flandriæ & de Artois: illorumque & aliorum juvamen ultra VII. armatorum millia, cum dextrariis, & galeis, cum aliis etiam quampluribus millibus equitum & peditum, diœceſin Monaſterienſem devaſtando potenter pertranſire uno tempore propoſuit. Ludovicus Epiſcopus Monaſterienſis cum auxilio Gotfridi Oſnaburgenſis Epiſcopi, & aliorum, videlicet Dominorum de Lippia, & Comitum de Waldegge, fiduciam in Domino & B. Paulo habens, prope Coſeldiam ad pugnandum pro eccleſia Dei, & diœceſis ſuæ hoſtibus ſe obviam dedit, & dextra Dei plaſmante, tantum fugavit tamque potentem exercitum. Illæ quoque guerræ eodem tempore per plurimos illuſtres proceres fuerunt terminatæ ac amicabiliter complanatæ anno MCCCXXVII. *Hæc Ertwinus.*

Rex Bohemiæ, & Comes Hannoniæ) *Confœderati Comitis Engelberti contra Henricum Verneburgium archiepiſcopum Colonienſem, in Chronico Belgico recenſentur: Joannes Rex Bohemiæ, Wilhelmus Comes Hollandiæ, Joannes Comes Hannoniæ, Gerhardus Comes Juliacenſis, Adolfus Comes de Monte, Johannes Comes Seinenſis.*

Inter nationes & progenies de Awans & Warans) *Meminit harum factionum ſive familiarum Chronicon Belgicum pag. 272.*

Aſſiſten-

Digitized by Google

Aſſiſtente ſibi Comite Geldriæ) *Reinoldo ultimo Comite, & primo Duce.*

Apud oppidum Husle) *Chron. Belg.* Huſſelt.

Frater marchionis Juliacenſis) *Intelligit Wilhelmum, quem Eretreinus & Chron. Belgicum Comitem appellant. Verum hoc tempore dignitate Marchionis jam gaudebat. Walramus multis annis in academiis Pariſinâ & Aurelianenſi eruditæ pietati operam dederat, gradumque tum Baccalaureatus tum Licentiæ conſecutus, iſto bonore dignus babebatur: ſed fratrem, quem promotorem primum babuit, ſequentibus annis boſtem expertus eſt.*

Indicto contra Ducem Brabantiæ exercitu) *Johannem hujus nominis III. Joannis II. F. qui, ut Chronicon Belgicum, oppoſuit ſe regi Bohemiæ ac Franciæ, ac pene omnibus principibus circa clima iſtud, qui omnes adunati non potuerunt ipſum ſuperare. Vide chron. Colon. German. pag. 202.*

Filius Ducis primogenitus) *Henricus vivo patre Dux Limburgi appellatus.*

Filiam ipſius Regis) *Mariam.*

Comiti Flandriæ venditur Machlinia) *Ludovicus Comes Flandriæ emit Machliniam ab Adolfo Epiſcopo Leodienſi, & Reinoldo comite Geldriæ, ut Meierus in annalib. Fland. lib. 11. Precium fuit 100 millia regalium.*

Rex Franciæ) *Philippus Valeſius.*

Comes Ludovicus moritur) *Intelligit Flandriæ comitem.*

Anno MCCCXLIV. mota & incepta eſt guerra) *Comes Arnsbergius, cui Adolfus Marcanus contra Walramum archiepiſcopum Colonienſem opem tulit, nomen babuit Godefridi. Fuit ejus uxor domo Clivenſis, quæ cum ſterilis eſſet, Comes recordatus quod à multis annis diœceſi Colonienſi vicinæ rapinis & graſſationibus multum damni dediſſet, ut peccata iſta expiaret, & damnum datum reſarciret, totam ſuam dynaſtiam late patentem cum omni jure, quo gaudebat, perpetuâ inter vivos donatione Epiſcopo Colonienſi ejusque ſucceſſoribus contradidit. Vide chronicon Belgicum pag. 317. & Eretreinum in biſtoria Epiſcoporum Oſnab.*

Novum oppidum Menden) *Chron. Belgicum legit Mengden: Ertwinus* Mengerden.

Eodem anno prædictus Comes Hannoniæ) *Wilhelmus IV. Comes Hannoniæ, Hollandiæ & Selandiæ, poſtquam ſeſquimenſem Ultrajectum obſediſſet, ducto exercitu ſuo, in quo LXXXV. millia armatorum fuiſſe ſcribuntur, in Friſiam, incolarum multitudine circumfuſus cum univerſo exercitu occubuit. Prælium commiſſum eſt ad Staveram XXVI. Septembr. Vide Barland. in biſtoria comitum Holland. Jacobum Meierum annal Flandriæ lib. 12. Ubbonem Emmium biſtoriæ Friſicæ lib. 14. Chron. Belgicum affirmat C. & L. millia pugnatorum Wilhelmum in Friſiam ſecuta eſſe.*

Tunc Epiſcopus poſuit diem de quorundam ſcabinorum Conſilio) *Præclare de bac re Albertus Argentinenſis, cujus verba integra adſcribam.* Cum autem Carolus electus ad coronationem iviſſe debuiſſet, eodem menſe Julii, Epiſcopus Leodienſis, propter quædam homicidia & injurias clero illatas, civitatem Leodienſem obſedit, volens ibi ad condemnandum illos pro tribunali ſedere. Ad quem Epiſcopum tanquam ad conſanguineum & adjutorem ſuum, idem Carolus properavit, & pater ejus. Habuit autem Epiſcopus ſecum circa VII. millia galeatorum. Aderant enim ſibi Rex Bohemiæ & Carolus filius ejus, item Comes Marchiæ, & frater ejus. Item Marchio Juliacenſis, Comes Montium, Dominus de Valkenburg, & alii multi Barones. Miſerant autem quædam civitates vicinæ populo Leodienſi XL. millia peditum armatorum, qui ſe poſuerunt in locum judicii, qui ſunt extra muros civitatis, ſe circumvallantes, ne ibidem Epiſcopus poſſet præſidere. Cum autem extra locum illum Epiſcopus præſidere niteretur, habitiſque inter partes tractatibus, volenteque populo Leodienſi reſtituere clerum in perſonis & rebus, & ſuper injuria ad arbitrium meliorum Epiſcopi adjutorum ſatisfacere: Epiſcopo autem contra conſilium ſuorum omnino præſidere volente: ecce quidam Ribaldi de populo impetum facientes in aciem equitum, qui verſus ſtratam, ubi popularis patebat exitus, fuerant ordinati, eoſdem equites ad ingreſſum per eandem ſtratam ad populum provocarunt, & ingredientibus circa D. Galeatis, occiſiſque in impetu multis de populo non armatis, populo vero armato in equites impetum faciente, multiſque

Digitized by Google

occiſis, & præcipue domino de Valkenburg valentiſſimo quingenti ingreſſi, cum alii non ſequerentur, eo prout poterant evaſerunt, totaque acies Epiſcopi ſtatim confuſa receſſit. Juliacenſis autem marchio in loco libentiſſime permanſiſſet. *Hactenus Argentinenſis.*

Eodem anno mortui ſunt in bello contra regem Angliæ) *De hac clade Froſſardus l. 1. ita ſcribit*: Juſſu Regis Angli cenſa ſunt capita Gallorum, qui ſuccubuerant in prælio. Inventi XI. principes, LXXX. Barones, MCC. Equites, & plus minus XXX. millia.

Ubi in Manburnum fuit aſſumtus) Manburnus *eſt idem qui tutor.* Manburnia *tutela. Chron. Belgicum pag. 256.* Mundiburnium *idem. Francogallis* Mainburnie. *Frequenter hoc vocabulum occurrit in diplomatis Impp. Germanicorum.* Ut ſciant, ſe in Mundiburdio Regis eſſe; *diploma Ottonis M. datum eccleſiæ Magdeb.* Mundiburdium conſtituimus: *diploma ejuſdem Cæſaris datum eccleſiæ Mindenſi.*

Graviſſima incepit mortalitas) *Gobelinus Coſmodromii cap. 69, anno* MCCCL. Tam gravis peſtilentiæ morbus per Germaniam undique deſæviit, quod non erat in memoria hominum ſimilem peſtilentiam ante fuiſſe. Unde in hunc uſque diem, quamvis multæ peſtilentiæ interim fuerunt, Mortalitas magna nominatur. Deducebantur quidem corpora morientium præ nimia multitudine, ſuperſtitibus ad ferendum ea non ſufficientibus, in plauſtris & carris in cœmiteria, & multi adhuc intra ſepulcra vivi ex anguſtia, vel deſperatione, vel inadvertentia ſepelientium, terra obruti ſunt. Et poſt hunc annum raro ceſſaverunt peſtilentiæ particulares per Germaniam, & maxime quolibet anno ſeptimo, *&c.*

Pacis & quarantenarum) *Vox Latino-barbara, notans inducias quadraginta dierum, ne ante illud tempus pugnetur. Butiller in ſumma Rurali, Raguellus in Lexico forenſi, verbo* La Quarentaine.

HEN-

Digitized by Google

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior

LECTORI S.

CUm Sereniſſimorum Ducum Brunſuicenſium & Lynæburgenſium auſpiciis in Academia eorum Julia Hiſtoriam profiteretur Avus meus, id imprimis curæ cordique ſibi eſſe ſinebat, ut Majorum eorundem glorioſorum, imperitia ſeculi quaſi ſupreſſam memoriam, ex Chronicis, à blattis tineisque arroſis, Tabulis ſuperſtitibus, & monumentis ubicunque terrarum latentibus erueret, publicoque ſiſteret. Et quoniam Henricus Leo, Ateſtino-Guelphica gente oriundus, in his primus locis ſedes ſibi fixerat, & ſtirpem (quæ in hunc uſque diem floret) propagarat, illius Hiſtoriam juſto volumine deſcribere inſtituerat, ſenilique judicio, addo etiam otio, reſervarat. Cum tamen interea aliis laboribus occupatum, aliiſque Hiſtoricis ſcriptis edendis intentum mors oppreſſerit, cogimur illis eſſe contenti,

quæ de magni illius Ducis, Henrici Leonis, rebus geſtis jam tum alia occaſione ſparſim in ſuis libris, & peculiaribus opuſculis commentatus eſt. Poſtrema illa, ſcilicet *Gerhardi, Præpoſiti Stederburgenſis, de Henrici Leonis poſtremis rebus geſtis & beato exceſſu, Chronicon Stederburgenſe Anonymi*, cum notis Avi mei, & Ejusdem *Panegyricum* de Eodem ante hos viginti ſex annos conjuncta edidi, & nunc, quæ in his quoque Tomis compareant, digna cenſui. Pretium illis juſtum jam tum ſtatuit Avus meus, in præfatione ad Reverendisſimum, Celſisſimumque Principem Julium Auguſtum, & in vita Gerhardi Præpoſiti, quem illuſtri loco, & ab Henrico Duce æſtimatum fuiſſe, inde colligere ſatis licet, quoniam *Functum ſe Legatione Ducis* ad Cæſarem Fridericum ipſe hoc in libello n. 44. narrat. Fruere igitur his, Lector, & vale.

GER-

GERHARDI
Præpoſiti Stederburgenſis
DE
HENRICI LEONIS BAJOARIÆ ET SAXONIÆ DVCIS
poſtremis rebus geſtis, beatoque ex hac vita exceſſu,
HISTORICA NARRATIO,
cum Notis
HENRICI MEIBOMII.
Acceſſit
ANONYMI CHRONICON STEDERBVRGENSE
ſub Gerhardo Præpoſito conſcriptum,
&
HENRICI MEIBOMII
Oratio Panegyrica
de
HENRICO LEONE.

Digitized by

Reverendiſſimo, illuſtriſſimo, generoſiſſimoq́;
principi, domino

JULIO AUGUSTO,

Abbati Michaëlſteinenſi, ædis SanBlaſianæ
Brunſuicenſis Præpoſito,

Duci Brunſuicenſium ac Lunaburgenſium,
Domino clementiſs.
ejuſdemque ædis SanBlaſianæ

Decano, Seniori, cæterisq́; Canonicis, viris reverendis,
ampliſſimis, clariſſimis,
patronis & fautoribus obſervandis.

CLementiſſime Princeps, & Patroni ſummè honorandi, perbrevem hanc de HENRICO Leone (quem meritiſſimò Godfridus monachus Colonienſis *magnum Ducem* vocat) expoſitionem hiſtoricam, ab Henrico Henſyck, antiqui cœnobii Stederburgenſis Præpoſito, viro optimo, humaniſſimo, mihique peramico, benevolè mecum communicatam, dignam omnino cenſui, quæ dias in luminis oras prodiret. Etſi autem de iſto incomparabili Heroë majus quid meliusque patriæ debeam, integram, videlicet, ejus hiſtoriam, ex probatis ſcriptoribus, viſis ac inviſis, ex diplomatis, litteris ac inſtrumentis infinitis accuratè deductam: huic tamen narrationi lucem invidere nequaquam volui, neque etiam fortè debui. Ex fide enim, etſi breviter, tàm magni, tàm fortunati, & per orbem Chriſtianum celeberrimi principis, ſupremos labores, ſive fabulæ, quam in hoc mundo egit, epitaſin valde turbulentam: & poſt eam cataſtrophen tranquillam ac perbeatam, ordine perſcribit. Cum enim ſub ætatem ingraveſcentem penè omnia, quæ homini præter mortem accidere poſſunt, adverſa expertus eſſet Leo, duorum, puta, Cæſarum, patris & filii iram implacabilem: principum Imperii, tam Eccleſiaſticorum, quàm politicorum, invidiam & æmulationes: clientum domeſticorumque perfidiam & transfugia: cum regiâ conjuge liberisque parvulis intempeſtivum exſilium: illius denique in ſuâ abſentiâ præmaturum funus, horum apud inclementes hoſpites peregrinis in locis, nunc militiam, nunc moleſtam detentionem: neque apud quenquam ferè mortalium miſericordiam, nedum ad reſtitutionem auxilium vel ſuppetias inveniret, rerum mundanarum (quibus vel in ſummâ felicitate nihil infelicius, nihil fallacius) pertæſus ad Deum opt. max. totum ſe convertit, pacatoque ac magno animo, inter crebra ſinceræ pietatis exercitia, dignasque erudito principe oblectationes, ſupremum in hoc ergaſtulo diem, quem morbi incurabilis pertinax atrocitas acceleratura videbatur, ſingulis momentis exſpectabat: felix non uno nomine cenſendus: quippe qui filios duos, primogenitum Henricum dignitate ac ditione Palatini principis ad Rhenum: proximum ab illo Ottonem honore ac dynaſtiâ Comitis Pictavienſis in Galliis, auctos ornatosque vidiſſet: ſibi verò ipſi in patriâ, majorumque auguſtali contra æmulorum injurias

jurias

Digitized by Google

jurias viriliter defenſo conſervatoque, in dulciſſimo denique ſuorum complexu, felicem emigrationem, funusque principe dignum, & honeſtum ad dilectiſſimæ conjugis latus ſepulcrum, cum Deo bene juvante, non tam ſperare, quàm policeri poſſet. Cùm interim adverſarios penè omnes, & in iis valentiſſimos, violentiſſimosque Cæſarem Fridericum ac Colonienſem archiepiſcopum Philippum, illum undis ſuffocatum, hunc lue peſtilenti abreptum, utrumque extra patriam, mediosque inter hoſtes, reliquos verò æmulos, Wigmannum Magdeburgium & Ulricum Halberſtadenſem, antiſtites: Theodoricum Luſatiæ, Ottonem Miſniæ, marchiones, Ludovicum Thuringiæ Landgravium, Albertum Palatinum Comitem Saxoniæ, Chriſtianum Comitem Oldenburgenſem, aliosque præterea, mortem ſuam fataliter maturantes, vivendo ſupergreſſus eſſet: ne quid dicam de transfugis clientibus ex animi ſententiâ, utique meriti erant, probè mulctatis. Satis eſt, (quod negare non poſſum) accuratus & diligens Arnoldus Lubecenſis in perſcribendis poſtremis Henrici Leonis rebus geſtis, eoque nomine à gratâ poſteritate meritò commendabitur: habet tamen noſter auctor bene multa, quæ iſti hîc prætermiſſa: habet, quæ rebus ab illo expoſitis, quà loci, quà temporis, quà perſonarum circumſtantias, lucem adferre poſſunt, nec modicam neque mediocrem. Diutiùs igitur in obſcuro latere illum nolui: imò ut clarior lucidiorque exiret: ut majore cum fructu legeretur, notas nonnullas, ut in aliis antea, ſub finem adjeci. Cur verò hoc ἐξήγημα hiſtoricum ſub veſtri nominis auſpicio prodeat, reverendiſſime ac illuſtriſſime PRÆPOSITE, ampliſſime DECANE, clariſſimi & ſpectatiſſimi CANONICI, etiamſi nullus profitear, facilè ipſi cogitare poteritis. Tibi, clementiſſime Princeps, Henricus Leo eſt inter auguſtiſſimos majores: templum Sanblaſianum, in quo tu primas tenes; vos reverendi ampliſſimique Canonici divinas laudes cotidie perſonatis, religioſus ille, & ſine exemplo apud nos magnus princeps, ſuo impendio condidit, auctoritate ſtabilivit, reditibus dotavit. Nullis igitur aliis, quàm vobis, hæc debetur expoſitio, grata futura omnino, ſi non ad cartas, quæ exiguæ, ſed res ipſas, cognitu jucundas utilesque, clementer benigneque oculos intenderitis. Id ſi à vobis obtinuero, erit ut in hac patriæ antiquitatis inveſtigatione tantò pergam deſudemque acrius & alacrius, quantò illa majore, quàm hactenus factitatum, induſtriâ & accuratione opus habet. Valete feliciter, Princeps celſiſſime, vosque Mæcenates mei faventiſſimi. Helmæſtadii ex Juliâ academiâ pridie Kal. Novembr. anno. 1614.

Veſtræ Celſitudini
ſubjectiſſ.
Veſtrisque Dignitatibus
& amplitudinibus
addictiſſimus

HENRICUS MEIBOMIUS.

Digitized by Google

HISTORIA DE HENRICO LEONE, DUCE BAIOARIÆ ET SAXONIÆ.

ANno MCLXXXII. Werra maxima in terrâ oriri cœpit. Imperator enim Fridericus cum archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, principibus regni, & toto Imperio, nobiliſſimum Ducem Henricum invaſit. Iisdem inimicitiis perdurantibus Colonienſis Epiſcopus vice Domini Imperatoris vaſtator hoſtilis & impius exactor, nec cœnobiis, nec eccleſiis parcens, impietatis ſuæ efficaces exſecutores de partibus Occidentis adduxit. Sexto denique anno, generali Domini Imperatoris expeditione propoſitâ, cùm jam ipſe Imperator & Principes non niſi propulſioni Ducis intenderent, unusquisque Principum partes ſibi adjacentes, quæ ad Ducis ditionem pertinebant, atrociter invaſit. Nam Dominus Imp. mericam tranſiturus Colonienſem archiepiſcopum, Treverenſem, Monaſterienſem, Pathelburnenſem, Hildenſemenſem, Mindenſem, Oſenburgenſem, abbatem Corbeienſem, cum nobilibus, tàm noſtræ, quam remotæ terræ, in obſidione civitatis juxta Ovekaram in villâ, quæ Leiforde dicitur, reliquit: Halberſtadenſem ad obſidionem Blanckenburg deputavit. Magdeburgenſis priori anno auxilio Orientalium civitatem Haldensleve miro artificio & multo labore aquæ redundatione ad deditionem coëgerat: in quâ à Bernhardo de Lippiâ longo tempore ante deditionem viriliter repugnatum eſt. Nobis itaque quibus tanta multitudo incumbebat, nulla miſericordia deputata eſt. Regionem enim noſtram coram nobis alieni devorabant, & à tempore meſſis, feſto videlicet B. Margaretæ usq; ad initium Autumni & ampliùs, iſta mala perpeſſi ſumus. Vidimus enim optima quæque diripi: viculos noſtros ſuccendi: rapinis nos exponi: equos & jumenta noſtra depopulari, & domos noſtras abſque habitatore relinqui. Deſolatis igitur nobis, & in deſperationem ferè delapſis, ſola Dei miſeratio & patronorum noſtrorum pia apud DEUM interventio nos reſpexit, & inimicis noſtris aliquantum mitigatis, cor ipſorum & hoſtile propoſitum in melius commutavit. Datum eſt enim nobis, ſicut Joſeph & Danieli, in oculis principum gratiam invenire, ut aliquo modo pax nobis ſicut redderetur, ne penitùs cum habitationibus noſtris evelleremur: ac per nos etiam circumjacentibus villis ſubventum eſt. Fiduciati igitur in Domino exteros ad miſericordiam inflectere potuimus, ſed familiares noſtros non evaſimus. Quicquid enim à manibus alienorum ſervavimus, Hildenſemenſes non abhorrebant diripere, in quorum tamen pace ſecuri eſſe debuimus. Tandem conſummato malitiæ ſuæ tempore, cum irrecuperabiliter attriti eſſemus, in vigiliâ B. Ægidii terga vertentes caſtra moverunt. Poſtquam autem Imperator voluntatis ſuæ compos rem cœptam proſpero ſatis eventu effectui mancipavit, & nobilem Ducem Henricum in deditionem recepit, terra quaſi de multis malis reſpirans ſiluit. Sed nondum ad plenum deleta eſt iniquitas terræ. Nam cùm multo antè particularis plaga nos attriverit, juſto Dei judicio univerſo orbi mœſtitia accrevit, & terram, quam calcaverunt pedes Domini, inquinati & immundi conculcare & contaminare permiſſi ſunt, & civitas ſancta Iheruſalem tradita eſt in manus gentium, quæ ignorant DEUM. Audivimus enim, quòd Saladinus, urbis Damaſcenæ potentiſſimus Princeps, collectâ innumerabili virtute exercitus ſui, Chriſtianos hoſtili bello aggreſſus eſt: in quo bello, eheu! nimis proſperatus eſt Saladinus. Nam capto ſalutifero ligno Dominicæ crucis, Patriarcham & regem urbis Iheroſolymitanæ in eo conflictu fugavit, cepit, & quod ſeculo deflendum eſt, immani ſtrage Chriſtianorum peractâ civitatem ſanctam cum ſuperbiâ magnâ ingreſſus eſt, ac loca ſancta, quæ pro ſui veneratione contingere non debuit, ſtabula equorum conſtituit. Uſquequo Domine

iratus

Digitized by Google

iratus in finem, Memor eſto vinctorum tuorum, & terræ, in cujus medio operatus es ſalutem noſtram. Hujus igitur calamitatis & miſeriæ rumor horribilis dum ad nos perlatus eſt, ſuccenſi zelo principes, tàm noſtri, quàm de remotis terrarum locis, unà cum Imperatore Friderico feliciter ſignati ſunt. Sed idem Imperator ab odio nobilis Henrici non ceſſavit, quia antequam expeditionem arriperet, conventum Principum in Goslariâ habuit: ubi jam dictum Henricum ducem trium annorum exſilio deputavit, ipſum & omnia ſua in firmiſſimâ pace conſtituens. In proximo Paſcha Henricus Dux exſulavit, Machtilden Duciſſam, filiam Regis Anglorum poſt ſe relinquens: quæ eodem anno in vigiliâ apoſtolorum Petri & Pauli defuncta eſt. Imperator igitur in feſto S. Georgii apud Ratisbonam militum habito conventu, expeditionis Iheroſolymitanæ iter arripuit, & cum multâ gloriâ & Principum & Baronum & militum, & reliqui vulgi copiâ, iter terraneum trans Græciam aggreſſus eſt: alii multi ſe mari committentes apud Ptolemaidem maritimam reſederunt. Itaque Imperator aberat, & filius ſuus Henricus regiâ uſus eſt poteſtate. Abſens etiam Dux Henricus policitam ſibi ab Imperatore non ſenſit pacem: Sed bona ipſius omnium expoſita erant direptioni. Unde idem Dux Henricum filium ſuum majorem inopinatè miſit, & ipſe contra conſtitutum ſibi in brevi eum ſubſecutus eſt. Audiens hoc Rex, tanquam contra ſe ageretur, publicas inimicitias adverſus Ducem habuit, & omnimodò deſtructioni & propulſioni ejus intendit. Convocatis igitur Rex Principibus in Goslariâ, remotâ omni miſericordiâ, cauſſam imò modum deſtructionis ipſius tractare cœpit, & licet hyemis inclementia eum poſſet deterrere, quæ tunc ut ſemper poſt feſtum S. Martini imminens eſt, inconſultè expeditionem cum ſuis & Moguntino & aliis principibus Ducem perſecuturus arripuit, fugam ipſius eò moleſtiorem fore exiſtimans, ſi hyeme fieri videretur. Interim Senior Dux caſtrum Bernhardi Ducis Lawenburg obſedit, quod viriliter oppugnans, eos, qui ſe in eo contulerant, ad deditionem compulit, ſuosque in ipſo collocavit: filius autem ſuus in civitate ſuâ Brunſuich ſe recepit: qui acceptâ certitudine de adventu Regis, ad ſupplementum cibariorum ea, quæ in villis erant, intra muros intulit. Adveniens autem Rex, adjuncto ſibi Moguntino & Duce Bernhardo ac Hildenſemenſi Epiſcopo, & aliis Principibus & Baronibus, non obſidioni civitatis intendebat, ſed vaſtationi circumjacentis regionis. In cujus executione jam dictus Moguntinus ita ſe efficacem exhibuit, ut non jam Epiſcopus, ſed magiſter militum eſſe videretur. Nam non pacem, ſed facem: non infulam, ſed galeam oſtendebat: cœmiteriorum & eccleſiarum deprædationem, non conſecrationem exemplo ſuo fieri monſtravit: clavam vel fuſtem, quo feriret, non virgam, quâ regeret, vel ſuſtentaret, manu gerebat: caligis ferreis, quibus conculcaret, non purpureis, in quibus torcular ſolus calcaret; tibias circumdedit: tunicâ ferreâ, non cilicinâ induebatur: non mandatis caritatis, ſed minis diræ hoſtilitatis dilatabatur, inſidens equo rapido, freno ſpumantia ſtringens ora; evagatus ipſe effrenis per latos campos pernicioſiſſimæ diſſolutionis. His armatus, non Regem ſequebatur, ſed præibat: non compeſcebat, ſed compellebat ad iram. Completâ igitur hac, quam prædiximus, malitiâ, Rex & Moguntinus Epiſcopus civitati appropiant, ſolo terroris incurſu incolas ejus ſibi ſubjacere exiſtimantes. Sed ſpe impetus ſui penitus fruſtrati, licet ipſe Rex omni diligentiâ adhibitâ, & toto virtutis ſuæ robore in vanum expenſo caſas ante-urbanas, non foſsâ aut munitione aliquâ, ſed baliſtariorum & lancearum portitorum, liberè in campo diſcurrentium, præſidio defenſas, exurere non potuerunt. Itaque ingloriosō effectu propoſiti ſui Rex per Epiſcopatum Hildenſemenſem regreditur, hoſtilem magis deprædationem, quàm regiam pacem ſuis oſtendendo ſubditis. Hannovere ſuccendit: caſtrum Conradi de Rothem Limbere appetens primo inſultu inhoneſtè repulſus eſt. Inde regrediens, collectione militum dimiſſâ, Goslariam intravit; ſicque factum eſt, ut qui inconſideratum & impetuoſum in actionibus ſuis habuit initium, infeliciter & ſine omni gloriâ ſuam terminaret expeditionem. Poſtea Henricus Dux conſilio Principum, Moguntini videlicet & Colonienſis, archiepiſcoporum, ſe ſubdidit, & propoſitâ ſibi ſpe recuperandi priſtini honoris, Regi ſuam ſatisfactionem exhibuit, duos filios ſuos, Henricum videlicet & Luderum, obſides conſtituit: quorum alter Luderus apud Auguſtam urbem defunctus eſt: alter cum Rege in Apuliam cum mili-

Digitized by Google

tibus ſibi à patre deputatis abiit, nihilque Henrico Duci de his, quæ ſibi promiſſa erant, conceſſum eſt. Rectà igitur Henrico rege iter agente in Apuliam mors Imperatoris audita eſt: de quâ nihil glorioſum, nihil memoriâ dignum dicere poſſumus, præter id, quòd exſul mortuus eſt. Qualis enim fuerit intentio ejus ab inceptâ expeditione, inglorioſo vitæ ipſius termino, qui ſecretorum eſt inſpector cordium, palàm oſtendit. Imperator itaque Fridericus, de quo dicimus, tranſit à Græciâ & Soldani regno, cùm præteriſſet Iconium, terram deſertam & inhabitabilem, terram ſitis & inviam, periculo ſuorum attigit, ubi plusquam medietatem ſui perdidit exercitus. Quo periculo tandem laborioſè evicto, cùm ad cujusdam torrentis alveum conſediſſet, dehortantibus eum omnibus, qui aderant, alveum fluminis inconſultè intravit: quem mox ut ingreſſus eſt, reniti non valentem impetus aquæ intra manus ſuorum confectum ſenio miſerabiliter obvolvit: ibique exitu, tam improviſo! tam celeri! vitam finivit, anno MCLXXXIX. Judicia tua, Domine, abyſſus multa! Quis audeat in inſcrutabile tuæ majeſtatis conſilium mentis aciem intendere? terribilis es in conſiliis ſuper filios hominum. Filius autem Imperatoris Fridericus, Dux Sueviæ, honore quo potuit, oſſa patris Antiochiam detulit: Sed & ipſe in brevi pòſt trans mare vitâ exceſſit: Sicque ille exercitus, quem collegerat totius robur Imperii, absque nominati alicujus operis exſecutione mirabiliter eſt diſſolutus. Rex igitur eò ampliùs anhelabat ad coronam, quantò ne quid erroris interveniret, anxius erat. Profectus itaque Romam, ordinationem, quam in brevi accipere ſperabat, morte Domini Clementis Papæ, dum ad muros urbis ſederet, intercipi doluit, donec electo Dn. Jacincto, & ſancto die Paſchæ conſecrato, ſequenti die Rex à Celeſtino Papâ coronam Imperialem cum benedictione, unà cum uxore ſuâ percepit. Ad cujus conſecrationem adoleſcens de Brunſuich, filius Henrici Ducis, ut conſanguineus Dn. Papæ, ſummam diligentiæ ſuæ operam oſtendit, propoſitâ etiam ſibi ſpe, imò datâ ſibi certitudine, quam inde conſequeretur, maximi honoris & fructuoſæ utilitatis. Profectus inde Imperator cum Colonienſe & Duce Boëmico & jam dicto adoleſcente de Brunſuich, ut primum Apuliam attigit, viribus atque minis caſtella cum opibus & civitatum munitionibus, quo potuit modo, aggreſſus eſt, repugnante ſibi Tancredo, qui regnum Apuliæ poteſtativè ſibi uſurpaverat. Sed Imperatoris exercitum ſubitæ magnitudo cladis terribiliter turbavit, adeo ut plærique jam ſani & validi miſerabili mortis articulo ſolo ſternerentur. Henricus itaque adoleſcens, filius Henrici Ducis, auditâ morte fratris ſui Luderi, cui divina clementia cum naturalium decore donorum venuſtam etiam morum honeſtatem contulerat, timens etiam malo imminentis morbi florem ineuntis perdere juventutis, nihilque conſecutus promiſſi ſibi honoris, nec aggreſſos ſibi videns reſpondere labores, cum Imperator apud Neapolim coadunato ſederet exercitu, à familiaritate ipſius diviſus eſt. Eapropter ira Imperatoris in ipſum graviter accenſa eſt, ratus aliquam ſibi ex hoc naſci intricationem: unde terrâ marique omnes ei vias præcludere conatus eſt: ipſe autem cautè inde elapſus in Neapolim ſe contulit, unde navigio calliditate, quâ potuit, evaſit. Interim incredibilis illa peſtilentia magis ac magis invaluit, & archiepiſcopum Colonienſem, unà cum Cancellario, ac Duce Boëmico, & multis aliis involvit, & ipſe Imperator irrecuperabili infirmitate corripitur, adeo ut deſperatus & ſemivivus à Neapoli, nullo peracto negocio, aſportaretur. Imperatrix autem apud Salernum ab incolis ipſius cuſtodita eſt: & ſic per biennium Imperatorem non vidit: ipſe autem, perditâ uxore, rebus, & exercitu, redire cogitur, terræ noſtræ etiam ſigna ſui oſtenſurus infortunii. Nec adoleſcentem illum, quem in dubiis fortuna regebat eventibus, ceſſabat perſequi, ſperans alicubi terrarum eum invenire, vel circumſepire poſſe. Tandem Imperator noſtro redditur regno, & ipſe, quod deliquerat filius, in patrem refudit, certus adoleſcentem objectos inſidiarum laqueos non poſſe evadere, patrem acerrimis minis aggreditur. Interim junior Dux, Deo ſe cuſtodiente, per medios hoſtes, & per diſpoſitas cuſtodias, viâ, quam homo non poſſet oſtendere, mirabiliter elapſus, per multos labores & gravia pericula inopinatè Brunſuich advénit: in cujus adventu patri ſuo lætitia accrevit, Imperatoris autem ira vehementiſſimè efferbuit. Dux ergo Henricus ſperans Imperatoris poſſe mutari animum, ſciens etiam ſuam de non læsâ majeſtate ejus innocentiam, legatos ſuos ad ipſum diſponit, videlicet

Digitized by Google

delicet Abbates & Præpoſitos, viros religioſos, non ſolùm Imperatori, verum etiam principibus & conſiliariis, pro integritate gratiæ ſuæ ſupplicaturus. Cujus tota legatio, tanquam ludibrium & inſipidum quoddam, in auribus ipſorum habita eſt, non intendens, niſi Ducem funditus exſtirpare, qualiacunque, vel quantacunque, emendationis obtuliſſet obſequia. Nam aliquando ſe in Apuliam iturum policebatur, ut eandem terram ſuo redderet dominio: Imperatricem honorificè reduceret: quæ omnia tanquam nihilum & inane reputata ſunt ei. Poſtremò emerſerunt quidam iniqui, qui immanis odii inter Imperatorem & Ducem incentores exſtiterunt. Hi enim à ſervitio domini ſui Ducis ſe infideliter abſtrahentes, ſicut erraverunt ab utero, ita locuti ſunt falſa, in hoc malitiæ ſuæ conſtituentes ſolatium, ſi hujuſmodi inimicitiæ uſque ad dejectionem Ducis perdurarent. Iſti ergo ab Imperatore ſequacem poſtulabant exercitum, certum eum reddentes, ſine gravi difficultate ſe Duci poſſe prævalere. Erant autem hi, quos ſi nominare ſuperſederemus, ex his, quæ geſta ſunt, noſtro noti erunt ſeculo: quoniam fiduciati non in Domino, magnitudinem ſuæ malitiæ circumjacentibus villis iniquæ promotioni acriter inſtabant, & ſi quos in civitate Brunſuich complices habuerunt, ſequens actio declarabit. Tales itaque, tam nominati viri, immiſericordes pacis turbatores, quorum injuſtitiæ oblivionem non accipient: quorum ſemen in confuſione erit, quoniam ſecundum impetum animi ſui, ſpe inaniter propoſitâ, abſque conſilio ſpiritum narium ſuperbientium ſecuti, nolentem etiam impellebant Imperatorem: qui longâ morâ, ſine effectu, ampullas minarum terroremque ſui adventus præambulare fecit, ſed cum concuſſione montium & coruſcatione fulgurum inani. Anno igitur MCXCI. convenerunt nobiles terræ cum Halberſtadenſe Epiſcopo, & Hildenſemenſe, & Corbeienſe Abbate, & inutilem terræ & indecorum Imperio contraxerunt exercitum, qui in loco ſuper Ovekaram, in villâ Leſforde / ubi prior ſederat exercitus, in feſto S. Barnabæ apoſtoli ſe contulerunt, unâ parte aquæ munitione ſecuri, alterâ verò foſſâ vallati. In hoc igitur loco, non Duci, ſed incolis terræ, & ſibi ipſis nocentes, non jaculis, ſed epulis: non militiæ, ſed crapulæ ſtudebant: nunquam inſultum aliquem in hoſtes, niſi ab ipſis provocati facientes: unde ſine damno hoſtium regreſſi ſæpiſſimè volucres, lupos, & canes ſuis eſcaverunt equis: unde vulturum & corvorum triſte eis præmonſtrans portentum multitudo eos inſecuta eſt. Ad caſtra autem regreſſi, ſine præeunte eos capite, ſui compotes, quiſquis inter eos erat flagitioſior, hic inventus eſt nominatior: quiſquis ad direptionem villarum erat paratior, propter impios actus ſuos habitus eſt potentior. Principes non dominabantur nobilibus: nec nobiles ſuis præerant minoribus: domini non imperabant ſervis, ſed unuſquiſque eo, quod potuit & libuit, abuſus eſt pro licito. Iſta autem, quæ præmiſimus, aut quæ ſubinferemus, nemo in vanum à nobis ſtylo ſignari æſtimet: profectò cùm in utraque parte malum Werræ graviter ſenſerimus, utriuſque partis, quæ fuerit commoditas, aut incommoditas, veritate non omiſsâ loquemur. Perdurante verò hujuſmodi malo, Principes jam-dicti Imperatoris adventum, falsò ſibi ſæpius præfixum, inaniter præſtolantes, ſui deſtructionem magis, quàm Ducis propulſionem agebant. Interim in civitate Brunſuich pro quibuſdam captivis inteſtina quædam ſeditio orta eſt: in quâ Advocatus Ludolfus cum filiis ſuis, & cognatis, pernicioſiſſimè notatus eſt: quâ, ut plærique autumant, non, ut diſpoſitum erat, terminatâ, ſi quid in animo gerebat, jam-dictus Advocatus ad lucem expoſuit: nam cum filiis ſuis à ſervitio Ducis & civitate elapſus in tuta loca, ſcilicet Dalem & Winethen, ſe contulit. Qui legitimè vocatus, & uſque ad præfixos ſibi dies exſpectatus, non rediit, donec deciſa in eum ſententia prolata eſt: ac deinceps hoſtibus Ducis adjunctus eſt, omnemque ſui animi in malum Ducis affectum oſtendit. Sed in brevi à filio Ducis Winethen capta eſt: ſed de Dalem omnis circumjacens regio rapinis & incendiis vaſtata eſt. Uſquequo Domine exaltabitur inimicus? Sed de die in diem viſum eſt Principibus ab Imperatore ſe deludi, tantæque exſpectationis pertæſi ſunt. Inito igitur conſilio ſimiam quandam pacis ſtatuere voluerunt: ſed cùm aditum non haberent, aliquantulum protraxerunt adhuc ſibi fiduciam conſtituentes. Erubeſcebant enim Duci ſupplicare de pace: nec ipſi, ut pacem darent, à Duce ſolicitabantur: ubi efficax Gerhardi Præpoſiti Stidereburgenſis diligentia opera-

Digitized by Google

rata eſt, qui internuncius utriusque partis adduxit conſenſum, & pace usque ad feſtum S. Michaëlis promiſsâ, in die Agapiti martyris ſatis inopinatè & miſero termino conventus ille diſſolutus eſt. In hac pace Ludolfus non eſt incluſus: quem poſtea Palatinus Rheni, cum apud Brunſuich eandem pacem protelaret, magno labore inſeruit. Ex hoc tempore ſicut infirmitas Imperii, ita & robur Ducis omnibus patuit hominibus. Diſcurrunt interim ad Imperatorem primi mali effectores, vanâ fiduciâ plenas ferentes ſcedulas, & Ludolfus Advocatus cum his, qui ad eum pertinebant, ante præfixum diem primus irrupit: unde omnia, quæ Ducis erant & eccleſiarum, ab ipſo & Ecberto de Wulferebutle diripiuntur: graſſati in irâ magnâ, ſcientes, quia modicum tempus habent. Sed ante ruinam exaltatur cor. Dux igitur, ut de ſuis plenam conſequeretur vindictam, & ſe à circumcurrentibus exoneraret latrunculis, collectâ validâ multitudine per filium ſuum, & Bernhardum de Welepâ, & plures Nobiles, Wolferebutle obſedit: quod machinis & inſtrumentis ad hoc deliberativè apparatis viriliter appetentes ad deditionem Guncelinum quarto die compellunt: caſtrum occupant, incendunt & ſolo ſternunt. Et in hac parte Brunſuich utiliter exoccupatur. Eodem fortunio Dalem inopinatè circumdederunt, & Ludolfum advocatum, cum juniore filio ſuo Ludolfo ibi comprehenſo, ſexto eum die ad deditionem compulerunt: majore filio ſuo aliâs tranſeunte. Hi ſunt, qui foderunt foveas, & inciderunt in eas. Ludolfus advocatus cum filio ſuo captivus abducitur, & caſtrum ſuum his, qui eum oderant, commendatur. Ipſo tempore caſtrum Ludolfi de Peinâ, qui avunculi ſui exempla devia ſecutus, Conradum de Rothen in ſui perniciem ſibi aſciverat, alterâ die capitur, incenditur & æquatur, & nomen Ducis ex hujus facti memoria, quod fieri poſſe videbatur incredibile, eò glorioſius dilatabatur. Perdurante adhuc odio Domini Imperatoris, quantò virtuoſius Dux junior in cunctis actionibus ſuis patris ſui virtutem eſt ſecutus, eò major Imperatoris circa ipſum accenditur ira, & irritum inter Ducem & filiam Palatini de Reno diſſipare nitebatur matrimonium. At illa, quamvis à multis impetebatur, ab Imperatore ad hoc deſtinatis, in Ducis, quem elegerat, amore immobilis permanebat. Tandem matre ſuâ agente, Palatino inſcio, vocatus, per medios fines inimicorum ſuorum & per varias inſidias mirabiliter elapſus, protegente ſe Deo, cùm etiam ipſa, quæ futura erat ſponſa, quid gereretur ignoraret, veſpertino crepuſculo intravit, & ipsâ nocte absque nuptiarum celebratoribus, non tamen ſine benedictione ſacerdotali, in thalamum collocati ſunt, & felix contractum matrimonium. Vocatus poſtera die Palatinus, qui tunc ad latus erat Imperatoris, dum caſtrum intravit, quæ geſta ſunt audivit: & tunc demum cum gaudio & exſultatione celebres divulgatæ ſunt nuptiæ. Deinde Palatinus Imperatorem adiit, ſe de conſcientiâ facti juramento expurgat, & omnibus modis filium, quem ſibi adoptavit, per filiam gratiæ Imperatoris elaborat reſtituere. Factus itaque voti ſui compos, ut primum filio ſuo Imperatoris mitigavit animum, Ducem ſeniorem in Brunſuich adiit, eumque ad præſentiam Imperatoris evocat, policendo bona, ſi ad Domini Imperatoris voluntatem ſuum inclinaverit animum, & ſe gratiæ ſuæ ordinationi ſubmiſerit. Dux itaque, licet non ignoraret, quoniam difficilis ei foret imperialis iræ manſuetudo, tamen ut principum ordinationi eſſet conſentaneus, conſilio Palatini acquieſcit, eique curia in Salvelde præſcribitur: ad quam cùm Imperator accederet, & Dux eſſet in itinere, in arduo nemoris, cum appropinquaret loco, qui Bothvelde dicitur, Dux de equo corruit & ex contritione tibiæ ab itinere, quod cœperat, impeditus eſt. Sequenti die Walkenred deportatus, nuncios ſuos ad Imperatorem ordinat & deſtinat: ipſe verò manſit in eodem loco gravi ex læſione laborans infirmitate. Imperator ut audivit, quamvis artem ſuſpicaretur ſubterfugii, principes, qui convenerant, detinuit, adventumq; Ducis exſpectare diſponit. Poſtquam autem intellexit Dominus Imperator non fictam Ducis infirmitatem, viciniorem loco, & tempore productiorem diem ei conſtituit in Duſſethe/ certificatus à Præpoſito Stiderebürgenſi Gerhardo, qui legatione Ducis fungebatur. Dux itaque aliquantùm receptis viribus ſuis, ad diem & locum ſibi conſtitutum venit, & in plenam gratiam Imperatoris ibi receptus eſt, & filius ſuus beneficiis Palatini, quæ ab Imperatore tenuit, ſolenniter eſt veſtitus, expetente domino Imperatore, ut ſecum iter arriperet in Apuliam. Dux ad ſua rediit & filium ſuum ad obſequendum domino Imperatori modis omni-

Digitized by Google

omnibus adjuvit ſpe ductus inani: quia aliqua ex his, quæ ſibi promiſſa erant, exſpectabat. Mittitur itaque filius Ducis, Palatinus Comes Reni, cum domino Imperatore in Apuliam, ſicque Dux beato Job in hoc non diſſimilis omni orbatus eſt filio: ſiquidem duos minores natu Ottonem & Wilhelmum rex Angliæ avunculus ipſorum, pro multis millibus marcarum argenti, quod pro ſui liberatione debebat domino Imperatori, dederat in pignore: & hic major natu ſub dubiâ ſpe revertendi & ancipiti periculo peregrè profectus eſt. Porrò idem nobiliſſimus Princeps eventum filii ſui, quem Imperialibus obligaverat obſequiis, anxius exſpectabat, quem tamen infra ipſum, quo abierat, annum, rebus in Apuliâ bene geſtis, ſanum & incolumem recepit, ipſe verò nihil nomine dignum, vel honoris, vel utilitatis, ab Imperatore conſecutus eſt. Videns igitur ſenior Dux Imperatorem flecti non poſſe ad benevolentiam, cœleſti regi placere deſiderans, cultum domus Dei ampliare intendit: ſpecialiter autem monaſterium S. Johannis Baptiſtæ & S. Blaſii, quod à fundamentis exſtruxerat, decorare ſtuduit: unde imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi cum aliis imaginibus miro & decenti opere in medio monaſterii ſummo ſtudio collocari fecit: pavimento & feneſtris ipſum monaſterium laudabiliter ornavit: crucem auream opere fabrili inſtituit, cujus precium in auro & gemmis ad mille quingentas marcas argenti computabatur. Ipſe etiam licet robore & viribus corporis deficeret, & infirmitas, quæ quemlibet hominem dejiceret, graviter ipſi accederet, animi ſui naturalem virtutem nobiliter regebat, & antiqua ſcripta Chronicorum colligi præcepit, & conſcribi, & coràm recitari, & in hac occupatione ſæpè totam noctem duxit inſomnem. Negocia etiam permaxima ad ipſum cotidie deferebantur: quia aſſuetus in his animus conſilii prudentiam non amiſerat. Veſtes etiam ſacras divinis aptas miniſteriis in ſui præſentiâ fecit aptari, quas in uſum eccleſiarum partim diſtribuit, partim in capellæ ſuæ uſum reſervavit. Interim Dominus Imperator Ducem inanibus promiſſionibus ſuſpenſum tenet, & frequenter mittit nuncios ad ipſum, qui ſe & filium ſuum ab indebitâ læſione debebant eximere, & eos, qui indebitè ipſi rebelles erant, ſuæ gratiæ reformare. Eo tempore Dux Auſtriæ Lippoldus de equo corruens vitam miſerabiliter finivit, & filium Ducis Willehelmum, quem habebat in pignore, ſerò pœnitens, antequam moreretur, regi Ungariæ Duci Henrico reddendum transmiſit: ſed & hoc arte Imperatoris impeditum eſt. Expenſâ igitur hyeme, & totâ Quadrageſimâ dum eleemoſynarum largitioni totus inſiſteret, in vigiliâ Paſchæ nocte mediâ repentinus eum dolor invaſit, & ſolito plus invaluit malum. Ipſe tamen operibus bonis, quæ cœperat, infatigabiliter inſiſtebat: ab hoc itaque tempore, usque ad diem obitus ſui vix aliquod de continuo dolore habebat remedium. Sic exactâ æſtate, cùm dies caniculares inſtarent, immoderatâ, ſed naturali ſolutione ventris laborare cœpit, ipſe tamen nullius medicinæ remedium admiſit. Nec hoc ſilendum, quòd XIV. ante obitum ſuum die, quæ eſt vigilia Jacobi, horâ diei nonâ, exortâ ſubitò nube à partibus Occidentis, in ictu oculi fulgur miri acuminis & velocitatis apparuit, & tonitru terribile ſubitò ſubſecutum eſt: & ex ipsâ occulta vi ſub tecto plumbeo inter murum & plumbum monaſterii tegillæ ligneæ incenſæ ſunt: ſed omnibus, qui circa Ducem erant, conſternatis, ipſe permanſit interritus. Acclamantibus igitur omnibus ad incendium & uti Duci ſuccurratur, quia ſuper caput ipſius erat incendium, grandis pluvia ſecuta eſt, & divina potentia, quæ inviſibiliter hunc ignem accendit, ſine humano molimine mirabiliter eum extinxit. Dux itaque, quia vim morbi in ſe timuit, nuncios ſuos poſt filium, qui tunc in partibus Reni morabatur, miſit: & Epiſcopo Raceburgenſi Isfrido, cui ſpecialiter confiteri ſolebat, nuncium deſtinavit. Qui ſubitò veniens vidit eum morbo acriùs laborare, verbum exhortationis ad ipſum habuit, ut ſpiritu fortitudinis in hoc articulo habito Dominum ſe vocantem hilari corde ſequeretur. At ille his & ſimilibus verbis, ſalubriter compunctus, puram coram Deo & Epiſcopo peccatorum ſuorum confeſſionem fecit, & quarto nonas Auguſti in remiſſionem præteritorum ſuorum delictorum ſecundum conſuetudinem eccleſiæ oleo inunctus eſt, participans ſacroſanctis myſteriis Chriſti. In hac itaque morbi moleſtiâ quatuor adhuc dies ſupervixit, non querulus, non gemens, ut plærique ſolent infirmi, ſed ſi quando erupit in vocem, Deus, inquit, propitius eſto mihi peccatori. Erectus namque in virtutis culmine animus paſſionibus corporis non ſuccubuit,

Digitized by Google

buit, cui etiam in diviſione corporis & animæ morti ſuccumbere quaſi videbatur indecorum. Eodem tempore famoſus ille princeps Henricus Dux inter manus cleri ſui, quem ipſe tenerè dilexit, & glorioſæ tramite diſciplinæ imbutum ad altiora tendere ſemper hortatus eſt, ex hac luce ſubtractus obdormivit, ut ſperamus in Domino, anno ætatis ſuæ LXVI. De cujus morte ſicut ſui non modicam habuere triſtitiam, ita æmuli ſui magnam concepere lætitiam. Audivimus tamen poſtmodum, eos qui eum odio habuerunt, commendare gloriam & virtutem Principis, & vivere eum inſtantiſſimè optabant. Deportatus itaque inter manus flentium in monaſterium S. Blaſiii, quod ipſe exſtruxerat, in medio pavimento ante crucem, quam erexerat, in dextro latere uxoris ſuæ Mathildis Duciſſæ, Anglorum Regis filiæ, honorificè ſepultus eſt: ſicque factum eſt, ut quam habuerat conſortem thalami, haberet etiam ſociam ſepulcri. Quorum animæ per miſericordiam Dei lucidas & quietas manſiones in ſorte ſanctorum poſſideant, Amen.

Finis hiſtoriæ de Henrico Leone.

EPITAPHIUM
HENRICI LEONIS,
quod exſtat Brunſuigæ in æde SanBlaſianâ.

HIc jacet Henricus, quondam Dux, conditor hujus
Eccleſiæ, dignus nobilitate, pius.
Moribus ornata ſibi conjunx eſt ſociata,
Pauperibus larga, ſimplicitate bona,
Inclyta Mechtildis Anglorum filia regis.
Nutriat Angelicis hos Deus ipſe cibis.
Adjacet optatus rex horum ſanguine natus,
Otto coronatus, vermibus eſca datus.
Hujus erat ſponſa Philippi ſtirps generoſa,
Filia formoſa, nunc cinis, antè roſa.
Qui legis hæc metra, memor horum ſis peto: penſa,
Quid caro, quid vita, quid res, niſi mors, cinis, umbra.

Vita Auctoris.

COEnobium monialium Stederburgenſe duos habuit Præpoſitos nominis ejuſdem. Prior Gerhardus vixit ſub Lothario Imperatore: ſub Henrico Leone poſterior. Qui cùm antea egiſſet cellarium, quem vocant, in monaſterio Richenbergenſi (vulgò Reiffenberg) ibique vitæ ſanctimoniam prudentiamque patribus probaſſet, Stederburgi unanimi conſenſu eligentium Præpoſitus deſignatus eſt. Factum hoc ipſe annotavit anno 1163. Invitus in ſe recepit onus, quòd præſagiret ei animus, fore ut pietatis exercitia à laboribus Oeconomicis impedirentur. Verùm Auctoritas Antiſtitis Hildeſienſis monaſterio bene-volentis vel reluctantem permovit. Cœnobio valde fuit utilis: etenim bona diſſipata, oppignorata, vel labefactata, requiſivit, redemit, ac meliora reddidit. Omnia penè ædificia collegii, tàm ſacra, quàm Oeconomica, inſtauravit: quæ pro ſuperſtitioſi ſeculi uſitato more, ab Adelhogo Hildeſienſi & Evermodo Raceburgenſi, Epiſcopis religioſiſſimis, familiaribus ſuis ſolemniter conſecrari voluit. Factum anno 1174. Cum Præpoſitum egiſſet annis 46. ac interea temporis inſignes vidiſſet ejus loci mutationes, multas moleſtias ac ærumnas ſuſtinuiſſet, tandem ex hac vitâ in cœleſtem migravit anno 1209. Monaſterii ſui fundationem, incrementa, ac adverſitates, ſecundum annorum ſeriem diligenter annotavit: ex quibus expoſitionibus hanc hiſtoriolam, dignam quæ iterùm legatur, excerpſimus.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI MEIBOMII
Poëtæ & Hiſtorici,
NOTÆ
ad Hiſtoriam de Henrico Leone.

W*Erra maxima*) *Werra* ſive *guerra*, vox barbara, bellum, certamen, moleſtiam, ſignificat: ſine dubio à Germanico gewirre: Saxones, wer und wunder / hoc eſt, inopinatum & grave malum.

Colonienſis Epiſcopus) Philippus familiæ Heinsbergiæ in agro Juliacenſi, comitis Goſwini junioris ex Adelheidâ Somerſcheburgiâ Palatinâ Saxonicâ filius. Eſt autem ſecunda hæc religioſi iſtius & irreprehenſibilis Epiſcopi expeditio in Saxoniam, quam Arnoldus abbas Lubecenſis αὐτόπτης lib. 2. c. 30. his verbis deſcribit: *Philippus Colonienſis contracto exercitu ſecundam expeditionem inſtauravit, habens in ſuo comitatu illos, quorum ſecta Rote dicitur. Rurſumq; in manu validâ pertranſivit omnem terram Ducis & timuerunt omnes à facie ejus. Facta autem ſunt abominabilia multa & gravia in profectione illâ, eò quòd viri iniqui, filii Belial, qui comitabantur cum eo, ſceleratiſſimi eſſent, & ſceleribus perficiendis inexplebiliter inſiſterent. Factæ ſunt autem cœmiteriorum deprædationes, eccleſiarum exuſtiones & multa loca religionis deſtructa ſunt, ita, ut quod dictu gravius eſt, ſponſas Dei quaſi captivas abigerent, & eas proſtituendo templa Dei, non manufacta, libidinosè polluerent. Quis non gemat, quòd ſacerdoti ſacroſanctis myſteriis aſſiſtenti, non pepercerunt, ſed impingentes in eum, nec dum bene completis ſacramentis, calicem de manu ejus rapuerunt? Multa etiam alia ſceleratiſſimi illi perpetrarunt, quæ pro enormitate nefas fuit ſcribere, & nimis venenata auribus fidelium infundere.* Hactenus Arnoldus Lubecenſis.

Sexto deniq; anno) Initium belli contra Henricum Leonem fecit Ulricus Epiſcopus Halberſtadenſis anno 1177. quo ipſo Fridericus Imp. cum Papâ Alexandro rediit in gratiam. Eſt igitur annus 1182. belli hujus civilis ſextus. Vide Helmoldi continuatorem Arnoldum lib. 2. cap. 27. & ſequentibus aliquot: Ottonem de S. Blaſio cap. 24.

Ovekaram) Non refertur amnis hic eâdem ſcriptura. Aimoinus monachus lib. 4. cap. 61. *Ovacram*, cap. 70. & 75. *Ovacrum* nominat: Francici annales *Obacrum*. Intelligendus *Ocra*, die Ocker / poſt ſalutatum Wolfenbutelum ac Brunſuigam in Aleram ſe exonerans.

Magdeburgenſis priori anno) Haldenslebium olim illuſtrium comitum ſedes, hodie etiam opidum non ignobile, ſitum ad Oram fl. (Fabricius lib. 5. Originum Saxonicarum perperam Viadrum vocat) captum & deſolatum eſt anno Chriſti 1181. ut Chronicon Lauterbergenſe MSC. Addam verba Auctoris, ut de ſtratagemate conſtet. *Qui in civitate erant*, inquit Chronicon, *adhuc ſi poſſent eam amplius munire cogitabant: cùm enim fluvius Ora, ex unâ eam parte præterfluens valde muniret, alium tamen fluviolum, qui Bivera dicitur, ad alteram ejus partem derivantes inacceſſibilem penitus reddiderunt: aquis enim circumquaque ſtagnantibus, quaſi inſula videbatur. Sed hæc res civitati perditionem procuravit. Deprehenſum eſt enim ex hoc, ſitu terræ conſiderato, quòd ſi decurſus aquarum aggere jacto prohiberetur, civitas aquis ſurſum creſcentibus mergeretur. Hoc etiam ad obſidionem Epiſcopum* (Wichmannum) *mox revocavit. Labore itaque maximo infra tres menſes, & duas hebdomadas, aggere conſummato in tantum aqua excrevit, ut penè ſuper muros civitatis influeret. Tunc demum Epiſcopus naves armatorum plenas civitati juſſit applicari. Obſeſſi autem & captivati rebus ſuis & corporibus ſalvis civitatem ipſius tradiderunt poteſtati, quod conſecuti bono omine diſceſſerunt. Epiſcopus vero civitate potitus eam funditus evertit, utile nimis opus perficiens, & valde ſuis poſteris profuturum.* Hucusque Lauterbergenſe Chronicon. Hæc

vero eſt altera obſidio Haldenslebii: prior incidit in annum 1168. quæ quâ occaſione ſoluta ſit, ex eodem Chronico Lauterbergenſi libet referre. *Civitas in palude ædificata erat triplici vallo & muro forti munita. Palus autem circa civitatem porrecta non patens, ſed ſub ceſpite latens erat, & ceſpes ipſe non ſolidus, ſed veſtigiis cedens quaſi immerſionem deſuper ambulantibus minabatur. Super hunc machinæ multæ diverſi generis multo labore & ſumtibus magnis ad capiendam civitatem conſtruebantur. Interim verò hi, qui obſeſſi fuerant, ſtultum judicantes nihil per ſe agere, quoniam hujusmodi materies flammæ admodum capax eſt, ceſpitem ex eâ parte, quâ extremo civitatis vallo cingebatur, obſeſſoribus ignorantibus incenderunt. Ignis autem ſubterraneo meatu ſerpens citò dilatatus eſt, qui cum ad locum machinarum veniſſet, ceſpes ſubter igne exeſus, molem ſuperpoſitam ferre non valens, repentè ſubſidit, totaque illa ſtructura cadendo ſecuta copioſum igni pabulum miniſtravit.* Hactenus iterum Chronicon Lauterberg. Cum autem Haldenslebium annis circiter quadraginta tribus in ruderibus jacens triſte ſpectaculum vicinis civitatibus præbuiſſet, ſub Alberto archiepiſcopo, ex Comitibus *Hallermundiis* nato, ipſo in Italiâ cum Imperatore abſente, accolis illuc confluentibus, iterum inſtauratum urbis veterem formam auſpicatò reſumſit.

Bernhardo de Lippiâ) Hic Dynaſta ab Arnoldo Lubecenſi lib. 2. cap. 30. & Chronico Lauterbergenſi Comitis titulo honoratur. Ineptit igitur Crancius, qui familiæ Lippienſi dignitatem iſtam derogat, Metropol. lib. 7. cap. 40. Contrarium potuiſſet diſcere ex Alberti Stadenſis Chronico ad annum 1219. præterea ex veteri Chronico Sax. ad annum 1181. 1221. & 1464. Fuit verò hic Comes Bernhardus dux copiarum ſub Henrico Leone, cujus partes contra æmulos maſculo tutatus eſt animo, mulctatus hoc nomine ab Epiſcopo Colonienſe Philippo feudis quæ ab eccleſiâ tenebat. Eam Jacturam compenſavit Henricus Leo, datâ ei præfecturâ Engerenſi, antiquorum regum & principum Saxonicorum auguſtali. Haldenslebium viriliter defendit à primâ obſidione usque ad poſtremam: ubi contra naturam pugnare non potuit. Salvo præſidio & arce ſuæ fidei commendatâ, eruptionibus crebris rapiniſque vicinos fatigavit, auſus ſubinde usque ad muros Magdæburgenſes prædabundus excurrere. Exſtat noſtrâ operâ Juſtini cujusdam Lippienſis poema vetuſtum, titulo Lippiflorii, ſcriptum ante annos circiter 370. ſeculo iſto barbaro penè eruditius comtiusque, quo Bernhardi vita & res geſtæ delibantur: cum primis prolixè ibi deſcribitur, quomodo poſt longinquam millitiam, factasq; cædes, & illatas adverſantibus injurias, ut maturè Deum placaret, proq; delictis ſatisfaceret, relictis conjuge, liberis, omnibusque negociis mundanis, in cænobio Mariæfeldenſi, quod eſt in diœceſi Monaſterienſi, cucullum induerit: monachatui adjunxerit peregrinationem, ſive bellum ſacrum in Livoniam, eo eventu, ut ibi in novo Epiſcopatu Leahlenſi cathedram indeptus ſit. Vide encomium ejus apud Stadenſem ad annum 1228. Meminit Cæſarius Heiſterbacenſis monachus illuſtrium miraculor. lib. 9. cap. 37. & lib. 10. cap. 35.

Pars familiæ.

Bernhardus Comes Lippienſis, propugnavit ſumma fide pro HENRICI LEONIS partibus: poſtea ex abbate fit Epiſcopus.

Hermannus vir ſapiens & illuſtris, ut Albertus ad annum 1230,	*Gerhardus arch. Bremenſis ⊙ 1259.*	*Bernhardus Epiſcopus Paderbornenſis 1247.*	*Otho Epiſcopus Trajectenſis ⊙ 1227.*	*Theodoricus Præpoſitus Daventriæ ⊙ 1227.*

Hermannus:

Bernhardus privilegia urbi Lemgovienſi confirmavit 1245.	*Simon Epiſcopus Paderbornenſis ⊙ 1274.*	*Otho Epiſcopus Monaſterienſis ⊙ 1247.*	*Heilvviga uxor Adolſi 4. Comitis Holſatiæ & Schavvenburgi.*

Bernhardus:

Simon, Dominium Engerenſe Brunoni, Comiti Ravensburgio, oppignorat 1280.

Simon:

Simon confirmavit Lemgovienſibus privilegia 1300.	*Bernhardus Epiſcopus Paderbornenſis ⊙ 1340.*

Sala-

Digitized by Google

Saladinus urbis Damaſcenæ potentiſſimus Princeps) De hoc, ejusque rebus geſtis, vide appendicem Reineri Reineccii ad Haithonem Armenium. Capta eſt autem Hieroſolyma anno Chriſti 1187. quarto Non. Julii, feriâ ſextâ hebdomadis, ut Arnoldus Lubecenſis, Gobelinus & alii: ab initio regni Hieroſolymitani, anno 88. ut Otho de S. Blaſio, cap. 30.

Cum Imperatore feliciter ſignati ſunt) Expeditionem Friderici Barbaroſſæ in terram ſanctam deſcripſit Tageno Decanus Patavienſis αὐτόπτης. Exſtat narratio appendice ad primum tomum Germanicor. ſcriptorum. CL Freheri. Vid. præterea Ottonem de S. Blaſio cap. 32. & tribus ſequentibus, Arnoldum Lubecenſem lib. 3. cap. 29. & ſeqq. Gobelinum ætatis 6 cap. 60.

Conventum in Goslariâ) Adi Arnoldum Lubecenſem lib. 3. cap. 28.

Henricum Ducem trium annorum exſilio deputavit, & omnia ſua in firmiſſimâ pace conſtituens) Arnoldus Lubecenſis lib. 3 cap. 28. *Cæſar Duci Henrico trium optionem dedit, ut aut diſpenſationem in particulari quadam reſtitutione priſtini honoris pateretur: aut ſecum peregrinatum in expensâ Imperatoris iret, poſtea plenariè reſtituendus: aut terram per triennium, tàm pro ſe, quàm pro filio ſuo æquivoco, abjuraret. Dux tamen magis elegit terram exire, quàm vel ire, quo non vellet, vel honore priſtino ullâ diminutione mutilari.* Hæc ille. Repetit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 1. ſed ut locum corrumpat. Chronicon rithmicum de iſta re in hanc ſententiam:

Do her vor dhen Keyſer quam/
　　Und in zo ſinen Gnaden nam/
Her moſte loben daz ſin Thunge
　　Nümber thete vorderunge
An Lehen und eygen allgelich/
　　Wen Lüneburch und Bruneſwich/
Und daz im dhar zu beſcheydhen wart.
　　We/ we/ der ruwelichen vart/
Daz her ſe nicht vormidhen wolte/
　　Dher Keyſer im beſcheyt her ſolte
Uz dem Lande ſin dhri Jar/
　　Der Keyſer lobete ouch vorwar
Im und dhen ſinen widher
　　Gantzen Vridhe.

In vigiliâ Apoſtolorum Petri & Paulli defuncta eſt.) Chronicon vetus Saxonicum obitum Mechtildis Anglicæ collocat in annum 1187. Annales rithmici ponunt 1188. Utrobique perperam: rectius noſter auctor, quod circumſtantiæ evincunt. Nata autem fuit anno Chriſti 1156. ut habet Matthæus Paris: obiit anno 1189 ut fuerit annorum triginta trium cum obiret. Encomium Mechtildis habet Arnoldus Lubecenſis lib. 2. cap. 2.

Abſens etiam Dux Henricus policitam ſibi ab Imperatore non ſenſit pacem) Annales rithmici:

Noch was an Enggelant Heynrich
　　Der groze Lewe von Bruneſwich
An ſiner ellenden vart/
　　Wo kleine ouch im gehalten wart
Der Vridhe/ den im dher Keyſer Frederich
　　Lobte: wen allemenlich
Monte in an ſinem Gute.

Ipſe contra conſtitutum) Gotfridus monachus ad annum 1189. *Henricus quondam Dux Saxonum, cognitâ Imperatoris abſentiâ, contra juramentum de Anglia reverſus, nativum ſuum expetit, adſtipulante ſibi rege Richardo, cujus ſororem habuit, & rege Dacio genero ſuo.* Hactenus Gotfridus Colonienſis, quem de Henrico Leone paulò incivilius loqui, non eſt quod miremur. Servivit ſcenæ, ſcribens nimirum quæ Ubiorum archiantiſtites Leonis Saxonici exuviis egregiè locupletatos, tàm ab injuſtiſſimâ rapinâ, quàm violentâ indebiti ſpolii detentione, excuſarent. Nequaquam autem vero eſt ſimile, Leonem ad exſilium juramento ſe obligaſſe: ſed potiùs inter

Cæſarem & ipſum conveniſſe, ut hic pacis & quietis cauſſâ ex Imperii finibus ad tempus emigraret: Cæſar interim ei caveret, ne quid de parvis avitarum poſſeſſionum reliquiis, quibus vulturii vicini oppidò inhiabant, in ordinem redacto enervatoque poſſeſſori eriperetur ulterius. Quod cum non ſervaretur, imò contrarium impunè & inverecundè fieret, Leo pertæſus injuriarum, cùm ſororius Anglus & gener Danus, reges præpotentes, eum inflammarent: ipſa etiam στοργὴ (quæ in generoſis naturis plærumque vehementior eſt) ne heroicam multarumque imaginum ſobolem, ad extremam, ipſaque morte acerbiorem paupertatem, ocioſus domeſticæ miſeriæ ſpectator, ab indignis detrudi pateretur, inceſſanter inculcaret, ut tempeſtivè ſuis ſuorumque rebus quoquo poſſet modo conſuleret, omnino neceſſe habuit. Quod ipſum, ſi vel Cæſarem, vel Principes alios offendit, ſibi imputent, qui pacta conventa ut ſervarentur ſegnius procurantes, paci publicæ perturbandæ occaſionem præbuere.

Publicas inimicitias adverſus Ducem habuit) Chronicon rithmicum:

Dher junghe Koninc Heynrich
    Dhes Vater hatte weſen Frederich/
Dher dher veydhe ni vergaz
    Durch dhen angebornen haz
Wider ſinen mach Heinriche:
    Dha iz pleph an Frederiche/
Dha began iz der junghe algelich/
    Durch daz Hertzoge Heinerich
E dher zit zo Lande quam/
    Vor groß obel her daz nam:
Der wart ſin Vigent offenbar/
    Und dachte in verterben gar
Von aller ſiner Herſchaph.
    Vullen rat im dar zo gaph
Von Meinze der Biſchoph
    Das zu Goßlere einen Hoph
Leyte Koninc Heynrich.

Poſt feſtum Martini) Leo circa finem Septembris in Saxoniam rediit, cœpitque de amiſſis recuperandis cogitare. Moguntinus verò, cujus hîc mentio fit, fuit Conradus Wittelsbachius, frater Ottonis Palatini, qui optimum principem Philippum Imp. immaniter trucidavit. Noluit autem archiepiſcopus iſte diſſimilis eſſe anteceſſori ſuo Chriſtiano, quem Robertus de Monte, continuator Sigeberti Gemblacenſis, non morem clericorum, ſed tyrannorum imitatum ſcribit. Res ejus Epiſcopo Papali dignas, puta cædes, depopulationes, piraticam, comitatum ex monachis & monialibus, immenſos ac pluſquàm regios ſumtus, vide apud Albertum Stadenſem ad annum 1172. & duos ſequentes. Repetiit inde Crancius, Metropoli lib. 6. cap. 49.

In civitate ſuâ Brunſvich) Adſtruitur hîc Henrico Leoni, ejusque filio hereditarium urbis Brunſvigæ dominium, quod diſertiùs dicit Crancius Saxon. lib. 7. cap. 1. ubi Brunſviga Leonis peculium, & lib. 8. cap. 28. ubi peculiare patrimonium indigitatur.

Hildenſemenſi Epiſcopo) Adelhogo, qui ex Baronibus Dorſtadianis originem duxit, Theodorici F. Arnoldi cognomento Variabarba, conditoris cœnobii Dorſtadiani, frater.

Dictus Moguntinus ita efficacem ſe exhibuit.) Exemplar Pſeudoepiſcopi Pontificii, ſive Eccleſiæ degenerantis. Cui ſimilem agnoſcas Lippoldum Wormatienſem Epiſcopum apud Trithemium Chron. Hirſaug. ad annum 1203. & Epiſcopum alium apud Guil. Neubrigenſem p. 495. Uberrimus autem fuit horum proventus in orbe Chriſtiano, inde à temporibus Imperatorum Saxonicorum, qui peſſimo exemplo ordinem eccleſiaſticum negociis politicæ gubernationis involverunt. Ejus rei initium factum in Brunone, Aucupis F. archiepiſcopo Colonienſi & ſimul pro rege Lotharingiæ, ut Chronicon

Digitized by Google

nicon Frodoardi. Æmylius Veronenſis hiſtoriæ Franciæ l. 3. Archiducis appellationem ſumſiſſe Brunonem adfirmat. Widechindus monachus lib. 1. ineptè Samuelis, & ſacerdotis & judicis exemplo inſolentiam iſtam excuſare nititur. Divus Bernhardus Papam Eugenium monet, nullum gladium, nullum venenum, homini eccleſiaſtico ita formidandum, ac libidinem dominandi. Et notanda ſunt, quæ habet Anſegiſus Conſtitutione Caroli M. & Ludowici Pii, lib. 6 cap 61. *Si quis Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus, ad bellum proceſſerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, ut nec laicam communionem habeat.* Etſi autem pii Imperatores, cùm Epiſcopis urbes, opida & præfecturas donaſſent, Advocatos ſive Vicedominos adjungerent, qui earum rerum, quæ ad vitæ alimoniam & reditus eccleſiaſticos pertinebant, ſedulam curam gererent, iſtos tamen Oeconomos Epiſcopi, cum dulcedinem gubernationis deguſtaſſent, paullatim ſubmoverunt; ſeque in libertatem vindicarunt. Tempore Henrici 5. Paſchalis 2. Papa eccleſiis eorumque Prælatis, regalia, hoc eſt, (ut ipſe interpretatur) civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, telonia, mercatus, advocatias &c. abjudicat, Imperioque reſtitui jubet: verum Illi in faciem reſtitit Conradus Salisburgenſis Epiſcopus, nomine reliquorum Epiſcoporum voce Stentoreâ clamans: hujusmodi jus Paſchali minimè competere; neque ſe vectigalia, portoria, opida à majoribus ſuis quæſita, ſibique relicta, ac ſeculis aliquot poſſeſſa, nullo modo alteri ceſſuros. Prævalente igitur abuſu, ſine fronte, Ducum, marchionum, comitumque appellationes ſibi ſumſere. Exemplo ſunt Wirceburgenſis, Leodienſis & Argentinenſis; nam Monaſterienſis, nomen Ducis Weſtvaliæ, cujus magnam partem obtinet, ambiens, contradicente Colonienſi præſule, repulſam paſſus eſt. Quàm verò iſta conformia, non dicam Chriſti ſanctioni, ſed veterum conciliorum decretis atque Imperatorum ſanctionibus? An non Carthaginenſe quartum jubet, *ut Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam & victum habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem, fide, & vitæ meritis quærat*? Quod cùm juri Canonico inſertum videant, cur obſervari nolint, ſed contrà cotidie faciant, cauſſam jure quis roget.

Hannovere ſuccendit) Expeditionem hanc deſcribit Arnoldus Lubecenſis lib. 4. cap. 3. ſed ut Hannoveræ exuſtæ mentionem nullam faciat: quam tamen annales rithmici non omittunt.

Caſtrum Conradi de Rothen Limbere.) Conradus de Rothen teſtis nominatur in litteris Henrici Leonis ad annum 1160. reperitur etiam in diplomate fundationis Epiſcopæ Suerinenſis: ubi ſcribitur Conradus Comes de Rhodin. Præterea inveni nomen ejus in diplomatis Ottonis Imperator. anno 1199 & 1207. Sunt autem *Lowenrodii* ſive *Rhodii*, *Wunſtorpienſes* & *Limberienſes* dynaſtæ ejuſdem originis & proſapiæ. Anno 1114. vixit Conradus, Comes de Rhoden & Wunſtorp, fundator cœnobii Werder (apud Crantium Metropol. lib. 6. cap 33. perperam Verden ſcribitur.) Huic fuere tres filii, quorum poſteri à diſtinctis locis, ubi ſedes habuere, denominari voluerunt. Qui *Lavenrodæ* è regione Hannoveræ habitarunt *Lawenrodii* Comites dicti ſunt, familiâ tempore Henrici Leonis deficiente, ut habet Chronicon Saxonicum vetus. Hermannus Bothe in Chron. Saxon. MS. refert Hannoverenſes arcem Lawenrodam, in Neapoli ſitam, anno 1370. deſtruxiſſe, atque hoc facto vehementer offendiſſe Magnum, Ducem Brunſuicenſem. Qui in pago Limmer / itidem pròpe Hannoveram, domicilium habuerunt, *Limberienſes*, ſive *Limmerenſes* Comites nuncupati ſunt. Hujus lineæ vixere duo fratres anno 1207. *Conradus & Hildeboldus*, qui ſedecim manſos in pago Eilsleven, à majoribus ad ſeſe devolutos, monaſterio Vallis Mariæ prope Helmæſtadium contulerunt. Literas Hildeboldi hac de re ad Epiſcopum Halberſtadenſem Fridericum libet ſubjungere. *Reverendo domino Friderico, Sanctæ Eccleſiæ Halberſtadenſis Epiſcopo & Comiti in Sommerſeborg, Hildeboldus Comes de Limbere paratum in omnibus ſuæ poſſibilitatis obſequium. Notum eſſe volumus diſcretioni veſtræ, quod bona quædam legitimo proprietatis titulo à proavis noſtris ad nos devoluta, ſcilicet XVI. manſos, ſitos in villa, quæ dicitur Eilsleven, eccleſiæ quæ dicitur Vallis Mariæ, cum tota juris & fructuum integritate, contulimus libera & quieta poſſeſſione levandos in perpetuum. Sed quia nulla donatio proprietatis robur firmitatis obtinere poteſt, niſi Comitiæ teſtimonio, & banni regalis auctoritate firmetur, ne præfata eccleſia propter multi-*

Digitized by Google

modas occupationes, quæ nobis frequenter obviantur, vel propter malum ſtatum terræ, qui ſuſpectus nobis eſt, aliquid poſtmodum laboris & difficultatis ſuſtineat, ſi nos ea in propria Cometia dare non poſſumus, totius confirmationis auctoritatem vobis, tanquam majori terræ Epiſcopo, ſed & Comiti, ex parte noſtra committimus, ut quicquid frater noſter Conradus, Comes de Lewenroth, qui cum liberis ſuis ea diſponit in propria perſona confirmare, cum voluntate veſtra in eis taxare voluerit, hoc nobis gratiſſimum fore præſentis ſcripti teſtimonio cognoſcatis. Rogamus autem ſimpliciter diſcretionem veſtram, quatenus in colendis bonis, & defenſandis his, quæ eis rationabiliter proveniunt, fratres ipſius eccleſiæ favorem veſtrum ſemper obtineant, habituri pium divinæ retributionis emolumentum, & continuum jure poſſibilitatis obſequium. Hæ vero literæ, quas inveni ſine data, videntur ſcriptæ eo tempore, quo Otto IV. Imp. cum ſuo æmulo Friderico rege Siciliæ de Imperio decertavit. Epiſcopus enim Fridericus cœpit præeſſe Eccleſiæ anno 1210. & præfuit annis 2. Seriem Comitum de Limberen inveni ſequentem.

N

Conradus Comes de Limbere, uxor Heidwigis, vixit anno 1207. obiit 1216. — *Hildeboldus Comes de Limbere.* — *Cunegundis.* — *Gerbirgis.*

Conradus nominatur anno 1207. & 1223. Donavit bona quædam monaſterio Mariæwerder. — *Hildeboldus 1207.* — *Henricus.*

Præter hanc ſeriem invenio Arnoldum de Rothen, *cujus uxor fuit Adelheidis, ſoror Hermanni de Arnsberg, & Godfridi de Kuck, ex qua filiam ſuſcepit Helwinam. Qui Wunſtorpii degerunt,* Comites Wunſtorpienſes *ſe nominarunt, etſi interdum etiam de Rhothen dici voluerint. Partem familiæ, usque ad ejus interitum, ex tabulis inſtrumentisq́ publicis diligenter collectam ſubjungo.*

Ludolfus Comes de Wunſtorp, teſtis citatur in literis Henrici Abbatis Corbeienſis anno 1254. Vixit adhuc anno 1273. — *Hildeboldus Canonicus Bremenſis & Præpoſitus Ruſtringiæ. Vide Crancium Metrop. lib. 8. cap 20. & 24. Qui familiæ Bruchuſiæ hunc faciunt, errant: repugnant enim diplomata.*

Joannes Comes in Wunſtorpe & Rhoden, anno 1291. contulit monaſterio Mariævallenſi XVI. manſos. — *Salome.*

Joannes Junior, Comes in Wunſtorp. & Rhoden, anno 1329. Confirmavit privilegia oppidanis in Wunſtorp 1334.

Joannes Canon. Hildeſius. — *Ludolfus Comes confirmavit privilegia opido Wunſtorp anno 1335. vixit 1358. Ridſa uxor fuit vidua anno 1397.* — *Hildeboldus anno 1329. 1335.* — *Ludovicus 1335 1367.*

Joannes. — *Julius Comes in Wunſtorp confirmavit privilegia opido Wunſtorp 1395. Uxor Julia Depholdia. Hic receptus eſt cum filio Ludolfo, à Matthia miniſtro Ordinis S. Franciſci, provinciæ Saxonicæ, in fraternitatem, anno 1447.* — *Henricus Canonicus Hildeſienſis.*

Henricus Canonicus Hildeſienſis. — *Henricus moritur mature, ut Hamelmannus.* — *Ludolfus vivente patre confirmat privilegia Wunſtorpienſium anno 1441. Sexennio poſt Comitatum Wunſtorp vendidit Magno Laoburgico, Epiſcopo Hildeſienſi, qui tamen eum reſignavit Wilhelmo Victorioſo Duci Brunſuicenſi. Uxor Anna Hohnſteinia, vixit adhuc anno 1513.*

Henricus nominatur in literis parentis anno 1471. Idem anno 1481. nominat ſe Comitem Wunſtorpienſem. Dominum Slademii & Heimburgi. — *Georgius ultimus familiæ fuit Produx in aula Brunſuicenſi. Moritur Warbergæ apud ſororem 1533. Sepultus in monaſterio Lutterenſi.* — *Margarita uxor Henrici Baronis Warbergii, vidua anno 1536.*

Antonius Baro Warbergius.

Regi

Digitized by Google

Regi ſuam ſatisfactionem exhibuit) Conditiones reconciliationis vide apud Arnoldum Lubecenſem lib. 4. cap. 3. Crancium in Wandalia lib. 6. cap. 30.

Vitam finivit anno 1189.) Fridericus I. Imperator aquis ſuffocatus obiit anno 1190. ut præter reliquos ſcriptores prodidit Tageno Decanus Patavienſis, qui hanc expeditionem oculatus, non auritus teſtis deſcripſit. Idem diem obitus annotavit 4. Idus Junii tempus veſpertinum. Paulò autem aliter mortem Imp. exponit Theodoricus de Nyem lib. de privilegiis & juribus Imperii, capite de expedit. Hieroſolymit. Friderici Imp.

Conſanguineus Dn. Papæ) Eadem inculcant annales rithmici verbis ſequentibus:

Dhen Pabes / dhen her dhavant /
Dher ſtarb / Clemens war her genant.
Nach im beſaz eyn als ich las /
Der Celeſtinus geheyzen was.
Her was ouch / ſo men jach /
Des langen Herzogen mach /
Der mit dem Koninghe was gekomen
Das im dha quam zo vromen.

Henricum primogenitum Leonis procero fuiſſe corpore, etiam liquet ex Arnoldo, cujus de eo hæc ſunt verba: *Erat* (Henricus) *præclarus genere, ſpecioſus formâ, validus corpore, notus opinione.* Unde verò Papæ Celeſtino, tenuis & deſpectæ originis homini, cum illuſtriſſimi generis illuſtriſſimo principe conſanguinitas, equidem non aſſequor. Credibile eſt ambitioſum ſacrificulum, cive Romano editum, regiæ ſtirpis juveni, ut à Germanis ſuſpiceretur, per frivolam impoſturam hoc commentum perſuaſiſſe.

Duce Boëmico) Ottone, ut Arnoldus Lubecenſis lib. 4. cap. 4. & 6.

Tancredo) Rogerii Normanni filio illegitimo. Arnoldus Tancradum vocat, ut ſit noſtrum Danckrat.

Neapolim ſe contulit) Convenit Gobelinus Coſmodromio ætatis 6 cap. 61 Arnoldus Romam rediiſſe ſcribit. Addit Albertus Stadenſis Henricum Saxonem cum Tancrado contra Imp. conſpiraſſe: adi annum auctoris 1192.

Unà cum Cancellario) Ottone, ut Chronica Auſtralis apud Freherum 1. tomo hiſtoricor. Germanicor.

Duce Boëmico) Dixi ab Arnoldo Lubecenſe hunc Ottonem nominari: Æneas Sylvius refert ad Conradum ordine 28 vide ejus hiſtoriam Boëmicam cap. 25.

Halberſtadenſe Epiſcopo & Hildenſemenſe & Corbeienſe abbate) Anno 1191 Halberſtadii Epiſcopum agebat Theodoricus ex illuſtri Baronum Croſicorum familiâ progenitus: Hildeſiæ Berno: Corbeiæ præerat Widechindus à Deſenberg.

Advocatus Ludolfus) Antiqui Duces Saxonici, ipſisque ſuccedentes Brunſuicenſes, in urbe ſuâ hereditariâ Brunſuigâ habebant Vicarium ſive Producem, qui Advocatus dicebatur, vernaculâ linguâ Vogt / ex Latino deductâ voce, κατ' ἀφαίρεσιν, quemadmodum à vocabulo *Epiſcopus* noſtrum Biſchoff / & ab altero *confirmatio*, Firmung. Videtur autem officium ſine dubio propter merita, ad unam familiam hereditario jure reſtrictum, ſicut in aliis etiam officiis ſive dignitatibus videlicet Dapiferi, Marſchalci & Pincernæ idem factum animadvertimus. Ludolfi advocati meminit Lotharius anno 1137. in diplomate fundationis monaſterii Sigebergenſis, quod exſtat apud Henningeſium in Genealogiis Saxonicis. An verò ille cum hoc noſtro idem ſit, non ſine cauſsâ quis ambigat. Ad familiam quod attinet, non admodum averſum me habiturus erit in ferendis calculis, qui affirmaverit Advocatos hoſce Wendenos fuiſſe, quæ gens à fundatione illuſtris cœnobii Riddagshuſani æternam laudem promeruit. Integram familiam dedimus in Chronico Riddagshuſano, auctoritate & ſumtu Petri Windruvii abbatis laudatiſſimi, noſtrâ verò induſtria & ſtudio publicato. Certè Wendena & Dalhemium, à quibus poſteri Ludolfi fundatoris Riddagshuſani denominari voluerunt, in hujus Ludolfi, de quo nunc agimus, ejusque filiorum poteſtate fuere. Reliquit advocatus numeroſam ſobolem, ſed ut ex illis tantum nominentur, Ludolfus, Ecbertus, & Balduinus, qui Henrici Palatini comitis nomine Brunſuigæ officium Advocati exercuit, anno 1224.

Digitized by Google

Dalem & Winethen) Dalemium, olim Advocati hujus ſedes, hodie adhuc appellatur Vogtsdalem: eſtque præfectura ſive prædium non procul à Scheninga opido perveteri.

A filio Ducis Winethen capta eſt) Winethen in Chronico rithmico nominatur Wenden: pagus mediocris ſupra Riddagshuſium. Prior appellatio accedit ad Winithos apud Helmoldum l. 1. c. 2. poſterior ad Venedas apud Ptolemæum. Cùm autem ex annalibus Francicis conſtet, Carolum Magnum Saxones Tranſalbianos, & qui in Wigmodiâ, hoc eſt, agro Bremenſi habitabant, cum mulieribus & infantibus in Franciam tranſtuliſſe, pagoſque Tranſalbianos Abodritis (alii Obotritos vocant) inhabitandos conceſſiſſe: dubium non eſt, Henetos iſtos, ſive Sclavos Saxoniæ ulteriùs incubuiſſe, ejuſque non modicam partem ſui juris feciſſe. Hinc lingua Heneta adhuc in Luneburgenſi Ducatu reliqua: hinc pagi Wenden, Wendeſſen, Wendezelle, Wendhuſen, Wendebuttel, &c. hinc pagorum Slaviticorum mentio in veteribus literis. Tangmarus in vita Divi Berwardi Epiſcopi Hildeſienſis ſcribit, illo tempore Henetos utramque ripam Albis fluminis inſediſſe, ipſique urbi Hildeſiæ fuiſſe finitimos: quos ut à diœceſi ſua prohiberet Berwardus Epiſcopus, ad confluentem Alaris & Ocræ arcem ſtruxit, præſidioque impoſito firmavit. Auctor vitæ S. Adelberti, à Prutenis ſive Boruſſis martyrio affecti, innuit tempore Ottonis 3. Imp. *Magdeburgam, urbem quondam notam populis, & unam ex magnis, fuiſſe ſemirutam domum, & malè fidam nautis ſtationem.* Quæ calamitas proculdubio ab Henetis ſive Sclavis. Contra hos Otto magnus Imp. conſtituit novum Ducatum, cùm regionis verſus Aquilonem partem barbaris eripuiſſet, de hac re annales rithmici:

Dhem Köninge Boten quamen
Von Rome her vz geſant/
Daz her an Italien lant
Mit heres krapht komen rochte.
Nu wiſte her nicht / wem her möchte/
Bevelen daz nuwe Lant/
Das bedhwungen hatte ſin hant/
Daz iz dhes gelouben plach:
Ich meine das umb dhe Elue lach/
Allenthaluen das her mit not/
Bedhuanc vndher ſin Könnincliches gebot.
Dha macht her zu Herzogen
Hermanne / dhes war her vmbetrogen
An im / als ich vernomen han.
Vnd heyz in von Saxen Herzog Herman.
Das alde Herzichtom an Saxenlandt
Bi der Wirra / daz nun iſt genant
Weſtualen / daz wart ouch da gehalden
Von Herzogen Brunes des alden
Von Saxen hohe geborne Geſlechte
Scone mit alleme Rechte.

Locum hunc integrum propterea addidi, ut ſimul refutem maleferiatos quoſdam Jureconſultos, qui non ita pridem invitâ veritate auſi ſunt affirmare, Hermannum Billingum primum fuiſſe Saxoniæ Ducem: neque à tempore Caroli Magni uſque ad Ottonem primum in Saxoniâ Ducum nomen auditum. Quæ aſſertio etſi auctorem habeat Adamum Bremenſem, ſuffragatorem Helmoldum, tamen æque vera eſt, ac illa Crancii Metropol. lib. 2. cap. 3. & Saxon. lib. 2. cap. 31. tempore Ludovici Germanici circa annum Chriſti 876. Comitum nomen in Saxoniâ fuiſſe incompertum. Utrumque enim falſiſſimum, & profundi illi Juriſconſulti de altero antehac melius edocti ſunt.

Gerhardi Præpoſiti Stidereburgenſis) Hic eſt auctor præcedentis hiſtoriolæ. Meminit induciarum à Præpoſito conſtitutarum etiam Chron. rithmicum. Eſt autem Stederburgum monaſterium ſupra Wolfenbutelum, conditum anno 1000. imperante Henri-

Digitized by Google

Henrico Claudo. Auſpex ſive fundatrix fuit virgo religioſa Friderunda, Altmanni Comitis Olsburgenſis ex conjuge Heidwigâ Palatinâ Saxonicâ, filia. Admodum vetus eſt mentio ejus loci: ferunt enim tempore Attilæ, Hunnorum tyranni, vaſtatoris Europæ immaniſſimi, fuiſſe illic caſtrum ſive munitionem fortiſſimam; quam cum advena ille Scytha obſideret, oppugnaretque, incolas ſive cives, eruptione facta ſuperbum hoſtem in turpiſſimam fugam conjeciſſe. Hanc ſuam hereditatem virgo, quam diximus, Deo conſecratam in monaſterium monialium convertit, datâ eis Abbatiſſâ & bonis unde honeſtè ſeſe ſuſtentarent. Fundationem confirmavit Henricus Imp. anno 1007. Poſt aliquot annos introductus eſt ordo D. Auguſtini, quem adhuc agnoſcunt moniales, quamvis ejurato Papatu filii Dei ſequantur regulam. Meminit Widechindus monachus Stederburgi lib. 2. & ita meminit, ut urbem nominet, affirmatque Hunnos ſub Ottone M. anno Chriſti 973. in Saxoniam irrumpentes, à civibus Stederburgenſibus arce ſive urbe egreſſis, cæſos profligatosque ingenti prædâ ad victores devolutâ. Spangenbergius errore ductus Stederburgum putat eſſe Stotterlingeburgum prope Oſtervicum, Saxon. cap. 130.

Ecberto de Wolferebutle) Partem familiæ ex diplomatis & litteris antiquis dedimus in Chronico Riddagshuſano, unde qui volet petere poteſt. Ecbertus, cujus hîc mentio, ab Arnoldo Lubecenſi lib. 2. cap. 2. notatur perfidiæ adverſus Henricum Leonem: ſed ut modum non exprimat. Qui tamen ut ſciatur, addam verba Gobelini in Coſmodromio ex cap. 60. ætatis 6. ubi ita loquitur: *Imperator* (Fridericus) *exiſtens in partibus Saxoniæ potentiores quosdam provinciæ, quibus Dux urbes ſuas commiſerat, terroribus vel promiſſionibus ſecretò circumvenit, & juramento conſtrinxit, ut ſi fortè Dux non rediret, urbes cum terrâ ſibi contraderent.* Tantum ille. Quæ ſi conferas cum Arnoldo, crimen Ecberti non ignorabis. De Wolferebutelo, ſive, ut Arnoldus ſcribit Wolfelebutelo (ineptiunt enim ſupra modum qui hodie Wolferbytum ſcribunt) dicendum nunc eſſet aliquid ex ulteriori antiquitate, ſed ea non ſatis certa: de etymo agemus: Buttel vox Saxonica ſine dubio, vel domum vel locum manſionis ſignificat, ut etiam in Notis ad Bardevicum noſtrum monuimus. Inde compoſitum Wolfenbuttel, quaſi domus ſive habitatio lupi: quem fortaſſe conditor pro inſigni uſurpavit. Quemadmodum Bartenslebii nobiles à ſuo inſigni, quod lupus eſt, arcem ſuam nominarunt *Wolfsburg*.

Bernhardum de Welepâ) Arnoldus lib. 6. cap. 11. ſcribit Wilipia, alibi tamen Welpe: inſtrumenta antiqua, Welpia. Fuit Comitatus in Saxoniâ inferiore, confinis Hojano: inſignia referuntur duo cornua bubula. Bernhardus, de quo hîc agitur heros fuit armis & fide inſignis. Cum multi Comites & Dynaſtæ, à Leone antea ſummis beneficiis affecti, opprimentibus eum inopinatis funeſtisque calamitatum tempeſtatibus, turpiter deficerent, ſolus Welpenſis ſui ſimilis in fide ſemel datâ conſtanter permanſit. Teſtis Arnoldus lib. 2. cap. 32. Adfuit Leoni cùm Bardevicum expugnaretur. Chriſtophorus Enzelius Chronico veteris Marchiæ ex inſigniis colligit Comites Welpenſes cum Aldenhuſiis (arx ejus nominis adhuc ſupereſt in diœceſi Magdeburgicâ) ejusdem fuiſſe originis, ſedibus tantum diſtinctos: de qua aſſertione nihil pronunciare poſſum. Tempore Wilhelmi Victorioſi Brunſuicenſium Ducis arx Welpia cum totâ ditione Ducatui Brunſuicenſi conjuncta eſt.

Caſtrum occupant, incendunt & ſolo ſternunt) Wolfenbutelum poſt primam hanc cladem rurſum inſtauratum eſt, incertum à quo & à quibus. Nam circa annum 1254. id tenuerunt Dynaſtæ, dicti ab eo *Wolfenbutelenſes*, quos anno ſequenti Albertus Magnus Dux Brunſuicenſis oppugnans, arcem iterum obſedit, & deditione cepit: mox muros & turres deſtruxit, omniaque ſolo æquavit ædificia. Wolfenbutelenſes adjuvabat Henricus Epiſcopus Hildeſienſis, uti hæc omnia plene continentur in Chronico Rithmico MS. Ab hoc tempore deſolatum manſit Wolfenbutelum usque ad annum 1283. quo tempore menſe Julio, inſtante meſſe, Henricus Moroſus, ſive Mirabilis, Brunſuicenſium Dux & Grubenhagæ dominus, rebus novis ſtudens, locum munitioni & præſidio commodum, rurſus inſtauravit, hiſtoria Stederburgenſe teſtificante.

Ludolfi de Peinâ) Peina arx & præfectura diœceſis Hildeſienſis avorum memoriâ innotuit ex obſidione iteratâ ſub Henrico Juniore Duce Brunſuicenſi, banni Cæſarei,

in quod Epiſcopus Joannes, & qui cum ipſo faciebat clerus, tam intra quàm extra urbem, inciderat, executore ſtrenuo. Habuit Peina ſuos olim Comites, ex quibus hic Ludolfus frequens, tum in hiſtoriis, tum in litteris & inſtrumentis. Videatur Helmoldus lib. 1. cap. 88. Hujus continuator Arnoldus lib. 2. cap. 36. Ludolfum illis annumerat, qui cum Leone ab incunabulis educati, immemores beneficiorum ab æmulis oppreſſum deſeruerunt. Anno 1160. aſſenſu & voluntate Leonis pro remedio animæ, tam ſuæ quàm parentum ſuorum, monaſterio Riddagshuſano ante annos quindecim condito donavit prædium Herwerdeſſen. Anno 1188. nominatur teſtis in Diplomate dato eccleſiæ Goslarienſi à Friderico Imp. Facit in literis mentionem liberorum ſuorum, ſed ut nomina non exprimat. Conſtat tamen habuiſſe filium Bernhardum, cui ex filio Ludolfo natus nepos Bernhardus familiam clauſiſſe putatur. Inſignia Dynaſtiæ Peinenſis fuere in area ſive campo albo lupus niger rictu expanſo, duobus manipulis avenæ inclinatis quaſique ruentibus incumbens. Meminit Cyriacus Spangenbergius in Speculo nobilitatis libro 12. cap. 35. Hæc inſignia inter cætera cernuntur appicta curiæ urbis Hildeſienſis. Generoſa familia nobilium Bartenslebiorum iisdem gaudet inſigniis, tantum quod area rubri eſt coloris: unde conjectura ſumitur non temeraria, ejusdem originis & proſapiæ fuiſſe Comites Peinenſes & nobiles Bartenslebies. Idem Spangenberg. Speculi ſui lib. 11. cap. 25. Guncelinum, quem Henricus Leo primum Comitem Suerinenſem conſtituit anno 1160. ſimiliter familiæ Bartenslebiæ fuiſſe: quæ omnia iſti genti, quæ per Dei gratiam adhuc floret, perhonorifica. Familia Bartenslebio-Suerinia exſtat in genealogiis Saxonicis Hieronymi Henningeſii: plenior in Chronico Suerinenſi Bernhardi Hederici. Quomodo vero territorium Peinenſe pervenerit ad diœceſin Hildeſienſem exponit Crancius Metrop. lib. 8. cap. 25. Saxon. lib. 8. cap. 28.

Incenditur & æquatur) Annales rithmici factum volunt anno 1192.

Inter Ducem & filiam Palatini de Reno diſſipare nitebatur matrimonium) Crancius Metrop. lib. 7. cap. 24. adfirmat Henricum Palatinum cum ſequeretur Imp. Henricum VI. in expeditionem, tam ſedulis obſequiis perviciſſe, ut unicam filiam Conradi comitis Palatini conjugem acciperet cum paterna dignitate. Fallitur autem immane quantum, cum Imp. Henrico hæ nuptiæ oppidò diſplicuerint. Res ita habet. Conradus Dux Sueviæ, Friderici Barbaroſſæ frater & per matrimonium Comes Palatinus Rheni genuit Fridericum & Agneſen. Friderico deſponſata eſt Richſa filia Henrici Leonis, ejusque fratri Henrico promiſſa Agnes. Fridericus non multo poſt matrimonium obiit in Italiâ, relictâ Richſa viduâ. Cùm verò Leo in eam calamitatem, quam nemo ignorat, incidiſſet, Henricus Imperator tam in regno quam odio adverſus domum Leonis ſucceſſor, modis omnibus conatus eſt matrimonium filiæ Palatini Rheni cum Leonis filio impedire, fruſtra tamen. Exſtat apud Gulielmum Neubrigenſem rerum Anglicarum lib. 4. cap. 30. narratio hiſtorica nonnihil huic loco lucis adferens: quare integram adſcribemus. Sic igitur ille: *Rex Francorum* (Philippus) *Imperatorem Teutonicum, ad cujus fortuna regis captivi* (Richardi Angli) *pendebat arbitrium, affinitate ſibi cupiens devincire, conſobrinæ ejus unicæ, ſcilicet filiæ Palatini Comitis, miſſis ad eum nunciis connubium expetivit. Petitionem Imperator gratanter amplexus, ejus complendæ gratiâ Comitem Palatinum, virum in Imperio ſummæ poſt Imperatorem amplitudinis, accerſivit: nec latuit ea res matrem puellæ. Quæ unicam ſobolem ſecretò conveniens, vis, ait, honorabiles nuptias, & thorum regium? Rex enim Francorum te comparem poſtulat. Tum illa, audivi, inquit, à multis de rege hoc, quomodo fœdavit atque abjecit puellam nobiliſſimam, ſcilicet regis Danorum germanam, & vereor exemplum. Ad quam mater, & quis, ait, in votis tuis eſt potior? Tum illa, ſi mea vota proſperentur, ab eo certè, cui me didici in annis infantiæ deſponſatam, nunquam disjungar, Henrico ſcilicet Ducis Saxonici filio. Et mater, confide, ait, filia, quia per maternam operam formidato liberata exemplo, optato potieris connubio. Mox eundem Henricum elegantiſſimum & ſtrenuiſſimum juvenem, regis Anglorum ex ſorore nepotem, virago mirabilis ſecretis litteris accerſivit. Qui feſtinus occurrit, & votis promtiſſimè concurrentibus, dilectam virginem tradente matre accepit: quâ nimirum propter eventus ancipites accelerante negocium, ilico ritu ſolemni celebratæ ſunt nuptiæ, ut quos Dominus jam conjunxiſſet, homo ſeparare non poſſet. Interea novæ nuptæ pater ab Imperatore*

peratore inductus, ut regiis filiam nuptiis honeſtaret, actæ rei repente famam accepit. Imperator quoque rem audiens, credensq; hoc præter ejus conſcientiam fieri minimè potuiſſe, acri contra eum motu excanduit, & ad ſe vocatum mordaciter increpavit, tum quia juvenem oderat, tùm quia factum erat aliter, quàm volebat. Ille verò ſtomachanti atque objurganti ſatisfaciens, per ſalutem, inquit, tuam, Imperator, meâ hoc neque voluntate neque conſcientiâ actum eſt, ſed conjugem meam, conſobrinam tuam contemplatione juramenti, olim à me & illâ, felicis memoriæ patri Imperatori, & Duci Saxoniæ præſtiti, abſente me credo patraſſe, unde tua mihi celſitudo ſuccenſet. Tum Imperator, vade, inquit, & nebulone illo expulſo reſcinde quod actum eſt. Et ille, noli, ait, ſic loqui, Imperator: nam eo usque (ut dicitur) res proceſſit, ut absque ſempiterno filiæ meæ dedecore reſcindi non poſſit. Reverſus autem idem ad propria, genero blande locutus eſt, adoptansque eum filiam egregiè dotavit. Hactenus Neubrigenſis. Annales rithmici addunt, Mechtildin Leonis conjungem ab uxore Palatini impetraſſe, ut de matrimonio iſto pacta inirentur. Addunt præterea, nuptias celebratas in caſtro Stalecke ſupra Bacharach in ripâ Rheni. Aventinus autem errat l. VII. qui Henrici Palatini uxorem *Clementiam* vocat, p. 523. Cæterum Rex ille Francorum cujus Neubrigenſis hic meminit quod Danorum regis germanam repudiarit, Philippus fuit, de quo totoque negotio Aquicinctum auctarium à Miræo editum hæc habet: *Philippus Rex Franciæ ſecundam duxit uxorem Ingelburgem F. Regis Daciæ in vigilia aſſumtionis Mariæ virginis Ambianis. In die aſſumtionis ejusdem coronata eſt Regina: octogeſimo & ſecundo die poſt nuptias, quorundam conſilio, Rex cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Baronibus apud Compendium colloquium habuit. Ibi quidam conſurgentes conſanguinitatem inter primam Reginam & ſecundam juraverunt. Quo juramento Rex accepto, abſque ulla dilatione & conſilio dimiſit eam.* Rogerius ab Hoveden Hiſtoricus Anglicus, Annalium parte poſter. pag. 731. hanc vocat *Botildam*, additque fuiſſe Waldemeri quondam Danorum R. filiam, Canuti ſororem. Nuptiæ autem celebratæ ſunt anno 1193. Robertus Gaguinus pag. 96. eam ſcribit fuiſſe filiam Regis Dalmatiæ. Sed omnia apud hunc ſunt corrupta.

Felix contractum matrimonium) Tempus matrimonii indicat Stadenſis annum nimirum 1194. Quàm fuerint ſalutares explicat Arnoldus lib. 4. cap. 20. inquiens: *Tunc nova lux in Saxoniâ orta eſt, pacis videlicet jucunditas: quia ex illo tempore tanta familiaritate Imperatori adhæſit, ut nihil de cætero contra ipſum moliri decreverit. Sicq; ex omni parte terrâ mariq; ceſſaverunt deprædationes, furta, latrocinia: & ingemuerunt latrones & viri ſanguinum: quia periit maledictus fructus eorum. Benedictæ hæ nuptiæ, & eadem fœmina benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris ejus: quia in ipſius copulâ terris ſociata eſt pax & lætitia, & diu clauſæ tunc patuerunt portæ civitatum & caſtrorum: ceſſaverunt excubiæ, & hactenus inimici ad ſe mutuò accedebant, negotiatores & ruricolæ liberrimè deambulabant.* Hæc ille. Diremtum eſt hoc per mortem matrimonium anno 1204. ut idem Stadenſis: ſepulta Agnes in templo S. Mariæ apud Stadam. Filius, quem unicum genuit marito cognominem, obiit anno 1214. De filiabus alibi à nobis agetur.

Salvelde) Ad Comitia Salveldenſia venere Conradus Moguntinus, Ludolfus Magdæburgenſis, archiepiſcopi: Berno Hildeſienſis, Gardolfus Halberſtadenſis, Epiſcopi, Conradus Præpoſitus Aquenſis, Conradus Palatinus Rheni, Bernhardus Dux Saxoniæ, Conradus Marchio Landsbergæ, Albertus Marchio Miſniæ, Fridericus Burggravius Noribergenſis, Adolfus Comes Scawenburgius, Gebhardus Burggravius Magdæburgenſis & alii.

Botvelde) Hoc in loco mortuus eſt Henricus 3. Imp. Otto Friſingenſis Chron. l. 6. cap. 33. collocat in terminis Saxoniæ & Thuringiæ, ſcribitque Botfeld ſecutus Dodechinum continuatorem Mariani Scoti. Hermanno Contracto eſt Botfeldinum Schafnaburgenſi ad annum 1056. Botfelden: Cuſpiniano Bottenfelden. Ab his omnibus diſcedens Spangenbergius in Saxoniâ cap. 75. Bottfeld nominat, quem in reliquis etiam nonnihil variantem lector adeat. Eſt autem adhuc hodie prope Walckenredam, Wernigerodam verſus non longe à denſiſſimo nemore campus, qui vulgo dicitur Butfeld/ in quo rudera templi & cœmiterii locique habitati viſuntur, vulgo *S. Andreæ cœmiterium* vocant.

Dullethe) Chronicon Rithmicum Tulleden am Düringerland. Hodie eſt pagus in præfectura Kelbrenſi, non procul à vetuſtiſſimâ Thuringorum arce Kiſhauſen, conditâ à Germanico Druſi fratre, ſi fidem merentur annales veteres.

Walkenrede) Locus ex antiquo ordinis Ciſtertienſis cœnobio, anno 1127. incoato, & ſcholâ hodie in eâ florente celeberrimus.

Palatinus Rheni) Conradus Palatinus Rheni diem clauſit extremum anno 1195. Dignitas cum totâ ditione beneficio Cæſaris ceſſit Henrico Saxoni: qui ab eo tempore titulo Ducis Saxoniæ & Palatini Comitis ad Rhenum nunquam non in literis uſus eſt. Vidi innumeras ab eo ſcriptas: vidi diploma Ottonis Imp. ad annum 1200. & Conradi Epiſcopi Halberſtadenſis literas anni 1202. in quibus eodem modo ipſum ſalutant. Neque aliter agit auctor magni Chronici Belgici, paginâ 221. legendus. Unde iterum corrigendus error Crancii, qui Metrop. lib. 7. cap. 20. audet affirmare Henrici Leonis filios ad honorem Ducalem nunquam rediiſſe.

Rex Angliæ avunculus) Richardus rex Angliæ frater Mechtildis conjugis Leonis, ex Palæſtinâ rediens à Leopoldo Duce Auſtriæ captus & Imperatori Henrico feria tertia poſt ramos Palmarum, ut Thomas Walſingham habet, traditus eſt. Res quomodo geſta ſit, non ab uno deſcribitur. Ingentem à captivo pecuniam popoſcit Imperator, quam cum integram perſolvere non poſſet, obſides dedit archiepiſcopum Rothomagenſem, Epiſcopum Batonienſem & ex nobilitate non paucos. Hæc Neubrigenſis lib. 4. cap. 38. Chronicon rithmicum ſuffragatur auctori noſtro his verbis:

> Nu hatte dher alte Heynrich
> Neheynen Sône bi ſich.
> Willehalm und Ottelin
> Dhe zuene jungeren Sône ſin
> Hatte jr Oheym vz Enghelant
> Zo Giſele geſetzet und vor ein Phant
> Vor mennich duſent Marc.

Summam pecuniæ ab Angelo exactam exprimit Thomas Walſingham. *Anno 1193.* inquit, *Totius Alemanniæ magnates apud Wormatiam convenerunt, ubi tractatum eſt de redemptione Regis Anglorum. Tandem ſub audientia plurimorum propalatum eſt precium appreciati, quem appreciavit Henricus Imp. Rom. ab Auſtriæ Duce Liupoldo, 50. millibus marcarum argenti: ſed ut Imperator egregius fœnerator legitimarum uſurarum ſumma, quæ per annum æquiparatur ſorti, per unum diem in duplum excederet, 100. millia marcarum ſibi ſuo tempore ſiſtendarum extorſit à Rege.* Summa igitur redemtionis Regis Anglorum 100. millia librarum argenti ad pondus Colonienſis monetæ publicæ & probatæ. Quæ pecunia certis temporibus & diſtinctis, quinquaginta datis obſidibus, perſolvebatur. Aventinus lib 7. λύτρα illud ad noſtri ſeculi rationes nummarias expendens, affirmat fuiſſe tinarum auri unde-viginti, & viginti millium aureorum Rhenenſium, quæ ſumma pecuniæ iſto ſeculo fuit longè maxima. Quomodo verò & quâ cum difficultate corraſa ſit in Angliâ, Neubrigenſis explicat dicto libro, cap. 34. & Robertus de Monte ad annum 1194. Th. Walſingham refert ſumma devotione ab omnibus clericis contributum eſſe ad lytron hoc ſolvendum, pag 48. Idem Neubrigenſis addit, obſides ab Imperatore in arctâ cuſtodiâ habitos, quod non abit ab ejus vehementi iracundoque ingenio, quippe qui Henricum Palatinum, animi corporiſque dotibus excellentem juvenem, adeoque ſibi conſanguinitate propinquum, indignâ utroque contumeliâ nebulonem vocare non erubuerit. Locum ex Neubrigenſi ſuprà attulimus. Rigordus notat, Auſtrium obſidibus mortem minitatum, niſi λύτροι expediretur. Rediit autem Richardus in Angliam anno 1194. 13. Kal. Aprilis. Rogerius de Hoveden prolixus eſt in captivitatis ipſius & dimiſſionis narratione.

Quod à fundamentis exſtruxerat) Duces Saxoniæ conditâ Brunſuigâ, (cujus initium fecere Bruno & Tanquardus fratres, Ludolfi Ducis Saxoniæ filii) propter loci commoditatem ibi auguſtale habuerunt, cui à Tanquardo auſpice nomen inditum *Tanquarderode*, quaſi dicas, Tanquardi novale. Eſt enim Rode / idem quod novale, id eſt, locus erutis exciſiſque arboribus ac vepretis excoli habitarique cœptus. Atque

Digitized by Google

Atque hæc eſt vera loci denominatio: errant, qui à matre Tanquardi Oda originem nominis arceſſunt. In eo auguſtali erat à multis annis ædes Petro & Paulo apoſtolis ſacra: quam ſive ruinoſam, ſive anguſtiorem, quàm loci dignitas requireret, Leo demolitus novam eodem in loco baſilicam extruxit anno 1173. ut Chronicon rithmicum. In præcedentem annum fundationem hanc collocant alii, ſed quæ diſcrepantia non magni momenti.

Scripta Chronicorum colligi præcepit) Poëta noſtras in Chronico Rithmico videtur verba hæc exprimere voluiſſe, inquiens:

Alleim dho groz kranckheit
  Zoghinge/ her was doch gemeyt
Gemuter natürlicher Tugent/
  Darnach her an der jugent/
Unz an alder kunde ringhen/
  Her leyz zo ſamene bringhen
De alten Kronicken und ſcriben/
  Deß began her ſo verne treiben/
Und jwar dha uff verdacht
  Mengen Tach und Nacht.

Non diſſimilia referuntur de Friderico, Magni Torquati Ducis Brunſuicenſis F. quem heroicæ virtutes ad Romani Imperii culmen evexere, invidia vero æmulorum plus quam immanis ſceleratè & per immane parricidium inde deturbavit. Eum enim monumenta antiqua diligenter colligi, induſtriè deſcribi, ſibique in menſa, &, ut Poëta inquit,

Ante focum, ſi frigus erat, ſi meſſis, in umbra.

prælegi juſſiſſe, veterum quarundam ſchedarum indicio cognovi. Æmulari autem optimi principes voluerunt Carolum M. qui olim etiam inter cœnandum prælegi ſibi hiſtorias & antiquorum regum geſta juſſit. Nec minùs in univerſam patriæ hiſtoriam conſuluit: etenim barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Germaniæ regum res geſtæ canebantur, colligi voluit, collecta memoriæ mandavit, teſte Eginharto, qui ejus alumnus ac deinde gener prædicatur.

Auſtriæ Dux Lippoldus) Loquitur de Leopoldo ejus nominis 6. cui cognomen Virtuoſi. Tragicam ejus ex infelici caſu mortem deſcribit prolixè Neubrigenſis lib. 5. cap. 6. rerum Anglicarum. Idem de obſidibus regis Angliæ, ab Auſtriaco dimiſſis, ſcribit, ſed ut nomina non exprimat. Ex noſtro auctore colligas, apud Imperatorem fuiſſe obſidem Ottonem, apud Auſtriacum verò Wilhelmum, Leonis filios. Cuſpinianus de Leopoldo addit, delictorum ſuorum pœnitentiâ motum, cùm ex vulnere pedem amiſiſſet, habitum monachi induiſſe. Obitus *Leopoldi* ab Ottone de S. Blaſio collocatur in annum 1195. cum quo facit Neubrigenſis, Rogerius de Hoveden, & Chronica Auguſtenſis edita à Cl. Frehero, quæ etiam diem obſervavit, nimirum Kalendas Januarii. Cuſpinianus ponit annum 1193. De morbo ipſius & morte videatur etiam Rogerius de Hoveden pag. 748. & 749.

Regi Ungariæ) Intelligendus Bela tertius, hoc tempore in Pannoniis rerum potitus. Rem geſtam habet etiam Chron. rithmicum:

  Dher (Leopoldus Dux) hatte geſant / ſo men git/
Dhem Köninghe van Ungeren
  Willehalme dhen Jungheren
Herzogen Heynriches Sone/
  Dhen her hilt vil ſcone/
Zo Giſele und vor eyn phant/
  Von dhem Köninghe vz Enghelant/
Dhas her in ſende ſidher
  Heym ſinem Vater widher:
Daz hindere Keyſer Heynrich.

In vigilia Jacobi) Meminit incendii hujus Chronicon Saxonicum vetus: prolixius annales rithmici.

Epiſcopo Raceburgenſi) Isfridus ex Præpoſito monaſterii Jerichovienſis in marchiâ Brandeburgicâ ad cathedram Raceburgenſem promotus eſt anno 1178. ut Stadenſis. Virtutes ejus & dona prædicant, Helmoldi continuator Arnoldus lib. 2. cap. 26. lib. 7. cap. 11. & Crancius in Metropoli lib. 6. cap. 2. Obiit anno 1204 fervente bello civili inter Ottonem Saxonem, & Philipp. Suevum, electos Impp.

Famoſus ille princeps) id eſt, clarus & celebris: ſic Guntherus in Ligurino, Roſvitha in panegyrico & alii ſæpiſſimè famoſum ἐπὶ τὸ βέλτιον uſurpant: exemplo Taciti, qui lib. 5. Hiſtoriar. Hieroſolymam famoſam urbem vocat, & Apuleii, qui vix aliter eo utitur vocabulo.

Ætatis ſuæ LXVI.) Recentiores Genealographi Henrico Leoni tribuunt annos vitæ 59. contra noſtrum auctorem. Decepti autem videntur ab Urſpergenſi abbate, qui dubio procul ſecutus eſt Chronicon Wingartenſe, noſtro demum tempore editum ab Henrico Caniſio JC. aſſerit Leonem baptiſatum anno 1136. Annales rithmici faciunt cum noſtro auctore his verbis;

An aldher brachte / daz iſt war
Siner zit ſex und ſexig Jar.

Cur hanc ſententiam amplectar alibi σὺν θεῷ candido lectori oſtendam.

Audivimus tamen poſtmodum) Plærumque, ut Horatius lib. 3. carm. odâ 24.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Quod etiam exprimit Sophocles in Ajace his ſenariis:

Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ' ἀγαθὸν ἐν χεροῖν
Ἔχοντες οὐκ ἴσασι πρὶν τις ἐκβάλῃ.
Animo mali, bonum tenentes in manu,
Non illud ante norunt, quam ſi amiſerint.

Hanc eandem ſententiam copiosè tractat Cicero oratione poſt reditum ad Quirites, non longè à principio.

Monaſterium S. Blaſii) Monaſterium vocat ædem Canonicorum, quia tum temporis, nondum laxatâ diſciplinâ, antiquatisque ſanctioris ævi inſtitutis, Canonici ſub uno tecto, & unis in ædibus habitavere, uno piſtore & promo communi condoque contenti. Unde & *Fratrum* appellatio, quanquam nullâ monachatus regulâ obligarentur. Vide quæ apud Crancium Metropol. lib. 3. cap. 15.

Honorifice ſepultus eſt) Superat etiamnum in æde Sanblaſianâ Mauſoleum illuſtrium conjugum horum: ſuperat epitaphium, quod ſuprà poſuimus.

ANONYMI

CHRONICON STEDERBURGENSE.

M I. Henricus Rex Boëmiam & gentem Slavorum ſuperavit.
M II. Frater regis Bruno, Auguſtenſis Epiſcopus, regi adverſatur.
M III. Cometes longo tempore apparuit.
M IV. Fames valida fuit.
M V. Helpericus librum de ratione Computi ſcribit.
M VI. Epiſcopium Bavenberg à rege Henrico conſtruitur.
M VII. Burchardus Wormacienſis epiſcopus magnum illud Canonum volumen ſcripſit.
M IIX. Bruno Epiſcopus â Prucis multis ſuppliciis affectus cœlos petiit.
M IX. Retharius Pathelburgenſis epiſcopus obiit. Manaſterium Moguncíacenſe igni conflagravit.
M X. Godehardus abbas claruit.
M XI. Bonæ memoriæ Willegiſus Moguntinus Epiſcopus ad Chriſtum migravit.
M XII. Henricus Romæ Imperiali benedictione coronatur à Papâ. M XIII.

MXIII. Hildeſimenſis eccleſia gravi incendio cum multis ornamentis attrita eſt.
MXIV Simeon monachus virtutibus claret.
M XV. Erneſtus Dux in venatu occiditur.
M XVI.
M XVII.
M XIIX. Henricus Wirceburgenſis Epiſcopus obiit.
M XIX Heimeradus ſanctus presbyter ad Chriſtum migravit.
M XX. Erkenboldus Moguntinus archiep. obiit.
M XXI.
M XXII. Piæ memoriæ Berwardus Epiſcopus ad Chriſtum migravit, in cujus locum Beatus Godehardus utiliter ſubrogatur.
M XXIII. Beatus Godehardus eccleſiam in loco qui Sulza dicitur fabricavit.
MXXIV. Henricus Imp. ad Chriſtum feliciter migravit.
MXXV. Conradus Rex creatur.
MXXVI. Monaſterium S. Mauricii in Hildesheim à S. Godehardo fundatur.
M XXVII. Conradus Imperiali benedictione provehitur, & Henricus F. ejus rex creatur, qui Goslarienſis eccleſiæ fundator exſtitit.
M XXIIX.
M XXIX. Bruno Auguſtenſis epiſcopus obiit.
M XXX.
M XXXI. Aribo archiepiſcopus Moguntinus migravit ad Dominum.
M XXXII. Dedicatio monaſterii S. Michaëlis archangeli in Hildenſim.
M XXXIII. Monaſterium S. Michaëlis fulmine concrematum eſt
M XXXIV. Stephanus Rex moritur. Knut rex Danorum & Anglorum obiit.
M XXXV.
M XXXVI. Kunegundis regina obiit.
M XXXVII. Conradus Imp. obiit.
M XXXIIX. Beatus Gregorius migravit ad Dominum.
M XXXIX. Henricus Rex Boëmiam cepit.
M XL. Eberhardus Bavenbergenſis primus Epiſcopus obiit.
M XLI.
M XLII.
M XLIII Giſla Imperatrix obiit.
MXLIV. Tietmarus Hildenſemenſis Epiſcopus obiit.
M XLV. Henricus rex à Romanis pacificè ſuſceptus tres Papas depoſuit.
M XLVI.
M XLVII. Suidgerus Papa obiit.
M XLIIX. Poppo, qui & Damaſus, Papa obiit.
M XLIX. Synodus Moguntiæ celebratur, cui interfuerunt Apoſtolicus & Imperator.
M L. Dedicatio Goslarienſis monaſterii.
M LI. Bardo archiepiſcopus obiit.
M LII.
M LIII. Papa Leo cum Romanis contra Nordmannos pugnans vincitur, & eodem anno obiit.
M LIV Ezelinus Epiſcopus Hildeſ. obiit.
M LV. Hermannus Epiſcopus Colonienſis obiit.
M LVI. Henricus tertius Imp. obiit: Henricus quartus filius ejus regnavit. Peſtilentia, fames, egeſtas & multa mala univerſam regionem afflixere.
M LVII Victor Papa obiit: Stephanus Papa obiit.
M LIIX. Otto de Suinforde obiit & Rudolfus Ducatum Suevorum ſuſcepit. Agnes Imperatrix Ducatum Bawariæ ſuſcepit.
M LIX. Henricus Rex Galliæ obiit.
M LX. Lippoldus Moguntinus archiepiſcopus obiit.
M LXI.
M LXII.
M LXIII. Seditio Fuldenſium & Goslarienſium in vigiliâ Pentecoſtes ad veſperas.

Digitized by Google

M LXIV.
M LXV. Guntherus Bambergenſis Epiſcopus obiit.
M LXVI. Cometes per totum orbem apparuit.
M LXVII. Cono Trevirenſis archiepiſcopus occiditur
M LXIIX. Henricus rex Bertham de Italiâ ſibi conciliat. Angli à Normannis vaſtantur.
M LXIX. Henricus caſtella in Saxoniâ & Thuringiâ conſtruit.
M LXX. Otto Dux, Saxo genere, Ducatum Bavvariæ amiſit.
M LXXI. Welpho genere Suevus Ducatum recepit.
M LXXII. Conjuratio Principum contra Henricum regem.
M LXXIII. Hartesburg à Saxonibus deſtruitur & ſepulcrum filii regis violatur.
M LXXIV. Alexander Papa obiit.
M LXXV. Saxones contra Henricum regem pugnant juxta fl. Unſtrot, ubi Gebhardus Comes obiit.
M LXXVI. Concilium Wormacienſe, ubi Papa Hildebrandus abdicatur.
M LXXVII. Rudolfus rex conſtituitur: Werceburg obſidetur: Anno Colonienſis archiepiſcopus obiit: Agnes Imperatrix obiit.
M LXXIIX. Wizcel Magdeburgenſis archiepiſcopus, Albertus Wormacienſis, Hermannus Comes Palatinus patruus Magni Ducis occiduntur.
M LXXIX. Bellum inter Henricum & Rudolfum, ubi Rudolfus occiditur.
M LXXX. Hermannus regnum invaſit, & Tilo Hildenſemenſis Epiſcopus obiit, cui Udo ſucceſſit.
M LXXXI. Henricus Rex Romam obſedit & cepit.
M LXXXII. Udo marchio Saxonicus obiit.
M LXXXIII. Rex Wicbertum in Apoſtolicum conſecrari fecit.
M LXXXIV. Rex cum reginâ Bertha imperiali coronâ à ſuo Wicberto nomine ſublimatur.
M LXXXV. Rex de Italiâ rediens Auguſtam cepit. Henricus Imp. Saxoniam vaſtat.
M LXXXVI. Gregorius, qui & Hildebrandus, Papa obiit.
M LXXXVII. Werceburg à Saxonibus capitur: bellum juxta Blechfeld.
M LXXXIIX. Berta Imperatrix obiit.
M LXXXIX. Bucco Halberſtadenſis Epiſcopus occiditur.
M XC. In vigiliâ nativitatis Domini bellum apud Glicho juxta Erpesfort inter regem Henricum & Marchionem Eckbertum.
M XCI. Henricus Imp. Italiam petiit: Eckbertus marchio occiſus eſt.
M XCII. Machtilt de Longobardiâ Imperatori rebellat.
M XCIII. Peſtilentia magna fuit.
M XCIV. Eclipſis Solis. Eodem anno mirabilis pertranſivit in univerſum mundum ignis.
M XCV. Expeditio Jeroſolymitana.
M XCVI. Apud Moguntiam Judæi mille & quatuordecim occiſi ſunt.
M XCVII. Imp. de Italiâ rediit: Urbanus Papa obiit. Godefridus Dux cum Chriſtianis Jeroſolymam cepit.
M XCIIX. Hiems dura fuit: fames magna: Udo marchio cum Saxonibus de barbaris triumphat.
M XCIX. Godefridus Dux arcem Jeroſolymæ cepit.
M C. Godefridus Dux Chriſtianorum Hieroſolymis obiit.
M CI.
M CII.
M CIII.
M CIV.
M CV.
M CVI. Henricus Imp. obiit. Magnus Dux Saxonum obiit.
M CVII. Theodoricus Comes de Katelenborg obiit. Udo marchio obiit.
M CIIX. Cometa apparuit.
M CIX. Rothardus archiepiſcopus Moguntiæ obiit.
M CX.

MCXI.
M CXII. Henricus pacificè à Romanis ſuſceptus Papam Paſchalem cepit & regni privilegium eccleſiaſticæ fidei contrarium ab eo extorſit.
M CXIII. Paſchalis Papa privilegium, quod invitus ſtatuerat, cum CXV. epiſcopis damnavit.
M CXIV. Bellum apud Welphesholt inter regem Henricum & principes Saxonum.
M CXV.
M CXVI.
M CXVII. Eccleſia in Richenberg primum incepta eſt.
M CXIIX. Terræ motus factus eſt magnus per totum orbem. Paſchalis Papa obiit.
M CXIX. Gelaſius Papa obiit: Inundatio fluminum.
M CXX. Elferus presbyter obiit.
M CXXI.
M CXXII. Gozmarus Præpoſitus obiit: Dedicatio eccleſiæ in Richenberg.
M CXXIII. Hermannus Comes obiit.
M CXXIV. Reinhardus Halberſtadenſis Epiſcopus obiit: Fridericus marchio obiit: Otto Comes obiit: Caliſtus Papa obiit.
M CXXV. Eclipſis Solis IV. Idus Auguſti. Henricus V. Imp. obiit. Mirabile ſignum in lunâ apparuit.
M CXXVI. Fridericus Comes de Arnsberge obiit: Luderus electus rex.
M CXXVII. Luderus rex in Boëmiam exercitum duxit: Cometa apparuit.
M CXXIIX. Dedicatum eſt monaſterium S. Georgii.
M CXXIX. Luderus rex Spiram obſedit: Otto Epiſcopus Halberſtadenſis ab Honorio Papâ deponitur.
M CXXX. Signum ſanguinei coloris apparuit. Bertoldus Epiſcopus Hildenſemenſis obiit: Honorius Papa obiit.
M CXXXI Udo Comes de Franckenleve occiditur.
M CXXXII. Luderus Rex Romam profectus eſt.
M CXXXIII. Tranſlatio S. Godehardi Hildenſemenſis Epiſcopi. Eclipſis ſolis IV. Non. Auguſti.
M CXXXIV. Nortbertus archiepiſcopus Magdeburgenſis.
M CXXXV.
M CXXXVI. Luderus Imp. ſecundò Romam profectus eſt: Elvericus Decanus obiit.
M CXXXVII. Adelbertus Moguntinus archiepiſcopus obiit. Luderus Imp. obiit: Conradus electus eſt rex.
M CXXXIIX.
M CXXXIX. Henricus Dux Saxoniæ obiit.
M CXL. Adelbertus ſecundus Moguntinus archiepiſcopus obiit: Bernhardus Epiſcopus Hildenſemenſis Romam profectus eſt.
M CXLI. Richenſa Imperatrix obiit.
M CXLII. Gerhardus Richenbergenſis Præpoſitus eccleſiæ in Stedereburg à Bernhardo Hildenſemenſi Epiſcopo prælatus præficitur, & ſpiritalis religio per eum inibi confirmatur. Marcolfus Moguntinus Epiſcopus obiit.
M CXLIII. Bertoldus Hildenſemenſis Præpoſitus obiit.
M CXLIV. Gertrudis Duciſſa obiit.
M CXLV. Celeſtinus Papa obiit: Rodolfus marchio occiſus eſt: Sigfridus Comes obiit: Monaſterium & clauſtrum S. Georgii cum omnibus habitationibus combuſtum eſt.
M CXLVI. Lucius papa obiit: Cometa apparuit: Henricus Comes de Aſte obiit: Fames magna fuit: Gertrudis regina obiit.
M CXLVII. Conradus Imp. & rex Franciæ Lothewicus cum multis principibus cum infinito exercitu Jeroſolymam profecti ſunt. Expeditio trans Albim contra Slavos: Eclipſis Solis VI. Kalend. Novemb.
M CXLIIX.
M CXLIX. Synodus Eugenii Papæ apud Remos. Diviſio Lunæ & ignis in vigiliâ S. Andreæ viſus eſt. Rodolfus Halberſtadenſis Epiſcopus obiit, cui Odelricus ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſit: Tempeſtates & tonitrua & inundatio nimia: Terra ſudare viſa eſt.

MCL. Gerhardus Richenbergenſis Præpoſitus obiit, cui Ludolfus ſucceſſit IV. Idus Junii. Fames inaudita fuit, ita ut modius X. ſolidis venderetur, quadrans frumenti ſex talentis.

MCLI. Azo Præpoſituram Stedereburg ſuſcepit: Fridericus Magdeburgenſis archiepiſcopus obiit: Conradus rex obiit, cui Fridericus ſucceſſit: guerra inter Ducem Henricum & Marchionem Adelbertum, ita ut ad pugnam Dux circiter quinque millia fortiſſimorum virorum, Marchio mille quingentos contraxerit.

MCLII. Incendium graviſſimum fuit. Hermannus Comes de Winzenborg ſimul cum uxore â miniſterialibus eccleſiæ Hildenſemenſis occiditur.

MCLIII. Ludolfus Comes de Waltigerode obiit. Magna cædes Saxonum apud Friſiam facta eſt, in quâ Chriſtianus & alii quamplures nobiles occiſi ſunt. Gregorius Cardinalis Henricum Moguntinenſem archiepiſcopum & Bernhardum Hildenſemenſem & Henricum Mindenſem depoſuit. Bernhardus Epiſcopus Hildenſemenſis obiit, Bruno ſubſtituitur. Henricus archiepiſcopus obiit: Eugenius Papa obiit.

MCLIV. Fridericus Rex & Henricus Dux Romam profecti ſunt: Anaſtaſius Papa obiit.

MCLV. Tempeſtas & pluvia maxima, adeo ut tempore meſſis fruges non ſolum in agris, verum etiam in horreis reconditæ fluminum inundatione perirent. Rex Terdonam obſedit & captam evertit. Fridericus rex perluſtratâ Italiâ & devictis Romanis Imperator efficitur.

MCLVI. Arnoldus Colonienſis archiepiſcopus obiit, Fridericus ſubſtituitur: Henricus Dux cum magno exercitu Friſiam intravit, & deinde in brevi contra Slavos profectus, regem, quem ipſi expulerant, reſtituit.

MCLVII. Brandenborg â Chriſtianis obſeſſa capitur: Fridericus Imp. in Poloniam profectus provinciam cum Duce ſuo in deditionem honorificè ſuſcepit: Conradus Marchio obiit: Knutus rex Slavorum â Waldemaro occiditur, poſt & ipſe â Suenone interimitur.

MCLIIX. Sæva tempeſtas & ventus turbinis multa damna fecit: Henricus Dux Slaviam depopulatur: Fridericus Imp. ſecundò in Italiam profectus eſt: Mediolanum Imperatori ſubjugatur: Fridericus Colonienſis archiepiſcopus obiit: Reinoldus Cancellarius Hildenſemenſis Præpoſitus ſubſtituitur.

MCLIX. Fridericus Imp. Cremam arctâ obſidione cinxit & deſtruxit: Mediolanenſes Imperatori rebellant & deteſtandum ſchiſma oritur. Adrianus Papa obiit & Victor ſubſtituitur.

MCLX. Imperator cum Mediolanenſibus congrediens honorificè triumphat, vexillum S. Ambroſii auferens, turres deſtruens, & plurimos eorum capiens. Henricus Dux Slaviam devaſtans Epiſcopos inveſtivit. Bernhardus Padelburnenſis Epiſcopus obiit. Odelricus Epiſcopus Halberſtadenſis deponitur. Sophia marchioniſſa obiit: Arnoldus archiepiſcopus Moguntinus à ſuis hoſtiliter occiditur.

MCLXI. Ecbertus Præpoſitus in Stedereburg obiit. Magna diſcordia inter Henricum Ducem & Ratisbonenſem Epiſcopum oritur, Ludolfus Præpoſitus in Richenberg deponitur, Bruno Hildenſemenſis Epiſcopus obiit.

MCLXII. Bernhardus Præpoſitus obiit. Imperator regi Francorum & Slavorum curiam ſolennem Biſuntiæ indixit, ad quam tamen rex Franciæ non venit. Fridericus Palatinus obiit.

MCLXIII. Gerhardus Præpoſitus Stederburgenſis electus eſt. Henricus Dux Werla caſtrum Slavorum evertit: congregationem clericorum in Lubeke conſtituit. Adolfus Comes & Reinoldus & alii occiſi ſunt. Pòſt Henricus Demin evertit: Filium Meloc Chriſtianum ſuſpendit.

MCLXIV. Nova confuſio maris & fluctuum orta eſt, quæ terram & opida cum innumerâ hominum & animalium multitudine circa Occidentem & Aquilonem ſubruit.

Digitized by Google

ruit. Ipsâ die XIV. Kal. Martii in Magnopoli multitudo Chriſtianorum à Slavis capta & occiſa eſt.

MCLXV. Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus tria corpora Magorum Coloniam tranſtulit: Victor Papa obiit: Veronenſes Imperatori rebellant. Diſſenſio inter Henricum Ducem & Marchionem & Palatinum. Sors ſuper Palatinum cecidit, qui Lowenberg caſtrum ſuum Duci reſignat.

MCLXVI. Fames validiſſima.

MCLXVII. Diſſenſio magna inter Ducem Henricum & principes Orientales. Diſſenſio inter Henricum Epiſcopum & Ducem Henricum adeò ut totus Epiſcopatus rapinis attritus ſit.

MCLXIIX. Reinaldus Colonienſis archiepiſcopus & Dux de Rodenborg & alii quam plures nobilium Romæ ex peſtilentiâ perierunt.

MCLXIX. Hermannus Hildenſemenſis Epiſcopus ſepulcrum Domini viſitans moritur, cui Adelhogus ſucceſſit,

MCLXX. Albertus marchio de Brandenburg obiit.

MCLXXI. Henricus Dux cum Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis & aliis multis Baronibus ſepulcrum Domini viſitat. Imperator de Italiâ redit.

MCLXXII.

MCLXXIII.

MCLXXIV. Dedicatio novi monaſterii in Stedereburg cum tribus altaribus ab Adelhogo & Evermodo venerabilibus Epiſcopis, Indict. IIX. IIX. Kal. Aug. feriâ V.

MCLXXV. Imperator cum Mediolanenſibus dimicans vincitur.

MCLXXVI.

MCLXXVII. Concilium Venetiis celebratur ab Apoſtolico: ubi ſchiſmate deſtructo Eccleſia rediit in unitatem. Odelricus Epiſcopus Halberſtad. rediit.

M. CLXXIIX. Colonienſis archiepiſcopus cum multis terræ ſuæ principibus totam Weſtvaliam incendiis & rapinis devaſtat.

M. CLXXIX. Imperator cum Colonienſi archiepiſcopo & univerſis penè regni principibus Ducem Henricum cum univerſâ terrâ ſuâ miſerabili clade affiixit, ita ut nec cœnobiis, nec eccleſiis, nec præbendis fratrum, nec ulli ætati, vel ſexui parceret, & ipſum Ducem proſcripſit. Eodem anno Halberſtadenſis civitas, cum majori monaſterio & univerſis tam monaſteriis, quàm eccleſiis, miſerabili incendio, pluſ-quam cum mille hominibus per homines Ducis attrita eſt. Odelricus Epiſcopus & Romarus Præpoſitus cum pluribus militibus capti ſunt. Caſtrum Horneborg à militibus Ducis viriliter expugnatum deſtruitur.

M CLXXX. Henricus Dux Thuringiam vaſtans incendio, Landgravium & fratrem ejus cum multis nobilibus captivum duxit. Odelricus Epiſcopus obiit: Tidericus ſubſtituitur. Hartesburg reædificatur.

Explicit Chronicon.

Digitized by Google

HENRICI MEIBOMII
ORATIO PANEGYRICA, DE
HENRICO LEONE, DUCE SAXONIÆ ET BAIOARIÆ.

Habita in Academia Julia, quum XXIV. eruditis Viris gradum in Philoſophia ſummum conferret, Anno cIↄ Iↄ XCVII.

TErtia ſolenni celebranda Panegyris actu
Dum mihi ſeſe hodie, ſed non ſine numine Chriſti,
Splendidior ſolito multoq; illuſtrior offert;
Pro veteri ritu, pro conſuetudine & uſu,
Auguſto in cœtu hoc, ubi recti plena favoris
Omnia, plena ſpei, & plauſus pia vota juvantis.
Saxonicum Heroëm, fama ſuper æthera notum,
Semideisq; parem: cui plus quam immania facta
Nobile magnanimi nomen peperere Leonis,
Qui virtute ſua fatisq; ingentibus actus
Cæruleum Rheni cum flumine nexuit Albim,
Junxit & Hercynias gelida cum Balthide rupes,
Carminibus celebrare juvat: gens ſera nepotum
Audiat & mecum virtutem intuta fidemq;
Felici meritos animæ perſolvat honores.
Degeneres animos frangit timor: heu quibus ille
Objectus fatis! quæ prælia fecit in hoſtem!
Dum Chriſti plantare fidem, dum tollere mores
Barbaricos armis paganaq; ſacra laborat.
Multa quoq; & pelago paſſus, dum claſſe coactâ,
Aut veteres Solymas & Chriſti nobile buſtum
Relligioſus adit; patriâve extorris & exſul
Cæſaris ob ſtomachum & nulli tolerabile fulmen,
Deſerit imperii fines, Belgâq; relicto
Nave Caledonios deſcendit ad uſque Britannos.
Hic vir hic eſt, quem Fortunæ variabile numen
Impetiit fruſtra: quanquam illum à culmine ſummo
Præcipitem traxit, ſolioque coëgit avito
Cedere, & externos ſubmiſſum ambire penates.
Hoc duce Relligio Arctois innotuit oris,
Vandalicosq; Duces, genus alto è ſanguine regum,
Eripuit tenebris, Chriſtiq; ad nomina flexit.

Hunc

Hunc animi calidum fremitúq; in bella ruentem,
Externi timuere hoſtes, timuere propinquæ
Slavorum gentes, exhorruit Itala tellus,
Imperiiq; caput Roma ardua, cujus alumnos
Cæſaris adverſos juſſis, totiesq; rebelles
Dans ſtragem latè domino parere coëgit.
Hæc dum carminibus repeto, tu Chriſte parentis
Effigies & imago tui, de luce oriens lux
Principium de principio, de numine numen,
Spes atq; indubitata ſalus, tu noſtra ſerenus
Orſa juves: tu ſidereo præcordia rore
Sicca laves: magnum ſit fas celebrare Leonem:
Cujus adhuc ſanguis ſuperat, populosq; potentes
Imperio flectit, magnoq; hæc atria ſumtu
Sacravit ſervatq; tibi: ut tua gloria tractus
Sparſa per Arctoos extrema in gente reſidat.
Sed prius antiquum genus & primordia ſtirpis
Expediam, quanquam hoc ſi prætermittere vellem
Materiam ipſe mihi laudis præberet abundè.
Quis veteres Guelfos, quis neſcit Saxonas acres
Imperio latè reges belloq; potentes?
Hos habet auctores generis Leo: namq; Superbo
Henrico genitore ſatus, te, dive Lothari,
Dixit avum, ſeriemq; domo numeravit ab illâ,
Quæ genus Angarico Vitekindi à ſanguine traxit.
Egregia inſignisq; nota eſt de ſemine naſci
Conſpicuo, & priſcas majorum oſtendere ceras.
Fortibus eduntur fortes, patriumq; jubatis
Robur equis & bobus ineſt, nec dama Leonem,
Nec celeres aquilæ generant ſine felle columbam.
Magna fuit virtus Vitekindi principis, Angros
Qui veteres atq; occiduos ditione premebat
Soxonas, Alcidæ ſimilis: monumenta loquuntur
Haud caritura fide: duros ut mille labores
Rege ſub Heſperio pro majeſtate ſuorum
Pertulerit, toties victor, tandemq; ſubactus,
Non ferro, nec enim ferro palmam ille dediſſet,
Mitibus at ſuaſis & manſuetudine leni.
Deniq; ut infandi ponens veſtigia cultus
Eluerit diræ contagia noxia culpæ.
Hic ille eſt regum prælustri ſanguine cretus,
Rex ipſe atq; parens regum: qui fœdera contra
Arma intentantes, procerum ſtimulante Senatu,
Aggreſſus Francos patrii pomœria regni
Bis tria luſtra manu validâ tutatus ab hoſte eſt,
Per caput & faſces ſolitus jurare paternos,
Incolumes fore res patriæ formamq; ſacrorum,
Tota licet notas conjungat Gallia vires,
Rhenus & epoto latices deſideret amni.
Non alios hic attingam, te maxime Bruno,
Te Ludolphe potens: non fulmina martis Othones
Tergeminos, quibus imperium Germania debet:
Nec te juſticiæ vindex grandæve Lothari.
Vivit adhuc animis Henrici fama Superbi:
Qui virtute ſuâ & meritorum pondere ſancto
Cæſaris eſſe gener meruit, regniq; coronam

 Non

Non humilis ſibi deſpondit: fortuna labores
Deſerere, atq; aliis ſceptrum tranſcribere viſa eſt.
Haud animo tamen ille minor, ſed temporis acti
Scrutator memori recolebat pectore ſecum:
Ut quondam imperii ſceptrumq; ſacerq; tiaras
Saxoniæ in terris per multos hæſerit annos.
Nec dum etiam pietas & manſuetudo Lothar I
Exciderant animis: manet altâ mente repoſtum
Pacatum Italiæ regnum, firmataq; pulſis
Libertas Siculis, jurisq; uſura Latini.
His in ſpem certam erecto placet alea Martis
Ancipiti tentanda gradu: coiëre ſiniſtris
Auſpiciis cognatæ acies & compare linguâ
Agmina: victorem fecit ſors aſpera Suevum
Saxonibus fuſis: acceptâ clade Superbus
Segnior, & procerum invidiam jurataq; damno
Vota ſuo metuens patrias conceſſit ad urbes.
Illic ut perhibent mœrore exhauſtus edaci
Vitam infelicem ærumnoſo funere clauſit.
Hanc patris, & patriæ ſortem, & miſerabile fatum
Vidit penè puer Leo: non tamen indolis altæ
Ingenitum robur confirmatumq; vigorem
Infregere vices miſeræ: puerilibus annis
Maturus magis interdum creſcentis ab ore
Erupit ſermo: quo triſtia damna graveſq;
Ipſe videbatur ſolari & vincere caſus.
Ingenium cæleſte parens mirata, notavit
Fatidicas voces, & divinantia verba:
Speq; novâ gaudens: non te cariſſime, dixit,
Poſtera degenerem narrabunt ſecula Nate.
Major eris, quàm fama feret, quàm credere detur.
Vince animi motus, & quo faſtigia ſcandis
Altior, hoc magis ancipites horreſce ruinas.
Talibus uſa parens dictis prænuncia Nato
Damni certa fuit; quem vix lanugine primâ
Fuſcantem malas vis conſcia traxit ad uſum
Militiæ, & grave Martis opus, nam Cæſaris aulam,
Signaq; Romanam ducenda ſecutus ad urbem,
Prima rudimenta egregiis oſtendit in armis.
Horruit invictam tellus Saturnia dextram
Guelfiadæ armigeri: poſitis toto orbe trophæis
Roma potens aciem æratam ſubmiſit eunti
Agmen in adverſum: nec erat celebratior alter
Heſperiâ in magnâ. Reducem nova bella novæq;
Excepere faces: Phrygiâ de gente creatus,
Oceaniq; maris fortiſſimus accola, bellum
Ducebat Phriſius: cui longa abſentia, & ætas
Henrici faſtum attulerat: ſed fida Leoni
Adfuit, & motos preſſit fortuna tumultus.
Ille paludoſas implevit milite terras
Aggeribus ruptis, portusq; & clauſtra refregit
Litoreis exſtructa locis: hac clade ferocem
Edomuit populum & patriæ firmavit honores
Parte aliquâ. nam Parrhaſiam mox alter ad Arcton
Erupit furor, & non parva incendia ſparſit.
Balthica Vandalicos ubi ſtringunt æquora campos

Regna

Digitized by Google

Regna tenent Heneti, bello gens aſpera & armis.
Illos, ut perhibent, Aſiæ regionibus olim
Anthyrius rex eductos hac ſede locavit.
Narratur ſeries nuſquam interciſa nepotum,
Bellaq; geſta domi magnâ cum laude foriſq;.
Felicem poteras gentem, & felicia ſceptra
Dicere, ni Satanam colerent pro numine Chriſti,
Infenſi inviſiq; piis, ſcit Varnus & Albis
Travaq; cum Pano & Viadri pellucidus amnis.
Non tulit ignaros Chriſti Chriſtumq; protervè
Ridentes Leo magnanimus: dolor induit arma,
Officiiq; fides: vetitos deponere cultus
Suadet Obotritis, meliori & credere ſectæ,
Si pacem fœduſq; velint. nihil omnibus actum
Impenſis operum; nec barbara flectere corda
Sollicitæ valvere preces. res venit ad arma.
Pugnatum eſt utrinq; diu: jam barbarus igni
Saxonicos vaſtabat agros: mox Vandala tellus
Incaluit flammis: neutris fuit utile bellum.
Nam quamquam melior vires animumq; Leoni
Cauſſa dabat: tamen imperii cenſuſq; cupido
Enormis bellum populis immittere viſa eſt.
Hinc furor indomitus gentis teſtataq; priſcis
Temporibus virtus motis in cordibus arſit.
Quattuor exactis fluxerunt menſibus anni,
Armorum rabies quibus intolerabilis orbi
Arctoo incubuit: tandem clementia Divûm
Deſuper adfulgens Henetos luce imbuit almâ.
Ex illo ſervatus honos defenſaq; Chriſti
Gloria Obotritum in populo, quam condita fana
Erectæq; Scholæ magis & magis illuſtrarunt.
Ex illo ſpectata fides & maſcula virtus
Guelfiadæ famam invenit, quam regia Dani
Suenonis experta eſt, tum cum civilibus armis
Excuſſus ſolio ſcriptis & voce Leonis
Imploravit opem, præceptaq; ſceptra recepit.
Hic primùm invidiæ morſus & triſte venenum
Expertus fuit. indociles ſpectare Leonem,
Sublimem ſceptro & latè dominantibus armis,
Indulſere odiis proceres: en ille paternis
Saxonicas ut junxit opes! ut fortia bello
Mœnia dives habet! ſpem regni oſtende propinquam,
Cæſar erit, legum impatiens & jure teneri
Neſcius. heu quantam nutris reſpublica peſtem!
Principiis obſtate duces: tu maxime Cæſar
Diſce hoſtem ſpectare tuum: diſce obvius ire
Dum licet: imperii tantum dignatio noſtri
Carpitur, huic quantum imprudens largiris honorum.
Talibus inſonuit ſcelerata Calumnia dictis
Auguſti motura animum: generoſior ille
Flammatos lenire parat, pacemq; tueri
Incaſſum tamen. uſq; adeo illætabile virus
Imbuerat ſenſus, lævoq; accenderat igni
Haud procerum latuere doli fraudeſq; Leonem,
Infremuit juſtâq; furens excanduit irâ:
Ergo erit, ut ſceptri reverens, patriæq; ſaluti

Man-

Mancipium, quem nulla rei diſpendia, nullus
Infregit labor, invidiæ furialibus inſons
Artibus occumbam, patriſq; in fata relabor?
Dii melius! fer Cæſar opem, & tu conſcia virtus.
His ſeſe exſtimulat verbis, & fulminis inſtar
Obruit incautos hoſtes: Luſatia flammis
Perdita dat pœnas: eadem ſors obruit acres
Tyrigetas, quos imperio Ludovice tenebas,
Ductori Henrico caput horum & cauſſa malorum.
Parte aliâ vaſtantur agri, quos corniger amplo
Gurgite Rhenus arat, quos abluit amne Viſurgis.
Impia cordatus ſpectans incendia Cæſar
Indoluit, curâq; novos ſopire tumultus
Maturâ ſatagit: vix hortamenta jubentis
Invenere locum, & rabies indigna repreſſa eſt.
Tandem ſarta novo coiit concordia nexu,
Paxq; data eſt terris: ibi mentem animumq; Leonis
Inceſſit nova relligio: dum cogitat annos
Heu nimiùm recti ſteriles! metuenſq; futuri
Ponderat horribilem diſtricti judicis urnam,
Magnum iter ad Solymas Galilææq; ſuſcipit arva,
Fœda piaturus maculatæ crimina vitæ.
Non referam hîc mille ærumnas, & mille labores,
Quos Leo ſuſtinuit terris jactatus & alto:
Non comites ſociosq; duces atq; agmina ſerva:
Tempus erit quando iſta canam, Phœboq; favente
Maturum mihi ſurget opus, quod rodere livor
Neſciet, aut fatuo mordere Calumnia rictu.
Ingreſſus Solymam & veteris penetralia templi
Pronus adoravit ſanctæ veſtigia tumbæ,
Oſculaq; infigens dixit: tunc optima tellus
Humani auctorem generis mortale ferentem
Carnis onus gremio meruiſti includere amico?
Salve dulce ſolum, caſti ſalvete penates,
Quàm celebris vos fama vehit! quàm plurimus ægris
Paſſibus hoſpes adit! quid te mendacibus effers
Divorum tumulis, & inania marmora jactas,
Creta potens? quid Mauſoli memorabile ſaxum
Caria? quid nitidi pendentia fornice templi
Viſcera mendacis veneraris Mecha Prophetæ?
Vana fides veſtra eſt, vacua omnis gloria vero.
Hic jacuit qui cuncta movet: quem regia cœli
Et concuſſa tremit tellus hac ſede quievit:
Hanc preßit redivivus humum: ſacer ætheris alti
Nuncius hîc nuribus radiato apparuit ore.
Salve dulce ſolum: ſalve impolluta crepido.
Iſta trahens imo ſuſpiria pectore princeps
Ingeminat: comites eadem famuliq; loquuntur.
Poſtquam humiles cryptas nitidæq; impervia luci
Clauſtra pererrarat, votivaq; munera caſto
Solverat altari, vicinas tranſit ad urbes.
Primùm viſa Tyros, precioſaq; murice Sidon:
Inde vetus Tripolis, & fortunata Damaſcus
Liddaq;, & effoſſo Ptolemais commoda portu:
Et Gaza, & ſaltu palmarum dives Idume.
Undiq; ſpectavit veteris veſtigia ſecli

Atto-

Attonitus, memoriq; in pectore ſingula clauſit.
Jamq; ſatisfactum votis, placataq; Divûm
Ira videbatur: patrias ergo ardet ad urbes
Ferre iter, & dulces cum conjuge viſere natos.
Ingreditur, repetitq; viam, quam legerat ante
Per mare, per terras, per mille pericula, gentis
Barbaricæ, quæ regna ferox Orientis habebat,
Inſidias fugiens. vix tandem in tuta reverſum
Gratatur Cæſar, gratatur patria tellus.
Tunc operam ſacris rebus dedit amplius, ædes
Diva locans Catharina tibi, tibiq; optime præſul
Cappadocum & vitâ & letho ſanctiſſime Blaſi.
His dites adjunxit agros & prædia culta,
Unde piis victus ſenibus, qui ſacra profeſſi
Inſtabant operi juvenumq; examen alebant.
Nunc quoq; fana manent eadem, teſtantia priſci
Temporis affectus: quos ò ſi noſtra tenerent
Secula, non avidi ſpoliis diteſcere reges,
Quàm delubra Dei reparare, aut condere mallent.
Hac fortuna tenus multum blandita Leoni
Viſa fuit: verùm inſperatò vela retorſit
Ulteriuſq; negavit opem: ſuſpecta videri
Amplior, & ſummis æquata potentia ſceptris,
Flagranteſq; animi motus & robur ahenum.
Ergo ſimultatum nova ſemina nata, noviſq;
Certatum eſt odiis: neq; in uno principe tantùm,
Sed cunctis furor iſte fuit: communiter omnes
Livor agit, nullaſq; timens inſania leges.
Quis putet? illi ipſi quos ad faſtigia rerum
Extulerat: quorum reditus proventibus auxit,
In benefactorem furiis arſere Leonem.
Pontifices dico ſacros, patreſq; bicorni
Conſpicuos mitrâ: vitiis corruptior ætas
Hanc etiam labem tacitis admiſerat annis.
Unde autem tumor iſte, atque immoderata libido
Præſulibus, Chriſti ſervis, Chriſtoq; dicatis?
Illis immodicas nimia indulgentia regum
Paullatim cumularat opes: quæ pauperis ipſos
Officii immemores ſitienteſq; ocia fecit.
Addidit illecebras Ludovicus Cæſar, & inter
Imperii proceres pietatis imagine falſus
Præſulibus myſtiſq; locum ſua juraq; ſanxit.
Tunc data libertas vitiis: tunc cura refrixit
Doctrinæ, & poſitis tacuerunt pulpita libris.
Quid generoſe paras? cur non coëuntia jungis
Fœdera, diverſaſq; vices? rem parciùs urge.
Fallit te incautum pietas tua. reſpice Chriſti
Longè aliam vocem, & multùm diſcordia juſſa.
Principibus regnare datum eſt, & regibus, inquit,
Nequaquam vobis: non me ſibi præſide quiſquam
Polliceatur opes ſceptrique potentis honorem.
Qui mihi ſe comitem vult jungere, moribus eſto
Conformis vitâq; mihi: ſum pectore mitis,
Corde humilis, contemptor opum: cumq; omnia noſtræ
Subjaceant dextræ: cum terram atq; aſtra gubernem,
Exſul ago in terris: nec feſſa ubi membra reclinem

 Inve

Invenio ſpacium: ſatis eſt jejunia parcâ
Solvere poſſe dape, & tenuem dare corpori amictum.
Talia ſollicitus venturi temporis olim
Diſcipulos Chriſtus docuit, juſſitq; tenere.
Cur diverſus abis, Cæſar generoſe, ſacrumq;
Polluis officium? cur mundo mortua membra
Illecebris furias, atq; in diſcrimina mergis?
Sed veniâ es dignus, pietas incautius egit:
Nec ſatis eventus eſt præmeditata futuros.
Hos igitur nactus Leo formidabilis hoſtes
Intutus fuit, & fruſtra placare furentes
Optavit: falſis ſed enim clamoribus aures
Cæſaris implevere pii, pronumq; Leonis
Exitio pectus vehementius inflammarunt.
Diſcite, qui rerum faſtigia ſumma tenetis,
Diſcite fortunæ diffidere, tunc ubi miti
Blanda nitet vultu: nec longè exempla petantur:
Hîc erit exemplo qui rem velut obſide firmet.
Hei mihi! quæ informes tenebræ, quæ nubila cæcas
Obſedere hominum mentes! ut nemo futuræ
Invigilat ſorti! ut plærumque incommoda triſti
Scimus ab eventu! Dum quæ ſibi fata reſervent
Non ſatis advertit Leo: nec quâ ſe arte ruinis
Expediat cautus, vibrataq; fulmina vitet,
Cogitat; ecce animo dum fluctuat, utra ſequatur
Conſilia, ancipitem precibus ſpem credet, an armis?
Atq; hinc relligio mentem Itala concutit, illinc
Majeſtas regnoq; fides promiſſa recurrit:
Dum nimium notæ virtuti fidit & armis:
Nec metuit calidas dubiæ Rhamnuſidis iras:
En fragor intonuit magnumq; inopina Leonem
Tempeſtas abjecit humo: proſcriptus & hoſtis
Publicus imperii decernitur. impia livor
Improperat commiſſa viro: quæ ſingula damni
Cauſſa forent cumulata nocens fert rumor in auras.
Regnum, opulentum, ingens inimicis ceſſit, & agros
Diviſere duces, & quod ſpe quiſque fovebat,
Unius à miſeri decerptum ſorte tulerunt.
Ceſſit inexpletis odiis, ceſſitq; furori
Conjuratorum procerum: & quanquam extera regna
Auxilia offerrent, labefactaq; patria bellis
Arma remoliri dominumq; repoſcere vellet,
Ipſe novos motus metuens alioſq; tumultus
Prætulit exſilium bellis: non abnegat uxor
Eſſe viæ fortiſque comes, quæcunque ſequatur,
Impubemque trahit ſecum triſtiſſima prolem.
Non aliter fractis longo certamine Vejis
Exſul Martigenâ migravit ab urbe Camillus.
Punica nec melius poſt bella, Aſiamque receptam
Lauriger ingratâ deceſſit Scipio Româ.
Qui modò ſceptrigeros æquarat nomine reges,
Tectaque inauratis habitarat fulta columnis
Circumſtante manu famulâ, nutuſque ſuperbi
Accipiente ducis: quem formidaverat hoſtem
Omne latus mundi, dejectus culmine tanto
Clauditur exiguâ cum prole & conjuge puppi,

Exu-

Digitized by Google

Exuviasque inopes ſecum rapit. adſtupet ipſe
Oceanus, lacrymasq; nequit retinere calentes.
Neve mora, à tergo ventus comitatur euntes,
Et navem ſociis Anglorum ſiſtit in oris.

Si poſſes generoſe tuas celare ruinas
Hic cuperes: ſed fama vetat quæ præpete curſu
Antevolat, caſusq; tuos prænuncia ſpargit
In populos. fortuna prior dum mentibus hæret
Nulla fides verbis, conſictaq; prodere rumor
Creditus, ipſe ſuæ donec certiſſimus index
Cladis adeſt: Rex & regni ſuprema poteſtas
Occurſu ſtupuere Ducis, vertigine tantâ
Attoniti, cauſſamq; viæ fatiq; requirunt.
Ille ſui ſimilis, nec tantis cladibus impar,
Cæſareum fulmen, conjuratumq; potentis
Imperii robur, ſancitaq; fœdera narrat.
Addit opes viresq; ſuas, ut mœnia fundo
Verterit, aëriasque ultricibus hauſerit arces
Ignibus, ut fuſo rubefecerit æquora tabo
Fortunam exuere indocilis, certusq; ſalutem
Pro regione ſuâ, pro libertate paciſci:
Aſſiduis donec virtus labefacta procellis
Ceſſerit, & multo dextram ſubmiſerit hoſti.
Miratur vultusq; truces majoraque damnis
Pectora rex hoſpes, cognataq; fata gemiſcens
Hoſpitium extorri, & cladis ſolatia ſpondet.

Tertius exierat completis menſibus annus,
Cum redit auxiliis inſtructus & ære Britanno,
Ereptasq; urbes, abjuratasq; rapinas
Aggreditur, bellisq; minax depoſcit ab hoſte.
Portio victori ceſſit non parva, nepotum
Nunc quoque juſſa ſequens, melior defenſa ſub hoſte
Serviit. auſurum majora, ſuborta repreſſit
Cæſaris ira novi: quem formidare coactus
Spem veteris regni deſideriumq; reliquit.
Atque ita fortunæ inſultus & mobile numen
Seriùs agnoſcens decurſi temporis annos
Difficiles animo volvit, damnatq; labores
Nequicquam exhauſtos: & quæ fiducia rebus
Quis tenor humanis: facili quàm cuncta ruinæ
Obvia: quàm pronus ſublimi à culmine lapſus,
Mente obit attonitâ: cùm mors factura dolori
Ærumniſque modum lacrymoſo ex orbe removit
Maturum vitæ, precibusque extrema rogantem.

Hæc ſuper auguſtis divini principis actis
Sufficiunt deducta mihi: dabit altera vobis
Plura & fors meliora dies. ſint ocia Muſæ
Grata laboriferæ: ſit mens innubila vati:
Detumeat fortuna minax, cupidusq; nocendi
Deſinat innocuos telis inceſſere livor:
Nec calami, nec mentis egens, Heroa per omnem
Ibo cothurnatus: calidæ nec prima juventæ
Orſa, nec extremos patiar ſquallere triumphos.

 CHRI-

CHRISTE Leo Judæ, gemino qui ſtemmate polles,
Aſpice nos, humilemque potens defende Sareptam:
Quam tibi Saxonici ſtatuit generoſa Leonis
Poſteritas, genitor ſapiens natusque benignus.
Hic tua bella geras: hic armatura ſit omnis:
Juſtitiæ thorax cæleſtis, & aureus umbo
Salvantis clypei: non abſit fervidus enſis
Ætherii flatus, non caſſis amica ſalutis.
Hic habita bonus, hic te veſtigantibus offer.
Donec ad alterius traductos ocia vitæ
Æterno ſiſtas genitori. ô Lucifer illam
Ultimus acceleret cupidis mortalibus horam!

HEN-

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior

LECTORI S.

HAbuit Avus meus inſignem copiam antiquorum Diplomatum, & Tabularum, Imperatorum, Regum, Principumq;, ex Archivis publicis, Monaſteriorum imprimis, cum ipſo communicatarum, & fideliter deſcriptarum, ex quibus Germaniæ, & Saxoniæ quàm maximè, Hiſtoriam illuſtravit. Quas inter cùm in ipſo quoque oriente datas à Conſtantinopolitano Imp. litteras accepiſſet, hiſtoriam Ducis Henrici, ex Sereniſſima Brunſuicenſi & Lynæburgenſi Domo illuſtrantes, publico invidere noluit. Ne autem, ut varia ſunt hominum judicia, ab imperitis intellectæ prius quam eſſent, contemptæ relinquerentur, commentario hiſtorico illuſtravit, quo, exquiſitâ de Principis illius poſteris narratione, non ſolum pietatem & ſtudium illuſtrandi res patrias dominis ſuis probavit, ſed etiam ſpecimen

Digitized by Google

exemplumque poſteris reliquit, quomodo ex antiquis tabulis augeri & illuſtrari Illuſtrium Genealogiæ debeant. Imprimis vero operam dedit, ut Henrici hujus filii natu majoris, Ottonis Ducis, qui Princeps Tarenti rebus in Italia geſtis maxime inclaruit, illuſtrem memoriam, annalibus noſtris penè neglectam, undique conquiſitis ſubſidiis, conſervaret & illuſtraret. Editus eſt libellus ab ipſo vivente, hoc in loco, anno ſeculi hujus decimo quarto, & iterum à me cum aliis opuſculis ante annos viginti ſex: quoniam tamen & argumentum nobile id meretur, & viris doctis placuiſſe ex frequenti ejus citatione obſervavi, & nuper quoque Rerum Germanicarum cognitione præcellens Vir, *Henricus Guntherus Thulemarius*, Amicus noſter, dignum judicavit, quod eruditiſſimo ſuo de Bullis Aureis, Argenteis &c. commentario aliqua parte inſereret, & notis illuſtraret, ego etiam in hoc tomo comparere volui, breve hoc, ſed, nî in Avitis ſcriptis cenſendis fallor, eruditum, & mole ſua lectorem non gravaturum ſcriptum: cui etiam alicubi notas meas adſperſi. Vale & fave.

AN-

Digitized by Google

ANDRONICI,

ejusdem nominis ſecundi,

IMPERATORIS CONSTANTINOPO-
LITANI

AVREA BVLLA,

DATA

HENRICO, HENRICI MIRABILIS F. ALBER-TI MAGNI N.

DUCI BRVNSVICENSI,

regiones Orientis perluſtranti,
ante annos penè
CCC.

Cum Notis ad Bullam, deque Principis ejusdem poſteris Narratione exquiſita,

HENRICI MEIBOMII.

Pars

Digitized by

Pars Genealogiæ Ducum Brunſuicenſium,

in quâ aliquot Perſonæ ab aliis ſcriptoribus omiſſæ indicantur.

Henricus Leo

- *Henricus Dux Saxoniæ & Palatinus Rheni*, *cognomento* Longus.
- *Otto Roman. Imp.*
- *Wilhelmus* Craſſus
  - *Otto* Puer.
    - *Albertus* Magnus.
      - *Henricus* Moroſus, *ſive* Mirabilis.
        - *Henricus.*
          - *Otto princeps Tarenti in Italiâ.*
          - *Balthaſar Comes Fundorum.*
          - *Riddagus.*
          - *Melchior Epiſcopus primum Oſnaburgenſis, deinde Suerinenſis.*
        - *Erneſtus.*
        - *Joannes.*
        - *Wilhelmus.*
        - *Alſine.*
        - *Alheidis.*
        - *Hagna.*
        - *Facie.*
      - *Wilhelmus.*
      - *Albertus* Pinguis.
        - *Otto.*
        - *Albertus.*
        - *Wilhelmus.*
        - *Henricus.*
        - *Luderus.*
        - *Joannes.*
        - *Magnus.*
        - *Erneſtus.*
        - *Adelheidis.*
        - *Richenſe.*
        - *Mechtildis.*
        - *Jutta.*
    - *Joannes.*

Alber-

ALbertus cognomento Magnus, ſive Senior, *Ottonis* primi Brunſuicenſis Ducis Filius, *Wilhelmi* dynaſtæ Lunæburgici Nepos, *Henrici Leonis* Bajoariæ & Saxoniæ Ducis Pronepos, ex *Adbelizâ*, ſive *Adelbeide*, ſorore *Ottonis* marchionis Montisferratenſis, quam in Angliâ, ubi apud reginam materteram educabatur, ſibi copulavit, ſex filios genuit, & unicam filiam. In filiis enituere maximè, *Henricus* primogenitus, conditor familiæ *Grubenbagenſis*, ut vulgò loquimur, & *Albertus* domus *Brunſuicenſis* ac *Lunæburgenſis* auſpex. De horum poſteris aliquid nunc dicemus, ſic tamen, ut de Alberto primùm verba faciamus.

Ei ab obeſitate corporis, quâ avum *Wilhelmum* penè æquavit, *pinguis* cognomentum coætanei indiderunt. De matrimonio conſentiunt omnes, quòd nimirum cum eo nupta fuerit *Richenſe* filia Dynaſtæ alicujus Herulorum, ſive Werlenſium in Henetis ad mare Balthicum. Ex hac ſuſtuliſſe ſcribitur filios ſex: *Albertum*, *Henricum*, *Joannem*, *Ottonem*, *Magnum* & *Erneſtum*. Referuntur hi ab auctore Chronici Saxonici vernaculâ linguâ exarati. Hieronymus Henningeſius addit filiam unicam N. quæ magna fuerit ſacerdos in perveteri cœnobio *Gandeſiano*.

Habuiſſe autem Pinguem plures utriusque ſexus liberos, dubium non eſt: quorum aliquot ab aliis non animadverſos præteritosque, hoc loco per commodam occaſionem indicabimus.

Vidi literas donationis Principis Alberti communicatas mecum ab admodum reverendo, ampliſſimoque viro, Dn. Petro Windruvio, illuſtris cœnobii Riddagshuſani abbate laudatiſſimo, datas A. C. M CCCIX. earum initium tale eſt: *In nomine Domini, Amen. Albertus Dux de Brunſuik, omnibus Chriſti fidelibus, præſentibus & futuris in perpetuum. Etſi proprietas bonorum jure terræ conſuetudinario dari debet in comicilio: verùm quia id in deſuetudinem propter defectum abiit comicilii, neceſſario aliis aminiculis quæſitis & habitis, bujusmodi datio in publicam redigitur notionem. Inde eſt, quòd tenore præſentium oblivioni locum ſubducentes, & labili hominum memoriæ ſuccurrentes, duximus lucidè proteſtandum, quòd habito conſilio, & requiſito conſenſu omnium, quorum conſenſus fuerat requirendus, & præcipuè heredum noſtrorum, filiorum videlicet:* Ottonis, Alberti, Wilhelmi, Luderi, Joannis, *& filiarum,* Adelheidis, Rikecen, Mechtildis: *nec non omnium aliorum, quorum intereſt &c.*

Vidi præterea alias literas Ottonis primogeniti Alberti Pinguis, datas decennio pòſt, hoc eſt, A. C. MCCCXIX. qui ab obitu parentis proximus, in quibus recenſet fratres ſuos, *Albertum* Præpoſitum S. Alexandri Embecæ, *Henricum* Canonicum Hildeſienſem, *Luderum*, *Joannem*, *Magnum*, *Erneſtum*: ſorores *Mechtildin* & *Juttam*. Idem in aliis literis agros ſibi reſignatos donat monaſterio Hujesburgenſi, & nominat *Albertum* Canonicum Halberſtadenſem, & *Henricum* Canonicum Hildeſienſem, utrumque ad annum MCCCXXIII.

Harum beneficio litterarum (quibus & quartas ejusdem Alberti Pinguis A. C. MCCCIII. datas, ejusque filios *Ottonem*, *Albertum*, *Wilhelmum* & *Henricum* inculcantes, adjungo) manifeſtum eſt, Alberto Pingui filios fuiſſe minimùm octo: *Ottonem*, *Albertum*, *Wilhelmum*, *Henricum*, *Luderum*, *Joannem*, *Magnum*, *Erneſtum*: filias quatuor, *Adelheidin*, *Richenſe*, *Mechtildin*, *Juttam*.

In his *Wilhelmus* & *Luderus* cum ſororibus ſuis, ab aliis præteriti, noſtro munere nunc quaſi reviviſcunt. Nihil autem nunc ulterius de Alberti Pinguis poſteris addam, ſatis eſſe ratus, demonſtraſſe, quantum ad pleniorem venioremque familiarum illuſtrium deductionem conferat, ſi ab hiſtoriarum ſcriptoribus diplomata, literæ & Inſtrumenta antiqua ex archivis deprompta inſpiciantur.

Alter Alberti Magni filius familiæ *Grubenbagenſis* conditor *Henricus*, (quòd auſtero more modoque omnia ageret, neque in præſenti fortunâ facilè acquieſceret, *Moroſus*, ſive ut vulgus ſcriptorum loquitur, *Mirabilis*, popularibus ſuis der Wünderliche / nuncupatus) fœcundo & ipſe uſus eſt conjugio, quippe qui ſeptem liberûm parens exſtiterit. Hi in Chronico Saxonico, quod diximus, iſto recenſentur

 ordine:

Digitized by Google

ordine: *Joannes* Præpoſitus Embecenſis, *Wilhelmus* in juventute mortuus, *Henricus* & *Erneſtus* ditionis paternæ heredes. Ex filiabus idem Chronicon affirmat, *Albeidin* niubſiſſe filio regis Græciæ, *Hagnam* principi Carinthiæ, *Eliſabetbam* Comiti Bichlingio. Chronico adſtipulantur Henningeſius & Reuſnerus, addunt tamen *Martaritam* Barnimi II. Pomeraniæ Ducis conjugem, quod in medio relinquo.

Ego verò in litteris Henrici Mirabilis, datis Hertzbergæ anno MCCCIX. inveni tres ejus filios, totidemque filias indicari. Illi ſunt *Henricus*, *Erneſtus*, *Wilhelmus*: hæ, *Alſine*, *Albeidis*, *Facie*. In literis his initio ſuſpectum mihi erat tertiæ filiæ nomen (nuſpiam enim id legeram antea, neque intelligebam, uti nec-dum ſatis intelligo) rebarque mendum ſubeſſe: ſed cùm poſtea Dominæ *Faciæ*, uxoris Bertrami à Werl, nomen anno MCCLXXVI. in litteris Henrici & Alberti Ducum Brunſuicenſium, atque idem deinde nomen in aliis etiam litteris invenirem, acquievi. Si vero conjecturis ſit utendum, poterit *Facia* eſſe eadem quæ *Bonifacia*, ſicuti *Mia* eſt *Euphemia*, Germanis uſitata primarum ſyllabarum in nominibus expunctione.

Alſinen puto eſſe, quæ vernaculo ſermone nobis Elſe / ut ſit *Elizabeth*, quam Henningeſius *Friderico* Comiti Bichlingio nubſiſſe affirmat.

Adelbeidis ſecundo genita (hoc enim innuunt literæ parentis) data eſt in matrimonium filio Regis Græciæ, ut Chron. Saxon. Quis verò ille *Rex Græciæ*, & quo nomine fuerit *Filius*, turpi, ſed ſcriptoribus noſtris illius ævi admodum familiari negligentiâ non indicatur. Quibus tenebris ut lucem aliquam inducamus pro virili nunc enitemur. Priusquam verò id faciamus, de filiis Henrici Mirabilis ordine aliquid commemorabimus.

Joannes, quem primogenitum ſtatuere videtur Chron. Saxonicum, etſi à patre in litteris, quas dixi, omittatur, à fratribus tamen Henrico, Erneſto & Wilhelmo indicatur ad annum MCCCXXIV. & quidem ut vocetur *Clericus*. Ad dignitatem *Præpoſiti* in æde collegiatâ S. *Alexandri* apud *Eimbecenſes* aſcendit A. C. MCCCLXII. ſed non diu iſto honore gaviſus eſt, quippe quem poſt quinquennium mors abſtulerit. Viſitur etiamnum hodie in æde, quam dixi, ſepulcrum ejus cum tali inſcriptione: *Joannes Dux & Dominus Brunſuicenſis, filius illuſtriſsimi principis & domini, Domini Henrici, Ducis Brunſuicenſis, Præpoſitus hujus eccleſiæ S. Alexandri, obiit anno MCCCLXVII. X. Kal. Junii, cujus animam habeat Dominus.* Succeſſorem in dignitate accepit fratris Erneſti filium parenti cognominem.

Wilhelmus à Crancio in Saxoniâ lib. IIX. cap. XXXII. in infantiâ: ab Henningeſio in pueritiâ, mortuus memoratur. In quo uterque fallitur. Meminit Wilhelmi parens ad annum MCCCIX. & ita meminit, ut addat, ſe ejus conſenſum requiſiviſſe, quod nemo certè de puero, multo minus de infante pronunciarit. Præterea ipſe cum duobus fratribus Henrico & Erneſto conſenſit translationi quorundam bonorum feudalium ad monaſterium Riddagshuſenſe, factæ A. C. MCCCXIV. iterumque quadriennio poſt ſtabilitæ: quo anno etiam ejus ſit mentio in literis Joannis Præpoſiti, ut & in aliis Erneſti & Wilhelmi, fratrum literis. Ut ita vixerit, poſt primam mentionem à parente factam, annos adhuc XIX. Quis vero hunc in pueritia, imo quis in infantia mortuum dixerit?

Erneſtus natu minimus in diviſione paternæ hereditatis cum fratre facta, accepit regionem, quæ hodie Ducatus Grubenhagenſis nomine venit, deſcenderuntque ab eo nuſquam interrupta linea Wolfgangus & Philippus, familiæ Grubenhagenſis Principes ultimi, non ita pridem defuncti.

Henricus, primogenitus Henrici Mirabilis (de quo præcipue aliquid dicemus) exemplo avi Alberti qui biennium in Galliis, diutius vero in Britannia apud *Henricum III.* Angliæ regem, cognatum vixit, ibique ſecundam conjugem Adhelizam, quam dixi *Leonoræ* reginæ Angliæ conſanguineam, uxorem duxit: exemplo etiam atavi, Henrici Leonis (cujus per Orientem peregrinationes ab Helmoldo Buzovienſe in Hiſt. Slavica, lib. II. à cap. III. uſque ad XIIX. & Crancio Saxon. lib. VI. cap. XXIX. & ſequentibus aliquot, luculenter diſcribuntur) exteras regiones, moresque multorum hominum cognoſcere ſatagens, non tantum Italiam, Auſtriam, Pannoniam aliasque regiones illis finitimas, ſed Græciam etiam & Cyprum inſulam perluſtravit. Unde & vulgo *Dux Henricus de Græcia* fuit dictus, quo nomine etiam ipſum appellat

Jutta

Google

Jutta, Abbatiſſa Quedlinburgia in literis ad annum MCCCXLIII. Luſtrata porro Græcia, Palæſtinam quoque eodem itinere inviſit & Sepulchrum Domini, atque ipſam denique Arabiam & loca ſacra in ea ad montes Oreb & Sinai. Docent hoc antiquitates monaſterii Cellæ Paullinæ, ordinis Ciſtertienſis, non procul Arnſtadio, in agro Suartzburgico, quas mecum communicavit vir optimus & doctiſſimus Henricus Ecſtormius. Eæ vero de Henrico noſtro hæc habent: *Anno MCCCLI Henricus Dux Brunſuicenſis donat monaſterio in Walkenried duas ſpinas de corona Chriſti, quas de partibus transmarinis aſportaverat, cum eſſet in Græcia. Ibi vidit reverendum Archiepiſcopum monaſterii ſiti in pede montis Oreb. Et cum poſtea Henricus Dux ad limina S. Catharinæ, in monte Sina, cauſſa peregrinationis tranſiret, ad monaſterium Archiepiſcopi devenit, & ipſe eum multum benigne recipiens, cum non haberet majores reliquias, ſpinas ſæpe dictas, cum oleo B. Catharinæ ei contulit &c.*

* Quæ ibi avus meus ex Antiquitatibus Monaſterii Cellæ Paullinæ refert, illa egregie illuſtrat, imo non ea tantum, ſed Henrici Ducis iter & occaſionem litterarum Imperatoris Andronici, Diploma ipſius Henrici, datum A. Chr. MCCCLI. in vigilia Epiphaniæ Domini: quo in loco incertum, cum in apographo non nominatur. Eruerat illud ex Archivo Walchenredenſi, antiquitatum patriarum peritiſſimus Vir, *Joh. Henricus Hofmannus* Seren. Brunſuicenſ. & Lyneburg. Ducibus ab Archivis, immatura morte aliquot ante annos ſublatus, ſuoque præſtantiſſimo operi de Inſignibus Ducum Brunſuicenſium Tom. I. cap. 3. hoc ipſo litterarum tenore inſeruerat, quo nunc publico. *Nos Henricus Dei gratia Dux in Brunſwick recognoſcimus in his ſcriptis publice proteſtantes, quod ob favorem, quem ſingulariter gerimus ad Monaſterium Walkenred, nec non ſpecialem fratris Conradi, dicti de June, Abbatis ibidem amicitiam ac animæ noſtræ noſtrorumque progenitorum remedium & ſalutem contulimus prædicto Monaſterio cum quibusdam aliis reliquiis, partem de ligno Domini, oleum Beatæ Catharinæ, ac duas ſpinas de corona, qua Dominus JESUS CHRISTUS in paſſione fuerat coronatus, quas de partibus apportavimus tranſmarinis. Nos enim exiſtentes in Græcia apud Excellentiſſimum Dominum Imperatorem Romeorum Palliologum, ſemper Auguſtum, Sororium noſtrum dilectum, vidimus reverendum Patrem Archiepiſcopum monaſterii ſiti in pede montis Oreb, cui à jam dicto Imperatore recommendati fuimus ſpecialiter & commiſſi. Qui quidem Archiepiſcopus legatione functus à memorato Imperatore, ſororio noſtro ad Regem Franciæ obtinuit ab eodem Rege prædictas ſpinas ex ſpeciali favore, quas ſecum ad propria tranſportavit. Poſt hæc cum nos ad limina Beatæ Katharinæ in monte Syna, cauſa peregrinationis tranſiremus, ad monaſterium Archiepiſcopi devenimus memorati, ac ipſe multum benigne nos recipiens, ob reverentiam Imperatoris prædicti Sororii noſtri, quum non haberet majores reliquias, ſpinas ſæpe dictas, cum oleo Beatæ Catharinæ nobis contulit in ſignum favoris & amicitiæ ſpecialis, quas nobiſcum deferentes Monaſterio dedimus, ut præmittitur, memorato. Ne verò hæc noſtra donatio oblivioni tradatur, aut dictæ reliquiæ frivolæ & falſæ, quod abſit, ab aliquo reputentur, præſentem literam ſigilli noſtri appoſitione dedimus roboratam. Actum & datum anno Domini M CCC. quinquageſimo primo in vigilia Epiphaniæ Domini.*

Anno MCCCXXVI. domi adhuc Henricum fuiſſe litteræ ab ipſo tum datæ indicant: anno vero ſequenti peregre abfuiſſe ex litteris Erneſti fratris patet, in quibus is inter alia ſic loquitur: *Nos, ut cultus divini officii ex noſtra & dilecti fratris noſtri Ducis Henrici, nunc in remotis agentis, cujus juriſdictionem & vices ex ſua commiſſione gerimus, promotione augeatur &c.* Litteræ datæ ſunt anno M.CCC.XXVII. Abiit autem tum fortè primum in Italiam, comitatus Ludovicum Bavarum Imp. qui eodem anno illuc profectus, triennium regionis pacandæ cauſſa inibi hæſit. Anno enim ſequenti, XXIIX. videlicet, Henricum in Italia cum Ludovico fuiſſe diploma Imperatoris eo anno datum docet, in quo Caſtruccius de Altelm in ellis in Ducem Lucæ ſublimatur, & Henricus ejus rei teſtis nominatur. Videri poteſt Appendix ad Tomum I. Hiſtoric. Marq. Freheri pag. XXXI.

Digitized by Google

De peregrinatione Henrici in Orientem nihil habent ſcriptores noſtrates, præterquam quod conjecturis occaſionem præbent indicatione matrimonii, quod idem Dux inierit cum *Maria* filia Cypri regis: cujus nomen eadem qua ſuperius negligentia omittitur. Hoc enim conjugium non niſi per occaſionem alicujus longinquæ diuturnæque peregrinationis, & ex ea inter Principes diverſiſſimarum nationum ac linguarum enatæ familiaritatis, contrahi potuit.

Fides vero conjecturæ nunc demum aſtruitur, confirmaturque teſtimonio BULLÆ AUREÆ, ſive literarum ANDRONICI Junioris, qui ex familia *Palæologorum* tertius Imperium Orientis, ſive Conſtantinopolitanum, gubernavit. Ille enim Principi Henrico affini ſuo, regiones Orientis perluſtraturo, literas dedit commendatitias ad Reges, Principes & Dynaſtas vicinos: eo fini, ut ſumptuoſum periculisque plenum iter, tum ſecurius, tum minoribus impenſis, adeoque majori cum honore conficeret.

Deplorandum autem eſt infelix optimi principis fatum, deſtituti idoneo laborioſæ peregrinationis ſcriptore, quem Henrico Leoni, ut antea meminimus, obtigiſſe conſtat. Felicior hac in parte Henricus Moroſus, cui præco laudum contigit *Henricus Rosla* Neoburgenſis, Poëta, ſi tempora, quibus vixit, cogites, neque arte, neque ingenio deſtitutus dignusque, cujus poëma luci datum caneſcat ſeclis innumerabilibus, quod beneficium à me σὺν θεῷ habebit.


Cæterum *Bullam Andronici Auguſti* conſervavit nobis collegium SanBlaſianum, quod in urbe Ducum Brunſuicenſium hereditariâ Brunſuigâ per Dei gratiam multis jam annis floret. Ex archivo depromptam communicavit mecum vir reverendus ac doctrinæ eruditione excellens, *Valentinus Mullerus* JCtus, Decanus collegii SanBlaſiani: internuncio & conciliatore *Antonio Colero*, Lubecenſi patricio, ejusdem collegii Canonico, homine tum utriusque juris, tum antiquitatis omnis peritiâ optimè inſtructo. Bulla verò ipſa hoc modo ſe habet.

„ ANDRONICHUS in Xρο Deo fidelis, Imperator & moderator Romeorum, Pa-
„ leologus, excellentiſſimis Regibus, nobilibus & egregiis Principibus, Comitibus,
„ Marchionibus, Capitaneis, Communitatibus, Dominis, Caſtellanis ac Poteſta-
„ tibus, Rectoribus, ac etiam univerſis & ſingulis, tam eccleſiaſticis, quàm ſecula-
„ ribus, ad quos præſentes advenerint, ſalutem cum Imperiali affectione. Cùm
„ magnificus & nobiliſſimus vir, HENRICUS DUX BRESVICENSIS, cognatus cariſſi-
„ mus Imperii noſtri, per diverſas mundi partes greſſus ſuos dirigere intendat. Inde
„ nos rogamus attente, ut amore Imperii noſtri ipſum Henricum commendatum
„ habere velitis, veſtrumque auſilium, conſcilium & favorem tribuentes. Quicquid
„ autem erga ipſum honoris & juvaminis noſtro Imperio proprio reputabimus fore
„ factum. In cujus rei teſtimonium præſens privilegium aureâ Bullâ munitum mu-
„ nimine juſſimus roborari. Datum in caſtro Dimonci noſtri Imperii, anno Dominicæ
„ incarnationis MCCCXXX. die ſextâ Januarii.

Subſcripto prima.



Subſcriptio altera.



Sigillum ſive bulla aurea.



Hactenus

Hactenus Bulla Andronici, cujus orthographiam ita religioſe retinuimus, ut etiam vitia remanere paſſi ſimus. Latinè autem ab Imperatore Græco ſcriptam non immeritò mirere: niſi ſuſpicari libeat, ſub *Latinis* ſive *Francicis Cæſaribus*, qui ut aliqui colligunt LX. vel ut Pachymeris fragmenta lib. II. annotant, L. annos & IIX. menſes *Byzantii* imperarunt, Græcos externæ linguæ commercium admiſiſſe. Cui ſuffragatur, quòd tunc temporis propter crebras præcedentium temporum ab Imperatoribus, Regibus & principibus Chriſtianis pro recuperandâ ex Barbarorum manibus Palæſtinâ, inſtitutas expeditiones, peregrini coloni in Orientalibus regionibus magno numero conſederant. *Veneti* etiam cum *Genuenſibus* & *Piſanis*, qui mari omnes multum poterant, in lacero iſto & diſſipato, vereque, ut Poëta loquitur, *Lamentabili regno* Græciæ, partim invitantibus, partim invitis Imperatoribus, nidificabant, deque potentiâ ac ditione ſuâ cum alterius injuriâ amplificandâ dilatandâque ſupra modum ſoliciti, linguam, quâ ipſi utebantur, in occupatas regiones & regna paullatim inferebant. Neque ignotum, quomodo *Michaëlus*, qui ex Palæologis primus cum imperio fuit (quòd tyrannidi ſuæ diffideret) de ineundâ Veteris & Novæ Romæ eccleſiarum concordiâ ſerio molitus ſit, miſsâque Romam legatione ſplendidâ, à Papâ, quantumvis reclamantibus Byzantinis ſacerdotibus, aliquid fucatæ & evanidæ conſenſionis impetrarit. Quid? quod ipſe ejus rei cauſâ ad Concilium Lugduni in Galliis à Gregorio X. ad A. C. MCCLXXII. indictum accedere non detrectarit? Unde ſine dubio per Orientem linguæ Latinæ, tàm in templis, quàm aulis, major, quàm antea fuerat, uſurpatio. Sed hac ſcholâ omiſsâ Bullam ipſam nonnihil diſpiciemus.

Andronicbus in χρο *Deo)* Vitioſa ſtatim in initio ſcriptio ab inſcitia ſcriptoris profluens: neque enim apud Latinos, quod monumenta noſtratia oſtendunt, nedum apud Græcos, aliter quàm Andronicus ſcribebatur. Titulus modeſtior magiſque compoſitus eſt illo, quem uſurpavit *Manuel*, *Friderici Barbaroſſæ* coætaneus. Qui ita apud Albertum Stadenſem ad annum MCLXXIX. ampullatur: *Manuel in Chriſto Deo fidelis Imperator*, *Porphyrogenitus*, *divinitus coronatus*, *regnator potens*, *excelſus & ſemper Auguſtus*, *& moderator Romanorum magnificus*. Reponitur crambe illa à Crancio Saxon. lib. VI. cap. XXXVII. & Metropol. lib. VII. cap. V. Inanior autem, multoque magis ridiculus alter ejuſdem Manuelis ſtrepitus, relatus à doctiſſimo *Camerario* in Chronologiâ Nicephorianâ ad hunc modum: Μανουὴλ ἐν Χριστῷ πιστὸς βασιλεὺς ὁ πορφυρογέννητος, ῥωμαίων αὐτοκράτωρ, εὐσεβέστατος, ἀεισέβαστος, αὔγουστος, ἰσαυρικὸς, κιλικὸς, ἀρμενιακὸς, δαλματικὸς, οὐγγρικὸς, βοσευτικὸς, χροβατικὸς, λαζικὸς, ἰβηρικὸς, βουλγαρικὸς, σερβικὸς, ζηχικὸς, χαζαρικὸς, γοτθικὸς, θεοκυβέρνητος, κληρονόμος τοῦ στέμματος τοῦ μεγάλου κωνσταντίνου, καὶ ψυχῇ νεμόμενος πάντα τὰ τούτου δίκαια. Quæ Latinè ita ſonant: *Manuel in Chriſto fidelis rex purpurigena*, *Romanorum Imperator*, *pietate præſtantiſſimus*, *ſemper venerandus*, *Auguſtus*: *Iſauricus*, *Cilicicus*, *Armeniacus*, *Dalmaticus*, *Ungricus*, *Boſeuticus*, *Crabaticus*, *Lazicus*, *Ibericus*, *Bulgaricus*, *Servicus*, *Zechicus*, *Chazaricus*, *Gotthicus*, *qui gubernatur à Deo*, *heres coronæ Magni Conſtantini*, *& animo colens omnia jura ipſius*, En tibi ineptias variorum ac multiplicium titulorum coacervatorum, quas aliæ quoque gentes uſurparunt, ſive Græcorum levitatis imitatione, ſive propriæ vanitatis arrogantiâ.

Palæologus) Fuit Andronicus ὁ νεώτερος, filius *Michaëli* junioris, *Andronici* primi nepos, pronepos *Michaëli* ſenioris cognomento Palæologi, qui ſub ſpecie tutelæ filiorum *Theodori Laſcaris* imperium arripuit, coronatus A. C. MCCLIIX. Latinos Conſtantinopoli ejecit triennio pòſt, utque Imperium per tyrannidem occupatum ſibi ſuiſque confirmaret, ad concilium Lugdunenſe A. C. MCC LXXII. celebratum concordiæ cum Latinis ineundæ cauſâ acceſſit, ſed A. C. MCCLXXXIII. vitam cum morte commutavit, cum quinquageſimum octavum annum ſuperaſſet.

Hujus filius fuit Andronicus, ὁ πρεσβύτερος ſive ſenior, cui duæ fuerunt uxores: prima *Maria* Hungarica, mater Michaëli junioris, qui vivo parente coronatus eſt A. C. MCCXCIV. die Conſtantini: verum ante patrem obiit A. C. MCCCXIX. relicto filio Andronico juniore.

Altera conjunx Andronici ſenioris fuit *Irene* Longobarda, filia *Bonifacii* V. marchionis Montisferrati, mater multorum liberorum, *Demetrii*, *Theodori*, *Joannis*, & *Simonidis* filiæ, nuptum datæ *Crali* Regulo Serviorum. Ooo 3 Atque

Atque hæc eſt prima affinitas inter duas familias æquè illuſtres, Palæologam Græcam & Brunſuicenſem Germanicam: nam ſuprà meminimus in matrimonio Alberti magni Brunſuigii fuiſſe Adhelizam Montisferratenſem. Ex fide Chronici ante CCC. & LX. circiter annos rithmis concinnati hæc affirmo, neque moror, vel Chronicon Saxonicum, vel recentiores, *Alexinam*, *Aldebrandini* Marchionis Eſtenſis filiam Alberti Magni conjugem ſecundam inculcantes. Sed quid vetat quin rithmos ipſos adjiciamus?

Von Bruneſwich dher Vurſte riche/
  Reit darnach viel Vurſtenliche/
Nach eyner Maget ſchone/
  Zo Enghelant von dher zo lone
Her ſüzer minne gerte/
  Dher in dhe Königinne werte/
Dhe jr Mume was.
  Dhe Maget ſe im gaph alß ich las.
An eren harte menichvalt
  Vil wunderen wol ſe was geſtalt
Jr name was Adhelize/
  Ghezirt wol mit vlize
Was jr lip vern vnd na
  Marchreue Otto von Munfera
Seyt men/ daz jr Bruder were
  An Lumbardie ein Vurſte mere.

Nunc in Græciam ad Palæologos redeundum. In his Andronicus ſenior nepoti ſuo Andronico conjugem dedit *Irenen Alemannam*. Hæc ſine dubio Henrici Mirabilis filia eſt Adelheidis, quæ ſecundum Chronicon Saxonicum Græcorum Regis filio copulata fuit. Nec quemquam movere debet, quòd, quæ Nicephoro Gregoræ eſt *Irene*, Chronico prædicto *Adelheidis* appellatur. Potuit enim Andronicus eodem modo, quo ſecundæ conjugis ex Longobardiâ, ſive Sabaudiâ, ut aliqui volunt, oriundæ, nomen mutavit, prioris etiam nomen, utpote Græcis peregrinum & inſolens, repudiare, aliudque ſubſtituere, de quo planè ſum certus. Impingit autem Gregoras, quando Irenen, vel ex *Alemanniâ*, vel ex *Occidentali Franciâ* ortam fuiſſe dicit. *Orientalem* enim voluit (debuit ſanè) dicere Franciam, quâ appellatione veteres magnam Germaniæ partem complexi ſunt, ut Otto Friſingenſis lib. VI. cap. II. & Godefridus Viterbienſis parte XVII. innuunt.

Nuptiæ hæ contractæ ſunt anno Chriſti MCCCXIIX. ut obſervavit Gregoras lib. IIX. liberis tamen caruit Irene, ut idem hiſtoricus. Vivendi finem fecit anno conjugii VIII. qui eſt Chriſti MCCCXXVI. Cætera quæ ad Andronici hiſtoriam pertinent: quomodo avum Imperio exuerit, inque monaſterium detruſerit, à Nicephoro Gregorâ lib. VIII. IX. & X. prolixè exponuntur: ſed quæ huc non pertinent.

Altera autem hæc eſt domus Brunſuicenſis cum familiâ Palæologâ affinitas, & quidem propinquior, incertum per quam occaſionem contracta: niſi ſuſpicari velimus, generoſam virginem apud cognatos Montisferratenſes in Longobardiâ, vel alibi extra patriam in regio, aut alio illuſtri gynæceo educatam, indeque petitam. Quam conjecturam ſub judicium lectoris venire patimur.

Nobilibus & egregiis Principibus) *Nobiliſſimus* olim Imperator audiebat, ut eſt in L. quæris III. D. de natali reſtit. Poſtmodum deſignati Cæſares, Imperatorum uxores, & qui ab Imperatoribus dignitate proximi erant, hoc titulo fuerunt honorati, quod pluribus docet Jul. Cæſ. Bulengerus de Imperat. Rom. lib. II. cap. IX. Andronicus igitur Imp. hoc in loco Principes ſibi ſubjectos, Comites & Marchiones reſpectu ſui *nobiles* tantum vocat, & *egregios*, qui infimæ nobilitatis alias tantum erant. At *Henricum Brunſuicenſem*, principem exterum, hoſpitem & cognatum, vocat *nobiliſſimum*, tanquam à ſe proximum, vocat *magnificum*, qui titulus cum illuſtribus & illuſtriſſimis coincidebat. Unde in L. XXXII. Cod. de appellat. Præfectus prætorio §. I. illuſtris, §. IV. magnificus appellatur. Sequentibus temporibus, & cum

Digitized by Google

& cumprimis in Germania magna ſimplicitas in titulis & modeſtia viguiſſe deprehenditur. Imperatores ipſi, Principesque ſæpe magni, tum Eccleſiaſtici, tum Politici, longe inferiores jam dictis titulos non averſati fuerunt, quod multa me docuere monumenta. Exempla quædam addam. In literis Conradi de Dorſtad, nobilis Dynaſtæ, ſive Baronis Saxonici, ad annum MCCLVII. hæc habentur verba: *cum conniventia bonorabilis viri, Domini Wilhelmi regis Romanorum.* Literæ Magni Torquati Ducis Brunſuicenſis hoc modo clauduntur: **Hir hefft over geweſen de Erbare Vorſte / Biſchop Albert von Halverſtadt** / anno MCCCLXX. Wernerus & Otto, nobiles Dynaſtæ in **Hadmerſchleven** & **Egelen** / ita affantur Ottonem Ducem Brunſuicenſem: **Werner und Otte / de Edlen van Hadmerſleve / und Heren tho Egelen / beden dem Achtbaren Vorſten / uſeme Heren Hertogen Otten van Brunſwick / uſe berede und willege denſte**: literæ datæ ſunt A. C. MCCCXLI. Hugo miles & Joannes famulus, dicti de Eſcherte, ſcribunt Domino ſuo, Joanni Comiti de Roden & Wunſtorpe: *Viro nobili & honeſto*: in literis datis anno MCCCXXIX. Otto Dux Brunſuicenſis jam dictus, vel alius ejuſdem nominis, in inſtrumento quodam donationis ſeipſum nominat *Domicellum de Brunſwick*: annus aſcriptus eſt MCCCXXIX. Quantum vero diſcrepat ſimplicis iſtius ſeculi modeſtia ab inſolenti laſcivientis temporis noſtri faſtu!

Dux Breſvicenſis) Alterum σφάλμα ſcriptoris. Familiare autem tam Græcis, quam Latinis auctoribus, noſtratia nomina fœde corrumpere, partim imperitia linguæ, partim præpoſtero quodam elegantiæ ſtudio. Exempla invenias apud Strabonem, Cæſarem, Florum, Tacitum, aliosque ex veteribus. In recentioribus nemo ea in re magis ineptit, ſeu potius inſanit, quam Paullus Jovius. Nec reticendum, quod Ottonem Comitem Tarentinum, Henrici Mirabilis filium, de quo multa mox dicturi ſumus, Bonfinius Hungar. rer. decade II. cap. III pro Brunſuicenſi, Brunduſienſem Ducem appellat. Audiant hac de re ſcriptores Aventinum recte ſentientem in Nomenclatura Annalibus præmiſſa: *Propria nomina*, inquit, *non ſunt vertenda, ſed literis aucta aut diminuta, Romana incude formanda: ita Plinius docet: ſic Hermolaus Barbarus commonet, & ego apud illuſtres rerum ſcriptores diligentius obſervavi,*

Cognatus cariſſimus) Cognatum vocat, quem *affinem*, vel *ſororium* dicere debebat. Forte, quia Irene Auguſta, Henrici ſoror, in vivis eſſe deſierat, arctioris neceſſitudinis vocabulum omiſſum.

* Quem *Cognatum Cariſſimum* vocat in Bulla ſua Andronicus Imperator, is Henricus Dux in Litteris, quibus Relliquiis à ſe cænobio Walckenredenſi datis fidem facit, Imperatorem Andronicum aliquoties vocat *ſororium ſuum*, uti ex illis ſupra à nobis publicatis patet.

Privilegium aurea bulla munitum) Bullæ appellatione inclinantis & ſequioris Latinitatis ſcriptoribus veniunt literæ ab Imperatoribus aut Pontificibus profectæ: aut potius ſigilla literis ipſis appenſa. Huguwicio, Lexicographus vetus: *Bulla etiam quandoq; dicitur ſigillum, quod ceræ imprimitur; unde bullare, ſigillare; bullatus, ſignatus.* Græcis recentioribus eſt βȣ́λλα: unde βȣλλȣ̃ν, *ſignare*: ἀβȣ́λλωτος, *non obſignatus.* Erant autem bullæ illæ, ſive ſigilla, nunc aurea, nunc argentea, nunc plumbea, nunc cerea, quibus Imperatores olim pro diverſitate perſonæ, ad quam, aut materiæ, de qua ſcribebant, utebantur. *Aurea bulla*, Græcis communiter χρυσόβȣλλον dicitur. Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis Hiſtor. Legat. ſuæ ad Niceph. Phocam, Imp. Conſtantinopolitanum, χρυσοβȣ́λλιον appellat, & interpretatur *epiſtolam auro ſcriptam*; ſed male, *aureo* enim *ſigillo ſignatam* dicere debuiſſet. Talis bulla fuit Caroli IV. Imp. illa, quæ κατ' ἐξοχὴν hodie AUREA BULLA dicitur, nemini non nota: talis hæc eſt de qua nos agimus. Datum autem hoc honoris Henrico Brunſuicenſi, ut aurea bulla ipſi provideretur, quum Papam Romanum ſui temporis eo dignari honore noluerit Nicephorus, quem dixi, ſatis arbitratus, ſi litteras argento ſignatas ei mitteret, ut idem habet Luitprandus. Erant autem Bullis impreſſæ imagines Cæſarum, etiam apud Romanos: hinc diplomata non pauca ita clauduntur: *Ad cujus rei memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens privilegium fieri, & bulla aureâ typario noſtræ maje-*

Digitized by Google

majeſtatis impreſſâ juſſimus communiri. Vide Cuſpinian. in Auſtriâ, & Knichium in Epopſi, ubi Friderici II. Imp. Diplomata.

* Vir celeberrimus in Notis ſuis ad hunc locum exiſtimat, ſine cauſa culpari hic præſtantiſſimum illum Epiſcopum *Luitprandum*. At ego & *Luitprandum*, & omnes illos culpandos exiſtimo, qui Græcam vocem χρυσοβούλλιον vertunt *epiſtolam auro ſcriptam & ſignatam*, cum tantum, *auro ſignatam*, vertere deberent, cum vox illa nihil aliud ſive vi ſuæ originis, ſive uſu ſignificet. Quamvis enim non negem, auro quoque ſcriptas epiſtolas, nec ſciam, an Nicephori illa fuerit auro ſcripta, tamen χρυσοβούλλιον nihil de ſcriptura aurea, ſed tantum de ſignatura notare certiſſimum eſt, planè, ut Latinis aurea bulla dicitur, non quæ auro ſcripta, ſed quæ auro bullata & ſigillata eſt, ut μολυβδόβουλλα & κηρόβουλλα apud *Codin.* de offic. aulæ Conſtantin. c. V. n. 22. quæ plumbo & cera ſignata ſunt, appellantur, nullo extante exemplo, quod à litteris auro ſcriptis, ſi bulla illius metalli deſit, diploma aliquod χρυσοβούλλιον appelletur. In quo mecum conſentire video virum harum rerum peritiſſimum *Mabillonium*. l. 1. de Re Diplom. c. 10. & l. 2. c. 16.

Anno Dominicæ incarnat. MCCCXXX.) Græci annos ſuos non à Chriſto nato, ſicut Latina Eccleſia; ſed ab Orbe condito numerant: ſecuti tamen non fontes Hebraicos, ſed vitioſam Septuaginta interpretum translationem. Fuit autem annus, quo datæ hæ ſunt litteræ, Græcis ab Orbe condito MMMMMMDCCCXXXIIX. quo tempore Andronicus II. annorum erat XXXIV. Irene, quæ noſtris annalibus Adelheidis, conjunx ejus ante quatuor annos tum è vivis exceſſerat.

Hactenus de Bullâ ſive literis Andronici Imperatoris: ſequitur, ut de ſubſcriptionibus, ſive ſignis aliquid adjungamus. Subſcriptiones rubri ſunt coloris, unde conjicio eas ipſius Andronici eſſe. Nam iſtiusmodi morem uſurpaſſe Auguſtos, aliisque indulſiſſe, patet ex Gregorâ, cujus lib. IV. hæc ſunt verba: *Pater* (Michaël) *Andronico* (ſeniori filio ſuo) *permiſit ſubſcribere rubris litteris.* Pachymerius lib. IIX. *Imperator cinnabari ſubſcripſit.* Vide Jul. Cæſ. Bulengerum loco adducto, cap. X. Niſi forte credamus ſubſcriptionum alteram ex his eſſe magni *Logothetæ*, qui nobis eſt *Cancellarius*. Fidem facit Curopalates lib. de officialibus Palatii Conſtantinopolitani. Ubi ſic ſcribit: ὁ μέγας λογοθέτης διατάττει τὰ περὶ τοῦ βασιλέως ἀποστελλόμενα προστάγματα καὶ χρυσόβουλλα πρός τε Ῥῆγας, Σουλτάνους, καὶ Τοπάρχους. Καὶ τοῦτο μὲν ἴδιον τοῦ μεγάλου λογοθέτου ὑπηρέτημα. Hoc eſt: *Magnus Logotheta diſponit mandata & bullas aureas, quæ ab Imperatore mittuntur ad Reges, Sultanos & Toparchas. Atq; hoc quidem proprium eſt magni Logothetæ miniſterium.* In hoc munere temporibus Andronici junioris erat *Metochites*, teſte Nicephoro Gregorâ.

Sigillum, ſive ipſa bulla aurea, cujus ab utraque parte figuram repræſentamus, ſerico violacei coloris ligamento, litteris ipſis in membranâ rudi ſcripturâ exaratis, adſtringitur. Eſt autem ex auro, non Pannonico, ſed Rhenano, fabrefactum ex duabus laminis tenuiſſimis ita conferruminatis, ut in medio leniter extuberantes cavitatem efficiant, per quam filamenta deorſum verſus tranſeuntia, ſubtus ſe in nodulum colligunt.

De titulo Δεσπότου, qui Andronico in ſigillo tribuitur, ſciendum, generaliter pertinuiſſe ad ipſum Auguſtum, quique ab eo proximi, ſive naturâ tales eſſent per ſanguinis neceſſitudinem, ſive inſtitutione. Specialiter ejus erat proprius, qui ſecundus à majeſtate Imperatoriâ, quem recentiores alioqui σέβαστον appellarunt: Nadabus Agmonius Notis in Curopalatem. Animadvertas autem geminum σφάλμα ſcriptionis in ſigillo: primum eſt quòd in ultimâ ſyllabâ vocis ΔΕΣΠΟΤΗΣ pro η uſurpatur ι. alterum, quòd ΠΑΛΕΟΛΟΓΟΣ ſcribitur pro ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΣ.

Et hæc ſunt, quæ ad illuſtrationem Bullæ Auguſtalis (cui & noſtræ hiſtoriæ aliquid lucis debent) in medium adferre voluimus: libet nunc reverti ad Ducem Henricum peregrinatorem, deque ejus poſteris nonnulla apud alios fortaſſe minus obvia, cum candido lectore communicare.

In diviſione hereditatis paternæ accepit eam partem, quæ hodie Eichsfeldia nuncupatur, unà cum urbe Duderſtadio. Tractum iſtum nomine Marchæ Duderſtadenſis venire puto in Additionibus ad Lambertum Schafnaburgenſem, & Chronico Pega-

Digitized by Google

co Pogavienſi: quemadmodum idem etiam à Jutta Abbatiſſa Quedlenburgenſi in litteris anno M. CCC. XLV. XVI. Decembris datis *Marchionatus in Duderſtadt* appellatur.

Duæ adſignantur ei conjuges, prior *Helena* Waldemari I. Marchionis Brandenburgici filia, mater Ottonis primogeniti, ut Chronicon Saxonicum vetus: altera *Maria* Cypria, cujus ſupra memini. Hæc peperiſſe ſcribitur Balthaſarum & Melchiorem. De Balthaſaro certum eſt, eum non fuiſſe uterinum Ottonis fratrem, ſed ex patre tantum, indicante Theodorico Niemio de ſchismate lib. I. cap. XXIII. ubi in edito exemplari perperam legitur *ejus fratrem ex parte*, pro *eius fratrem ex patre*, ut codex meus MS. habet. De ſingulis hiſce Henrici filiis ordine agemus, non prius tamen, quàm ipſis fratrem adjungamus *Riddagum*, hactenus omnibus, qui familiam Brunſuicenſem explicarunt, ignoratum prætermiſſumque. Ex quâ matre ſit progenitus indicare non poſſum: litteras, quarum beneficio reviviſcit, idem, quem dixi, *Valentinus Mullerus*, mecum communicavit: ſunt autem hujusmodi.

Dei gratiâ nos Reddacus filius quondam illuſtris principis Henrici Ducis in Brunſuic, honoratis viris & diſcretis noſtris dilectis, Decano, totique capitulo eccleſiæ SCti Blaſii ibidem, voluntatem noſtram ad quævis beneplacita cum ſalute. Proviſionem factam per illuſtrem principem dilectum noſtrum fratrem Ottonem Ducem in Brunſuic, capellano fratris noſtri dilecti Balthaſar Ducis ibidem, Gotfrido dicto de Mackenrode clerico, de præbendâ nobis vacante ex morte honorabilis viri, Dn. Florini quondam ibi Decani, & de præſentatione factâ de eadem, ut quæcunq; nobis vacante de præſenti, vel in futuro, cujus jus patronatus ad nos dinoſcitur pertinere, pleno jure & ſecundum formam & tenorem prænominatæ præſentationis in unicam ſigillo noſtri dilecti fratris Ottonis antedicti, in quâ cum plenitudine noſtræ bonæ voluntatis conſentimus, gratum ratum & firmum ſumus habituri. Rogantes quatenus prædictum Gotfridum noſtrum capellanum promotum habeatis jure noſtro. In hujus rei teſtimonium ſigillum noſtri dilecti fratris Ottonis antedicti eſt appenſum, in quo nos ſumus contenti, quia ad præſens noſtro ſigillo caremus. Datum in Aſt, anno Domini MCCCLVII. in die beati Andreæ Apoſtoli.

Hactenus literæ Riddagi. In ſigillo, quod ex rubrâ conſtat cerâ, duo viſuntur leopardi. Neminem autem offendat vitioſa ſcriptio, quod pro Riddago Reddacus legitur, nam & Helmoldus hiſtoriæ Slavicæ lib. II. cap. I. & Crancius Saxon. lib. VI. cap. XXII. illuſtre monaſterium, à *Riddago* fundatore *Rigdagshuſium* dictum, Reddageshuſen appellant. Neque ignotum, quomodo in vocabulorum Germanicorum ſcriptione ac enunciatione ſæpe-numero litteræ G & C commutentur. Sic quæ Germanis ſuperioribus ſunt, Groſſe / genus monetæ : Glucke / gallina : Glocke / nola, ſive æs campanum, Saxonibus enunciantur Kroſſe / Klucke / Klocke. Scriptas verò eſſe litteras Riddagi in Italiâ, è loco ubi datæ ſunt colligo. Eſt enim *Aſt* urbs Galliæ cis-Alpinæ, ut Jacobus Philippus Bergomenſis, Supplement. lib. XIII. Meminit etiam Aſtæ ad Morum amnem, parentis Duci Sabaudiæ, Schraderus in inſcriptionibus Italiæ pag. CCCLXXIX. Aſtam Theodorus Marchio Montisferratenſis ſuæ ditioni adjecit. Vixiſſe igitur Riddagum cum fratribus in Italiâ affirmaverim: quæ verò ulterior ejus fortuna, quæ res geſtæ, quis obitus, non inveni: agam igitur de ejus fratribus.

Ottonis primogeniti annus natalis ignoratur: ſi ætatem, quâ fuit cum moreretur, conſideremus, A.C. MCCCVII. dias in luminis auras prodiiſſe, conjicere, poſſimus. De rebus ejus in patriâ geſtis nihil reperi, excepto quòd Adolfo Comiti Naſſovio, electo archiepiſcopo Moguntino contra Marchiones Miſnenſes ſuppetias tuliſſe referatur ab Hieronymo Henningeſio, & aliis. Factum id volunt A.C. MCCCLXXV. ſed nec, quæ foris fortiter feliciterque fecit, ſcriptorem invenere. Blondus multa de ſuis Italis locutus, Ottonis Brunſuicenſis vix ſemel meminit. Theodoricus Niemius ſcriba Pontificius, lib. I. de ſchiſmate cap. XXIV à pueritiâ in armis enutritum, iisque in Taurinorum regione (hodie Pedemontium appellamus) ac Inſubriâ, ſive Longobardiâ, inclaruiſſe, auctor eſt. Plena tum erat turbarum motuumque Italia, ab Imperatoribus Germanicis inique neglecta, graſſantibus illic *Galeatio* & *Barnabâ* (alii Barnabovem nominant) *Stephani* filiis, *Mediolani* Viceco-

Digitized by Google

mitibus, tyrannis crudeliſſimis: horum exempla ſequebantur non pauci alii inquieti & turbulenti alaſtores, ut nobiliſſima provincia, orbisque terrarum decus, fœdiſſimè laceraretur. Conductus tum fuit Otto Brunſuicenſis ejusque frater *Balthaſar* publico eccleſiæ Romanæ ſtipendio, cui ita fidem ac induſtriam probarunt, ut qui maximé. Juſtis enim præliis quadragies cum hoſtibus conflixere, ſemper obtentâ victoria, hoſte fuſo, fugato. Quæ per vim illi aliis ademerant, ex iniquorum poſſeſſorum manibus extorta legitimis ſuis dominis magno animo reſtituerunt, nihil præter gloriam virtute partam ſibi reſervantes. In urbibus, quas hoſti eripuerunt, recenſentur *Ticinum* in Inſubribus, *Aquenſis* civitas in Taurinis, & *Vercellæ*, & hanc quidem Gregorio XI. Pontifici Romano reſtituére. Præter iſtas magni nominis urbes etiam arces quadraginta à graſſatoribus occupatas, in libertatem vindicarunt. Gravia illa & periculoſa fuiſſe bella nemo inficias ierit, neque ſcriptor, quem dixi, diſſimulat: verùm ea fuit horum principum rei militaris ſcientia, fortitudo, & conjuncta felicitas, ut nunquam non proſperè atque ex animi ſententiâ rem agerent. Dominabatur tum temporis in Siciliâ & Apuliâ *Joanna*, ejus nominis prima, *Roberti* Ducis Calabriæ ac Regis Siciliæ ex filio *Carolo* neptis, ejusdemque regni cum aliis multis regionibus ab avo deſignata heres. Quæ cum apud multos invidiâ flagraret, neque inter tot æmulos ſecuritatem ſibi policeri poſſet, intuita perpetuam Ottonis Brunſuigii in rebus gerendis proſperitatem, nuptias ejus per legatos ambivit, propoſitâ ſpe conſequendi regni ampliſſimi minimè obſcurâ. Eo tempore Otto agebat *Ferrariæ* apud agnatos principes familiæ *Ateſtinæ*. His auctoribus poſtulatis Joannæ Reginæ annuit: etſi illa eâ erat ætate, à quâ conjugii fructus, proles ſcilicet, ſperari non poſſet. Nuptias celebratas A. C. MCCCLXXVI. annotavit Pandulfus Collenutius hiſtor. Neapolitan. lib. V. A Reginâ accepiſſe tum Ottonem principatum *Tarentinum* credunt omnes: neque ego contradixerim. Urbis deſcriptio exſtat apud Florum lib. I. & Procopium rerum Gothicar. lib. III.

* An recte *Henningeſius* ſcribat Ottonem A. MCCCLXXV. Archiepiſcopo Moguntino tuliſſe ſuppetias, dubito, potiusque in Italia tum credo fuiſſe, quippe quem anno ſequenti nuptias cum Johanna Regina celebraſſe *Pandulphus Collenutius* ſcribit. Uti vero Riddagum in Italia A. MCCCLVII. fuiſſe ex Tabulis ejus ante adductis patet, ita Ottonem hunc Romæ A. MCCCLV. Coronationi ſolenni Caroli IV. Imperatoris in Baſilica S. Petri peractæ interfuiſſe, diſco ex Tabulis Cæſareis, quibus Nurembergenſibus Stratarum publicarum defenſionem confirmat, à Nobiliſſimo *Ahaſv. Fritſchio* in addit. ad Limnæi l. VII. c. 35. publicatis, (ubi tamen vitio ſine dubio Typothetæ ſcriptus eſt annus MCCLV.) quibus ſcilicet inter alios ſubſcripſit *Otto Brunſuicenſis*: ex ſupra vero adductis Litteris Ducis Reddaci vel Riddagi, qui ſigillo fratris Ottonis uſus, patet, eum A. MDCCCLVII. in *Aſt* fuiſſe.

Biennio pôſt, hoc eſt, A. C. MCCCLXXIIX. electus eſt Pontifex Romanus Urbanus VI. priùs archiepiſcopus Barenſis: ante iſtud ſupremæ dignitatis faſtigium, tàm Ottoni, quàm ejus conjugi Joannæ Reginæ familiariter notus. Quâ de cauſâ uterque ſibi de hoc novo Pontifice optima quæque policebatur, Regina verò unum illud, ut ſine morâ & tergiverſatione marito, hactenus Principis Tarentini titulo contento, coronam regni Neapolitani tribueret.

Verum Pontifex Urbanus, aliàs amicis difficilis, faſtuque ruſtico immodicè tumens, à Neapolitanis civibus, externi principis, & quidem Germani, dominatum averſantibus, clàm palàmque monebatur, ne quid temerè in re magni momenti ſtatueret. Unde factum, ut non tantum nihil opis vel honoris à Papâ Otto impetraret, verum etiam incivilem planè experiretur. Cùm enim nomine conjugis ſuæ reginæ Neapolitanæ Urbano de dignitate novâ gratularetur, obedientiamque pro more polliceretur, atque in convivio quodam ſolemni, præſentibus, tàm eccleſiaſticis, quàm politicis proceribus, viris honoratis, reverentiæ ergò Pontifici accumbenti flexis genibus poculum vini offerret, Urbanus tanti nominis & ſplendoris principem diu coram ſe ſtare permiſit: neque priùs ſcyphum è manu ejus accepit, quam à Cardinali quodam agreſtem iſtam & incivilem, in Pontifice, qui ſe ſervum ſervorum, Chriſtique omnium humillimi vicarium ambitioſè jactat, inſolentiam averſante, civilitatis eſſet admonitus. Quam inurbanam ferocientis ſacrificuli ruſticitatem, non tantùm

Digitized by

tùm modeſtè tum diſſimulavit Otto, verùm etiam paullo pòſt, cùm Papam ſuâ moroſitate Cardinales à ſe abalienare, novoque & periculoſo in Eccleſiâ ſchiſmati fores aperire animadverteret, adjunctis ſibi magni nominis experientiæque Iureconſultis, necnon ex primariâ nobilitate quibusdam magnatibus, de concordia inter diffidentes maturè ſarciendâ diligenter tractabat. Fertur tum de alio etiam negocio cum Papâ egiſſe, nimirum, ut filio Marchionis Montisferrati Ducis Ottoni conſanguineo, inque aulâ ejus viventi, pateretur Pontifex conjungi Mariam regni Siculi heredem. Quo matrimonio ſanguinis innocentis effuſio, ædium ſacrarum vaſtationes, agrorum populationes averti, paxque aurea bellorum tempeſtatibus ſedatis iſtis in regionibus ſtabiliri poſſe videbatur: ſed nec regni proceres ab Ottone diſſentiebant. Verum nec auditus eſt ille: neque qui benè conſulentem nullo modo negligendum monuerant, aliud quàm invidiam & odium reportarunt Quæ omnia iterum patienter tulit Otto, ſic tamen, ut obſtinati hominis fatum infelix fortunamque prædiceret, ac memor parænesis regiæ: *Noli amicitiam contrahere cum homine iracundo, aut cum bilioſo verſari &c.* impoſterum ab ejus familiaritate omninò abſtineret.

Non multò poſt idem hierophanta Urbanus Joannam Reginam, evibrato in eam fulmine eccleſiaſtico, utriusque Siciliæ & Neapolis regnis privare ſategit, præter alia, graviſſimum illi inferens crimen, quod concitatis Cardinalium animis electioni Clementis VII. Anti-Papæ cauſſam præbuiſſet, excitato in Eccleſiâ ſchiſmate pernicioſiſſimo. Jus verò regnorum, quæ dixi, transtulit Papa in *Carolum* cognomento Parvum, *Dyrrachii* in Illyrico principem: quem ex Pannoniâ, ubi apud *Ludovicum* Regem agebat, evocatum, impoſitâ ei publicè Coronâ Joannæ ſurrogavit: quod impium facinus tragicum reginæ exitium, Ottoni periculum ſummum, Pſeudopontifici extremam creavit infamiam.

Fuit Carolus *Ludovici* Dyrrachini filius, illuſtri quidem loco natus, ſed in re valde tenui, quem Joanna regina ejusque maritus, jam à multis annis infinitis propemodum beneficiis cumulaverant. Habebat idem princeps conceſſu Papæ uxorem patruelem ſuam *Margaritam*: cujus conjugii Joanna regina, quæ utrumque à pueritiâ domi ſuæ educarat, auſpex ferebatur, datâ in dotem ſponſæ urbe & arce Iserniâ. Nati ſunt his conjugibus, *Joanna*, quæ poſtea nubſit *Gulielmo*, cui cognomentum Curialis, Duci Auſtriæ, & *Ladislaus*, quem myſticâ aquâ ablutum, Otto Brunſuicenſis ex ſacro fonte levavit. Utrumque non minore benevolentiâ & favore, quàm parentes fecerat, Regina proſecuta eſt: & quidem tum maximè, cum marito Carolo in Pannoniâ apud *Ludovicum* regem agente, Margarita, viduæ non abſimilis, cum liberis ſuis in Italiâ hæreret. Quæ quidem, & alia non minora beneficia, cum aliquando grato animo ſecum revolveret Carolus, ſuâ ſponte Deum teſtatus fertur, ſe contra reginam, ejus maritum, ac utriusque dignitatem & commodum nunquam quicquam, vel vi, vel fraude conaturum. Verum Papales furiæ, ad orbem Chriſtianum turbandum enatæ, ſpe regni præpotentis conſequendi objectâ, in ambitioſo, ac à juventute adhuc calenti animo, religionem iſtam facilè extinxerunt.

Statim enim poſt inauſpicatam coronationem Romæ factam, Carolus animum & manus ad regnum adjecit, cujus urbs primaria *Neapolis*, nefariâ improborum civium perfidiâ hoſti prius patuit, quam arma ejus viſa, nedum experta eſſent. Quâ infidelitate perterrita Regina in arcem, quam Novam vocant, ſe recepit, ibique à regio exercitu obſeſſa eſt. Scribit Gobelinus ætate VI. cap. LXXVI. Carolum, ut deditionem extorqueret, non modò arietibus, baliſtis ac tormentis æneis muros impetiiſſe, verùm etiam inauditum priùs, planeque fœdum ſtratagema (ſi modò crudele factum iſtam appellationem meretur) adhibuiſſe. Etenim captivorum, qui in urbe erant, bonam partem trucidari, cadavera membratim diſſecari; fruſtaque tabo & ſanie fluentia in lagenas ſive doliola admixtis humanis fecibus ingeri: denique vaſa iſta machinis ad id præparatis rectà ſupra arcem in altum projici mandavit. Quæ deorſum verſus labentia, ſive in aream arcis, ſive alia ejus ædificia inciderent, immani fragore crepuere, intolerabili fœtore circumquaque diffuſo: adeo ut obſeſſi præter horrorem, quo ex ſanguinolentorum membrorum intuitu perfundebantur,

Digitized by Google

bantur, infecto venenatoque aëre continuos vomitus ciente penè ſuffocarentur. Simili ſtratagemate Bononienſes uſos in Mutinæ obſidione, & cadavera jumentorum vi machinarum in urbem jeciſſe, idque pro more illorum temporum, notat Carolus Sigonius de regno Italiæ lib. XIIX. ad annum MCCXLIX.

Dum hæc intra mœnia urbis aguntur, Otto qui foris erat, ut ab obſidione arcis Novæ hoſtem retraheret, vel ei ſaltem incommodaret, aquæ ductus incidit: unde in urbe, magnâ hominum jumentorumque multitudine oneratâ, ingens exorta aquæ penuria, cui ciſternæ ſubvenerunt. Cives verò Neapolitani, quod bellum opinione diuturnius metuerent, ad fraudulentas artes decurrendum rati, centaurum quendam militarem, pannis, annisque obſitum, nuper Reginæ ejusque marito familiarem, quid porrò faciendum eſſet conſuluere. Is ſuaſit litteras nomine Reginæ ſcribendas, ſigilloque adulterino obſignandas: quibus illa ad certum noctis tempus, deſtinatumque prope arcem Novam locum, cum paucis iisque fidis amicis ſecreti colloquii cauſsâ maritum evocaret: qui ſi litteris credat, ſeque ſiſtat, ex inſidiis opprimendum. Geſtus eſt mos flagitioſo veteratori; ſcriptæque litteræ, & Ottoni transmiſſæ. Quibus lectis eveſtigio cum fratre Balthaſaro, nec non marchione Montisferrati Joanne, cognato, tribusque aliis primariis copiarum ductoribus, rem ſecretò communicavit: iisque ſolis ſtipatus inſequentis noctis concubio ad locum indicatum contendit. Hoſtes verò interim per viam regiam latam pro fundamq; foſſam duxerant, viroſque circiter quinquaginta juxtà in inſidiis collocarant. In quos de improviſo incidens cum ſuis Otto, ipſe capitur; Balthaſar frater beneficio noctis evadit: Montisferratenſis Marchio cum tribus reliquis miſerè trucidatur. Pugna commiſſa eſt XXV. Auguſti anno MCCCLXXXI. Hoc modo rem geſtam affirmat Theodorus Niemius: à quo modicè diſſentit Gobelinus: nam etſi Ottonem proditum non negat, litterarum tamen per fraudem ſcriptarum non meminit. Pandulfus Collenutius lib. V. rem aliter exponit, cujus verba hæc ſunt: *Otto cum ſe à civibus proditum eſſe cerneret, urbem foris oppugnabat: cumq; die quodam inſtructo milite vi irrumpere conaretur, Carolus eâ re cognitâ, copias ſuas in duas partes diviſit, & duabus portis egreſſus Ottonem duobus locis adoritur: pugnatur acriter: ſed Otto tamen cùm prælium virtute ſuâ bene multas horas ſuſtinuiſſet, & equus generoſus, ex quo dimicabat, læſus in eum cecidiſſet, ſuperatus, captus & Carolo traditus eſt.* Hactenus Collenutius, quem ſequitur Paulus Æmylius de geſtis Francor. lib. IX. Potior verò habenda fides Niemio & Gobelino: quippe qui iſto tempore ambo in Italiâ, & quidem in curia Papali verſati, rem omnem exactius cognoſcere potuerunt. Accidere hæc A. C. MCCCXXCI.

Cladem iſtam, ut inſperatam, ita funeſtam admodum, virili infractoque animo tulit Otto, ſolicitus tantùm de conjuge ab hoſtibus circumſeſsâ, victusque inopiâ laborante. In conſpectum verò Caroli deductus, ſuperbeque interrogatus, quâ fiduciâ regnum alienum ſe defenſurum in animum induxiſſet, maſculo animo, voceque ſonorâ reſpondit: nihil ſibi de regno, quod Caroli ſit, conſtare: Siciliam cum Apuliâ, quæ conjugis ſuæ fuerit hereditas, quâ debuiſſet fide ac diligentiâ, contra quosvis hoſtes tutatum: neque ex veritate quemquam aliud affirmaturum. Hæc dixit, nullâ, vel capite, vel genibus, exhibitâ ſuperbo hoſti reverentiâ. Qui quidem victi in præſenti diſcrimine animi magnitudinem admiratus eſt non parum, ſuccenſuit tamen ei, atque eveſtigiò in vincula abripi mandavit. Collenutius hîc iterum à Niemio & Gobelino diſſentiens ſcribit. Ottonem dimiſſum, eâ conditione, ut extra regni fines diſcederet. Regina de clade & captivitate mariti edocta, Carolo ſe dedidit, à quo cuſtodiæ tradita, ac non multo pòſt interfecta eſt.

Qui ſtipendia fecerant ſub Ottone, inque victoris poteſtatem venerant, eos omnes, ac cumprimis Germanos, inveterato, ſed improbo, nobiliſſimæ gentis odio, Neapolitani cives ad cædem depoſcebant. Quomodo verò ex præſenti diſcrimine erepti ſint, cum hiſtoria ſit jucunda, ac à ſolo, quod equidem ſciam, Gobelino prodita, auctoris verba libet apponere. *Cum Neapolitani*, inquit, *inter cæteros captivos Teutonicos in odium Ducis maximè exoſos haberent, omnes eos poſtulabant occidi. Plurimos enim ex eis, licet Duci nihil auxilii præſtiterint, ſolummodo nationis cauſsâ trucidabant. Unde multi eorum inter populares mechanicis artibus inſudantes, aut aliàs degentes ibidem, ab honeſtis mulieribus miſericordiâ motis intra ciſternas & cellaria occultabantur,*

donec

Digitized by Google

donec primi tumultus furor quieſcebat. Rex Carolus videns Neapolitanorum animos in Teutonicorum necem obſtinatos, nec eos flectere valens, nec eis reſiſtere audens, commiſit Villanucio militi duci exercitus ſui, ut in hoc articulo quid expediret protinus ordinaret. Quapropter Villanucius cunctis Teutonicis cum Duce Ottone captis congregatis in unum, ſingulis eorum arma ſua reddidit, & convenientibus eis in planicie, ante caſtrum-Novum, quæ Carreria dicitur, Villanucius Neapolitanis dixit, ut Teutonicos apprehenderent, ſi placeret ipſis occidere eos. Neapolitani verò tanto ſe recuſantes ſubmittere periculo, ut Teutonici illi extra regni confinia ſalvi diſcederent, conſenſum præbuerunt. Quapropter Rex Karolus quibusdam galeis ad id aptatis eos extra regni ſui diſtrictum perducere fecit. Hæc Gobelinus Ætat. VI. cap. LXXVI. Repetit inde Crancius Metrop. lib. X. cap. XXVI. Villanucii à Carolo poſt coronationem conducti, meminit etiam Collenutius lib. V.

Sed ad Ottonem reflectendus ſermo. Is in carceribus fuit circiter triennium, ut disertè Niemius lib. I. cap. XXIV. & LX. ubi locus *caſtrum Minervini* appellatur, ſimulque indicatur à Friderico II. Imp. extructum fuiſſe. Exiit è cuſtodiâ, non quidem Caroli Dyrrachini clementiâ, ſed fortè aliorum operâ, ſub id tempus, quo Ludovicus Andegavenſis à Joannâ adoptatus, cùm ob vulnera in prælio infelici accepta, tum ob animi mœrorem, ex hac vitâ in aliam migravit. Datum fuit hoc Ottoni honoris, ut præſtitâ fide de redeundo, quoties vellet exſpaciaretur, ſeque venatu more nobilitatis Germanicæ exerceret. Quod dum aliquando ageret, per Britannos quoſdam interceptus Avenionem Galliæ urbem deductus eſt.

Crediderim iſthic Ottonem, vel ſponte ſuâ, vel neceſſitate compulſum, cum Anti-Papa Clemente ac Ludovico Andegavenſi altero ejus nominis, primi, de quo dixi, filio, in fœdus veniſſe, provideque deliberatum fuiſſe, quomodo conjunctis viribus, unâque operâ duo florentiſſima regna ex manibus Dyrrachini extorqueri, animique impotentis homo Urbanus exauctoratus Papa in ordinem redigi poſſet.

Increbeſcente autem famâ de inopinatâ Dyrrachini cæde, quem factioſi quidam, rebusque novis ſtudentes proceres Hungari, in Pannoniam evocatum Ludovico Regi defuncto ſurrogarant: Regina verò *Eliſabetha* filiabus conſultum volens improvido conſilio immaniter mactari juſſerat, Otto collecto tumultuario exercitu in Siciliam trajecit, exceptusque magnificè à Quatuor-viris, delectis regni Siculi gubernatoribus, omnique nobilitate, rerum ibi ſine controverſiâ potitus eſt. Non multò poſt navigavit in Apuliam, in quâ Caroli Dyrrachini vidua adhuc cum imperio erat: ibique conjunxit ſe cum *Thomâ San-Severinate* ejusque complicibus, Caroli dum viveret, & nunc Reginæ hoſtibus. Hi Neapolim intra tempus breve cum toto regno in ſuam poteſtatem redegere, infelici Reginâ cum Ladislao & Joannâ liberis Cajetam munitiſſimam regni urbem profugiente: in quâ diu cum miſeriâ luctati ſunt. Urbanus quidem ſacrâ cenſurâ in perduelles iſtos animadvertit, crucisque ſymbolum in eos contulit, qui ſe illis armis opponerent, cum tantâ delictorum remiſſione, quanta iis conceditur, qui recuperandæ terræ Sanctæ aut fidei cauſâ militant: tamen neque illi Neapolim reliquerunt, nec quiſquam eo tempore ipſis bellum movit. Verba ſunt Collenutii.

Recuperavit tunc Otto Tarentinum Ducatum, cæterasque, quas ante captivitatem habuerat, poſſeſſiones. Neapolitani verò cives juſtiſſimas luebant pœnas infidelitatis & perjuriorum contra Joannam reginam, ejusque maritum Ottonem commiſſorum. Omnium enim injuriis expoſiti erant, & viliſſima quæque mancipia ac calones impunè rapinis, libidinibusque in urbe graſſabantur: ut malorum iſtorum pertæſi utriusque ſexus homines quam multi, damnatam exitio patriam deſerentes, Capuam, Cajetam & in tutiora Siciliæ loca commigrarent.

Quorum infelicitati & miſeriæ ex animo condolens Otto, redire eos in patriam juſſit, addito qui ab inermibus vim propulſaret de ſuis copiis ſufficienti comitatu. Neque hoc contentus, publico edicto ſub pœna capitis vetuit, ne quis vel miles, vel alterius conditionis homo, civibus moleſtus eſſet. Hoc modo rem geſtam ſcribit Niemius dicto libro cap. LXV. Gobelinus refert multos æmulorum ab Ottone interfici juſſos: potentioribus Tarentum in cuſtodiam miſſis. Accidére hæc A. C. MCCCLXXXV.

Proximo ab hoc anno *Ludovicus* ejus nominis ſecundus, primi filius, Andegavenſium Dux, inſtigante Anti-Papa Clemente & Galliarum rege *Carolo* VI. occupandi regni Siculi ac Neapolitani cauſsâ in Italiam venit. Huic Otto, ſive quòd ætatem affectam viresque infirmas, ſive Gallicam potentiam, gentisq́ Italæ deſultoriam levitatem, conſideraret, non tantum utroque regno ceſſit, ſed ut in illis ſe confirmaret, auxilio fuit, ſolo principatu Tarentino contentus. Neque quicquam de ejus rebus geſtis amplius invenitur, niſi quod cum Margaritâ infelicis regis Caroli æquè infelici viduâ in gratiam redierit, condonatis ei injuriis ac contumeliis omnibus, quas vel ab ipsâ, vel ejus marito proximis annis, nihil horum meritus accepiſſe omnibus conſtabat. Factum hoc eſt A. C. MCCCLXXXVII. quo ipſo etiam vitam cum morte commutavit, annos habens vitæ circiter LXXX. Errant qui A. C. MCCCLXXXI. vel LXXXII. defunctum volunt. Hi ſunt Chytræus, Reuſnerus, Henningeſius, Buntingius & alii. Errat Chronicon Saxonicum vetus, quod ſcribit in carcere mortuum ad annum MCCCLXVI. Sepultus eſt *Foggiæ*, quod opidum diſtat à Luceriâ XI. milliaribus verſus Apuliam, ut Abrahamus Ortelius in Synonymiâ Geographicâ. Niemius lib. I. cap. XLIV. *terram Foye in Apuliâ* nuncupat.

In Ducatu Tarentino Otto ſucceſſorem habuit *Raymundum Baucianum* Comitis Nolani ex familiâ *Urſinâ* F. quem Gobelinus & Collenutius Baltzianum vocant. Celebratur etiam in poſſeſſionibus Ottonis arx *Luceria* diſtans Neapoli XXIV. milliaribus, ut Niemius lib. I. cap. XXXIV. Idem cap. XXXII. & XL. arcis & territorii circumjacentis amœnitatem deſcribit, addens in conclavi quodam arcis effigiem Ottonis depictam fuiſſe. Papa Urbanus cum ibi aliquando cum ſuo ſemiviro comitatu deſideret, *Luceriam Chriſtianorum* nominari voluit: quod irridentes alii falsè *Miſeriam* indigitarunt. Carolus Dyrrachinus de alieno liberalis Luceriam donavit *Franciſco Pregnano*, (cui cognomentum fuit Butylli) homini viliſſimo & ab omni virtute alieno procurante largitionem iſtam Urbano Papâ, cujus ex fratre Butyllus erat nepos: verè perditus & profuſus nepos.

Fuit Otto Princeps planè heroicus, animi magnitudine viriumq́ue robore nulli ſecundus: moderatus ſimul & humanus: de quo jure illud Poëtæ uſurpes:

Magnorum haud unquam indignus avorum.

Indeq́ue eſt, quod Niemius tot encomia in eum congerat. lib. I. de ſchiſm. cap. VI. nominatur *Pater principum, & norma nobilium*: cap. IIX. *totusq́ catholicus*: cap. XXIV. *prudentiſſimus ac ſtrenuus nimis in factis armorum*: cap. LXV. *pius, manſuetus, neque vindictæ cupidus.* Singularum virtutum iſtarum illuſtria documenta & exempla in hiſtoriâ ejus frequenter reperias: unum atque alterum libet annotare. Cum aliquando ex Neapolitanis civibus nonnulli coram ipſo de miſeriis & calamitatibus ſuis multa locuti, ingratitudinem, quâ nuper erga ipſum & conjugem turpiter uſi fuiſſent, faterentur, deprecarentur: ipſe ad lacrymas eorum ſuas continere non potuit, contentus leniter & abſque commotione indicaſſe, nullam omnino eos cauſſam, imo ne quidem prætextum, habuiſſe tam ſceleratæ & ſine exemplo defectionis: neque quicquam ſeveriter tum in eos ſtatuit.

Quomodo tollendis diſſidiis, paciq́ue conſtituendæ ſtuduerit, ex eo apparet, quòd Gregorius XI. Pontifex, cum deſertâ Avenione, ubi hactenus annis LXX. curia Papalis deſederat, Romam rediiſſet, atque in Italiâ omnia ſummè perturbata, eccleſiæ Romanæ poſſeſſiones (vulgo patrimonium S. Petri appellant) diſſipatas, rebellium numerum creſcere indies videret, ſolum hunc Ottonem Brunſuigium elegit, cujus operâ in placandis adverſariis, pacandaq́ue Italiâ uteretur. Qui tum eccleſiam moleſtabant erant Vice-Comites Mediolanenſes Galeatius & Barnabas, præfectus urbis Romæ, urbes Florentia & Peruſia, nec non ex Dynaſtis aliqui. Cum his non ſemel congreſſus Otto, poſt multas actiones ſuâ prudentiâ, comitate, & induſtriâ tandem impetravit, ut poſitis armis pacem admitterent. Cujus rei nuncium opidò lætum fauſtumq́ue, perquam ſolicito, anxieq́ue rei eventum præſtolanti Pontifici relaturus, inter pia exoptatæ pacis deſideria è vitâ ſublatum præter ſpem ſubtriſtis & dolens cognovit.

In literis fuit mediocriter eruditus, ſic ut animi ſenſa non incommode latinè proloqueretur: neque à ſalibus alienus erat, quod exemplo probat Niemius. Cum enim

enim Urbanum Papam in gubernationis ſuæ initio inſolenter & ſuperbè omnia agere, neque recta ſuadentibus morem gerere conſpiceret, atque ex eo prudenter colligeret, quantum incommodi tàm Eccleſiæ quàm Reipublicæ inde immineret, in præſentiâ familiarium in hæc verba prorupit: *Pater noſter non* URBANUS, *ſed potius ut timeo* TURBANUS *dicetur*, *& multis erit adverſitatibus involutus*, *& ruina multorum.*

In bellis gerendis fuit induſtrius & circumſpectus, ſimulque felix. Etenim affirmante Niemio lib. I. cap. XXIV. quadragies juſto prælio cum hoſte dimicavit, ſemper victor: qua proſperitate fortunam *M. Claudii Marcelli* (qui Plin. lib. 7. cap. XXV. & Julio Solino cap. VI. teſtantibus undequadrageſies victoriam ab hoſte reportavit) ſupergreſſus eſt.

Venatione (quam inter laudatiſſimas principum oblectationes præcipuam cenſeri oportere Xenophonteus Cyrus affirmat) ad depellendam ſegnitiem frequenter uſus eſt, & quidem in amœniſſimis Luceriæ montibus, ubi aprorum, cervorum, aliarumque ſylveſtrium ferarum admiranda copia. Si quid autem captum eſſet, ex eo caput ſibi reſervabat, truncum dabat nobilibus, quos ſecum eduxerat.

Spacium illud, quo vitam hominis, ex integrâ firmâque valetudine longævi, Spiritus S. in Pſalmo XC. determinat, annos videlicet XXC. Jehovæ opt. max. benignitate complevit: cùm contrà Dyrrachinus, homo ſanguinarius & fraudulentus ad ætatis ſuæ medium vix proveheretur, cæſus cùm eſſet quadragenarius, ut Niemius indicat.

Mauſoleum, in quo conditus fuit, neſcio quâ curioſitate, vel occaſione, apertum, inſpexit *Hercules* Dux Ferrarienſium Ottonis agnatus, deprehenſumque eſt, corpus in ſingulis pedibus ſenos habuiſſe digitos: quod ex ore Herculis ejuſque aulicorum exceptum, refert Collenutius lib. V.

Inſignia Ottonis, ut ex ſigillo litterarum Ducis Riddagi didicimus, fuere *duo leopardi*, ſive *leones fulvi coloris*, olim ab *Henrico Leone* ex *Angliâ* allati, ut Henricus Wolterus in Chronico Bremenſi, & Joannes Schiphowerus in annalibus Oldenburgicis MS. & poſt utrumque Crancius Saxon. lib. 2. cap. XLVII. & lib. 8. cap. XXIIX. annotarunt. Cum enim ille non tantum bonis, quæ Imperatorum & Eccleſiaſticorum Principum beneficio poſſidebat, exutus, verum etiam titulo Ducali, ut Godefridus monachus ſcribit, ac clypeo, ut Schiphowerus, hoc eſt, inſigniis avitis privatus eſſet, leones iſtos à rege Angliæ Richardo accepiſſe fertur: quos deinde etiam Leonis filius, Henricus Dux Saxoniæ & Comes Palatinus ad Rhenum geſſit in clypeo. Quæ vero avita fuerint Henr. Leonis inſignia quæri poteſt. Uſum eum in clypeo equo ſaliente, communiter affirmatur: quam bene, pronunciare nequeo. Penes me ſane nummus eſt vetuſtus, argenteus, laminæ inſtar tenuis, uti ſuperiorum ætatum nummi eſſe ſolebant; quem mecum communicavit JCtus CL. Joan. Oberbergius, Reip. Mindanæ nuper Syndicus, & Ducis Brunſuicenſium Conſiliarius, hodie Ducis Megapolitani Procancellarius, Conſocer & amicus mihi ſummus. In eo leo viſitur, caudam elevatam geſtans, ſpaciumque totum interius occupans, cum circumſcriptione, HEINRICUS LEO DUX. Nummi iconem ipſam ſubjicio.



* SErvo adhuc illum ex avita hæreditate cariſſimum mihi nummum, Mindæ in Weſtfalia repertum, unicum fere hujus maximi Ducis, qui, inter antiquarios cognitus ſit, parvum licet, tenuem, & una tantum parte, ut tum moris, cuſum. Quamvis autem ſemper genuinum, & ſi non ab ipſo Leone, tamen ab aliis, illo adhuc vivente cuſum judicaverim, fateri tamen cogor, à doctiſſimis & harum patriarumque antiquitatum peritiſſimis viris, qui inſpexerunt, manibuſque ſuis tractarunt, eum aliquando habitum ſuſpectum ex inſcriptione, quorum rationes

nes

nise adhuc ſuberat, propter fidem in bellis præſtitam, eodem donavit inſigni, referente Georgio Spormacher in Chron. Lunenſi MS. quod eſt apud *Ditmarum Mulberum* Termonienſem, antiquitatis patriæ indagatorem ſolertiſſimum. Utraque urbs etiamnum hodie in ſigillo publico Saxonicum iſtum leonem uſurpat. Solemne autem fuit olim magnis principibus, ut urbibus & opidis à ſe vel conditis, vel inſtauratis (ne cives originis ſuæ acceptorumque beneficiorum memoriam facilè ex oculis deponerent) eadem inſignia, quibus ipſi gauderent, vel integra vel ex parte tribuerent. Nec dubium, quin urbs Brunſuiga, Ducum Saxoniæ, & qui ab illis originem trahunt, principum Brunſuicenſium, peculium ac patrimonium hereditarium, ab eodem Henrico Leone (cujus operâ ac ſumptu urbs & amplificata eſt & munita) minimè verò gentium ab Alberto Cæſare rubentem ſuum leonem acceperit. Liquidò igitur affirmaverim, avita Leonis inſignia fuiſſe leonem, quocunque fuerit colore: & ab eo inſigni cognomentum Leonis profluxiſſe: quemadmodum etiam ab urſo gentilitio Albertus Urſus cognominatus. Videtur conſuetudinem iſtam indicare Gobelinus ætatis VI. cap. XXIII. inquiens: *Ab antiquo nomina* (cognomina vult dicere) *principum cum nominibus armorum concordabant.* Nepos Henrici Leonis Otto Puer, & Albertus Pinguis Abnepos, vetus hoc inſigne majorum iterum uſurparunt, item Magnus Alberti filius, quorum ſigilla aliquoties vidi, ſolum leonem habentia. De Alberto Henrici Mirabilis nepote dixi ſuprà ex Spangenbergio, quod equum ſalientem in clypeo geſſerit. Cæterum in inſigniis mutandis magnam ſibi olim libertatem permiſiſſe principes in confeſſo eſt. Sic conſtat, Principes, Comites & Dynaſtas per Belgium & vicina loca, cum bello ſacro nomen dediſſent, uniformia leonis inſignia ſibi ſumſiſſe: ſic ut Geldrus binos, Batavus, Selandus, Flander, Juliacenſis, Montenſis, Jeverenſis, Brederodius, Culenburgius, Blankenhemius, Naſſovius, Dynaſtæ, aliique plures, unum ſibi leonem eligerent: quæ inſignia poſteri minimè mutarunt. Teſtis eſt Abrahamus Ortelius in Theatro orbis terrar. in deſcript. Flandr. ubi ait: *Flandriæ inſigne eſt niger Leo in campo aureo; quem una cum cæteris Belgicis Principibus, qui ſimul cum Philippo Elſatio in Syriam expeditionem parabant, pro inſigni ſumſiſſe creditur. Eo enim tempore hi Principes, qui erant Flander, Levanienſis, Hollandus, Lucemburgius, Limburgius, Brabantus, Zelandus, Friſius, Hannonius &c. mutatis priſtinis inſignibus, Leones, coloribus inter ſe differentes, ſibi cepere.* Teſtis item Jac. Mejerus Annal. Flandr. pag. 52. *Anno* inquit, MCLXXIIX. *Philippus Comes Flandriæ ſolvens è Syria Conſtantinopolim, conceſſit ad Manuelem Græcorum Auguſtum, rediitq; inde terreſtri fere itinere domum, menſe, ut quidam annotant, Octobri. Inſignia autem nigri Leonis quidam hac peregrinatione de Nobilionte, Abilioneorum regulo, pars de Saracenis ante Mediolanum, neſcio quo tempore, per Philippum capta putant. Alii vero, quod propius vero ſit, concordi aſſenſu à Principibus Belgarum parantibus expeditionem in Syriam, variorum colorum Leones aſſumptos eſſe volunt, relictis veteribus inſignibus.* Hæc illi. Uſu etiam interdum venit, ut qui ab aliis victi eſſent, abdicare inſignia ſua cogerentur: quâ de re libet ſubjicere locum ex Chronico rythmico MS. in quo Poëta de Alberto Magno, Duce Brunſuicenſi, belligerante cum Ottone nobili Domino Hadmerslebii, ſic loquitur:

Hetteburne her gewan
Sine Borch / und vinc wol drizzig Man
Daruſſe / Ritter und Knapen /
Und theilten jr Wapen.
De ſine ſo man pliget
Sua ein dem andere oberſiget /
Das her auch an ſin Wapen ſtiget.

Sed hæc per excurſum, redeamus igitur unde degreſſi ſumus.

Connupta fuit cum Ottone, ut diximus, Joanna, Caroli Sanzaterei Ducis Calabriæ, filia: quam avus Robertus Siciliæ Rex & Calabriæ Dux, quòd filiis careret, heredem omnium ſuarum ditionum inſtituit. Hæc quartum matrimonium iniit cum Ottone Brunſuigio, eam ob cauſſam ut virtute illius & auctoritate, quâ per univerſam Italiam Galliamque pollebat, regna ſua contra æmulos tueretur. Gobelinus cap. LXXVI. nominat *Siciliæ Reginam, Pro-*

Digitized by Google

vinciæ & Pedemontis Comitiſſam. Provinciæ imperaſſe Joannam ex Niemio lib. I. cap. IIX. & XXV. manifeſtum eſt. Vixit cum Ottone concorditer, modisque omnibus conata eſt, regna ſua hereditaria eidem conciliare. Cujus rei cauſsâ Urbano Pontifici recens electo omne genus benevolentiæ exhibuit, magnâque vi argenti aurique nec non annonâ copioſâ, liberaliter donavit. Quod cùm fruſtra factum animadverteret, ingrato homini iraſcens, quantumvis invito & diſſuadente marito, partibus Clementis VII. anti-Papæ ſe conjunxit. Quapropter & cenſura Eccleſiaſticâ notata, & regnis ab Urbano per decretum privata eſt. Eam injuriam ut ulciſceretur, quemque Pontifex Siculis regem dare conſtituerat, excluderet, cum Clemente Anti-Papâ in Gallias profecta, ibique perhonorificè excepta, *Ludovicum*, Joannis Andegavenſium Ducis F. heredem dixit: ut nempe ab obitu ſuo in Siciliâ & Neapoli ille regnaret: quo facto rediit in Italiam. Capto autem, ut meminimus, per inſidias marito, ipſa exſpes planè Caroli Dyrrachini colloquium petivit: quo impetrato, poſt exhibitum rege dignum honorem, ſic eum affata fertur: *Hactenus te filii loco habui: nunc verò, quoniam ita viſum eſt Deo, ut te dominum agnoſcam, me tibi, atque maritum meum commendo.* Cui ille contra: *Et ego,* inquit, *te ut matrem ſemper hactenus amavi, & deinceps eodem amore te proſequar, & tui ipſius honoris atq; Ottonis mariti rationem habebo.* Verba ſunt Collenutii à me retenta. Sed nihil horum, quæ prolixè policitus eſt, Carolus præſtitit. Regina abducta eſt in carcerem, neque pòſt viſa. Niemius à quatuor ſatellitibus Hungaris ſtrangulatam ſcribit: & quidem in loco ſacro cùm precibus ad Deum fundendis vacaret: cap. XXV. Bergomenſis addit juſſu Urbani P. P. id factum. Gobelinus refert fuiſſe, qui affirmarint inediâ voluntariâ periiſſe. Felinus Sandeus de regib. Siciliæ & Apuliæ cap. XX. pulvillo ori ſuperinjecto ad mortem compulſam ſcribit.

Prudentiam & *virtutem* ejus à multis ſcriptoribus celebratam fuiſſe, præſertim à *Baldo* & *Angelo* fratribus Juriſconſultis, annotavit Collenutius. Poggius lib. de varietate fortunæ humanæ, ait eam regnum tenuiſſe ſumma pace ſupra prudentiam muliebrem, adeo ut nullo unquam tempore floruerit ſub rege magis. Auctor Supplementi Chronicorum Jacobus Philippus Bergomas lib. XIII. multus eſt in Joannæ laudibus, cujus verba ut inſeram cauſſas habeo. *Joanna,* inquit, *Caroli Calabriæ Ducis filia fuit, & Roberti regis ex primogenito ſuo neptis, non modò origine & potentiâ ac moribus, ſed & robuſtiſſimo invictoq; animo illuſtriſsima fœmina fuit: & tam prudens & occultata in omnibus extitit, ut potiùs fraude, quam ullo ingenio quis eam decipere potuiſſet. Hæc enim longanimis & conſtans admodum fuit, quod ſatis monſtravere in eâ ſævientis fortunæ inſultus, in quibus certè ſæpe multum agitata fuit. Nam imprimis pertulit auſteros conjugum mores, & ſiniſtram famam, ac Pontificum minas, ac inteſtina regulorum fratrum diſſidia, & plurima extera bella, atq; alieni criminis fugam: nec non nobilium ſuorum detractiones, & alia plurima: quæ omnia forti pertulit pectore, & tamen omnia invicto ſuperavit pectore & animo. Et demum diademate & regno in pace adeptis, ſtatim virtute validâ inſurgens adeo regnum omne ſceleſtorum hominum purgavit inſultu, ut non ſolùm inopes, ſed & divites & opulenti die noctuq;, quo velint, ire tutò poſſent; & quod majus, etiam inſignes viros, moribus diſſolutos & incompoſitos, ad urbanos traxit mores. Erat enim illi mite eloquium* & *graviſsima facundia, atque familiaris humanitas, pietas & manſuetudo, nec non & maxima benignitas: ut non Reginam quis eam diceret, ſed ſociam. Ex quibus virtutibus omnes illam, non ſolùm egregiam atq; conſpicuam, ſed* SINGULARE ITALICUM DECUS QUOAD VIXIT FUISSE *dixerunt.* Hactenus Bergomenſis, teſtis incorruptus & integer: ut inconſideratè ab inſigni quodam noſtræ ætatis hiſtorico, cujus nomini parco, flagitioſa mulier appelletur, quæ multarum virtutum eo in ſexu ſpectamen fuit nobiliſſimum. Quis verò hujusmodi heroinæ fortiſſimi Germanici ſanguinis principis thalamum inviderit? quis non ab Æneâ Trojano hoſpitem ſuam Didonem affante illud mutuari & noſtram hanc viraginem Joannem compellare velit?

——————quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?

Inventus tamen eſt, qui convicium ei dixerit, cauſſidicus, ſive rabula Neapolitanus, cui facetias inaniter ſectanti, contra reverentiam magiſtratui legitimo debitam, pro *Regina Ruinam* appellare libuit.

Nata ex Ottonis & Joannæ matrimonio in Chronico Saxonico veteri ſcribitur *Helena,*

Digitized by Google

lena, altera conjunx *Joannis*, ſive Iani, ex familiâ *Luſinanâ*, ſive *Luſignianâ*, regis *Cyprii*: quod tamen pro certo affirmare equidem nolim. Etenim Carolus Joannæ pater obiit A.C. MCCCXXVIII. duas poſt ſe relinquens filias, Joannam & Margaritam: tertia Maria fuit poſtuma. Si igitur Joanna primogenita fuit, neceſſe eſt natam fuiſſe A. C. MCCCXXVI. nupſit autem Ottoni A. C. MCCCLXXVI. ut Collenutius: quo tempore fuit annorum circiter L. Id ipſum etiam non diſſimulat Gobelinus, innuens Joannam A. C. MCCCLXXVIII. quo coronam accepit Papa Urbanus, annos ſterilitatis attigiſſe: fuit autem is matrimonii ſecundus: Gobelinum ſequitur Crancius Metrop. lib. X. cap XV. Sed de hac re liberum eſto cuique judicium.

Plura de Ottone proferre non poſſumus: vitam & res ejus præclarè geſtas diligenter conſignatas conſervatasque etiamnum legi poſſe, optandum eſſet. Eſt verò in illo principe illuſtre exemplum inſtabilitatis rerum humanarum, ſuique ordinis & conditionis hominibus documentum præbet, veriſſimum eſſe illud Poëtæ,

——— *dicique beatus*
Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.

Cùm enim domi ſplendidâ familiâ natus, foris continuâ in rebus magnis gerendis proſperitate inſignem famam & exiſtimationem ſibi comparaſſet, hujusque ergò ampliſſimas poſſeſſiones, puta Ducatum & dynaſtias: præterea regiam conjugem cum ſpe florentiſſimorum regnorum arridente nimiùm fortunâ conſecutus eſſet: inexſpectatâ rerum omnium converſione factum eſt, ut ſub poſtremum vitæ longinquæ actum, conjurantibus quaſi inter ſe, pariterque deſævientibus, hinc inopinatâ ſubditorum perfidiâ, illinc extremâ alumnorum ingratitudine: non tantum conjuge immaniter jugulatâ, principatuque virtute parto per ſummam injuriam orbatus, verùm etiam à ſuperbo victore in ignominioſum carcerem detruſus ſit. Quæ quidem ille omnia moderate tulit, Deo ultori vindictam committens: à quo ſanè non eſt diu dilata: Carolo rege paulò pòſt ab Hungaris crudeliter obtruncato: Neapolitanis nullo non injuriarum genere afflictis. Quâ verò fortunâ Urbanus ab hoc tempore uſus fuerit, quamque miſerè perierit, aliunde peti poteſt.

Balthaſar Ottonem fratrem in Italiam euntem comitatus, eccleſiæ Romanæ cum ipſo contra Galeacium & Barnabam, Vice-comites Mediolanenſes, militavit multis annis. Quibus ambo non pauca fortitudinis & virtutis exempla ediderunt, profligatis multoties tyrannis iſtis, ereptisque ex eorum manibus urbe inſigni Vercellenſi, ac præterea arcibus, ſive præſidiis circiter XL. quæ ad poſſeſſores ſuos redire benignè paſſi ſunt. Capto per inſidias Ottone, cæſisque, qui cum eo erant, Balthaſar tunc quidem periculum evaſit, ſed non multo poſt interceptus, & ad Carolum regem deductus juſſu ejus, immani ad poſteritatem exemplo, oculis orbatus eſt, & quidem publico in foro, eo nimirum in loco, ubi ante annos aliquot de mandato ſanguinarii hominis Caroli I. regis Siciliæ, à Clemente IV. Papâ ad ſceleratum illud facinus perpetrandum furioſè animati, *Conradinus*, Conradi IV. Cæſaris filius, Friderici II. nepos, totius anni carcere prius maceratus, capite plexus eſt. Iſtius Caroli primi, quem *Petrus* Rex Arragoniæ *Nerone Neroniorem & Saracenis crudeliorem* dixit, abnepos fuit hic Dyrrachinus nihil illo melior mitiorve. Cladem Balthaſaris, quam dixi, refert Niemius de ſchiſmate lib. I. cap. XXIII. Henningeſius & alii volunt à Sigismundo Imp. fame necatum: ſed non video, quid cauſſæ fuerit Imperatori iſti, aliàs ab immanitate alieno, in Germanici ſanguinis principem, & quidem canis & annis inſignem, (nam ſeptuagenario majorem fuiſſe, eſt cur affirmem) tam atrociter deſæviendi: remitto igitur aſſertionem iſtam ad ſuos auctores. Conjugium Balthaſari annotavit Niemius dicto loco: quòd nimirum duxerit unicam filiam *Honorati* Comitis Fundorum, præſidis eccleſiæ Romanæ in Campaniâ. Eidem ſcriptori nominatur *decorus, fortiſſimus, & ſtrenuus miles*: neque plura de eo inveni.

Melchior ſacris deſtinatus pervenit ad dignitatem Epiſcopalem in primâ antiquæ Saxoniæ eccleſiâ *Oſnaburga*: non quidem electus à Capitulo, ſed à Pontificè eò miſſus. Crediderim tum temporis in curiâ Papali eum hæſiſſe: vel ſaltem operâ fratrum, pro eccleſiâ Romanâ dimicantium, à Pontifice gratiam iſtam impetratam. Fuit ordine XXXIIX. Epiſcopus. Quo verò anno præſulatum inierit certò affirmare non poſſum, cùm Chronologia ſit perturbatior, ſcriptoribus inter ſe diſſidentibus.

Digitized by Google

bus. Joannes ejus anteceſſor ab Ertwino Ertmano ſcribitur defunctus A. C. MCCCLXVI. cui ſi ſtatim ſucceſſit Melchior, ac Oſnaburgenſibus uſque ad A. MCCCLXXVI. præfuit, ut Crancius Metropol. lib. X. cap. XXIV. & Ertwinus teſtantur, decennium in iſta diœceſi conſumſit. Introductus eſt in Epiſcopatum per *Florentium Wevelinchovium* Epiſcopum Monaſterienſem ſplendide, talique principe digno comitatu: verùm arces & opida in alterius erant manu. Is erat *Theodoricus, Comes Marcanus*, eccleſiæ Colonienſis Canonicus poſtea Præpoſitus, nuper *Joanni* Epiſcopo Oſnaburgenſi ſegniter rem agenti à capitulo adjutor datus. Cui cum pro impenſis, quas feciſſe docebat, ſatisfactum eſſet, meliorque fortuna loci ſperaretur, cœpit Epiſcopus bona diœceſis licentius juſto diſſipare, traditis pignori vicinis Dynaſtis præfecturis, *Vördanâ, Hunteburgiâ* & *Gronenbergiâ*: poſtremò etiam *Iburgo* ſede Epiſcopali. Neque hoc contentus, cœpit inimicitias alere cum *Joanne* & *Gerhardo*, Comitibus *Hoienſibus*, fratribus germanis, à quibus bello petitus, quòd vel improvidè rem ageret, vel à ſuis malitioſè deſereretur, in manus hoſtium pervenit, abductus in arcem *Hojam*. Ordines diœceſis diligenter egerunt de ejus liberatione, ſed difficilis erat Comes Gerhardus, qui niſi XII. millia florenorum pro damno accepto ſolverentur, captivum non dimiſſurum conſtanter affirmabat. Quo nuncio ad Melchiorem Epiſcopum delato, ipſe de ſuâ tenuitate multùm locutus, ſuaſit Theodoricum Marcanum revocandum, eique adminiſtrationem diœceſis demandandam, iſtâ conditione, ut Hoienſi Comiti λύτρον perſolveret: Tecleburgio, cui obligatum erat pignori Iburgum, ſatisfaceret, ac deinceps vicario nomine rempublicam gubernaret. Etſi autem annueret Theodorus Marcanus, erant tamen malevoli, qui plus ſtudentes commodis Tecleburgii, quàm Epiſcopi vel diœceſis, negocio moram injiciebant. Unde factum, ut & in captivitate permaneret Epiſcopus æquo diutius, & diœceſis defenſore carens continuis injuriis ac maleficiis divexaretur. Cujus mali cum aliud remedium non inveniretur, itum eſt ad prius, revocatusque Marcanus omnium conſenſu, tàm Epiſcopi, quàm ordinum diœceſis. In eas autem convenit conditiones: Marcanus, qui majore cum commodo, quàm Epiſcopus Melchior, diœceſi præeſſe poſſet, onus gubernationis in ſe reciperet, ac tàm eccleſiaſtica, quàm politica negocia procuraret, idque proximis XII. annis. Tantum etiam æris dependeret, quantum liberando ex vinculis Epiſcopo, ac repignerando Iburgo ſufficeret. Acta ſunt hæc A. C. MCCCLXXIII. menſe Januario, nomine Epiſcopi verba faciente heroë magnanimo & facundo Chriſtiano Comite Delmenhorſtano: præſentibus Gerhardo Comite Hojano, Widechindo Dynaſtâ Bergenſi, aliiſque ex ordine equeſtri perſonis honoratis. Hoc modo liberatus Epiſcopus, poſt ſuum ad urbem Oſnaburgam reditum, in domo capitulari, quam vocant, eadem pacta conventa palàm rata habuit tabuliſque confirmavit, ordinibus diœceſis, ut Marcanum deſignatum gubernatorem agnoſcerent venerarenturque, fide datâ obligatis: reſervatâ tamen ſibi, unde honeſtè cum ſuis viveret, penſione annuâ. Cæterum non multo pòſt Melchiorem facti pœnituit: profectusque ad curiam Romanam Theodoricum Marcanum, aliosque nonnullos, tam eccleſiaſticos, quàm ſeculares, ut vocant, citari à Papâ curavit: ſed illi ſive vera, ſive veriſimilia, prætexentes, domi manſere. Oſnaburgenſes autem capitulares, quæcunque eos cauſſa impulerit, A. C. MCCCLXXVI. elegere ſibi alium Pontificem, *Theodoricum*, videlicet, *de Horne*, Præpoſitum Collegii, cui ceſſit Marcanus. Biennio poſt Melchior expiſcopus Oſnaburgenſis à Gregorio XI. *Suerinenſi* eccleſiæ præfectus eſt: verùm inauſpicatò, quod eventus docuit. Cùm enim tribus ſaltem annis ibi præfuiſſet, mulſum veneno infectum à miniſtris Roſtochii propinatum ei ferunt: quo viſcera acriter inflammante, cùm nequicquam fraga fortuitò oblata ad calorem reprimendum avidè ori ingeſſiſſet, intumeſcente alvo crepuit medius, animamque miſerè efflavit A. C. MCCCLXXXI. quo eodem fratres Otto in vincula conjectus, Balthaſar exoculatus eſt.

HER-

Digitized by Google

HERMANNI DE LERBEKE
Monachi Dominicani Domus S. Pauli
Mindenſis

CHRONICON COMITUM SCHAVVENBVRGENSIVM

è MSto erutum & notis illuſtratum
ab
HENRICO MEIBOMIO

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior
LECTORI S.

ANNO ſeculi hujus vigeſimo Avus meus aliquot ſcriptores, è MStis erutos, ſimul publicavit Francofurti Typis Eraſmi Kempferi, ſcilicet *Hermanni de Lerbeke Chronicon Comitum Schavvenburgenſium*, *Anonymi Chronicon Mindenſe*, in quo mentio crebra de Comitum Schavvenburgenſium rebus geſtis: *Lippiflorium*, ſive *M. Juſtini Lippienſis poema* de primordiis Comitatus Lippienſis & rebus geſtis Comitum Lippienſium, domui Schavvenburgenſi arctiſſima affinitate conjunctorum; *Henrici Aquilonipolenſis de Hiſtoria Comitum Theorosburgenſium vel Schomburgenſium & civitatis Hamburgenſis, deque primordiis urbis Lubecenſis poematia*, eaque inſcripſit illuſtriſſimo Principi ac Domino Dn. Erneſto Comiti Holſatiæ, Schauemburgi &c. inque epiſtola præmiſſa ſui inſtitui rationem reddit. Verum illa antiqua & illuſtriſſima familia anno ſeculi hujus quadrageſimo extincta eſt in Ottone, terræque illius cum ad Regem Daniæ & Holſatiæ Ducem, Brunſvicenſiumque & Lynæburgenſium Duces, comitemque Lippienſem, tum præſertim ad Landgravios Haſſiæ pervenerunt. Non minus tamen Chronicon hoc Lerbecii æſtimari à peritis, & cum reliquis in pretio haberi cæpit, unde exemplaribus jam diſtractis digna cenſui quæ ſimul quoque in hoc Rerum Germanicarum Tomo comparerent. Meminit *Lerbecii* hujus *I. G. Voſſius* de Hiſtoricis Latinis ſub Ruperto Imperatore, ſcribitque incipere ab anno CIƆVI. hiſtoriam ſuam à primo Schavvenburgenſi Comite Adolpho qui deceſſerit an. CIƆXLII. ac deſinere in Ottone Schaumburgenſi, quem fatis conceſſiſſe narret an. CIƆCCCCXIV. *Iohannes Hallervordius*, qui Spicilegium de Hiſtoricis Latinis ſcripſit, notat Lerbekium ab Adolpho I. Comite, ſive An. 1030. ad annum usque 1404. quo Otto Comes fato ceſſit, Chronicon ſuum perduxiſſe. Ex qua ſententiarum diverſitate extricare ſe nequit, qui Lerbekium nunquam vidit, *Sandius ad Voſſium*. Verum inſpecto ipſo libro patet, Voſſiana illa non rectè ſe habere, ſive ipſius Viri Cl. error, ſive typothetæ interceſſerit, Hallervordium autem ex ipſo libro lecto vera retuliſſe. Henningeſii vero auctoritas, adducta

Digitized by Google

ducta à *Sandio*, nec aliàs magna eſt, & contra Lerbekium nullius ponderis, qui ſub finem Chronici tam clare memorat Ottonis Comitis mortem, locum ſepulturæ, diem mortis & annum. Vixit vero Lerbekius circa illa ipſa tempora, & *aulam comitis Schaumburgici viſitavit & ſecutus eſt.* Scripſit ſimplici ſtylo, bona tamen fide, ſcilicet quæ vel ipſe vidit & audivit in aula, vel ex documentis certis habuit, uti alicubi refert, *ſe ex Eccleſiæ Mindenſis privilegiis colligentem abbreviaſſe*, & in prologo notat, ſe res geſtas Comitum redegiſſe in ordinem, partim *ex Chronica Slavorum* (Helmoldi ſcilicet) *partim ex ſingulari & gratioſo privilegio Friſonum: deinde etiam ex privilegiis & Chronicis ac Hiſtoriis quorundam monaſteriorum diœceſis Mindenſis non ſine difficultate ac magno labore.* Neque tamen illum veritatem ſemper aſſecutum dixerim, aut non aliquando ſuppoſititiis, quale eſt Friſonum illud privilegium, monumentis deceptum. Sunt in illo pleraque, ſi non accurata, bona ſaltem & vera, quædam interim admixta falſa; quod jam tum alii obſervarunt. *Cl. Conringius* l. 3. de fin. c. 16. allegat *Lerbekium*, dein addit: *Auctor tamen, quod fatemur, minus ſecuræ fidei:* quamvis, quæ ille ibidem ex Lerbekio adducit, conſentanea tamen plane ſint iis, quæ alii hiſtorici ſcribunt, imo quæ de pugnæ Bornhovedanæ anno narrat, ſecus ac alii, magis veroſimilia videri moneat *Conringius.* Similiter Cl. *Petrus Lambecius*, cum errorem quendam *Lerbecii* notaſſet ita pergit: *Illud quoque notandum videtur Hermanni Lerbeccenſis Chronicon SchaWenburgenſe egregia quidem multa continere, ſed paſſim quoque mutilum eſſe & corruptum, innumeriſque mendis & erroribus, imprimis quod ſupputationem temporum attinet, ſcatere. Quod quidem propterea moneo, ne quis miretur, me unius ejuſdem ſcriptoris auctoritatem, alibi quidem ſequi, alibi autem rejicere.* In quo magni viri judicio, quod extat *Rerum Hamburgenſ. t.* 2. p. 146. ego etiam acquieſco, & deſino.

ILLUS-

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. ERNESTO, COMITI HOLSATIÆ, SCHAWENBVRGI, ET STERNBERGÆ,

DOMINO in Gehmen &c. Principi meo clementiſſimo,

S. D.

HERMANNUM Lerbecium, familiæ Dominicanæ in æde San Paullinâ apud Mindenſes monachum, qui ante annos ducentos majorum tuorum, Princeps celſiſſime, origines & res geſtas perſcribere aggreſſus eſt, in lucem editurus, operæ-precium facturum me putavi, ſi auctori brevi & interdum obſcuro, notas nonnullas apponerem, quibus illuſtratus lectori aliqua ſui parte commendatior redderetur. Utinam verò Lerbecius majore eſſet uſus induſtria, aut in melius incidiſſet ſeculum: nam quo ille vixit tempore, omnia tam pietatis, quam humanitatis ſtudia, terra erant oppreſſa barbarie. Ne autem Lerbecius ſolus in aſpectum hominum veniret, placuit ei adjungere poema Juſtini Lippienſis, qui auctor origines inclytorum Comitum Lippienſium, & cumprimis Bernhardi Comitis, ex milite fortiſſimo monachi religioſiſſimi vitam nobis reliquit. At quis ille ſcriptor? Vixit ante hos trecentos & ſexaginta præter propter annos, ſub Simone ejus nominis primo Epiſcopo Paderbornenſi, quem ex illuſtri familia Comitum Lippienſium natum alii ineptè Schartenbergium dynaſtam faciunt. Huic principi poema ſuum inſcripſit Juſtinus, poema inquam, quod, ſi tempora iſta cogites, ſine admi-

admiratione vix legas. Unicum Guntherum noſtratem, qui ultra ævum illud & gentem, (ut amicus noſter Freherus de eo judicat) excipio, in reliquis qui à Friderici Barbaroſſæ ſæculo usque ad renatas avorum memoria literas in Poetis nomen habere voluerunt, palmam juſtè Juſtino dederimus. Cogitavi non ſemel de eo edendo, ſed occaſio defuit, quam hoc tempore editio Lerbecii aperire viſa eſt. Quis enim neſcit inter perilluſtres domus Holſato-Schavenburgicam & Lippienſem initas toties affinitates? Neque alia cauſa eſt, cur Chronicon Mindenſe his auctoribus copularim. Vicinitas, crediti magiſtratus, recteque adminiſtrati, & fœdera religioſe utrinque icta & ſervata, fecere ut frequens in his annalibus Heroum Holſato-Schavvenburgiorum mentio. Hæc triga hiſtorica hactenus apud me delituit, nunc, quod bene vortat, Tuæ Excelſitatis auſpicio, Princeps inclytiſſime, lucem viſura: edocta enim Tua Excelſitas à nobiliſſimo Goldaſto de Lerbecio in Bibliotheca mea latitante, internuncio eodem Goldaſto, clementer editionem Lerbecii mihi demandavit. Accipe igitur, Celſiſſime Princeps, à veteri Excelſitatis tuæ cliente Meibomio ſcriptorem veſtræ familiæ debitum, & ipſius Comites ab eadem domo non alienos. Accipe, inquam, illum ea comitate, quam ego anno elapſo in admodum illuſtri planeque regia arce Buckenburgica expertus ſum, nempe clementer exceptus, perbenigne habitus, & tandem non indonatus dimiſſus. Supremus Magiſtratus cuſtos Tuam Excelſitatem ad familiæ ſuæ ſplendorem natam feliciter longumque vivere & valere faciat. Dabam Helmæſtadi 3. Martii, Anno 1619.

Tuæ Illuſtriſſimæ Excelſitatis
cliens humilimus

Henricus Meibomius
Acad. Juliæ Profeſſor.

Prolo-

Digitized by Google

Prologus,

IN CHRONICAM COMECIÆ DE SCHOVENBORG.

Venerabilibus & Nobilitate præditis, Domino Bernhardo Hamborgenſi Præpoſito, & Domino Ottoni in Schovvenborg, Comiti magnifico, ſuo Germano, in Virginis filio, ſibi amantiſſimis.

FRATER Hermannus de Lerbeke, domus S. Pauli in Minda inter Fratres prædicatores minimus, ſe totum & quicquid peccatores apud Altisſimum.

Cogitanti mihi frequentius, & corde ſollicito revoluenti, quidnam Dominis & in Chriſto carisſimis offerrem, cum aurum & argentum mihi cum beato Petro non ſit, idipſum tamen, quod poſſibilitas & exilitas mea offerre ſufficit, Dei gratia auxiliante, & aliquorum confiſa orationibus, donetur. Antiquorum enim ſtudiis rationem imitandis ut quicquid in geſtis, præcipuè Eccleſiaſtico dogmati congruis, & minus perfectum fuerit inventum, debemus, vel pro poſſe ſupplere, vel certe ſuppleri optare. Igitur ut non omnino vacuus & ingratus inveniar, offero cum muliere vidua & paupercula duo minuta, oſtendens quantus mihi ſit affectus, non tantum erga veſtram innatam vobis Nobilitatem: Immò veſtros beatæ memoriæ progenitores, qui rectè velut Jacob terram ſemine replentes, in quo tribus terræ benedicentur, qui regi altiſſimo per omnia placuerunt, fidem Catholicam viriliter defendentes mortem tempora-

 lem

lem ſubierunt, palmam martyrum aureolam promerentes. Alii verò carnem ſuam cum vitiis crucifigentes, mundo abrenunciantes, jugum Chriſti & crucem in religionis conclavi & cubiculo usq; ad finem vitæ ſuæ patienter & cum omni humilitate portaverunt. Ideo ut ſtirpem tam inclitam, tam virtuoſam in lucem proferam, & occaſionem præbeam conſcribendi res geſtas & opera veſtrorum patrum & avorum, in hoc opuſculum redegi ordinem & res geſtas partim ex Chronica Slavorum, partim ex ſingulari & gratioſò privilegio Friſonum: Deinde etiam ex privilegiis & chronicis ac hiſtoriis quorundã Monaſteriorum diœceſis Mindenſis non ſine magna difficultate & cum magno labore: Incipiendo à primo Adolpho Comite Schowenbergenſi, & paulatim deſcendendo usq; ad veſtrum nepotē Ottonē Adolphi filiũ, quatenus nunc veſtrum Chronicon ſcribo, fateor tamen, me multa magnalia per patres veſtros cõmiſſa, & ad decus dominii veſtri pertinentia, non volenter prætermiſiſſe. Directione enim ſufficienti & neceſſaria carens dolens feci, quod penuria librorũ imperabat. Igitur quia hominum memoria brevitate videtur gaudere, & geſta Comitum quaſi infinita ſunt, oportet nos ex multis brevem Chronicam contexere, & in unum colligere. Donec ergo gratiarum dator Jeſus & Dominus noſter in præſenti opuſculo me gratum opus feciſſe & acceptum, ut ipſe Deus ex hoc laudetur, & inclita Progenitorum veſtrorum radix cum ſuo fructu, ſive ſucceſſoribus, paterni mores & actus imitantes dignè ſubſequi mereantur.

Explicit Prologus

Incipit

Digitized by Google

INCIPIT CHRONICA COMITVM DE SCHOWENBERG.

ANNO igitur verbi incarnati MXXX. Imperii Conradi Secundi, anno tertio, Dominium Comitum de Schowenberg habuit initium. Horum progenitores circa ſuæ nobilitatis exordium nobiles de Santersleve, à tempore glorioſi regis Caroli Magni uſque ad tempora Conradi prædicti nominabantur. Anno igitur Conſtantini ſeptimi XXX. olympiadis CCCXCV. cum advenæ Romani mandatis Caroli obedire minimè curarent, & quædam Imperii jura in præjudicium & gravamen ipſius ſibi uſurpaſſent: Carolus fideles Imperii ad reſiſtendum eorum injuriis invocavit. Friſones itaque, tam Orientales, quàm Occidentales, his intellectis, non vocati, ſed ſuo libero arbitrio & voluntate ſpontanea, cum multitudine copioſa virorum ſtrenuorum & agilium & miræ audaciæ, in ſubſidium Caroli venerunt, & cum exercitu ſuo Romam perrexerunt. Cum autem urbi Romæ appropinquare cœpiſſent, mox ab exercitu Caroli ſe ſeparantes, & in Romanos, qui cum exercitu ſuo Carolo per ſuam ſuperbiam occurrebant, potenti virtute irruerunt, & quam pluribus ex utraque parte interfectis, eoſdem tandem vicerunt, & per nobiles Romanos, quos ceperant, Carolo Romam ſubjugarunt. Carolus denique attendens fidele obſequium dictorum Friſonum, quod ſibi & Imperio exhibuerant, nec non eorum probitatem & audaciam, tributum x x. librarum auri, quod ſingulis annis Imperio exhibere conſueverant, in perpetuum remiſit, & à perpetua ſervitute liberavit: Hæc ex dicto privilegio. Inſuper nonnullos ex his Carolus, in quibus plus morum venuſtas, corporis agilitas, & legalitas vigere videbatur, apud ſe retinuit. Perluſtratis itaque terris diverſis, & diverſarum Provinciarum nationibus, complacentiam non modicam in his habere cæperunt. Unde Friſiæ terram reſpuentes, Saxoniæ partes, aliaſque terras occupantes, Imperator eos divitiis & nobilitate remunerans Nobiles effecit. Ex horum virorum nobilium numero, nonnulli partem Saxoniæ in diœceſi Magdeburgenſi ab Imperio cum duabus Eccleſiis curiatis, ſcilicet Santersleve & Scaensleve infeudati, ubi pedem manendi figentes, Nobiles de Santersleve multis temporibus ſunt vocati. Harum itaque Eccleſiarum cæterorumque bonorum collatio adhuc ad Dominium de Schowenberg ſpectat, & pertinet uſque in præſens. Conrado ergo præfato curiam ſolemnem in Minda ferè per biennium tenente, quidam ex his Nobilibus ſuperſtes, nomine Adolphus, his intellectis Mindam properans adiit, & ſe in Mindenſis Epiſcopi Sigiberti notitiam familiariter exhibens, cauſſarum & negotiorum ipſius, tam ſtrenuum, tam fidelem & prudentem executorem in omnibus exhibuit, quod tandem ab Imperio per Epiſcopi Sigiberti promotionem gradum Nobilitatis, ſcilicet Cometiæ, attingere promeruit. Adolphus itaque Comes factus, velut induſtrius futura proſpiciens, generoſitatem erga ſe conſiderans, montem qui olim Mons-Urticarum, ſive Nettelenberg Teutonice, dicebatur, in feudo recipit, Camerarius Epiſcopi per ſucceſſionem perpetuis temporibus factus, caſtrum Schowenborg, quod ſpeculationis caſtrum interpretatur, fundans, relicta Saxonia Orientali ſive Nova, Occidentalem Saxoniam circa partes Weſeræ cœpit inhabitare. Quod quam nobiliter & virtuoſe in cunctis proceſſit, Sclavorum Chronica & quædam hiſtoriæ intuentibus fidem certam præbent & proteſtantur.

Digitized by Google

Anno Domini MCVI. Henricus Quartus Ducatum Saxoniæ dedit Ludero Comiti Saxoniæ, qui deſcenderat de ſemine Wedekindi Regis Angariæ. In diebus illis latrunculi Sclavorum homines & jumenta de Stormaria prope civitatem Hamborg abduxerunt, & Comitem Provinciæ illius Godfridum cum aliquantis civium de Hamborg/ capite Comitis truncato, occiderunt. Cometia igitur Holſatiæ per mortem Godfridi vacante, & fama nobilitatis atque virtutum floribus per terrarum ſpatia circumquaque de Adolpho Comite in Schowenborg volante, Dux Luderus præfatus terram Holſatiæ, Stormariæque Adolpho virtutibus militaribus, & induſtria tunc in partibus occidentalibus ſingulariter ornato, contulit. Attendant hic nonnulli hiſtoriarum notitiæ ignari, Comites in Schowenborg non ex Holſatorum radice deſcendiſſe, cum ipſi potius Holſatiæ Comites de ſtirpe illuſtrium Comitum de Schowenborg pullulantes rectè velut rivus rivulum de fonte limpidiſſimo emanantes proceſſerunt. Ideoque non immerito primi velut patres à filiis & ſuis ſucceſſoribus ſunt præferendi & honorandi.

Adolphus igitur tutor & Dominus Holſatiæ factus, pacem diligens, fecit pacem & amicitiæ ligam cum Henrico Sclavorum Principe. Cœpitque his diebus oriri nova lux, non tam in Saxoniæ finibus, quam in univerſo regno, tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum & ſacerdotium: Sed & Sclavorum populi agebant ea, quæ pacis ſunt: eo quod Henricus Sclavorum regulus Comitem Adolphum & contiguos Nordalbingorum populos cum benevolentia amplexatus fuerit. In diebus illis non erat Eccleſia vel Sacerdos in omni gente Luticiorum, Obotritorum ſive Wagirorum, niſi tantum in urbe Lübeke.

DE SANCTO WISCELINO.

IN illo tempore ſurrexit Sacerdos quidam nomine Wiſcelinus, oriundus de Parochia Mindenſi, oppido Quernhamelen/ quod ſitum eſt in ripa Weſeræ Is paterna domo exemtus divertit in caſtellum nomine Euerſtene/ ubi nobilis Domina mater Conradi Comitis juvenem aliquandiu tenuit, & miſericorditer fovit. Wiſcelinus igitur presbyter factus ad Regem Sclavorum Lübeke venit, rogavitque ſibi facultatem prædicandi verbum Dei infra terminos ſuæ ditionis dari. Qualis autem hic Wiſcelinus & quantæ fuerit opinionis & ſanctitatis Sclavorum Hiſtoria proteſtatur. Igitur mortuo Henrico Rege Sclavorum, & filio ejus Kanuto in urbe Lutelinborg interfecto, Zuentepolch frater Kanuti ſolus Dominio potitur: Convocanſque Dominum Adolphum Comitem cum Holſatis & Stormariis direxit expeditionem in Provinciam Obotritorum, obſeditque urbem Werle & Butine: Quibus ſubactis Zuentepolch & Adolphus ad propria ſunt reverſi. Zuentepolch & filio ejus Suedero apud Erthennenborg interfectis, ſtirps Henrici in principatu Sclavorum defecit.

In diebus illis obiit Comes Adolphus, ſepultuſque apud Inſulam Mindenſem ordinis S. Benedicti ut à Monachis ejuſdem Monaſterii intellexi: Iſtud Monaſterium pervigil Dominici gregis proviſor Sanctus Bruno Mindenſis præſul, ex Marchionum de Brandenborg ſanguine ortus, anno Chriſti MXLII. fundavit, in quo & ſepultus eſt.

Eodem anno ſcilicet Domini MLV. Henricus quartus filius Henrici tertii cœpit, & annis L imperavit. Iſte multis præliis Saxones vexavit, victorioſus in bellis fuit, & tandem regno deturbatus poſt multas & inauditas turbationes, quas à filio ſuo perpeſſus fuerat Leodii moritur, ſtetitque corpus ejus in quadam Capella deſerta quinque annis. Hujus tempore, ſcilicet Anno Domini MLXII. civitas Mindenſis, & Monaſterium S Petri ibidem XI. Kalend. Junii, præſente Imperatore Henrico, per ignem deſtruitur quæ poſt anno decimo renovatur, & per Rodolphum Epiſcopum Sleſuicenſem denuo reconciliatur. Ad cujus inſtaurationem hic Imperator bona Lezingehrn ad petitionem S. Annonis Colonienſis Archiepiſcopi, ob juge & fidele ſervitium Epiſcopi Engelberti Mindenſis largitus eſt: & privilegio ſuper hoc dato ſic inquit: *Curtem noſtram, quæ vocatur* Lezingehrn *in pago Angeri dicto, in Comitatu Ottonis Ducis, ad reſtituendum damnum, quod præfatæ Eccleſiæ, peccatis exigentibus in noſtra præſentia per incendium contigit, cum omnibus appendiciis ſuis, id eſt, utriuſque ſexus mancipiis, areis, ædificiis, lignis & pratis &c. Eccleſiæ Mindenſi tradidimus.*

HAR-

Digitized by Google

HARTUNGUS SECUNDUS COMES.

Adolpho primo mortuo, duo ejus filii, videlicet Hartungus primogenitus, vir militaris, Cometiam habiturus & Adolphus patri ſucceſſerunt. Hujus Hartungi tempore Capella & altare majus in Caſtro Schowenborg in honorem S. Pancratii martyris à Bernhardo Selonenſi Epiſcopo, nobili de Lippia, ſub præſulatu Sigewardi Mindenſis Deo digni Epiſcopi, anno Domini MCXXV. conſecrantur. Hic Sigewardus à parentibus ſuis Nobilibus, & Adolpho ſeniore, ſuo nepote, Monaſterio Sancti Petri in Minda puer oblatus, & tandem per diverſos beneficiorum & dignitatum gradus eccleſiæ paſtor & proviſor in Minda eſt electus. Hic Eccleſiam villanam in Idenhuſen Mindenſis Diœceſis de bonis paternis ſumtuoſe, ut videtur, ubi anno MCXL. quievit & ſepultus eſt, in honorem XI. millium virginum, fundavit.

Anno Domini MCXX. Epiſcopus Witelo Mindenſis Capellam, quæ mirabilis Brock nomen habet in honorem S. crucis, & S. Ægidii abbatis conſecravit. Hæc cum multis bonis à viro nobili nomine mirabilis nomen ſortitur: & bene, fecit enim mirabilia in vita ſua.

In diebus illis Lotharius, qui & Luderus Imperator cum grandi exercitu & expeditione Bohemiam intrans, quorundam Principum ſuorum traditione magnam ſtragem militum ſuorum paſſus eſt, CCXL. occiſis, anno Domini MCXXV. XVIII. menſe Febr. inter quos Hartungus Comes in Schwowenborg ſuccumbens occiſus eſt.

Eodem tempore cœpit ordo militiæ templi ex militibus congregatis in Jeruſalem, ſub Honorio Papa, & Stephano Patriarcha Hieroſolymitano ſub habitu coloris albi, & dicti ſunt Milites templi, quia in porticu templi ſedem ſui ordinis ſtatuerunt, Cruce rubea veſtes ſuas ſignantes, eo quod ſanguinem proprium pro defenſione terræ ſanctæ effundere ſunt profeſſi, & crucis Chriſti inimicos expugnando à finibus Chriſtianorum expellere.

Fuit autem hic ordo ditiſſimus & ſolemnis, quem Philippus pulcer Rex Francorum propter ſuas poſſeſſiones magnas, quas habebant in Francia, anno Chriſti MCCCXII. caſſari & deleri procuravit.

Hartungo Comite mortuo, Adolphus minor adoleſcens acris ingenii, decorus ſpecie, & verus alter Rex Saul in populo Judæorum, ab humeris usque ſurſum ſtatura rectus, literarum ſtudiis præditus, accepit Comeciam, in divinis humaniſque rebus exercitatiſſimus. præter facundiam linguæ Latinæ & Teutonicæ, Sclavicæ etiam nihilominus linguæ gnarus fuit.

Circa idem tempus Kanutus Rex Obotritorum à Magno filio patrui ſui Nicolai crudeliter interfectus eſt. Audito hoc ſiniſtro nuncio Lotharius Imperator non modicum contriſtatus eſt, venitque ad vallum id notiſſimum Denewerck nomine, cum gravi exercitu prope civitatem Sleſwick ulturus mortem funeſtam optimi viri Kanut Regis. Tandem Sleſewicenſes miſerunt nuncios ad Comitem Adolphum offerentes ei C. marcas, ut cum gente Nordalbingorum civitati præſidio foret: Sed & Magnus totidem obtulit, ut à bello abſtineret. Inter hæc Comes Adolphus incertus quid ageret conſuluit majores Provinciæ. Illi conſuluerunt civitati ſubveniendum, eo quod mercibus ejus potirentur. Congregato igitur exercitu Adolphus tranſiit Egdoram fluvium, viſumque fuit ei paullulum ſubſiſtendum, quousque conveniret univerſus exercitus, eundumque in terram hoſtilem diligenti cautione. Sed populus prædarum avidus retineri non potuit, tanta feſtinatione prolapſi ſunt, ut venientibus primis ad ſylvulam Thevel noviſſimi Egdoram fluvium vix attingerent. Audito ergo Magnus Comitis adventu elegit de exercitu mille loricatos, abiitque in occurſum exercitus, qui exierat de Holſatia, & commiſit cum eis prælium, & fugatus eſt Comes, percuſſique populi Nordalbingorum attritione maxima. Comes autem & quotquot fugerant de acie, reverſi per Egdoram ſalvati ſunt. Magnus itaque potitus victoria reverſus eſt ad obſidionem, fruſtrato tamen labore, nam neque hoſte, neque civitate potitus eſt.

In diebus illis Segeberge, quod latine Mons victoriæ, vel victorialis dicitur, dudum à Lothario Imperatore anno Chriſti MCXXXIV. ad ſuggeſtionem Wiſcelini viri

Dei

Digitized by Google

Dei, conſtructum eſt. Hunc montem Kanutus Rex Obotritorum olim occupaverat: ſed miles quidam illic poſitus, immiſſo noctu latrone, annuente Adolpho ſeniore & procurante, captus eſt.

Poſthæc Imperator dedit Ducatum Saxoniæ Henrico genero ſuo Duci Bavariæ. Imperatore tandem immatura morte prævento, fiunt ſeditiones inter Henricum prædictum & Adelbertum Marchionem. Bellabant igitur hi duo Principes, duarum ſororum filii, & commota eſt univerſa terra Saxoniæ. Et quidem Albertus præripiens Caſtrum Lünenborg / Bardewick atque Bremam: ſed & Nordalbingorum fines partibus ejus applicati ſunt. Quamobrem Comes Adolphus Provincia expulſus eſt, eo quod fidem juratam Imperatrici Richſen & genero ſuo temerare noluiſſet. Cometiam ejus Henricus de Bardewick beneficio Adelberti aſſecutus eſt: Sed & Caſtrum Segeberge in cuſtodiam accepit, exturbatis cæteris, quos Cæſar impoſuerat. Poſtquam ergo Henricus gener Lotharii, Ducatum obtinuit, Adolphus rediit in Cometiam ſuam. Videns autem Henricus de Bardewick, quod ſubſiſtere non poſſet, ſuccendit Segeberge, arcemque firmiſſimam Hammenborg / quam Comitis Adolphi mater murato opere conſtruxerat, Henricus fugam meditans demolitus eſt. Domina vero Gertrudis, mater Henrici Leonis, dedit Henrico de Bardewick Wagirenſem provinciam, accepta ab eo pecunia, volens ſuſcitare preſſuras Adolpho Comiti, eo quod non diligeret illum. Poſtquam autem eadem Domina nupſit Henrico fratri Conradi Regis, & alienata eſſet à negotiis Ducatus, acceſſit Adolphus ad Ducem Henricum adhuc tenellum, & conſiliarios ejus acturus cauſſam ſuper Wagirenſi terra, prævaluitque juſtiori cauſſa, & auctiori pecunia. Diſſenſiones ergo, quæ fuerant inter Adolphum & Henricum taliter comparatæ ſunt: ut Adolphus Segeberge & omnium Wagirorum terra potiretur: Henricus in recompenſationem acciperet Raceborg & terram Polaborum. His vero in hunc modum ordinatis, Adolphus cœpit reædificare Segeberge caſtrum, cinxitque id muro. Et quia terra deſerta erat, veluti vir induſtrius & prudens, miſit nuncios in omnes regiones, videlicet Flandriam, Hollandiam, Trajectum, Weſtphaliam & Friſiam, ut quicunque agrorum penuria arctarentur, venirent cum familiis ſuis, accepturi terram optimam, terram uberem, ſpatioſam, fructibus redundantem, piſcibus & carne, & commoda paſcuorum grandia. Dixitque Holſatis & Stormariis: Nonne vos terram Sclavorum ſubegiſtis, & mercati eam eſtis in mortibus fratrum & parentum veſtrorum? Cur ergo noviſſimi venitis ad poſſidendum eam? Eſtote ergo primi, & transmigrate ad terram deſiderabilem, & incolite eam, & participamini delitiis ejus, eo quod vobis debeantur opima ejus, quia tuliſtis eam de manibus inimicorum. Ad hanc vocem ſurrexit innumerabilis multitudo de variis nationibus aſſumtis familiis & facultatibus, venerunt in terram Wagirorum ad Comitem Adolphum poſſidere terram, quam eis policitus fuerat. Et primi quidem Holtſacenſes acceperunt ſedes in locis tutiſſimis ad occidentalem plagam Segeberge, circa flumen Travenam: Campeſtria quoque Swentifelt / & quicquid à rivo Swalenn usque ad Agrimeſen, & lacum Plonenſem extenditur. Dargunenſem pagum Weſtphali, Utinenſem Hollandi: Susle Friſones incoluerunt. Porro Plonenſis adhuc deſertus erat, Aldenborg vero & Lütkenborg / & cæteras terras mari contiguas dedit Sclavis incolendas, factique ſunt ei tributarii.

Poſt hæc Adolphus Comes venit in locum, qui dicitur Bucu, invenitque ibi vallum urbis deſolatæ, quam ædificaverat Cruco tyrannus, & Inſulam ampliſſimam gemina aqua cinctam. Nam ex una parte Travena, ex altera parte Wokenna præterfluit, habens uterque paludoſam & inviam ripam. Ex ea vero parte qua terreſtre iter continuatur, eſt collis contractior vallo caſtri præſtructus. Videns igitur vir induſtrius portum nobilem & competentiam loci, cœpit illic ædificare civitatem, anno Domini MCLVI. vocavitque eam Lübeke / eo quod non longe eſſet à veteri portu & civitate Lübeke / quam Henricus Princeps Slavorum olim conſtruxerat. Transmiſitque nuncios ad Niclotum Principem Obotritorum, componere cum eo amicitias omnes nobiliores donariis ſibi ab eo adſtringens, ut omnes ei obſequi, & terram ejus pacare decertarent, cœperunt igitur inhabitari deſerta Wagirenſis provinciæ, & multiplicabatur numerus incolarum ejus. Poſt lapſum vero temporis propter preces impor-

Digitized by Google

importunas Henrici Leonis in Lüneborg/ quicquid juris in dicta civitate Lübeke Adolphus habuit, ad manus Henrici reſignavit. Fridericus autem Imperator primus Lübeke Henrico potenter eripuit, quam tamen Imperatore mortuo, cum de Anglia, ubi ab eo exulatus fuit, rediiſſet, recepit. Qui poſt cum Henrico VI. congredi non præſumens, ſic ei reconciliatur, quod muros Brunſwick interrupit, Caſtrum Lowenborg/ deſtruxit & civitatem Lübeke Imperio perpetuo retinendam regi præſentavit. Et extunc Lubecenſes facti ſunt Imperiales. Hanc civitatem dictus Henricus Leo ex altare volens, ſedem Epiſcopalem de Aldenborg multis annis inhabitabilem & deſertam anno Domini MCLXIII. tranſtulit anno à fundatione civitatis novæ Lübeke ſeptimo.

Circa hæc tempora beatus Doctor Bernhardus, Clarevallenſis, Teutoniam ingreſſus venit ad celebrem curiam Conradi Imperatoris in Francfenvorde. Aderat illic Adolphus tertius noſſe deſiderans ex operatione divina virtutem viri ſancti. Inter hæc offertur puer cœcus & claudus, cujus debilitatis nulla potuit eſſe dubitatio. Cœpit ergo Comes ſagaciſſimus attentare ſolerter, ſi forte poſſet in hoc puero ſanctitatis ejus experimentum capere. Cujus credulitati veluti divinitus edoctus vir Dei, remedium providens puerum ſanitati in conſpectu omnium Principum plenarie reſtituit. Igitur Adolpho de curia Imperatoris redeunte, Niclotus cœpit ædificare Caſtrum Doblin/ direxitque nuncios ad Comitem Adolphum, rogans ſibi præberi facultatem colloquendi ei, & conſilium participandi. Cumque Comes renueret, directi ſunt nuncii ad Niclotum dicentes, quia Dominus noſter hac vice tibi non loquitur, impedit eum ea quam noſti neceſſitas. Habe ergo adhuc gratiam fidei & ſponſionis tuæ erga Dominum noſtrum, ut ſi videris bella Sclavorum contra eum clam conſurgentia præmoneas eum. Et promiſit hoc Niclotus. Dixit ergo Comes habitatoribus terræ ſuæ: Habete cautelam jumentorum & ſubſtantiarum veſtrarum, ne forte rapiantur à furibus & latronibus. De publico veſtro periculo meum eſt proſpicere, ne qua improviſa exercitus incurſione involvamini. Putabat enim vir ſapiens repentinas bellorum jacturas ſeſe conſilio excluſiſſe: Sed res aliter ceſſerunt: Niclotus denique omnem Wagirorum provinciam percuſſurus, tranſito freto applicat claſſem ad oſtium Travene, transmiſitque veſpere nuncium Segeberge, eo quod promiſiſſet Comiti præmonere eum, ſed ſupervacua legatione, quippe Comes defuit, quia non erat tempus congregandi exercitum. Illuceſcente ergo die, qua Sanctorum Johannis & Pauli paſſio veneranda celebratur, deſcendit navalis Sclavorum exercitus per oſtium Travene contra Lübeke/ naves mercibus onuſtas injecto igne perdiderunt, & die eodem ad trecentos, & eo amplius, viros occiderunt. Quo rumore comperto Sclavi redierunt ad naves & abierunt cum præda ſua in terram Wagirorum. Comes autem Adolphus convulſas reparans amicitias, fecit pacem cum Nicloto, & cum cæteris orientalibus Sclavis. Nec tamen integre credebat eis, eo quod fœdera prima violaſſent, & percuſſiſſent terram ſuam attritione maxima. Cœpitque conſolari populum ſuum, quem vaſtitas hoſtilis pervaſerat, orans ne caſibus adverſis cederent. Modicum igitur effluxit tempus, quo Wagirenſium terræ incolis, de præterita calamitate reſpirare conceſſum eſt, & ecce nova prælia ſurrexerunt ab Aquilone. Occiſo enim Erico Danorum Rege, remanſerunt tria genimina regum, videlicet Sueno, Waldemarus & Kanutus. Nec mora, Kanutus conatus eſt accipere regnum, & movit contra Suenonem prælia multa. Porro Waldemarus partes Suenonis adjuvabat. Certabant ergo uterque Regum adſciſcere ſibi Comitem Adolphum. Miſeruntque nuncios cum donariis, plura offerentes & ampliora promittentes. Complacuitque Comiti ad Kanutum, habitoque colloquio fecit ei homagium. Quod factum zelotus Sueno omnem terram Wagirenſium tranſiit, demolitusque maritima Aldenborg/ & ſuburbium Segeberg ſuccendit, & quæcunque in circuitu ejus erant, flamma vorax abſumſit. Hujus autem mali fuit auctor Ethelerus de Dethmarcia natus, qui divitiis Danorum ſublevatus factus eſt ductor Regis, volebatque Comitem patria expellere, terramque ejus Danorum regno addere. Quod factum cum innotuiſſet Comiti, tranſiit ad Ducem Henricum Leonem, ut protegeretur ab eo nec enim in Holtſacia tuto conſiſtere poterat, eo quod interemiſſet homines Etheleri, qui inſidiabantur vitæ ejus. Præcepit ergo Dux omni populo Holtſatorum, ut ſicubi reperti fuiſſent homines Etheleri, aut renunciarent homagio, aut provincia ſecederent.

rent. Et factum eſt ita: Juravitque omnis populus ſtare ad mandatum Ducis, & obedire Comiti ſuo. Miſit ergo Comes ad Kanutum ſuggerens, ut quantocius cum exercitu veniret, oppreſſurus Suenonem. Videns itaque Ethelerus, quod multiplicata ſunt mala, abiit ad Kanutum in dolo, dataque pecunia Principibus exercitus, ſeduxit adoleſcentiam Kanuti, ut rediret in terram ſuam inſcio Adolpho Comite. His ad libitum peractis, rediit Ethelerus Sleſwick manè pugnaturus cum Comite, & percuſſurus eum repente. Eo veſpero quidam familiarium Comitis erat Sleſwick / qui ſentiens ea, quæ clam operabantur, tranſiit cum feſtinatione lacum, & veniens in Caſtrum dixit ad Comitem: Deceptus es, ô Comes, deceptus atque peſſundatus es. Kanutus enim & exercitus ejus, in quorum auxilium tu veniſti reverſus eſt in terram ſuam, & tu ſolus hic jaces. Comes ergo plusquam credi poteſt admirans impoſturam, ait ad ſuos: quandoquidem in medio myricæ conſiſtimus, & equi noſtri inediam patiuntur, bonum eſt nos tranſire hinc, locumque quærere Caſtris opportunum. Senſit ergo exercitus animum Comitis ſiniſtra legatione concuſſum, moveruntque Caſtra de loco, qui dicitur Köningeolo / verteruntque iter verſus Egdoram. Tanta autem feſtinantia præterlapſi ſunt, ut veniente Comite ad Egdoram fluvium, de quatuor millibus expeditorum vix quadringenti cum eo reperti fuerunt. Quos Comes adhortans ait: Licet fratres & amicos noſtros fugat caſualis timor, mihi tamen utile videtur, nos hic ſubſiſtere, propter cuſtodiam terræ noſtræ, quousque certo cognoſcamus, quid actitent hoſtes noſtri. Statimque miſit nuncios, qui veritatem certius proferrent. Quibus apud Sleſwick comprehenſis, & in vincula conjectis, dixit Ethelerus ad Regem Dominum ſuum: Jam nunc feſtinandum eſt, & eundum cum exercitu, quia facile eſt, ut tradatur Comes iſte deſolatus in manus noſtras. Quo percuſſo tranſibimus terram ejus, & abutemur ea prout libuerit. Et abierunt in manu forti. Comes ergo iratus, quia nuncii juxta placitum non rediiſſent, alios miſit nuncios, qui viſis hoſtibus cum celeritate renunciarunt Comiti. Ille licet intus morderetur ſuorum paucitate, elegit tamen virtutis intuitu confligere, dixitque ad ſocios: En tempus eſt, ô ſocii, quo comperiendum ſit, ubi ſit vir audax, & virtutis continens, qui ruinas patriæ pronus excipere velit. Sæpius quidem mihi à noſtratibus objectum eſt cum inſultatione, quaſi muliebre cor & fugax habuerim, qui bellorum jacturas plus lingua quam manu propulerim. Et hoc quidem non imprudens egi, quoties bella ſine ſanguine caveri poterant. Nunc autem, quia immanius periculum opera manuum indiget, videre jam fas eſt, ſi fœmineus mihi, ut dicitis, inſit animus. Quin potius videbitis, dante Deo, mihi cor ineſſe virile. Animæquior autem ero, ſi veſtra concors manus mecum fuerit: Si in defenſione patriæ mecum parata manu ſteteritis. Hoc enim loco præſidium pugnæ flagitat, & verecundia fugæ & certiſſimum patriæ excidium. Hæc cum peroraſſet Comes, congratulati ſunt ſocii, grandiq juramento ſe obligaverunt, ut ſtarent firmiter pro ſalute ſuimet & patriæ. Præcepitque Comes effringi pontem, poſuitque cuſtodiam in locis, quibus permeabilis erat fluvius. Venit autem nuncius qui diceret hoſtes transduci per villam, quæ dicitur Stuwey. Facta igitur oratione ad Deum, Comes feſtinavit cum his pugnare, qui transducti fuerant, priusquam tranſiret univerſus exercitus. Statim ubi congreſſi ſunt, Comes equo dejectus eſt, & fuerunt ei præſidio duo milites, qui ſublevatum equo reſtituerunt. Et fuit pugna vehemens, & victoria utrique parti ambigua: quousque unus partium Comitis proclamavit, ut poplites equorum, quibus hoſtes inſidebant, fortiter cæderent. Factumque eſt, ut cadentibus equis ſeſſores quoque loricati collaberentur, gladiisque ſociorum communiter percuſſi ſunt: Et Ethelerus cæterique Nobiles, aut occiſi, aut capti ſunt. Quod videns Rex ex altera parte fluminis, & qui cum eo erant, petiit fugam & Sleſwick reverſus eſt. Adolphus ergo clarus reverſus eſt de victoria, habens captivos inſignes, quorum pecuniis debitis ſuis aliquantiſper alleviatus eſt. Habuitque de cætero præcipuam terræ ſuæ diligentiam. Quoties enim motionis aliquid inſonuit, aut de Danis, aut de Sclavis, ſtatim collocavit exercitum in locis oportunis, videlicet Travemundæ, ſive ad Egdoram. Fueruntque parentes mandatis ejus plebes Holtſatorum, Sturmariorum & Marcomannorum. Vocantur autem uſitato nomino Marcomanni plebes undecunque collectæ, quæ Marcam incolunt. Sunt autem in terra Slavorum Marcæ quam plures, quarum

non

Digitized by Google

non infima Wagirenſis eſt Provincia, habens viros fortes, tam Danorum, quam Slavorum ſuper hos omnes functus eſt Comes honore Cometiæ: fecitque juſtitiam populo ſuo compacans diſſidentia, & oppreſſos liberans de manu potentiorum. Clero fuit adprime benevolus, quem nec in facto, nec in verbo paſſus eſt à quoquam injuriari. Multum vero laboris adhibuit in edomandis rebellionibus Holſatorum. Gens enim libera & cervicoſa, gens agreſtis & indomita detrectabat ferre jugum pacis. Sed vicit altior ſenſus viri, & philoſophatus eſt in eis. Multis enim precationibus allexit eos, quousque duceret ſub lorum illos, inquam, indomitos onagros. Poſt hæc reconciliatus eſt Comes Suenoni, Danorum Regi.

Tranſactis aliquibus diebus Henricus Dux abiit in Bavariam, Ducatum ejus accepturus, veniens ergo Wiſcelinus Epiſcopus Lüneborg Epiſcopatum à Duce per virgam ſuſcipiens villamque Buzoe, cum ſua pertinentia Dulzaniza Epiſcopatus, ut ibidem ædificia ad libitum erigat, aſſignans. Rogatque Comitem Adolphum, ut huic donationi præberet aſſenſum. Cui reſpondit Comes: Ex quo Dominus meus Dux flexus eſt ad pietatem, decet nos voluntati ſuæ occurrere, & pro poſſe noſtro ſuffragari. Poſſeſſionem, quam Dominus meus promiſit Epiſcopo, & ego promitto. Inſuper cedo de medietate decimarum, ut cedant in uſus Epiſcopi, non ex debito, ſed ex gratia. Commiſit ergo Dux cuſtodiam terræ Nordalbingorum & Sclavorum Adolpho Comiti, & Bavariam profectus eſt. Fuitque Comes clariſſimus in domo Ducis, & officioſus in obſequio Ductricis, paterque conſilii. Quamobrem venerabantur eum Principes Sclavorum, maxime vero Reges Danorum, qui laborantes bello inteſtino certabant eum prævenire muneribus. Kanutus tandem ab exercitu ſuo fuga prolapſus fuit in Saxoniam. Cui crebrò per fines Holtſatorum itineranti, Adolphus beneficus extitit, præbens conductum, cæteraque humanitatis beneficia, immemor ex probitate infidelitatis, quam ſibi in obſidione civitatis Sleſwick ab eo recedens exhibuerat. Igitur Friderico Imperatore Curiam apud Merſeborg anno MCLII. celebrante, Reges Daniæ Sueno & Kanutus concordantur. His duobus occiſis, Woldemarus ſolus horum germanus, regno potitus, duos filios genuit Kanutum & Woldemarum. Hic Kanutus patre mortuo in ſuperbiam elevatur cum fratre ſuo Holtſatiam intrantes, uſque ad Egdoram pervenerunt. Quibus Adolphus & Hartwicus Bremenſis Epiſcopus, & Otto Brandeburgenſis ex altera parte occurrentes, Danos in fugam verterunt. Woldemarus hujus frater poſtea iterum in Holtſatiam hoſtiliter reverſus eſt, quem Adolphus, ne majora incommoda ſequerentur, placare volens, Caſtrum Reinoldenborg ſub ſpe deponendi Woldemaro præſentat. Comes autem in promiſſo deceptus modico excepto Caſtrum intactum permanſit.

Hic Fridericus & Papa Alexander tertius peſſimè concordabant: unde Imperator Alexandro ſcripſiſſe dicitur:

Aſtra docent, & fata monent & prædicat ales:
Quod Fredericus ego malleus orbis era.
Roma diu titubans variisq; erroribus acta
Corruet, & mundi definet eſſe caput.

Papa reſpondit:

Aſtra ſilent, nil fata monent, nil prædicat ales,
Solius eſt proprium ſcire futura Dei.
Niteris incaſſum Petri ſubmergere navim:
Fluctuat; at nunquam mergitur iſta ratis.

Item de eodem Friderico Imperatore.

FRE- *fremit in mundo*, DE- *deprimit alta profundo.*
RI- *jus rimatur* CUS *cuſpide cuncta minatur.*

In diebus illis, quibus Dux aberat, venit Niclotus, Princeps terræ Obotritorum ad Dominam Clementiam Duciſſam in Lüneborg, & conqueſtus eſt, quod Kycini & Circipani rebellare cæperint, & deſtinatus eſt Comes Adolphus & populus Holtſatorum & Stormariorum, ut adjuvarent Niclotum. Abiitque Comes cum duobus millibus, & eo amplius electorum, & pervagati ſunt terram hoſtilem, omnia vaſtantes igne & gladio. Videntes autem indigenæ, quod non eſſent eis vires reſiſtendi, redemerunt ſe immenſa pecunia. Tunc Niclotus delectatus victoria gratias Comiti reddi-

reddidit ampliſſimas, revertentemque proſecutus ad extremitatem finium ſuorum cautiſſimam exercitui adhibens diligentiam. Ab eo ergo die firmatæ ſunt amicitiæ inter Adolphum & Niclotum, habueruntque frequentius colloquium Lübeke / ſive Tramundæ pro commodo utriuſque terræ. Reverſo igitur Duce Henrico, allocutus eſt Adolphum Comitem dicens: Perlatum eſt ad nos jam pridem, quod civitas noſtra Bardewick diminutionem civium patiatur propter Lubecenſe forum, eo quod mercatores omnes illuc commigrarent. Item conqueruntur hi, qui ſunt Lüneborg / quod Sulcia noſtra deteriorata ſit propter Sulciam, quam cœpiſtis habere Thodeslo. Rogamus ergo, ut detis nobis dimidietatem civitatis veſtræ Lübeke & Sulciæ. Alioquin præcipiemus, ne fiant de cætero mercationes in Lübeke. Non enim ferendum eſt nobis, ut propter aliena commoda deſolari patiamur hereditatem patrum noſtrorum. Sed cum renueret Comes reputans incautam ſibi hujuſcemodi conventionem, mandat Dux, ne de cætero haberetur forum in Lübeke: nec eſſet facultas emendi vel vendendi, niſi ea tantum, quæ ad cibum pertinent. Et juſſit mercimonia transferri Bardewick ad ſublevandam civitatem ſuam. Sed & fontes ſalis, qui erant Thodeslo ipſo tempore obturari fecit. Et factum eſt verbum illud Comiti Adolpho, & terræ Wagirenſi in offenſionem, & profectuum impedimentum.

Illo tempore Everhardus Præpoſitus Magdeburgenſis Epiſcopus Raceburgenſis ordinatus eſt, deditq; ei Henricus Comes Polaborum Inſulam ad inhabitandum prope Caſtrum. Et dixit Dux ad Comitem præſente Comite Adolpho Quoniam Comes terræ Polaborum benefacere cœpit erga Pontificem ſuum, decet ut Comes Adolphus non faciat minorem partem ſuam. Ampliora enim de ipſo præſumenda ſunt, utpote de homine literato, habente ſcientiam rerum Deo placentium. Tunc Comes Adolphus ſecutus factum Comitis Polaborum, remiſit de beneficio ſuo trecentos manſos, qui oblati ſunt per manus Ducis in dotem Aldenburgenſis Epiſcopatus. Circa idem tempus videlicet anno Chriſti MCLIV. vir Dei Wiſcelinus Epiſcopus pridie Idus Decembris diem clauſit extremum.

Deſignavit itaque Comes Epiſcopo in poſſeſſionem Uthin & Gamale / cum appendiciis eorum. Inſuper & prædium, quod dicitur Hirm / nec non adjecit duas villas Gudesfelde & Wobze. In Aldenborg dedit ei quoque commodum prædium & adjacens foro. Et ait Comes: Eat Dominus Epiſcopus in Wagiram, & adhibitis viris induſtriis æſtimari faciat prædia hæc, quod defuerit de CCC. manſis ego ſupplebo: quod ſuperfuerit meum erit. Veniens ergo Epiſcopus vidit poſſeſſionem, & habita inquiſitione cum colonis deprehendit prædia hæc vix centum manſos continere. Quamobrem Comes fecit menſurari terram funiculo brevi: præterea paludes & nemora funiculo menſuratus eſt, & fecit maximum agrorum numerum, & reſtaurata eſt Aldenburgenſis ſedes, anno nonageſimo poſt exordium prioris Eccleſiæ, & dedicata eſt à Pontifice Geroldo in honorem S. Joannis Baptiſtæ, adſtante & omnem devotionem adhibente Nobili viro Comite Adolpho & Methilda ejus piiſſima conjuge. Et præcepit populo Sclavorum, ut transferrent mortuos ſuos tumulandos in atrio Eccleſiæ, & ut convenirent in ſolemnitatibus ad Eccleſiam audire verbum Dei. In diebus illis Sclavi quidam Danum affixerunt cruci. Quod cum renunciatum fuiſſet Comiti, is poſuit eos in cauſſam, & damno mulctavit, tulitque genus ſupplicii de terra. Geroldus ergo Epiſcopus ſuggeſſit Comiti, ut in pago qui dicitur Suwile / ſuſcitaretur Eccleſia, ſimiliter in Lüttenborg & in Ratekou. Et abierunt illuc Epiſcopus & Comes, & ſignaverunt atria ædificandis Eccleſiis apta. Crevit ergo opus Dei in Wagirenſi terra, & adjuverunt ſe Epiſcopus, & Comes opere vicario. Circa idem tempus reædificat Comes Caſtrum Plone / & fecit civitatem & forum. Poſthæc civitas Lübeke conſumta eſt incendio. Rogavit ergo Dux Comitem Adolphum, ut daret ſibi portum & Inſulam Lübeke: Quod is facere noluit. Tunc ædificavit Dux civitatem novam ſuper fluvium Wokeniza / non longè à Lübeke in terra Raceborg / cœpitque ædificare & communire, appellavitque eam nomine ſuo Löwenſtatt / quod dicitur Leonis civitas. Sed cum locus ille minus eſſet idoneus, & portu & munimento careret, nec poſſet adiri niſi navibus, Dux iterato cœpit convenire Comitem ſuper Inſula Lubecenſi, multa ſpondens, ſi voluntati ſuæ paruiſſet. Tandem victus Comes fecit, quod neceſſitas imperabat.

His

His ferme diebus Imperator Fredericus ad obſidionem civitatis Mediolani accerſivit omnes Principes Saxoniæ. Igitur Comes Adolphus cum Duce iturus per manus Seniorum terræ Wagirenſis convenit Niclotum, & exegit ab eo, ut fidem ſuæ terræ exhiberet illibatam. Quod is fide digna complevit. Profectus itaque Dux cum Comite aliiſque Nobilibus de Bavaria & Saxonia pervenerunt ad exercitum regis obſidentis præſidium quod Cremon dicitur. Præſidio expugnato Dux in Saxoniam diverti diſpoſuit. Cæſar hæc intelligens, pedibus Ducis humiliter, ut ſecum maneret, provolutus ſupplicat. Dux Imperatorem exaudire contemnens, nec de terra levare volens, Imperatrix eum levat dicens: Surge mi Domine, & memor eſto hujus caſus & memor ſit Deus. Dapifer ergo Ducis hæc videns dixit: Domine Corona Imperii ad pedes veſtros venit, & adhuc caput veſtrum aſcendet. Duce ergo recedente fortuna cum eo labefactari cœpit. Unde Imperator, Mediolano ſubjugato, Werzeborg Curiam ſolemnem celebrans, abjudicat Duci Henrico omne feudum, quod ab Imperio & Epiſcopis tenuerat. Poſt tres autem annos Imperator Lübeke veniens, civitatem in deditionem accepit: Henricus vero humiliatus ſanctos fines Imperii ad tres annos abjurat, & in Angliam profectus eſt. Igitur Duce de Mediolani obſidione reverſo, Adolphus Comes cum cognato ſuo Reinholdo Colonienſi Archiepiſcopo Angliam viſitat. Et contriſtati ſunt, tam Clerus, quam populus terræ, propter diutinam abſentiam boni Paſtoris. Iſte Reinoldus corpora trium Regum, quæ Mediolani in Eccleſia, quæ nunc Fratrum Prædicatorum eſt, quieſcebant, tulit & Coloniam tranſtulit.

Item præfatus Henricus Dux Ducatu Weſtphaliæ & Angariæ ab Imperatore Frederico privatur, & Eccleſiæ Colonienſi poſſidendus in perpetuum donatur. Circa idem tempus anno ſcilicet Domini MCLXIII. ad petitionem Geroldi Epiſcopatus Aldenburgenſis per Henricum Leonem Lübeke transfertur. Hic Geroldus fuit XII. & ultimus Epiſcopus Aldenburgenſis, & primus Lubecenſis. Eccleſia autem translata in Lübeke Comes Adolphus villas opportunas ad præbendas Canonicorum aſſignavit.

Anno, quo ſupra Monaſterium Ciſtercienſis ordinis Lucka / Mindenſis diœceſis per Comites Halremont & Aldenborg fundatum eſt. Hic Comes de Halremont Willebrandus nomine, tres filios habuit, videlicet Borchardum, Ludolphum & Willebrandum. Primus apud Niemborch in torneamento moritur, & in Lucka ſepelitur. Reliqui duo cum Comite Adolpho per Lotharium Imperatorem vocantur. Borchardus Antiochiæ moritur. Tertius vero cum Adolpho incolumis ad patriam reverſus eſt. Circa idem tempus anno Chriſti MCLXV. Sanctiſſimus Rex, & Imperator Carolus Magnus, Saxonum & Weſtphalorum Apoſtolus, canonizatur, & præſente Frederico primo Imperatore Aquiſgrani venerabiliter transfertur.

Item Philippus Francorum Rex Deo vovit, quod omnes veſtes ſuas, quamdiu viveret, pauperibus Dei intuitu daret: malens nudum Chriſtum in pauperibus veſtire, quam hiſtrionibus & adulatoribus veſtes dando peccatum incurrere. Quia hiſtrionibus dare eſt Dæmonibus immolare. Tempore autem aliquo elapſo, filii Nicloti non contenti terris ſuis, aſpirabant ad requirendam terram Obotritarum, quam Dux Henricus eis abſtulerat jure belli. Die vero quodam perlatum eſt ad Ducem, quod unus ex filiis Nicloti cum turba equitum apparuerit non longe à caſtris: ad quod requirendum Dux tranſmiſit Adolphum Comitem cum electa juvenum manu: & Pribislaus irruit ſuper incautos & proſtravit ex eis ad centum viros: reliqui fugerunt in caſtra. Tunc Wertislaus frater Pribislai accepto conductu venit in caſtra ad Comitem Adolphum, ut acciperet ab eo conſilium. Cui reſpondit Comes: Sera quidem medicinæ conſultatio eſt, quando æger deſperatus eſt. Pericula nunc imminentia debuerant antea præviſa fuiſſe. Quis quæſo dedit conſilium, ut per obſidium periculum incurreres? Magnæ fuit amentiæ, ponere in nervo pedem, ubi non ſit diverticulum, vel ulla evaſionis molitio. Si quod poteſt eſſe ſalutis compendium ſola deditione apprehendendum video. Et ait Wertislaus: Fac pro nobis verbum apud Ducem, ut ſine periculo vitæ, & membrorum damno admittamur deditioni. Tunc perrexit Comes ad Ducem & alloquens eos, in quibus pendebant conſilia, & manifeſtavit eis negocium. At illi deguſtata voluntate Principis dederunt manus, ut quicunque Sclavorum dediſſet ſe in poteſtatem Ducis membris & vita potiretur: ea tamen conditione, ut & Pribislaus ab armis diſcederet. Tunc conductu clariſſimi Comitis

Digitized by Google

mitis exierunt de munitione, & venerunt ad pedes Ducis, & ſuſcepit eos & recluſit in cuſtodia. His itaque geſtis humiliatæ ſunt vires Sclavorum, & cognoverunt, quia Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavet occurſum. His auditis, Pribislaus collegit exercitum, & venit improviſus Meckelnborg / & vehementi pugna irrupit munitionem, & occiderunt omne maſculinum, & caſtrum ſuccenderunt igni. Audiens ergo Dux contriſtatus eſt animo, & præcepit Adolpho Comiti, & majoribus de Holtſatia, ut tranſirent Jlowe / & eſſent tutamen caſtri. Et occurrit Adolphus Comes Duci cum ſuis in Malegow / & abiit Comes cum cœteris Nobilibus, qui ſecum deputati fuerant, & venerunt in locum, qui dicitur Werchem / & diſtat ab urbe Demmin ferè duobus milliaribus, & illic caſtra metati ſunt. Univerſus vero exercitus Sclavorum auctores rebellionis confederant in urbe Demmin / miſeruntque nuncios ad Comitem volentes per eum admitti ad conditiones pacis, & promiſerunt tria millia mercarum. Rurſum alios nuncios mittentes promiſerunt duo millia: & diſplicuit verbum hoc Comiti Adolpho, & dixit ad ſuos, quid vobis videtur viri ſapientes? Quod heri promiſerunt tria millia marcarum, & nunc offerunt duo millia. Verbum iſtud non eſt quærens pacem, ſed adducens bellum. Miſerunt ergo Sclavi noctu ſpeculatores in caſtra explorare ſtatum exercitus. Aldenborgenſes ergo Sclavi erant cum Adolpho, ſed ſeditioſe. Nam quæcunque gerebantur in exercitu remandaverunt hoſtibus per manus exploratorum. Dixerunt ergo Adolpho Comiti Marchardus ſenior terræ Holtſatorum, & cæteri qui intellexerant verbum abſconditum: Auditu certo comperimus, quod hoſtes noſtri præparent ſe ad bellum. Porro noſtrates ſegnius agunt, nec in vigiliis, nec in cuſtodiis debitam exhibent diligentiam. Adhibe ergo cautionem populo, eo quod Dux bene præſumat de te. Et diſſimulavit Comes cæterique Nobiles. Defecit ergo in exercitu cuſtodia. Moram autem Duce faciente, ecce in aſcenſu clivi apparuerunt cunei Sclavorum cum innumerabili populo, tam equitum quam peditum. Tunc viri illuſtres Adolphus Comes, & Reinoldus Comes Dethmerciæ, cum ſuis exceperunt hoſtes, & contrita eſt prima acies ab eis, & percuſſi ſunt Adolphus & Reinholdus, Baldewino ſedem Bremenſem tunc regente. Et venit Dux feſtinanter, ut fieret ſuis præſidio, & vidit ruinam, quæ facta eſt in populo, & quod Adolphus mortuus eſſet, reſolutus eſt in lacrymas multas. Sed dolorem ejus mitigavit copioſior victoria, & cædes Sclavorum maxima, qui ad duo millia & quingenti numerati ſunt, Præcepit ergo Dux corpus Adolphi concidi fruſtatim, & aſſum condiri opere pigmentario, quo poſſet circumferri & paternis inferri monumentis. Et impletum eſt vaticinium, quod cecinit pridie quam pateretur ſæpiſſimè reiterans verſum illum: Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. Perlatum eſt ergo id nobile corpus Mindam, ſepultuſque eſt in Eccleſia majori in parte Auſtrali, inter altare S. Matthæi Apoſtoli, & B. Catharinæ virginis, quod ipſe fundaverat: ibique ſancta devotione reconditum eſt, anno Chriſti MCLXIV. octava ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Eodem anno Henricus Leo ſuper baſim erexit Leonis ærei effigiem in Brunſwick / tanquam coloſſum ſuum, cum ipſe Leo vocaretur. Eſt autem coloſſus aliqua res in memoriam alicujus mortui facta, ut tumuli, & Imagines apud antiquos, vel dicitur ſtatua marmorea & alta. Et dicitur Colloſſus, ſecundum Catholicon; quaſi colens oſſa. Frater Vincentius ordinis prædicatorum in ſpeculo ſuo hiſtoriali dicit, quod Coloſſus Rhodius inter VII. mundi miracula tertium ponitur. Fuit autem imago fuſilis CXXVI. pedum in altitudine. Mirum enim valde fuit, quomodo tam immenſa moles fundi potuit, vel erigi, vel ſtare. Tantæ enim altitudinis fuit, ut ſagittæ ad ſummum dirigi non valerent, & caput ejus tantæ magnitudinis fuit, quod capere poterat XXX. coros grani: & in inferiori parte à pedibus oportuna erat janua, ut intrare poſſent, & ad caput aſcendere.

Iſte Henricus Leo curiam & bona in Lothen vel Lode Mindenſis diœceſis, & brachium S. Gorgonii martyris precioſè adornatum, anno MCLXIX. Eccleſiæ prædictæ obtulit, eo quo filia Regis Angliæ Mechtildis ſibi in Eccleſia præfata ante altare beati Petri ſubarrhata, & matrimonialiter copulata fuit.

Mortuo ergo Comite Adolpho immutata eſt facies terræ, eo quod juſtitia & quies Eccleſiarum, ſublato bono patrono, penitus infirmata videretur. Ipſo autem ſuperſtite nihil durum vel aſperum videbatur. Tantus erat fide & bonitate, prudentia atque

Digitized by Google

atque conſilio, ut univerſis videretur conſtructus virtutibus. Hic unus de bellatoribus Domini, & certè non infimus in funiculo ſortis ſuæ utilis inventus eſt, exſtirpans Idololatriæ ſuperſtitiones, & faciens opus novæ plantationis, quod fructificet in ſalutem. Noviſſime peracto boni itineris curſu, pervenit ad palmam, portansque vexillum in caſtris Domini, ſtetit pro defenſione patriæ, & fide Principum usque ad mortem. Rogatus ut vitæ conſuleret fugæ compendio, vehementer deteſtatus eſt, manibus pugnans, & Deum orans, mortem libenter excepit ob virtutis amorem.

In illo tempore Cometiam Holſatiæ, & in Schowenborg ac Stormariæ adminiſtrabat vidua Adolphi Comitis cum filio ſuo tenello. Propter conſurgentes autem motus bellorum poſuit Dux puero tutorem, qui præeſſet armis, Henricum Thuringiæ avunculum pueri, virum ſcilicet impatientem ocii, & totum armis deditum. Hujus Adolphi pueri tempore anno ſcilicet Domini MCLXXI. beatus Thomas Cantuarienſis pro defenſione & libertate ſuæ Eccleſiæ inter manus religioſorum juſſu Regis Henrici Angliæ occiditur, unde verſus:

Quis moritur? Præſul: cur? pro grege: qualiter? enſe
Quando? Natali: quis locus? Ara DEI.

Item.

Fit Thomas præſul regi contrarius exſul,
Stirps ſua damnatur, placidus redit, enſe necatur.
Richardus Brito, nec non Morevillius Hugo,
Wilbelmus Turci, Reinoldus filius Urſi.
Thomam martyrium fecere ſubire beatum.

Anno Domini MCLXXII. Præſul Mindenſis Eccleſiam villanam in Honrode ex oppoſito caſtri Schowenborg / olim Harode dicta, à conſtructione ejusdem caſtri, à ſitu Honrode nominatum, anno tertio in honorem beatorum Petri & Andreæ Apoſtolorum conſecravit. Hic præſul ex Comitibus de Blanckenborg ortus, capellam & caſtrum veteris montis Buckeborg cum omnibus ſuis attinentiis, à Thiderico Comite de Werbende LXXX. marcis datis, de conſenſu fratrum ſuorum Sigfridi Bremenſis Archiepiſcopi, Bernhardi Ducis Saxoniæ, Ottonis Marchionis de Brandenborg / Monaſterio Overenkerken ob reverentiam virginis benedictæ, & ut ejusdem cœnobii Moniales habentes vitæ neceſſaria, ſe in Monaſterio continerent, Domino fideliter ſervientes, comparat, & perpetuis temporibus aſſignat, anno Domini MCLXX. indictione XIII.

Igitur Adolphus ad ætatem legitimam perveniens, duxit uxorem Alheidim filiam Borchardi Comitis de Dasle, & Dominæ Salomæ ſuæ conſortis ſororis Philippi Colonienſis Archiepiſcopi. Hæc Domina inclyta contulit Monaſterio in Lucka XVIII. manſos & molendinum in villæ Odolem diœceſis Hildeſienſis juxta caſtrum Edle ſituatum anno Chriſti MCLXXXIIX. legavit.

Item ad lumen nocturnale domum unam in villa Donowe contulit.

Conjunctus eſt igitur vir fidelis mulieri inclytæ & fideli, Deo placere cupiens, pupillos & viduas ſinu Clementiæ paternæ fovens, religioſorum & cleri paſtor fidelis, paterna veſtigia ſequens inventus eſt. Famam ergo virtutis & nobilitatis ad Provincias vicinas circumquaque diffundens, religioſorum Monaſteria fundans erigebat, unde poſt mortem patris ſui anno XXII. Cœnobium ordinis Ciſtercienſis Reinevelde conſtruxit, ad quod Monachos de Lucka Monaſterio Mindenſis diœceſis introducens, in cujus choro quieſcit.

Tranſactis poſthæc paucis annis Henricus Leo opulentam civitatem Bardewick deſtruxit, unde verſus:

Dux poſt M. poſt C. poſt octoginta novemque
Bardewick *deſtruxit, Simonis ſol quando reluxit.*

Eodem anno Rex Danorum Kanutus ſtimulo invidiæ agitatus, manum potentiæ extendere attentat, unde Hammenborg & Stadium expugnare attentat. Sed Adolphus viriliter reſiſtens, eique usque ad Egdoram fluvium cum Hardewico Bremenſi Archiepiſcopo occurrens, Danos in fugam viriliter vertebat. Sequenti anno ira Dei deſævit in omnem terram, & præcipue in Saxonia & Weſtphalia, & deſtruxit igni multas civitates, videlicet, Oſenbrugge / Suzatum / Magdeburg / & alias quamplures. Sed & peſtilentia ſubitanea & improviſa multi mortui ſunt. Poſt

Digitized by Google

Poſt hoc Dux Woldemarus Lübeke & Hamborg cepit, & Comes Adolphus capitur, & quaſi biennio detentus eſt. Tanto denique tempore elapſo, fideles Adolphi Lövborg caſtrum Woldemari Duci reddunt, & Adolphus liberatur.

Eo tempore Riga civitas per Albertum Epiſcopum Livoniæ fundatur.

Adolphus itaque de captivitate ereptus, cœpit terram Holſatiæ undique caſtris munire & firmare contra inſultus hoſtium, turrim in Travemunde ædificat, quam poſtea Lubecenſes à Comite Johanne, An. Chriſti MCCCXX. ementes depoſuerunt. Circa hæc tempora Comecia de Hoja, in diœceſi Bremenſi, per duos videlicet Ottonem & Gerhardum cœpit. Iſte Gerhardus, vel potius Henricus, filius ejus, propter nimiam ferocitatem ſuam, ſecuris dictus eſt, quia captivis in cippo, ſeu vinclo, ſtrictis, pedes amputavit. De iſto non immerito id, quod Angelus Agar de filio ſuo naſcituro prædixit, dici poteſt. Erit enim homo ferus omnibus adverſa manu Iſmael, & vice verſa. Igitur quia hujus Comeciæ principium apud aliquos ſatis eſt ambiguum, ne mendacii notam incurram, manum ſcribendi retrahens ad præſens ſuperſedeo verſus:

Mille ſuper annis duo C. dum celebrantur
Hoje Dominium ſuſcipit initium.

In diebus illis tribus annis ante Hoje initium, beatus Barwardus Epiſcopus Hildenſemenſis ſanctorum catalogo per Papam Celeſtinum adſcribitur. Circa eadem tempora, anno videlicet MCCIII. duo magna Eccleſiæ luminaria, ſcilicet ordo beati Dominici confeſſoris, qui Prædicatorum dicitur, in partibus Tholoſinis cœpit, tempore Innocentii tertii. Ab Honorio tertio anno primo Romæ à ſua fundatione anno XIII. confirmatur. Ordo vero fratrum Minorum ſub beato Franciſco in partibus Italicis cœpit à prædicto Honorio, anno Honorii primo confirmatur.

Et quam utiles Eccleſiæ hæ fuerint fidem orthodoxam uſque ad ſanguinem defendendo, & doctrinis validis illuminando, teſtantur Sanctorum Patrum Romanorum Pontificum Decretales, & Eccleſiæ ſtatuta. Unde inquit Gregorius primus: ex quibus ordinibus utilitas evidens univerſali Eccleſiæ perhibet approbatos. Et extra de exceſſibus Prælatorum: Nimis iniqua, & nimis prava per hos duos ordines fides illuminata, & Dei Eccleſia eſt exaltata.

Eodem anno indictione VI. Monaſterium in Barſingehuſen à Wedekindo de Schwalenberge / & Gotſcalco de Permont fundatum eſt.

Igitur procedente tempore Adolphus Comes ex uxore ſua tres filios videlicet, Conradum, Adolphum & Brunonem, de quibus Salomon Eccleſ. XXV. In his tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, genuit. Ternarius enim numerus Deo gratus eſt: unde Virgilius:

Numero Deus impare gaudet.

Iſte Bruno Magdeburgenſis Præpoſitus factus eſt: Eccleſiam villanam à ſe intitulans Proveſtehagen fundans & dotans nominat. Hujus Brunonis tempore quidam fuit de ſecta Bachardorum, Deo & hominibus deteſtabilis, Bachardus nomine, ſpeciem gerens magnæ ſanctitatis, ſed plenus malitia homo. Et quia ad decipiendum velut vulpes gallinis inſidias ſtuduit, veluti olla à foris deaurata, intus quamvis lutea apparebat, & ſicut paries dealbatus lucebat. Is igitur tantæ opinionis habebatur, quod ab omnibus quaſi Angelus viſitabatur & venerabatur. Igitur ex pecuniis longo tempore collectis Capellam ſolemnem ex lapidibus conſtruxit. Pro hujus conſecratione præſul Bruno Olmecenſis quærit de patrono Eccleſiæ, Bachardus reſpondit: Non ad veſtram Dominationem ſpectat, nec veſtrum hoc ſcire eſt, Domine mi. Altercantibus ergo de hac materia Epiſcopo & Bachardo, reſpondit Bachardus: In honore Dei innocentis. Præſul hæc audiens non modicum mirabatur, quærens quiſnam eſſet hic Deus. Alter reſpondit, quod hic Deus quarta perſona in divinis Lucifer eſſet, de cœlo abſque culpa violenter ejectus. Præſul his auditis Bachardum, quem familiariter quaſi Dei ſervum amabat, jocando credebat hoc dixiſſe. Bachardo autem ſerioſius & pertinaciter inſtante, ecce præſul, quaſi alter Phinees, zelum Dei zelando amicitiæ oblitus irruit in Bachardum, & arcta cuſtodia, & vinclis mancipari mandat. Igitur hæreticus in malitia ſua ſponte comburendus adjudicatur ad ignem. Itaque projectus ecce ſubito ſolvitur & ſtetit illæſus. His viſis, præſul in ſeipſo confuſus, & ultra

Digitized by Google

ultra, quam credi valeat, turbatus, fidei ruinam, & detrimentum timens, ad orationis refugium toto ſpiritu confugit, ſibi & populo triduanum jejunium indixit. His diebus tranſactis, clero & religioſis convocatis, ignis denuo accenditur, altaria circa ignem per gyrum eriguntur. Hæreticus de carcere adducitur, præſul ad ſolum humiliter proſternitur, lacrymis perfunditur, & Miſſæ miniſterium à ſacerdotibus incipitur. Igitur cum ad ſacræ & divinæ hoſtiæ elevationem ſignum daretur, hæreticus, ut præordinatum fuerat, in ignem projicitur, & abſque mora ulla, Dei ſui miniſterio & præſentia, qui ibidem omnibus videntibus in forma hirci apparuit, per quem & deluſus virtute ignis incineratur. Omnis ergo plebs Deum omnipotentem manibus in cælum levatis magnificè laudat & extollit. Quot autem annis Comes Adolphus tertius hujus nominis vixerit, vel quo die, diem clauſerit extremum, non occurrit. Conradus quintus Comes in Schowenborg patri ſuccedens abſque liberis moritur De iſto nihil memini me legiſſe, & ubi ſit ſepulturæ traditus, ſed nec de patris. In Monaſterio Rintelen ſepulchrum cum ſigno Comeciæ de Schowenborg videtur: ſed nomina ſepultorum ignorantur, verſibus ibidem ſculptis in lapide.

Poſt M. poſt tria C. ſit Nobilibus locus iſte.
Pro ſuavi requie, quos cœlis ſuſcipe Chriſte,
Dum locus eſt veniæ petit hic cœtus lacrymis te.

Poſt Conradum Adolphus quartus regimen terrarum ſcilicet Schowenborg/ Holſatiæ & Stormariæ, ſtrenue, velut alter Hector ſuſcepit. Hic ſummi regis miles & athleta quam nobiliter, quam prudenter in campo militiæ, quam ſollicite & ſincere in terræ plebisque timore paterna veſtigia ſequens, quàm ferventer & devote pro animæ ſuæ ſalute, velut bonus miles Chriſti, laboraverit, geſta ejus magnifica proteſtantur clarius. Contra hunc Danorum Regis ſævitia & odium inveteratum, ſicuti patribus ſuis bella moventes, litis occaſionem ſuſcitabant. Igitur Rex Danorum, glacie rigentem Albiam tranſiens Stadium expugnare volebat. Sed antequam gelu ſolveretur rediens vires ſuas in Hamborg convenit, fecitque caſtrum capta civitate ab intra ſuper Albiam. Cui Comes viriliter reſiſtens, aliud caſtrum ſuper eandem ponit & ædificat, unde Hamburgenſes tædio victi ſe dederunt. Quatuor ergo annis poſthæc elapſis, Adolphus auxilio Gerhardi Epiſcopi Bremenſis, & Comitis Henrici de Swerin invitatus à potentioribus Holſatiæ terram occupat trans-Albinam, & anno ſequenti Domini Nord-Albingorum Albertum Ducem Saxoniæ vocant, eaque Lübecke & Raceborg repræſentant.

Eodem tempore caſtrum Vörde fideles Eccleſiæ Bremenſis ceperunt.

Item diſcordia, quæ dudum verſabatur inter Eccleſiam Bremenſem, & Ducem Henricum Leonem, quem cives Bremenſes ad ſuam civitatem tempore guerrarum contra Epiſcopum intromittentes, ſopita eſt. Dux ergo dedit ob reverentiam beati Petri omnes ſuos miniſteriales, quos in comitatu Stadenſi habebat, & ipſam Comeciam, quam tamen eo vivente, & Epiſcopo conſentiente liberè retinuit. Quam donationem Fridericus Imperator aurea ſua bulla apud Ravennam roborat.

Adolphus itaque poſthæc cum Epiſcopo Bremenſi Etſcho applicuerunt, & terram caſtrumque Alberti de Lüneborg cum incolis terræ poſſidentes. Henricus vero de Swerin cum Alberto conflictum habens, & Duce Ottone de Lüneborg/ hi ambo victi, Albertus Swerin ducitur captivus, & apud Regem Daciæ avunculum ſuum vinculatur. Sic enim Deus in rege Danorum vindicat, quod Comiti Adolpho malum fecerat, ſpolians eum bonis paternis, unde menſura, qua menſus fuerat, eadem & remuneratus eſt. Notandum hic, quod ab ipſo die, quo Danorum Rex Comitem Adolphum hujus patrem ceperat, usque ad tempus, quo Adolphus junior in ſuam reverſus eſt terram, Rex terram ſuam trans-Albinam detinuerat, & Comes Albertus de Lüneborg ex parte Regis, XXIV. anni effluxerunt. Eodem tempore, videlicet in carnis-privio Adolphus unum ex caſtris, quod Albertus de Lüneborg contra Hamborg in odium Adolphi erexerat, expugnavit. Videntes ergo cives de Hamborg prudentiam & animoſitatem Comitis & Domini ſui civitatem ſibi reſtituerunt. Tunc Dux Henricus caſtrum Horeborg fundavit. Poſtremo Rex Daciæ de captivitate pro quinque millibus marcarum liberatur, & terram Holſatiæ & omnes terras, quas violenter poſſederat in integrum reſtituit, pro cujus fide tres filios, & multos fideles ſui regni obſides poſuit.

Iſtis peractis, ad propria reverſus Rex contra juramenta ſua veniens caſtrum Reinoldesborg invadit. Cui Adolphus & Henricus de Swerin obvenientes, & quandam paludem latenter tranſeuntes, multos de exercitu Regis interfecerunt. Igitur Rege iterum redeunte caſtrum cepit, & Dethmarſiam & Ethſcho ſibi ſubjugat, & pro terræ cuſtodia multos de populo ſuo cum terræ incolis relinquens, & ultra progrediens contra Segeberge caſtrum erexit. Adolphus Ethſcho de incaſtellatione, & manibus Danorum liberaturus, multos ex Danis cepit, aliis ſubmerſis, & quibusdam interfectis.

Poſthæc vero anno ſcilicet Domini MCCXXVII. idem Rex iterum cum manu valida Daciam exiens, terram Holſatiæ igne & gladio intolerabiliter cœpit devaſtare. Adolphus vero & Gerhardus Epiſcopus Bremenſis, Albertus Dux Saxoniæ, Henricus de Swerin/ & Comes de Werle in auxilium Adolphi Lübeke convenientes ipſo die Beatæ Mariæ Magdalenæ, cui ſe Comes Adolphus & ſuos devotius commendabat, juxta villam Holſatiæ Bornhövet/ in Dei nomine occurrebant. Rex videns partem ſibi contrariam, quaſi acervum conglobatum bello, alto timore percuſſus divinitus per fugam elapſus eſt. Dux vero Otto de Lüneborg Regi avunculo ſuo auxilium præbens à Comite Henrico de Swerin capitur & abducitur. His peractis, Dominus, qui victoriam ſuo Comiti devoto dedit, glorioſè benedicitur. In memoriam hujus victoriæ & ſanctæ crucis Chriſti, beatæque Mariæ Magdalenæ, quæ ipſa hora, qua congredi debebant, pars contra partem, in aere manu levata, & benedicente viſa eſt. Et ne hic Comes ingratus inveniretur, ordinavit, ut latronum domus, in domum orationis converteretur. Caſtrum igitur Lübeke/ cum ſuis ædificiis, fratribus & filiis S. Dominici pro clauſtro conſecrando, Domino hoc agente, anno & die, ut ſupra, aſſignatum fuit, unde verſus:

Anno milleno duo C. ſeptemque viceno,
In Fontis-capite cecidit gens Danica lite.
Magdala quando pia ſcandit ſuper aſtra Maria.
Hic quoque tum gratus Fratrum fuit ordo locatus:
Et datur ô Chriſte locus aptus Fratribus iſte.

Et quia Deus omnipotens lacrymas devoti Comitis, & orationes gratioſe reſpexit, votumque de religionis ingreſſu acceptum ſibi per datam victoriam evidenter oſtendit.

Eodom tempore Stedingi Dominis ſuis rebellare cœperunt, fidem prave & legem abnegantes, caſtra & munitiones terræ ſuæ igni tradentes, jugum ſuorum ſuperiorum à cervicibus excuſſerunt. His diebus Gerhardus nobilis de Lippia Epiſcopus Oſnaburgenſis, fit Archiepiſcopus Bremenſis, & contra Stedingos viriliter dimicans, juxta Hojam multos bello devicit, & caſtrum Ottersberg/ quod fuerat Bernhardi Comitis de Welpe/ cepit. Contra hunc Gerhardum, Otto Dux de Lüneborg bella movet, Stedingorum parti, & malitiæ in odium Epiſcopi favens, terram usque Bremam incendiis, & ſpoliis maximè propter Comeciam Stadenſem, quam avus ſuus Henricus Leo dederat Eccleſiæ Bremenſi, devaſtavit. Poſthæc Gerhardus Epiſcopus, & frater ſuus Dominus Hermannus de Lippia ipſo die Nativitatis Chriſti cum manu valida & armata contra Stedingos bellant, Hermannus interficitur, & Epiſcopus cum confuſione revertitur, caſtrumque Slutter per Stedingos capitur, & in odium Epiſcopi deſtruitur. Eodem anno crux contra Stedingos, velut contra hæreticos, & in malitia obduratos, prædicatur. Interim populus innumerabilis cruce ſignati Bremam venientes per Wiſeram, & terram tranſeuntes, partem terræ juxta Bremam, quæ Oſterſtatt dicitur, in craſtino SS. Johannis & Pauli intrantes, & plus quam quadringentis interfectis cæteri, qui vivi reperti ſunt, traditi fuerunt. Stedingi itaque pertinaciter & deſperatè agentes, Borchardum Comitem de Aldenborg/ & fratrem Henricum de Brema ordinis Prædicatorum cum ducentis viris interfecerunt. Hic vir Dei Henricus crucis prædicator, terram Stedingorum cum ſocio ſuo fratre ordinis ſui pro ſalute & converſatione intrans, dixit: O mi ſocie cariſſime, tempus eſt, ut Synaxin veſpertinam dicamus, completorium in regno cœlorum, Deo donante, decantabimus. O virum laudabilem & fidei plenum! quis hunc armis tam infatigabilibus, & faciem euntis in Jeruſalem, firmavit, ut hic mortis horrore

rore omnino non concuteretur. Certe ille ſpiritus, qui ei gratiam mortem prædicendo dicens: Completorium dicemus in regno cœlorum, idem conſtantiæ ſpiritum mortem non metuendo minime negat. Prædicanti ergo verbum Dei Chriſti ſervo Stedingi velut aſpides ſurdæ, & ſuas aures obturantes, contra eum inſurgentes, crudeliter cum ſocio & aliis, ut dictum eſt, occiderunt. Et quia precioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus, & peccatorum mors peſſima, ſuſcitavit Deus omnipotens Ducem Brabantiæ, Comitem Hollandiæ, Comitem de Clivo, & multitudinem Nobilium ultra quatuor millia abſque reliquo vulgo. Hi cruce ſignati Stedingorum terram VI. Kal. Junii per terram, & per aquas intrantes, Stedingis eis ſuperbe occurrentibus, ſed mirabiliter canum more mactatis, & ultra quatuor millia interfectis. Ex parte vero altera Henricus Comes de Aldenborg cum quibusdam ex peregrinis terram dictam intrans, cæde, incendiis eos arctavit, & undique vexavit. Sic enim Deus ultionem Stedingorum malitiæ obſtinatæ, quæ ultra annos XXXIII. duravit, finem impoſuit & terminavit, unde verſus:

Stedingi ſexto Junii cecidere Kalendis
Anno Gerhardi quinto decimoque ſecundi
Lippia Pontificem quem tibi Brema dedit.
M duo C. quartus ter denus tunc fuit annus.

Sedit hic præſul annis XL.

Anno ſecundo poſthæc beatiſſima Elizabeth Thuringiæ Lantgravia tranſivit ad Chriſtum, & à Gregorio IX. canonizatur Peruſii in domo fratrum Prædicatorum.

Sequenti anno videlicet MCCXXXVI. Monaſterium ſanctiſſimi Pauli Apoſtoli per fratres prædicatores, à capitulo majori vocatos, in Minda fundatum eſt, quod annis paucis tranſactis à tribus Epiſcopis Widekindo de Hoja Mindenſi, Gerhardo Verdenſi ſuo germano, & Fr. Henrico Oſilienſi uno & eodem die tota terra exſultante fuit conſecratum. Prædictis Epiſcopis duobus, tertius erat frater nomine Otto, quorum germana erat Domina Montis & Advocata. Hic Domino in religionis conclavi miniſtrare deſiderans conſilio Ovidii uſus, ſpiritu Dei tactus ordinem Prædicatorum intravit, (unde inquit:

Vive tibi & longe nomina magna fuge. Item:
Crede mihi bene qui latuit bene vixit, &c. Item:
Quantumque potes præluſtria (id eſt ſublimia) *vita.*
Sævum præluſtri fulmen ab axe venit)

divitias & pompam ſæcularem, velut ſtercora, dorſo imponens, vitam Chriſti pauperem amplectens, potius in mendicitate mallens Deo ſervire, quam cum divitiis, & dominio inæqualiter poſſeſſis hic & futuro cruciari. Dicitur enim in libro caſtigationum Philoſophorum: Felix eſt cui noctescit & dieſcit faciendo quod convenit, & qui non accipit ex mundo, niſi id quod excuſari poteſt, & qui operatur bona & prohibet mala, dum vivit in mundo: Dicere enim poterat,

Gloria quid prodeſt mihi? quid cenſus? velut aura
Prætereunt, ſolum ſtat pietatis opus.

Hujus ad inſtantiam Dominus Widekindus nobilis Advocatus de Monte Monaſterium puellarum ordinis Prædicatorum nunc Lemego degentium anno Domini MCCLXV. fundavit.

Circa hæc tempora beatus Petrus de Mediolano ab hæreticis occiditur, & ab Innocentio IV. anno nondum à Paſſione elapſo ſolemniter canonizatur. Circa idem tempus Richardus, Comes Cornubiæ, Imperator cœpit, & XVIII. annis regnavit.

Hujus anno ſecundo Conradus Comes de Everſtein / ſed prædo, per Ducem Albertum de Brunſwick verſis pedibus ſuſpenditur, & in Brunſwick / quia Comes, honorificè ſepelitur.

Adolphus igitur videns ſe quoque miſericorditer exauditum à Deo, divinis non ſegniter inſudare cœpit. Unde inter opera ſua magnifica Dei regnum cunctis præponens Monaſteria & Eccleſias fundavit. In Hamborg Monaſterium ſanctorum Johannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ, locans ibidem Fratres ordinis Prædicatorum, miraculo ſatis noto præcedente. Hujus enim areæ poſſeſſor, nomine Redderus, aſſeruit

ruit ſe ſæpius vidiſſe, antequam fratres hanc inhabitarent, terram exterius nigram, ſed intus albam literis aureis ſcriptam de cœlo ſuper arcam deſcendiſſe. Hujus viſionis interpretatio ſatis lucida apparet, ſi ſtudioſe inſpiciatur. Litera enim nigra exterius, & intus alba habitus Fratrum eſt: Literæ aureæ eorundem Fratrum aurea doctrina, & Dei verbi prædicatio aureaque animarum conſilia deſignantur. Hanc Eccleſiam Borchardus cognomento Grelle Archiepiſcopus Bremenſis conſecravit.

In memoriam ergo dictæ, & magnæ victoriæ in civitate Hamburgenſium volens eſſe memoriale, prout in Lübecke/ Monaſterium ſub honore divæ Mariæ Magdalenæ Fratres ibidem Minores ſtatuendo. Extra muros vero verſus Holſatiam, in loco, qui dicitur Reinebeke/ ſanctimoniales ponendo Monaſterium vero monialium in diœceſi Mindenſi dictum Biſchoperode in oppidum Rintelen tranſtulit. Uterſen & Helwerdeſhuſen/ aliis Parochialibus & villanis Eccleſiis exceptis, fundavit. Prædictarum itaque monialium in Rintelen primus habitus ſecundum ordinem Ciſtertienſem griſeus erat, qui poſt in habitum albi coloris, miraculo præcedente, mutatus fuit. Tempore namque quo Monaſterium illud ædificabatur à viro inclyto Adolpho Comite, in viſione XII. Carpentarii albis induti videbantur, cujus interpretationem divinitus ſibi oſtenſam ſic intelligens, ut harum virginum habitus de atro albus & nitidus in ſignum amplioris mundiciei eſſe deberet. Unde regula beati patris Benedicti retentâ ſub Abbatis Mindenſis obedientiam ſe offerentes, habitum prædictum aſſumſerunt. Notandum vero, quod hic habitus notabiliter & malè & inaniter monialium mutatus eſt. Iſte, inquam, habitus primo his datus in forma, & in materia multarum monialium in decore excellit: ſed quia priſtinam formam, & diſpoſitionem depoſuerunt, & eum plenum rugis & plicis deturpaverunt, qui deformior nec minus laſcivus videtur. Nonne ſic cantamus: Mater illibata, & virgo ſine ruga? Adolphus virginibus his tranſlatis ad Eccleſiam Parochialem in Rintelen XIV. manſos, & molendinum, quod adjacet oppido, cum vado, vulgariter Wat dicitur, legavit. Item jus ſylvæ ad LXVI. manſos, quod Teutonice Egword dicitur, in perpetuum poſſidenda donavit.

Seculo ergo, ut voverat, valedicere volens, cum Helewige ſua conſorte Livoniam cauſſa devotionis viſitat, & poſt ſe tres filios ſcilicet Johannem, Gerhardum & Luderum, quibus tutorem generum ſuum Abelem Ducem dedit, reliquit.

Iſte Abel fuit filius Waldemari Regis Daciæ, qui anno præcedenti, antequam Adolphus ordinem intraret, duxit filiam Adolphi in maxima pompa in terra Holſatiæ ſeptimo Kalend. Maii.

Omnis enim diſcordia & controverſia inter Regem Danorum, & Adolphum ſedata eſt, Epiſcopo Bremenſi Gerhardo hoc fideliter agente.

Anno igitur MCCXXXIIX. Adolphus de Livonia reverſus, Deo & voto ſuo finaliter ſatisfacere volens, ſciens generis nobilitatem ſine morum generoſitate nullius eſſe momenti, ſecundum dictum Poeticum:

Nobilitas ſola eſt animum ſi moribus ornet.
Nobilis eſt animi quiſquis virtute refulget:
Degener eſt ſolus cui mala vita placet.

Vitam itaque tutam, & ſanctam eligens ordinem ſancti Franciſci apud Hamborg/ ipſo die ſancti Hippolyti, intravit, & in eo XXIII. annis multa humilitatis & devotionis exempla oſtendens laudabiliter vixit. Eccleſiam quoque ad domum dictam dudum per eam initiatam perfecit, & conſecrari ordinavit. Duodecimo ergo anno profeſſionis ſuæ ad curiam Romanam vadens, & diſpenſatione plenaria potitus, ad propria reverſus eſt. Hic enim diſpenſationis tenor eſt. Univerſis præſentes literas inſpecturis, Frater Reinardus, & Frater Gerhardus, Domini Papæ pœnitentiarii, ſalutem in Domino: Noveritis, quod nos audita confeſſione Fratris Adolphi, ordinis Fratrum Minorum, præſentium portitoris, eidem ſuper omnibus articulis, pro quibus duxerat ad ſedem Apoſtolicam laborandum, & de ſimilibus ſive minoribus, ſi quos in oblivionem deduxit, de ſpeciali mandato venerabilis patris noſtri Ottonis, S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis: cui Dominus Papa plenariam ſuper hoc conceſſit poteſtatem, beneficium abſolutionis impendimus, & ut ad omnes ſacros ordines promoveri valeat, diſpenſavimus cum eodem, injuncta ſibi pœnitentia ſa-

tia ſa-

Digitized by Google

tia ſalutari. Datum Laterani X. Kal. Maii. Pontificatus Innocentii Papæ quarti anno primo.

Adolphus anno Domini MCCL. ſubdiaconus de Roma rediens à Johanne Epiſcopo Boſnenſi, quondam ordinis prædicatorum Magiſtro, Diaconus presbyter vero à Johanne Epiſcopo Lubecenſi eſt ordinatus, & apud Hamborg in die S. Gregorii Papæ, ſummo ſacerdoti ipſi Deo ſacrificium filii ſui offerens primam miſſam ſuam celebrat. Poſthæc vero annis XI. vir inclytus Deo devotus ſerviens fine bono & ſecuro diem clauſit extremum, & in conventu oppidi Kyl/ quod à fundamentis erexerat, in Chriſto ſepelitur.

Anno tertio Adolpho in ordine agente, duo filii ejus Johannes videlicet & Gerhardus, de ſtudio Pariſienſi redeuntes, cum magno gaudio Hamborg à clero & populo ſunt ſuſcepti. Siquidem expectati deſiderio magno, quia terram eorum Henricus Rex Daciæ infeſtabat. Hic Johannes tanquam ſenior, & primogenitus Comeciam gubernans caſtrum Thodeslo anno Domini MCCXLVIII. fundavit. Biennio vero elapſo, Johannes Comes cum Epiſcopo Bremenſi Gerhardo, Johannes & Gerhardus Comeciam Stadenſem, & Eccleſiam Bremenſem, eo quod Simon prædictus, tunc tutor ſedis Bremenſis, in Archiepiſcopum electus non fuit, incendiis & ſpoliis devaſtaverunt. Hilleboldus vero electus de Curia rediens, Johanni & Gerhardo civitatem Hamborgenſem in feudo porrigere recuſavit, objiciens eis, quod tempore ſuæ abſentiæ Eccleſiam ſuam damnis & injuriis devaſtaſſent. Igitur duobus annis decurſis Stadenſes in favorem Hilleboldi Epiſcopi cum Hamborgenſibus diſcordare cœperunt. Hamborgenſes vero in Albia verſus civitatem magnis navibus, & viris fortiſſimis Stadium obſederunt, Stadenſibus viriliter ſe defendentibus, multi ab utraque parte in aquis perierunt. Archiepiſcopus autem miſit ultra Albiam viros validos in locum, qui dicitur Wildeseron/ ut ex illo loco Holſatiam impugnarent. Et quamvis locus munitus fieri potuiſſet, Comites prædicti obſeſſo eodem loco, omnes ſe dedere coegerunt.

Anno vero ſequenti, qui erat Domini MCCLVI. Albertus Dux Brunſuicenſis Holſatiam hoſtiliter intravit, & caſtrum Plone expugnans obtinuit. Lubecenſes vero in tali invaſione Ducem juvarunt. Nam ante præteritum annum Johannem Comitem & Dominum ſuum in civitate ceperunt, qui injurias à quodam milite Borchardo illatas, ulciſci non timuit, ſed à detentione illa Dominus eum quaſi quodam miraculo liberavit.

Linteaminibus enim colligatis, de alta domo per feneſtram multis videntibus ſe demiſit, & in equum poſitus in locum ſecurum velociter eſt delatus. Dux ergo caſtro Plone habito, civitatem Kyl graviter expugnavit, ſed vi, civibus fortiter ſe defendentibus, non expleto voluntatis ſuæ propoſito, turbatus receſſit.

Eodem tempore Margaretha Regina Daciæ, vulgari nomine Schwarte Grete/ virago & animum virilem gerens, cum filio ſuo in magna populi multitudine Holſatiam vaſtans intravit. Cui Comites Johannes & Gerhardus cum ſuis ultra Denewerck audacter occurrentes, in victoria Comitibus donata Reginam ceperunt, & ſecum Hamborg in cuſtodia honeſta potentes deduxerunt. Inter alia, quæ inter ſpolia fuerunt comperta, mantellus precioſus valde inventus eſt. Hunc dicti Comites Eccleſiæ virginis benedictæ offerentes in cappam choralem pro ſummis feſtivitatibus mutatus in dictæ victoriæ memoriam induitur & conſervatur.

His ſic actis, ut dictum eſt, Albertus Dux Holſatiam devaſtat. Hujus frater ſcilicet Johannes Dux, filiam Gerhardi Comitis duxit uxorem, & ſic illa diſcordia ſopita eſt.

Iſti duo fratres Johannes & Gerhardus Comeciam in Steinwedde Widekindo Epiſcopo Mindenſi pro MCCC. marcis vendiderunt. Idem Epiſcopus oppidum Hamelen ejuſdem diœceſis cum omni jure ſuo, & proprietate pro ducentis marcis argenti examinati ſub certis preciis ſolvendis, & quitationem ducentarum marcarum ab Abbate Henrico & monaſterio Fuldenſi comparavit. Advocatia vero prædicti oppidi, & Eccleſiæ à Comite de Everſtein jure homagii hactenus poſſeſſæ cum oppido in proprietatem ſancti Petri, civibus proterve & ſtolide reclamantibus, tranſivit. Contra quos Widekindus Epiſcopus prælia juxta villam parochialem Sedemunde conſti-

Digitized by Google

conſtituit, & omnes oppidanos prædictos cum Comite, qui ad rebellionem eos animabat, cepit & captivos abduxit. Multi etiam in ore gladii ceciderunt, quorum memoria in Eccleſia Hameleníi ipſo die ſancti Panthaleonis martyris annuatim peragitur. Induciis igitur impetratis, Alberti Ducis Brunſuicenſis auxilium implorantes, ſe & ſua offerentes & per ejus manum Eccleſiæ Mindenſi intolerabile damnum inferentes, de prædicta captivitate liberantur. Hæc breviter multis dimiſſis ex Eccleſiæ Mindenſis privilegiis colligens abbreviavi. Item hic Præſul prædicto Alberto vicem rependere non tardans, per viam juris & juſtitiæ dimidietatem caſtri Saſſenhagen ſedi ſuæ acquiſivit.

Idem præſul Ducem de Lüneborg/ & Comitem de Wünſtorpe bello publico, teſtantibus victoriæ vexillis in Mindenſi Eccleſia majori, devicit.

In diebus illis inclytus Doctor S. Thomas de Aquino, ordinis Prædicatorum ad regna cœleſtia tranſivit, & per Johannem XXII. catalogo ſanctorum confeſſorum apud Avinionem anno Chriſti MCCLXXIV. præſente Rege Siciliæ, & Regina adſcriptus eſt. Eodem anno Frater Otto Epiſcopus Mindenſis ordinis Prædicatorum obiit. Notandum hic diligenter, quod inter multos quæritur, quo tempore, & per quos Comites Dominia Holſatiæ, & in Schowenborg primo ſint diviſa. His reſpondendum videtur, quod hi duo prædicti, Johannes videlicet & Gerhardus id fecerunt: ſed ſub quibus Dominicæ incarnationis annis ſcire non occurrit. Prædictus Johannes ob ſpem prolis, ne ſtirps tam inclyta herede careret, filiam Regis Daciæ Chriſtophori, ut in picturis feneſtrarum apud Fratres prædicatores in Lübeke vidi, duxit uxorem. Moritur autem Johannes hic anno Domini MCCLVI. in die S. Victoris Papæ, ſepultusque eſt in majori Eccleſia Hamburgenſi. Juxta quod annis XV. ſequentibus tranſactis, hujus germanus Gerhardus ipſo die S. Apoſtoli Thomæ moritur & ſepelitur. Hujus Gerhardi uxor Alheidis nomine ex nobilibus de Werſeborg genita anno Domini MCCLXXXV. obiit in die S. Amandi Epiſcopi. Sciendum eſt quòd annis Domini MCCLXI. usque ad annum XIV. ſequentem de geſtis Comitum in Schowenborg nihil ſcriptum inveni, niſi tantum, quod apud Monaſterium Sanctimonialium Vlote/ Mindenſis diœceſis, de quodam Comite Widekindo reperi, ſed cujus filius hic fuerit non habetur. Item Gerhardum quendam Comitem fuiſſe in privilegiis Monaſterii Vlote prædicti circa annos Chriſti MCCXC. legitur. Iſte, ut ex annis Domini elici poteſt, filius Johannis vel Gerhardi fratris ſui fuiſſe creditur. Omnis ambiguitas circa prædicta tolleretur, ſi Comitum ſaltem obitus certus haberetur & ſciretur. Hunc Comitem Gerhardum quatuor filios ex nobili Domina de Werſeborg genuiſſe conſtat, videlicet Gerhardum, Adolphum, Henricum & Ottonem, qui duo apud Monaſterium S. Jacobi in Rinteln noſcuntur tumulati, in quorum ſepulchro talis habetur ſuperſcriptio.

Poſt M. poſt tria C. ſit Nobilibus locus iſte,
Pro ſuavi requie quos cœlo ſuſcipe Chriſte,
Dum locus eſt veniæ petit hic cœtus lacrymis te.

In diebus illis Adolphus Comes de Naſſow Imperator cœpit, & octo annis regnavit.

Triennio igitur peracto, in die S. Remigii Epiſcopi ſuſpenſi ſunt in Brunſwick per conſules decem Gildonum magiſtri, undecimus decollatus eſt, duodecimus Aquiſgrani peregrinabatur, & per abſentiam ſuam conſimilia evaſit. Item eodem tempore corpus ſanctiſſimum beatæ Mariæ Magdalenæ apud ſanctum Maximium civitatem Maſſiliæ transfertur, & in Eccleſia Fratrum Prædicatorum jubente Rege Siciliæ cum ſolemnitate multa venerabiliter collocatur. Anno ſequenti Ludolphus de Roſtorpe Mindenſis Epiſcopus Simonem Nobilem de Lippia & famoſum militem, & Gerhardum Advocatum de Monte in vigilia aſſumptionis Mariæ virginis, prope Mindam bello proſtravit.

Eodem tempore Benedictus XI. Papa ordinis Prædicatorum conſecratur, & ſecta quædam fatuorum, dicti fratres Leyſon/ fuerunt. unde verſus:

Anno milleno trecenteno quoque deno
Secta fuit ficta Leyſon fratrum maledicta.

Ante ad biennium Henricus de Lützenborg Imperator cœpit, & annis ſeptem impera-

imperavit. Hic anno ultimo Imperii ſui Florentiam obſedit, ſed antequam Florentini ſe ſuæ gratiæ ſubjicerent, rebus exceſſit humanis: febre ſiquidem ardentiſſima correptus, ſexta die periit. Et quia multum fuit pletoricus toto corpore denigratus eſt, propterea, ut utar verbis illius magni & doctiſſimi viri Henrici de Hervordia, is mendaciſſimus nebulo, Henricus Comes Flandriæ occaſionem veſaniæ ſuæ videtur aſſumpſiſſe, cum diceret Imperatorem non febre, ſed veneno periiſſe. Quod eſſe mendoſum filius ſuus Rex Bohemiæ Johannes, & Germanus Imperatoris Baldevinus Trevirenſis Archiepiſcopus, cæterique Epiſcopi, qui præſentes extiterant, ut Mediolanenſis, Januenſis, Peruſinus, Piſanus, Lucanus, & Argentinenſis, & poſtea Carolus IV. Imperator diſquiſitione diligentiſſima ſuper hoc fideliter habita vivis ſuis vocibus literisque roboratis monſtraverunt univerſis.

Gerhardo Comite de medio per mortem ſublato, Adolphus primogenitus ſuus Cometiam tenens, inclytam Dominam Helenam filiam Ducis Saxoniæ, duxit uxorem, de qua tres filios genuit, ſcilicet Adolphum, Ericum & Gerhardum. Hi non immerito tribus civitatibus propter ſtatum ſuum magnificum & honeſtum comparari poſſunt, de quibus Deuteronomii quarto dicitur: Hi tres anni qui tranſierunt. Regum XXII. Hi tres menſes. Judicum XVI. ubi ſic dicitur, poſt tres menſes hujus victoriæ gaudium celebratum eſt, Matth. XXVII. poſt tres dies. Hi tres horæ Tobiæ XII. Hi inquam ſub numero ternario, qui numerus Deo gratus eſt, comprehenſi, in omni diſciplina & moribus nobiliter educati, per quos ad prælaturas magnas promoti, in quibus idonei & digni inventi ſunt. Adolphus tempore ſuccedente caſtrum Rodenberg / ut dicitur, fundat. Et anno Domini MCCCXV. moritur, & apud Monaſterium Locken ſepelitur. Anno eodem hujus patruus Holſatiæ Comes, in caſtro Segeberg dormiens, à propriis ſuis ſtrangulatur. Poſthæc fit prælium in Bernſingen/ubi Domicellus Johannes Comes Holſatiæ Dethmarcios debellavit, quingentis interfectis, & fere totidem captis. Dethmarcii vero anno Domini MCCCXIX. Holſatis vicem rependentes, Ducem de Sleſwick cum trecentis armigeris proſtraverunt. Anno Domini MCCCXII. obiit Gerhardus ſecundus Comes Holſatiæ, & Domicellus Johannes, Filius filii Gerhardi in majori Eccleſia Hamburgenſi ſepulti.

Item Lodewicus Dux Bavariæ Imperator cæpit, & XXXIII. annis imperavit. Hic Papam Johannem XXII. tanquam hæreticum deponit, & alium ſcilicet, Petrum de Corbaria ordinis Minorum eligi curavit. Hic Papa Nicolaum Quintum ſe appellari voluit. Deinde annis quinque elapſis, & mortuo Imperatore, iſte Antipapa gratiæ Johannis ſe dedit & receptus eſt.

Eodem tempore Nobiles Advocati de Mindæ monte caſtrum ſuum Berg / olim Schalleckeberg dictum per Comites de Hoja dudum detentum, & occupatum anno Domini MCCCXIX. in die Marci & Marcelliani martyrum prudenter recuperaverunt.

Anno ſequenti civitas Mindenſis ipſo die Hippolyti igne conſumpta eſt.

Item Ericus Gerhardi filius ad magna promotus Decanus Eccleſiæ Hildenſemenſis electus, præſulatum ejusdem Eccleſiæ promeruit. Huic Henricus Dux de Brunſwick ſe opponit, & ad prædictam ſedem adſpirans violenter ſe ingeſſit. Erico vero Clerus & civitas Hildenſemenſis fideliter adhærentes diu in diſcordia cum intolerabili horum damno caſtrum Sturmolt & Marienborg / per Henricum poſſeſſum, ſteterunt. Tandem, Deo volente Ericus Epiſcopus de medio per mortem tollitur, & in oppido Greuen-Alveshagen in choro ſepelitur.

Gerhardus Adolphi & Erici germanus, mortuo Ludovico de Lüneborg / Epiſcopo Mindenſi, ex Decano hujus Eccleſiæ Præſul eligitur, Pontificatus Clementis Sexti anno quinto. Iſte quam proficuus hujus Eccleſiæ Pontifex fuerit, teſtatur, quod illud nobile caſtrum Raden per ejus prudentiam, Comitibus de Hoja, & Advocatis de Monte expulſis, Eccleſiæ ſuæ comparavit. Iſte præſul, non ut cæteri, titulo, ſed nomine & officio Epiſcopus in omni feſtivitate Mindam ſolemniter intrans, cuncta, quæ ad Præſulatus officium ſpectabant, in divino officio & in Clericorum ordinationibus, pœnitentes inthronizando, & in puerorum confirmationibus, ad Dei omnipotentis, & ſedis ſuæ honorem, peragere conſuevit. Moritur autem in Domino anno Domini MCCCLIII. ipſo die circumciſionis Domini, exſequiis pro eo ſolemni-

Digitized by Google

lemniter peractis, juxta altare Mariæ novæ juxta ſuos collegas ſepultus eſt. Sedit autem annos VI. menſibus IV. unam ſeptimanam & tres dies.

Ante hæc tempora anno videlicet Domini MCCCXLI. Comes Gerhardus Holſatiæ magnificus, & ſuper omnes temporis illius in Teutonia nominatus ſubita morte apud Landesbuſen in cubili ſuo clam, & nequiter occiſus, periit. Dum enim exercitum aliquando duceret in cuſtodiis magnis, & excubiis dormire ſolitus erat. Et ob hoc quidam Dacus, quondam cubicularius ſuus, ingreſſum ad eum, & egreſſum diſtinctè ſciens, ad ipſum in magna cuſtodia dormientem in cubiculo clam intravit, clam dormientem nudum & inermem mactavit, clamque recedens aufugit. Morte Comitis comperta, clamor & luctus in cœlum attollitur. Miles enim animo viribusque frangebatur, & exercitus totus inducitur confuſione. Sed conſilio procerum & amicorum ſuorum filius Comitis Gerhardi de planctu ſurgens, tota facie militem quemlibet ſublevat & exercitum ipſum perſuaſionibus, & oratione bona confirmans, expeditionem contra Danorum Regem inſtaurat, inſuper & majorem partem Daciæ regni occupat multo tempore. Tandem patris occiſorem Dacum capiens, ipſum demembravit, ſingula membra rotis confregit, confracta in ſublime levavit ſuper rotas, corvis & vulturibus devoranda. Hic ſumptibus magnificus fuit. Cum enim Dux Geldriæ Reinholdus pro filia Regis Angliæ, quam duxit uxorem, feſtum nuptiarum in Noviomago ſolemniter perageret, ad univerſos, Comes Gerhardus prædictus cum exercitu valido de Flandria rediens, in feſtum illud neſciens incidit, & ibidem ad honorandum Ducem manſit, curiam & feſtum ſolemniter inſtituit, lignis pro coquina deficientibus vaſa menſalia, puta, ſcutellas & talia quotquot inveniebantur, in Noviomago pro focalibus comburit. Nolebat enim carbones, ſeu ceſpites, quibus utuntur pro focalibus, in feſto ſuo comburi, cibis igitur, potibus, muſicis etiam inſtrumentis & diverſis apparatibus feſtum Ducis terræ hoſpes & extraneus, & viator omnibus excedens, Ducique valefaciens, & ſponſa ſua clenodiis precioſis honorata, in Holſatiam cum pompa reverſus eſt.

Igitur anno, quo Gerhardus Comes prædictus eſt interfectus, Holſati cum Danis apud Martenberge conflictum habentes, quo tandem CCC. Holſati, duo millia & trecentos de Danis ceperunt, & occiderunt. Et ſic mors Gerhardi Comitis dirè vindicata fuit.

Circa idem tempus Carolus Bohemorum Rex, Teutonicorum Imperator triceſimus, Romanorum à Julio centeſimus tertius, cœpit anno Mundi MMMMMCCCX. anno Domini MCCCXLVIII. à translatione Imperii in Teutonicos DXLIIX. & annis XXX. regnavit. Principium ejus multum videtur memoriale propter monſtra & portenta, & ſingularia multa, quæ tunc apparuerunt. Marchio Brandenburgenſis ad XXX. annos mortuus reſurrexiſſe dicebatur. Peſtilentia ſæviſſima populum delevit, Judæi ubique more pecudum mactabantur: Flagellarii, ſive gens ſine capite, adventum Antipatri pronunciabant. Adolphus hujus nominis VI. Comes X. mortuo ſuo patre, XVIII. annum ætatis attingens, Dominus & tutor Comeciæ de Schowenborg & Stormariæ deſignatus fuit. Huic ex flore Nobilium de Lippia, & germine conſors Domina Heylewigis matrimonialiter eſt conjuncta, de qua quinque filios fructus honoris & honeſtatis genuit, videlicet: Adolphum, Gerhardum, Simonem, Bernhardum & Ottonem. Adolphus igitur, aſſumto Comeciæ Dominio, paternos mores & corporalem pulchritudinem & venuſtatem non declinans, inter cæteros Weſtphaliæ & Saxoniæ Nobiles, in quorum medio, velut roſa inter ſpinas, incomparabili virtutum decore ſingulariter florens, Deum timens, religioſos & clericos honorans, bonos proſequens, & malos perſequens, in factis ſuis providus & juſtus inventus eſt. Volens igitur Holſatiæ partes, cujus & portio ſibi ex paterna hereditate competebat, intrare, Albiam manu militum robuſta tranſiens, à Comitibus Holſatiæ patruis ſuis traditioſe capitur, & captus aliquo tempore detinetur, propter quod tota terra commota eſt, quia adoleſcens tam inclytus, & totius honeſtatis & nobilitatis forma, de terra ſublatus ſubdole videbatur: Tandem pro hujus & ſuorum liberatione multa bona in urbe Hamburgenſi, & terris circumiacentibus, ad Comeciam Schowenborg ſpectantia, dictis Holſatiæ Comitibus & conſulibus de Hamborg impignorata noſcuntur. Hic ob inſignem ſuæ dignitatis eminentiam, tanto cæte-

cæteris Principibus Imperio dignior, ſi neceſſitas poſtulaſſet electorum, quanto excellentius præ illis virtutibus & moribus inſignior, qui à juventute usque ad finem in ſuo Dominio laudabiliter præfuit, quia nihil virtutis ſibi defuit. Conſummato igitur vitæ ſuæ curſu, & in agone conſtitutus filium ſuum primogenitum Adolphum ad ſe venire jubens, cleros & perſonas religioſas devotiſſime ſibi commendans, paternam maledictionem imprecans, quin eos diligeret, ſicut ipſe dilexerat. Tandem facta recommendatione. poſtquam Dominio ſuo ſub annis XXXVIII. laudabiliter præfuerat, tranſivit ad Dominum anno Chriſti MCCCLIII. ſepultus apud Monaſterium S. Johannis in Visbeke. Ad hujus commendationis præconium, & qualis in vita fuit, verſus ſequentes proteſtantur:

Ador, adeſque meri, virtutum regula cleri,
Heros cras & heri procerum, protectio cleri.
Prælia ſanxiſti pro fratribus heu cecidiſti,
Omnes viciſti, cum fine bono placuiſti.
Leges militiæ pro judice te ſtatuere
Auctor juſtitiæ Comiti Schomborg *miſerere*
Poſt Jubilum tertio Bonifacii defuit anno.

Ad hujus viri magnifici exequias omnis populus circumjacens confluebat. Pro hujus commendatione ſimul, & animæ recommendatione, Frater quidam ordinis Prædicatorum collationem ad populum fecit, cui tanta gratia loquendi conceditur, quod totum populum in tantum ad luctum commovit, quod ex lugentium ſingultibus tota replebatur Eccleſia.

Anno Domini MCCCLXI. Albertus Brunſuicenſis Dux, Archiepiſcopus Bremenſis civitatem Bremenſem in feſto Pentecoſtes, nonnullis ab intra traditioſe ad hoc cooperantibus, cepit & ſpoliis diripuit. Paucis tandem diebus evolutis, cives viribus reſumtis, per adjutorium Comitis de Oldenburg / æmulis ſuis, & hoſtibus expulſis de civitate, traditoribus aliquibus fugatis, cæteros ante proprias habitationes, & domos laqueo ſuſpenderunt. Decennio itaque poſthæc tranſacto Dux Brunſuicenſis Magnus fratris veſtigia ſequens civitatem Lüneborg in nocte XI. millium virginum cepit. Cives vero quaſi unus vir conglobati, hoſtibus in civitate audacter occurrentes, omnes ceperunt, ex quibus occulte multos decollantes ad unam magnam foveam ſimul projicientes ſuam civitatem recuperaverunt. Paucis annis ante hæc, cives prædicti Magni Ducis ſeveritatem timentes, illud nobile & famoſum caſtrum in monte Lüneborg / à Julio Cæſare fundatum, deſtruxerunt, & montem interrumpentes pro caſtro amplius ponendo in toto inhabilitaverunt. Hic enim mons inſigne quoddam ſingulare ſicut mons Segeberg in Holſatia, totius patriæ fuit. Nam tota terra circumiacens plana eſt, & ſine montibus. Mortuo Comite Adolpho quinque filii ejus prædicti ſuperſtites manſerunt, & una ſanctimonialis Methildis nomine ordinis Prædicatorum Dei ſervitio apud Lemego mancipata fuit. Adolphus igitur tanquam primogenitus regimen terrarum ſuarum aſſumens, fidelis patris ſui teſtamenti exſecutor à paternis veſtigiis ſimul & legibus non receſſit. Quare gratia capiti & torques collo ſuo addita & donata eſt. Unde Fridericum de Marka nobilem cum Oſnabrugenſibus inter Mindam & Oſſenbrugge / aſſiſtentibus ſibi Johanne Comite de Hoja, & Wedekindo nobili Advocato de Monte Mindenſi, anno Domini MCCCLXIII. bello vicit. Et quia cives Mindenſes cum his Dominis ligam amicitiæ habebant, ecce Engelbertus de Marka / hujus germanus, volens ſe in Mindenſibus vindicare, & fratrem ſuum liberare, Mindam per triduum manu valida & forti, circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, obſedit. Videns autem incaſſum ſe laborare datis pecuniis fratrem de captivitate liberat. Prædictus etiam Comes Adolphus caſtrum Domini Schowenborg à quibusdam Holſatiæ militaribus Pinnenberge jure belli acquiſivit.

Anno tandem MCCCLXX. terram Sanctam corporali præſentia viſitare volens, apud Inſulam Cypri in civitate Famaguſta in vigilia S. Eduardi Anglorum Regis viam carnis univerſæ tranſivit, ſepultus in conventu Fratrum prædicatorum ibidem. unde verſus:

Digitized by Google

Ter C. milleno ſexageno quoque deno
Adolphus dictus Comes in Schomborg *benedictus*
Octobris pleno ſurgente die duodeno
Emiſit ſtatum Domino gratum atque beatum.

Gerhardus vero ſecundo-genitus, ejuſdem propoſiti, Eccleſiam & ſedem ſuam heu, quaſi viduam derelinquens in mari cum S. Clemente diem clauſit extremum. Iſte ex theſaurario Epiſcopus Mindenſis Eccleſiæ eligitur, & ab Innocentio VI. confirmatur, Sedem ſuam ampliare volens, de villa olim Hokeleve oppidum Petershagen/ & Eccleſiam Parochialem transferens, conſtruxit. Caſtra etiam Eccleſiæ expoſita redimens & reformans tam prudenter ſe ſuosque rexit, quod omnes nobiles hujus prudentiam formidabant, terras & villas caſtraque Eccleſiæ ablata perdere timentes. Terram tandem Salvatoris noſtri viſitare deſiderans, una cum fratre ſuo, ut dictum eſt Adolpho, ſedis ſua caſtra aliquibus, ut credebat, committens, peregrè profectus eſt. Sed qualiter in repetione caſtri Raden/ quod patruus ſuus acquiſivit, actum fuit, Nicolaus de Werpe/ & ſui complices noverunt. Demum hic præſul Eccleſiæ prædictæ magnam jacturam & cauſſam triſtitiæ derelinquens, migravit ad Chriſtum. Qualis & quantus hic fuerit, verſus ſequentes teſtimonium perhibent:

Hic eſt Gerbardus de Schomborg *nullibi tardus:*
Qui cum proceſſit prudenter ſingula geſſit.
Clerum Mindenſem clavum bene rexit & enſem,
Oppida conſtruxit detractaque caſtra reduxit.
In menſa Princeps, in militia fuit anceps.
Cur ſibi non pœna, ſed ſit Domini peto cœna.

Simon tempore Gerhardi Epiſcopi in caſtro Petershagen per haſtiludium lethaliter læſus in Overnkercken ſepelitur, anno Domini MCCCLX.

Bernhardus vir maturus Hamburgenſis Eccleſiæ dignus Præpoſitus fuit. Et quia hic pacis & concordiæ fautor erat, Albertus Bremenſis prædictus ſuæ ſedis tutorem eum conſtituit. In Epiſcopum Eccleſiarum Mindenſis & Oſnaburgenſis electus eſt, ſed quia in Eccleſia Romana ab aliis præventus eſt, non ipſe, ſed Eccleſiæ eundem poſtulantes, fruſtratæ fuerunt. Divinis laudibus, & ſuæ ſaluti non ſegniter intendens, capellas in Hatesborg/ & in Pinnenberge dotatis reditibus aſſignatis fundat. In diebus illis Widechindus de Monte Mindenſi militari gladio accinctus in Epiſcopum Mindenſem eligitur: Cujus loco germanus ſibi æquivocus, Eccleſiæ Mindenſis Præpoſitus ſubſtitutus eſt. Poſt obitum Comitis Adolphi in Cypro, fideles & ſocii peregrinationis ejuſdem ad propria reverſi ſunt, unde veritate comperta, quorum intererat, Otto inter fratres ſuos junior loco fratris ſui Dominus terræ, & Comes deſignatur. Dominio itaque potitus Dominam inclytam de Lüneborg/ quondam Ducis Lodewici conſortem, duxit uxorem. Hæc tempore ſuccedente peperit duos filios & quinque filias: Adolphum, videlicet, & Wilhelmum, qui Wilhelmus in puerili ætate duodennis mortuus, in Overnkercken ſepelitur. Una filiarum Adelheidis Comiti de Honſtein Tiderico: alia Domino de Stennorde: tertia de Monaſterio Overnkercken aſſumta, in Abbatiſſam Monaſterienſis civitatis eligitur & confirmatur: Quarta Monaſterio Elthen traditur: Quinta vero Helena dicta Abbatiſſa in Molenbeke electa eſt. Hujus Ottonis tempore tanta Weſeræ fuit inundatio, quod ſuper illum altum pontem apud Mindam ultra altitudinem quatuor pedum aſcendit, ponte intacto manente.

Item Carolus quartus Mindam veniens in conventu Fratrum Prædicatorum ſolemniter ſuſceptus, tribus diebus manſit ibidem.

Eodem tempore beatus præſul & martyr Felicianus Epiſcopus Fulginenſis magnis miraculis in corpore ſuo in Minda corruſcare cœpit.

Igitur Otto Comes inclytus paternarum traditionum non ſegnis imitator, dapſilis, pacem fovens, religioſorum & cleri benefactor, & protector victorioſus, compertus eſt. Et quia apud ipſum gratiæ datorem nihil boni amittitur, Otto contra Ducem Brunſuicenſem Magnum nomine apud villam Holtern diœceſis Mindenſis, ipſo die S. Jacobi Apoſtoli prælians, vicit, & quamvis nolens Comitem interfecit. In quo bello Otto Comes de Everſtein cum quibuſdam aliis etiam occubuit. In hujus victo-

Digitized by Google

victoriæ perennem memoriam, ne vitio ingratitudinis argueretur, in honorem Dei omnipotentis, & beati Jacobi in capella caſtri Schowenborg altare fundans, dotavit. Poſthæc bona paterna volens ampliare caſtrum Nottelenborg ædificat, Bockeborg muro cingit, Rodenborg renovat, Schowenborg duabus turribus munit, & firmat, feneſtris magnis & caminatis aliiſque commodis illuſtrat. Sed quia quem Dominus diligit, corripit, flagellat & tentat, priſtina fortuna ex Dei permiſſione faciem favorabilem avertit, & terga dedit. Sperantem tamen in ſe in tribulatione conſtitutum non dereliquit, ſed cum tentatione proventum bono fine concluſit, unde Auguſtinus: Quid mirum ſi flagellat cuſtodiens puerulos Dominus, quos grandes quæret hæredes? Flagellum enim hominem erudit & cuſtodit. Idem: Quicunque eximitur à paſſione flagellorum, exemtus erit à numero filiorum.

Mortuo itaque Wenceslao Duce Luneburgenſi, Henricus, Friedericus & Bernhardus de Brunſwick filii prædicti Ducis Magni, Ducatum Lünenborg ambire cœperunt. Contra quos cives de Lünenborg cum eorum fautoribus, ſcilicet, Ottone Epiſcopo Mindenſi de Montenato, Ottone Comite in Schowenborg/ Comitibus Erico & Johanne de Hoja, & Gerhardo ultimo Comite de Brockhuſen/ Johanne ultimo Comite de Sternberge/ quantum poterant reſiſtentiam fecerunt. Igitur fundatis caſtris duobus contra oppidum Celle & Winhuſen/ Duces congregato grandi exercitu cum oppidanis Brunſuicenſibus bellare ſe diſpoſuerunt. Illuceſcente itaque die feſto corporis Chriſti, juxta villam Winhuſen congreſſi bellabant. Nam prædicti oppidani, non modò militari, ſed ſicut ab antiquo uſitatum, & conſuetum tenentes modum, partem oppoſitam ſagittis interfecerunt. Sed quia commune proverbium eſt: Qui ſibi nequam, cui bonus? & revera ſibi ipſi bene nequam inventi fuerunt, quando pro-conſules & conſules, alioſque viros prudentes, quorum prudentia totam terram, & caſtra Dominorum regebant & tenebant, recte quia Domini terræ, turpiter occiderunt. Hos namque pro pace, & terræ unitate fideliter laborantes, etiam cum damno, & proprii honoris detrimento perpetuo & non modico, plectere non verebantur. Inter ſe etiam, hoc eſt, in ſubditos ſuos ſimilem tyrannidem & crudelitatem exercentes, decem magiſtros Gildonum, ſive unionum, patibulis ſuſpendebant, undecimo decollato, duodecimo vero Aquiſgrani exiſtente.

In diebus illis Carolus quartus filium ſuum Wenceslaum Aquiſgrani Regem Romanorum fecit, & Wilhelmus Comes de Monte Ducatus dignitatem & faſtigium aſcendit.

Poſthæc an. Domini MCCCLXXXIX. Papa Urbanus VI. Romæ moritur, & ſedit annis XII. Iſte ſuperbiam & avaritiam pompamque Cardinalium humiliare volens, omnes ab eo Avinionem euntes recedunt, & per Regem Francorum Carolum & Comitem Fundanum receptis, Robertum Rebonenſem Anti-papam creant. O quantam infidelitatis & perfidiæ maculam hic Rex, qui quondam fuit Chriſtianiſſimus, in coronam regni ſui in perpetuum impoſuit. Hic à paternis veſtigiis devians & degenerans, fovens ſchiſmata, veritatem, quæ Deus eſt, oppugnans, filios Eccleſiæ ratione ſemper fideles, fidem Catholicam cum corporis ſui detrimento prædicantes & defendentes, perſequi non veretur. Sed quia Dei manus pauperes religioſos, & alios ſibi fideliter ſervientes defendens, abbreviata non eſt, videtur quod eadem manus eundem pro tanto facinore duplici contritione, niſi condignam pœnitentiam egerit, punitura ſit. Ecce hæc, inquam manus dictum Regem jam multis annis ratione interdum privans ſic punit, quod in furiam verſus ſit tantam, quod tres milites interfecit. Tandem ad cor reverſus, lucida enim intervalla habens, pro prædicto ſchiſmate ſe dando, & unione nunc fideliter dicitur laborare. Incepit autem prædictum ſchiſma anno Domini MCCCLXXIIX. & duravit usque ad annum Chriſti MCCCCVII. Iſte Urbanus feſtum viſitationis Mariæ celebrandum inſtituit, ſucceſſore ſuo Bonifacio hoc approbante, & indulgentiis ſicut feſtum Corporis privilegiavit. Inſuper generalem licentiam divina ſolemniter celebrandi tribuit perpetuis temporibus duraturam.

Igitur Comes Otto de captivitate Ducum Brunſuicenſium rediens, de prolis ſucceſſione ſollicitus, & de Comeciæ regimine, filio ſuo Adolpho filiam Erici Comitis de Hoja matrimonialiter copulavit. Modica autem de prolis maſculinæ ſucceſſione ſpes habe-

habebatur, quod ſcio, velut aulam prædictam pro tempore viſitans & ſequens. Sed ſicut Iſaac ex repromiſſione, & Samuel ex matris ſuæ Annæ voto, ad ſanctorum patrocinia, & præcipuè glorioſi Martyris Petri de Mediolano ordinis Prædicatorum, qui in tali negotio & cauſſa invocatus adeſſe conſuevit, recurrentes Ottonem impetraverunt. Anno vero MCCCC. Adolphus genuit primogenitum, nomen paternum ſibi imponens Ottonem nominavit. Eodem anno ſacri Imperii Electores apud Franckenvorde Principum & multorum Nobilium præſentiam, propter cauſſas arduas Eccleſiam Romanam, & ſacrum Imperium concernentes, convenire ſolemnem fecerunt. Peractis negotiis & repatriare volentibus, Comes de Waltege & impii caſtrenſes de Padberge hoſtiliter aliquos invaſerunt, multos capientes, & nonnullos occidentes. Rodolphus Dux Saxoniæ, Princeps de Anhalt / Nobilis de Barbey / Scrapelaw / & Honſteine / de Schwartzenborg / Epiſcopus Verdenſis, omnes capti, & nonnulli interfecti ſunt.

Poſthæc circa feſtum Aſſumptionis glorioſæ virginis Mariæ, iterum Electores & Principes Imperii ibidem convenientes, Regem Bohemorum tanquam indignum Imperio deponentes, Ducem Bavariæ re & nomine Clementem concorditer elegerunt. Iſte cum Aquisgrani coronari deberet, Aquenſes ſibi introitum denegaverunt, portas civitatis ſuæ præcludentes. Colonienſes vero novum Regem honorare volentes ſibi magnifice & obſequioſe obviant, & eundem ſolemniter introducentes vice Aquenſium coronant. Ad prædictam rebellionem Dux Geldriæ eos dicitur animaſſe & inſtigaſſe.

Eodem tempore Rex Angliæ Richardus ab Henrico Duce Langecaſtel capitur, & in cippo miſerabiliter occiditur, & duo Archiepiſcopi, duo Epiſcopi, Duces, Comites & diverſorum ordinum religioſi & prælati cum eo. Idem Henricus æquipollens in malitia Henrico Regi Angliæ, qui S. Thomam de Cantuaria in Eccleſia occidit, aſſimilatur.

Ad paucos annos ante iſta tempora, Dux Henricus & Bernhardus de Lünenborg / & Fridericus Dux Brunſuicenſis paternis limitibus non contenti, manu valida, videlicet, Duce Wilhelmo de Monte, Ottone de Brunſtene / Epiſcopo Hildenſemenſi, Gerhardo, & Ottone de Brunſwick / Epiſcopo Verdenſi, poſtea Bremenſi Archiepiſcopo, Cometiam de Schowenborg deprædare volentes, caſtrum inter Rodenberge / & Greuen-Alvenshagen nomine Sturow ſuper rivulum Kerſpowe erexerunt. Otto vero Comes anxiatus, & ab omnibus derelictus fuit. Soli Mindenſes cives priſtinæ fidelitatis, quam in obſidione & depoſitione caſtri Depenowe Erici Comitis de Hoja eis exhibuit, non immemores, in caſtrorum & oppidorum ſuorum defenſione non defuerunt.

Anno vero Domini MCCCXCVI. in vigilia Pentecoſtes Comes de Ravensberge / caſtrum de Sternberge infra prandium cepit, & ultra annum detinuit. Placitis tandem Dominorum intervenientibus caſtrum Domicello, Adolpho de Schowenborg pro M. & D. florenis redditur, & tota lis & diſcordia terminatur.

Anno MCCCCV. Bernhardus Nobilis de Lippia cepit Henricum Ducem de Lünenborg / & captivum in caſtrum Dominii ſui Falckenberge abduxit cum aliis captivis, & inhumane & crudeliter in cippo tractavit. Placitis tandem horum diſplicentiam mediantibus, Dux pro ſolutione ſua magno theſauro expoſito crudelitatis non immemor anno Domini MCCCCVII. circa feſtum Jacobi Apoſtoli manu validiſſima terram de Lippia intrans cuncta igne & ferro devaſtavit.

Anno Domini MCCCCIV. ipſo die beati Dominici confeſſoris, Dethmarci Ducem Sleſwicenſem cum trecentis & ſexaginta armigeris, victoria cœlitus eis data, nudi ſine armis materialibus, ſed juſtitia accincti & loricati occiderunt. Unde in triumphi memoriam perennem pro gratiarum actione ſequentem cantionem populus terræ cantare conſuevit:

Gode ſchölen wy loven / de uns hefft geſandt
Den goden Sünte Dominicus den wahren Heyland.
De an ſinem Dage heuet unſe Landt
Gnediglich behödet mit ſiner vorderen Handt / Kyrie-eleyſon.

Eodem

Eodem anno vir virtutibus fulgens diverſorum religioſorum pater, cleri fautor, pauperum defenſor, Otto de Schowenberg rebus exceſſit humanis in vigilia Gertrudis virginis, moriens apud Monaſterium Ouernkerken tumulatus eſt.

EXPLICIT CHRONICA COMECIÆ DE Schowenborg.

In exemplari Germanico hæc addita ſunt.

Anno Domini MCCCCLXXIV. die Sabbati poſt Pentecoſtes intra X. & XI. meridianam, obiit Nobilis & generoſus Dominus, Adolphus Comes Holſatiæ & Schowenborg/ Ottonis F. cui Deus ſit propitius Amen.

HENRICI MEIBOMII NOTÆ AD HERMANNVM LERBECIVM.

ANno igitur verbi incarnati 1030. Imperii Conradi ſecundi anno tertio) *Memorabilis hic eſt annus, quippe qui ab orbe condito quinquies milleſimus, à baptiſmo Chriſti milleſimus, Jubileus mundi centeſimus, Moſis quinquageſimus, Chriſti viceſimus. Omnes autem ſcriptores in eo conſentiunt, Comitatum Schawenburgenſem hoc anno cœpiſſe. Chronicon Mindenſe, quod nunc evulgamus, tale de hac re habet diſtichon:*

Annis nongentis centenis, ter quoque denis,
Poſt Chriſtum natum Schomborg tenet initiatum.

Affirmat Chytræus in Saxonia lib. 2. in altiſſima turri arcis Schawenburgicæ idem diſtichon aureis literis inſcriptum eſſe. In eodem Mindenſi Chronico reperitur etiam alius verſus, qui talis eſt.

Eſt Schomborg natum M. X. tribus initiatum.

Nobiles de Santersleve) *Fœdè hoc vocabulum corrupit Cranzius, Saxon. lib. 8. c. 26. obtundens nobis aliud, videlicet,* Salingsleve/ *quod conſtanter retinuerunt omnes, qui de hac perilluſtri familia aliquid literis mandarunt. Ertwinus Ertmannus in Chronico Oſnaburgenſi cum Lerbecio conſentit, verba ejus hæc ſunt:* In his temporibus ad eundem Conradum Imperatorem in Minda venere Domini de Santersleve de diœceſi Magdeburgenſi, tempore Sigeberti Epiſcopi Mindenſis: & Adolphus vir ſtrenuus fidelis & prudens, urticarum montem, vulgariter dictum den Nettelenberg/ in feudum recepit, & factus eſt Camerarius Epiſcopi: caſtrum Schowenborg/ ſive ſpeculationis fundavit, ab Imperatore prædicto Comes inveſtitus. *Hactenus Ertwinus.*

Credo autem, tam Lerbecium, quam Ertwinum hæc primordia Comitatus Schawenburgici referre ex Henrico Hervordienſi monacho Dominicano domus S. Pauli in urbe Minda, rerum Saxonicarum ſcriptore diligentiſſimo. Sit igitur Adolphus primus Comes Schawenburgius origine Santerslebius, non Salinglebius. Nec admittimus Spangenbergii argutationes de Salingis Francis, ex quibus Adolphi parens fuerit oriundus. Santerslebium ut & Scakenslebium, cujus infra mentio fit, ſuperant adhuc in diœceſi Magdeburgica ſub præfectura Alvenslebiana, ſuntque prædia hereditaria familiæ nobilium Velthemiorum. Meminit Santerslebii Ditmarus Epiſcopus Merſpurgenſis (qui ante ipſos ſexcentos annos Imperatorum Saxonicorum res geſtas diligenter perſcripſit, ipſe origine Comes Walbecenſis ad ripam Aleræ) & ita meminit, ut innuat curtim Dominicam, ſive prædium Imperiale, fuiſſe, & ab Ottone M. Imp. Lothario ejus nominis ſecundo Comiti Walbecenſi in gratiam recepto, dono datam.

Digitized by Google

Ex hac narratione non abſurde colligo; Dynaſtas Santerslebios, à quibus Schawenburgii Comites originem ſuam accerſunt, à Comitibus Walbecenſibus promanaſſe. Quam meam conjecturam præter circumſtantias temporum & locorum confirmat, quod Lerbecius Brunonem 16. Epiſcopum Mindenſem (quem nonnulli Adolphi primi Comitis Schawenburgici fratrem faciunt) Marchionem Brandenburgenſem appellat. Ubi error in nomine, debuit enim dicere Bernburgenſem, qui marchionatus cum in hiſtoriis minus ſit celebris, alter vero videlicet Brandenburgenſis notior, erroris inde nata occaſio. Fuere autem ex Comitibus Walbecenſibus marchiones Bernburgenſes Lotharius hujus nominis tertius, ejuſque filius Wernerus, qui iſta dignitate poſtmodum excidit. A Wernero marchione Bernburgi deduco Dynaſtas Santerslebios, addoq; Godilam ex occidentali Saxonia oriundam, Lotharii marchionis conjugem, patrimonium ſuum in utraq; Viſurgis ripa ſitum ad maritum dotis loco attuliſſe, quod Adolphus, ſive nepos, ſive pronepos, beneficio Epiſcopi Mindenſis auctius reddidit, eodem tempore ab Imp. Conrado Comitis dignitatem indeptus. Hæc in Chronico Walbecenſi recens edito pluribus expoſui. Adolphus Santerslebius diœceſin Magdeburgenſem relinquens partem bonorum ſuorum titulo feudali poſſidendam tribuit nobilibus Dreilebiis, quæ familia olim hiſce in locis magni fuit nominis, & multarum imaginum, relata inter Dynaſtas, ſive Liberos Barones, quod ut probem, adferam literas donationis Volradi Dreilebii, ſcriptas an. 1293. quæ ſic habent: Volradus nobilis, dictus de Dreileve / omnibus hoc ſcriptum inſpecturis, quicquid ſervitii poterit & honoris. Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, literarum memoria debent perennari. Sciant igitur univerſi præſentium lectores, quod ego Volradus nobilis, dictus de Dreileve / vendidi Dominabus fontis S. Mariæ decimam ſitam in campo Tueluen / cum omnibus attinentiis, liberam ab omni advocatia, & exactione, pro viginti quinque marcis Stendatis argenti, pro quo filiam fratris mei in ſuum collegium ad ſerviendum Deo receperunt, eidem omnia neceſſaria, ſcilicet, in veſtitu & aliis rebus, quæ ad hoc pertinent, largè & benevolè miniſtrantes. Ut autem hujuſmodi venditio apud poſteros meos rata, & firmiter teneatur, præfatis Dominabus præſentem paginam ſigilli mei munimine roboratum in validum teſtimonium erogavi. Actum & datum anno 1293. *Hactenus Volradus Dreilebius nobilis. Qui vero iſtis temporibus nobilium appellatione venerint, nempe Dynaſtæ, ſive Barones, mediocriter in hiſtoriis verſati facilè intelligunt, eſtq; à nobis idem argumentum alibi tractatum. Antiquitas familiæ Dreilebianæ ex eo conſtat, quod Richertus Dreilebius floruit circa annum 1147. fuit idem adhuc in vivis anno 1174. Ornavit genus ſuum Volradus alter, una cum Henrico à* Bretenoleben / *& Tiderico à* Lammwenden *ſpeculi Saxonici interpres, coætaneus Burchardi ſecundi archiepiſcopi Magdeburgenſis. Videatur gloſſa ſpeculi Saxon. lib. 3. cap. 65. Clauſiſſe familiam nobiliſſimam videtur Volradus tertius, cujus beneficium ſive feudum, quod à Comitibus Schawenburgiis, tam Santerslebii, quam Scakenslebii habuit, videlicet quatuordecim manſos, ſive hubas, Friderico Heinonis filio, & Buſſoni Henrici filio, ex equeſtri Alvenslebiorum familia prognatis, titulo feudali contulit Ericus Comes Holſatiæ & Schawenburgi anno 1487. ut habent literæ Reverſales, quas vidi & legi. Non parum autem facit ad dignitatem & eminentiam Comitum Schawenburgicorum, quod eos habuerunt clientes, ſive vaſallos, quorum majores inter Liberos Barones locum habuere. Jus patronatus utriusq; fani, tam Santerslebienſis, quam Scakenslebienſis, de quo Lerbecius, an adhuc ſit penes Comites Schawenburgios, liquido ſcire non poſſum.*

Cum advenæ Romani mandatis Caroli obedire minimè curarent) *Circumfertur diploma Caroli M. datum an. Chriſti 808. Ex quo hic locus deſumptus eſt. Multa in diplomate fabuloſa, imo omnia: quodq; nemo rerum noſtrarum peritus, abſq; riſu legere poſſit. Nec tamen erubuit Cornelius Kempenſis totum hiſtoriæ ſuæ Friſicæ inſerere. Adi eum lib. 3. cap. 20. Rectius collector apud Monachum Nuſſienſem in chronico Belgico, ubi ſic ſcribit:* Erubeſcant qui Apocrypha geſta fingunt, dicentes hunc (Carolum Magnum) aut quempiam alium hujus nominis Carolum Romam urbem armis obſediſſe, & eandem devictis Romanis cum Friſonibus expugnaſſe. *Hæc ibi: Quæ de libertate Friſiis data afferuntur, ea etiam inficiatur Crantzius Metropol. lib. 1. cap. 8. Deductas autem colonias tempore Caroli M. ex Friſia populis abundante in agrum Magdeburgicum equidem haud negaverim: cum ex Helmoldo l. 1. c. 58. 89. & 92. conſtet, Hollandos, Selandos, Flandros & Weſtphalos patria relicta in locis Albi vicinis ſedes cepiſſe.* Con-

Digitized by Google

Conrado ergo præfato curiam ſolemnem in Minda fere per biennium tenente) *Conradum ſecundum cognomento Saliquum, ſive Salicum, Mindæ per biennium cum aula ſua commoratum, indicat etiam Chron. Mindenſe verbis ſequentibus:* Sigebertus quintus decimus Epiſcopus: iſte à Conrado ſecundo Imp. qui annis duobus Mindæ curiam ſolemnem in platea, quæ **Kamp** dicitur, tenuiſſe perhibetur, foreſta in **Heſterberg**/ & plura alia diœceſi ſuæ utilia anno Chriſti 1029 impetravit. *Meminit ejuſdem curiæ Gobelinus cap. 53. ætatis 6. & addit Imp. Conradum Mindæ procuraſſe eligi filium ſuum in regem: cui adverſari videtur* **Wippo** *collocans electionem Henrici tertii in annum 1026.*

Ludero Comiti Saxoniæ, qui deſcenderat de ſemine Wedekindi regis Angariæ) *Origo Luderi ſive Lotharii Saxoniæ ducis, poſtea Romanor. Imp. Aug. fuit non ex ſtirpe Wedechindi, ſed ex familia Dynaſtarum Querfordenſium. Patrem habuit Gebhardum, qui in prælio Saxonum contra Henricum 4. ad flumen Thuringiæ* **Unſtrum** *anno 1075. occubuit. Paucis ante illam cladem diebus natus eſt Lotharius. Ejus conjunx* **Richenſa** *fuit ex poſteris Widechindi Saxonis, filia Henrici craſſi Ducis Saxoniæ, neptis Ottonis Ducis Bavariæ hoſtis Henrici 4. Imp.*

In diebus illis) *Adi Helmoldum lib. 1. cap. 36. ubi præclarè de hac hiſtoria. Adolphus Schawenburgius, qui Gotfrido à Sclavis cæſo ſucceſſit, an prioris nepos vel pronepos fuerit, Crantzius definire non audet: videatur lib. 8. cap. 26. Saxoniæ.*

De ſancto Wiſcelino) *Quem auctor noſter Wiſcelinum nominat, aliis ſcriptoribus omnibus eſt Vicelinus. Puto idem nomen eſſe Wiſcelini & Wezelini ut & Werneri. Nam Archiepiſcopus Magdeburgenſis, qui tempore Henrici 4. Imp. cum Saxonibus belligerantis miſere trucidatus eſt, à Brunone iſtius temporis Hiſtorico Werinberus, ab auctore Apologiæ pro Henrico 4. Imp Wezelinus nominatur. Bertoldo Conſtantienſi eſt* **Wezel.**

Filio ejus Suedero) *Suentepolci filius ab Helmoldo lib. 1. cap. 49 vocatur* **Zuineke.**

In diebus illis obiit Comes Adolphus) *Obitus Comitis Adolphi ſecundi à recentioribus collocatur in annum Chriſti 1122. Monaſterium in quo ſepultus eſt, conditorem habuit Brunonem Epiſcopum Mindenſem, Marchionem Brandenburgenſem, ut Lerbecius, electum ex choro Magdeburgenſi, ut Crantzius Metrop. lib. 4. cap. 21. Monachi illuc ex monaſterio Bergenſi prope Magdeburgam traducti ſunt, dato eis Abbate Meinwardo.*

Anno Domini MLXII.) *Lugubre admodum fuit hoc incendium, abſumtis omnibus donariis ab Imperatore Carolo M. & Widechindo Duce Saxoniæ, Baſilicæ liberaliſſimè donatis, ut Chronicon Mindenſe.*

Privilegio ſuper hoc dato) *Exſtat in appendice ad Chronicon Mindenſe, editum à Joanne Piſtorio: Legitur autem ibi pro* **Lezingern**/ **Lasbuggeri.** *Datum eſt diploma Goslariæ 1063.*

Bernhardo Selonenſi Epiſcopo nobili de Lippia) *Ingens ἀνισομοία. Bernhardus Comes Lippienſis anno 1219. cucullum induit. Peregrinandi amore incenſus abiit in Livoniam, ibiq; Selonienſibus populis datus eſt Epiſcopus, ut Stadenſis ad annum 1227. Atqui hoc tempore ab obitu Hartungi Comitis Schawenburgenſis effluxerant anni centum plus minus.*

Luderus Imperator cum grandi exercitu, & expeditione in Bohemiam) *Præclare de hac expeditione Otto Friſingenſis de rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ lib. 1. cap. 20. Annus eſt in controverſia: Albertus Stadenſis, & Chronicon Lauterbergenſe, ponunt 1126. quem habent etiam Bohemi quidam, puta Coſmas Pragenſis, & Wenceslaus Hagecius. Verum Robertus de Monte, Dodechinus, Faſti Stederbergenſes, & Martinus Cuthenus Bohemus ſequentem annum nominant. Cæſi ibi ſunt multi nobiles, hoc eſt Comites & Barones, & in his Hartungus Schawenburgius, quem Comitem Nordalbingiæ Bohemi vocant, Gebhardus Dynaſta Querfurtenſis, & Milo Comes Gribenſis Saxo: Occubuit ibidem Arnoldus Epiſcopus Merſeburgenſis illuſtri & ipſe loco natus. Bertoldus Hildeſienſis Epiſcopus Imperatori miſerat auxilio quinquaginta milites, qui ad unum omnes occiſi ſunt, ut Chron. Lauterbergenſe. Albertus Urſus, Marchio Brandenburgenſis, & Ludowicus Comes Loranus capti ſunt. Procopius Lupacius in Ephemerid. rerum Bohemicarum ſcribit, Germanos paulo minus quingentis, ex Bohemis tantummodo tres occubuiſſe, cui Lauterbergenſe Chronicon contradicit, affirmans æquam utriusque cladem acceptam. Gobelinus in Coſmodromio ſcribit, Cæſarem tria tantum armatorum millia in caſtris habuiſſe, cum Bohemus viginti millia eduxerit. Qui ex nobilitate occubuerant, eorum cadavera Imperator ex hoſtico ſecum in Germaniam exportata majorum ſepulcris inferri juſſit.*

Digitized by Google

juſſit. Dies cladis incidit, non in diem Eulaliæ, qui eſt duodecimus, ſed in decimum octavum Februarii, ut annotarunt Bohemi, neque diſcrepat Chronicon Lauterbergenſe.

Venitque ad vallum id notiſſimum Denewerck nomine) *Saxo Grammaticus lib. 14. Etymon hujus propugnaculi his verbis exponit:* Aggerem, quem Danorum ſtructuram appellant. Auſpex operis Thyra, cognomento Danebode/ ſive Danebode/ Hadelradi Angliæ regis filia, quæ Gormonis tertii Danorum regis uxor, poſt obitum mariti, anno 950. defuncti, cum filio Hadelrado munitione iſta patriæ ſalutem firmare voluit. *Sed audiamus iterum Saxonem ex lib. 10.* Poſt hæc Thyra, quo patriam à clandeſtinis exterorum irruptionibus tutam præſtaret, quantum à Sleſuico ad occidentalem Oceanum patet, vallo foſſaque proſcindere aggreſſa eſt, ſuperque jacto aggere tenaciſſimi operis terrenum molita eſt munimentum. Cui poſtmodum Woldemari regis Abſolonisque Danicæ gentis Antiſtitis, conſimilis erga patriam pietas murum cocti lateris ſuperiecit, uti potius veteris valli occiduos lapſus ſolidior novæ molis ſtructuræ reficeret, quam delebilem ejus ſitum crebrior inpoſterum ruina ſubmitteret. Siquidem priori munitione fundamenti loco uſi imperfectum fœmineæ virtutis propoſitum virili prudentia, compleverunt, tanto excellentius opus edentes quanto ſe muliebri noverant induſtria clariores, &c. *Woldemarus rex, qui hic nominatur, fuit ejus nominis primus; Abſolon, Epiſcopus Roſchildenſis.*

Caſtrum Segeberge/ quod latinis Mons victoriæ, vel victorialis dicitur) *Qua occaſione caſtrum Sigenbergenſe conſtructum ſit, legitur apud Helmoldum lib. 7. cap. 54. De anno conſentiunt noſter auctor & Albertus Stadenſis. Monaſterium, quod Eccleſiaſticis religioni in Sclavia propagandæ, novæ arci Imperator adjunxit, cœpit triennio poſt, ut habet diploma fundationis, quod ſubjungo.* In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Lotharius divinæ ordinationis clementia Romanor. Imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus omnibus fidelibus, tam præſentibus quam futuris, quod nos pro perſecutione paganorum in Chriſtianos, caſtrum in Sclavia conſtruximus, quod à modernis vocatur, Sigeburg/ ab antiquis Aelberg: & ante caſtrum fecimus Eccleſiam ad honorem Dei, & virginis Mariæ, & B. Joannis Evangeliſtæ, pro fide Catholica ibi propaganda. Ordinationem vero ſupra dictæ Eccleſiæ commiſimus fideli noſtro fratri Vicelino, viro religioſo & bonæ converſationis, cujus vitam in bonis operibus probatam cognovimus, ſuiſque ſucceſſoribus, quos ſanior pars elegerit, fratrum Deo ipſi ſervientium concedimus pro remedio animæ noſtræ ac dilectæ conjugis noſtræ Rigbzem/ omnem terram, quæ eſt in occidentali parte caſtri uſque ad fluvium Travene/ ex utraque parte viæ cum ſylva in meridionali plaga adjacente, cum ſex pagis. Et ut hæc omnia rata, & inconvulſa permaneant, impreſſione ſigilli noſtri ſignari præcepimus. Teſtes fuerunt, Adelbertus Archiepiſcopus Bremenſis, Tithmarus Verdenſis, Marchio Albertus, Friedericus Comes Palatinus, Sifridus Comes de Homburg/ Adolphus Comes, Conradus Comes, Comes Sifridus de Ertelenburg/ Bernhardus Vice Dominus, Ludolphus de Waletigerota/ Ludolphus Advocatus, Præpoſitus Bernico, Præpoſitus Hardamannus, Præpoſitus Suelhardus, cæterique plures tam liberi quam miniſtri alii. *Data ab incarnatione Dominicæ 1137. 16. Kal. Apr. Anno vero regni noſtri 12. Imperii 5. Actum* Bardewick *in Chriſti nomine feliciter, Amen.*

Adolphus Comes cujus in hoc diplomate fit mentio, ſine dubio eſt Schawenburgius, qui idem cum filio ejuſdem nominis interfuit Comitiis Brunſwicenſibus anno 1130. vide Spangenbergium Saxoniæ cap. 217.

Imperator dedit Ducatum Saxoniæ Henrico genero ſuo Duci Bavariæ) *Henricus cognomento ſuperbus, Henrici Nigri filius, Dux Bavariæ Richenſam filiam Lotharii Imp. duxit anno 1127. ut Chronicon Lauterbergenſe. Ducatu Saxoniæ à ſocero donatus eſt anno 1136. teſte Alberto Stadenſi.*

Imperatore tandem immatura morte prævento) *Lotharius Cæſar natus eſt anno 1075. paucis diebus ante prælium ad* Unſtrum *fluvium commiſſum, quod accidit 11. Julii: denatus eſt anno 1137. vixit igitur annos 62. & menſes circiter ſex.*

Henricus de Bardewick) *Helmoldus habet* Badewide/ *quem ſequuntur Stadenſis ad annum 1139. & Crantzius Saxon. lib. 6. cap. 8. 9. & 10. Conditor hic eſt familiæ Comitum Raceburgenſium, de qua præclarè Arnoldus Lubecenſis in ſupplemento cap. 7. libri 4.*

Poſt-

Poſtquam autem eadem Domina nupſit Henrico fratri Conradi regis) *Henrico ſuperbo ab æmulis, ut pleriq; volunt, veneno necato, (alii mœrore conſumtum dicunt) quod accidit anno 1139. 13. Kal. Octobris, ut Stadenſis, Novembris, ut Chronicon Lauterbergenſe, Gertrudis filia Lotharii Cæſaris, vidua ſuperbi, permanſit in Saxonia uſq; ad annum 1142 quo, agente Conrado 3. Imperatore, nupſit Henrico ejus nominis ſecundo, divi Leopoldi filio, Auſtriæ Marchioni, verum paulo poſt in puerperio exſtincta eſt.*

Cœpit illic ædificare civitatem anno Domini 1156. vocavitque eam **Lübeke**) *Reſtaurationem Lubecæ Crantzius in Wandalia lib. 4. cap. 1. collocat in annum 1140. eumque in Saxon. lib. 6. cap. 10. dicit quadrageſimum eſſe à prima ejus urbis ſtructura, facta à Critone (Helmoldus Cruconem conſtanter vocat) Grini filio Sclavorum Principe.*

Qui poſt cum Henrico 6. congredi non præſumens ſic ei reconciliatur) *Aliter hæc referuntur ab Arnoldo Lubecenſi lib. 4. cap. 3. Crantzio in Wandalia lib. 6. cap. 30. Neque ſub Henrico 6. Imp. ſed ejus filio Friderico 2. Lubeca Imperialis urbs facta eſt. Vide Crantzium Wandaliæ lib. 7. cap. 7.*

Per villam quæ vocatur **Stuwey**) *Helmoldo lib. 1. cap. 68. Scullebi.*

Vocantur autem Marcommanni plebes undecunq; collectæ, quæ Marcam incolunt) *Andreas Althamerus in Tacitum*: Marchiam autem, quod alias quoque ſoleo narrare, Germani provinciam bello partam & diſtrictum unius ditionis aut villicationis, limitemque vocare ſolent: quomodo eſt Danomarchia, Styromarchia & **Feldmarch**: & Marcomanos gentem undecunque confluentem in unam ditionem: & Marchionem principem Marchiæ. *Peucerus lib. 4. Chron.* Domitis Henetis & Sorabis totam hanc oram diſtinctam in præfecturas limitaneas, quas noſtra lingua vocamus Marchias, diſtribuit præſidibus & gubernatoribus. *Wolffgangus Lazius commentar. reipublicæ Romanæ lib. 1. cap. 2*, Germani nos quidem nunc, uti illos ſolemus agrorum, ubi ditionum privatarum diſtinctiones fiunt, **Rain** nominare: Ita provinciarum & populorum ſeparationes publicas Marchas quondam, nunc Granicias & Frontyras corrupto Francico vocabulo nominamus. *Reineccius tomo 3, hiſtoriæ Juliæ pag. 432.* **Marck** vox πολύσημος etiam limes eſt & limitanea regio. *Hæc illi. Mihi perſuaſiſſimum eſt, Marcam eſſe pagi alicujus partem, ſive territorium non ita magnum. In diplomate quodam Ottonis M. Imperatoris habetur, quod filio Ludolpho Cæſar donarit pagum* **Zermundt** / *hoc eſt, agrum finitimum urbi Soltwedelenſi, cujus Provinciæ tres marcas idem Ludolphus Geroni Marchioni contulit, quod Cæſar ratum habuit. Vide Encelium in Chron. veteris Marchiæ. Diplomata fundationis & donationis Monaſterii Ganderſheimenſis mentionem faciunt Marcarum aliquot, Herichuſanæ, Gandesbemiæ, Rindeniæ, Loderingiæ, Laachiandorpiæ, Dungdiæ, Berabiæ & Alunagiæ; quas veriſimile eſt, fuiſſe omnes monaſterio finitimas, Rindenia excepta, quæ fuit in diœceſi Colonienſi. Chronicon Pegavienſe, ut & additiones ad Schafnaburgenſem, inculcant Marcham Duderſtadenſem. Privilegia Bremenſia pag. 179. Romerſtetenſem: quæ certe regiones limitaneæ cenſeri diciq; minimè poſſunt. In LL. Bojorum tit. 11. cap. 5. Commarcani dicuntur, quorum Marcæ vicinæ ſunt.*

Friderico Imp. curiam apud **Merſeburg** celebrante) *De primis comitiis Friderici Barbaroſſæ Merſeburgi habitis tempore Pentecoſtes legatur Otto Friſingenſis lib. 2. cap. 5. de rebus geſtis Friderici I. Item Guntherus Ligurini lib. 1. uterq; nomina nonnihil corrumpit. Friſingenſis Suenonem Suevum & Canutum Guotonem indigitat, qui Gunthero Guido. Suenonem binomium fuiſſe ex utroque ſcriptore liquet. Legantur præter ſupra dictos ſcriptores Saxo Sialandicus lib. 14. & Cranzius Daniæ lib. 5. cap. 31.*

Quibus Adolphus & Hartwicus Bremenſis Epiſcopus, & Otto Brandenburgenſis) *Hæc hiſtoria pertinet ad tempora Ottonis Saxonis & Philippi Suevi de Imperio Romano digladiantium. Vide Arnoldum Lubecenſem lib. 6. cap. 10. 11. & 12. Otto Brandenburgenſis marchio intelligitur ejus nominis ſecundus, Ottonis I. filius.*

Hic Fridericus & Papa Alexander tertius peſſimè concordarunt) *Iterata* ἀνιστορησία, *nam quæ hic de Friderico Barbaroſſa ſcribit, alii rectius ad ejus nepotem Fridericum ſecundum referunt. Cuſpinianus ex Alberico de Roſate, quem alii Roxiatum indigitant, citat verſus hunc in modum:*

Friedericus.

Roma diu titubans longiſque erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Papa.

Niteris incaſſum navem ſubmergere Petri:
Fluctuat, & nunquam mergitur illa ratis.

Friedericus.

Fata volunt, ſtellæque docent, aviumque volatus,
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Papa.

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Matthæus Paris pag. 475. aliter de hac re ſcribit: Fertur, *inquit*, pro vero, quod inventi ſunt hi verſiculi in cubiculo Papæ ſcripti, modus autem & auctor penitus ignoratur:

Fata docent, ſtellæque monent, aviumque volatus,
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diu titubans variis erroribus acta,
Totius mundi deſinet eſſe caput.

Quos verſus cum Dominus Imperator, & alii multi interpretabantur in interitum, & deſolationem Papæ & Romanæ curiæ redundaſſe, Papa in eundem Imperatorem hos verſiculos retorquebat:

Fama refert, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tua vita brevis, pœna perennis erit.

Dominam Clementiam Duciſſam) *Prima hæc eſt Henrici Leonis conjux, proles Conradi Ducis Zaringenſis ex Clementia Gotefridi Comitis Namurcenſis filia. Repudiatur à marito propter ſanguinis propinquitatem. Adi Helmoldum lib. 1. cap. 69. & lib. 2. cap. 10.* Urſperg. *ad annum 1162.*

Everhardus Præpoſitus Magdeburgenſis) *Helmoldus lib. 1. cap. 78. Evermodum vocat. Fuit præpoſitus monaſterii gratiæ Dei ad confluentem Salæ & Albis in diœceſi Magdeburgenſi, ut Chronicon Lauterbergenſe ad annum 1131. Epiſcopatum Raceburgenſem ibidem ineſſe ſcribitur anno 1160. Monaſterii Stederburgenſis novæ conſecrationi interfuit anno 1174. ut Chronicon Stederburgenſe, obiitq; triennio poſt, teſte Crantzio in Vandalia lib 5. cap ultimo. De miraculis ejus lege ibidem, & in Metropoli lib. 6. c. 28. Nomen Evermodi eſt Germanicum à vocabulo* Eber / *quod aprum marem ſignificat: compoſita inde ſunt;* Eberart / Eberhelm / Eberwin / Eberloh / Eberher / Ebernoat / Eberwick / Eberholt / Eberdag / *& hoc noſtrum* Evermot / *quod eſt animus aprinus, imperterritus, ferox.*

Viſcelinus Epiſcopus pridie Idus Decembris diem clauſit extremum) *Qui vitam ejus carmine deſcripſit, ponit Idus Decembris. Helmoldus lib. 1. cap. 79. 2. Idus Decemb. Idem auctor hoc habet ejus Epitaphium.*

Faldera Pontificis magni lætetur honore:
Virtutes animo contegat; oſſa ſolo.

Prædium quod dicitur Hirin) *Helmoldus hoc vocabulum ignorat, ponitque pro eo Bozoe.*

Reſtaurata eſt Aldenburgenſis ſedes anno 90. poſt exordium prioris Eccleſiæ) *Aldenburgenſem Epiſcopatum condidit Otto Magnus Imp. anno 971. Conſtituto ibi primo Epiſcopo Evagrio, qui alias Eduardus, ut ex Adamo Bremenſi refert Albertus Stadenſis, & poſt utrumque Chron. Sclavorum. Crantzius Metrop. l. 3. c. 29. varians Marconem primum Aldenburgenſium Epiſcopum, Evagrium ſecundum conſtituit. Duravit hic Epiſcopatus annos 84. ut ad annum Chriſti 1066. annotavit Stadenſis, & ex eo repetit Cranzius Metrop. lib 4. cap. ultimo. Verum cum deteſtanda Sclavorum graſſatione, cum vicinis Epiſcopatibus Megapolenſi & Raceburgenſi crudeliter vaſtatus eſſet, reſtituitur ab Alberto Archiepiſcopo Bremenſi anno 1058. ut idem Stadenſis. Octennio poſt Sclavi denuo à Chriſtiana religione deficientes, in nuper inſtauratos Epiſcopatus impreßione facta, tum templa everterunt, tum Chriſtianæ religioni addictos ad unum omnes exquiſitis*

Digitized by Google

ſitis ſuppliciis prius excarnificatos, è vita expulerunt. Ab hoc tempore incboandi ſunt anni 90. de quibus hic auctor noſter. Illi enim decurrentes usq; ad annum 1149. præciſè hos conficiunt.

In pago qui dicitur Swile / ſimiliter in Lütenborg / & in Cütekon. *Helmoldus lib. 84 hac loca vocat* Süsle / Lücelenborg *&* Rathekove.

Civitas Lübeke conſumpta eſt incendio) *Incendium hoc collocatur in annum 1158. Adi Crantzium Vandaliæ lib. 4. cap. 30.*

Appellavitque eam nomine ſuo Löwenſtatt / quod dicitur Leonis civitas) *Alibi dixi perſuaſiſſimum mihi eſſe, Henrici Leonis inſigne fuiſſe Leonem, quocunq; vero fuerit colore, non vero pullum equinum, ut alii volunt. Secundum hoc nullus dubito, quin cognomen ab inſigni non tam ei alii dederint, quam ipſe ſibi ſumſerit, & ubi viſum fuerit uſurparit. Sic hoc in loco novam urbem de ſuo nomine Leopolim indigitari voluit. Eſtq; veriſimile propugnaculum, quod prope Bilfeldiam ejusdem Principis juſſu Bernhardus Comes Lippienſis exſtruxit, eadem de cauſa* Lawenborg / *id eſt mons Leonis, nuncupatum. Vide Gobelinum ætatis 6. cap. 60. Poſteri Leonis, ut inſigne idem, quemadmodum ſimiliter demonſtravimus, uſurparunt, ita loca quædam à Leone denominarunt. Henricus mirabilis Dux Brunſwicenſis familiæ Grubenhagenſis conditor ex Olsburgo, perveteri Comitum ejusdem nominis caſtro, exſtruxit novam arcem quam vocavit* Lawenwedel / *ſive domum Leonis. Ex ea cum diœceſim Hildeſienſem infeſtaret, Sigfridus Epiſcopus oppoſuit ipſi Poppenburgam ad Leinam fluvium non minus munitam, idq; effecit, ut non multo Leonina iſta domus deſerta & deſolata redderetur. Onuphrius* Mejentoſe *in Chron. Hildeſ. MS.*

His fermè diebus Imp. Fridericus ad obſidionem civitatis Mediolanenſis) *Fridericus I. aliquoties in Italiam arma movit: Primo anno 1154. accipiendæ coronæ cauſſa, quam adeptus eſt anno ſequenti 14. Kalend. Julii: eodem Derthona prius exciſa domuitionem fecit. Huic expeditioni interfuit Leo, ut Helmoldus lib. 1. cap. 69. Friſingenſ. de geſtis Fried. Barbaroſſæ lib. 2. cap. 11 & 16. Secunda expeditio incidit in annum 1158. interfuit ei quoque Leo, ita tamen, ut Imperatori Germania excedenti non equidem comes eſſet, ſed anno inſequenti cum Beatrice Auguſta, & Guelfo patruele ſequeretur, ut Radewicus lib. 2. cap. 38. Habuit ſecum Leo multos ex Dynaſtis Bavariæ & Saxoniæ & in his Adolphum Schawenburgium Comitem. Agmen principis tum erat mille loricatorum, ut Helmold. lib. 1. c. 87. In hac expeditione Crema urbs munitiſſima (quæ Lerbecio* Cremon / *Stadenſi* Grimme / *Helmoldo* Crumna) *poſt ſeptem menſium obſidionem anno 1160. ſub finem menſis Januarii primum direptioni militum permiſſa, deinde flammis tradita eſt. Dimiſit tum copias Germanicas Cæſar, ſed non niſi laudibus & muneribus ornatas. Radewicus lib. 2 cap. 72. Impetraſſe Leonem tum temporis poteſtatem conſtituendi Epiſcopos in terra Sclavorum memorat Chron. Lauterb. quam tamen non tam datam, quam confirmatam, dixerim. Rediit tum etiam ad ſuos Leo: ſed Adolphus Schawenburgius cum Reinboldo Antiſtite Colonienſi juſſu Cæſaris abiit in Angliam. Cauſſam legationis Crantzius opinatur fuiſſe ſecundum Leonis matrimonium, quod poſt crebras interpellationes à Cæſare factas de Clementia conjuge repudianda jam certus, cum filia regis Angliæ Henrici contrahere in animum induxerit: quod non alienum videtur. Secundam hanc, de qua loquimur, expeditionem Lerbeccius confundit cum poſtrema, quam Godefridus Monachus Chron. Lauterberg Carolus Sigonius, & alii in annum 1174. collocant. Huic ut intereſſet Henricus Leo, nullis hortamentis, nullis precibus induci potuit. Sigonius in Italiam veniſſe ſcribit, ſed inde ad ſuos reverſum, quod alii negant. Tota res eſt controverſa, ac mirificè de circumſtantiis repulſæ, quam apud Leonem Cæſar tuliſſe fertur, ſcriptores variant. Sed hac de re cum Deo bene juvante, alibi plenius.*

Epiſcopatus Aldenburgenſis per Henricum Leonem Lübeke transfertur) *Adi Helmoldum lib. 1 cap. 90. Crantzium Metropol. lib. 6. cap. 38. Wandaliæ l. 4. c. 37.*

Anno quo ſupra Monaſterium Lucka Ciſtertienſis ordinis, &c.) *Literæ fundationis Monaſterii Luccenſis inter Leinam, & Viſurgim ſiti adhuc ſuperant, quas ex Chronico Walkenredenſi nuper edito propter mentionem Adolphi Comitis Schawenburgii & Lamberti Dynaſtæ Gemenſis hic ſubjungemus.* Anno creationis mundi ſecundum Dionyſium & Bedam 5413. anno Dominicæ incarnationis 1163. à Paſſione Domini 1127. cyclo Solari 43. anno ejus 5. cyclo Lunari 62. anno ejus 7. cyclo Jubilæi 419. anno Jubilæi

 47. cy-

Digitized by Google

47. cyclo epactarum 54. anno ejus 8. Epacta anno 14. cyclo decennali 63. anno ejus 1. cyclo Indictionum 79. anno ejus 11. Indictione 11. cyclo clavium 62. anno ejus 5. clave autem 12. cyclo concurrentium 43. Anno ejus 5. concurrente 3. April Paſcha vero exiſtente 11. Kalend. Aprilis: Poſt tranſitum B. Bernhardi Abbatis anno ejus 11. præſidente SS. Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice Lucio: Imperante Romanor. Rege Friderico: ſub Domino Wernero venerabili Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopo. In nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, & ad laudem & gloriam ejus glorioſæ matris, & perpetuæ Virginis Mariæ, & B. Georgii glorioſi Martyris, initium ſumpſit hæc Abbatia Luccenſis: fundata à nobili Comite Wilbrando antiquo de Haltemundt / qui tres filios habuit & duas filias, quorum hæc ſunt nomina, Burchardus, Ludolphus, Wilbrandus, Alheidis, Beatrix. Sed Comes Burchardus procedens ad torneamentum Nienborg / more militari graviter læſus eſt: in tantum ut unum ei rumperetur crus. Poſtea veniens Benethem / ibi cum matertera ſua manens mortuus eſt, quem Dominus Lambertus de Gemen / filius ſororis Comitis Wilbrandi antiqui panno cera bulliente involvit, & trunco incluſum Luccam miſit ad ſepeliendum, qui in Inſula, quæ antiqua Lucca / dicta, ſepultus eſt. In tranſplantatione vero loci, dum ejus oſſa levarent, crus quod fractum fuerat, in torneamento, fractum inventum eſt, & cum aliis oſſibus in novum locum tranſportatum. Prædictus Lambertus de Gemen Haltemunt / veniens ibi mortuus: & in Lucca juxta cognatum Comitem Burchardum ſepultus eſt. Comes vero Ludolphus & frater ejus Wilbrandus cum Imperatore Friederico ad terram ſanctam profecti, ſed Comes Wilbrandus in via mortuus Antiochiæ ſepultus eſt. Comes autem Ludolphus in reditu mortuus eſt, cujus oſſa Comes Adolphus de Schowenborg tranſmiſit ſepelienda, &c. *Ex hac carta fundationis corrigi poteſt noſter auctor, qui hic perperam mentionem facit Lotharii Imperatoris. Ludolphi & Wilbrandi Comitum Hallermundiorum meminit Arnoldus in ſupplemento lib. 2. c. 32.*

Venerunt in locum qui dicitur Werchem.) *Helmoldus l. 2. cap. 4. legit Viruchne.*

Percuſſi ſunt Adolphus & Reinoldus) *Clades iſta incidit in annum 1164. ut Stadenſis, ſignificata ſine dubio horribili cataclyſmo, qui omnes fines maritimos Friſiæ, Hadeleriæ, & omnem terram paluſtrem Albis & Viſurgis involvit, multaque hominum millia abſorpſit, vid. Helmoldum lib. 2. cap. 1.*

Eodem anno Henricus Leo ſuper baſin Leonis ærei effigiem) *Conſentiunt Chronicon rithmicum & Albertus Stadenſis, qui addit eodem tempore Brunſwigam à Leone foſſa & vallo circumdatam. Multos eo tempore accipiebat hoſtes Leo, quorum primi erant Wigmannus Magdeburgenſis, Hermannus Hildenheimenſis, Epiſcopi; Ludovicus Landtgravius Thuringiæ, Adelbertus Urſus Marchio Soldtwedelenſis, ejuſque filii, Otto Marchio Camburgius, Adelbertus Comes Palatinus Sommerſcheburgius: Otto Comes Aslenſis, Wedekindus Comes Daſenburgius, Chriſtianus Comes Aldenburgius. Hos animabat conſiliis & opera, & ſi in Italia abſens, Reinboldus Colonienſis Archiepiſcopus, everſionem Leonis omnibus viribus anhelans. Quanti temerarias iſtas inconſultasq; molitiones faceret, declaraturus Leo, ſignum hoc erexit, animi imperterriti, & injuriarum vindicis evidens indicium.*

Filia regis Angliæ Mathildis) *Mathildis Britannicæ elogium exſtat apud Arnoldum continuatorem Helmoldi lib. 2. cap. 2. Filia fuit Henrici ſecundi, ſoror Richardi regum Angliæ potentiſſimorum. De ea alibi* πάντα περὶ πάντων.

Mechtildis vidua ejus cum filio tenello) *Adolphi Comitis Schawenburgii à Sclavis interempti uxor origine fuit Querfordia, Burchardi ejus nominis quarti Dynaſtæ Querfurdenſis filia. Poſt annorum aliquot decurſum, ut filio patrimonium conſervaret, nupſit Henrico Comiti Orlemundano Thuringo, viro ocii impatienti, & in armis ſtrenuo, eique peperit filium Albertum, cujus meminit Stadenſis ad annum 1216. 1217. & 1222. Trithemius Chron. Hirſaugienſi ſecutus Godefridum Monachum Woldemari Daniæ regis ex ſorore nepotem facit. Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 13. Comitem Nordalbingiæ indigitat. Religionis ergo peregrinatus eſt in Livonia opem ferens Volquino Teutonicorum militum magiſtro, ut tum ex Stadenſi, tum ex Bartoldo Ruſſovio rerum Livonicarum ſcriptore cognoſci poteſt. Alberti Orlemundani parens Henricus obiit eo tempore, quo Henricus Leo & Albertus Palatinus Saxoniæ contra Epiſcopum Halberſtadenſem propter montem quendam* Hoppelberg *dictum, erecto propugnaculo munitum, arma ſumſerunt,*

Digitized by Google

erunt, anno Chriſti 1178. ut Chronicon Lauterberg. *Orlamunda, unde Comitibus nomen, eſt ad confluentem Orilæ & Salæ fluviorum. Vidi literas Hermanni Comitis Orlemundani facientes mentionem patris ſui Adelberti Marchionis, conjugis Adelheidis, filii Sigfridi. Datæ ſunt anno 1174. Idem Sigfridus Comes interfuit Comitiis Erfordenſibus Anno 1181. meminitq; ejus diploma quoddam Henrici 6. Imp. Datum Merſeburgi anno 1192. fuit adhuc in vivis 1199. An vero hi alterius, vel ejuſdem fuerint familiæ, pronunciare non poſſum. Inſigne Comitum fuit Leo niger coronatus, rutilantibus in area circum circa corculis rubeis, quomodo in inſigni Lunæburgici conſpiciuntur.*

Eccleſiam villanam in Honrode) *Conradus de* Rothe *(de quo, ut & de familia Lawenrodia & Wiinſtorpiana, quæ unius ſunt originis, tantumq; à nomine ſedium variant, prolixe diximus ad hiſtoriam de Henrico Leone à Gerbardo præpoſito Stederburgenſi præſcriptam) caſtrum* Honroth *ædificavit, verum Adolphus Schawenburgius ab amicis & cognatis adjutus id non multo poſt deſtruxit, vide Arnoldum Lubecenſem l. 2. c. 35.*

A Tiderico Comite de Werbende) *Nullus ſcriptorum hactenus in filiis Alberti Urſi Marchionis Brandenburgenſis hunc Tidericum nominavit. Debet ergo conſervationem nominis ſui Lerbeccio. Puto autem pro* Werbende/ *legendum eſſe* Werben/ *quæ urbs eſt veteris Marchiæ ad Alandam fluvium.*

Adolphus ad ætatem legitimam perveniens duxit uxorem Adelheidin filiam Borchardi Comitis de Dasle) *Variat Arnoldus Abbas non de nomine, ſed de familia: iterum enim inculcat Burchardum Querfordianum Adolphi ſocerum Letznerus, qui Chronicon Daſſilienſe evulgavit, Burchardi non meminit, ſed Bernhardos aliquot habet, unde ſuſpicio oriri poſſit, pro Burchardo legendum Bernhardus. Philippus Archiepiſcopus Colonienſis, cujus ſoror Salome ſocrus Adolphi Schawenburgii hic traditur, fuit ex illuſtri Comitum Heinsbergenſium familia Goſwini ſecundi ex Palatina Saxoniæ Adelheidæ filius, primi nepos. De eo ſcribit Chronicon Lauterbergenſe, quod cum infinita multitudine ad repetendam hæreditatem Ottonis Comitis de* Asle *venerit in Saxoniam contra Henricum Leonem. Et quia alii hanc Adolphi conjugem non Burchardi, ſed Ottonis Daſſilienſis filiam faciunt, ſuſpicari quis poſſit hic nomina corrupta, & ſtatuendum Adelheidin non ex Daſſilienſium ſed Aslenſium Comitum ſtirpe fuiſſe progenitam. Fuere autem Aslenſes Comites ejuſdem proſapiæ cum Wincenburgicis, quod patet ex Chronico Bremenſi à Lindenbrogio edito, ubi Hermannus de* Wincenborg/ *& Henricus de* Asle *Comites fratres nominantur, quæ eadem reperias apud Crantzium Metrop. lib. 6. cap. 18. Henrici Aslenſis fuit filius Otto, cujus defuncti hæreditatem adiit Leo, ut Helmoldus l. 2. c. 6. ſed non ſine contradictione, quia, ut audivimus, Philippus Archiepiſcopus Colonienſis eam ſibi vendicavit. Chronicon Stederburgenſe addit præter Leonem, Adelhogum Epiſcopum Hildeſienſem, Ludolphum Comitem Peinenſem, Ecbertum & Guncelinum Dynaſtas Wolfenbütelenſes, de ea hæreditate aliquid popoſciſſe. Fortè igitur hujus Aslenſis Comitis filia fuit Adelheidis uxor Adolphi Schawenburgii, quod confirmare videtur donatione facta monaſterio Luccenſi, cujus meminit hic Lerbeccius expreſſè nominans caſtrum* Esle. *Hodie caſtrum non comparet, pagus ſuperat* Aſſel *dictus, dominium capituli majoris Eccleſiæ Hildeſienſis agnoſcens.*

Cœnobium ordinis Ciſtercienſis Reinvelde.) *Exſtat tabella monaſteriorum viſitationi Abbatis veteris Campi in Ubiis ſubjectorum, ubi primordia Reineveldæ collocantur in annum 1190. Stadenſis habet annum 1186.*

Henricus Leo civitatem opulentam Bardewich deſtruxit) *De Bardevico ejuſq; funeſto excidio videatur Commentarius noſter de hac perantiqua urbe perſcriptus.*

Rex Danorum Kanutus) *Albertus Stadenſis hæc refert ad annum 1199. videatur Arnoldi Lubecenſis ſupplementum lib. 6. cap. 11. & 12.*

Ira Dei deſævit in omnem terram, & præcipuè in Saxonia & Weſtphalia) *Hæc totidem verbis referuntur ab Ertwino in hiſtoria Oſnaburgenſi. Chron. Lauterbergenſe ad annum 1188.* civitas Magdeburg in vigilia Pentecoſtes pene tota exuſta eſt: Monaſteria etiam S. Mariæ, & S. Sebaſtiani cum parochiis & capellis 12. exuſta ſunt.

Poſthæc Dux Woldemarus Lübeke & Hamborg cepit) *Albertus Stadenſis ad annum* 1201. Canutus rex Danorum, Hammaborg occupat, & frater ſuus Woldemarus Dux Albiam intrat, Adolphum Comitem invaſurus. Capta eſt Hammenborg/ & Comes Adolphus conditionaliter ad Ducem egreſſus, vinculatur, & ad Epiſcopum Waldemarum mittitur captivatus.

Fideles Adolphi Loveborg caſtrum Woldemaro Duci reddunt) *Idem Stadenſis ad annum* 1203. caſtrum Lovenburg homines Comitis Adolphi Waldemaro regi Danorum pro abſolutione Comitis reddiderunt. *Plenius rem geſtam exponit Arnoldus Lubecenſis cap* 17. *lib.* 6. *ubi in editione Reinecciana quædam verba, quæ ſemicirculis incluſimus, omiſſa ſunt, in codice MS. inveniuntur. Sic autem ſe habet poſtrema periodus:* Dedit igitur Comes duos filios ſuos, & filium cognati ſui Ludolphi de Dasle/ & filium Comitis Henrici de Danneuberg/ præterea octo pueros miniſterialium ſuorum: & jurejurando affirmavit, ut obſides poſt decem annos liberi eſſent: Si vero rex intra hos annos (*vita excederet obſides redderentur, ſi autem Comes*) deficeret, non minus hoc fieret. Sic caſtrum redditur, & Comes gaudens Schawenburg revertitur. Caſtrum hoc Arnoldus vocat Lawenburg.

Riga civitas per Albertum Epiſcopum Livoniæ fundatur) *Fundatio Rigæ incidit in annum* 1200. *Auſpex fuit Bartoldus ex monacho ædis San-Paulinæ in ſuburbio Bremenſi, in Livonia Epiſcopus, de quo Ruſſovius in Chronico Livonico parte prima, Chytræus Saxoniæ lib.* I. *facit cum Lerbeccio.*

Circa hæc tempora Comecia de Hoja) *Liber Trojaminum opera Georgii Rixneri, Caduceatoris Bavarici, evulgatus, meminit Henrici Comitis Hojani: præterea Andreæ Comitis Hojani: cum primis vero multus eſt prædicando Waltero in bello Hungarico auſpiciis Henrici Aucupis Imp. geſto, equitum magiſtro. Habet idem alios etiam ejuſdem familiæ Comites, qui Halæ & Gottingæ in torneamentis comparuerint. Verum ille Rixneri liber quantum ad primos iſtos ludos attinet, totus eſt fabuloſus & commentitius: quod, Deo dante, veritatis ſtabiliendæ nugarumque explodendarum gratia manifeſtum faciemus. Henricus Comes Hojanus plurimos Stedingorum cepit & occidit, cum hortatu Woldemari electi Epiſcopi Bremenſis, Diœceſin rapinis & incendiis devaſtarent, ut annotat Chronicon Bremenſe à Lindenbrogio evulgatum. Eidem nomen* ſecuris *datum teſtatur hiſtoria fundationis monaſterii Lothenſis, de quo paulo poſt. Leguntur ibi hæc verba:* Henricus Comes de Hoja, qui propter malitiam ſuam & ferocitatem ſecuris nominabatur, ex eo quod captivis in cippo poſitis pedes amputaverat. *Chronicon Bremenſe antedictum meminit ejusdem Comitis Henrici vocans eum virum bellicoſum & ſeveri animi. Tribuuntur ei ibidem filii legitimi viginti quinque, quorum nullus quinquageſimum annum ſuperavit.*

* Non intermiſit quidem Avus meus, quo erat in aſtruenda veritate labore indefeſſo, variis in libris ſuis, data occaſione, in hunc fabulatorem *Rixnerum* animadvertere; nunquam tamen peculiari opere, quod hîc promittere videtur, id præſtitit. Quamvis autem egregii Viri antehac ab illo decepti fuerint, hodie tamen vix inter eruditos invenias, qui non cum Avo meo *Rixneri* illas de primis Ludis fabulas, tanquam falſitatis manifeſtas, rejiciant: ut valde mirer, quî nuper adhuc ex Societate Jeſu vir multa aliàs doctrina conſpicuus *Bogislaus Balbinus*, non tantum *Rixnerum* defendere, ſed etiam eos, qui ſuſpectum habent, perſtringere, &, quoniam nonnulli ex illis cordatis & veritatis amantibus viris ab Eccleſiæ Romanæ doctrina juſtis de cauſis alieni ſunt, eos non tam veri amore, quam aliunde nato odio id facere, aſſerere auſus ſit. Verba ipſa *Balbini*, ad refutandum eum, recitaſſe ſuffecerit, cum ſciam à doctis, etiam qui Romanenſium doctrinam ſequuntur, ſive in Germania, ſive in Gallia, exploſum iri. Ita autem *Epit. Rer. Bohemic.* lib. I. cap. 6. loquitur: *Hac fortaſſe de cauſa defendi nomina illa vetuſta Bohemiæ & Moraviæ Principum poſſunt, quæ in vetuſto libro Torneamentorum leguntur. Hoc ipſo Henrici I. tempore, qui ludos hosce inſtituit, cum Wenceslao & Brzetislao Ducibus Bohemiæ, Bolislaus & Grotzomisla, Marchiones Moraviæ, Magdeburgi decurriſſe leguntur. Quanquam totum hunc ludorum librum Georgii Ruxneri ante centum amplius annos editum, explodit Meibomius; Fabricius tamen & ipſe Hiſtoricus inſignis, ejus libri auctoritate, in Saxoniæ ſuæ originibus utitur. Fabulatorem haſtiludiorum vocant Munſterus & Stumphius. Vide Hundii de eo libro judicium. Nihil mirum eſt, hunc librum odiſſe hæreticos, cum Catholicus ille Scriptor Henrici I. pietatem erga Dei matrem mirifice commendet, quæ pietas apud hæreticos eſt venenum. Crantzio nihilominus, Cuſpiniano, Dreſſero, Bucholtzero, Henninges, Reusnero, Stuckio, Wolfio & Cochlæo, quantis & quam diligentibus in hiſtoria viris! probatur.*

Berwar-

Digitized by Google

Berwardus Epiſcopus Hildeſienſis ſanctorum catalogo) *De canoniſatione Berwardi, Epiſcopi Hildeſienſis, à Theodorico monaſterii S. Michaelis ibidem Abbate duodecimo procurata, prolixe diſſerit Arnoldus Lubecenſis lib. 4. cap. 23. Verum in numeris error eſt, nam pro anno Chriſti 1184. ponendus eſt 1194. quem habet Chronicon monaſterii S. Michaelis MS. & circumſtantiæ omnes hoc modo ſcribendum evincunt.*

Monaſterium in Berſinghuſen à Widekindo de Sualenberge & Gottſchalco de Permont fundatum eſt) *Ex familia Sualenbergica duos reperias Widekindos, primum Lotharii Imp. Coætaneum, cujus fit mentio in diplomate ejusdem Imp. dato monaſterio Abbenrodano ad* Herciniam Sylvam *anno 1129. Alterum hoſtem* Henrici *Leonis cujus meminit Arnoldus Lubecenſis lib. 2. cap. 32. Hic cum Friederico Barbaroſſa peregrinatus eſt in Palæſtina, ut Gobelinus in Coſmodromio ætatis 6. cap. 60. ubi nominatur Comes de* Schalenberge/ & *de* Waldegge / *fratres ei tribuuntur* Henricus & Hermannus. *Comites Sualenbergenſes & Waldeccenſes ejusdem eſſe originis & familiæ, argumento ſunt inſignia communia, ſtella nimirum octangula, etſi non unius coloris, nam Waldeccenſes nigram in lutea, Sualenburgici flavam in area rubente geſtarunt. De Comitibus Sternbergicis idem ſentiendum, quibus in flavi coloris area eadem ſtella rubea eſt. De poſteriore Widechindo Sualenburgenſi intelligendam eſt monaſterii Barſinghuſani fundatio. Gottſchalcus Pirmontanus Comes ex inſtrumentis donationum intelligitur vixiſſe adhuc anno 1236. In matrimonio habuit Adelheidam Comitem de* Hallermund / *& ex ea ſuſtulit filios Gottſchalcum &* Hermannum.

Quot autem annis Comes Adolphus tertius hujus nominis vixerit) *Laudatiſſimus omnino princeps fuit Adolphus* Hieroſolymitanus *(ſic eum appellare libet ab iterata in Palæſtinam peregrinatione) qua pietatem, qua civilem prudentiam, qua denique fortitudinem. Expiandorum delictorum, Deiq; placandi gratia (Sic enim perſuadebatur) bis in Palæſtinam profectus eſt. Primo cum Friederico Barbaroſſa Imp. anno 1189. ſed vix Tyrum ingreſſus nuncium accepit de* Holſatia, *à Duce Saxoniæ* Henrico *Leone, nuper in exilium ire juſſo, ſed ante præfinitum tempus domum reverſo, conjuge cum liberis ejecta, tota occupata.* Hortatu igitur *amicorum e veſtigio ad ſuos rediit. Verum religione tactus, quod votum non exſolviſſet, alteram ſuſcepit peregrinationem, inſtitutam ab* Henrico *ſexto Imp. quem tamen mors intercepit, ne belli ſacri Dux eſſet. Summa rei erat penes* Henricum *Saxoniæ Ducem, & Rheni Palatinum Henrici Leonis filium: cui Adolpus Schawenburgius magnoperè fidem & induſtriam ſuam in laceſſendo profligandoq; hoſte Saraceno probabat. Incidit hæc ſecunda peregrinatio in annum Chriſti 1197. Legi in quodam MS. Chronico incerti, ſed non ineruditi ſcriptoris, Adolphum Schawenburgium in hac expeditione à primoribus quibusdam Eccleſiaſticis Equitem, ſive Militem, ut vocabant, creatum, eorundemque hortatu avita inſignia aliqua acceſſione auxiſſe, in hunc modum, ut urticæ foliis tres adjecerit clavos, quales in paſſione Chriſti uſurpatos credimus: Galeæ impoſuerit coronam è ſpinis contextam. Atque hoc ei pietatis ſimulq; fortitudinis ergo conceſſum fuiſſe, quod præ reliquis Commilitonibus terram ſanctam, in qua filius Dei unigenitus ab impiis Judæis noſtræ ſalutis cauſa rhamno ad ludibrium coronatus ferreisque clavis infami ligno affixus eſſet, ex tyrannico Saracenorum jugo in priſtinam libertatem vindicare voluiſſet. Etſi autem infelix fuit iſta expeditio, Argonautis Chriſtianis re infecta domum reverſis, laudanda tamen voluntas optimorum Principum, qui non ſuo quodam conſilio, neq; impetu temerario ad hoc bellum lati ſunt: Sed Deo pietatem ſuam, Pontifici, cui id debere credebant, obedientiam, & miſere vexatis afflictisque Chriſtianis, officium debitum juſtumque perſolvere voluerunt. Inſignia hæc nova domum reverſus Adolphus Schawenburgius, oppida ſua tam in Holſatia, quam in Comitatu Schawenburgico, deinceps etiam uſurpare voluit. Quam obſequens erga magiſtratum ſuum Imperatorem fuerit, quantiq; ab eo habitus ſit, oſtendit, quod Comitiis Imperii interfuerit frequenter, & in diplomatis Auguſtalibus teſtis nominetur. Anno 1180. menſe Novembri fuit in Comitiis Erphordenſibus, ubi caſtrum Stadium cum miniſterialibus & omnibus pertinentiis, & omni jure Epiſcopo Bremenſi redditur. Diplomati Cæſareo ſubſcriptum ejus eſt nomen. In Comitiis Salveldenſibus ab Henrico VI. Imp. anno 1194. indictis, comparuit & diplomati, quo cœnobii Stederburgenſis bona, & poſſeſſiones in protectionem ſuam Cæſar recipit, teſtis additus eſt. Quinquennio poſt fuit in conventu Hildensheimenſi: anno 1208. in Comitiis Brunſwicenſibus. Ubi Otto Imperator Alberto Archiepiſcopo ſuæque Eccleſiæ inſigne*

Privi-

Digitized by Google

Privilegium condonavit. Friderico ſecundo Imperatori adfuit Egræ, cum is Danielem Abbatem Waltſaſſenſem ſimiliter privilegio quodam honeſtaret. Literæ datæ ſunt anno 1214. ut Bruſchius in hiſtoria monaſteriorum indicat. Obitum Adolphi hujus collocat Spangenbergius in Chronico Schawenburgico ad annum 1232. quod in medio relinquimus.

Conradus Quintus in Schowenborg Comes) *Hunc Comitem inveni fuiſſe in haſtiludio celebrato Hamelæ ad Viſurgim an. 1233. Diu eum poſt obitum parentis (ut vult Spangenbergius) ſuperfuiſſe, non eſt veriſimile, contradicentibus literis Adolphi fratris ejus, quæ Brunonis, qui poſtea Olmuncenſis Epiſcopi, mentionem faciunt, Conradum ignorant. Literæ ſic loquuntur:* Adolphus D. G. Comes de Schowenborg / univerſis Chriſti fidelibus, tam præſentis temporis, quam futuri, cupimus notum eſſe, quod nos ob amorem retributionis æternæ, & noſtrorum in remedium peccatorum, tres manſos proprietatis noſtræ, ſitos in parvo Scheppenſtede / quos Baldewinus Marſchalcus de Volckmerode de manu noſtra jure tenuit pheodali, & nobis reſignavit, Eccleſiæ de Riddagshuſen contulimus cum omnibus attinentiis ſuis, donatione perpetua poſſidendos. Pro his vero manſis recepimus à prædicto Baldewino alios tres manſos proprietatis ſuæ ſitos in Voltſem / & unum in Lere / quos ei porreximus à nobis eo jure, quo præcedentes noſcitur habuiſſe. Ne autem aliqua in poſterum poſſit ſuboriri vexatio, boni teſtimonii viros, qui huic noſtræ donationi aſtiterunt, præſenti chartæ fecimus annotari: & eorum nomina ſunt hæc, frater noſter Bruno præpoſitus in Lübeck / Ludolphus Comes de Halremunt, Henricus Comes de Dannenberg / Henricus Comes de Waldenberg / Tidericus de Adenoiis, Ecbertus & Burchardus de Wolferbütle. Inſuper ut hæc res ex hoc, nunc, & deinceps, firma permaneat & inconvulſa, hanc paginam teſtimonialem inde conſcriptam ſigilli noſtri munimine juſſimus roborari. Datum Halberſtad anno Domini 1234. 10. Kalend. Februarii. *Ex his literis non obſcurè liquet, gubernationem ditionum paternarum, (quod Bruno ſacris eſſet initiatus) ad ſolum Adolphum devolutam fuiſſe.*

Quatuor ergo annis poſt hæc elapſis) *Albertus Stadenſis collocat hæc in annum Chriſti 1225. Gerhardus Bremenſis Archiepiſcopus fuit ejus nominis ſecundus, filius Bernhardi Comitis Lippienſis, ex præpoſito Paderbornenſi ad Cathedram Bremenſem electus, de quo alibi pluribus agemus. Henricus Suerinenſis Comes patrem habuit Güncelinum, ejus nominis primum, quem equeſtri Bartenslebiorum apud Saxones familia natum, Henricus Leo primum Comitem Suerinenſem ordinavit, quod & alibi inveni, & ſuffragatorem habeo Cyriacum Spangenbergium in ſpeculo Nobilitatis lib. 11. cap. 25. Videatur de Güncelino Helmoldus lib. 2. cap. 14. Arnoldus lib. 2. cap. 32. 35. & 41. lib. 3. cap. 1. & 4. In literis fundationis Epiſcopæ Suerinenſis ab Henrico Leone teſtis adducitur anno 1170. Quadriennio poſt dedicationi novi templi in monaſterio Stederburgenſi interfuit, ſuaq; liberalitate, ut antea ſæpè fecerat, religioſum illud negotium promovit. Familia equeſtris Bartenslebiorum Dei beneficio adhuc in Saxonia opibus & dignitate floret.*

Diſcordia, quæ dudum verſabatur inter Eccleſiam Bremenſem, & Ducem Henricum Leonem) *Intelligit Henricum Palatinum Rheni, & Saxoniæ ducem, Leonis filium, quem infra etiam Leonem indigitat. Hunc cives Bremenſes, quod Gerardus Archiepiſcopus Bremenſis ejus nominis primus, facto cum Stedingis fœdere, de urbe obſidenda cogitarat, in urbem receperant.*

Imperator aurea bulla apud Ravennam roborat) *Henricus Palatinus Rheni jure feudali poßidebat agrum Stadenſem, verum paucis ante mortem annis, tum quod herede maſculo careret, tum quod nepotem ex fratre Ottonem, provinciam ab annis aliquammultis litigioſam, abſq; æmulo vix obtenturum metueret, Archiepiſcopo Bremenſi, jam dudum huic prædæ avidißime inbianti, ea conditione, ut quamdiu viveret ipſe ea frueretur ſine contradictione, conceßit. Obiit Princeps laudatiſſimus anno 1227. Dationem Palatini Frid. Imp. poſt quinquennium diplomate Ravennæ menſe Martio, indictione V. dato, confirmavit. Exſtat in Privilegiis* Bremenſibus editis à Lindenbrogio. *Nihilominus anno ſequenti, Otto quem dixi, Henrici Palatini ex fratre Wilhelmo nepos, viginti trium annorum juvenis, moleſte ferens à patruo avoq; poſſeſſam regionem à familia ſua penitus alienari, Stadenſem agrum populabundus ingreſſus eſt, vicinisque colonis multum damni intulit.*

* Intex-

Rex Daciæ de captivitate pro L. millibus marcarum liberatur) *Albertus Stadenſis ad annum 1225.* Rex Danorum 45. marcarum millibus ſe redemit, exceptis clenodiis circa tria millia marcarum æſtimatis.

* In textu *Leerbecii* editionis ab Avo meo adhuc vivente procuratæ habetur *pro quinque millibus*, idque in hac editione retinui. Ex notis vero Avi, ubi verba *Leerbekii* repetit, patet eum in MSto legiſſe *pro L. millibus marcarum*, ut prius ſit Typothetæ vitium, non ipſius *Leerbekii* error: ut proinde ceſſet emendatio *P. Lambecii* T. 2. Rer. Hamburg. p. 28. conveniantque hæc bene cum *Alberto Stadenſi*, apud quem quadraginta quinque millia marcarum & tria millia Marcarum in Clenodiis, parum abeſt, quin conſtituant ipſam illam *Leerbekio* memoratam quinquaginta millium Marcarum ſummam.

Juxta villam Holſatiæ Parochialem) *Hæc eſt memorabilis illa multorumque ſcriptis celebrata Saxonum contra Danos victoria, quæ gentem externam finibus Holſatiæ ejecit, ac Lubecenſi urbi libertatem, ſi non amiſſam, ſaltem periclitantem poſtliminio reſtituit confirmavitque. Ericus Rex Daniæ in Hiſtorica narratione de origine Danorum, & gentis regibus, hanc cladem imputat Ditmarſis, verba ejus ſunt:* Thidmerskienſes in ultimo exercitu collocati proditionem facientes, exercitum Danorum, cum quibus erant, à tergo percuſſerunt.

Dux vero Otto de Lünenborg regi avunculo) *Otto Dominus de* Lünenborg (*ſic antequam à Friederico ſecundo Imp. Dux Brunſuigæ crearetur nominare ſe ſolebat) poſt recuperatam Brunſuigam hereditariam majorum ſuorum urbem, ab avunculo Woldemaro rege Daniæ, cui cum confœderatis Principibus, Gerhardo Archiepiſcopo Bremenſe, Alberto Duce Saxoniæ, Heurico Comite Suerinenſe, Adolpho Comite Holſatiæ & Schawenburgi, ac nonnullis gentis Henetæ Dynaſtis, graves erant controverſiæ, in ſocietatem belli pertractus, interfuit prælio Bornehovedano, in quo Danus cum ſuis profligatus fuga ſibi conſuluit, Otto Luneburgicus ab Henrico Suerinenſe Comite captus, & in cuſtodiam abductus eſt. Suerinenſe in ſequenti anno vitam relinquente, filius ejus Guncelinus, totus in eo erat, ut Ottonem libertati reſtitueret: verum Albertus Dux Saxoniæ obſtabat, nolens dimiſſioni conſentire, niſi prius à captivo arcem* Hiddesacker *acciperet. Chronicon rithmicum Ottonem triennium in cuſtodia fuiſſe affirmat. Quo tempore Vaſalli Principis, quos ætas iſta miniſteriales vocare ſolebat, urbi Brunſuicenſi, tutore ac defenſore deſtitutæ, permoleſti erant, adeo ut civibus commercia, & negociationes impedirentur, itinera eſſent infeſta. Enituit tum temporis fides Joannis, & Ottonis Marchionum Brandenburgenſium (quorum ſoror Mechtildis in matrimonio Lunæburgii erat) nam comperto tumultu, cum inſtructo equitatu tempeſtive Brunſuigam ingreſſi, omnemq; vim externam ab ea propulſarunt. Creditum fuit, & quidem non ſine cauſſa, Magdeburgenſem & Halberſtadenſem Antiſtites, inſtinctu Imperatoris Friederici 2. propter occupatam Brunſwigam Ottoni Luneburgio iraſcentis, clientes iſtos & ſubditos contra Dominum ſuum in cuſtodia agentem occultè animaſſe & armaſſe. Liberatus patriæq; reſtitutus Princeps, motus iſtos facile ſedavit: operam vero à Brandenburgiis Marchionibus ſibi navatam grato agnovit animo, eiſq; contra Archiepiſcopum Magdeburgenſem bellum gerentibus auxilio fuit.*

Eodem tempore Stedingi Dominis ſuis rebellare cœperunt) *Stedingi Friſici generis populus poſt Butiadas, & Statlandos introrſum ad Viſurgis ripas in parte occidentali ex adverſo Wordenſium ſedes habentes, anno 1204. Mauricio Comiti Oldenburgio aliiſq; Dominis ſuis cœperunt rebellare. Ab eo tempore indies inſolentiores redditi oppugnare etiam vicinos auſi ſunt, ſed ut eos injuriarum vindices ſtrenuos experirentur. Legatur Stadenſis ad annum 1212. 1213. 1214. 1230. 1232. 1233. & 1234. Maleficia, quæ eis tribuuntur inculcat Crantzius Metrop. lib. 7. cap. 47. exaggerat nimium Henricus Wolteri in Chronico Bremenſi MS. indicans Diabolum ſub nomine Aſmodei ab ipſis cultum. De veritate horum non immerito dubitat Ubbo Emmius rerum Friſicarum ſcriptor, quem vide lib. 10. ut & Chronicon Oldenburgenſe Herman. Hamelmani.*

Gerhardus Nobilis de Lippia Oſnaburgenſis &c. caſtrum Ottersberg cepit) *Confundit Hiſtoriam Gerhardi primi & ſecundi Archiepiſcoporum Bremenſium, uterq; ex illuſtri Comitum Lippienſium familia oriundus fuit. Poſterior arcem* Ottersberg *aliquandiu obſeſſam expugnavit anno 1221. ut Albertus Stadenſis.*

Dominus Hermannus de Lippia) *Albertus Sta lenſis ad annum* 1230. Bremenſis Ar-

chiepiſcopus Stedingorum inſolentiam repreſſurus, die Natali Domini valido bello eos aggreditur, ibique frater ejus Hermannus, vir utique ſapiens & illuſtris, ſolus occiditur, unde ſubito confuſione facta, ille totus bellicus apparatus diſſolvitur. *De hoc Heroe, quem Chronicon Raſtedenſe male Gerhardi Archiepiſc. Bremenſ. ex fratre nepotem vocat, alibi plura venient dicenda.*

Caſtrum Slutter) *Arx* Slutter / *ſive, ut Chronicon Raſtedenſe MS. nominat,* Slutterberg / *fuit non procul ab eo loco, ubi hodie Delmenhorſtum, arx munitiſſima, conſpicitur. Extruitur contra Stedingos à Gerhardo ſecundo Archiepiſc. Bremenſi anno 1213. verum ab hoſtibus ſolo æquatur 1232.*

Borchardum Comitem de Aldenborg) *Alb. Stadenſis ad annum 1233.* Borchardus Comes de Aldenborg à Stedingis pene cum ducentis proſternitur peregrinis, relinquens poſt ſe heredem Henricum Bogenarium.

Ducem Brabantiæ, Comitem Hollandiæ, & Comitem de Clivis) *Nomina Brabantini Ducis & Hollandini Comitis conſervavit Stadenſis, ut hunc Florentium, illum Henricum nominet. Clivenſis Theodoricus indigitatur à monacho Nüſſienſe magni Chronici Belgici conſarcinatore.*

Hi cruce ſignati terram Stedingorum) *Quomodo in Stedingos Eccleſiæ perduelles concitati ſint vicini Principes cum ſuis ſubditis, declarat bulla Gregorii noni Papæ, quæ talis eſt.* Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Padeburnenſi, Hildeſemenſi, Verdenſi, Monaſterienſi & Oſnaburgenſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Clamante ad nos dudum Bremenſi Eccleſia contra perfidiam hæreticorum, qui Stedingi vocati fideles populos regionis illius ferali more lacerant & extinguunt, nos venerabilibus fratribus noſtris Raceburgenſi, Mindenſi, & Lubecenſi Epiſcopis, quibus prædicationis officium eſt diœceſibus veſtris ab Apoſtolica ſede commiſſum, mandavimus, quod per easdem diœceſes peccatorum veniam fidelibus pollicendo, ipſos contra præfatos hæreticos concitarent, ut per eorum auxilium illi auctore Deo ad gratiam converſionis accederent, vel in confuſionis foveam deducantur. Ut ergo dicti Epiſcopi plenius & efficacius valeant, quod mandavimus, adimplere, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, cum agatur fidei negocium, quod cunctis debet eſſe fidelibus ac prælatis ſpeciale, in eodem negocio dictis Epiſcopis efficaciter adſiſtatis, impendentes eis utile conſilium & auxilium oportunum. Datum Anagariæ 14. Kalend. Febr. Pontificatus noſtri anno 5.

Henricus Comes de Aldenborg) *Stadenſis ad annum 1234. ſcribit Henricum Comitem Oldenburgenſem in prælio contra Stedingos occiſum: quod quidam intelligunt de Henrico Bogenario, id eſt, humili, ſed minus recte: nam qui occubuit Henricus Comes filius fuit Elimari ſecundi, ut* Hamelm. *in Chronico* Oldenburg.

Monaſterium S. Pauli per fratres Prædicatores) *De fundatione hujus cœnobii vide plura in Chronico Mindenſi.*

Prædictis duobus Epiſcopis tertius erat frater nomine Otto) *Ut hic locus & ſequentes aliquid lucis accipiant, partem Genealogiæ ſubjungam.*

HENRICUS COMES HOJENSIS.

Johannes Comes Hojenſis.	Widechindus Epiſcopus Mindenſis 32.	Gerhardus Epiſcopus Verdenſis 33.	Otto familiæ Dominicanæ Monachus.	Richeidis uxor Widechindi, Domini de Monte, Advocati Eccleſiæ Mindenſis.
				Henricus Gerhardus

Monaſterium puellarum nunc Lemego degentium anno 1265. fundavit) *Chronicon Mindenſe:* Iſtis temporibus inclytus vir, frater Otto de Hoja multo labore, & expenſis ſorores ordinis Prædicatorum nunc Lemego degentes de Weſterſteden in Loden tranſtulerunt. *Exſtat adhuc hiſtoria fundationis hujus Parthenonis, quam integrè*

Digitized by Google

tegrè adſcribam. Anno verbi incarnati 1265. tempore quo venerabilis Como, Eccleſiæ Mindenſis Epiſcopus dictam ſedem gubernabat, Widechindus de Monte dictæ Eccleſiæ Nobilis Advocatus, divino ſpiritu inſpiratus Monaſterio Sororum in Lothen fundavit, villis quoque & decimis, quas ab Alberto Duce in Brunſwick in pheudo tenuit & induſtria corporali & ſervitio acquiſierat, ad preces & exhortationes Nobilis viri Fratris Ottonis de Hoja, fratriſque Johannis ſapientis, divinæ mercedis intuitu, ſecundum ſequens privilegium dotavit. In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, AMEN. Univerſis fidelibus Chriſti præſens ſcriptum intuentibus, Nobilis vir Widekindus Advocatus de Monte, qui dicitur Schalkesberg/ ſalutem in omnium ſalutari. Quoniam juſtum eſt rerum bene geſtarum memoriam nulla oblivione deleri, earum maxime, quæ ad honorem omnipotentis Dei provida deliberatione ſalubriter diſponuntur: Nos autem attendentes felix eſſe commercium pro perituris æterna, pro terrenis cœleſtia commutare, cum nihil homini proſit, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur, quæ pro noſtra noſtræque conjugis Aſchte/ ac progenitorum noſtrorum ſalute fecimus aut donavimus, cunctis tam præſentibus quam futuris eſſe cupimus hominibus manifeſta, videlicet, quod habita venerabilis Cunonis Epiſcopi Mindenſis licentia, clauſtrum in Lothen Mindenſis diœceſis fundavimus, ordinantes in eo, ut Prioriſſa, & ſorores ordinis Patrum Prædicatorum ſub beati Auguſtini regula, Domino à quo cuncta bona percepimus, in perpetuum famulentur. Dotavimus etiam ipſum clauſtrum, cum adhuc eſſet novella plantatio, tali dote: Jus patronatus Eccleſiæ in Lothen/ & duas magnas domos in eadem villa, cum aliis domunculis, & omnibus agris ad eas pertinentibus, & decimam ipſius villæ, & fluvium parvum qui in latere villæ fuit: Item unam domum in alia villa quæ Loden ſimiliter nominatur: Item in Bitide tres magnas domos, cum aliis domunculis, & agris ad eas pertinentibus, & decimam de eadem villa, cum omni juris integritate, videlicet ſylvis, pratis, rivis & paſcuis, clauſtra huic libera ab omni Advocatia pro dote contulimus, & aſſignavimus in perpetuum poſſidenda. Cætera autem quæ donavimus de manu illuſtris Principis Alberti Ducis in Brunſwick jure tenueramus pheudali, ſed nobis ea reſignantibus, quæ nulli heredum noſtrorum unquam collata fuerant, dictus Princeps una cum fratre ſuo Johanne Duce, tam Eccleſiam ſive jus patronatus dictæ Eccleſiæ, quam domos ſive domorum & agrorum hujus proprietatem, noſtras ad preces propter Deum inceptæ à nobis plantationi liberaliter contulerunt. Nec eſt tacendum, ut credimus, quod omnia prædicta bona non de hereditate noſtrorum progenitorum extiterunt, ſed noſtra pecunia noſtraque induſtria conquiſita, propter quod ea reſignandi ſeu donandi liberam magis habuimus facultatem. Univerſitatem igitur fidelium attente duximus exorandam, inſuper heredes noſtros monemus, quatenus ipſi Deum habentes præ oculis, cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, ne in ſacrilegii reatum incurrant, donationem ratam habere dignentur & gratam, ut & ipſi nobiſcum mercedem conſequantur æternam. Nos enim & uxor noſtra Aſetha cuncta, quæ præmiſimus, ad honorem omnipotentis Dei, ſuæque matris glorioſæ Mariæ, præfatis ancillis Chriſti, & cunctis eis ſuccedentibus, in perpetuum cum pleno cordis affectu, & mentis alacritate donamus, nos & progenitores ſeu heredes noſtros eadem devota ſolicitudine commendantes, ut earum precibus aſſiduis nobis inter mundi hujus diſcrimina fluctuantibus divina dignetur indulgere pietas portum felicitatis æternæ. Ut autem noſtra donatio firma ſemper & inconvulſa permaneat, eam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam, anno quo ſupra.

Conradus Comes de Everſtein) *Recte Lerbeccius Comitem hunc Everſteinium Conradum nominat: Nam auctor Chronici ritbmici, iſtis temporibus vicinus conſentit. Crantzius ſecutus Chronicon Saxonicum vernacula lingua ſcriptum lib. 8. cap. 21. Saxoniæ ſuæ malè Theodoricum vocat. Per pedes trabi alligatum fuiſſe, idem habet ritbmicum Chronicon, addens quod totum triduum miſer ſupervixerit, defuncti cadaver ad ſpectaculum diu in patibulo relictum ſit. David Chytræus lib. 1. Saxoniæ affirmat ab hoc Theodorico (ſic enim cum Crantzio eum vocat) ortam eſſe illuſtrium Comitum Everſteinenſium, Dominorum in* Newgart & Noſſaw/ *familiam, quæ adhuc ſuperat in Pomerania, idq; factum hac occaſione: Hermannum Comitem Glichenſem Thuringum adeptum*

 eſſe

Digitized by Google

eſſe Epiſcopen Caminenſem anno 1254. Hujus ſororem nupſiſſe Theodorico Everſteinio, de quo nobis ſermo, eiq; peperiſſe filios quatuor, Ottonem, Wislaum, Bernhardum & Mauricium, quos patre miſerrimè necato avunculus Epiſcopus ad ſe receperit, ac primogenito Ottoni ſua pecunia Dynaſtiam Neügartenſem compararit, reliquos fratres templi Caminenſis fecerit canonicos. Ottonem eſſe conditorem præſentis familiæ Eberſteiniæ in Pomerania. Hactenus Chytræus. Verum hæc ex diametro pugnant cum relatione Hermanni Hamelmani, quæ exſtat lib. 2. de familiis Saxonicis emortuis. Ibi ſcribit, Ottonem Eberſteinium in fano cœnobii Amelungsbornenſis, Monachis ſacra peragentibus, ſua manu interfeciſſe. Henricum Dynaſtam Homburgium ejus familiæ poſtremum: Propterq; hoc homicidium à Wilhelmo victorioſo Duce Brunſuicenſi paterna ditione fuiſſe ejectum. Hæc ex Hamelmano repetens Henningeſius, Ottonem Eberſteinium facit filium Hermanni Comitis, qui ditionem ſuam avitam filio in Pomerania exulanti, genero Ottoni Claudo Duci Brunſuicenſi in dotem dederit. Reusnerus Auctario operis genealogici Catholici, in deſcriptione familiæ Eberſteiniæ toto cœlo errat, confundens Eberſteinios Saxonicos cum alia ejusdem nominis in ſuperiori Germania familia.

In Hamborg Monaſterium SS. Johannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ) Initium hujus Monaſterii Adamus Thraciger collocat in annum 1235. ejusq; auſpicem facit quendam Burchardum familiæ Dominicæ Monachum: qui forte eſt Burchardus Hiddinck, quem à dono miraculorum commendat Chronicon Mindenſe.

Borchardus cognomento Grelle Archiepiſcopus Bremenſis) Hic Epiſcopatum iniit anno 1337. ut Chron. Bremenſ.

Jus ſylvæ quod teutonice Egwort dicitur) Vocabulum alii enunciant Achtwort ſive Echtwart. In literis Balduini de Wenden militis morantis in Meinerſem an. 1316. Jus commune ſecandi ligna in ſylva, quod dicitur Achtwort. In literis Henrici Ducis Saxoniæ & Comitis Palatini. Arnoldus abbas Riddagshuſanus, & ſui fratres emerunt jus quoddam, quod Echtwart dicitur, ad ignem & ædificationem in Sylva, quæ dicitur Aſtbrock 1224 Joannes D. G. miles de Saldere, & Joannes D. G. miles dictus Marſchalcus in ſuis literis fatentur Burchardum ab Aſſeburg dediſſe ipſis licentiam & communitatem ſylvæ, quæ dicitur Achtwort. Hæc inſerere volui, quod ſciam, de genuina hujus vocabuli ſignificatione inter Juriſconſultos aliquando diſceptatum fuiſſe.

Livoniam cauſſa devotionis viſitat) Peregrinatio Livonica Comitis Adolphi collocatur à Stadenſi in annum 1238. Fuit autem Heilwigis Adolphi conjunx, filia Hermanni Comitis Lippienſis à Stedingis cæſi filia. Nam ab eodem Stadenſi ad annum 1250. nominatur Simon Epiſcopus Padibornenſis, Joannis Comitis Schawenburgii, nati Adolpho & Heilwiga, avunculus.

Iſte Abel fuit filius Waldemari regis Daciæ) Nota affinitates, quæ priſcis regibus Daniæ cum Ducibus Saxoniæ & Brunſuigæ, item cum Marchionibus, Stadenſibus & Comitibus Schavenburgicis interceſſere.

Ordinem S. Franciſci apud Hamborg ipſo die S. Hippolyti intravit) Superioribus ſeculis Monachatus in eam pervenerat exiſtimationem, ut qui eum inirent, jam viventes beati, & quaſi cœlitibus adſcripti cenſerentur. Quæ res multos ex Principibus, & equeſtri ordine induxit, ut deſerta temere & periculoſe ſtatione ſua, relictis conjugibus, liberis, ſubditis, in Monaſteria ſeſe abderent, ibiq; inter fraterculos conſeneſcerent. Inventi etiam ſunt antiſtites, qui piis hominibus de peccatis ſuis ſerio dolentibus, modumq; cœleſtis gratiæ impetrandæ anxie & ſolicite quærentibus, hoc unicum oſtenderent perfugium, ut depoſitis cingulis militaribus armisq; togam monaſticam (quam Reinhardus Epiſcopus Halberſtadenſis in literis confirmationis Monaſterii Hamerslebienſis ſanctitatis veſtem appellat) aſſumerent. Exemplum invenias in Chronico Pegavienſi, ubi Ruggerus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Arnoldus Merſpurgenſis, Richwinus Goteboldus Miſnenſis Epiſcopi, Wiperto Luſatiæ Marchioni ſalutis ſuæ ſatagenti, vecordi conſilio, in Monaſterio cucullam induunt. Alii ſponte ſua, ut nimirum peccata ſua expiarent, id ſibi concedi poſtularunt: ut Henricus Niger Dux Bavariæ, & Saxoniæ gener Magni Billingii, de quo Chronicon Weingartenſe, præterea Conradus Marchio Miſniæ & Luſatiæ, qui Lauterbergenſe, ſive SanPetrinum, Volcmarus Comes Clettenbergius qui Huisburgum, Monaſteria, religionis cauſſa ingreſſi ſunt. De illo conſulatur Chronicon Lauterber-

Digitized by Google

terbergenſe, ad annum 1156. & origines Saxonicæ Georgii Fabricii lib. 5. Hujus meminit Chronicon Walkenredenſe Henrici Eckſtormii. De Conrado Comite Marcano Tremoniæ Franciſcanorum monaſterium ingreſſo ſcribit Detmarus Mulberus Chronici Tremoniani c. 21. Ericum cognomento Lamb *regem Daniæ animæ conſulere cupientem regiam veſtem cuculla permutaſſe auctor eſt Saxo Sialandicus lib. 14. De Friederico 2. Imp. paulo ante mortem Ciſtercienſium ordinem ingreſſo ſcribit Matthæus Paris in hiſtoria Anglica. De Monachatu Bernhardi Comitis Lippienſis prolixe meminit M. Juſtinus, qui ejus vitam ante 360. annos barbaro ſeculo eleganti, quod mirere, carmine deſcripſit, inducens virum fortiſſimum pathetica oratione inſolentis ſui inſtituti rationes & cauſſas conjugi, & liberis multis verbis explicantem. Nec dubito, quin Adolphus Schawenburgius, in cujus matrimonio Heilwigis Hermanni Lippienſis filia, Bernhardi neptis fuiſſe conſtat, hujus proſoceri ſui religioſum exemplum æmulari voluerit, ſic tamen ut arctiore diſciplina & inſtituto, quale Franciſcanorum, tunc adhuc recens ferebatur, obligari voluerit. Ingreſſus eſt autem Adolphus Monaſterium anno 1239. ut Stadenſis & Chronica Sclavica, filiis adhuc impuberibus.*

Duodecimo ergo anno profeſſionis) *Iter Romanum Comitis Adolphi collocat in annum 1244. Stadenſis: nec diſſentit Chronica Sclavica: Non igitur duodecimo, ſed quinto Monachatus anno inſtituta eſt profectio.*

In conventu oppidi **Kyl**/ quod à fundamentis erexit, in Chriſto ſepelitur) *Adamus* **Thraziger** *in Chronico Hamburgenſi ſcribit, Adolphum ſepultum eſſe in presbyterio ſive Choro Monaſterii Mariæ Magdalenæ.*

Anno tertio Adolpho) *Alb Stadenſis ad annum 1246.* Joannes filius fratris Adolphi & frater ejus Gerhard. de Pariſiis: ubi pluſquam duos annos ſteterant, à ſuis non modico deſiderio exſpectati, incolumes redierunt, & octava Franciſci feria quinta cum maximo cleri & populi tripudio ſunt recepti. Terram ſub guerra invenerunt. Erico rege Daciæ eam cum omnibus, quos in auxilium ſui ſollicitare poterat infeſtante.

Biennio vero elapſo Joannes Comes) *Expeditonem Principum Saxonicorum in Daniam Stadenſis collocat in annum 1249. innuens inaniter ſolutam. Chronicon Sclavicum rejicit in annum ſequentem.*

Mortuo Gerhardo Epiſcopo) *Intelligit Gerhardum Archiepiſcopum Bremenſem, qui ex hac vita emigravit, anno 1257. die Pantaleonis, cum circiter quadraginta annos diœceſi ſuæ laudabiliter præfuiſſet.*

Hilleboldus vero electus) *Hildeboldus Archiepiſc. Bremenſ. Gerhardi ſucceſſor, non fuit Comes Brochuſanus, ut Henricus Wolteri, & qui eum ſequuntur, ſed Wünſtorpienſis, de qua familia dixi prolixe ad hiſtoriam Henrici Leonis nuper editam.*

* *Civitatem Hamburgenſem in feudum porrigere*) Quæ ad hunc locum notavit *Petrus Lambecius*, cum aliarum omnium, tum Patriæ hiſtoriæ peritiſſimus Vir lib. 2 Rer. Hamburg. p 146. ea hîc integra deſcribam, quia præſertim Leerbekium noſtrum & laudat & caſtigat. Cum enim Leerbekii, ut pote quo nemo antiquior litteris id conſignaſſet, verba retuliſſet: *Hunc*, inquit, *locum propterea integrum appoſui, quia illum Cyriacus Spangenbergius Chronico Schowenburgenſi non tantum ſuppreſſo auctoris nomine, ſed & gravi in Comites Holſatiæ præjudicio inſeruit. Abſit enim, ut quis credat, Urbem Hamburgenſem feudum Eccleſiæ Bremenſis unquam fuiſſe, ideoque vel Duces Saxoniæ vel Comites Holſatiæ, ut bona fide illam poſſiderent, ulla Archiepiſcoporum conceſſione indiguiſſe. Id enim putidum eſt commentum, cui omnis reclamat antiquitas. Merito ergo debuiſſet hoc Spangenbergius monere, nec falſæ opinionis materiam inerudito lectori ſuggerere. Illud quoque hic notandum videtur, Hermanni Leerbecenſis Chronicon Schowenburgenſe egregia quidem multa continere, ſed paſſim quoque mutilum eſſe & corruptum, innumeriſque mendis & erroribus, imprimis, quod ſupputationem temporum attinet, ſcatere. Quod quidem propterea moneo, ne quis miretur, me unius ejuſdem ſcriptoris autoritatem alibi quidem ſequi, alibi autem rejicere.*

Injurias à quodam milite Borchardo illatas) *Chron. Sclavicum incerti auctoris.* Anno 1262. cives Lubicenſes captum tenuerunt in Prætorio civitatis Joannem Comitem Holſatiæ, quia quendam militem Borchardum **Voet**/ in civitate Lubicenſi circa

 puteum

puteum in platea lata prope cœmiterium B. Virginis interfecit: qui per manuterium quoddam de feneſtra prætorii ſe ſubmiſit ad terram, ubi à ſuis ad hoc ordinatis ad equum locatus, abductus fuit. *vide Crantzium Saxon. lib. 8. cap. 28.*

Eodem tempore Margaretha Regina Daciæ) Margaretha *vidua Chriſtophori Regis Daniæ, cum filio Erico bellum inferebat Erico, Abelis Daniæ olim regis filio, Jütlandiæ Duci. Huic auxilium ferebant Joannes & Gerhardus Duces* Holſatiæ *avunculi. Prælium commiſſum eſt in Dania in loco* Loheide/ *ut Crantzius,* Lohete/ *ut Ericus Pomeranus rex Daniæ in Chronico Daniæ. Capta ibi eſt regina cum filio Erico, & Hamburgum in honeſtam cuſtodiam deducta. Tractatum eſt de ejus liberatione, primo Quedlinburgi, ubi convenere Joannes, & ejus filius Otto, Marchiones Brandenburgenſes, & Albertus magnus Dux Brunſuicenſis: Soltwellæ, ubi etiam regina præſens adfuit, & filium ſuum Ericum Marchionibus obſidem dedit, ſed Hamburgum reverſa eſt. Ducem deinde Albertum M. filii tutorem conſtituit qui ſtatim conſtato ex ſuis exercitu Holſatiam populabundus ingreſſus eſt, Plonaque expugnata, & fortius munita Chilonium graviter oppugnavit, fruſtra tamen. Dum hæc aguntur, accidit, ut Joannis Comitis Holſatiæ filia deſponderetur Ottoni Brandenburgenſi, Joannis Marchionis filio. His fideliter negocium promoventibus injuriæ utrinque condonatæ ſunt, Comites Holſatiæ cum Regina & Brunſuigio in gratiam rediere, ipſa cum filio in regnum reverſa eſt. Quam Dux Albertus dimiſſo exercitu ſecutus, regnum perturbatum conſtituit, ac Nobilem quendam Danum Petrum, Vincelii F. rebus novis ſtudentem, vitæq; Ducis inſidiantem, cum ſeptem Gogravîis ejuſdem ſceleris conſciis, laqueo puniri juſſit. Demandata tunc ei fuit gubernatio aliquot Provinciarum regni Danici videlicet Lalandiæ, Langelandiæ, Scaniæ, Fioniæ, Falſtriæ, Monæ, Wendelandiæ & Fimariæ, in quo magiſtratu ſic Reginæ fidem probavit, ut matrimonium ejus non obſcurè ambiret, etſi Junone invita. Nectentem in regno Danico moras Brunſuigium inviſit frater Joannes Dux Luneburgi, quem præſentibus multis ex nobilitate equitem, ſive militem, creavit, regina ſumptus liberaliſſimè ſuppeditante. Non multo poſt rediit Dux Albertus in Saxoniam.*

Joannes Dux filiam Gerhardi Comitis duxit uxorem) *Nuptiæ celebratæ* Hamburgi *anno 1265. Sponſæ nomen fuit Lucardis.*

Iſti duo fratres Cometiam in Steinwede) *De Comitibus ſive liberis Dynaſtis Steinwedenſibus in annalibus noſtris nullam invenio mentionem, præterquam quod Bernhardus Luderus Mindanus in Encomio patriæ, carmine elegiaco perſcripto, Joannis de* Steinwede *meminit hiſce verſiculis:*

Nobilis inſigni nulli pietate ſecundus
Joannes Steinwed/ vir bonus atque pius.
Hic divum Petrum donavit munere magno
Utpote campanis, quæ modo grande ſonant.

Hæc ſine dubio ille ex annalibus vetuſtis. Vocat Nobilem, qua appellatione olim veniebant Comites & Barones. Dynaſtiam Steinvvedenſem tempore Wilhelmi Batavi Cæſaris ab Imperio jure feudali tenebat Albertus Dux Saxoniæ, qui inductus à Widekindo Epiſcopo Mindenſi eam Cæſari antedicto reſignavit, Cæſar reſignationem ratificans feudum vacuum, nempe Steinvvedam, Haddenhuſium *& Borcheram memorato Epiſcopo Mindenſi Widekindo contulit. Diploma datum eſt 18. Maji anno 1254. in Friſia, ubi hoc tempore Cæſar Friſios debellabat, ſequenti anno ab iisdem occiſus. Conſulantur Privilegia Mindenſia edita à Joanne Piſtorio. Chronicon ejuſdem diœceſis, quod nunc evulgamus, affirmat Widekindum Epiſcopum, quem dixi, hactenus ab Alberto Duce Saxoniæ poſſeſſam, emiſſe à Joanne, & Gerhardo fratribus, Comitibus Schovvenburgicis precio 8000 marcarum anno 1268. Inde conicio Comites hoſce etiam juris aliquid in Dynaſtiam Steinvvedenſem habuiſſe, quemadmodum idem de ſe affirmarunt Comites Deiphlodiani, qui Epiſcopum & diœceſin in poſſeſſionem miſſos, ſequentibus annis multis modis inquietarunt. Octingentæ illæ Marcæ cum in ærario non eſſent, mutuo aliunde ſumptæ ſunt quingentæ & decem, quos tempore Cunonis Deipholdiani, Widekindi in Epiſcopatu Mindenſi ſucceſſoris, nonnulli ex incolis Dynaſtiæ Steinvvedenſis creditoribus perſolverunt, nacti inde libertatem quam etiam hodie nomine præferunt* Die Freyen. *Tempore contractus inter Widekindum Epiſcopum & Comites Holſaticos initi, Dynaſtia iſta oppignorata erat* Henrico *Comiti Oldenburgico, cognomento Bogenario, hoceſt, humili, pro ſex millibus marca-*

marcarum. Sita eſt Dynaſtia Steinvvedenſis inter Radam Epiſcopatus Mindenſis præfecturam, & Deipholdium Comitum olim aulæ ſedem.

Idem Epiſcopus oppidum Hamelen ejuſdem diœceſis) *Eadem habet Chronicon Mindenſe, ſed ut precium dicat fuiſſe quingentas marcas examinati argenti Coloniæ perſolvendas. Abbas Fuldenſis Henricus, qui Hamelam vendidit fuit familiæ Ebrtaliæ, quæ clara apud Buchonios: Carolum Magnum ex quo Longobardorum Regis, & Patricii Romani titulos aſſumſit, Hamelam cum univerſo vectigali, & capitum cenſu quantus fuit, Fuldenſi Eccleſiæ donum obtuliſſe, teſtatur Chriſtophorus Browerus antiquitatum Fuldenſium lib. 4.*

Joannes ob ſpem prolis, ne ſtirps tam inclyta herede careret, filiam regis Daciæ Chriſtophori) *Albertus Stadenſis in ſtemmate familiæ Billinganæ pag. 168. ſcribit in matrimonio Joannis Comitis Holſatiæ fuiſſe Eliſabetham Alberti Ducis Saxoniæ filiam. Ad annum 1241. dicit adhuc puellulam ipſi deſponſatam fuiſſe Hamburgi. Hoc loco diſſimulare non debeo, quod non ita pridem in monaſterio Mariærodenſi, Hildeſiæ vicino, inſpexerim literas Gerhardi, & Johannis Comitum Schawenburgenſium (qui Joannes alter eſt ejus nominis, primi filius) datas anno 1273. Eas cum aliis inſtrumentis, ibidem repertis, hoc loco inſeram, ut genealogiam Schawenburgicorum Comitum illuſtriorem reddam. Sunt autem hæ.*

Gerhardus & Joannes D. G. Comites Holſatiæ, omnibus præſens ſcriptum cernentibus, ſalutem in Domino ſempiternam. Ne ea, quæ aguntur in tempore, oblivioni tradantur, expedit, ut ſubſcriptione teſtium, vel ſcripturarum teſtimonio perennentur. Noverint itaque tam præſentis, quam futuri temporis ſucceſſores, quod nos ob devotionem & reverentiam B. virginis Mariæ, æternæ remunerationis gratiam intuentes, cum communi conſenſu, & bona voluntate heredum noſtrorum, ſcilicet, Ludgardis Duciſſæ de Lüneburg / Eliſabeth Comitiſſæ de Welpia, Gerhardi, Adolphi, Henrici, Alberti filiorum noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum, & de conſenſu heredum fratris noſtri Joannis piæ memoriæ, videlicet, Heilwigis, uxoris Dn. Ottonis Marchionis, Agnetæ uxoris Dn. de Roſtock / Adolphi, Alberti & aliarum filiarum noſtrarum Heilewigis & Mechtildis, omnia bona, quæ Herboldus miles de Herboldeſſen à nobis in pignore tenuit, id eſt, Wedeſchacht obligata, ſcilicet ſedecim manſos, ſitos in villa Heinhuſen / vendidimus Abbati & conventui novalis S. Mariæ, cum omni jure & utilitate, ſicut prædicti manſi dicto militi fuerunt obligati, cum allodio adjacente, & areis ad allodium pertinentibus, ſilva, ſingulari piſcatione in Leina / ab omni exactione cujuslibet decimæ & onere advocatiæ dicta bona ſoluta, & libera proteſtamur, & plane cum omni jure utilitate & libertate, ſilvis, aquis, paſcuis, pratis, paludibus, cultis & incultis, exitibus & reditibus, ſicut dicti manſi nobis, & noſtris heredibus præſentibus competebant, vel competere poſſent ſucceſſu temporis, aut noſtris heredibus poſt futuris. In recompenſam vero pro dictis manſis recepimus ducentas marcas Bremenſis argenti, & quinquaginta marcas: aſſignantes etiam cum omni libertate, & commoditate ſupradictos manſos Abbati, & conventui ſuperius memorato, libere & in perpetuum poſſidendos. Ne autem hoc noſtrum rationabile factum in poſterum quis valeat infeſtare, & uti perpetuam obtineat firmitatem, & ne à nobis, nec à poſteris noſtris in ulla ſui parte valeat retractari, præſentem paginam ſigillorum domini noſtri archiepiſcopi Bremenſis, Joannis Ducis de Brunſwick / Burchardi Comitis de Welpia / Ludolphi Comitis de Wünſtorp & noſtrorum, fecimus communiri. Cæterum teſtes huic facto adfuerunt, Henricus Decanus S. Joannis in Hildesheim / Lupus, Ludewicus Poſt / Henricus Poſt / Henricus de Eck / Hartwicus Stormarius, & frater ſuus Marquardus, Hartwicus de Retere præfectus, Harbertus de Mandelſe / tres fratres milites Poppones nomine, Bartoldus de Bevelte / Wernerus de Negenborn / milites, & alii quamplures. Datum in oppido noſtro Itzeho / anno Domini 1272. in quarta feria infra octavam B. Virginis Mariæ videlicet aſſumptionis.

Nos Dei gratia Joannes Dux de Brunſwick / cognoſcimus & tenore præſentium univerſis cupimus eſſe notum, quod ſigillum noſtrum ad patentes literas Comitis Gerhardi Holſatiæ noſtri generi prædilecti eccleſiæ in Beringerode / licet invite, duximus appendendum: nunc autem dilecti ſocii, & nobilis viri Burchardi Comitis de

Welpia

Welpia precibus annuentes, quod tunc inviti fecimus, nunc ad præſens omnimodis retractamus, ita quod concedimus eſſe gratum præſentibus atque ratum, quicquid de bonis in **Geinhuſen** per Comitem Gerhardum cum eccleſia in **Beringeroda** exſtitit ordinatum. Datum **Brunſwick**/ anno 1273. craſtino die Nativitatis B. virginis Mariæ.

Joannes Dei gratia Comes Holſatiæ, omnibus præſentia inſpecturis ſalutem in Domino. Notum facimus univerſis, quod ad hoc nos obligavimus, quod frater noſter Adolphus venditionem ſedecim manſorum in villa **Geinhuſen** ratam tenere debet, & fratres, qui eadem bona emerunt à nobis, in nullo penitus moleſtare, ſed ipſos in dictis bonis, ubicunque poterit laudabiliter promovere, & cum ſigillum proprium habuerit, debet ſuper iſtam venditionem à nobis datum privilegium, ſigillo proprio ſigillare, quod præſenti litera proteſtamur. Datum in civitate noſtra **Kyl**/ anno Domini 1272 in die decollationis S. Joannis Baptiſtæ.

Adolphus Dei Gratia Comes Holſatiæ omnibus præſens ſcriptum cernentibus in Domino ſalutem. Notum facimus univerſis, quod nos venditionem à patruo noſtro Gerhardo Comite, & à fratre noſtro Joanne factam, ſcilicet, ſedecim manſorum, in villa **Geinhuſen** ſitorum cum ſuorum heredum conſenſu, ratam tenemus pariter & acceptam: quos eccleſia Novalis S. Mariæ in **Beringeroda** comparavit perpetuo poſſidendos, nolentes dictam eccleſiam in prænominatis manſis aliquatenus impedire, ſed cum effectu, divinæ remunerationis intuitu, potius promovere. Ut autem hoc noſtrum factum tam rationabile inviolabiliter obſervetur, præſentem paginam præſentis ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Datum in ſabbato ante Reminiſcere, anno Domini 1273.

Coram vobis, reverende Pater, Domine Otto, venerabilis Epiſcope Mindenſis eccleſiæ, Nos Gerhardus Comes Holſatiæ, & in **Schawenburg**/ bona in **Geinhuſen**/ quæ de veſtra Dominatione in pheodo tenuimus, reſignamus. Huius rei teſtes ſunt, Otto Mindenſis eccleſiæ Præpoſitus, Conradus Præpoſitus S. Joannis, ejuſdem civitatis, dictus de **Wardenberge**/ Arnoldus cuſtos dictus de **Schinna**/ **Wedego** Præpoſitus S. Martini, Ludolphus de **Wünſtorpe**/ Burchardus de **Welepe**/ Comites, & alii fide digni. Anno Domini 1274.

Harum literarum beneficio, minimum quatuor perſonis, in genealogia Comitum Schawenburgenſium ab aliis præteritis, vitam poſtliminio redonavi, & memoriam: tanti eſt inſpexiſſe diplomata, & veteres traditionum literas.

ADOLPHUS COMES HOLSATIÆ ET SCHAWENburgi induit ſacram veſtem & fit monachus.
Uxor Heilwigis Lippiaca.

Joannes Comes Holſatiæ & Schawenburgii obiit anno 1266.	Gerhardus Comes Holſatiæ & Schawenburgii obiit 1281.

Joannes Comes Holſatiæ († 1266) children:

Joannes 2. Comes Holſatiæ & Schawenburgi.	Heilwigis uxor Ottonis Marchionis Brandenburg.	**Agnes** uxor Domini de **Roſtock**.	Albertus.	Adolphus.	Heilwigis.	Mechtildis.

Gerhardus Comes Holſatiæ († 1281) children:

Ludgarda Duciſſa de **Lüneburg**.	**Eliſabeth** Comitiſſa de **Welpia**	Gerhardus.	Adolphus.	Henricus.	Albertus.

Hujus Gerhardi uxor Alheidis nomine ex Nobilibus de **Wertſeborg**) *Germanica verſio Lerbeccii habet* **Werteberg**/ *ex quo colligit Spangenbergius Alheidin fuiſſe Suevam, ex familia Comitum Wirtebergicorum: ſed fallitur: non enim in Suevia, ſed Saxonia nata fuit, ex familia illuſtri Baronum Warbergicorum, quod planum faciam:*

Minden-

Digitized by Google

Mindenſis Epiſcopus Conradus ejus nominis ſecundus, tempore Ottonis prædeceſſoris ſui, fuit Præpoſitus S. Joannis in urbe Minda. Hic in literis dicti Epiſcopi nominatur Dominus de Werberge: *in aliis appellatur Conradus dictus de* Wardenberge. *Fuit ei cum vicinis Schawenburgi Comitibus familiaritas & neceſſitudo, quæ occaſionem ei præbuit ſororem Comiti Schawenburgico elocandi. Dubium vero eſt, an hæc Albeidis conjuncta fuerit Gerhardo ſeniori, vel ejus filio cognomini, quem cœcum annales appellant. Floret etiam hodie in Ducatu Brunſvicenſi illuſtrium Baronum Warbergenſium familia, quæ diœceſi Halberſtadenſi duos dedit Epiſcopos Henricum & Burchardum. Henricum ex Comitibus de* Werberge *oriundum fuiſſe indicat Crantzius Metrop. lib 11. cap. 8. quod repetit Bruſchius in catalogo Epiſcoporum Halberſtadenſium, & Hoppenrodius in familiis Saxonicis. Vidi etiam literas Alberti Lantgravii Thuringiæ datas anno 1256. quibus teſtatur ſe feudum quoddam contuliſſe* Cunoni, *ſive Conrado, Comiti Warbergico. Hæc illuſtris familia, ut matrimonia contraxit cum generoſiſſimis quibusque in Saxonia familiis, puta Stolbergica, Wernigerodana, Reinſtenia, Wünſtorpiana, Lindavi, Slademenſi, Pollana & Hadmerslebienſi; ita multa beneficia ſive feuda habuit ab Archiepiſcopis Magdeburgenſibus, Epiſcopis Halberſtadenſibus, Marchionibus Miſnenſibus, Abbatibus Werdenæ & Helmæſtadii. Quibus deinde acceſſere nonnulla beneficia, quæ prius fuerant Baronum Heimburgiorum, translata poſtmodum ad Warbergios Dynaſtas. Illuſtris & generoſus Baro Antonius, eorum qui nunc vivunt avus, Electoris Brandenburgenſis Joachimi ſecundi, & Julii Ducis Brunſuicenſis Conſiliarius, credi volebat, familiam hanc olim in agro Padibornenſi, ubi hodie adhuc Warburgum urbs inclyta ſuperat, ſedem habuiſſe: argumento eſſe, quod inſignia Baronum Warbergenſium in memoratæ urbis mœnibus ſaxo inciſa adhuc appareant. Fuiſſe autem in agro Padibornenſi Comites Wartbergios, manifeſtum eſt ex Gobelino Coſmodromio cap. 52. ætatis 6. Meminit Crantzius Metropol. lib. 4. cap. 4. paucis:* Comitatum Werberg idem (*Meinwercus Epiſcopus Padib.*) obtinuit pro Eccleſia. *Nomen inditum voluit à cuſtodia, quaſi dicas* war den Berg. *Addam partem illuſtris familiæ, ut de ejus dignate conſtet:*

HERMANNUS BARO WARBERGIUS,
uxor Wilburgis.

Conradus Præpoſitus ad S. Joannem Mindæ 1274. eligitur Epiſcopus.	Alheidis uxor Gerhardi Comitis Schowenburgii.	Hermannus Baro Warbergius habitavit in arce Sommeſburg / uxor Comitis filia Wernigerodani.	Otto eligitur Abbas Imperialis cœnobii Werdinenſis ad Ruram.

Gebhard Baro Warbergi.	Conradus Baro Warburg. uxor Mechtildis.	Hermannus Eques militiæ Rhodienſis, magiſter ordinis per Saxoniam, Marchiam, Pomeraniam & Vandaliam, commendator Supplinburg/ obiit 1371.	Burchardus Baro Warbergius.	Eliſabeth uxor Joannis Baronis Hadmerslebii.

Filius Joannis vel Gerhardi fratris ſui fuiſſe creditur) *Scrupulum hunc literæ Mariæ rodenſes facile tollunt, tribuentes Gerhardo ſeniori filium cognominem.*

Triennio igitur peracto in die S. Remigii Epiſcopi) *Aliter de hac re explicantem Crantzium vide Saxoniæ lib. 8. cap 36.*

Anno ſequenti Ludolphus de Roſtorpe Epiſcopus Mindenſis) *Prælium hoc incidit in annum 1301. ut Chronicon Mindenſe. Simon ejus nominis primus Lippienſis Comes notus eſt annalibus ex infortunio amiſſi veterum Saxoniæ regum auguſtalis Angariæ, de qua hiſtoria videatur Crantzius Metrop. lib. 8. cap. 52.*

Henrici de Hervordia) *De hoc diximus alibi, correcto etiam errore Trithemii, qui Erfordenſem nominat.*

Imperatorem non febre ſed veneno periiſſe) *Henricum ſeptimum Imp. veneno per infectum panem ſacratum à Monacho prædicatorii ordinis necatum eſſe, communis fuit opi-*

Digitized by Google

nio, ut ſcribit Henricus Stero Monachus Althahenſis. Exſtant rithmi à CL. Frebero in vetuſtiſſimo libro reperti & editi, in quibus parricida iſte Monachus vocatur Paulinus, non quod ei hoc nomen fuerit, ſed quod Prædicatores ſive Dominicani cuculligeri etiam alio nomine Paulini appellentur. Dictum autem fuiſſe Bernhardum ſunt qui affirmant, Aliis eſt Joannes de Monte Politiano. Henricus Comes Flandriæ, qui hic nominatur, nullus reperitur in ea familia: de Henrico Duce Brabantiæ ſcribit Cuſpinianus, quod ejus filiam in matrimonio habuerit Cæſar Henricus. Quod vero Henricus Hervordienſis, & noſter auctor tam operoſe parricidam flagitioſiſſimum excuſare conantur, mirum non eſt, ægre enim tulerunt maculam iſtam ordini ſuo illatam.

* Locum hunc Leerbecii, ſeu potius Henrici de Hervordia, non vidit eruditiſſimus Vir Martinus Difenbachius, quamvis aliàs omnium teſtimonia curioſiſſimè congeſſerit & examinarit in Diſſertatione de vero mortis genere, quo obiit Henricus VII. Imperator.

Anno eodem hujus patruus) Chronicon Sclavicum habet annum 1217. verba hæc ſunt: Comes Adolphus occiditur in lecto ſuo in Segeberg de mane circa Comitiſſam, quæ fuit filia fratris Ducis Magnopolenſis.

Eodem tempore Nobiles Advocati de Minda) Dynaſtæ Bergenſes, Eccleſiæ Mindenſis Advocati domicilium habuere in ripa Viſurgis orientali, non procul ab urbe Minda. Arx hodie appellatur das Hauß zum Berge. Unde promanarit nomen Schalcksberg non invenio: reperitur apud Gobelinum in Coſmodromio ætatis 6. cap. 52. Bernhardus Dux Saxoniæ poſtquam Henrico 2. Imp. rebellaſſet perſuaſus ab Unwano Archiepiſc. Bremenſi hoc in loco culpam deprecatus in gratiam rediit. Meminere ſcriptores nonnulli, ſed ut plerique vocabulum corrumpant. Adamo Bremenſi lib 2. cap. 33. eſt Schaldinburg: auctori Chronici Bremenſis Schaltinburg: Alberto Stadenſi quem Crantzius Saxon. lib. 4 cap 30. ſequitur, Schaldinburg: Helmoldo l. 1. cap. 17. Schalcsburg. Qui latine enunciare voluerunt Montem-nequam vocarunt, ſic in literis Conradi Epiſcopi Hildeſienſis datis anno 1234. nominatur Henricus de Monte-nequam, Canonicus ſummi templi ejusdem eccleſiæ. Illuſtrarunt hanc familiam Gerhardus Epiſcopus primo Verdenſis, deinde Hildeſienſis, inter præcipuos ſui temporis principes merito computandus: Præterea Widekindus, & Otto Antiſtites Mindenſes. De Gerhardo illud Ovidianum de Sappho poëtria. Si mihi difficilis formam natura negavit, Ingenio formæ damna rependo meæ uſurpare poſſis. Fuit enim naſo aquilino, facie deformi, voce ſupra modum inſuavi, quæ audientibus riſum moveret: prudentia vero, & literarum, rei etiam bellicæ peritia nulli erat inferior. Fortitudinis cum felicitate conjunctæ inſigne edidit exemplum in prælio, contra confœderatos Principes ad Dinclariam commiſſo, ubi hoſtibus validiſſimis, partim cæſis, partim fugatis, aut in vincula conjectis, illuſtrem conſecutus eſt victoriam, de qua legatur Crantzius Metrop. lib. 9. cap. 53. Saxon. lib. 9 cap. 33. Annales MS. prædicant eum à ſtudiis poeticis & oratoriis, quæ ita excoluerit, ut in utroque genere ſcribendi excellens, ſcripta nonnulla publici juris fecerit, quæ ſine dubio adhuc in Bibliothecis latent. In prælio Dincklariano cepit Albertum Riemenſtorpium Antiſtitem Halberſtadenſem, qui cum inſignis Logicus haberetur, Gerhardus vero orator eſſet præclarus, in Saxonia jactatum fuit proverbium, Logicam à Rhetorica ſuperatam: quod majores noſtri pro ſua ſimplicitate ita enunciarunt: Klanck vberwandt den Ranck. Præfuit Gerhardus Eccleſiæ Hildeſienſi annis triginta quatuor, morienſque reliquit diœceſi arces duodecim cum ſuis territoriis nullo ære gravatas, ut Bruſchius tomo primo de Epiſcopatibus Germaniæ. Et tantum de Gerhardo Antiſtite, cujus etiam honorifice meminit Pantaleon in Proſopographia, parte ſecunda. Chron. Mindenſe, quod nunc evulgamus, Widekindi, & Ottonis Antiſtitum res geſtas exponit: De noſtro pauca in Ottonem ultimum conferam. Habuit octo, ut referunt annales, fratres, in quibus aliqui Widekindum anteceſſorem nominant, licet Ertwinus non germanum, ſed agnatum fuiſſe velit. Ex reliquis fratribus memorantur, Widekindus junior Mindenſis præpoſitus, Joannes Archidiaconus in Oſen/ qui rebus humanis exceſſit anno 1392. & Simon, de quo ſcribit Ertwinus, quod morti vicinus Antiphonam de ſemper-virgine Maria, iſta eſt ſpecioſa inter filias Jeruſalem, elata voce cecinerit, moxque ſpiritum emiſerit. Hiſce ſuis fratribus è medio ſublatis, Otto Antiſtes familiæ ſuæ poſtremus, paternam ditionem ſatis amplam, diœceſi Mindenſi, quæ tum temporis non late patebat, adjunxit: addita cautela, ne unquam caſtrum Bergk oppignoraretur.

Muni-

Munificum etiam ſe præbuit erga civitatem Mindenſem, quam ſingulari complexus eſt benevolentia, quamdiu in vivis fuit. Mortuo ſcriptum eſt Epitaphium, quod aliquot verſibus ab aliis mutilatum, hic integre recitabo.

Conditur hac tumba vir nobilis, atque columba,
Simplex & rectus, heu nunc in corde rejectus!
Præſul Mindenſis Otto de Monte vocatus,
Laudibus immenſis cleri vulgique probatus.
Ditans hanc ſedem cum Monte ſuo, quia Chriſtum
Fecerat heredem dotando locum magis iſtum.
Cur vos patroni rogitando ſurgite proni,
Petreque Gorgoni, poſcatis eumque reponi
Conſortem throni reddendo vicem dationi,
Tam grandis doni, quod ceſſit huic regioni.
M. C. ter junctis L. & X. quater octoque punctis,
Ipſum defunctis donate prior quoque cunctis
Inclyta virgo pia dicto ſuccurre Maria.
Quæ ſunt abſque bria ſanctorum gaudia dia.
Hic jacet electus Otto præſul modo tectus,
Qui meritis magnus fuit, & manſuetus ut agnus.
Hic duo caſtra dedit ſedi, quo tempore ſedit,
Et ſibi diſtrictum Montis genitore relictum,
Pro quo Chriſtus ei tribuat ſedem requiei.

Præfuit ſuæ Diœceſi annis 14. mortuus eſt anno 1398. Kalendis Januarii. Hæc de familia iſta illuſtri hoc loco inſerere volui, quod Dynaſtæ illi cum vicinis Comitibus Schawenburgicis, & Lippienſibus ſubinde affinitates contraxerint. Integram Genealogiam σὺν θεῷ alibi dabo.

Henricus de Brunſwick) *Alberti cognomento pinguis filius, Alberti Magni Nepos. Hic fratrem habuit Albertum, Epiſcopum* Halberſtadenſem *qui Romanenſibus invitis annis triginta diœceſi ſuæ præfuit, coactus tandem eorum furori cedere, & pedum vitamque reliquit.*

Ludowico de Lüneborg) *Ottonis ſtrenui filio, Joannis nepote, qui vitam cum morte commutavit anno 1345. ſepultus* Walsradæ.

Apud Landeshuſen in cubili ſuo) *Randruſii in* Jütia/ *ut Henningeſius.*

Filius Comitis Gerhardi) *Henricus cognomento Ferreus, de quo Crantzius & alii prolixè.*

Cum enim Dux Geldriæ Reinholdus) *Reinoldus ex familia Naſſovia: nonus Geldriæ Comes, & primus Dux defuncta Sophia Florentii Comitis Mechlinienſis filia, duxit Eleonoram Edvardi tertii filiam. Henricus Aquilius in Chronico Geldrenſi.*

Marchio Brandenburgenſis ad triginta annos mortuus) *Anno 1340. Stellio quidam de fece vulgi, molitor, ut annales pleriq., piſtor, ut Aventinus lib. 7. Woldemari ſenioris Marchionis Brandenburgici ante annos undetriginta febri extincti, & in Monaſterio Chorinenſi humati, nomen, perſonam, habitumq. & mores mentitus, Marchiam, in qua tum temporis, familia Aſcanienſi extincta, Ludowicus Bavarus, Ludowici Imp. F. imperabat, novo eoq. difficili bello implicabat. Impoſtor ille, cui patrium nomen Jacob* Rebock/ *ſive ut alii volunt,* Meinecke Müller/ *fingebat ſe verum eſſe Marchionem Brandenburgenſem, offenſum autem conjugis Agnetis, Hermanni cognomento longi Marchionis Brandenburgenſis filiæ, moroſitate, deinde conſideratione nimiæ propinquitatis, qua ei juncta erat, inductum, relicta ditione ſua religioſam peregrinationem ſuſcepiſſe, eaque confecta, nunc Dei beneficio incolumem ad ſuos reverſum. Magno applauſu omnium ordinum in Marchia exceptus, adjutusq. vicinorum Principum, Ducum Saxoniæ, & Anhaldinorum auxiliis, univerſam Marchiam, Francofurto, Spandovia & Briza exceptis, occupavit, ipſumque Ludovvicum Marchionem quatuordecim principum copiis auxiliaribus ſtipatus Francofurti acriter obſedit. Duravit hic tumultus ultra annos octo, quibus evolutis, impoſtor Deſſaviæ obiit, tumulatus honorifice in ſacrario quodam, templo adjuncto. Fuerunt qui ſerio affirmarent, nullum ſubfuiſſe ſtellionatum, indigne cum eo actum, quod avitus dominatus vero principi integre non ſit redditus. Contradixere alii, fucum, ut videri volebant,*

Digitized by Google

non ex uno indicio colligentes, ſed de hoc commentitio Marchione ſatis: qui plura deſiderant, adeant rerum Marchicarum ſcriptores, Wolfgangum Juſtum, Chriſtophorum Enzelium & Andream Engelium.

Peſtis ſæviſſima populum delevit) *De hiſce eventibus funeſtis, & tragicis exſtant verſus Theodori Engelhuſi Embeccenſis in Chronico, quod luci dabit CL. vir Gulielmus Budæus, Phyſicus Halberſtadenſis amicus noſter:*

Peſtis regnavit plebis quoque millia ſtravit.
Inſolitus populus flagellat ſe ſeminudus.
Contremuit tellus, populuſque crematur Hebræus.

De peſtilentia iſta immaniter degraſſante, ſcribitur, quod quinquennii ſpatio in Europa tertiam hominum partem abſumpſerit,

Huic ex flore nobilium de Lippia, & germine conſors Domina Heilwigis) *Heilwigis filia fuit Simonis ejus nominis ſecundi, qui urbi Lemgovienſi privilegia confirmavit anno 1300. & ſexennio poſt Monialibus ibidem in Neapoli domicilium aſſignavit. Conjunx Simonis fuit Adelheidis Friederici Comitis Eberſtenii filia Hermanni ſoror.*

Albertus Archiepiſcopus Bremenſis) *Videatur Crantzius Metropol. lib. 10. c. 3. & Chron. Oldenburgenſe Hamelmanni part. 2. cap. 10. Ponuntur hæc ab aliis ad annum 1366.*

Comitis de Oldenborg) *Conradi, cui ſuppetias tulit Chriſtianus Comes Delmenhorſtanus.*

Civitatem Lüneborg) *Hanc hiſtoriam brevi narratione complexus eſt Lucas Loſſius, quam propter circumſtantias in ea probe indicatas, integram adſcribam.* Cum longo tempore, *inquit*, diſcordia fuiſſet inter Ducem Magnum (*juniorem*) Luneburgenſem & civitatem noſtram, tandem cum non tolerandæ injuriæ inferrentur civitati à Ducis ſatellitibus, qui montem Calcarium imminentem urbi tenebant, cives montem pridie purificationis Mariæ ex Cæſareo mandato occupabant. Poſtea à Duce collectus clam exercitus, nocte ea, quæ diem Urſulæ proximè præcedit, murum urbis tranſcendit, eam ex improviſo occupat. Cives ſtrepitu armorum, & alio tumultu excitati ſubito concurrunt. Occiduntur in primo concurſu præter cæteros viri conſulares tres, de honeſtis & patriciis familiis, Garlopiorum, Viſculiorum & ejus, quæ vocatur von der Mölen. Deinde cives in curia paullatim clam conveniunt. Præfectus civitatis, quem capitaneum vocamus Ulrich von der Weiſſenborch/ vir magnanimus, & rei militaris peritus, cives monet, ne quid temere agant in tanto periculo. Ipſe interea hoſtem exultantem in foro de victoria, placare bonis verbis ſtudet, rogat ut à graſſando abſtineat, quandoquidem civitas jam in ejus manu & poteſtate eſſet: Hoc diutius data opera egit præfectus, nunc ad cives, nunc ad hoſtem equitans, hoc conſilio, ut cives mora colloquii frequentes in curia convenirent. Interea hoſti affatim vini ex œnopolio affertur, quod multi haurientes avidius inebriati ſunt, defatigati longo itinere, & labore aſcendendi urbem: Deinde cum cives ſe jam paratos ſatis ad adoriendum hoſtem putarent, ex inopinato proruentes ex curia, impetum in hoſtem faciunt. Præfectns renuncians hoſti, ſenatum non poſſe præſtare, quæ iniqua peterentur, circumventus ab hoſte primus occumbit. Editur deinde miſerabilis ſtrages ab utraque parte: Tandem cives ſuperiores hoſtem ex foro repellunt, qui per plateam, quæ piſtoria vocatur, ad portam rubram quæ meridiem ſpectat, contendit, ut per eam partem muri, qua tranſcenderant in urbem, elabatur, Sed cives à tergo inſequentes magnam hoſtium partem occidunt, qui numero erant 700. Et ferunt obviam veniſſe ex Arena, quæ platea eſt ſpacioſa, novam aciem armatorum militum, cujus conſpectu territus hoſtis in fugam ſe dedit. Ductores hoſtium fuerunt Joannes de Homborg (*Baro*) qui in conflictu periit, & Sigfridus de Saldern/ qui captus eſt. Annus his rithmis vetuſtis continetur:

Anno milleno, C. ter uno ſeptuageno,
Nocte puellarum monos, & deca mille ſacrarum,
Muros conſcendunt Lüneborg ſubvertere tendunt.
Sic occiduntur, velut in ſacco capiuntur.

Hactenus Loſſius. Videatur præterea Crantzius Saxoniæ lib. 9. c. 38. Metropol. l. 10. c. 7.

Friedericum de Marca nobilem) *Hunc illuſtrem Comitem Ertwinus in Chronico Oſnaburgenſi rectius nominat Theodoricum, conſentientibus Chronicis Mindenſibus MSS. & Cran-*

& Crantzio Metropol. lib. 10. c. 4. Neque in Genealogia Comitum Marcanorum apud Levoldum Northovium quiſquam Friederici nomine occurrit. Fuere autem hi duo Comites, Engelbertus & Theodoricus, filii Adolphi Comitis Marcani, ex Margaretha Clevenſi. Fratres habuerunt Adolphum ſtemmatis propagatorem & Eberhardum. Quia vero de hoc prælio ab Adolpho Schawenburgio, ejuſque fratre Gerhardo Epiſcopo Mindenſi, contra Comitem Marcanum Theodoricum geſto noſter auctor obſcurius loquitur, ſubjungam locum Ertwini rem dilucidius explicantem. Verba ejus hæc ſunt: Epiſcopus Mindenſis, Gerhardus cum multis domicellis, Joanne Comite de Hoja, Adolpho ejus fratre Comite in Schawenborg (quem aliqui ſcribunt in Chronica Schawenburgenſi hoc feciſſe cum Comite Hojenſi prædicto) & Widekindo nobili Advocato de Monte Mindenſis Diœceſis, quia Epiſcopus Mindenſis, & civitas cum Domino Theodorico ſcribuntur fuiſſe in ſingulari confœderatione, & diverſis armigeris. Et de anno Domini 1363. per rapinas & incendia terram noſtram (Epiſcopatum Oſnaburgenſem) invaſiſſe, varia fecerunt damna: Ille generoſus & ſtrenuus Dominus Theodoricus vim vi repellere, & Eccleſiam & Diœceſin defendere ope ſuorum, & præſertim militarium, & civitatis Oſnaburgenſis proponens, conflictum inivit circa rivulum dictum die Holthüſer becke / ubi, heu! idem illuſtris dire vulneratus, & anno 1363 captus fuit, multique de ſuis interfecti: inter quos erat quidam primicerius civitatis Oſnaburgenſis de Recke / etiam plures militares, & cives Oſnaburgenſes corruerunt, & præſertim ditiores & nobiliores civitatis prædictæ, prout liber ſtatutorum civitatis Oſnaburgenſis eoſdem ſcriptos continet. Et quando idem Dominus Theodoricus de Marcka ad civitatem Mindenſem captivus perduceretur, Epiſcopus ille Mindenſis, quem juxta pacta eorum amicum ſperaſſet, domum quandam aſcendiſſet, videns Dominum Theodoricum captivum duci fertur ſalutaſſe, ac ſibi beneventum acclamaſſe. Et fertur Dominum Theodoricum reſpondiſſe in hæc verba in vulgari, Sich Biſchoff hie und dat biſtu dat. Domino Theodorico incippato, & enormiter læſo, voluit, prout merito fecit, frater ſuus, Dominus Engelbertus Comes de Marcka extunc inter multos famoſiſſimus, una cum Comite Clivenſi, ac aliis illuſtribus & nobilibus cum ingenti exercitu Diœceſin Mindenſem ingreſſus ferro, & igni multa intulit damna, & civitatem Mindenſem, ubi Dominus Theodoricus frater ſuus detinebatur, circa feſtum Petri & Pauli Apoſtolorum, circumquaque obſedit & vallavit, & prædictum Dominum Theodoricum fratrem ſuum de captivitate liberavit, ita quod jus poſtliminii liberè acquiſivit, quod non ſine magnis expenſis Comitis Engelberti, & ſuorum actum fore dinoſcitur, præſertim ultra decem millia florenorum.

Hactenus Ertwinus.

De villa olim Hokeleve) *Poeta anonymos, qui tempore Arnolfi Imperatoris vitam Caroli Magni carmine perſcripſit, meminit loci, cui nomen Hculbi ad Viſurgim fluvium quem puto eundem eſſe, de quo hic Lerbeccius loquitur. Auctor vitæ Caroli Magni editus à Pithœo habet Huculin.*

Widekindus de Monte Mindenſi) *Defuncto Ottone à* Wettin / *quadrageſimo tertio Mindenſium Antiſtite, electus eſt Widekindus de Monte, ſolemniter introductus anno 1369 ſeptimo die Octobris. Scribitur belligeraſſe cum Friederico Duce Brunſvicenſi, ſed cauſſa non exprimitur, adeo plena omnia negligentiæ apud ſcriptores ſuperiorum ſeculorum.*

Dominam inclytam de Lüneborg) *In matrimonio Ludovici Ducis Brunſuicenſis Magni Torquati fratris, fuit Mechtildis filia Wilhelmi ultimi Ducis Luneburgenſis, ducta anno 1355. Quo marito poſt triennium defuncto nupſit Ottoni, ejus nominis ſecundo, Comiti Schavvenburgio, cui multam ſobolem enixa eſt.*

Comiti de Honſtein) *Theodoricus 6. Comes Honſtenius primam conjugem habuit Adelheidin filiam Ottonis Comitis Schavvenburgii, qua defuncta duxit Sophiam Brunſuicenſem.*

Tanta Weſeræ fuit inundatio) *Chronicon Mindenſe:* Anno Domini 1375. in die Beatæ Scholaſticæ virginis fuit magna inundatio Weſeræ, ita quod aquæ accreſcentes ad medium fori pervenerint. *Crantzius Saxon. lib. 9. cap. 18. de hac eluvione ſic ſcribit:* Quo tempore per mediam ferme æſtatem circa feſtum Magdalenæ tanta facta eſt aquarum inundatio, de montibus, deque fluminibus undique intumeſcentibus,

Digitized by Google

bus, ut crederentur apertæ iterum cœli cataractæ, aut de occultis cuniculis ebullire fontes aquarum.

Viſurgus præcipue hanc ſumſit increſcentiam ſine modo: Pons dejicitur ad Mindam, per majorem Eccleſiam ad forum uſque aquæ aſcendunt: Oppidum Lemego etiam montibus diſcluſum à flumine, nec muris potuit undas excludere. Rapti viri & mulieres interierunt, parvuli vagientes, domus rurales innatare undis cernebantur, & in domatibus homines, galli, murilegi. Mirum & miſerandum ſpectaculum per omnia. *Hæc ille.*

Reperi de eadem inundatione duos verſiculos, quos ſubjungam etſi in anno variant:

Poſt M. poſt tria C. poſt ſeptuaginta quaterque,
Weſera creſcebat, Hamelen ſtrataſque tegebat.

Carolus quartus Mindam veniens) *Anno 1377. ſub finem anni Carolus quartus Imperator cum Auguſta conjuge inviſit Weſtphaliam; Mindam ingreſſus eſt 15. Novembris hoſpitium ſumens apud Monachos Dominicanos, quibus cum vixit totum triduum. Bilfeldium appulit 18. Novembris. Cumque ibi inaudiviſſet in vicinia in vico Angaria, veteri Saxoniæ regum Auguſtali,契 ſupereſſe Widekindi Magni, Saxonum regis quondam celeberrimi, antiqui operis ſepulchrum, viſendi gratia eo divertit. Erat tum temporis tumba vetuſtate nonnihil deformata, quod non ferens Cæſar interpolari renovariq; eam mandavit, additis, ad caput, Caroli Magni, ad pedes, regni Boemici, inſigniis, nempe Leone flavo cum cauda bifurcata in puniceo campo. Inde Cæſar Hervordiam regreſſus controverſiam, quæ erat illuſtri virginum collegio ejus loci cum Alberto Duce Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ, Ottonis F. quem itineris comitem habebat, cognovit, deque privilegiis tam collegii, quam urbis probe edoctus, contra Ducem pronunciavit, urbemque ſui juris eſſe pronunciavit. Juſſit etiam, quod ſedes vacaret, novam eligi Abbatiſſam Hildegundam: Inſpectionem collegii demandavit Antiſtiti Corbeienſi. Hervordia Cæſar conceſſit Paderbornam, deinde Tremoniam, quam urbem liberam hactenus, & Imperialem Archiepiſcopo Colonienſi Friderico à* Sarwerden, *jam dudum ei inhianti, donavit: qui quidem eam obſedit, ſed fruſtra: videatur Theodoricus de* Niem *Nemore unionis, tractatu 6. cap. 24.*

Otto contra Ducem Brunſuicenſem Magnum) *Cauſſam hujus diſſidii, quod in conflictum erupit, explicat Crantzius Saxon. lib. 9. cap. 39. nempe quod Dux Magnus mundum muliebrem, & fœmineam ſupellectilem Mechtildis affinis ſuæ, quæ, ut diximus Magni fratre Ludovico defuncto Ottoni Comiti nupſerat, ex Ducatu Brunſuicenſi in ditionem Schawenburgicam deportandam, immiſſis ſatellitibus diripi juſſerit. Quæ injuria conjugi ſuaviſſimæ illata, maritum Schawenburgium ad arma impulit. Hæc ille. Chron. MS. aliter rem explicat, verba ejus ſunt:* Reverſis Ducibus Saxoniæ Luneburgum, Albertus Dux Saxoniæ per ericam cum ſuis perrexit, & cepit Pattenhem, in quo juvit eum Otto Comes de Schawenburg, qui cum rediret ad ſuos, voluit eum Dux Magnus intercipere, ſed conflixerunt, & interemptus eſt Dux Magnus una cum Ottone Comite de Everſtein, & Sifrido de Saldern mit der Krücken.

Mortuo itaque Wenceslao Duce Luneburgenſi) *Dux Wenceslaus in obſidione urbis Cellæ, veneno ab hoſtibus contra morem Germanicum ſibi propinato, interemptus eſt anno 1388. 16. Kal. Junii, ſepultus Lunæburgi in fano S. Michaelis. Fabricius de Electoribus ſcribit in obſidione arcis Ricklingenſis vulnus accepiſſe, indeque mortuum. Sed hoc pertinet ad Albertum Ducem Saxoniæ, cujus patruus erat Wenceslaus, qui ad* Winſem *oppidum in ripa fluminis Aleræ fultus auxilio Ottonis Epiſcopi Mindenſis aliorumq; Principum, quos noſter auctor indicat (Crantzius addit Comitem Reinſteinium) cum Ducibus Brunſuicenſibus conflixit, ſed infeliciter. Capti enim ſunt Otto Epiſcopus Mindenſis, Otto Comes* Hojenſis, *& Otto Comes Schawenburgius,* Hunc Henningeſius *in Genealogia illuſtriſſimorum Comitum Schawenb. in prælio Winſenienſi occubuiſſe ſcribit, quod omnino falſum eſt. De prælio iſto compilatio Chronologica à Monacho quodam Sanctægidiano Brunſuicenſi edita in hunc ſcribit modum:* Anno 1388. Wenceslaus Dux Saxoniæ veneno interiit circiter feſtum Paſchæ. Eodem anno in die corporis Chriſti in ortu ſolis factum eſt prælium magnum prope Winſen uppe der Alleren, inter Brunſuicenſes & Luneburgenſes. Ibi Deo adjuvante, & B. Auctore, Brunſuicenſes victoriam obtinuerunt, & Luneburgenſes cum ſuis perdiderunt, & filii Magni Ducis terram Luneburgen-

Digitized by Google

burgenſem tenuerunt. In quo prælio plusquam centum ſunt interfecti & ſubmerſi, & 350. capti de Principibus, Nobilibus, Militibus & armigeris.

Gerhardo ultimo Comite de Brockhuſen) *Henricus Wolterus in Chron. Bremenſi MS. ultimum familiæ Brockhuſanæ vocat Henricum, affirmans eum in prælio Winſemenſi occubuiſſe. Hic cum liberis careret, Dynaſtiam ſuam vendidit Comitibus Hojanis, qui inſignia ſuis adjunxerunt.*

Decem Magiſtros Gildonum) *De hoc tumultu Brunſuicenſi vide Chron Saxonicum vetus ad annum 1394. Crantzium Saxon. lib. 8. cap. 36. Chytræum in Saxonia lib. 12.*

Wilhelmus Comes de Monte) *Hic locus in Germanica Lerbeccii verſione hoc modo legitur:* Wilhelmus Comes de Monte, in cujus matrimonio erat Sophia illuſtriſſimi Saxoniæ Ducis filia, ad Ducalem honorem adſcendit. Hic Wilhelmus erat avus Gerhardi Ducis Juliacenſis & Montenſis, & Comitis Ravenſpergenſis, quarum regionum dominium Wilhelmus iſte cum ſua nobili conjuge uſurpabat, &c.

Papa Urbanus Sextus Romæ moritur) *Urbani ſexti Pontificis Maximi hiſtoriam & ſchiſma, quod Cardinales ab eo, nimia moroſitate faſtuq; ruſtico offenſi, diſcedentes, electo Clemente VII. Antipapa excitarunt, ex profeſſo deſcribunt duo Weſtphali, viri, ut ſeculum illud tulit, doctiſſimi, ambo in curia Romana multis annis verſati gravibusq; negociis perfuncti. Quorum prior Theodoricus Niemius laborum ſuorum mercedem impetravit Epiſcopatum, primo Verdenſem in Saxonia, deinde Cameracenſem in Belgico. Alter Gobelinus Perſona apud Bilfeldenſes Decani, in Diœceſi Paderbornenſi Officialis munere perfunctus eſt. Utriusque ſcripta ſunt in medio, quæ Crantzius audacter compilavit, induci tamen non potuit, ut quorum vitula araſſet, eorum ſaltim aliquam faceret mentionem. Confer quæſo, ſtudioſe lector, lib. 10. Metrop. cap. 12 ab undecimo ad 22. cum illis quæ ætatis ſextæ capitibus 74. & ſequentibus octo à Gobelino in Coſmodromio exponuntur: Nec res tantum, ſed & verba in Crantzio invenies eadem.*

Incepit autem prædictum ſchiſma anno 1378. & duravit) *Schiſma papale turpe illud & propudioſum, tempore Urbani ſexti cœptum, & in annum quadrageſimum continuatum, duravit uſque ad conciliabulum Conſtantienſe, in quo, tricipiti Papatu abolito, ad Martinum quintum rei Eccleſiaſticæ ſumma devoluta eſt, anno 1417.*

Igitur Comes Otto de captivitate) *Ducum Brunſuicenſium, ut ſupra dictum eſt, & dilucide exprimit editio Germanica Leerbeccii.*

Comes de Waldegge) *Henricus, inſtigatus ad hoc impium facinus ab Archiepiſcopo Moguntino Joanne familiæ Naſſovicæ, homine verſipelli & crudeli.*

Omnes capti, & nonnulli interfecti) *Friedericus Dux Brunſuicenſis fortiter prælians occiſus eſt, capti ſunt Conradus Soltovius Epiſcopus Verdenſis, Rudolffus Dux Saxoniæ, Bernhardus Dux Brunſuicenſis, Friederici germanus, & alii. Sigismundus Anhaldinus aliquot invaſoribus ſua manu jugulatis evaſit. Dici non potuit, quantopere Imperii Principes ſceleratum facinus hominis Eccleſiaſtici execrati ſint, quibusq; diris devoverint. Sed ea erat Reipublicæ fortuna, ut ejusmodi tyrannis prædominantibus jura ſilerent.*

Dux Geldriæ dicitur eos animaſſe) *Wilhelmus ejus nominis primus, ut Chronicon Colonienſe vetus.*

Ad paucos annos ante iſta tempora) *Chronicon MS. Saxonicum collocat hanc expeditionem in annum 1395. Caſtrum vero in Comitatu Schawenburgico ædificatum non* Stûrow / *ſed* Fredenow *appellat.*

Anno Domini 1396. in vigilia Pentecoſtes) *In antiqua Saxonia floruere olim tres illuſtrium Comitum familiæ, Waldeccia, Swalebergia & Sternebergia, omnes unius ejusdemque originis. Quæ cum in diverſas ſtirpes abirent, inſignia nonnihil variarunt. Waldecii uſurparunt nigram ſtellam octo radiorum in campo flavo: Swalenbergii ſtellam fulvam in rubeo campo totidem radiorum, quorum uni inſidet hirundo. Sternbergii rubeam ſtellam in flavo campo ſimiliter octo radiorum. Ex his familiis ſola hodie ſuperat Waldeccia, perquam illuſtris & potens: reliquæ duæ à ſtirpe interierunt. Swalenbergia deficiens accepit heredes* Epiſcopen *Padebornenſem, & Comites Lippianos, qui etiam hodie avita uſurpant inſignia. Sternbergica Dynaſtia ad Comites Schawenburgios ſecundum pacta conventa, devoluta eſt: à quibus hodie titulus & inſignia uſurpantur. Qua de re copioſius Spangenbergius in Chronico Schawenburgio lib. 5. cap. 18. Joannes Comes Sternbergen-*

Digitized by Google

bergenſis, cujus ſupra in hiſtoria prælii ad Winſam commiſſi mentio facta eſt, ultimus familiæ ſuæ fuit: Etſi alii ab Henrico ejus parente clauſam velint. Credi poteſt Ravensburgium aliquid juris in hunc Comitatum prætendiſſe, ideoque arcem Sternbergiam invaſiſſe, quam tamen accepta pecunia veris heredibus reliquit.

Bernhardus Nobilis de Lippia) *Hiſtoria hæc refertur ab auctore veteris Chronici Saxonici: à Crantzio Metrop. lib. 11. cap. 7. Saxoniæ lib. 10. cap. 24. & aliis Cauſſa tamen diſſidii à nemine quoquam exponitur, niſi quod ex Crantzio colligi poteſt, Brunſuicenſem Ducem belli initium feciſſe. Quia vero in Chronico quodam MS. circumſtantiæ rei geſtæ fuſius explicantur, locum ex eo integrum hic apponam.* Anno 1403. *inquit auctor*, capitur Dux Brunſuicenſis Henricus à Bernhardo Nobili Domino de Lippia, & quibusdam aliis, videlicet Gerhardo ab Enſe, Diderico de Ketler / Joanne de Droſte / & Friederico de Brencke. Ducebatur Dux captivus cum ſuis in arcem Dominii ſui Valckenberg: Tandem res eſt compoſita, ut Dux Henricus numeraret centum millia aureorum, datis obſidibus multis equitibus & nobilibus, & præſtito juramento. Sed mox ut liberatus eſt, proficiſcitur Dux Henricus ad Romanorum regem Rupertum de Bavaria, & impetrat abſolutionem à juramento, & Bannum Imperiale, præterea excommunicationem à Papa contra Dominum de Lippia. Banniti ſunt ſupradicti Bernhardus Nobilis de Lippia, & ſui adjutores: Banniti etiam ſunt Simon nobilis Dominus de Lippia, pater Bernhardi, & Hermannus Comes de Everſtein tanquam illorum receptatores hoſtium. Bannum Rex Romanorum publicavit in tota Saxonia & Weſtphalia & Haſſia. Perſolvit Dux Domino Bernhardo de Lippia quindecim millia florenorum, ſed bellum contra eum ſuſcepit, & habuit plurimos Dominos ſedentes in ditione ſua contra Lippienſem in auxiliis: & cœpit arcem den Poel (*forte* Polle *ad Viſurgim*) Duravit bellum diu. Bernhardus de Lippia urgebat ſponſores, aliqui ſolvebant: aliqui minis Ducis averſi, cum eodem vades ſecum abſolvi impetraſſet nihil ſolvebant: Tandem componebatur. Tum Dux ſubinde admonebatur voti & debiti à ſubditis Epiſcopatus Colonienſis pro captivitate. *Hæc ibi. Locum conflictus Crantzius Metrop. lib. 11. cap. 7. vocat* den Oderbergk.

Dithmarci Ducem Sleſuicenſem) *Videatur Crantzius lib. 10. cap. 21. & 22. Notanda autem cœcitas hominum iſtius temporis, qua victoria à Deo unico peti tribuique ſolita, miſerrimo homuncioni, de cujus ſalute propter ſuperſtitionem propagatam non immerito dubitatur, accepta refertur. Hic ſalutifer audit, qui dextera ſua patriam bello petitorum protexerit ac tutatus ſit. O tenebras Ægyptiis longe craſſiores! Gratia tibi fili Dei, qui nos illuminaſti.*

Digitized by Google

CHRONICON MINDENSE

Incerti auctoris.

COMPLECTENS RES EIVS Eccleſiæ geſtas ab anno CHRISTI DCCLXXX. uſque ad annum M.CCCCLXXIV.

è MSto primitus erutum

Opera

HENRICI MEIBOMII

Digitized by Google

CHRONICON MINDENSE.

ANNIS Chriſti octingentis,
Sed bis decem ex his demtis,
Templum primum conditur.
Petri Cephæ ad honorem:
Error gentis in decorem
Fidei convertitur.
Locum Minden nominatum,
Per gentilem incaſtratum,
Wedekindum nomine.
Hic per Karlum captivatur,
Per Leonem baptiſatur,
Sacro fontis flumine.
Karlus fundans hunc effecit
Contra gentes, quas ejecit
Nominatos Saxones.
Leo ſacrans tutum fecit,
Hercumbertum & præfecit,
Contra nequam Dæmones.
Fac, ô Deus, ut ſalventur
Gens & locus, ne timentur
Hoſtium inſidiæ.
Permanſurus in æternum,
Nec trahatur in infernum
Dæmonum malitia.

PROLOGUS MINDENSIUM CHRONICÆ *feliciter incipit.*

INter loca, quæ creavit
Deus pater & firmavit
Pia ſua gratia:
Hic in terris & plantavit,
Ex his quædam defœdavit
Sua ex nequitia
Malus homo, cum portavit
Semen nequam & jactavit
Hanc in mundi aream,
Sed hanc Chriſtus permundavit,
Karlus ſanctus dum luſtravit
Terram, quæ Saxonia
Eſt Antiqua nominata,
Tunc errore deturpata
Plena Idololatria.
Quæ per iſtum eſt fugata,
Et omnino eſt purgata
Sua cum ſpurcitia.
Anno Chriſti octingento,
Sed bis denis ex his demto,
Poſtquam Chriſtus voluit
Incarnari, ut redempto
Subveniret non argento,
Locum iſtum adiit
Firmum bene & vallatum,
Singularem & fundatum
Parem cui Weſtphalia
Adhuc habet, non tam gratum,
Nec ſic bene ſituatum,
Propter privilegia.
Ibi cultus Dei verus:
Ibi Clauſtra, ibi Clerus
Inter ſpiritualia.
Ibi vir clero ſincerus:
Ibi prudens ut Homerus
Inter mundialia.
Ibi enim elementa
Pura ſunt contenta,
Lignorumque copia,
Lapides, nec non cementa:
Oves boves & armenta:
Horum nec inopia.
Ibi rivi ibi fontes,
Ibi aquæ, nec non montes:
Et brutorum paſcua.
Inibi videntur frontes
Dominarum: item fontes,
Ibi torrens Wiſeræ.
Locus iſte nominatus
Mindin, quondam incaſtratus
A quopiam Regulo
Wedekindo: qui tum gratus
Rex ibidem aſſignatus
Mindenſi populo.
Contra quem caſtrum fundatur
In Brulone & firmatur:
Prout per veſtigium
Et foſſatum demonſtratur,
Veritate & teſtatur
Templum, domicilium
Quod Rex Karlus fundo ſtravit,
Et hoc idem nominavit
Ad S. Ægidium.
In quo iſtum honoravit,

Nam

Digitized by Google

Nam eidem impetravit
Delicti præſidium.
Tandem Wedekind captivatur,
Ilico & baptiſatur
Sacro fontis flumine.
Et in fide ſolidatur,
Confirmatur & vallatur
Trinitatis numine.
En per enſem deſignatur
Mindæ ſedes, & donatur
Multis cum Eccleſiis
Petro Cephæ, & fundatur
Templum gratum & ornatum
Diverſis donariis
Per Leonem: qui præfecit
Hercumbertum, quem & fecit
Primum Mindæ præſulem.
Per quem Deus mira fecit,
Cum per fidem hinc ejecit,
Supernorum exulem.
Sicut Cæſar hanc fundavit
Contra gentes, quas fugavit
Nominatos Saxones:
Sic & Papa conſecravit
Dictam ſedem, & tutavit
Contra nequam Dæmones.
Et gratanter ampliavit,
Bona multa cum donavit
Dignitas Imperii.
Cum hac valde exaltavit
Hunc paſtorem, cum ornavit
Uſu ſacro pallii.
De quo Clerus jocundatur,
Ubi gratus recordatur
Salubris memoriæ.
Tandem LX. deornatur
Et M. quarto devaſtatur
In feſto Vincentii
Dictum templum, prout fatur,
Et ſcriptura atteſtatur,
Per flammam incendii.
Quicquid Cæſar pro ornatu,
Et Rex Wedkind pro affatu
Spiritus donaverat:
Hoc in totum ex afflatu
Diri ignis & cum flatu
Horrido perierat.
Sed hoc ſtatim Engelbertus
Præſul prudens & diſertus,
Sicuti optaverat,
Reformavit: quia certus
Hic Antiſtes eſt compertus,
Quia hoc meruerat.
Cum hoc præcurſori
Templum ſtruxit, quæ & fori
Dicitur Eccleſia.
Ut in illa mercatori
Pauperi & viatori
Fieret ex gratia
Sepultura: & pro reis
Locus tutus, quia regis
Fuerat palatium
Wedekindi. Lector meis
Verbis credas, cum hæc legis
Ne dicas mendacium.
Paſtor Ramward / paſtor bonus
Templum ſtruxit, ut & thronus
Martyris eſſet ſacri.
In quo quiſque ſemper pronus
Ad portandum Dei onus
Sit in domo Domini.
Propter quod huc tranſplantavit
Clauſtrum, hoc quod prius ſtravit
Milo præſul inclytus
Super montem, quem vocavit
Wedegonis: ubi pavit
Virgines divinitus.
Quibus normam Benedicti
Bene dedit, ut delicti
Emendarent maculas.
Ne per verbum, ite ficti,
Ducerentur veri victi
Ad æternas faculas.
Et hoc factum nongenteno
Bis decem ſexto quinquageno
Anno Chriſti legimus.
Et hinc anno Chriſti deno
Minus uno & milleno
Martini Eccleſiam
Sigebertus in amœno
Loco fundat, & ſincero,
Domini per gratiam.
Quæ per ignem poſt cremata
Bina vice & vaſtata
Fere & cum omnibus,
Quæ in gyro circumdata,
Sunt ſtructuris urbis grata,
Flamma ſumſit domibus.
In hoc templo præſul dictus
Requieſcit benedictus,
Cum collega inclyto
Engelberto, qui non fictus
Eſt inventus, nec addictus
Æterno incendio.
Iſtos bene imitatus
Præſul Bruno Deo gratus
Fundans Monaſterium:
In quo tandem tumulatus
Et per Chriſtum elevatus
Ad cœli manerium.
Qui paternis ſuſtentavit
Suis bonis & ditavit

Digitized by Google

Natu hic ſpectabilis.
Et hoc templum dedicavit
Et diverſis decoravit
Vir multum amabilis,
Sancti Mauris ad honorem,
Monachatus & decorem
Benedicti ordinis
M. ter decem duodeno
Chriſto nato ſole pleno
Pro ſalute hominis.
His promoti Deo noti
Viri bini & devoti
Mindenſes Canonici.
Primus Ramward nominatus,
Cui Dethard ſociatus
Major hic præpoſitus.
Per hos locus eſt fundatus
Qui Johanni aſſignatus
Pro ut hi divinitus
Inſpirati affirmantur,
Ut & ibi tueantur
Servientes Domino.
Hæc peracta ſunt centeno
Anno ſexto quinquageno
Duplato milleſimo.
Poſt quod templum incoatur
Simeonis, & fundatur
Per Iconem exſulem.
Qui de Trentis evocatur,
Et Decanus exaltatur,
Per Dethmarum præſulem.
Et hoc templum conſecravit
Conrad præſul, quem & pavit
Deipholte Dominium,
Circa annum ducentenum
Luſtra quinque, & millenum,
Legitur, Dominicum,
Demum anno ducenteno,
Ter X. ſexto & milleno,
Saulus cum convertitur,
Cujus die deſtinatur
Sacer ordo & locatur,
Et ibidem ſtruitur
Templum gratum & devotum,
Terris multis clare notum,
Ex divina gratia.
Quæ hoc templum illuſtravit,
Et in eo contemplavit
Viros, qui induſtria
Sancta ſua effulſerunt,
Et doctrina repleverunt
Cœlos & terreſtria.
Nam diverſa facultate
Lucebant & honeſtate
In exemplum populi.
Quam & multi collaudabunt
Et in ipſis prædicabunt
Magnum nomen Domini.
Unde eorum nomina,
Ipſorum & magnalia,
Quanta ſint & qualia,
Vitæ libro ſunt inſcripta
Non delenda, ſed in crypta
Liberet in ſecula. Amen.

DE FUNDATIONE IMPERATORIA MINDENSIS Eccleſiæ, & ſacris pignoribus in ea contentis.

Cunctis adſit Chriſtianis
Vita ſalus & paganis
Et ſacris pignoribus in ea contentis.
In qua Chriſto ad honorem
Sunt ſcripta & decorem.
Hujus ſedis inclytæ
Cur hæc, quando, ſit fundata,
Demum per quem conſecrata,
Et quid hanc præceſſerit.
Sciant ergo ut ſcriptura
Proteſtatur permanſura,
Wedekindum regulum
In hoc loco habitaſſe,
Bella multa perpetraſſe
Cum Auguſto Carolo.
Quem hic caute captivavit,
Bello vicit & mundavit
Leo Apoſtolicus.
Locum hunc tunc mancipavit
JEſu Chriſto & donavit
Carlus invictiſſimus.
Et hoc templum conſecratur
A Leone & ditatur
Multis privilegiis.
Nam hic præſul honoratur,
Mindenſis qui vocitatur,
Dignitate pallii.
Quod bene rationale
Vocamus & hoc non male:
Nam trini Epiſcopi
Tantum iſto decorantur
Per quem recte venerantur
Locus gens & clerici.
Locus hic poſt incarnatum
Septingentis & fundatum
Et poſt quatuor uncias
Ac tunc primo prædicatum
Dei nomen, & firmatum
Eſt in gente Saxonum.
Quæ hinc loco eſt avulſa,

Et

Et ad terram eſt impulſa,
 Novaque Saxonia
Nomen tenet. Sic in terra
Viri pauci ſine guerra
 Manſerunt Weſtphalia:
Ad quam gentes de diverſis
Duxit terriſque converſis
 Gentibus Catholicam
Fidem clare docuerunt.
In qua firme perſtiterunt
 Ad inſtinctum præſulis
Et paſtoris hujus ſedis.
Qui præfectus ovibus, hœdis,
 In hoc loco paſcuæ,
Hercumbertus hic eſt dictus,
Juſtus prudens & non fictus,
 Ut teſtantur paginæ,
Quæ habet ut venerandum
Proteſtantur & amandum.
 Nam hunc multi principes
Unde nobis in exemplum
Reliquerunt, qui hoc templum
 Sanctorum pignoribus
Excellenter honorati
Donis ſunt & venerati,
 Ut patet inferius.
Ergo Minda urbs beata,
Ergo tibi deſtinata
 Tanta ſunt encomia
De theſauro ſummi Dei
Ut diteris, & ſis ei
 Similis per omnia.
Corde læto, & affatu,
Geſtu, nec non cogitatu,
 Totis ſemper viribus.
En theſaurus non terreſtris
Paradiſi, nec campeſtris,
 Sed hic de cœleſtibus
Eſt proditus: in quo vita
Tibi datur, tu devita
 Cunctamorticinia.
Ut in ævum ſuſtenteris,
Et ſupernis perfrueris
 Semper vini lætitia
In hac theca theſaurorum
Invenitur norma morum
 Timotheus inclytus.
Chriſti teſtis & fidelis
Imitator Samuelis,
 Pauli hic diſcipulus
Corpus & Feliciani,
Nec non pars Ruſticani
 Martyris egregii.
Corpora Carpophori
Sancti & Theodori
 Præſulis altiſſimi.
Abundi cum Sophiæ
Servulos Meſſiæ
 Miſeros hic pie
Ditant, ſalvant integre,
Impetrant & vivere,
 Jeſum Chriſtum viſere.
Pignora Laurentii,
Sancti & Audentii
 Iſtis ſociantur
Vellera Pamphylii,
Martyris Vigilii,
 Confeſſoris Lucidi,
Lipſana Nazarii,
Præſulis Hilarii,
 Simul & Felicis,
Sanctæque Felicitatis,
Speciosæ en hæc gratis
 Contulit Bennapolis.
Antiſtes per quem translatus
Eſt hic cenſus nominatus
 Ochwinus Epiſcopus.
Alexandri & Juſtini,
Qui ad aſtra velut pini
 Vita tendunt ardua.
Brachia Gorgonii,
Annæ matris Domini,
 Bene adornata,
Ad ſalutem homini
Demonſtrantur inibi
 Sedi huic donata.
Petri Cephæ cum catena
Quatuor anſis & habena
 Præſulis præfati.
Sancti quoque Feliciani
Brachii Sebaſtiani
 Pars & magni Martyris.
Iſtos tibi en ligavit
In patronos & donavit
 Domini clementia.
Quæ præ multis honoravit
Locis & te exaltavit.
 Ergo tu cum Cantico
Tuum lauda Salvatorem,
Qui te parem non minorem
 Electis Eccleſiis
Certe fecit & fundavit,
Te laudandum demonſtravit
 Seculorum Seculis, Amen.

Digitized by Google

ITEM DE FUNDATIONE Eccleſiarum.

PRIMA Eccleſia Saxoniæ & Weſtphaliæ **Oſenbrugge** anno Domini DCCLXXVI. fundatur.

Secunda Eccleſia **Oſterwick**/ quæ prius **Seligenſtede** dicebatur, anno Chriſti DCCLXXVII. fundata eſt: Quæ poſt annos XL. ſcilicet anno DCCCIX. translata eſt in **Halverſtatt**.

Tertia in Minda fundata eſt anno Chriſti DCCLXXX.

Quarta **Scidere** anno DCCLXXXIV. Quæ tamen poſt per Brunonem, & Tanquardum Saxones in **Vallersleve** ſuper Ericam tranſponitur: Et inde per Henricum primum in **Broſe** oppidum Northuringiæ. Et tandem per Ottonem Magnum anno Domini DCCCCLXVII. in Parthenopolim, quæ eſt **Magdeburg**/ transfertur.

Quinta Mimigaverdenſis, quæ eſt modo Monaſterienſis, anno Domini DCCLXXXIV. fundatur. Quinto anno poſt fundationem hujus Eccleſiæ, hoc eſt anno Chriſti DCCLXXXIX. Beatus Wolderus Comes Hervordiæ hortante Carolo, & admittente Rege Angarorum Wedekindo, jam tunc fideli Chriſtiano, cœnobium nobilium puellarum in Hervordia Weſtphaliæ ab Angaria non remote, fundavit, & paterna hereditate dotavit. Ubi etiam poſt decenter ſepultus usque in hodiernum diem venerabiliter honoratur. Cœnobium autem iſtud à Paganis deſtructum eſt, ſed per Lodewicum pium anno Imperii ſui VI. eſt inſtauratum. Anno Chriſti DCCXCVII. corpus S. Alexandri à Walberto filio filii Wedekindi in **Wildeshuſen** transfertur. Anno ſequenti ſcilicet DCCXCIX. Romani Papam Leonem exoculaverunt, & ei linguam præſciderunt, & in aſina cum verecundia Carolo in **Palborne** tranſmiſerunt. Quem Carolus contra Romanos pugnans reſtituit, in quo bello Friſones libertate ſunt donati.

Sexta Eccleſia eſt Aulica, anno Chriſti DCCXCVI.

Septima Hammonis, id eſt, Jovis caſtrum, quod dicitur **Hamborg**/ fundatur anno Chriſti DCCXCVIII. iſta Eccleſia tempore beati Anſcharii Eccleſiæ Bremenſi eſt adjecta, & una Eccleſia facta. Per idem tempus Eccleſia, & clauſtrum ordinis Præmonſtratenſis in civitate, quæ à Caſtris nomen accepit, à beato Dominico per Comitem Simonem, Comitem Montis-fortis, monachis prædictis ad aliam Eccleſiam translatis, donatur. Iſtam Eccleſiam beatus Dominicus propter theſaurum cœleſtem inibi occultatum ſuis orationibus impetravit. Oſtenſus ſibi fuit cœlitus locus, ubi S. Vincentii corpus diu fuit abſconditum. Unde ad lævam altaris majoris pavimento depoſito, theſaurus ſuper aurum & topazion precioſum in tribus thecis, ſcilicet plumbea, cupreſſina & argentea, qualibet in altera incluſa, inventus, per beatum Dominicum, & Epiſcopum civitatis prædictæ, multitudine copioſa præſente, & vidente, de terra cum omni reverentia, & Dei timore eſt elevatus, & nunc in tumba multum precioſa, ſicut à fratribus, qui viderunt, intellexi, honorabiliter valde eſt collocatus.

DE FUNDATIONE ECCLESIÆ MINDENSIS.

SAnctum Carolum Imperatorem Eccleſiæ Mindenſis Apoſtolum fuiſſe & fundatorem, beatus Gregorius Epiſcopus Turonenſis, & alii qui ejus geſta fideliter conſcripſerunt, teſtificantur. Iſte enim, ut refert Turpinus, Archiepiſcopus Rhemenſis, erat corpore grandis, ſtatura ejus octo pedum ſuorum, qui erant longiſſimi: Frons unius pedis erat, facies palmum & dimidium in longitudine poſſidebat. Militem armatum ſuper equum ſedentem à vertice ſimul cum equo uno ictu cum ſpatha ſcindebat. Ferraturas quatuor equorum ſimul facile manibus extendebat: Militem armatum ſuper manum ſuam à terra usque ad caput ſola manu velociter elevabat. Eratque donis largiſſimus, judiciis rectiſſimus, locutionibus luculentiſſimus.

Digitized by Google

tiſſimus. Et quamvis fuit corpore robuſtus & venuſtus, & ſtatura eminens & grandis: potius tamen à felicitatis operumque magnitudine cognominatus eſt Magnus. Quantos enim labores in terra ſancta, in Hiſpania, quas de manibus Saracenorum infidelium potenter eripuit, & in aliis diverſis mundi partibus pro converſione non credentium & infidelium, quantamque diligentiam ſimul & devotionem in ædificatione cœnobiorum, Eccleſiarum & Monaſteriorum habuerit, præfatus Turpinus in libro quem de geſtis Caroli & Rolando conſcripſit, teſtatur. Ad numerum itaque elementorum, & literarum in Alphabeto monaſteria fundavit, & in unoquoque per ordinem unam literam de auro fabricatam pluſquam C. libras Turonenſium valentem reliquit, ut ordine literarum tempus fundationis uniuscujusque Monaſterii cognoſceretur: Quæ quidem literæ plerique in Monaſteriis usque in hodiernum reperiuntur.

Fuit Carolus Francorum Rex XXIII. & Romanorum à Julio LXXIV. Saxonum & Weſtphalorum Apoſtolus, de Francia Teutoniæ oriundus, filius Pipini Regis, ex Berta filia Heraclii Cæſaris. Unde in ipſo genus Græcorum, Romanorum, Teutonicorum & Francorum concurrit. Unde merito ad ipſum poſtea translatum eſt Imperium, anno mundi MMMMDCCLXIII. urbis MDLV. Julius enim Chriſtum XLVII. præceſſit annis. Et ſequens reperitur verſus:

Virgine prægnante, tu tempora Cæſaris ante
Bis per vigenos cum ſeptem colligis annos.

Anno vero Chriſti DCCLXXX. Iſto anno Eccleſiam & Epiſcopatum Mindenſem tempore Conſtantini VII. anno ejus ſecundo in honorem Principis Apoſtolorum, S. ſcilicet Petri, & ſanctorum Martyrum Gorgonii & Dorothei, in loco, ubi prius fuit caſtrum Wedekindi regis Angarorum fundat. Pars vero caſtri prædicti in curia Domini Præpoſiti majoris Eccleſiæ permanet, & in præſentia videtur.

Carolus igitur anno Conſtantini quo ſupra, quatuor Epiſcopatus ſuper fluvium Weſeram, ne Saxones de patria expulſi, eam reviſere geſtientes aliquid novæ ſeditionis excitarent ſcilicet, Mindonenſem, Bremenſem, Herſtellenſem, qui poſtea eſt translatus in locum, qui Poduli-fons dicitur: Nunc vero Padelborne nuncupatur, & Verdenſem fundat. De Fundatione Eccleſiæ Mindenſis nota, quod Carolus Mindenſem fundavit Eccleſiam anno Chriſti DCCLXXX. loco, quo ſupra. Cui præfecit venerabilem virum Dominum Hercumbertum, primum illius Eccleſiæ Paſtorem & Epiſcopum. De cujus fundatione tales extant verſus

En ſeptingentis octoginta ſimul annis
Eccleſiæ Mindæ locus aptus conditur inde
Deliciis plenus ſit pace fruens & amœnus

Nono-decimo autem Conſtantini corpus S. Alexandri filii S. Felicitatis integrum de Roma in oppidum Weſtphaliæ Wildeshuſen à Walberto filio filii Wedekindi Regis Angarorum transfertur.

Viceſimo autem anno Conſtantini Carolus Romanorum Imperator coronatur, Romanis cooperantibus & coadiuvantibus. Et ſic in perſona Caroli dominium mundi ad Teutonicos pervenit, nam ipſi habent regimen ratione Eccleſiæ. Unde imperium non eſt apud Græcos, licet ibi largo nomine appelletur Imperator, quia extra Eccleſiam Imperator non eſt.

Teutoniam pridem caput orbis habere dat idem:
Ut tueatur idem, quam dedit ipſe fidem.

Carolus ergo anni ſui Imperii IX. Papam Leonem quartum de Aquisgrano in antiquam Saxoniam, hoc eſt, in Weſtphaliam duxit, ubi capellam in villa, quæ Bergkerken nomen accepit, conſecravit. Campanula quædam, quam ibi reliquit, indies videtur ibidem. Iſte Leo Papa vir per omnia reverendus, quem Romani exoculaverant, linguamque ei præſciderant, ſicut patuit prius, ſedit annis XXII. & VIII. Kalend. migravit à corpore.

Carolus autem non ſolum Saxoniam antiquam, ſed & novam, ſive orientalem, Chriſto Domino ſubdidit, & Epiſcopatus X. in ea fundavit, quarum prima Eccleſia eſt Oſnaburgenſis, quæ eſt primitiva Saxoniæ Eccleſia; quæ anno Chriſti DCCLXXII. in honorem beati Petri Apoſtoli, & ſanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani, quorum

Digitized by Google

quorum corpora ibidem venerabiliter, una cum corpore S. Reginæ ſunt locata; anno regni ſui VI. fundavit. Ubi ſcholas Græcas & Latinas perpetuis temporibus permanere ordinavit. Unde in Privilegio illius Eccleſiæ per ipſum dicitur collatio ſic: *In Oſenbrugge Græcas & Latinas ſcholas in perpetuum manere ordinavimus, & nunquam clericos utriusque linguæ gnaros in memoriam Dei ibi deeſſe confidimus.* Sic tandem fundavit Eccleſiam.

Secunda Eccleſia in Oſterwick in honorem S. Stephani protomartyris anno DCCLXXVI. ut prius dictum.

Quartam Bremenſem Eccleſiam S. Petri Apoſtoli anno Chriſti DCCLXXIX. fundavit.

Tertiam Eccleſiam Mindenſem S. Petri anno quo ſupra fundavit.

Quintam Herſtellenſem, quæ nunc eſt Poduli-Fons, ſcilicet Padelborne/ in honorem Beatæ virginis Mariæ fundavit, anno etiam quo ſupra.

Sextam Bardewicenſem beatæ Mariæ ſemper Virginis, & S. Ceciliæ, quæ nunc eſt Verdenſis anno Chriſti DCCLXXXVI.

Septimam Sciderenſem, quæ eſt villa ſub caſtro Swalenberg/ in dominio Domini de Lippia. Quæ tamen poſt translata eſt in Walleroleve/ poſt in Broſe/ tandem in Magdeburg per Ottonem Magnum, anno Domini DCCCCLXVII. transfertur, & Parthenopolis S. Mauritii nuncupatur,

Octavam Mimigavordenſem, quæ nunc eſt Monaſterienſis S. Pauli, fundavit anno quo ſupra.

Nonam in Hiltinesheim Beatæ Mariæ virginis. Iſte Epiſcopatus de Aulica villa, dicta Elze/ eo quod reliquiæ S. Mariæ genitricis de Hildenesheim in Aulicam aſportari non permittuntur, per Lodewicum Pium anno Imperii ipſius ſecundo, Domini vero DCCCXIX. translatus eſt.

Decimam Hammonis, quæ & Jovis caſtrum & Hamborg dicitur, anno Chriſti DCCXCIIX. fundavit in honorem beatæ Mariæ Virginis. Iſta Eccleſia fuit omnium Aquilonarium partium Metropolis, quæ tandem tempore beati Anſcharii Bremenſi Eccleſiæ conjuncta eſt, & Archiepiſcopatus factus Brema appellatus eſt, anno Domini DCCCXXXVI. Et ſic beatus Anſcharius fuit primus Archiepiſcopus Bremenſis, & ultimus Epiſcopus Hamburgenſis. Et ſic ſatis luculenter de X. Eccleſiis. Ne autem patria, de qua antiquos Saxones ultra Weſeram fluvium fugaverat, deſolata & vacua permaneret, novum populum de Francia, Eflaria, Hasbonia, & Arduenna introducens, terram eis dedit perpetuo jure poſſidendam: Sic tamen, quod totius regionis proprietatem clero dedit, ut ſcilicet patriam illam in fide Chriſti, & regis fidelitate tenerent. Propter quod etiam legem ſecreti judicii inter Weſeram, & Rhenum perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare ſancivit, Quia vidit terram iſtam ſylvoſam & latibundam, ideo timuit eam extirpari & ſpoliari crebris furtis, perjuriis & prædationibus, propter hæc & conſimilia dedit legem prædictam. Et extunc Saxones ultra Weſeram verſus orientem manentes Oſtphali, verſus occidentem vero Weſtphali, quaſi orientales & occidentales ſocii nominantur. Dicit tamen beatus Gregorius Turonenſis Epiſcopus & hiſtoricus Francorum, quod Saxonibus per Carolum ultra Weſeram fugatis, qui de eis vel inertia, vel amore patriæ in terra remanſerunt, in ſervitutem redacti ſint à Rege, ut dictum eſt, ſub introductis. Et hæc eſt cauſſa tot ſervorum in illa regione. Præterea iſte Carolus, non ſolum Teutonica lingua, verum etiam Gallica, Barbarica, & peregrinis linguis eruditus erat. Barbara & antiquiſſima carmina, quibus antiquorum Regum bella & actus canebantur, ſcripſit & memoriæ commendavit. Incoavit etiam Grammaticam Teutonico ſermone ſcribere, & juxta patrii ſermonis linguam Teutonicam vocabula menſibus & ventis primus impoſuit: de quibus omnibus narrare tædioſum eſſet.

Sanctus ergo Carolus regno & Imperio ſuo parato & dilatato, ſtatu quoque Eccleſiæ religioſe & ſancte ordinato, & fide ſtudioſiſſime ampliata, anno Domini DCCCXIV. ætatis vero ſuæ LXXI & Imperii XIV. apud Aquiſgranum tranſivit ad Dominum. De temporibus autem Caroli ſunt verſus:

Inter & athletas, quos mundi protulit ætas,
Tu Carolum reputes hominum tranſcendere metas.

Orbem

Digitized by Google

Orbem perſtringens rex Carolus imperat ingens.
Poſt Chriſtum CCC. D. jungas & ſuperadde
Decem cum quatuor Carolus Rex moriebatur.

Hartwardus ſecundus Epiſcopus Mindenſis. Iſte in die ſanctæ virginis Euphemiæ ex hac luce tranſivit ad Dominum. De iſto Pontifice & compluribus aliis, nihil dignum memoria inveni, vel quo tempore Mindenſem intrarint Eccleſiam vel rexerint: nec à quocunque inveſtigare potui. Ab hominum dudum tranſivit memoria. Nam quicquid ſcripturæ non commendatur, à memoria hominum cito delabitur: Juxta illud metricum:

Vox audita perit, litera ſcripta manet.

Circa tempora iſtius corpus S. Viti de Pariſiis in Monaſterium Corbejam Weſtphaliæ transfertur. Unde & Franci teſtati ſunt, hoc in præſagium contigiſſe, quia ab illo tempore gloria Francorum translata eſt ad Saxones. Anno vero ſequenti, hoc eſt DCCCXXXVII. corpus S. Liborii Epiſcopi Padelborne translatum eſt. Item Pape Gregorius quintus de conſilio (*alius codex habet*, conſenſu) Lodewici Pii Feſtum omnium Sanctorum in partibus Germaniæ & Franciæ celebrari inſtituit.

Theodoricus tertius Epiſcopus. Iſte Monaſterium Monialium in Wünſtorpe in honorem ſanctorum Coſmæ & Damiani fundavit. Hic cuidam concilio Coloniæ celebrato an. DCCCLXXIII. interfuit. Hic cum Dudone Epiſcopo Paderbornenſe, Drogone, Oſnaburgenſe, Aufredo Trajectenſe, Ramberto Hamburgenſe, & S. Erlulfo Verdenſe Epiſcopis, cum tribus Ducib. & XIII. Comitib. multiſque aliis fidelibus juxta Ebbekestorpe / quod modo eſt clauſtrum, ſitum in Ducatu Lunæburgenſi, in acie pro fidei & patriæ defenſione ſtans imperterritus, & Deo permittente in bello occumbens, cœlos petivit ſanguine laureatus. Facta eſt autem prædicta ſtrages ipſo die purificationis virginis glorioſæ, tempore Lodewici filii Caroli. De iſto poteſt dici illud, quod de Juda Macchabæo in Aurora dicitur.

Item Rabanus Abbas Fuldenſis, & Doctor egregius Archiepiſcopus Moguntinus ordinatus eſt, anno Domini DCCCLXXV. Tertio vero anno ſequenti Monachi de Corbeja Rugiam, quæ eſt inſula maris juxta civitatem Sundis, Deo cooperant, converterunt, & in honorem S. Viti Patroni ibidem Eccleſiam conſtruxerunt. Unde verſus:

Turbas hoſtiles turbans medioſque per hoſtes
Irrumpens rupit more Leonis iter.
Item:
Hic eſt Helias Magni de vertice montis
Cœleſti tumidos qui ferit igne viros.

Wilfarius quartus Epiſcopus. Iſtius anniverſarius ipſo die S. Nicomedis martyris peragitur. Temporibus iſtius, ſcilicet, anno Domini DCCCLX. Indictione octava, petente Hadewigi Abbatiſſa Hervordienſi, & jubente Carolo rege Francorum poſt Imperatore, translatum eſt corpus ſacroſanctum virginis Puſinnæ de pago Perthenſi, vico Banſionenſi Hervordiam Weſtphaliæ, ibique venerabiliter collocatum. Item anno DCCCLXVII Comitatus Flandriæ ſumſit exordium: Item anno ſequenti comitatus Hollandiæ cœpit.

Item S. Cyrillus pene omnium Sclavorum Apoſtolus, corpus S. Clementis prope Alterſona ubi in mare Ponticum projectum fuerat, mari exſiccato auferens Romam deportavit. Quod per Papam & Romanos fuit honorifice reconditum in Eccleſia ejuſdem S. Clementis.

Item intellexi à quodam Sacerdote fide digno, quod multi de his occiſis poſtea fuerunt à paganis decollati, & capita eorum in altum ſuper palos levata. Unde accidit, ut in feſto Paſchæ, poſt eorum caſum proximo auditæ ſunt voces angelorum alte concinentium cantilenam, quam ob reverentiam dicti feſti cantare conſueverunt. Cum vero pagani intellexiſſent, quod Deus Chriſtianorum illo die à mortuis reſurrexiſſet, & ad laudem illius diei Chriſtiani talem cantionem vociferari conſuevilſent.

Anno Domini DCCCLXXIV. Coloniæ celebrata Synodo ad dedicationem Eccleſiæ à tribus Teutoniæ Metropolitanis, cum ab eis major Eccleſia, quæ eſt S.

Petri Apoſtoli dedicari deberet, præcedenti nocte auditæ voces malignorum ſpirituum, inter ſe dolentium & conquerentium, ſe à poſſeſſis ſuis ſedibus expelli debere.

Item ſequenti anno ſtudium literarum de Roma Pariſios usque translatum eſt.

Drogos quintus Epiſcopus. Tempore iſtius cœnobium Monialium in Möllenbeke in provincia (al. Parochia) Acriſte, nunc Eckerſtein dicta in honorem S. Dionyſii, ſociorumque ejus anno Domini DCCC. quatuor minus fundatum eſt. De cujus fundatione iſti habentur verſus:

Annis nongentis Mölnbeck *duo bis minus annis.*
Folckrat & Hiltborg *ſimul extruxere Drogone.*

Prædicta vero Hildeborg fuit uxor cujusdam viri nobilis, nomine Uſo / qui duo caſtra opima in provincia (al. Parochia) Eckerſtein / unum juxta villam Bredenbeke / quod incolæ inpræſentiarum Uſſenborg nominant, alterum vero prope villam Steinborg / habuiſſe perhibetur. Iſtius uxor inclyta cum heredem non haberet, ad inſtinctum cujusdam devoti ſacerdotis, nomine Folcardus ſeu Folckradus, in abſentia ſui mariti novem Eccleſias, ſcilicet: Möllenbecke / Segelhorſt / Degber / Steinborg / Oſtereisberg / Weſtereisberg / Honrode / Velthem / Silickhen fundavit. Unde in reditu mariti ſui, qui in peregrinatione terræ Sanctæ ultra, quam credidit, moram traxerat ſe novem filias peperiſſe gloriata eſt. Cariſſime, inquit, Deo & veſtræ Dominationi novem filias, nondum in Chriſto regeneratas generavi. Et vir inclytus ac Deo devotus de fundatione novem Eccleſiarum intelligens, eas de paternis bonis competenter dotavit, & per manus Drogonis Epiſcopi conſecrationis beneficium impoſuit. Iſte Drogo dicto Monaſterio decimas de CXX. aratris ad ipſius Epiſcopatus ſedem pertinentibus dedit, ea tamen ratione, ut omni anno ad altare Epiſcopalis ſedis quinq; ſolidi in auro, vel argento, de dicto Monaſterio offerantur, & Epiſcopus illius ſemel in anno ſuſcipiatur ibi cum tali ſervitio, quali in cæteris locis ſuæ diœceſis recipi conſuevit.

Adelbertus ſextus Epiſcopus. Iſte in die Sancti confeſſoris Vedaſti, & Amandi carnis ſolvit debitum. Circa tempora iſtius, ſcilicet anno Chriſti DCCCCVIII. Henricus primus Ungaros, quibus Saxones tributarii fuerant, devicit. Ipſo enim in regno promoto, concilio habito & pecunia collecta, tributum ad novem annos redemit, & medio tempore terram oppidis munivit, prætendens ne Chriſtiani ſic amplius à Paganis premerentur. Completis autem IX. annis Ungari per legatos petierunt tributum. Henricus vero Imperator, in ſignum rebellionis, abjectionis & contemtus eorum, miſit ejus catulam abſciſſis auribus & cauda pro tributo. Unde Ungari graviſſimam in furiam verſi, cum C. millibus pugnatoribus Saxoniam usque pervenerunt omnia loca eorum tranſitus devaſtantes. Sed populus Thuringorum in oppido, quod Lichen vocatur, ſe recipiens ibidem à L. millibus eſt obſeſſus. Reliquis vero L. millibus in Saxoniam diffuſis, & prædas & cædes atrociter agentibus, Henricus Imperator, tantum quatuor millibus improviſus hoſtes aggreditur, & ad confuſionem maximam exterminavit. Qui vero de illis gladium evaſerunt, miſerè nudati recedunt: Qui fuga fuerunt elapſi, turpius in paludibus ſubmerguntur. Qui vero ad fugam expeditiores erant, venientes ad ſocios in obſidione Thuringorum tantum fecerunt eis horrorem, ut ſimiliter cum fugientibus fugerent, quod cernens terræ populus eis inſultavit. Item iſto eodem anno S. Odelricus Epiſcopus ordinatus eſt.

Bernhardus ſeptimus Epiſcopus. Hic in die S. Magni Confeſſoris diem clauſit extremum. Temporibus iſtius Ungaris denuo Almaniam, Franciam, Alſatiam depopulantibus, Henricus Imperator juxta urbem Mersborg congreſſus votum vovit pro victoria adipiſcenda, ſeſe hæreſin Simoniam de regno ſuo exterminaturum: unde cæde inæſtimabili eos usque ad internecionem pene delevit: Iſte Henricus Reges Normannorum & Abodritarum anno regni ſui octavo ad fidem Chriſti convertit.

Ludarius octavus Epiſcopus. Hic in vigilia S. Panthaleonis tranſivit ad Dominum. Tempore hujus ſanctimoniales in Overenkercken cum clericis, & familia ſua numero CXXIIX. anno videlicet Chriſti DCCCCXXXVI. tempore Ottonis Magni, ipſo die SS. Felicis & Adaucti ab Ungaris occiſi ſunt, verſus:

Anno nongento ter X. ſexto ſimul anno
Tunc Overenkercken *occiſæ ſunt Moniales.*

Iſtæ

Iſtæ Moniales primo albo utebantur habitu, ſed poſtea tempore Werneri Epiſcopi, qui eandem Eccleſiam poſt prædictam devaſtationem reconciliavit, ad habitum, quo nunc utuntur, licentiatæ ſunt. Prædicta vero Eccleſia inter Leinam & Weſeram (al. Alleram) prima fuiſſe perhibetur. Poſt annum ſequentem Ungari iterum à Saxonibus graviter cæduntur. Per idem tempus Parthenopolis civitas, quæ nunc eſt Magdeburg fundatur, verſus:

Dum nongentenus ter denus ducitur annus,
Extitit à Chriſto tunc Rex magnus pius Otto.
Magdeburg *anno fuit hujus ſtructa ſecundo.*

Ebergiſus nonus Epiſcopus. Iſte in die Lucæ Evangeliſtæ in lucem ſublimatus eſt inacceſſibilem. His temporibus Bruno Archiepiſcopus Colonienſis frater Ottonis primi Imp. tranſtulit de Roma in coloniam corpora Sanctorum Eſici & Patrocli, Privati & Gregorii cum baculo S. Petri. Quinto vero anno ſequenti per eundem Archiepiſcopum beatiſſimus martyr Patroclus, miles Trecaſinus in Soſatum oppidum Angarorum transfertur.

Helinwardus decimus Epiſcopus. Hic cum duobus Epiſcopis ſcilicet Dudone Paderbornenſe & Drogone Oſnaburgenſi, ſub honore Sanctorum Gorgonii, Laurentii & Alexandri martyris, majorem Eccleſiam Mindenſem anno Domini DCCCCLIII. conſecravit. Obiit autem prædictus Pontifex anno Chriſti DCCCCLIIX. ipſo die Valentini. verſus:

Pro grege multotiens animam ſanctiſsimus ille
Expoſuit paſtor nulla pericla timens.

Lantwardus undecimus Epiſcopus. Iſte primo regalia impetravit ac procuravit anno Domini DCCCCLXI. ab Ottone Magno Imperatore. Anno vero Chriſti DCCCCLXXIV. quidam Sacerdos nomine Wandradus Lübbekegowe / hoc eſt, Lübbeke / cum omnibus ſuis attinentiis tempore iſtius Epiſcopi Mindenſi contulit Eccleſiæ. Obiit autem prædictus Pontifex eodem anno in die SS. Coſmæ & Damiani. unde verſus:

Liberat Eccleſiæ depulſis vulpibus agrum:
Nec jam ſchiſmaticus vexat ovile lupus:
Non dubitat forti pater obvius ire Leoni,
Maxilliſque graves inſeruiſſe manus.

Milo duodecimus Epiſcopus. Iſte ab Ottone ſecundo regalia, & foreſtum Hückelingehagen & Stormwald nominatum, & ſylvam vocatam Süntel / (al. Suntal. Sunderwald für Hildeſem) quantum ſpacium comprehendit Epiſcopatus Mindenſis: Et quod nullus alius, niſi de licentia Epiſcopi, & ſuorum ſucceſſorum licentiam venandi habeat, anno Chriſti DCCCCXCI. impetravit.

Hic monaſterium Monialium ſub diſciplina regulari ordinis B. Benedicti in monte Wedegonis, ubi ſancta Thethwiof incluſa ſolitariam vitam degebat, regulamque S. Benedicti pie obſervabat, cum aliis Monachabus ſanctis, quibus ipſa ſacræ doctrinæ lac ab infantia præbuit, & religionem ſanctæ docuit vitæ, ut ab hominum frequentia ſequeſtratæ Domino liberius faciliusque poſſent famulari, anno Domini DCCCCXCIV. fundavit. Etiam præbendas S. crucis fundavit. Item ſtubam & fornacem conſtituit, & pulcrum plenarium. In iſto ſculpti habentur verſus, quos beato Gorgonio obtulit:

Sit tibi Gorgoni liber hic rogo valde decori
Ornari Milo quem fecit Epiſcopus auro.

Obiit autem prædictus Epiſcopus anno Domini DCCCCXCVI. ipſo die beati Eleutherii Epiſcopi.

Ramwardus tredecimus Epiſcopus. Hic Monaſterium prædictum in monte Wedegonis, à præceſſore ſuo conſtructum, propter aeris nebulæque & venti intemperiem ac turbationes, ad civitatem Mindenſem in religionis ſuæ detrimentum non modicum, pia tamen intentione, ſub annis Chriſti MIX. in honorem virginis Benedictæ ac S. Blaſii Epiſcopi tranſtulit & fundavit. Obiit in vigilia S. Dionyſii unde verſus:

Eiicit arentes herbas, circumfovet illas,
Quæ proferre boni gramen odoris habent.

 Theo-

Theodoricus ſecundus quartus decimus Epiſcopus. Iſte à Domino Henrico ſecundo Bannum, monetam ac telonium & macellum publicum, & quæcunque ad regalem pertinent poteſtatem anno Domini MIX. impetravit. Sedit autem annos Chriſti XIIX. menſes IV. & duos dies: Et anno Chriſti MXXII. moritur, IX. die menſis Februarii, ſcilicet in die Juliani. unde verſus:

Eccleſiæ muris hortum complectitur altis:
Et ſpaciantur oves abſque pavore lupi.

Sigebertus quintusdecimus Epiſcopus. Iſte à Conrado II. Imperatore, qui annis duobus Mindæ curiam ſolemnem in platea, quæ Camp dicitur, tenuiſſe perhibetur, foreſta in Heſterberge/ & plura alia diœceſi ſuæ utilia, anno Chriſti MXXIX. impetravit. Item præſul hic Deo & hominibus acceptus, inter alia bona Eccleſiæ ſuæ utilia & proficua, quæ ad domus Dei decorem pertinent, reliquit calices & thuribula pulcra ac plenaria IX. valde precioſa cum diverſis materiis intus depicta, & exterius argento & auro, lapidibusque precioſis adornata, comparavit.

Fundavit etiam B. Martini Eccleſiam anno Domini MXXXVI. in qua feliciter eodem anno ſepelitur & requieſcit, mortuus ipſo die Gereonis & ſociorum ejus. Circa idem tempus Cometia de Schountborg originem habuit. unde verſus:

Eſt Schomborg *natum M. X. tribus initiatum.*

Item:

Annis centenis nongentis ter quoque denis
Poſt Chriſtum natum, Schomborg *tenet initiatum.*

Bruno decimus ſextus Epiſcopus. Hic ab Henrico tertio dignitates, & alia ad regalem poteſtatem pertinentia anno Chriſti MXXXIX. X. Kal. Julii impetravit. Monaſterium S. Mauricii extra muros in inſula prope civitatem Mindenſem ubi in Domino feliciter requieſcit, anno Chriſti MXLII. fundavit de ſuo proprio patrimonio. Id tamen poſtea tempore Alberti de Hoja translatum eſt ad civitatem Mindenſem ad Eccleſiam S. Simonis, anno Domini MCCCCXXXV. Ad prædictum etiam Monaſterium præfatus Epiſcopus ſcilicet Bruno, tranſtulit Monachos, de monaſterio S. Johannis Magdeburg. ordinis S. Benedicti, eo quod de illis partibus eſſet natus, ſcilicet Magdeborg/ ejuſdem etiam Eccleſiæ Canonicus: Et Monaſterium prædictum in honorem prædictæ Magdeburgenſis Eccleſiæ patroni, ſcilicet S. Mauricii, conſecravit. Iſte Bruno Eckberto Marchioni conſanguinitate erat proximus, & mox ut Epiſcopatum ſuſcepit, omni ſtudio inprimis primitivæ Eccleſiæ fratrumque ſuorum prandium de bonis hereditariis benigne adauxit: Et duo Monaſteria, ſcilicet, B. Mariæ, & S. Martini ab anteceſſore ſuo Sigeberto inceepta, alterum quidem S. Mariæ & opere & conſecratione, conſummavit: Sancti vero Martini devote augmentavit. Alia quoque Monaſteria, quæ ſub jure ſuo erant, & prandia ibi Deo ſervientium devotus melioravit, quatenus votum ſuum in Monaſterio S. Mauricii, quod ipſe propriis ſumptibus à fundamento conſtruxit, eo majori fiducia poſtmodum expedire poſſet. Multa illius in pauperes, peregrinos, clericos benignitas erat: Sed quia quem Dominus diligit, corrigit. Flagellat autem omnem filium, quem receperit, idcirco Paralyſis illum per quinque annos decoxit, ut omnium membrorum officio deſtitutus in geſtatoria ſella famulantium manibus, quo opus eſſet, portaretur. Sexto decimo vero anno Henrici, hoc eſt, anno Chriſti MLVI. deceſſit poſt longam ægritudinem, qua Deus vas electionis ſuæ in camino tribulationis tranſitoriæ purgaverat, IV. Idus Febr. hoc eſt, in die S. Scholaſticæ, beato fine quievit in Domino. verſus:

Condidit hoc templum, quem claudit Bruno ſepulcrum,
Præſul honor patriæ lumen & Eccleſiæ.
Idibus in quartis Februi caligine mortis
It cinis in cinerem: da Deus huic requiem.

Engelbertus decimus ſeptimus Epiſcopus, Canonicus Bavenbergenſis, Pontificalis modeſtiæ vir, ætate & vitæ innocentia admodum laudabilis & reverendus. Iſte ab Henrico IV. regales poteſtates ſexto Kalend. Auguſti anno MLIX. obtinuit.

Temporibus iſtis major Eccleſia Mindenſis anno Domini MLXII. ipſo die Vincentii martyris per incendium deſtructa eſt: Et quicquid Carolus Imperator, & Wedekin-

dekindus Angarorum & Mindenſium Rex, ex regia magnificentia in ornamentis & donariis ſingularibus ad honorem Dei, & ſæpe dictæ Eccleſiæ decorem, ibi reliquerant, per flammam ignis vorantis deſtructum & deletum eſt.
Anno vero MLXXI. à dicto Epiſcopo, & à venenerabili viro Domino Rodolpho Epiſcopo Sleſuicenſi, in honorem S. & individuæ Trinitatis, Sanctæ virginis glorioſæ, & omnium Sanctorum reconciliata, & denuo dedicata eſt. Item capellam S. Joannis Baptiſtæ, quæ Eccleſia fori nuncupatur, per ignem deſtructam, & deſolatam de bonis unius civis Mindenſis reſtauravit & reconciliavit.

Sedit autem dictus Antiſtes venerabilis annis XXV. menſibus IIX. diebus XIX. & in craſtino S. Martini tranſiit ad Chriſtum anno Domini MLXXX. ſepultusque apud Eccleſiam S. Martini una cum venerabili patre, & Domino Sigeberto ſuo anteceſſore. De quibus tales extant verſus.

Præſul Engelbertus: ipſeque prior Sigebertus,
Hi fundatores hilaresque fuere datores.
Ergo Dei pietas ſedes dedit his requietas,
Et tibi Martine conregnabunt ſine fine.

Reimundus decimus octavus Epiſcopus. Sub iſto Antiſtite Folmarus ſucceſſor ejus ſedem invaſit Epiſcopalem. Obiit autem anno MLXXXIX. in craſtino cathedræ S. Petri Apoſtoli.

Folmarus decimus nonus Epiſcopus. Iſte à beato Gorgonio Martyre, ut veraciter aſſeritur, circa annum Domini MXCIV. occiſus eſt, & ideo memoria iſtius in die anniverſario fieri non conſuevit. Accidit enim, ut beatus Gorgonius cuſtodibus majoris Eccleſiæ apparens, eiſque ut ſignum pro mortuo Epiſcopo conſuetum, & per eum propter ſua facta nefaria occiſo, fieri imperavit. Ut ergo eos firmius certificaret, pallam altaris cruentatam, & ſanguine maculatam, in qua gladium occiſionis exterſerat, pro interſigno oſtendit. Nam ſtatim ſurgentes, omne quod eis imperatum fuerat, obedientes & cum timore perfecerunt. Palla vero antedicta, multis annis pro miraculo oſtendebatur & obſervabatur. Obiit autem dictus Antiſtes ipſo die decollationis S. Johannis Baptiſtæ, anno quo ſupra Indictione vero ſecunda. Et quia Folmarus ſedem invaſerat Epiſcopalem, & à Deo miſerabiliter, ut dictum eſt, occiſus eſt inter alios Epiſcopos non computatur.

Anno Chriſti DCCCCXXXIV. tempore Ottonis Magni Monaſterium in Wiebecke Canonicorum regularium in honorem S. Johannis Baptiſtæ à Domina nobili Hellenburga eſt fundatum. Poſt lapſum vero temporis, ſcilicet anno Chriſti MCCXXXIV. per incendium deſtruitur, & poſt annos XX. VII. Kalend. Julii à duobus Epiſcopis reconciliatur. In qua conſecrationis die duæ ſtellæ lucidæ, circa meridiem cunctis videntibus & admirantibus, ſupra Monaſterium prædictum ceciderunt.

Udalricus viceſimus Epiſcopus. Iſte anno Domini MXCVI. præfuiſſe Mindenſi Eccleſiæ ſcriptura atteſtante invenitur. Tranſivit autem ex hoc mundo VI. Idus Decembris, ipſo die S. Eutychiani martyris, Indictione IV.

Gotſchalcus viceſimus primus Epiſcopus. Hic an. incarnati Chriſti MCXII. Mindenſem rexit Eccleſiam: moritur autem in die S. Valeriani, hoc eſt XIIX. Kalend Januarii, Indictione V.

Widelo viceſimus ſecundus Epiſcopus. Iſte anno Chriſti MCXX. Indictione XIII. in die Innocent. migravit ad Chriſtum.

Sigewardus viceſimus tertius Epiſcopus. Anno Chriſti MCXXIV. Indictione ſecunda, ipſo die Palmarum, præſente Papa Calixto, & jubente III. Kalend. Aprilis in Epiſcopum conſecratus eſt. Sedit autem prædictus Pontifex annis XX. menſem unum dies XVI. & in die S. Victoris anno Chriſti MCXL. moritur. verſus:

M. cum centeno triginta ſic quoque deno
Præſul honorandus meritis obiit Sigewardus,
Hunc dolet eccleſia, cui dedit ipſe ſua.

Temporibus iſtis Moniales ordinis S. Auguſtini locum, qui dicitur Werder/ prope Hanovere intraverunt. Antequam enim Moniales antedictæ locum & monaſterium prædictum intraverunt, Canonici regulares ibi habitabant. Qui propter vitam & converſationem eorum nimis ſecularem ejecti fuerunt, & moniales de Monaſterio

Digitized by Google

ſterio Quernenkercken per Comites de Wünſtorp & Lowenrode adductæ ſunt in die S. Catharinæ virginis anno MCXIV.

Monaſterium Leveren quidam ſacerdos ejuſdem Eccleſiæ plebanus, divitiis & temporalibus bonis abundans, fundavit. Hic Deo inſpirante ſummum adiit Pontificem, ut de bonis, ſibi à Deo collatis, monaſterium virginum, juxta dictam Eccleſiam erigere poſſet, humiliter poſtulavit. Papa vero hoc audiens, petitioni ſuæ condeſcendens, animo libenti poſtulata conceſſit. Clericus ergo præfatus domum cum gaudio reverſus, curam dicti Monaſterii ſuſcipiens Præpoſitus eſt effectus. Iſto per mortem ſublato, ſecundus & tertius uſque ad quartum, qui prædictum Monaſterium de lignis conſtructum ex lapidibus, ſicut & in præſentiarum videtur, conſtruxit. De his quatuor Monaſterii columnis iſte verſus ſub Imaginibus præfatorum Dominorum in dicto Monaſterio ſcriptus habetur ſcilicet:

Fundavi, rexi, ſucceſſi, pondera vexi.

Henricus viceſimus quartus Epiſcopus. Iſte primo fuit Abbas S. Mauricii in inſula ordinis S. Benedicti. Tempore iſtius cœnobium in Schinna ordinis S. Benedicti in honorem S. Viti ſociorumque ejus per Comites de Hallermont anno Domini MCXLVII. fundatum eſt. Et hujus cœnobii primus Abbas de Monaſterio S. Michaelis in Hildenesheim aſſumtus eſt. Item Monaſterium in Lucka in honorem S. Georgii martyris egregii an. Chriſti MCXLIII. per Comites de Halremont & Oldenborg/ qui fuerant hæredes Domini & Comites in Lucka/ fundatum eſt. Item dedit fratribus curiam in Ghelenbeck. Sedit autem dictus præſul annos XII. menſes II. dies III. Obiit anno Chriſto MCLVI. in craſtino Pontianæ virginis.

Wernerus viceſimus quintus Epiſcopus. Iſte fuit quondam majoris Eccleſiæ Præpoſitus, & fuit Domini Wilhelmi Imperatoris conſanguineus. Sub iſto quidam famoſus miles nomine Mirabilis vixit. Ab iſto milite capella & curia, quam Monahi de Inſula Mindenſi ordinis S. Benedicti poſſident, dicta & cognominata eſt Mirabilis broke. Magnus erat & largus benefactor Eccleſiæ Mindenſis, qui poſtea ſub annis Chriſti MCLXIIX. ante altare virginis Mariæ in majori Eccleſia, aquilonarem partem verſus, ſepultus eſt. Item præfatus Pontifex Monaſterium in Schinna anno MCLVI anno ordinationis ejus primo dedicavit. Sedit autem præſul Wernerus annis XVII. menſibus IV. & an. Domini MCLXXIII. obiit in vigilia Sancti Martini.

Poſt obitum vero iſtius Epiſcopi anno ſequenti Kalend. Februarii Henricus Dux Saxoniæ curiam in Lothen cum omnibus bonis & ſuis attinentiis dedit Eccleſiæ Mindenſi: Item S. Gorgonii brachium precioſe adornatum.

Anno viceſimus ſextus Epiſcopus ex Comitibus de Blanckenborg. Iſte benedictus Antiſtes videns ſuam Eccleſiam majorem à tempore Engelberti anteceſſoris ſui, ſanctorum reliquiis eſſe orbatam, & per incendium evacuatam, Dei inſpiratione motus, per interventum Imperatoris laborioſe locis de diverſis multa ſanctorum corpora collegit, & ad patrocinandam & tuendam Eccleſiam ſuam Mindam tranſtulit & locavit. Reliquiæ vero beatæ Mariæ Magdalenæ inter alias reliquias per ignem conſumtas intactæ permanſerunt. Unde Canonici devotione quadam ad beatam Mariam Magdalenam allecti, tempore Bruningi de Engelinghebor ſtellæ illius Eccleſiæ tunc Decani in quodam capite argenteo ad honorem dictæ formato devote locaverunt. Igitur cum reliquiæ capiti imponi debebant, Decanus antedictus in hæc contumeliæ verba prorupit, dicens, quod propter tantillum oſſis tantæ expenſæ fieri non deberent. Sed ecce Deus omnipotens ſanctorum ſuorum reliquias, quantumcunque parvulas, ſummè eſſe honorandas volens demonſtrare ſigno cum evidenti, ut de cætero linguam ad talia non laxaret, miſericorditer eum punivit. Unde reliquiis ſacroſanctis manibus pollutis contemtibiliter tactis, quia mulieri eadem nocte, quod poſtea etiam fatebatur, condormierat, ecce ſine mora ad quantitatem magnæ crucis puſtula in manu ſua cum tanto dolore, cunctis videntibus apparuit, quod manum ſuam credebat ex reliquiarum tactu eſſe perforatam miſerabiliter clamitabat. Sunt autem hæc pignora integra in prædicta Eccleſia conſervata, ſcilicet, beatorum Feliciani Epiſcopi Fulginenſis, & martyris Carpophori & Abundi, Theodori Epiſcopi, Sophiæ viduæ in cujus capitis ornatu verſus iſti ſculpti habentur.

Sedi-

Digitized by Google

Sedibus his ſanctam tranſmiſit Roma Sophiam,
Splendor gemmarum cujus caput ornat & aurum.
Qui mirantur opus venerentur quod tenet intus,
Quem fert ornatum ſuperat radiis meritorum.

Per verſus iſtos apparet, quod caput prædictum coronam auream gemmis adornatam habuerit, ſicut etiam ſæpius audivi, ac certum veſtigium adhuc apparet in capite. Sed parcat illi omnipotens, quem à tanto theſauro clenodium tale abſtuliſſe, intellexi. Item in prædicta Eccleſia de ſanctis iſtis, de quolibet magna pars habetur, ſcilicet Timothei Apoſtoli, qui in theca argentea ibidem videtur: Gorgonii, Nazarii Ruſticiani martyris, Audentii, Juſtini, Felicitatis, Alexandri, Pamphili, Felicis Epiſcopi, Vigilii Epiſcopi, Speciosæ virginis, capita duorum Maurorum: Quatuor anſæ de B. Petri Apoſtoli cathena. De quibus ſororibus ordinis prædicatorum nunc Lemego degentium, una anſa, quando in Lode degebant, fuit data: Cathena S. Feliciani, in qua Romæ vinctus ducebatur: Brachium S. Annæ devote adornatum: Brachium S. Gorgonii precioſum. Inſuper duodecim membra integra ad laudem & gloriam illius, qui in ſanctis ſuis mirabilia operatur, nec non ad ſæpe dictæ Eccleſiæ defenſionem & patrocinium, ſunt locata.

Item temporibus iſtius Epiſcopi Domina Oda Comitiſſa de Blanckenborg contulit dictæ Eccleſiæ magnam cortinam artificioſo ingenio contextam, ac opere contextili conſummatam: cujus materia eſt: Sancti per fidem vicerunt regna. In cujus circumferentia ſequentes reperiuntur verſus. Et credo quod ſit hic in duobus verſibus defectus, quia forte in capite cortinæ inveniuntur defectuoſi.

Qui legis hos flores, virtutum collige mores,
Philoſophos ſequere benefac vitia cavere.
Parcius utaris verbis & honeſta loquaris:
Nam non vinoſus homo ſit magis artis amicus.
Sed bibe raro merum, quia turbant pocula verum,
Nam non vinoſus homo ſit magis ingenioſus.

Item prædicta Comitiſſa dedit duo dorſalia eodem opere contexta, vitas & paſſiones ſanctorum Petri Apoſtoli, Gorgonii; Item Dorothei continentia. Item Imaginem B. virginis argenteam & deauratam precioſam, & pannum rubei coloris ſericum gentili opere contextum, ſub quo chriſma benedicendum conſuevit. Tranſiit autem prædictus Pontifex Anno ex hoc mundo poſtquam annos XIV. ſederat in claritatem lucis æternæ in craſtino S. Valentini martyris anno MCLXXXV. verſus:

Res bene diſponens bis binis & quater annis
Claruit inſignis laude, beatus obit.
Bederic & Conegunt *me dudum compoſuere*
Pro ſpe cœleſtis regni Dominoque dederunt.

Dethmarus viceſimus ſeptimus Epiſcopus. De iſto antiſtite ſancto fertur, quod Dominus propter merita ſua aquam convertit in vinum. Et hoc modo iſto peractum factumque intellexi. Cum enim dictus præſul in die Paraſceves officio peracto divino pane & aqua ob reverentiam paſſionis Dominicæ devotius abſtineret contigit, ut aqua per miniſtros allata, bina vice in vinum fuit transmutata. Tandem Epiſcopus tertia vice aquam videns hauriri, & vinum inveniens à Domino hoc factum eſſe intellexit. Unde id quod ſibi ex ſpeciali gratia à Domino datum fuit, gratiarum actione libentique animo guſtavit ac bibit, Dominumque in ſuis donis plus, quam dici poteſt, benedixit. Tempore iſtius Monaſterium in Neudorpe Monialium ordinis S. Benedicti, ſub præpoſito Simone, qui prædicto Pontifici conſanguinitate erat propinquus, ſcilicet, avunculus, in honorem S. Martini fundatur.

Item Eccleſia S. Johannis Evangeliſtæ collegiata in Minda à venerabili viro, Domino Ramwardo, majoris Eccleſiæ Præpoſito, circa annum Domini MCCVI. fundata fuit, in qua poſtmodum ſepultus in choro quieſcit.

Item Cometia de Hoje originem habuit, de quo extat verſus:

Anno M. duo CC. Hojenſis ſit Cometia

Item Dominus Ico majoris Eccleſiæ Decanus fundavit Eccleſiam S. Simeonis in Minda, quæ à Conrado Epiſcopo anno Domini MCCXIII. conſecrata eſt. Circa id tempus,

Digitized by Google

tempus, ſcilicet, anno MCCIII. ordo Prædicatorum ſub B. Dominico initium habuit. unde verſus:

Tria CCC bis mille quo tempore primitus ille
Sumſit tunc ortum ſacer ordo Prædicatorum
Fundatur fratrum nihilominus ordo Minorum.

Sedit autem præſul prædictus annis XXI. menſes IV. & totidem diebus, & in vigilia B. Thomæ de Aquino anno Domini MCCVI. cœli ingreſſus eſt januas.

Henricus ſecundus nomine viceſimus octavus Epiſcopus. Iſte circa annos Domini MCCIX. Mindenſi Eccleſiæ præfuit, eamque rexit. Sedit autem annis tribus, & in die S. Praxedis virginis moritur.

Circa iſta tempora clauſtrum S. Mariæ (al. Merienſe) an. Domini MCCXV. de villa Thodenhuſen translatum eſt. In monte enim Wedegonis primo apud B. Margaretham fuerat fundatum, ſed poſtea ad villam prædictam, ubi non plene duobus annis moram traxerunt. Tandem propter loci ineptitudinem, & inconvenientiam ad locum, ubi nunc degunt translatæ ſunt. Iſte Henricus Epiſcopus dedit ad præbendas fratrum decimam Biſchoppeshagen.

Item capella & majus altare in Schoumborg à Domino Bernhardo Selonenſi (al. Senonenſi) Epiſcopo in honorem S. Pancratii martyris conſecrata ſunt, anno Chriſti MCCXXI.

Conradus viceſimus nonus Epiſcopus, ex Nobilibus de Deipholte. Iſte Caſtrum Reinenberg ædificat: quamvis tamen aliqui dicant hoc longe ante conſtructum eſſe. Anno Chriſti MCCXXIII. locus S. Mariæ ad inſtantiam Bernhardi Comitis de Welpa translatus eſt. Item Monaſterium Monialium in Rintelen circa annos Domini MCCXXX. parum ante vel poſt per Nobilem virum Adolphum Comitem de Schoumborg de Olden-Rintelen translatum eſt, & in honorem S. Jacobi Apoſtoli à fundatore eſt conſtructum. Degebant enim antea in loco, qui dicitur Biſchopperode prope Greuen-Alveshagen ubi Epiſcopus Mindenſis primo ſub Regula Ciſtertienſium eos conſtituit: Sed nunc ſunt ſub regula S. Benedicti, & habent Abbatiſſam. Hic etiam vir inclytus tria Monaſteria religioſorum dudum fundaverat: duo in civitate Hamburgenſi; unum de ordine Prædicatorum, alterum de ordine Minorum, tertium vero in oppido Kilenſi ſub regula & inſtitutione confeſſoris almifici Franciſci. Ubi poſtea ex voto, propter quandam victoriam, quam Deus omnipotens miraculoſe & inopinate ſibi dederat, anno Domini MCCXXXVII. intravit, & in eo religioſe laudabiliterque, non ſicut Comes, ſed ſicut unus ex eis, cum quibus vivebat, XXIII. annis converſatus eſt. Tempore vero ſuccedenti ad curiam Romanam pro diſpenſatione perrexit, ubi in ſubdiaconum ordinatur: per manus vero venerabilis Fratris Johannis de Wildeshuſen/ Epiſcopi Boſnenſis, in Diaconum ordinatus eſt. Tandem vero per Dominum Johannem Epiſcopum Lubecenſem ordinem Sacerdotalem adeptus eſt.

Moniales illæ, de quibus antea diximus, prius habitu utebantur nigro, ſub regula Beati Auguſtini: Sed propter viſionem, quam prædictus Pater, & Comes viderat in ædificatione, in habitum coloris albi, ſub regula S. Benedicti, de conſenſu Epiſcopi & ſuorum ſuperiorum, permutavit. Apparuit ſiquidem ſibi, quod viri numero XII. laborantes omnes albis ſtolis eſſent induti. Unde vir inclytus intelligens, per talem viſionem ſibi cœlitus oſtenſum eſſe habitum Prædicatarum: & in album, ſicut dictum eſt, colorem permutavit.

Item circa id tempus Fratres ordinis Prædicatorum à Dominis Canonicis Eccleſiæ Mindenſis, ſcilicet, Præpoſito & Decano, qui pro tunc in curia Romana pro negociis Eccleſiæ ſuæ extiterant, ad civitatem Mindenſem vocati ſunt. Anno Chriſti MCCXXXVI. in die Converſionis S. Pauli apoſtoli, prædicatoris glorioſiſſimi, Fratres ad habitandum Mindam intraverunt. Et primo apud S. Johannem, ſecundo vero ad plateam Bitebullen-ſtrate/ ubi puteum, quem nunc fratres eremitæ ordinis S. Auguſtini poſſident, fodientes, moram traxerunt. Tertio vero ad aream, ubi nunc degunt, à quodam milite dicto de Belderßen recepti ſunt. verſus:

M. bis

Digitized by Google

M. bis CC. ter denis tranſactis quoq; ſenis,
Pauli terrenis feſto qui verſus habenis
Delubrum pœnis ſic L. ſituatur amœnis.
Fac vitæ cœnis veſcatur Rex duodenis.

Tranſiit autem ex hoc mundo dictus Præſul poſtquam Eccleſiam Mindenſem rexerat annis XXVII. Et in die beatorum Johannis & Pauli in pace ſepultus eſt. anno Chriſti MCCXXXVI.

Wilhelmus trigeſimus Epiſcopus. Iſte caſtrum Rienhuß / nunc deſolatum, anno MCCXLII. ædificat. Sedit autem annis V. menſibus X. & unum diem: & in die Pancratii anno Domini MCCXLIII. moritur. Iſtis temporibus inclytus vir, Frater Otto de Hoja, multo labore & expenſis ſorores ordinis Prædicatorum, nunc Lemego degentes, de Weſterſtede in Loden tranſtulit. verſus:

Iſte procul toto ceu lumen in orbe lucerna
Lucet, & in cœli lampade lumen habet,
Non ex iſta latens modio candela ſub arcto,
Sed nitet in media præradicatque domo.

Johannes triceſimus primus Epiſcopus. Iſte tres turres in novo caſtro & Reinenberge exſtruxit. Item medietatem Wünſtorpe cum ſuis attinentiis pro CC. marcis comparavit. Obiit autem anno Domini MCCLII. octava Epiphaniæ Domini. Et ſedit annis XI. menſibus VII. duabus ſeptimanis, & duobus diebus. verſus:

Hoc mundi commune jubar, ſydus generale,
Omnibus in media nube revelat iter.

Wedekindus de Hoja triceſimus ſecundus Epiſcopus. Iſte Cometiam de Steinwede à Nobilibus viris Dominis Johanne & Gerhardo Comitibus de Schoumborg / quæ fuerat prius Alberti Ducis Saxoniæ, pro DCCC. marcis argenti examinati anno MCCLXVIII. comparauit. Item oppidum Hamelen à monachis de Fulda pro D. marcis argenti examinati in Colonia perſolvendis, ſub certis pœnis, & Quitatione ducentarum marcarum; & cum hoc Advocatiam, quam Comes de Eberſtein jure homagii à dicta Eccleſia Fuldenſi habuerat. In quam venditionem Comes & oppidani minime conſenſerunt, anno MCCLIX. Contra quos Epiſcopus prælia conſtituit, & juxta villam Sedemunde omnes vicit, & vinctos Mindam verſus adduxit: Multi etiam in ore gladii ceciderunt, anno Chriſti MCCLXI. ipſo die Panthaleonis. Iſtius Eccleſiæ Hamelenſis fundatio præceſſit fundationem Eccleſiæ Mindenſis, annos XXV. à tempore illo, quo B. Bonifacius eam conſecraverat.

Item Ducem de Lüneburg / & Comitem de Wünſtorpe maximo cum exercitu, Deo & civibus ſuis Mindenſibus cooperantibus, in bello devicit, unde in illius victoriæ memoriam quatuor vexilla in majori Eccleſia propendentia in præſentiarum videntur. Item poſt habitam de dicto bello victoriam, civibus ſuis Mindenſibus idem præfatus Epiſcopus Sylvam dictam Mindertwolt / omni cum jure ſuo proprietateque ob gratitudinis cauſſam in perpetuæque memoriæ oſtenſionem libere donavit, contulit & reſignavit. Item Eccleſiam Fratrum Prædicatorum in Minda una cum fratre ſuo germano, ſcilicet, Gerhardo Verdenſi Epiſcopo, & Fratre Henrico primo Epiſcopo Oſilienſi magna cum ſolemnitate ſimul & devotione anno MCCLX. conſecravit. Tandem poſt diverſa opera inſignia ad ſuæ Eccleſiæ ampliationem non modicam, Domino jubente, de hoc mundi carcere in cœli palatium feliciter intravit, anno Chriſti MCCLXI. in vigilia beati Apoſtoli Matthæi.

Sedit autem annis VIII. & totidem menſibus & ſeptimanis, & diebus V. verſus:

Non ventus, non aura poteſt extinguere lumen
Iſtud & æterno lumine flamma viget.

Cono triceſimus tertius Epiſcopus. Iſte ſedit annis IV. menſibus V. & totidem diebus. Obiit autem anno Domini MCCLXV. in cathedra S. Petri. verſus:

Nocte pater media quando ſopor occupat artus,
Feſſaque membra levat fortius alma quies:
Surgit in arma precum, totoque è corde tonanti
Supplicat, ut miſeras contueatur oves.

Fuit iſte Epiſcopus de Nobilibus Deipholte: Sed alii dicunt de militaribus de Weige dioeceſis Bremenſis.

FRATER OTTO triceſimus quartus EPISCOPUS de ordine Prædicatorum, ex humili proſapia de oppido Stendal oriundus. Iſte erat vir per omnia laudabilis, cujus memoria propter multa ejus opera commendabilia in benedictionibus dulcedinis permanebit. Dominis enim Canonicis bona in Bordere pro memoria legavit. Fratribus vero Prædicatoribus in Minden privilegia gratioſa de curia ordinavit Romana, & per ſe, ſicut ſui anteceſſores Wilhelmus & Wedekindus fecerant, largitus eſt. Domum etiam ante cœmiterium Fratrum ad Orientem perpetuo poſſidendam pro memoria legavit. Item caſtrum Reinenberg / quod Comes Deipholte violenter & traditioſe occupaverat, ſua ſagacitate & prudentia recuperavit.

Temporibus iſtis pons trans Weſeram non erat, ſed omnia navigio traducebantur, nec murus Orientem verſus à privatis Canonicorum usque ad portam Weſeræ. Iſta auxilio & conſilio ſuo emendata ſunt.

Sedit autem dictus præſul Otto annis ſex, menſibus XI. unam ſeptimanam, dies duos. Tranſiit autem ad Dominum in octava S. Martini Epiſcopi circa annum Domini MCCLXXV.

Peridem tempus beatus Thomas de Aquino ordinis Prædicatorum ſanctiſſimus, migravit ad Dominum: cujus tranſitus Domino Alberto Magno, quondam Ratisbonenſi Epiſcopo, in conventu Colonienſi exiſtenti, oſtenſus eſt. Is multis Fratribus præſentibus in lacrymas prorumpens, dixit filium ſuum in Chriſto cariſſimum Thomam de Aquino migraſſe à corpore, quod veritate comperta inventum eſt, Doctorem prædictum eadem hora à ſeculo migraſſe. Superuixit autem Dominus Albertus fere V. annis, & tunc illa laborioſſima & ſanctiſſima anima carne ſolvitur, & congregatione omnium collegiorum & totius civitatis Colonienſis, nec non & Dominorum in circuitu per reverendiſſimum Dominum Sigfridum Archiepiſcopum Colonienſem, anno Domini MCCLXXIX. octava beati Martini in choro Fratrum ſui ordinis ibidem ſepelitur.

Volquinus triceſimus quintus Epiſcopus, ex Comitibus de Schwalenberge. Iſte de villa Lübbecke fecit oppidum: Et Canonici de villa Alden ſive Alen / ſunt Lübbecke tranſlati. Tempore iſtius floruit Deo & hominibus acceptus Frater Borchardus Hiddinck. Iſte inter alia miracula, quibus Dominus ſervum mirificavit ſuum, dictum Pontificem excœcatum beneficio oculorum illuminavit, unde in iſtius memoriam imaginem virginis benedictæ cum lampade, quæ ſuper ejus ſepulcrum videtur, Præſul dictus ordinavit & patrem antedictum, ſicut in viſione acceperat, clero & populo præſente ac vidente de cœmiterio Fratrum ante altare virginis glorioſæ, ubi pater ſanctus crebro orare conſueverat, ſine omni corruptione & fœtore tumulavit, anno Chriſti MCCLXXX. ipſo die Godehardi Epiſcopi.

Conradus ſecundus nomine, triceſimus ſextus Epiſcopus, ex Nobilibus Saxoniæ de Wereberge. Temporibus iſtius caſtrum Comitis de Hoja Hoje / anno Domini MCCXCV. conſtructum eſt. Item Dominus Harbertus de Mandeslo | Decanus Eccleſiæ majoris, in jure canonico Licentiatus ordinem Prædicatorum Mindæ intravit. In quo officium Prioratus annis XV. laudabiliter & religioſe tenuiſſe, repertum eſt. Obiit ante dictus Præſul Conradus quartus Kalend. Julii in die beatorum Marcellini & Petri anno Domini MCCXCV.

Ludolphus 37. Epiſcopus de Roſtorpe / natione Saxo. Iſte caſtrum Steigerberge anno Domini MCCCIV. ædificavit & Dominum Simonem de Lippia, militem in armis ſtrenuum & bellicoſum, & Gerhardum Advocatum de Monte, Deo & civibus ſuis cooperantibus, in bello juxta ſylvam dictam de Santuort anno Domini MCCCI. in vigilia aſſumtionis Mariæ virginis viriliter devicit. Unde in iſtius victoriæ memoriam proceſſio extra civitatem à perſonis devotis omni anno in vigilia prædicta fieri conſuevit. Sub eo etiam capitulum ſecundum Fratrum Prædicatorum in Minda celebratum eſt, Anno Domini MCCCVII.

Sorores ordinis Prædicatorum de Lothen in Lemego / in non modicum Mindenſis Eccleſiæ detrimentum, ſe tranſtulerunt, ubi in majori pace ſecuriusque pacis auctori Deo famulari cupientes Monaſterium ibidem anno MCCCVI. ædificare cœperunt.

Item

Digitized by Google

Item ſuburbium S. Simeonis in Minda in die S. Hippolyti ex integro per incendium deletum eſt. Obiit autem prædictus Ludolphus Epiſcopus anno Chriſti MCCCXIV. in die S. Albani martyris.

Otto (al. Gotfridus) Comes de Waldegge/ triceſimus octavus Epiſcopus. Iſte caſtrum Petershagen ſecundo Epiſcopatus ſui anno, hoc eſt, an. Domini MCCCXV. in die S. Walburgis, erexit. Sub hoc platea piſtorum Mindæ totaliter periit. Iſte præparamentum pulcrum cum cappa ejusdem coloris Eccleſiæ ſuæ comparavit. Per idem tempus Otto de Nienhuß de conventu Mindenſi recedens, nomenque ſuum mutans, Wilhelmum de Boldensleve ſe nominavit: ex parte enim matris, quæ erat de genere illorum de Boldensleve nobilis erat. Acceſſit ad curiam Romanam, & abſolutione pro apoſtaſia accepta, ad terram ſanctam perrexit, quam ad inſtantiam unius Cardinalium gratioſe ſic legenti poſt deſcripſit. Hic poſtea in ſui reverſione ad ordinem redire diſponens Coloniæ, apud Fratres Prædicatores defunctus eſt. Obiit autem præſul prædictus altera die S. Servatii Epiſcopi anno Domini MCCCXXIV.

Lodewicus filius Ducis de Lüneborg triceſimus nonus Epiſcopus. Iſte ob reverentiam beati Petri caſulam pulcerrimam lapidibus precioſis & margaritis ornatam, cum mitra Pontificali valde precioſa, quæ mater ſua ſibi cum Pontifex eſſet, obtulerat, Eccleſiæ ſuæ reliquit.

Temporibus iſtis caſtrum Nienhuß à Comitibus de Hoja ipſo die Sixti Papæ anno Chriſti MCCCXLVI. captum eſt & deſtructum.

Eodem anno ipſo die decollationis S. Johannis Baptiſtæ caſtrum Schlöttelborg ædificatum eſt. Item aquæ Weſeræ in tantum excreverunt, quod civitatem Mindam intrantes per majorem Eccleſiam ad forum usque pervenerunt, & oſtium portæ civitatis quatuor vel quinque pedibus ad minus ſuperius totum impleverunt & ſuper illum altum pontem, quem funditus deſtruxerunt, elevatæ ſunt anno Domini MCCCXLII. in die beatæ Mariæ Magdalenæ parum ante vel poſt. unde hi ſunt verſus:

Poſt M. poſt tria C. poſt quatuor Xque duoque
Weſera per Mindam tumuit multamque per undam.

Sedit autem dictus Antiſtes annis XXII. menſem unum, dies quatuor: ſepultusque in Monaſterio Monialium Walsrode/ anno Chriſti MCCCXLV.

Item Monaſterium in Egeſtorpe ſub regula S. Auguſtini conſtructum & fundatum eſt. Quod tempore ſuccedenti dictus Epiſcopus Lodewicus, qui ſuum totum officium, tam ordinationis, quam conſecrationis, per ſeipſum facere conſuevit in honore virginis Mariæ conſecravit. Intellexi etiam à fide dignis, quod ipſe idem Epiſcopus caſtrum Bokelo contra Comitem de Wünſtorpe/ quem vinctum cum filio ſuo Mindam adduxerat, cujus adjutores erant Duces de Lüneburg/ & inveterati æmuli, Eccleſiæ Mindenſis de Hoja Comites, ædificavit. Sed miles quidam de Mönnichhuſen ab Eccleſia Mindenſi prædictum caſtrum traditioſe alienavit, & nobili Comiti de Schowenborg tradidit.

Gerhardus primus nomine, Nobilis Comes de Schoumborg quadrageſimus Epiſcopus. Iſti à Papa Clemente VI. ſub annis Domini MCCCXLVII. de Epiſcopatu fuit proviſum. Hic caſtrum Raden anno MCCCLVIII. comparavit.

Sedit autem annis VI. menſibus tribus & totidem diebus: & in die Circumciſionis Domini obiit ſub annis MCCCLIII. cujus anima in ſancta requieſcat pace.

Theodoricus tertius nomine, quadrageſimus primus Epiſcopus de ordine Ciſtercienſium. Hic de ordine aſſumtus fuit Epiſcopus Ebronenſis, poſt Sleſuicenſis. Poſt hoc anno Domini MCCCLIII. Kalend. Martii Mindenſis fit Epiſcopus. Demum & ultimo in Archiepiſcopum Magdeburgenſem anno Domini MCCCLXI. aſſumtus eſt. Iſte vocabatur Theodoricus Kagelhyrt/ doctus & cognominatus vir, plebeii generis de Stendalia natus, Carolo Cæſari admodum commendatus.

Gerhardus ſecundus nomine, Nobilis Comes de Schoumborg quadrageſimus ſecundus Epiſcopus. Iſti Dominus Papa Innocentius Sextus ſub annis MCCCLXII. de Epiſcopatu 4. Idus Januarii providit. Iſte etiam oppidum Petershagen conſtruxit. Tempore iſtius Comes Adolphus de Marcka circa feſtum SS Petri & Pauli Apoſtolorum Mindam obſedit diem usq; in tertium. Tandem anno MCCCLXVI. cum nobili viro Domino Adolpho Comite de Schowenborg in magnam ſuæ Eccleſiæ deſolationem, ad terram ſanctam vadens, in mari diem clauſit extremum, in vigilia S. Michaelis. De cujus commendatione tales exſtant verſus:

Hic eſt Gerhardus de Schoumborg *nullibi tardus*
Qui cum proceſſit prudenter ſingula geſſit.
Clerum Mindenſem clavem bene rexit & enſem,
Oppida conſtruxit, detractaque caſtra reduxit,
In menſa Princeps, in militia fuit anceps.
Cur ſibi non pœna, ſed ſit Domini peto cœna.

Prædictus vero Comes Adolphus ulterius perrexit terram ſanctam verſus ſuam peragendo peregrinationem: ſed in reditu ad Principem usque Sclavorum devenit, qui prece devictus apud Principem Sclavorum moram aliquandiu traxit, & omnia tam benevolè gratanterque diſponens, ſic quod Princeps præfatus Comitem illum capitaneum ſuum contra infideles Chriſtiani nominis hoſtes effecit. Qui quamplurima contra eos committens dura bella tandem Domino volente ipſe Comes prædictus cum quam pluribus Nobilibus ac aliis fidelibus in acie belli occiſus eſt pro Dei fide, prope Famaguſtam civitatem Cypri in vigilia S. Eduardi confeſſoris. Quo peracto princeps prædictus hæſitans quod honoris, quod laudis, dignitatisq; tanto impenderet Comiti, veritate comperta, illum de partibus adfuiſſe Saxoniæ, & fratrem ſuum Mindenſem Epiſcopum in mari diem obiiſſe fecit Comitem ſæpedictum laniatim dividere & aſſare, & poſtea ſpeciebus aromaticis reponi ad tumbam pulcerrimam; & ad Eccleſiam translegare Mindenſem: ubi diem in hodiernum in pace quieſcit. Quod audientes fratres, & filii ſui Comites de Schowenborg/ præfata in Eccleſia unum fundarunt altare, quod ſanctæ nuncupatum Catharinæ, in memoriam præfati ſuorumque amicorum benigne dotarunt, ad quod Comites ſæpedicti in perpetuum ſunt, & erunt præſentatores. De hujus Comitis commendatione exſtant tales verſus:

Ter CCC. milleno ſexageno quoque deno,
Adolphus dictus Comes in Schomborg *benedictus,*
Octobris pleno ſurgente die duodeno,
Emiſit ſlatum Domino gratum atque beatum.

Otto de Wettin Nobilis quadrageſimus tertius Epiſcopus, quondam Wormatienſis Cantor, & Decanus Maguntinus. Hic per Carolum quartum promotus, Epiſcopatum promeruit Mindenſem. Poſtquam vero Mindam in vigilia corporis Chriſti pro Epiſcopo introductus fuerat, modico tempore ſcilicet usque ad feſtum S. Alexii confeſſoris ſupervixit, & hora quaſi decima poſt ſolis occaſum diem clauſit extremum, ſepultusqve in choro Fratrum Prædicatorum à Canonicis ſuis lacrymis cum multis. verſus,

Præſul famoſus venerabilis & generoſus
Sedis præſentis his conditur in monumentis:
Cujus cognomen de Wettin *Ottoque nomen.*
Mille trecent L. & X. octavo mortis eum lex
Interimens ſtravit Alexius hunc & humavit.

Poſt vero dicti Ottonis Epiſcopi cives Mindenſes duo caſtra uno & eodem anno videlicet Vlote & Varenholte vi armorum cœperunt, & pro parte igni tradiderunt.

Item

Item anno MCCCLXVIII. oppidum Lübbecke à Domicello Simone de Lippia ſpoliatum, & incendio traditum eſt, ipſo die Magni. Anno vero ſequenti reverendus pater Johannes de Barckhuſen domus Mindenſis, migravit ad Dominum ſepultuſque eſt in Brugis. Anno autem Domini MCCCLXX. in die Margarethæ virginis Pater & Frater Johannes Loe viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, ſepultuſque in Tremonia ante portam conventus ibidem. Eodem quoque anno recolendæ memoriæ Frater Henricus de Hervordia poſt labores, quos in ſtudendo dictandoque deſudaverat anno Domini MCCCLXX. ipſo die beati Dionyſii migravit ad Dominum, ſepultuſque ante oſtium chori ambitum verſus. Deinde an. Domini MCCCLXXVII. de voluntate ac mandato Caroli Bohemi, Romanor. Imperatoris exhumatus, & ante altare majus penes candelabrum Stannerum denuo ſepultus eſt, cujus anima requieſcat in pace.

Wedekindus ſecundus nomine Nobilis de Monte, quadrageſimus quartus Epiſcopus. Iſte anno Domini MCCCLXIX. VII. die menſis Octobris Mindam fuit introductus, & pro Epiſcopo receptus. Tempore iſtius ſcilicet an. MCCCLXXII. circa aſcenſionem Domini platea piſtorum à porta Weſeræ, uſque ad vicum Hellingeſtrate cum omnibus fere ædificiis circa Eccleſiam S. Johannis Evangeliſtæ per incendium deſtructa fuit.

Item eodem anno beatus Felicianus Fulginenſis Epiſcopus & martyr, cujus corpus in Mindenſi Eccleſia requieſcit, diverſis miraculis coruſcare cœpit. Et ideo prædictus Pontifex feſtum ejus per totam diœceſin Mindenſem ſolemniter celebrari inſtituit.

Item anno Domini MCCCLXXVII, ipſo die Scholaſticæ virginis fuit magna Weſeræ inundatio, & tanta, quod ad medium fori aquæ uſque pervenerunt. Item temporibus iſtius celebratum eſt quartum capitulum Fratrum de ordine Prædicatorum in feſto S. Michaelis Archangeli, cui venerabilis beatæ memoriæ Pater & Frater Johannes de Ovenſtede tunc prædicti Monaſterii Prior præfuit: qui ipſo die S. Remigii Epiſcopi anno MCCCLXXIII. de hac mundi miſeria beneficio mortis mediante ereptus eſt. Hic cum de Lemego, ubi obierat, in curru fuiſſet adductus, tanta populi multitudo convenerat, quod in civitate Mindenſi in morte cujuſcunque nullus meminerat ſe ſimile vidiſſe, unde ſicut eo vivente ad audiendum Dei verbum, ſicut egregius prædicator fuerat, multos convocaverat & attraxerat, ſic pariformiter Dominus in morte multorum præſentia non ſine gemitu & lacrymis multorum honorare dignatus eſt. unde quidam de eo tale Epitaphium cecinit:

Quid tibi conſcribo lector cogitare nequibo:
Notus eras patriæ, mi pater egregie.
Tullius ab ore, Cato mente, Pariſque decore,
Pythagoras vita gemina virtute polita,
Quid tibi natura poterat ſuperaddere plura
Siſte pater ſiſte, quis ſis lapis exprimit iſte.

Sepultus eſt ante oſtium Capitolii feliciter in Domino quieſcens.

Anno iſtius Wedekindi X. qui eſt annus Domini, MCCCLXXVII. XV. die Novembris Imperator Carolus IV. Mindam intravit, ubi in conventu Prædicatorum diem uſque in tertium moram traxit. Et eodem anno Imperatrix eum ſecuta, hora eadem, qua Imperator intravit in vigilia B. Pauli primi Eremitæ pervenit.

Anno vero Domini MCCCLXXIX. in craſtino S. Urbani Papæ tanta tempeſtas ex grandinibus ad quantitatem ovorum, magnorum tonitruorum & pluviarum in Minda eſt exorta, quæ & ſegetes & vineas & arbores multas deſtruxit, tam horribiliter, quod nullus viventium recordatus ſit ſe ſimile vidiſſe. Videbatur etiam peregrinis de Aquiſgrano venientibus in monte Wedegonis, quod quidam globus igneus immenſus & nubes etiam terribiles, & denſiſſimæ ſupra civitatem ſic apparuerunt, quod timebant dictæ civitatis ruinam imminere.

M. trecento cum nono ſeptuageno
Quæ ſata donat ei grandinat ira Dei.

Digitized by Google

Mindæ diſtrictus conterrent fulminis ictus,
Penteque profeſto quinta feria memor eſto.

Item anno Domini MCCCLXXIII. ipſo die beati Jacobi Apoſtoli Nobilis Dominus Otto Holſatiæ & Schowenborg Comes, Ducem de Lüneborg Magnum nomine, Deo favente, in conflictu prope Ecker devicit & occidit. Juravit autem Dux prædictus, ſe velle ſuo cum exercitu in Cometia Schowenburgenſi pernoctare: antequam ergo pernoctavit, prædictus Comes eum occidit. Unde veritate comperta de juramento facto, Comes ſæpe dictus Ducem mortuum vehi fecit ad Eccleſiam Parochialem Divi Jacobi in villa Grove / ut ſcilicet ibi ſecundum ſuum juramentum pernoctaret. Mane autem facto ſolemnes ibi fecit peragere exequias, ſicut tanto decuit Principi. Quibus finitis prænominatum Ducem mittit in Ducatum ſuum. De cujus Comitis commendatione cecinit quidam dicens:

Virgula virtutis ortum trahis ex Gedeone
Moribus aſtutis cape carnem cum ratione.

Item anno Domini MCCCLXXXVIII. altera die poſt corporis Chriſti, fuit prælium ſive conflictus prope Winſen: & Dux Brunſuicenſis & Lunæburgenſis prælium obtinuit & victoriam acquiſivit.

Otto tertius nomine, Nobilis de Monte, præfati Wedekindi germanus, quadrageſimus quintus Epiſcopus Mindenſis. Iſte Dominium Montis Eccleſiæ Mindenſi perpetuo poſſidendum reſignavit. Qui obiit ſub annis Domini MCCCXCVII. ipſo die circumciſionis ſepultuſque eſt in choro Eccleſiæ Mindenſis, De cujus commendatione exſtant tales verſus:

Hic jacet electus Otto præſul modo tectus,
Qui meritis magnus fuit & manſuetus ut agnus.
Hic duo caſtra dedit ſedi quo tempore ſedit,
Et ſibi diſtrictum Montis genitore relictum
Pro quo Chriſtus ei tribuat ſedem requiei.

Wilkinus qui & Wilhelmus quadrageſimus ſextus Epiſcopus Mindenſis ex militaribus de Bucken tempus & tempora dimidium temporis ſedens.

Marquardus de Randegge / quadrageſimus ſeptimus Epiſcopus; fit Conſtantienſis Antiſtes.

Otto de Rethberge Comes, quadrageſimus octavus Epiſcopus. Iſte ex curiæ proviſione non poſtulatus Epiſcopatui præficitur, ſedit annos tres.

Wulbrandus Comes de Hallermundt / quadrageſimus nonus Epiſcopus. Hic fuit antea Abbas in Corbeja, & de Abbate electus eſt in Epiſcopum Mindenſem: Qui commendabilia non modica apud prædictam fecit Eccleſiam. Nam Deo & beatis Petro & Gorgonio patronis ſuis coadjuvantibus caſtra Wedegenſtein de manibus Nobilis viri Simonis (al. Bernardi) de Lippia, & Reinenberg de manibus Nicolai Comitis de Teckenborg / & Raden de manibus Johannis Bock obſidendo viriliter armataque manu præliis cum multis expugnando devicit, & in priſtinum ſtatum reduxit, in corporis tamen ſui detrimentum, quia ex nimiis præliis cum præfatis conſtitutis, cicatrices permaximæ inſtar piſcis aſſati & in facie, & in aliis partibus corporis ſui ex vulneribus occalluerunt. Tandem poſt multa opera ejus commendabilia, Domino vocante, de hujus mundi miſeria ſublatus eſt ultimus nihilominus Comitum de Hallermundt exiſtens. Sepultus eſt in Eccleſia Mindenſi ante altare S. Petri in medio Eccleſiæ. De cujus commendatione tales exſtant verſus:

M C. quater, ter X. ſimul à Chriſto datur & ſex
Præſul Wulbrandus de Hallermundt venerandus
Eſt hic portatus dum Stephanus eſt lapidatus.
Ut Leo qui fremit pugnans tria caſtra redemit;
Vincens armatus multos hic eſt tumulatus.
O Deus in cœlis nunc gaudeat iſte fidelis.

Digitized by Google

Sedit autem annis XXX. & tribus menſibus percuſſus apoplexia.

Albertus Comes de Hoja quinquageſimus Epiſcopus Mindenſis. Hic electus fuit in filium adoptivum à dicto Wulbrando Epiſcopo, & ultra XX. annos fuit adminiſtrator Eccleſiæ Mindenſis. Cujus cauſſa hoc narratur: unus Curtiſanorum impetravit Eccleſiam in Idenſen/ quæ ſpectat ad collationem Epiſcopi Mindenſis. Is cum Mindam veniret cum executorialibus literis, prædictus Epiſcopus dictam Eccleſiam ſuo ſcriptori conferebat. Tandem præfatus Curtiſanus Minda exiens in Inſula, ubi Monachi ordinis S. Benedicti prope civitatem habitabant, à filio dicti Epiſcopi captus & detentus eſt, & in cippum caſtri Montis atrociſſime incluſus, poſt paſſiones injuriaſque multas ſibi illatas poſitus ad ſaccum & projectus in flumen Weſeram ſuffocatur, & ſpiritum Domino commendavit. Poſt aliquot vero dies, piſcatores ſaccum invenerunt, & ad Eccleſiam Mindenſem deportantes tulerunt: ubi ille Curtiſanus mortuus magno cum honore in ambitu ejuſdem Eccleſiæ ſepelitur. Et ſaccus per tres dies continuos in Eccleſia Mindenſi, in ſcandalum & opprobrium Wulbrandi Epiſcopi ſuſpenditur: ſic quod fama ad Dominum Papam devolvebatur, quod dictus Epiſcopus prænominatum Curtiſanum propter acceptationem Eccleſiæ ſuffocari feciſſet. Quapropter eum privare voluit, ſed Epiſcopus Wulbrandus de hujuſmodi facto cum VI. Epiſcopis ſe purgare non potuit: & propter tale enorme crimen ultra ſeptem mille florenos in ſuum detrimentum vergens neceſſitate compulſus Nobilem Albertum Comitem de Hoja in filium poſtulavit. Mortuo autem Wulbrando Epiſcopo, dicto Alberto de Epiſcopatu fuit proviſum.

Anno MCCCCXXXV. tempore Wulbrandi de Halremont Dominica Lætare in quadrageſima Monachi ordinis S. Benedicti de inſula Mindenſi, cum ſolenni proceſſione totius cleri civitatem Mindenſem, ſolenniter intraverunt, propter loci ſui indiſpoſitionem, hoſtium rabiem, & maxime propter nimiam, ut in præſentiarum cernitur, aquarum inundationem. Ornamenta enim & libri prædicti Monaſterii adhuc hodie oſtendunt, quanta ibidem ſuſtinuerint damna, & ſublati ſunt ad Eccleſiam S. Simeonis, quam Dominus Papa eis incorporavit, & monaſterium fecit. Cum ergo univerſus clerus Mindenſis obviam procedentes ſolenniter introducerent reliquias Sanctorum de Inſula, aliqui cives non dantes gloriam Deo ſubſannaverunt, & deriſerunt dicentes, ſatis habemus de oſſibus mortuorum in civitate noſtra. Quare Dominus Epiſcopus Myſſenenſis, pro tunc ſuffraganeus Mindenſis, publice prædicavit, quod Dominus Deus hoc peccatum & blaſphemiam hanc impunitam nolit. Unde accidit eadem anno ſequenti die Marci Evangeliſtæ, quod Mindenſes miſerabiliter in prœlio proſtrati ſunt, & trecenti ac quadraginta captivi ducti ſunt ante faciem inimicorum, quaſi oves non habentes paſtorem.

Tempore hujus, Anno ſcilicet Domini MCCCCXXXIX. à feſto Johannis ante portam Latinam uſquè nativitatis Domini viguit peſtilentia Mindæ tam fortiter, ut uno die nunc XII. nunc XX. nunc vero XXX. homines in uno ponerentur ſepulcro.

Tempore iſtius Dux Wilhelmus ſenior Brunſuicenſis ac Lunæburgenſis inimicitias contra Ottonem Comitem de Schowenborg exercuit: Sic quod Dux prædictus Cometiam Schowenburgenſem per ignem & ſpolium devaſtavit. Et Comes prædictus de Hogenborde &c. per ignem devaſtavit. anno MCCCCLI.

Obiit isdem Epiſcopus Anno MCCCCLXXIV. ſequenti nocte Marci Evangeliſtæ, qui lunæ fuit in octava Paſchæ extiterunt magna fulgura. Altera die, ſcilicet feria tertia, fuit a Vaſallis & militaribus deductus ad civitatem, & ab univerſo clero ſolenniter ſuſceptus ante portam B. Mariæ virginis, & cum proceſſione & cantu ad Eccleſiam majorem deductus & tumulatus. Altera die poſt Vitalis Martyris celebrabantur ejus exequiæ ſolenniter à ſuffraganeo & univerſo clero, præſente ibidem illuſtriſſimo principe Friderico Duce Brunſ. & multis aliis magnatibus & militaribus.

Eodem anno Cardinalis de Cuſa presbyter fuit hic in partibus Alemaniæ cum indulgentiis Apoſtolicis, & in Eccleſia Mindenſi Miſſam cantavit, prædicavit, & clauſtrum reformavit.

Anno Domini MCCCCLXIIX. Nobilis Erneſtus Holſatiæ & Schowenborg Comes

Comes in oppido Pattenſen electus fuit in Epiſcopum Hildenſemenſem, & in opido Sarſtede primo fuit receptus.

Prædictus autem Albertus pacificus fuit: ſed pacem cum ſuis vicinis non potuit habere. Ille namque contra Statuta jurata in caſtrum Montis Ducem Friedericum Brunſuicenſem ſuſcipiens inimicitias quam maximas cum Comitibus Schowenburgenſibus & Nobili Bernhardo de Lippia, & reverendo Patre Simone de Lippia Epiſcopo Paderbornenſi, & Johanne Comite de Rethberge ultra X. annos exercuit in magnum detrimentum prædictorum & ſuæ Eccleſiæ. Nam anno Domini MCCCCLXIX. in vigilia Jacobi Adolphus, & Ericus Comites Schowenburgenſes, una cum fratre ſuo Erneſto tunc Epiſcopo Hildenſemenſi, & Bernhardo de Lippia, & fratre ſuo Simone de Lippia Epiſcopo Paderbornenſe, & Domino Johanne Comite de Rethberge Mindam ad quatuor dies obſederunt, & omnia blada & ſegetes deſtruxerunt. Eodem anno à Nobili Bernhardo de Lippia, & Hervordienſibus captum fuit caſtrum Blenborg/ ipſo die decollationis S. Johannis Baptiſtæ. Eodem anno per ſæpedictos Comites & ſuos captum fuit caſtrum Depenow in Cometia de Hoja & per ignem totaliter deletum & deſtructum.

Anno Domini MCCCCLXX. præfati Comites de Schowenborg cum ſuis amicis in Ducatu Brunſuicenſi ultra XIV. dies pompoſe contra voluntatem omnium, tam Ducum, quam Epiſcopi & aliorum jacuerunt, & diem noctemque in monte Linden prope Hannover permanſerunt, armataque manu Eldageſen in prædicto Ducatu ceperunt & expugnarunt.

Anno Domini MCCCCLXX. Nobilis Adolphus Holſatiæ & Schowenborg Comes prope villam Goltern captivos duxit XX. militares, & CCC. civiles & ruſticanos homines de Ducatu Brunſuicenſi Rodenberge ſecum apportando, qui per magnam florenorum ſummam prædictis Comitibus dederunt: Sic quod tandem anno Domini MCCCCLXXI. guerræ inimicitiæque, quas noſter Epiſcopus Albertus Mindenſis, & Dux Friedericus Brunſuicenſis una cum Comitibus de Schowenborg & ſui habuerant, totaliter annullatæ: imo præfati tunc temporis peroptime erant contenti ac compoſiti. Prædictus vero Albertus Epiſcopus fuit vultu decorus, bene doctus, horarum Canonicarum egregius lector. Sedit ultra annos XXX. & anno MCCCCLXXIII. in nocte beati Marci Evangeliſtæ circa mediam noctem vel quaſi in caſtro Petershagen diem clauſit extremum, ſepultusque in Eccleſia Mindenſi. De cujus commendatione tales exſtant verſus:

Anno milleno quadringento ſeptuageno
Terno, quando pia major canitur Letania
Præſul Mindenſis reverendus Comes Hojenſis
Nobilis Albertus eſt hoc tumulo coopertus,
O Petre Gorgoni vos inſignesque Patroni
Hunc commendate Chriſtoque reconciliate.

Henricus tertius nomine, Nobilis Comes de Schowenborg/ quinquageſimus primus Epiſcopus. Iſte concorditer poſt mortem Alberti Epiſcopi qui patrimus fuit prædicti Henrici de Schowenborg à toto capitulo Eccleſiæ Mindenſis eſt electus in Epiſcopum, penultima Julii, anno MCCCCLXXIII. ac à Domino Papa confirmatus. Ac eodem anno in Monaſterio Canonicorum regularium S. Dionyſii in Möllenbecke in Epiſcopum coronatus eſt. Hic Henricus Epiſcopus antea fuit præpoſitus Eccleſiæ Montis S. Mauritii Hildenſemenſis & omnibus diebus vitæ ſuæ Præpoſituram ſibi fecit incorporari.

Anno MCCCCLXXIII. obiit Nobilis Dominus Adolphus Holſatiæ & Schowenborg Comes, Dominica poſt aſcenſionem Domini. Qui in extremis præfatum Henricum Epiſcopum fratrem ſuum cordintime ardenterque rogavit ac petiit, ut Monaſterium B. virginis in Overenkercken vita ſub regulari reformare vellet. Qui petitis annuens favensque circa feſtum XI. millium virginum, eodem anno prædictum Monaſterium reformavit vita ſub regulari ac ſub clauſura permanere mandavit.

Anno

Anno Domini MCCCCLXXIV. illuſtris Princeps Carolus Burgundiæ, Hollandiæ & Brabantiæ Dux oppidum Nüſſe in archiepiſcopatu Colonienſi juxta Rhenum ſitum, in quo corpus S. Quirini quieſcit, temporib. Archiepiſcopi Colonienſis Roberti de Beiern ſua inſtigatione quaſi ad unum obſedit annum turres muroſque ejus viriliter impugnando: Sic quod incolæ oppidi præfati una cum illuſtri Principe Hermanno Lantgravio de Haſſia, ac aliis Nobilibus Principibus & militaribus, qui intra ſepta oppidi ſe emanciparant, penuria tanta adveniente proprios equos coacti ſint comedere. In tantam denique anguſtiam devenientes, quod compulſi illuſtriſſimum Principem Rom. Imperat. Friedericum III. in ſui adjutorium convocarunt. Ille vero omnibus regni Principibus Dominiſque fidelibus mandans oportunum fore oppidum prætactum de manibus truculentiſſimi tyranni eripiendum. Mandatis vero perceptis omnibus in factis Imperatori obedientes innumerabili equorum comitatu usque Nüſſe pervenientibus præludiis guerralibus hinc inde partibus ex ambabus ceſſantibus, tandem, ut pie creditur precibus S. Quirini Dux Carolus præfatus, non minimo ſine ſcandalo, abſceſſit toto ſuo cum exercitu, & demum in bello prope Nanſis merito ſuæ perſecutionis tyrannicæ, quæ neque ſexui neque ordini, neque pueris pepercit, dum oppidum Leodium pulcerrimum funditus deſtruxit, quos ibidem reperit omnes vivos ante influvium Moſan projici juſſit, miſerabiliter corruit, ſepultuſque in miſeria ibidem apud inimicos: Iſto facto Imperator præfatus Principibus Dominis, fidelibuſque regni quam maximas referens gratiarum actiones in pace abire ad propria permiſit. Poſtea præfatus Imperator attendens, quam viriliter illi de Nüſſe dimicarunt contra Ducem Burgundiæ, animoſitatem illorum coronare volens, eos libertavit, & hujus in ſignum dedit eis monetam, quam antea non habuerant, ſignum & imaginem Imperatoriæ majeſtatis in foro ibidem optime deauratam erigendo. Prætactus etiam Imperator facultatem dans civitati Colonienſi florenos de novo (*fort.* auro) conficiendos, quam nunquam ante habuerant, in pace receſſit.

Anno vero elapſo illuſtris Princeps Henricus Haſſiæ Lantgravius, reverendiſs. Dominum Robertum ſanctæ Eccleſiæ Colonienſis Archiepiſcopum minus juſte captivum duxit, in qua captivitate tamen diem extremum clauſit, ſepultuſque eſt in miſeria. Illo ſepulto illuſtris Princeps Hermannus de Haſſia, prædicti Henrici filius, de quo ſupra dictum eſt, in Archiepiſcopum, ut promeruit, Colonienſem Nüſſe electus eſt. Et quia Dominus dicit per os David: *Nolite tangere Chriſtos meos, & Prophetis meis nolite malignari*, ex quo præfatus Henricus Lantgravius violentas in Archiepiſcopum manus injecerat, excommunicationis ſententiam, in quam incurrerat, non curans, leproſus effectus eſt omnibus diebus vitæ ſuæ, in qua quidem lepra miſerabiliter vitam finivit.

ADDITIONES.

Henricus Comes de Schoumborg *51. Epiſcopus. Hic prius Præpoſitus fuit montis ſancti Mauritii Hildesheimenſis Johannis ante portam Latinam à Capitulo electus. Anno Domini MCCCCLXXIV. contra hunc aſcendit curiam Romanam, pro Epiſcopatu filius Gerhardi de* Oldenborg *à Domino Alberto Epiſcopo Mindenſi in filium adoptatus ſine conſenſu Capituli. Ideo non prævaluit. Obiit a. præfatus Henricus Anno Domini M.D. octavo.*

Franciſcus 52. Epiſcopus, Dux exiſtens de Brunſwick. *Hic unanimiter ab univerſo capitulo electus, eodem videlicet die, quo prædeceſſor illius eſt ſepulturæ traditus, ſed aliquibus diebus interjectis cum ſolenni proceſſione ab omni Clero per Duces Brunſuicenſes per portam Weſeræ eſt introductus, ac ſuper ſummum altare majoris Eccleſiæ, ut moris eſt, ſolenniter eſt collocatus cantante Clero,* Te Deum laudamus, *omnibus campanis totius civitatis ſonantibus.*

Iſte Franciſcus fuit Neronis confrater ſermone & actu. Nam quod quisq; excogitare poterat, ipſe ſummopere explevit libidine, miſerabiliter vita functus eſt, in monaſterio Riddageshuſen *ſepultus.*

Franciſcus de Woldegk 53 *Epiſcopus Mindenſis. Hic tres Epiſcopatus obtinens, videlicet Monaſterienſem, Oſnabruggenſem & Mindenſem, in prima electione ſe erga omnes veluti agnum manſuetum præbuit, poſtea turbidus vaſtator civium Mindenſium. Inſuper magnam controverſiam, paludem ſcilicet* das Ritterbrugh / *& circa villam* Damkeiſten / *civitati præſtitit. Tandem phalanx civium Mindenſium à civitate prorumpentes ad paludem* Ritterbrugh *ſeſe applicuerunt, & ultra duodecim, ex Paraſitis Epiſcopi cœperunt, & captivos ad civitatem devinxerunt cum equitibus & armis, tropheum magnum vendicantes civitati. Quod quidem Epiſcopo adprimę diſplicuit; omne malum, quod excogitare poterat, civitati propinavit Anno 1535.*

Idem Epiſcopus civitatem Monaſterienſem devaſtavit, horribili nece autores nefandos hæreticæ pravitatis mulctavit. Johan von Leyden / Bregen & Knipperdölling / *latitantes illic, vivos per totam civitatem tractos, ignitis caminis, carnes ipſorum corrodens, quousque vitam exhalarent. Denique in ſpartis ferreis appendere juſsit è turribus Lamberti Epiſcopi, poſteris in memoriam, qui rebaptizare anhelant.*

Anno 1541. idem Epiſcopus una cum civitate Mindenſi pacem & concordiam, opitulante Deo, unanimes vivere. Inſuper civitas Mindenſis cum Epiſcopo quandam partem de Ridderbrocke *propter pacis tranquillitatem poſſidendam ultro dedit in ævum.*

Anno 1542. circa feſtum Aſſumtionis Philippus Lantgravius Heſsiæ, & Johannes Fridericus Elector, una cum opitulatione civitatem Brunſuigæ & Goſslar / *Henricum Ducem Brunſuicenſem ex Ducatu penitus expulerunt, caſtrum* Wolffenbüttel *in tribus diebus hoſtili manu ceperunt.*

Digitized by Google

M. JVSTINI LIPPIENSIS,
LIPPIFLORIVM
SIVE
POEMA DE PRIMORDIIS
Comitatus Lippienſis, & rebus
geſtis aliquot Comitum Lip-
pienſium.

primum luci datum

Ab

HENRICO MEIBOMIO.

Digitized by Google

HENRICUS MEIBOMIUS Junior

LECTORI S.

M. JUSTINUS, Lippiâ, urbe Weſtfaliæ, oriundus Hiſtoriam Comitum Lippienſium à Bernhardo II. ad Bernhardum III. & Simonem, Epiſcopum ſimul Paderbornenſem, Latino Carmine deſcripſit: cujus Simonis eum alumnum fuiſſe, & non tantum in ſcholis ad litteras liberalesq; artes, & Theologiam diſcendam altum, ſed etiam ad Eccleſiaſticum deinde munus promotum à benefico Principe fuiſſe, notat *Joh. Piederitius in Chronico Lippienſi* p. 487. Gratum igitur etiam Patrono ſuo ſe præſtitit, & Majorum ejus, Comitum Lippienſium, gloriam augere voluit. Scripſit id carmen circa annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum, verſum autem eſt Saxonica lingua A. 1487. ut habet *Piederitius.* part. 2. p. 290. & multa ex eo adducit, quamvis illam Verſionem editam eſſe neſciam, facileque ea carere poſſimus, niſi forte ſimplicitatem & ruditatem ævi inde æſtimare velimus. Floruit autem eodem tempore *Juſtinus*, Monachus Dominicanus, cui *in Synodo XXII. Generali Bononiæ ſub Johanne Teutonico acta A. MCCXLII. demandata fuit provincia Divi Dominici vitam deſcribendi*, ut notat *Leander Albertus* L. IV. de Viris Illuſtr. Ord. Præd. quem cum, tanquam alium à M. *Juſtino* Lippienſi, inter Hiſtoricos Latinos collocaſſet *Joh. Gerh. Voſſius* part. 4. c. 7. *Chriſtophorus Sandius* in Notis ſuis eruditiores diſquirere jubet, ſintne iidẽ, an diverſi.

Digitized by Google

Mihi tamen ex ſolo nomine, & ætate coincidente, deficientibus aliis indiciis omnibus, iidem eſſe non videntur. Eſt autem Carmen illud *Juſtini*, ſi eo ævo, & in VVeſtfalia, ſcriptum eſſe cogites, ſatis elegans, ideoque lubet Avi mei Elegiam in laudem *Juſtini* & *Vrbis Lippiæ*, ad *Bernardum Widenbruggium*, Lippienſem, hic apponere.

SEcula quæ veterum miſerè inceſtavit avorum
Barbaries, noſtrûm quem lutulenta fugit?
Illa artes linguasque procax fœdavit iniquè,
Omnia ut horruerint ſquallida, ſorde, ſitu.
Scripta fidem faciunt nata infelicibus annis,
Ætatis teſtes & documenta ſuæ.
Et tamen illi ævo potuit proferre Poetam
Lippia, vicino urbs nomen ab amne trahens.
Juſtinum dico, Batavi qui ſceptra Gvilelmi,
Et Friſio illatam vidit ab hoſte necem.
Extat adhuc artis plenum ingeniique poëma,
Quod vates docta condidit ille manu.
Materiam quæris? patriæ primordia dicit.
Quosque habuit, meritis laudibus ornat heros.
Salve Urbs, eximii genetrix præclara Poëtæ,
Ultima pars famæ non erit illa tuæ.
Mille Bohemorum muris repuliſſe cohortes,
Præſulis atque Ubii parvi habuiſſe manus,
Lippiacis ſervaſſe fidem & ſua jura Dynaſtis,
Unde tibi æternum nomen in hiſtoria,
Ut magnum fuerit: ſidus genuiſſe, quod ætas
Miretur meritò poſtera, majus erit.
Fallor? an hinc Urbi genius, fatumque remanſit,
Doctrina illuſtres gignere poſſe viros?
Quales præteritis haud paucos vidimus annis,
Quorum ſcripta manu Muſicus ordo terit.
Nec deſunt hodie veſtigia trita legentes,
Ut patriæ poſſint continuare decus.
Ite animis alacres, & magno quærite niſu,
Perdere quod fruſtra flamma fretumque velit.

M. IVSTINI LIPPIENSIS,
LIPPIFLORIUM.

SUmmus Ariſtotelis utinam mihi ſenſus adeſſet:
Eſſet Virgilii dulce poëma mihi:
Oreque facundo me Tullius ipſe bearet,
Plenaque Muſarum fonte labella forent:
Tunc vellem verſus per mille polire colores,
Metraque grandiloquo magnificare ſtylo,
Quæ tibi congruerent, Præſul venerande, vocate
Simon: Apoſtolico nomine digne pater.
Metra tamen fingo vix congrua præſule tanto,
Sed tamen in titulos qualiacunque tuos.
Affectum cordis, non metri pende valorem,
Tutaque præſidio ſit mea Muſa tuo.
Creverat Eccleſia mater ſub Simone Petro:
Tu caput Eccleſiæ firmaque Petra tuæ.
Te bene cum Petro communio nominis æquat:
Petrus Petra fuit, tu quaſi Petra riges.
Tu lapis indocilis frangi, ferroque rebellis
Deſpicis hoſtiles corde rigente minas.
Tu tutela tuis: tu mitis mitibus: hoſtis
Hoſtibus, eloquii manat ab ore favus.
Largus, honeſtus, amans, tenues, magnos, genus, auges,
Suſcipis, amplificas, rebus, honore, fide.
Nobilis, ingenuus, dominos, ſervos, veneraris
Non ſpernis: ſcis jus reddere cuique ſuum,
Tu cum jucundis jucundus ludicra tractas,
Seria cum canis, tempore quæque ſuo.
Cum doctis ſapis, & cum ſtultis deſipis, abſque
Crimine, ſic mores ſcis variare tuos.
Tu ſcis allicere rigidos dulcedine linguæ:
Felle favum miſces, quando decere vides,
Mellea verba geris precibus dum flectere quæris,
Vis terrere minis fellea dicta feris.
Multiplici virtute viges, quam nobilis ortus
Indidit, ingenuis es generatus avis.
Inter quos avus ille tuus Bernhardus origo
Sanguinis egregii, nobilitatis apex.
In quo præ reliquis pietas divina refulſit:
Quot meritis viguit edere lingua nequit.

De

Digitized by Google

De cujus geſtis licet haud plene mihi notis,
Quantum fama docet, ſcribere pauca libet.
Nobilis iſte puer, quem progenuere parentes
Moribus inſignes nobilitate pares:
Quorum nobilitas major, quam copia rerum:
Sed fuit ex proprio victus honeſtus eis.
Ponitur ad ſtudium puer in puerilibus annis,
Ne mens ad libitum ſit vaga lege carens.
Non ut Grammaticæ ſolum doceatur in arte,
Quin etiam ſtudeat moribus ipſe bonis.
Creſcunt in puero mores creſcentibus annis,
Et mens in tenero corpore cana patet.
Ergo tam famæ cauſa, quam ſanguinis alti
Hildeſienſis eum colligit Eccleſia.
In qua Canonicus, & amabilis omnibus extat
Culmine majori magnificandus ibi.
Fatales vetuere Deæ. Divina voluntas
Omnia permutat, ordinat, implet, agit.
Nam frater major ætate patriſque futurus
Heres exſolvens debita carnis obit:
Ne vacet herede res patria, provida natum
Detrahit à clero ſollicitudo patris.
Induitur cultu Laicali, tranſit ad uſum
Armorum, ſervus portat herile jugum.
Vult ſervire libens, non ſpernit ferre laborem:
Promptus ad obſequium non piger eſſe ſtudet.
Quem non compellit ſervire penuria rerum,
Indita ſed virtus, laus, populique favor.
Servit, abinde volens dominari, ſervit, abinde
Sit major, minor eſt celſior eſſe volens.
Tempore ſervili totus deſudat in armis,
Bellandique cliens viſitat omne genus.
Pectore quem rigidum, re largum, famine blandum
Miles, plebs, clerus, laudat, honorat, amat.
Talibus ille modis aliquot dum vixerat annis,
Tandem militiæ cingitur enſe latus.

Feſta dies agitur, coeunt cum plebe Quirites
Fitque modis variis ludus equeſtris ibi.
Confligunt clypei clypeis, & caſſide caſſis
Tunditur, haſtarum fragmina mille volant.
Inflatur buxus, quatiuntur tympana, clangit
Tibia, ſcurrarum mobile vulgus adeſt.
Hic Tyro phaleratus equo radiantibus armis
Evolat, hic citius nulla ſagitta volat.
Haſta manum, fulgens auro clypeus latus ornat,
Caſſis & electro vermiculata caput.
Flectit equum frenis, haſtas truncare laborat
Miles, in oppoſitum qui velit ire, tepet.
Omnia laſſantur crebris impulſibus, horrent
Sic indefeſſum viribus eſſe virum.
Quando finis adeſt, equites ſua tecta reviſunt
Cum plauſu, turba concomitante vaga.
Corpora diſcingunt armis, ferrugine ſqualens
Nuda patet facies horrida ſorde fluens.
Membraque mundificant, terſo ſudore, repauſant,
Et modico vino vim reparare parant.

Mox

Mox ad Tyronis concurrunt tecta vocati:
Vix adventantes côncipit ampla domus.
Tunc melior ſtratis diſcumbit turba tapetis,
Cum clero miles ordine quisque ſuo.
Concio communis terra pro ſede potitur:
Cui locus hic pateat, lætior ille manet.
Inſtruitur menſa, ſua dona Ceres, ſua Bacchus
Largitur larga, non trepidante manu.
Turba miniſtra dapes urbano more miniſtrat:
Fercula mille modis diſpariata placent.
Hic piper atque crocus, hic gingiber atque galanga
Adſunt, & faciunt arte placere cibos
His condimentis odor & ſapor & color addunt
Delitias epulis ſedulitate coci.
His tribus objectis tres ſenſus deliciantur
Olfactus, viſus, guſtus amore pari.
Olfactum delectat odor, viſum color, oris
Guſtum naturæ vi remanente ſapor.
Lumina ne fallat color aurea vaſa propinant,
Vina liquor nullus clarior eſſe poteſt.
Nulla cibi ſpecies vel potus deficit illic:
Luxuriat quod humus procreat, aer, aqua.
Facto fine cibis vaga turba recurrit ad artes
Quiſque ſuas, repetit inde placere volens.
Hic canit, auditum dulcedine vocis amicans,
Ille refert lyrico carmine geſta ducum.
Hic tangit digitis diſtinctas ordine Chordas:
Hic facit arte ſua dulce ſonare lyram.
Tibia dat varias per mille foramina voces,
Dant quoque terribilem tympana pulſa ſonum.
Hic ſalit, & vario motu ſua membra fatigat,
Se plicat & replicat, ſe replicando plicat.
Pro pedibus docet ire manus, pes ſurgit in altum,
Et caput ima petit, ecce chymera patet.
Hic profert varias Magica velut arte figuras,
Ac oculos fallit mobilitate manus.
Hic catulo vel equo populo ſpectacula præbet,
Quos jubet humanos geſticulare modos.
Hic forti gyro projectat in aera diſcum,
Quem lapſum recipit huncque remittit item.
Talibus ac aliis ludis feſtivus habetur
Iſte dies tranſit cum breviore mora.
Munera, quos ſanguis præfert eques atque ſatelles,
Larga manu larga dant, vaga turba capit.
Quo facto populi collectio ſcinditur, ædes
Diverſo repetit limite quiſque ſuas.
Nititur ad meritum tyro probitate, venuſtat
Militiæ nomen, dedecorare negat.
Ante bonus melior fit & optimus eſſe relegat
Dedecus, illicitum ſpernit, honeſta ſitit
Strenuus ante ſtudet plus ſtrenuus eſſe, tenere
Certa ſupremum ſtrenuitate gradum.
Fulgurat in bellis, ſteriles non ſumit in uſus
Enſem, qui fuſo ſæpe cruore madet.
Eſt invicta viri virtus, vi viribus obſtat;
Vi vincitque virum, vi vacuare ſtudet.

Can-

Digitized by Google

Candida fama viri toto crebeſcit in orbe :
  Hunc vocat, hunc optat nobilis atque potens.
Adſciſcunt comitem bellorum, præmia donant
  Æs veſtes & equos, prædia, prata, domos,
Sic auget, non diminuit res ipſe paternas,
  Providet & propriis cum ratione bonis.
Largitur danda, retinet retinenda, notatque
  De quibus & quando, ſcitque tenere modum.
Largus non parcus, neque prodigus eſſe laborat:
  Nam medium virtus inter utrumque tenet.
O quam multivago curſu rota volvitur orbis:
  Proſperitas neſcit continuare fidem.
Nulli fortuna eſt ita candida, quod nihil atri
  Incidat, eſt aliquis vix ſine nube dies.
Te mare tranquillum ne fallat, ſæpe tumeſcit.
  Ex facili vento mobilis unda maris.
Si ridet fortuna time, ne mœror acerbet
  Riſum, fel nectar, dira circuta favum.
Alea fortuna multos deludit in ipſa
  Ludentes, ab eis lucra recepta capit.
Si dives, potes eſſe miſer, ſi ſoſpes es, æger,
  Fortis es, infirmus, eſt ſtatus ille tuus.
Deficit & creſcit Lunæ variatur ad inſtar,
  Quæ modo plena nitet, nunc quaſi luce carens.
Turgeat ergo cave ne mens tua rebus opimis:
  Marceat adverſis: diſce tenere modum.
Humanam nequiens legem vitare ſuperbit
  Miles, & in rerum proſperitate tumet.
Excedit metam virtutis, omittit honeſtum,
  Dum ſufferre nequit nobilitate pares.
Hæc ſors eſt hominis, ſapientia, res, honor, inflant:
  Omnibus his raro faſtus abeſſe ſolet.
Carpitur invidia vicinia tota potentum,
  Sic exaltatum dum videt eſſe virum.
Livor edax animæ virus lethale, noverca
  Pacis, amicitiæ ſchiſma, ruina boni.
Ridet in adverſis, flet proſperitate, doletque
  Marcens interius quando nocere nequit.
Mens elata viri Dominos movet, arma capeſſunt,
  Inſidiasque parant, cedere ſpernit eques.
Mox armata cohors ſe congregat igne, rapinis
  Graſſatur terram deſpoliando viri.
Viribus ille nequit tantis obſiſtere, cedit
  Hoſtibus, & patriam deſerit exul humum.
Saxoniæ partes famulis comitantibus intrat,
  Quos novit dignos ſtrenuitate, fide.
Suſcipit hunc hujus patriæ Dux, cujus ad aures
  Venit fama diu de probitate viri,
Curia quem tota blandum ſermone, facetum
  Moribus, audacem corpore, laudat, amat.
In bellis hunc primipilum Dux præficit, ipſi
  Committit forti bella gerenda manu.
Miles in officio commiſſo ſe ſtudioſum
  Præbet, bella Ducis cum ratione regit.
Ultimus in bello ſi ſit, magnum putat eſſe
  Dedecus, & primum certat habere locum.

Non timet armorum conflictus, ſed magis optat
 Vulnera mille pati, quam ſemel eſſe fugax.
Hoſtes perſequitur, nunc viribus occupat illos:
 Nunc ſtruit inſidias nocte dieque vigil.
Nunc capit incautum propriisque ſub ædibus hoſtem,
 Et dives ſpoliis victor ab hoſte redit,
Si famulos torpere ſuos videt, acriter illos
 Increpat, hos animat, ſpe, prece, voce, minis.
Dona ſuis hilari vultu largitur, & ipſis
 Partitur victo quicquid ab hoſte rapit.
Palma frequens Equiti, cedit, devincitur hoſtis
 Armis non ſolum, ſed rationis ope.
Non niſi ſtrenuitas ſe cum ratione maritet,
 Non habet eventum ſæpius illa bonum.
Indiſcreta nocet audacia, corpora reſque
 Sub dubiis ponit pluraque damna facit.
A Duce laudatur miles, quem ſenſus Ulixis
 Junctus Achillæa ſtrenuitate beat.
Dux amat hunc, ſpondet fidei datione, quod ipſi
 Quolibet in caſu tutor adeſſe velit.
Protinus armatam fidens athleta cohortem
 Colligit auxilio ſubveniente Ducis.
Ad patriam tendit forti ſtipante caterva,
 Quam munibat equus, arma, ſagitta, cibus.
Rumor ad hoſtiles venit aures, hoſtis ad hoſtis
 Nititur occurſum, convolat, arma rapit.
Ad loca concurrit, ubi proximus applicat hoſtis
 Se munire volens turba quieſcit ibi.
Nobilis ille Quiris, cum jam vicinior eſſet
 Qua tenet obſeſſum vis inimica locum:
Majores vires metuens, procedere differt
 Pauliſper ſolita calliditate fruens.
Præcipit indigenas ad ſe properare colonos,
 Mandatumque ligat aſpera pœna necis,
Secum quisque ferens, ſua vomera, raſtra, ligones.
 Hoc quoque non maculet ulla rubigo vetat.
Implet juſſa timor, vulgus concurrit agreſte,
 Fert ſecum quicquid juſſio mandat heri.

 Præcipit & ferrum tollere quemque ſuum.
Dat ſolis nitor oppoſitum ſplendeſcere ferrum,
 Ut totidem galeas irradiare putes.
Mittitur adverſo ſpeculator ab agmine, vires
 Hoſtis ut exploret: ocyus ille redit.
Nunciat & tantam ſe non vidiſſe cohortem,
 Quæ ſic armorum clara nitore foret.
Adſerit & nullas his poſſe reſiſtere vires.
 Huic populus credit concutiturque metu.
Accelerando fugam loca deſerit, eſſe laborat
 Præ reliquis quivis in fugiendo prior,
Pars adverſa ſequens fugientibus inſtat, & intrat
 Ipſum quem prius hi deſeruere locum.
Perque dies aliquot exercitus ille relictis
 Potibus atque cibis deliciantur ibi.
Exit ab hinc redit huc late ſpoliisque foriſque
 Hoſti ſubjectam depopulatur humum.

Victrici

Victrici turbæ virtus non deficit, immo
Creſcit, nam prædas quærit avara manus.
Prædam prædo petit, volucris ceu turba cadaver
Vivere de rapto non putat eſſe nefas.
Undique turba rapax concurrit, & omnia late
Deſpoliat, nulli parcit, obeſſe ſitit.
Turba rapax ſceleroſa lues, miſeriſque flagellum
Ridet, flet, gaudet, ſchiſmate, pace, dolo.
Turba rapax aliena vorat, raro ſatiatur
Ex proprio, bellis ebria, pace ſitit.
Prædones trahit ad prædam cumulatio prædæ,
Et Dominus belli fortior inde manet.
Tandem militia victrix cum divite præda
Saxoniam repetit: ad ſua quiſque redit.
Dux Equitem blando cum vultu ſuſcipit, ipſum
Laudat, & audacem comprobat eſſe virum.
Ante fuit gratus, modo gratior, ejus honorem
Amplificare ſtudet curia tota Ducis.
Hoſtis, amicus, inops, metuit, commendat, honorat,
Vi fortem, ſtabilem fœdere, corde pium.
Pars inimica dolet, hujus quod tanta tyrannis
Prævalet, ira tumet, ultio digna placet.
Sed quid agat, non eſt, in quem ſua ſæviat ira;
Deſolata jacet terra relicta viri
Eſt cultore carens, uſum non ſentit aratri:
Nec pecus hic pratum carpit, abeſtque domus.
Si placet inſidiis hoſtes defraudet ut hoſtis:
Quem fraudet non eſt, longius hoſtis abeſt.
Res manet in dubio, de rerum quiſque ſuarum
Perditione dolet, damna futura timet.
Sanius ergo putat pars ſanior, unio pacis
Sopiat ut belli ſchiſma, furorque cadat
Mittitur in terras Dominus terræque potentes
Qui vocet in certum colloquiique locum.
Conveniunt hinc inde viri, quos ſenſus honorque
Præfert, atque locus concipit unus eos.
Hic inter partes pax confirmatur, & illam
Præſtita conſolidat inter utramque fides.
Pace rata patriam repetit, ubi nobilis ille,
Cumque clientela concomitante redit.
Vendicat ablatas res, reſtituitque colonos,
Agros neglectos fructificare ſtudens.
Promovet hunc omnis vicinia, dives egenſque
Huic prodeſſe ſtudet, qui prius hoſtis erat.
Undique fama viri diſpergitur, inclyta virtus
Famoſum reddit, hunc magis atque magis.
Tandem prole volens genus amplificare, mariti
Accepta ſponſa nomen habere cupit.
Ducitur en uxor Rheni de finibus orta,
Arenſis Comitis filia digna patre.
Filia digna patre digno, dignus pater ipſa.
Nobilitas virtus par in utroque patet.
Sponſo ſponſa placet, verſa vice ſponſa maritum
Diligit, ambo fide ſunt & amore pares.
Diligitur merito matrona fidelis, honeſta
Moribus, immunis labe, doloque carens,

 Triplice

Triplice dote micat, probitas hanc forma genuſque
  Intitulat, tribus his prætitulata placet.
Conſonat hæc Helenæ forma, ſed diſſonat actu:
  Nam facie præſtans, mente pudica manet,
Matronale decus morum probitate venuſtat:
  Militat in facie candidiore pudor.
Mutat in antiphraſin mulieris in hoc Epithetum,
  Quod pudor in pulcro corpore labe caret.
Eſt mulier ſexu non re, dum mente virili
  Naturæ vitium diſſimulare ſtudet.
Omnibus in factis patiens, diſcreta, modeſta,
  Alloquio mitis, verba ſalutis amat.
Reprobat, odit, amat, ſedat, defendit, adorat,
  Crimina, probra, virum, ſchiſmata, jura, Deum.
Sudat ad officium pietatis, gaudet egenis
  Auxiliatrici ſemper adeſſe manu.
Ægros, captivos, nudos, hoſtes & egenos,
  Viſitat, abſolvit, veſtit, amicat, alit.
Faſtus abeſt, licet id mirum videatur, ut iſtam
  Peſtem non ſecum forma genuſque trahat.
Moribus æquari ſibi vix valet ipſa Catonis
  Martia, ſit quamvis fama perennis ei.
Felix conjugium, cum digno digna marito
  Nupta datur, fœlix tum Hymenæus adeſt.

Cæſar concilium celebrare volens generale
  Teutoniam forti vi comitante petit.
Publicat edictum, legatos mittit, acerbat
  Pœnam, ne ſpernat quis ſua juſſa jubet.
Inque locum regni magnates evocat unum,
  Legato nomen ſignificante loci.
Regis ad edictum proceres regnique potentes
  Conveniunt, quantos lingua referre nequit.
Tyro noſter adeſt, equitum pulcro comitatu,
  Quos ornant phaleræ ſplendida veſtis equi.
Cum ſit tanta cohors populi venientis, ut arctus
  Conceptare locus non queat urbis eam.
Ipſi campeſtri locus aſſignatur amœnus,
  Atque patens habilis gramine, flore, ſitu.
Illic primates regni tentoria figunt,
  Quiſque ſuum, variis picta, polita, modis.
Parſque ſub his melior umbracula ſolis & auræ
  Captat, ſub divo cætera turba manet.
Luxuriant epulis, neque parcunt ſumptibus ullis:
  Major in expenſis quilibet eſſe ſtudet.
Rex aſtare jubet regni proceres, ut eorum
  Conſilio regni corrigat ipſe ſtatum.
Tunc ad conſpectum Regis plebs omnis anhelat,
  Certat quiſque prior anticipare locum
Hic vario veſtes videas radiare colore,
  In quibus artificis ars precioſa patet.
Hic viridis, rubeo, flavus, croceo, niger albo
  Jungitur, hic aurum, purpura, gemma nitet.
Rex ſolio reſidens venientes quoſque ſalutat,
  Inque locis propriis hos reſidere jubet.
Pontificalis apex vicinior aſſidet illi,
  Poſt mundi proceres, ordine quiſque ſuo.

Pars

Digitized by Google

Pars quota ſe terræ, ſedes quia deficit, aptat,
Pars ſtat & auſcultat regia verba libens.
Regis in aſpectu dum jam plebs omnis adeſſet,
Ultimus ille venit, quem mea Muſa refert.
Hic ſpectandus adeſt, equitum comitante ſequela
Omnibus his idem cultus idemque decus,
Cornicen & fidicen præcedunt, tibia flatur,
Et reſonant forti tympana pulſa manu.
Plebs ſtupet his, cedit Rex, qui ſint quærit & unde,
Plebs quæſita refert, Rexque ſalutat eos.
Hi grates Regi referunt juſſique ſedere
Pallia deponunt, ſic herus ipſe facit.
Et velut à Domino juſſi ſunt, pallia jactant
In terram, ſuper hæc membra plicando ſedent,
Tunc agitantur ibi diverſa negotia regni,
Et varii quæſtus Regis in aure ſonant.
Ad finem vergente die, dat fas abeundi
Cæſar, & ad requiem tendere quiſque ſtudet.
Surgit Eques comiteſque ſui, pallaſque relinquunt,
In terra ſtratas, ſicuti mandat herus.
Plebs videt hoc revocatque viros, veſteſque relictas
Admonet ut tollant. Nobilis ille refert:
Mos patriæ non eſt noſtræ, ſecum vir honeſtus
Deferat ut ſedes, in quibus ipſe ſedet.
Tollitur in populo riſus, Rex ipſe cachinnum
Diſſimulare nequit & probat acta viri.
Mox magni precii veſtes vaga turba relictas
Arripit, & tanto munere dives abit.
Poſtera lux oritur, ſacris epuliſque peractis,
Plebs cum Nobilibus Regis ad ora venit.
Miles adeſt, comiteſque ſui, ſed non tamen iſdem
Veſtibus induti, quas habuere prius.
Sed precio longe melioribus, atque ſonorum
Cornicinum cætus hos, velut ante, præit.
Suſcipit hos Cæſar ſolenni voce, vetatque
Ipſos plebejo more ſedere ſolo.
Hoſque, licet renuant, potiori ſede locari
Inter majores regia dicta jubent.
Curia non paucis ſic concelebrata diebus
Solvitur, ad propria quiſque redire parat.
Munera Rex large largitur munere dignis,
Perſoniſque quibus eſſe neceſſe videt.
Rex Equitem vocat, Ille venit: Rex ore ſereno
Reſpicit hunc, ipſi dona dat, atque refert:
Parva quidem tibi do, ſed me majora daturum
Spondeo. Miles ait: Das mihi magna ſatis.
Inclyte Rex, tibi ſemper ero ſervire paratus:
Si re deficio, corpore promtus ero.
Terra mihi ſatis ampla manet, munitio nulla:
Hoſtibus expoſitus jurgia, damna, fero.
Hinc precor, ut proprio liceat mihi condere fundo
Oppidulum per quod firmior eſſe queam.
Annuit his Cæſar, apicum quoque robore firmat,
Ne quis caſſare Cæſaris acta velit.
Rege ſalutato patriam petit ille ſuiſque
Fert grates, donat munera, ſpondet opem.

Inclyta poſteritas Lippenſis ſanguinis, unde
Nomen honorque tibi, ſit memor eſſe velis.
Nomen ab oppidulo ducis, quod provida patrum
Fundavit ratio, rebus, amore, fide.
Hinc tibi crevit honos, opulentia, robur, & hoſtes
Vincis, & invictis viribus inde viges.
Sanguinis hinc alti radix progreſſa per orbem
Extendit ramos amplificata ſuos.
Ergo cave radix ne marceſcat tua, radix
Marceſcens ramos fructificare nequit.
Fœcundare ſtude radicem, vivida radix
Ramos in fructum luxuriare facit.
Hic locus eſt in quo gramen fœcunda beatum
Profudit genitrix ſtirpis origo tuæ.
Hic collecta tibi gens ſervit, te veneratur,
Diligit officio, ſubditione, fide.
Hunc defende locum defenderis: hunc rege, regnas,
Provehe, proveheris, dilige, diligeris:
Protege, protegeris, exalta, fortis haberis
Muni, muniris, deprime, deprimeris
Sis memor expenſis quantis, quantoque labore
Ingenuæ gentis creverit iſte locus.
Quo creſcente tuus honor accumulatur, abundat
Res, virtus creſcit, hoſtis obeſſe nequit.
Præſide te gens ſic vigeat, domineris, & illa
Serviat, alterutrum ſit ſtabilita fides.

Nunc ad materiæ digreſſu cœpta reſumam,
Atque rei ſeries eſt repetenda mihi.
Poſt reditum Miles vocat & conſultat amicos,
His quoque propoſitum detegit ipſe ſuum.
Laudant propoſitum ſuadent ducatur in actum
Mentis conceptum, ſit quia proficuum.
Quæritur ergo locus muniri congruus, aptus
Uſibus humanis commoditate, ſitu.
Hic placet ad fluvium, cui Lippia nomen, abundat
Hic ager & rivi, paſcua, ligna, pecus.
Adſunt foſſores loca menſurantur in amplum,
Et longum, rumpit foſſa profunda ſolum.
Accumulatur humus, extollitur agger in altum,
Et forti vallo cingitur ipſe locus.
Lignea materies primum loca munit, ut ipſa
Paulatim moles ſaxea conſolidet.
Conditur oppidulum, trahit hoc à flumine nomen,
Et Domini nomen unde perenne tenent.
Libertas huic magna datur, plebs confluit ergo
Conſtruit, ædificat, mœnia, templa, domos.
Tunc pius ille loci fundator, ut omnia rite
Ordinet, utque Dei magnificetur honor.
Conventum ſtatuit Chriſti ſub honore ſuæque
Matris, ut in finem glorificetur ibi.
Colligit hic caſtas in Chriſti laude puellas,
Quas Auguſtini regula ſancta ligat.
Sanxit in hoc populo jus ſpirituale, quod hujus
Eccleſiæ paſtor cum ratione regat.
Præſit & Eccleſiæ, quarum proventus ad ipſum
Collegium ſpectet, huic alimenta ferat.

Digitized by Google

Hæc cum conſenſu ſunt cœpta diœceſani:
Sic quoque perſtabunt & rata ſemper erunt
Plebs è diverſis huc partibus adfluit orbis:
Roborat expenſis, arte, labore, locum.
Quam Dominus, veluti pullos gallina ſub alis
Congregat, & refovet, hoſte, tuetur, amat,
Sit cujuſcunque veniens huc conditionis
Libertate fruens abjicit omne jugum.
Hinc Dominos terræ zelus livoris acerbat,
Bella movent, capiunt arma, nocere volunt.
Obſidione locum vallant: obſeſſa reſiſtit
Gens hoſti: torquet jacula, ſaxa jacit.
Sicque modis variis ſeſe defendit ab hoſte,
Auxilio Domini ſubveniente ſui.
Se nil proficere videt, & loca deſerit hoſtis
Ac Lippenſis herus acriter inſtat ei.
Ignibus ac ſpoliis terras devaſtat, ubique
Graſſatur, rabiem diſſimulare nequit.
Eccleſias ſpoliat, loca relligioſa moleſtat:
Nec parcit viduis immemor ipſe Dei.
Gens fera conſpirat Domino, genti ferus Heros
Alterutra fides prævalet, hoſtis hebet.
Militis interea conjunx fidiſſima plures
Natos fœlici germine fœta parit.
E quibus in clero tres ſublimantur, adepti
Temporis articulo Pontificale decus.
Quartus in his gladio cum præſule fratre peremtus
Intempeſtivæ mortis amara ſubit.
Ambo necem tolerant pro Trajectenſis honore
Eccleſiæ, pleni laudibus ambo cadunt.
Quintus in his patria pollens virtute vocatus
Hermannus robur auxiliare patris.
Patrizare ſtudet, non degenerare, juventam
Moribus exornat, luxuriare vetat.
Strenuus in bellis, rationis acumine præſtans,
Omnibus, induſtris corpore, mente ſapit.
Gaudet prole pater, proles patre gaudet, utroque
Subdita gens Domini gente regente minor.
Confortat proles patrem, prolem pater, ambo
Subjectam gentem, gens quoque munit eos.
Inque vicem ſic firma fides confæderat iſtos,
Ut jam ſit pavidus hoſtis obeſſe volens.
Sic populi numerus, Domino poſſeſſio crevit,
Oppida, caſtra, viri, mœnia, rura, nemus.
Quam variis divina modis ſapientia claret!
Cujus ſcrutari nemo profunda poteſt.
Quem vult juſtificat, ac ut ſalvare nocentes
Poſſit, ſubtiles ſcit reperire vias.
Huic infert morbos, aliis diſpendia rerum:
Hic de ſublimi truſus ad ima gemit.
Hic caros pueros, vel amicos ſive propinquos
Perdit, quos miſera ſorte perire dolet.
Sic inflicta malis tribulatio ſæpe coercet
Plaſma Creatorem glorificare ſuum.
Summa Dei bonitas, ſaltem compulſus ad illum
Sæpe venit, ſi quis ſponte venire negat.

Hoc

Hoc Deus oſtendit in Milite, (namque perire
Nullum vult: omnes ſalvificare cupit)
Quem miranda Dei pietas educit ab ore
Leviathan, faciens vas ſpeciale ſibi.
Hic dum graſſari non ceſſat, ſors inopina
Hunc premit, arthetica paſſio torquet eum.
Marceſcunt nervi, ſpaſmantur crura, deorſum,
A coxis vegetans deficit humor eis.
Tollitur officium pedibus, contractio crurum
Corporis impoſitum ferre recuſat onus.
Figere jam greſſum nequit ipſe, locoque moveri,
Si non alterius ſuſtineatur ope.
Idcirco quod crura negant ars ſupplet, ad omnem,
Quo divertere vult, ducitur arte locum.
Conficitur ſporta de vimine texta, jacendo
In qua deduci, vel reſidendo, queat.
Hæc binis geſtatur equis, reliquo præeunte,
Et reliquo greſſu concomitante pari.
Tali vectura, quæ vult loca viſitat, & non
Deſinit in bello ſemper adeſſe ſuis.
Quod negat eclipſis membrorum: vox animoſa
Supplet, & hortatu promovet arma ſuo.
Tandem curriculo non longi temporis hauſto
Ipſe ſuum cœpit commemorare ſtatum.
Quis fuerit penſat, quis ſit, qualiſque futurus,
Et nihil in mundo judicat eſſe ratum.
Quam cito tranſit honor, vis deficit, & decor omnis
Marcet, quem mortis deſtruit hora brevis.
Sic ſecum loquitur: Quondam mihi proſpera quævis
Cedebant, validus corpore mente fui.
Mobilis in membris, venerabilis omnibus, & nunc
Torpeo, membrorum mobilitate carens.
Irritare Deum quia non timui, ſua membra
Impugnans, merito me ferit ira Dei.
Ultio digna mihi membrorum ſurripit uſum,
In membris ſtudui dedecorare Deum.
Hic mihi declarat, quam ſit ſibi larga poteſtas
Ad cujus nutum ſum quaſi vermis ego.
Repere cogor humi, nec ab ipſa vermis ad inſtar
Viribus ex propriis tollere membra queo.
Terram terra vocat mater fidiſſima, cujus
In gremium ſubito ſum rediturus ego.
Jam matris repeto primordia, terra requirit
Quod dedit, expoſcit debita carnis humus.
Spiritus heu carnis delectamenta ſecutus
Vana ſapit, vacuus eſt ab amore Dei.
Allicit Eva virum ſuaſu ſeducta maligni,
Vergit ad interitum factus uterque reus.
Quid faciam? mala tanta mihi miſer accumulavi,
Ut ſperem veniam vix mihi poſſe dari.
Sed quia magna Dei pietas præponderat omni
Peccato, remanet ſpes aliquanta mihi.
Mortuus in vitiis à morte reſurgere ſpero:
Cor me contritum vivificare poteſt.
Lazarus in tumulo fætens à morte reſurgit:
Ad vitam fœtens ſorde redire queo.

Tu,

Tu, benedicte Jeſu, da poſſe reſurgere: vita
Spes quoque contritis, lux, via, vera ſalus.
Qui pro me paſſus diſpendia mortis iniſti,
Mortis chirographum ſic abolere volens.
Reſpice me, votumque juva, ſuccurre precanti,
Suſciter ut tumulo, quatriduanus ego.
Tu quoque virgo pia genetrix intacta Maria
Confer opem. Natum tu prece flecte tuum.
Te Deus elegit, in te miranda peregit:
Mater es & virgo tu ſimul iſta duo.
Hæc in te ſola duo ſunt contraria juncta,
Quæ neque poſterius, ſunt neque viſa prius.
Virga virens, tu thus redolens, tu gemma relucens,
Sellula regalis, anchora ſpeſque malis.
Naufragii portus, virtutum balſamus ortus,
Lucis juſticiæ norma, lucerna viæ.
Tu pia, tu mitis non ſpernis vota precantis,
Tu potes iratum conciliare Deum.
Flectere quem poteris affectu duplice mater,
Natum nata, patrem, claret utrinque fides.
Nata patrem placare poteſt, mater quoque natum,
Hæc ubi conveniunt nulla repulſa patet.
Sis mihi præſidium, mater pietatis, aſylum
Exilii, lethi meta, quieſque freti.
Propoſito ſuccurre meo, da cor tribulatum,
Ut ſcelerum culpam plangere rite queam.
Peccavi, modo pœniteam, punire reatum
Spondeo, præteriti temporis acta fleo.
Da ſpacium veniæque locum, quia me tibi totum
Subjicio: famulum reſpice virgo tuum.
Talia cum lacrymis gemitu quoque Miles opimus
Profert, & totus flagrat amore Dei.
Relligionis ei ſacra vita placet, fierique
Exoptat cultu moribus alter homo.
Scit, quia grata Deo ſit victima, ſpernere mundi
Gaudia, ſe totum ſacrificare Deo.
Quæ cupit aſſequitur, votum juvat omnipotentis
Gratia, membrorum redditur uſus ei.
Crura vigorantur, membris arentibus humor
Influit aſſueſcunt ceu prius ire pedes.
Tunc grates agit ille Deo, totoque laborat
Niſu, quæ vovit ſolvere vota Deo.
Amplius uxorem mentis ſecreta latere
Non vult, his dictis flectere tentat eam:
O dilecta, mei oculis pars maxima debes
Tu fore ſecreti conſcia jure mei.
Nos unum facit unus amor, nos ſpiritus unus
Corpore diverſos unit & una fides.
Corpore disjungi non corpore dimidiari
Poſſumus, ac paritas integra mentis erit.
Unio corporea cito tranſit, nos necis hora
Cum non ſperamus diſſociare poteſt.
Ergo laboremus in tempore, vita futura
Ut nos conſociet mente fideque pares.
Eſt brevis hæc vita, tranſit quaſi fumus & umbra:
Fluctuat, & certum neſcit habere ſtatum.

Nos velut herba recens marcemus, mane vireſcens
  Veſpere marceſcens, atque virore carens.
Nos quaſi flos ſub rore virens, qui protinus aret,
  Decidit, & languet, & color ejus habet.
Vita futura manet ſtabilis nunquam ruitura:
  In qua continua pax ſine lite viget.
Divitiæ ſine defectu, qua ſemper abundat
  Abſque dolore quies, & ſine nocte dies.
Nulla fames ibi, ſive ſitis, non frigus & æſtus:
  Non languor pacem ſollicitare queunt.
Nos vitam tendamus ad hanc, nos præveniamus
  Extremum mortis cum ratione diem.
In melius vitam mutemus, ſemen ad horam
  Spargamus, poſſit quod ſine fine meti.
Momentum vitæ, donum libemus ad aram:
  Momenti merces vita perennis erit.
Vidiſtine Dei ſit quanta potentia? qui me
  Dejecit validum corpore, mente, prius.
Idem me, licet indignum pietatis ocello
  Aſpexit vires reſtituendo mihi,
Nil mage ſecurum, quam ſponte relinquere mundum
  Qui necis imperio deſtituendus erit.
His verbis matrona decens commota, profundo
  Pectore dat gemitus, fletibus ora riget.
Renuit his dare conſenſum, quia corde fideli
  Menteque ſincera diligit ipſa virum.
Victa tamen multis precibus, caſſare ſalubre
  Non audens votum corde dolente favet.
Dicens: care mihi ſuper omnia ſole virorum,
  Quo nihil in mundo carius eſſe poteſt.
Sed quia pro Chriſto ſperni terrena jubentur,
  Et nihil eſt cui non prævalet ejus amor.
Non tua præſumo remorari vota, tuæque
  Mentis propoſitum non revocabo pium.

Tunc natum vocat ipſe ſuum, reliquosque propinquos,
  Ad quos præſentes talia verba refert.
O vos, quos ſanguis vel amor mihi fœderat omnes,
  Eſt mihi multoties veſtra probata fides.
Nunc precor annuite votis, mihi diſplicet hujus
  Mobilitas vitæ, vita futura placet.
Diſplicet iſte ſtatus velut incertus, placet alter
  Certior, ad vitam provehet ille ratam.
Hunc mutare ſtatum propono ſtatu meliori:
  Delicias mundi relligione ſacra.
Filius iſte meus, heredem quem mihi pono,
  Sit tutus veſtræ proximitatis ope.
Quicquid aget veſtro faciat moderamine, lima
  Ætatis teneræ vos precor eſte ſibi.
Tu quoque care mihi, nunc quæ tibi mando
  Auſcultare libens & memor eſſe velis.
Tu matrem venerare tuam: tu ſemper honeſto
  Ejus propoſito promtus adeſſe velis.
De rebus tibi poſſeſſis, quæcunque neceſſe
  Sit tibi, provideas ſedulitate pia.
Caſibus in dubiis conſanguineos & amicos
  Conſulta, quorum ſit tibi nota fides.

Suſpe-

Suſpectos vitare ſtude, tu diſcute qui ſint,
 Quos vis conſiliis aſſociare tuis.
Nil inconſultum facias, nihil impetuoſe
 Tentes, ſit ratio prævia quicquid ages.
Nullus adulator te fallat, ſive ſuſurro,
 Non horum verbis eſt adhibenda fides.
Tu Dominos reverere tuos, quibus eſſe fidelis
 Ex fidei debes conditione datæ.
Subjectos tibi promoveas ope, rebus, amore,
 A quibus adverſam vim removere ſtude.
Sis pius in miſeros, humiles ne deſpice, tutor
 Non deſolator pauperis eſſe velis.
Oppida conforta tibi ſubdita, fortis es, ipſa
 Si munire ſtudes, robur & inde feres.
Plebs iſtis collecta locis ſub te quaſi patre
 Floreat, auxilio ſit bene tuta tuo.
Vindictam differ, donec tu quid ſit honeſtum,
 Sive quid expediat, pendere corde queas.
Hæc ad verba patris humentia filius ora
 Cælat, quem fletus vix ſinit iſta loqui.
Care pater merito, quia ſum tibi carus, amoris
 Nam mihi multa patent experimenta tui.
Tu mihi nunc præcepta fidem teſtantia tradis,
 Quæ ſervabo libens, dum mihi vita manet.
Obſervanda meis heredibus iſta relinquam.
 Hæc utinam memori mente tenere velint.

Tunc pius ille ſenex ſit victima pura: relictis
 Mundo, poſſeſſis, conjuge, prole, tribu.
Et cunctis bene diſpoſitis rebus, locus aptus
 Indagatur ubi ſerviat ipſe Deo.
Manſio ſacra placet, quæ Campus virginis almæ,
 Dicitur, hic floret relligionis apex.
Hic habitum miles mutat, fit corpore, mente,
 Vita, non ſolum veſtibus alter homo.
Aure tenus coma tondetur, capitiſque capilli
 Raduntur, nudat lata corona caput.
Veſtis longa tegit corpus, caput ampla cuculla:
 Aſpera lana premit immediata cutem
Se totum Domino mactat, carnemque rebellem
 Spiritui veſtis aſperitate domat.
Scripturas relegit, neglecta diu ſtudioſa
 Mens redimit, ſupplet ſollicitudo frequens.
Pœnam, jura, nefas, manſuetus, juſtus, honeſtus,
 Fert, pendit, removet, corpore, corde, manu.
Jejunat, vigilat, pſallit, proſternitur, orat:
 Et peragit, quicquid regula ſacra jubet.
Præteritam deflet vitam, gemit acta priora:
 Quæ male geſta prius ſunt, abolere cupit.
Vir ſacer in Domini ferveſcens totus amore,
 Dura libens tolerat, hæc quaſi parva putat.
Vult majora pati, quia ſemper ad interiora
 Progreditur virtus, neſcit habere ſtatum.
Omnis amore Dei, delectat pœna, ſapore,
 Fellis dulceſſit, melque cicuta ſapit,
Exilii vitam deſiderat ipſe, ſalubre
 Plus putat, à patria cedat ut exul humo.

A Paſtore ſuo fas impetrat, & mare tranſit,
Intrat humum fuit hæc continuata mari
Terra rudis neque firma fide, paucis habitatur
Indigenis, populus advena munit eam.
Eſt ibi collegium Monachorum, quos ligat ordo
Idem, quo vinctus vir ſacer ante fuit.
Manſio ſtructura præcellens, rebus abundans,
Relligioſa domus, cultibus apta Dei.
Dicitur hæc Dunemünde/ trahens à flumine nomen,
Ad cujus littus eſt locus iſte ſitus.
Huic ſe collegio vir ſanctus adoptat, eumque
Gaudet confratrem grex ſacer eſſe ſuum.
Hunc veneratur amat: non multo tempore lapſo
Abbas eligitur illius ipſe gregis.
Tunc velut ordo jubet, charactere presbyteratus
Sacratur, digne poſſit ut eſſe pater.
Qui ſic præfertur reliquis ut non videatur
Major, ſed potius omnibus eſſe minor.
Eccleſiæ propriæ ſic providet, ut generale
Præſidium patriæ non minus eſſe velit.
Informando fide teneros, animando fideles,
Ne tepeant actu, prædicat, ore docet.
Perfida Chriſticolas gens angit, vir ſacer illis
Condolet, Idolatras prævaluiſſe dolet.
Eccleſiæ terræque volens prodeſſe, recedit,
Sedis Apoſtolicæ limina ſacra petens.
Summi Pontificis pedibus proſternitur, orat,
Ut ſuper afflictos ſit pius ipſe pater.
Mox proprium terræque ſtatum ſibi voce revelat.
Supplice poſcit opem conſiliumque patris.
At pater inſtructus plene, quis, qualis, & unde.
Hic ſit quamque micans ſit ſua terra fide.
Condolet Eccleſiæ patriæ pietate novellæ,
Laudat perfectum relligione virum.
Convocat inde viros, quos curia collaterales
Semper habet, qui rem cum ratione regunt.
Conſulit hos, rem pandit eis, ſcrutatur honeſtas
Quid magis expediat ingenioſa patrum.
Decretum ſtatuunt: placet Eccleſiæ generalis
Sentiat Eccleſia particularis opem.
Signandi per Teutoniam cruce quoſque fideles
Mandatum Summi ſuſcipit ille patris
Ut qui pœniteat confeſſus crimina pure,
A pœna liber ſit mediante cruce.
Qui res & corpus expendere curet in hoſtes
Eccleſiæ ſacram conſolidando fidem.
Præ terea dat Papa viro fas accipiendi
Inter neophytos Pontificale decus.
Hæc & Apoſtolicis firmantur ſingula ſcriptis,
Ad patriam lætus vir ſacer ille redit.
Patris ad adventum lætatur patria, gaudet
Grex ſacer, exſultat clerus, amicus ovat.
Hoſtis formidat, metuit gens perfida, luget
Natio gentilis, pars inimica timet.
Cum plauſu pater excipitur, plebs convolat, audit
Summi Pontificis ſcripta, notatque libens.

Scri-

Scripta placent, gens tota virum commendat, & ipſum
  Dignum Pontificis nomine quiſque probat.
Pontifices mox à clero populoque vocati
  Conveniunt ſacras huic adhibendo manus.
Mira ſatis res, unus ab his, & filius ejus
  Carnalis: Proles conſecrat ergo patrem.
Tunc ſacer antiſtes epithetum nomine complens
  Eccleſiæ paſtor pervigil eſſe ſtudet.
Prædicat, hortatur, nunc arguit, inſtruit, urget,
  Vitæ dogma, bonos, crimina, jura, malos.
Teutoniæ peragrat fines, populos cruce ſignat
  Subſidium terræ poſtulat ore pio.
Spem cruce ſignatis ſpondet, veniamque reatus,
  Si qui propugnent corpore reque fidem.
Colligit æs, veſtes, fruges, pecus, arma, poledros,
  Ad robur terræ dirigit iſta ſuæ.
Nunc cruce ſignatos loca per diverſa fideles
  Congregat, & forti concitat arma manu.
Pergit ad Idolatras, acies diſponit, & hoſtes
  Impetit, exhortans ad fera bella viros.
Inter ferratas acies it primus inermi
  Corpore, cui ferrum vulnera nulla facit.
Mars furit, & dubio eventu certatur utrinque
  Arma ſtrepunt, multi ſanguinis unda fluit
Plebs modo gentilis ſuperat, modo turba fidelis,
  Poſtremum cedit perfida turba fugax.
Vir ſacer inſequitur Chriſti comitante caterva,
  Et terram ſpoliis diſſipat, igne cremat.
Oppida, caſtra ſtruit quaſi propugnacula, contra
  Idolatras, armis, milite munit ea.
Conſtruit Eccleſias, quas conſecrat, ordinat illic
  Clerum, qui peragat munia ſacra Deo.
Blanditiis quos, ſive minis, trahit à ſimulacris,
  Hos lavacro fontis abluit ipſe ſacri
Paſcit lacte fide teneros non panis egentes,
  Ut poſſint ſolidum ſumere deinde cibum
Sollicite procurat oves paſtor bonus iſte,
  Ac animam ponit pro grege ſæpe ſuam.
Sic ibi creſcit honos Chriſti, ſimulacra relegat
  Latria ſacra: fides amplificata viget.
Sed tamen infeſtat gens perfida ſæpe fideles:
  Plebs pia collectis viribus obſtat ei.
Hic multos gladio proſtratos ſanguine fuſo
  Martyrii palma perpete luce beat.
Nititur ad terræ profectum vir ſacer, omni
  Corporis & mentis ſedulitate fruens.
Non ceſſat nimio corpus macerare labore:
  Exagitat mentem ſollicitudo frequens.
Terras pertranſit, regiones circuit, urbes
  Intrat, caſtra ſubit, oppida rura petit.
Nobilibus cum plebe ſimul verbum crucis edit,
  Hos vocat, hortatur, ſupplicat, orat opem.
Interea ſubit oppidulum Lippenſe rogatus
  A conſanguineis, indigeniſque loci.
Conſecrat Eccleſiam ſub honore Dei genetricis:
  Quæ ſtat vicino continuata foro.

Hæc antiqua magis reliquis, quas hic locus in ſe
Continet, & numero plebis adaucta magis.
Tandem poſt multos Deus hunc mercede labores
Munerat æterna rex pius, immo pater.
Qui licet hoſtiles conflictus ſæpe ſubiret,
Ipſe tamen nullo vulnere læſus obit.
Martyrii palmam crebro licet ipſe ſitiret,
Sanguine non fuſo debita carnis init.
Mortis fata ſubit paſtor ſacer in cathedrali
Eccleſia præſul, cui fuit ipſe datus.
Eccleſiæ Dunemundenſis grex hunc tumulandum
Exquirit cujus ordine vinctus erat.
Lis oritur, corpus hi poſcunt, hique recuſant,
Obtinet Eccleſia jure favente prior.
Tunc corpus Dunemundenſis ſacer accipit Abbas:
Impoſitum puppi per maris alta vehit.
Tempeſtas oritur, puppis ſubmergitur, ergo
Abbatem ſanctum ſuffocat unda maris.
Illius abſque mora corpus reperitur ab undis,
Tollitur: extinctum flet pia turba patrem.
Pontificis corpus non prima luce repertum
Pellitur ad littus mane ſequente die.
Grex ſacer egreditur, proceſſio relligioſa
Suſcipit in lacrymis corpora ſancta patrum.
Res miranda ſatis ſpeciali fœdere junctos
In vita patres, relligione pares,
Mors non disjungit, ſimul horum corpora terræ
Commendantur, adeſt exequialis honor.
Corpora condit humus, animas capit aula ſuperna:
Terra ſuum recipit, ſpiritus alta petit.
Hæc præſul Bernharde tuæ Compendia vitæ
Scripſi, quæ ſcribi ſub brevitate nequit.
Qui tua geſta velit plene deſcribere ſcriptor
Spernitur, auditor torpet & odit opus.
Tu quoque virtute pollens, Hermanne, paterna,
Flos patriæ, generis auctor honorque tui.
Res patriæ bene conſervas, tu providus heres
Patrizare ſtudes, degenerare caves,
Te procerum, te nobilium favor attrahit, optat,
Te quoque conſiliis gaudet adeſſe ſuis.
Omnibus acceptum te reddis, famine blando,
Moribus egregiis, auxiliante manu.
Tu rationis ope, quam bello vincere mavis:
Schiſmata concilias, fœdera pacis amas.
Si tamen hoſtilis violentia prævalet, obſtas
Hoſtibus, & forti colligis arma manu.
Plebs tua tuta tuo per terras undique ductu
Pergit, cui quivis parcit amore tui.
Mors heu te tollit intempeſtiva columnam
Terræ tutelam præſidiumque tuis.
Gens Stadingorum cultrix hæreſis fideique
Contemtrix infert mortis amara tibi.
Multiplici tu prole viges, tibi pacifer heres,
Succedit proprio nomine functus avi.
Inclyte miles ave, Bernharde, tuum mihi nomen
Dulce ſonat, de te pauca referre libet.

Sunt

Sunt mihi nota ſatis tua ſtrenua facta, coævus
Sum tuus hoc ſolo par tuus eſſe queo.
Tu ſignum floris merito geris, es quia tu flos.
Militiæ florem dedecorare negas.
Moribus ingenuus, illuſtris corpore, fortis
Viribus, ingenita ſtrenuitate viges.
Tu pius afflictis, ſubjectis mitis, amator
Pacis, honeſtatis forma, noverca doli.
Poſt obitum patris fers prælia multa coactus
Hoſtis ab impulſu vim removere volens.
Tu forti capis arma manu, tua claret ubivis
Strenuitas, vivit mens animoſa virens.
Plurima militia te ſtipat, larga rependis
Donativa tuis ſufficiente manu.
Hoſtes devincis, non vinceris, abſit utrinque
Vincaris, palma ſit diuturna tibi:
Sub te Lippenſis poſſeſſio crevit adaucta
Mœnibus & Caſtris, robore, rebus, agris.
Hæc utinam creſcat, nec creſcere ceſſet in ævum,
Sintque tibi vitæ tempora longa tuæ.
Tu proleſque tua felices vivite longum:
Vos quoque poſteritas continuata beet.

Carmine te repeto, Simon præſul venerande,
Tu caput & finis carminis hujus eris.
Tu flos Pontificum, flos Nobilitatis, odorem
Floris diffundis undique mentis apex.
Non deflorari vis florem ſanguinis alti,
Vis de florigero cortice ſpiret odor.
Non finis antiphraſis floris defloret honorem,
Sed vocem ſatagis æquiparare rei.
Ne ſit vana caves floris pictura, decorent
Floris & ut ſignum florida facta ſtudes.
Floreat hic utinam flos, nec florere per ævum
Deſinat, & floris undique ſpiret odor.
Præcipue, Reverende pater, ne marceat hic flos
Niteris, hæc utinam ſit tibi cura diu.
Tu præſul cum fratre tuo reliquique propinqui
Hæc mea ſuſcipite munera mente pia.
Munera parva quidem, tamen hæc ſunt digna favore.
Hæc data res meritum non habet, imo favor.
Si majora velim dare contradicit egeſtas.
Munera Principibus convenit ampla dari,
Carmine quod poſſum veſtrum deduco per orbem
Nomen: ſic vobis fama perennis erit.
Vos tutela mihi, mihi vos promotio ſitis,
Gratia dignetur veſtra favere mihi.
Hactenus in veſtro vitam ſervimine duxi,
Dum mihi vita comes, aſſecla veſter ero.
Tempore vos longo felicem degite vitam
Spiritus ad cœlos carne ſolutus eat.

Vos ego nunc ſocii per paucula metra ſaluto
In quibus elucens eſt amor atque fides.
Vos ego ſincero complector corde, ſalute
Exopto vitæ vos utriuſque frui.

Nil

Nil optare magis poſſum, vos ergo favorem
  Arte licet careant, his adhibete metris.
Hos ego compoſui verſus non laudis amore,
  Sed ne deſidia ſenſus heberet iners,
Si quid in his vitii reperitur, livida ſanna
  Non premat, excuſet illud amica fides,
Vos mihi filioli paſti quaſi lacte paterni
  Dogmatis, eſt facinus ſpernere ſcripta patris,
Qui metra diſcutitis, metris præſtetis honorem,
  Poſſitis quamvis metra vocare macra.
Macra vocare metra quamvis poſſitis, honorem
  Præſtetis metris, qui metra diſcutitis.
Vos mea diligitis ſi metra, patratur honeſtum,
  Natus vis fidei patrat amore patris.
Patris amore patrat fidei vis natus honeſtum
  Patratur, metra ſi diligitis mea vos.
Carmina plura quidem vobis repetenda relinquo,
  Quæ faciant memores vos precor eſſe mei.
Ut ſaltem dicant, qui poſt mea fata ſuperſunt:
  Æterna requie, ſpiritus hujus ovet,
Flore metri florem quia Lippenſem gerit in ſe
  Lippifloriger hic dicitur inde liber.
Quem ſi quis recipit, ſit ei benedictio trini
  Numinis, interimat ſe quoque livor edax.
Poſt hunc qui dicit Juſtini pace quieſcat
  Spiritus, hic hujus carminis autor erat.
Ille fidelis erit quoniam poſt fata probatur
  Integritas fidei, nec fabricatur amor.
Carmine completo patri cum prole perennis
  Laus ſit honorque, ſimul ſpirituique ſacro.
* * *
  In te certa fides non ſimulata placet.
Sic vivamus in hac vita, ne perpete vita
  Fruſtremur, fer opem tu benedicte Jeſu.

Lippiſlorium M. Juſtini explicit feliciter.

ADOL-

ADOLPHEIS

DE

HISTORIA GENEROSORUM NOBILIUMQVE COMITVM THEOROSBVRGENSIVM, VEL ALIAS VULGO SCHOMBVRGENSIVM, AC HAMBURGENSIS CIVITATIS FAMOSÆ.

Decantata

PER HENRICVM AQVILONIPOLENSEM POETAM.

ITEM

DE PRIMORDIIS LUBICANÆ URBIS Cæſareæ Libri II.

Digitized b

HENRICVS MEIBOMIVS
Junior
LECTORI S.

CUr *Henrici Aquilonipolenſis* hæc carmina cum *Leerbekio* aliisque jungere voluerit Avus meus, ipſe in præfatione dixit. Nec ego omittere ea volui. Non quidem adeo magni momenti ſunt, ſive res ſpectes, ſive modum eas proponendi, qui ſæpe riſum, aliquando commiſerationem meretur. Vixit ſuperioris ſeculi initio Poetaſter ille, & fortaſſis tamen invenit tum applauſores & admiratores. *In Catalogo* enim *Scriptorum inſignium, qui in Lipſienſi, VVittenbergenſi, Francofordiana ad Oderam Academiis* à fundatione ipſarum uſque ad An. 1515. floruerunt, ab Anonymo quidem ſed coævo, concinnato, & à *Madero* edito hæc habentur, n. 88. *Henricus Aquilonopolenſis, natione Teutonicus, patria, diſciplina & Studio VVittenbergenſis, vir magni ingenii, & Tullianæ eloquentiæ vehemens æmulator, Philoſophorum præceptis nobiliter inſtructus, divinarumq; Scripturarum non ignarus: Grammaticus, Philoſophus, Rhetor, nulli noſtro ævo ſecundus, ingenio ſubtilis, ſenſu clarus, & diſertus eloquio, jurium non imperitus. Scripſit ad laudem & decorem Academiæ VVittenbergenſis, & utilitatem legentium, & carmine, & proſa præclara opuſcula, quæ impreſſa circumferuntur, videlicet: Sophologiam lib. 1. De vita & Laudibus S. Auguſtini metrice lib. 1. Epigrammatum l. 1. Vivit uſq; hodie varia conſcribens, A.* 1514. Nullum dubium eſt, quin hic idem ſit cum Auctore Adolpheidos & libr. de primordiis Urbis Lubicanæ. Quamvis enim Witebergenſis fuerit, & in ea Academia potiſſimum inclaruerit, videtur tamen in Holſatiam quoque & in duas illas magnas Urbes, Lubecam & Hamburgum veniſſe, ibique carminibus ſuis gratiam captaſſe. Habeo enim hujus *Henrici* Carmen Elegiacum quoque inſcriptum *Naumachia*, quâ navalem illam pugnam die Laurentii. A. 1511. inter Johannem Regem Daniæ & Urbes Vandalicas fæderatas (cujus belli etiam *Chytræus* Saxoniæ l. VI. mentionem facit) pugnatam deſcribit. Eſt vero illud ejuſdem planè cum prioribus commatis, barbarum & inficetum; ut in eis omnibus, quæ hactenus vidi, ne veſtigium ullum reperire potuerim illius eruditionis, quæ ipſi ab *Anonymo*, ſupra citato loco, tribuitur.

DE

Digitized by Google

DE Theoroſburgi Comicia, Indagine natus
Civili cultor artis Apollineæ
Clarus Apollineis in technis, docte Magiſter,
Johannes Mineus in clariique chely.
Quid cecini bene ſi auſcultes; potiaris honore
Primo noſtra in Adolpheide, deinde aliis.
Tu patriæ decus & Lubicana lumen in urbe
Noſtris lucem umbris tu (rogo) pone piens,
Planes hirta, ſeces vitulantia, vergat in auras
Non aliter niſi te pexus, amice, liber.
Hic tuæ enim patriæ primordia, & Hammonienſi
Et Lubicanæ urbis geſtaque digna tenet.

ADOLPHEIS.

HOlſati clarus Theoroſqueburgi
Tu Comes bellæ, Dominusque Chemme,
Splendor armorum ſtudiisque pulcris
Docte Johannes.
Nolis è jure & ratione recta
Laus avorum ampla & proavorum in orbe
Nacta virtute & ſtupida tuorum
Concinereſcat.
Scripta quæ ſparſim licet in vetuſtis
Nota membranis ea clara per ſe
Clarior virtus tamen hæc profecto
Congraphiata eſt.
Arma tres clavi ſimul undecimque
Sunt ibi ſpinæque columna duplex
Cum ſpeclis peploque corona Chriſti
Labbata ſeptem.
His in armis vir galeata ſacris
Pegaſo fontem fodiente ſacrum
Ungula multis reſidens canoris
Ducere ad alta,
Gaudeas armis rabidum in Leonem
Vimque ſerpentis Sathaninum & aſtum
Miles electus Domini triumphans
Hoſticus horror.
Nobilis tecum & generoſa proles
Gaudeat felix, Comes & Jodocus:
Gaudeant ſalvi in Domino vigentes
Uſque nepotes.

Incipit Adolpheis de geſtis Theorosburgenſium Comitum generoſorum, & civitatis Hammoniæ, ſive Hamburgi.

CAPUT I.

PRoſit Adolpheis Theorosburgenſium inauret
Cathegoria decus, creſcat alendus honor.
Magnanimos Comitesque pios, Pimpleis, Adolphos,
Hammoniæ variis ſortibus acta refer.
Octingenteno decimo cum Saxones almam
Suſcepere fidem ſtructa erat Hammonia.
Nordalbingorum Eccleſiæ tunc Holſatia inque
Stormaria pariter in Theomartia erant.
Octingenteno quadrageno Domini anno
Daciæ ab Erico preſſa erat Hammonia.
Milleno Chriſti Maſtpheius rex duodeno
Guindorum Dominus diruit Hammoniam.
Milleno Ummanus quinto decimo repararat
Eccleſiam Hammoniæ præſul & Hammoniam.
Circummurarat Vicelinus præſul eandem,
Quæ cunctis viſa lignea inante fuit.
Mille ſeptuageno anno inde ſecundo urbs
Perdita ab Henrico & Buckpheo heris Guinidum
Milleno Domini centeno iterum reparata
Hammoniæ Eccleſia ſive ſuo fuerat.
Cum rege Henrico Guindorum federa ſanxit
Stormaria, Holſatia & ſic Theomarcia eo.
Holſatiam Henricus & Stormariam & Theomarciam
Godfrido ut Comiti rex dedit ipſe ſuo.
Sed Lotharius illuſtris Dux Saxoniæ poſt
Cæſar donarat hanc Comici jam alii.
Scilicet in Theorosburgo prænobili Adolpho:
Patri ſuccedens natus Adolphus erat.
Milleno centeno novigeno Domini anno
Octavo ceſſit ternus Adolphus huic.

Ab antiquo quales quantique Comites fuere Theorosburgi.

CAPUT II.

MAgni a temporibus Caroli usque ad tempora Regis
Conradi nomen obtinuere vetus,
Dotibus inſignes miris, tam ſub Carolo, quam
Conrado nomen hinc meruere novum.
Catholicæ firmi Eccleſiæ, Imperio ac ſacroſancto
Fidi & conſtantes, tetragoni inſtar, erant.
Clarum inſigne igitur datum eis erat Holſatia, eque
Præſtita Stormaria rege Lothario ab hoc.
De his terris nec adhuc Theorosburgo abſtineamus,
Nobis ſi ingenium molle Thalia foret.

De inſignibus armis Theorosburgenſium myſticatis.

CAPUT III.

TRes Theorosburgi Comitum clavi arma ſuaves,
Undenæ & ſpinæ paſſio læta ſibi.
Spiniferum cono ſertum & vexilla intenti
Septem, cum Argi oculis, bina columna, peplum.

Mu-

Digitized by Google

Munere ſepteno ſævam ſeptemplicis Hydri, &
  Armis Chriſticolæ his vim domuere trucem.
Dotibus undecuplis moralibus in crucis hoſtes
  Sint (ut olim fuerant) clara trophæa piis.
Nordalbingorum Theorosburgenſis Adolphus
  Illuſtris Comes hic Chriſti in amore vigil.
De Sclavis occiſus apoſtaticis. Leo Adolphum ut
  Occiſum audivit, flevit herilis herum.
Ad quingentorum & duo millia maxima cædes
  Sclavorum hunc fletum commoderata Ducis.
Conſcidi hoc corpus fruſtratim fecerat ergo, &
  Aſſari & pigmentario humari opere.
In patriis Mindæ & monumentis nobile corpus
  Illatum in Chriſti pace quietiferum hoc.
Sed Comiciam cum nato viduata tenello
  Mathildis tenuit, terra ſed heu vidua hæc.
Terræ mutata facies namque Eccleſiarum
  Juſtitia atque quies illius acta fuit.
Porro ſuperſtite eo clero nil aſperum erat, vel
  Durum, ſubjectis iſte corona ſuis.
Tantus erat fidei in bonitate in conſilioque:
  Omni in virtute firmus eratque valens.
In caſtris Domini vexilla gerens manibusque
  Pugnans, corde orans, cordeque magnanimus.
Cui contempta fuga propter virtutis amorem,
  Et Chriſtum Dominum, fata poloſque iniit.

Prima belli concurſio.

CAPUT IV.

REx Theomarciæ erat Canutus nomine, tentans
  Hammoniam & Stadium perdere, venit eo.
Milleno Chriſti centeno nonaque geno
  Nono anno in regem motus Adolphus obit.
De Theorosburgo Comes ardens prælia Adolphus
  Præſule cum Hartungo cis Edoram Domino
Diſpulerat victor regem, tribuente triumphum
  Omnipotente Deo reſpiciente ſuos.

Secunda belli concurſio.

CAPUT V.

VIctus vindictam temptabat ſæpe Canutus
  Fruſtra. hinc rex frater poſt ſua fata furens
Milleno Guoldemarus rex factus in anno
  Atque ducenteno primo, erat ergo fremens.
Nordalbingorum terram è terraque marique
  Cum maribus multis vincere venit atrox.
Vicit Rensburgum, vicit Theomarciam in arto
  Tempore & Hammoniam Victriorimque ſimul.
Devicit Comite capto tandem Raceburgum:
  Nordalbingiæ in hac re dolor altus erat.
Quid facerent triſtes Nordalbingi? vehementer
  Oppreſſi nimium à rege furente inopes.
Quod Comitem ſalvum, quod poſſent liberum Adolphon
  Ad ſe de cæco carcere habere pium.

Sic liquere Lophenburgum pro hoc præſtium avunclo id
Regali Albertus rex dederat tetricus.
Committens totam ſibi Nordalbingiam in illa
Sorte ſubactam. Sors ſe alterutrare ſolet.

Tertia belli concurſio.

CAPUT VI.

COntigit ut Nordalbingi poſt altero in anno
Artellenburgum perdiderant reduces.
Verum rex Albiburgum deſtruxerat, ad trans
Mox Albim Harburgum condidit atque Dymin.
Poſt anno Dominique ducenteſimo decimoque
Quinto rex Otto Saxoniæ Dominus.
Hammoniam circumvallaverat igneque ferro
*** ens cepit ſub ditione ſua.
Holſatiam intrarat amittens octuaginta
Rex armatorum millia, cæſa ſibi.

Quarta concurſio.

CAPUT VII.

SED rex millenoque ducenteno Domini anno
Sedecimo ſtruxit in Stadium inſidias
Rex etiam Bremenſe in Epiſcopium cito cædes
Horrendas miris mortibus efficiens.
Sed contra Hammoniam vertebat: At Hammonienſes
Regi reſtiterant viribus egregiis.
Quatenus Hammoniam delaſſat & furibundus
Querceti caſtrum ſtruxerat ipſe potens.
Sed Comes Albertus caſtrum ſupra edidit Albim,
Subſidium à terris nullus aquiſque daret.
Incinerabat rex villas ciniflonibus omnes,
Bombardis trucibus Hammoniam angarians.
Dira fames, dira violentia terruit urbem:
Defeſſi cives urbis in urbe inopi.
Regem immiſere miſeri ſub ſpe pietatis
Fraudati immitem cum feritate ſua.
Mactatos illic vidiſſes, atque ululatus
Audiſſes, grandis planctus ibique dolor.
Non minor in Rhama ploratus eratque ululatus:
Cum patribus pueri ſuccubuere piis.
Ha matres maribus viduatæ & ſtirpibus iſthic
Nimphæ abnimphatæ, proh ibi væ vehemens.
Poſt annos ſtruxere novem Tramoniam & hoſtes
Annis viginti quatuor iſte dolor.
Immitem merito Dacum ô Lucane Poeta,
Fers, feritatem ejus ſenſit & Hammonia.
In regnum tandem rediit rex cum populo ſons
Ipſe fero caſtrum Eſthlandia in ædificans.

Quinta concurſio.

CAPUT VIII.

POſt Comes Henricus Suerinenſis truculentum
Captivans regem & regis erat ſobolem.
Tempore in hoc Nordalbingi pro nobili Adolpho
Miſerunt Theorosburgin, ad hos veniat.
Venit mox & omagia ei domino venienti.
Præſtiterat Nordalbingia tota ſuo.

Præ-

Digitized by Google

Præſul Bremenſis olli ſuffragia præſtans,
Et Comes & Guerla pluribus armigeris.
Venere Itzehon Henrico cum generoſo
Suerini Comite martio, ad arma agili.
Molleni in campo non mollia bella fuere,
Cæſi complures capti & ibi fuerant.
Hammoniam aſpirans inſignis victor Adolphus,
Dacorum è nodis ſolverat Hammoniam.
Debombardarat dirumpens cuncta per Albim
Caſtra triumphator ſic inimica valens.

Sexta belli concurſio.

CAPUT IX.

REx evinclatus pro ſexaginta talentis
Millibus, hinc Sacramenta repens tenuit.
Cum Phriſiis Theomarciam agens in deditionem
Contra Rensburgum ſtruxerat inſidias.
Regi occurrere Theorosburgenſis, Adolphus,
Suerini Henricus, & Comes, oppoſiti.
Parte ab utraque licet conſerta iterato cruenta
Bella, tamen regi obſiſtere non poterant.
Rensburgum, Itzehon rex vicit, victriorimque,
Tendens inſidiis caſtra metatus ibi.

Septima belli concurſio.

CAP. X.

TUnc Dux occurrens bello non ſegnis Adolphus
Ithzeum appulerat victor, ad arma celer.
Dux munimenta regalia ruperat iſthic,
Regaleſque mares in fera fata trahens.
Saxoniæ tunc Dux Henricus mœnia in una
Convenere Lubicana & Adolphus herus.
Et Comes Henricus de Suerino ante relatus,
Et Bremæ Antiſtes viſus ibi extiterat.
Bellum pro pace contra regem capienda
Decrevere rato & conſilio incolumi.
Concurrere acies fontalem ad curiam utræque
In Magdalenæ luce cruentiferæ.
Cædibus intererat parte in Theomarcia regis
Preſſa & preſſus erat Dacus ibi tetricus.
Vix centum maribus devenit repatriando
Confuſus triſtis oppetiiſſe datur.

De modo nactæ pacis.

CAPUT XI.

DAcorum Ericus rex factus, regius autem
Frater Abel Judithaniæ herus fuerat.
Dux Abel bella pro virgine filia Adolphi
Mathilda inſtiterat, hæc ſit ut uxor ei.
Dux dedit aſſenſum poſcenti Abel Duci Adolphus
Mathildam & nympham conjugem habere dedit.
Quo Guoldemerus facto diſcordiam haberi
Pertimuit fratres inter eos ſenior.
Pax inter Dacos data. regi nata Ducalis
Erico Henrici filia nacta Judith.

De

De magmentatione cultus divini per Adolphum Ducem.

CAPUT XII.

COnflata pace cum Dacis omnibus alma
Florens Holſatiæ Dux vir Adolphus erat.
Magmentans Chriſti cultum Dux pacifer almum in
Wageria clauſtrum Ciſmariæ ediderat.
Inde monaſterium Mundi-campi initiatum ab
Patre pio, complens Dux id Adolphus erat,
Clauſtrum inter muros Itzehoique Ducalis,
Herpheſthudenſe ſtruxit Adolphus & hoc.
Dux clauſtrum Krempis condens præſignis Adolphus
Franciſco pariter condidit Eccleſiam.
Et nova in Eccleſia Eccleſiæ conſtructor Adolphus
Dux Anthonio erat de Padua ipſe ſacro.
Pallenti in pago Dux claræ virgini Adolphus
Eccleſiam atque cruci victor is inſtituit.
Chriſtiparæ clauſtrum in Kilo Dux ſtruxit Adolphus.
Hæc conſummata dicta fuere ſibi.

De ſui ipſius oblatione.

CAPUT XIII.

MIllenoque ducenteno Chriſti quadrageno
Se Ipoliti in ſancti luce Deo obtulerat.
Militibus trinis cum Gikovienſibus artam
Franciſci veſtem aſſumpſerat Hammoniæ.
Chriſti in amore ardens timuit Dominum omnipotentem
Verna Dei vernans vermilitate ſua.
Veſtitus Khilo Franciſci veſte beati,
Paruerat (Monachus ut ſolet) uſque ſuis.
Tunc Comiti ſponſa ſeniori nacta Johanni
Saxoniæ Alberti eſt Eliſabetha Ducis.
Nuptiæ in Hammonia celebratæ, ſponſa ſed illo in
Anno deceſſit non ſine mœſtitia.

De admiſſione ſacerdotii.

CAPUT XIV.

MIllenoque ducenteſimo quadrageſimo in anno
Quarto aſpirabat presbyter ut fieret.
Ad petiit Romam Papa Innoquecentio ibidem
Presbyter admiſſus frater Adolphus erat.
Subque diaconus ab Johanne Antiſtite factus
Hammoniæ rediens Romipeta urbe prius.
Presbyter hinc factus Miſſam celebravit in ipſa
Gregorii luce primiciando ſuam.
Rite ſuam Helwigin cognorat mitis Adolphus
Unde Johannes, Gerhardus erantque Luder.
Quis in tutorem Ducem Abel ſocerum dedit horum
Terra eſſet tuta ab Principe Sleſvicio.

De deceſſu fratris & presbyteri Adolphi.

CAPUT XV.

IPſe ſeraphici in hoc ſacrifex ſacro ordine ſancti
Franciſci, annis viginti erat atque tribus.
Omnipotenti animam tradens tenebroſa reliquit
Pythagoræ in bivio celica regna tenens.
Summum ante altare in Khilio ſummi tumulatus
Verna æternum ver indubitato ferens.

HEN-

EXPLICIT.

Digitized by Google

HENRICI AQUILONIPOLENSIS POETÆ DE PRIMORDIIS LUBICANÆ URBIS CÆSAREÆ.

Libri II.

AD LECTOREM.

Qualiter urbs Lubica eſt ſtructa deſtructa ſub annis
Reſtaurata, lubet ſi modo ſcire ſtichis.
Barbarie vocum pulſa, Lubicographiale
Seu Lubicotrophium, in ordine geſta refert.

Ad magnificum, honorabilem & proſpectum Lubicenſem Senatum.

MAGISTER HENRICUS AQUILONIPOLENSIS POETA.

AUreus aſpiret hic Senatus Lubicenſis
Callens, artitus, Martipotensque ſagax.
In terraque mari famoſus honorificalis,
Mitis, manſuetus, magnificus, alacer.
Dum lubet hic Lubicanæ urbis primordia ferre
Claris da & brevibus ferre Thalia ſtichis.
Vera feram clari ut paraſitus Apollinis iſthic
Centauros non ab nube pedeſter agens.
Non labyrintheo ludam laſcivus in antro
Dedalii caveam limina cœca laris.
Ne ſit ſub modio ponendum nobile lumen:
Nec pſeuſtis placet hic verum Alithia Sophis.
Nectare & ambroſia cæleſti Jupiter etſi
Sit ſatur, oblata non tamen exta abicit.
Nec viduæ in templo Salomonis lanaque ſeta
Spretæ caprarum, ſive minuta duo.
Deſit olens Thereus, telum Ardee, edax Cocodrillus,
Hibrida ſons, anguis ſævus, hirundo ſtrepens.
Non abſcondibilis ſupra montem poſita urbs eſt:
Nec ſolem facibus adjuvem homuncio inops.
Conſcripti ô patres opus hoc Lubicographiale
Sit veſtrum, veſter ſitque Poeticulus.

De prima Lubicanæ civitatis vaſtatione reſtauroque.

CAPUT I.

ANno milleno ſub Chriſti ſeptuageno
Terno, Helmoldia ut Chronographia tenet.
Lubica Trithone Sclavorum ab principe magno
Pagum ad Suertovium inſtructa priore loco.

Deſtructa à Sclavis poſt eſt aliunde locata
Cum caſtro ab dicto principe ubi acta ſibi.
Ramis obſeſſa Domini milleſimo in anno
Centeno terno ſalva aliquandiu erat.
Primula de Sclavis ut ceperat Eccleſiam ipſa
Per Ranos fuerat depopulata truces
Reſtaurata ſubin Theorosburgenſi ab Adolpho
Urbs Comite inſigni & bellipotente viro.

De inhabitationibus mercantiarum Salinarumque obturationis Theodoslovii cauſſa.

CAPUT II.

TEmporis urbs autem ſucceſſu cum Lubicana
Magmentaretur ditificata foro.
Princeps ad Comitem præfatum dixit Adolphum
Reſtauratorem talia verba ferens.
Perlatum eſt ad nos jamdum, ut diminuatur
Bardum, cive olim urbs noſtra frequente ſuo.
Hæc mihi Poemoſa res, ſi forum id eſt Lubicanum
Cum mercatores plurimum ad hoc coeant.
Concio conqueritur Luneburgalis idem, quod
Sit Theodoslovii Sulcia quam nocua his.
Tu (rogo) des igitur urbis mediam Lubicanæ
Partem, partemque Sulciæ, Adolphe Comes.
Deſolatum nos Bardum graviter toleramus,
Et noſtræ damnum Sulciæ iniquo animo
Nec de cætero ob id mercantiæ erunt Lubicana in
Amplius hac urbe præcipiemus enim.
Mandarat fontes obturari ſalis acer
In Theodoslovio Dux Leo magnanimus.

De flammicrema civitate Leonipolique conſtructa.

CAPUT III.

POſt veſteo igne fuit urbs conſumpta voraci
Unde Ducis civis hæc Lubicanus ait,
Jam diu in urbe forum deerat propter tua juſſa hic:
Abſque foro & domibus eſſe ſupervacuum eſt.
Da ergo nobis alium locum idoneum, ubi ædificemus
Convenit Comitem Dux iterato prece.
Deſolatum, inquit, locum ab igne ſinat Comes urbe
Dux reſtauret eam: hoc abnuit ipſe Comes.
Non procul à Lubica Dux ergo novam ædificarat
Urbem, quæ fuerat dicta Leonipolis.
In terra Polaborum urbs hæc cum eſſet nova, ſed non
Apta Leonipolis illa foro fuerat.

De data pace priorisque urbis municipali.

CAPUT. IV.

PRo Lubica Comitem demum prece vel precio Dux
Demulcens victum caſtro urbem obtinuit.
Mox mercatores Duce præcipiente reverſi
Sunt Lubicam, & Lubice ad Inſulam, ubi ipſa modo eſt.
Nulla Leonipolis facta ex tunc Eccleſiæ urbis
Reſtauratæ etiam muri etiamque domus.
Tunc Princeps pacem mandarat in urbibus, omni
In regione maris finitima eſſe bonam.
Urbi jura dedit Princeps bonus atque monetam
Et theolonium ei, ſtaret honeſta ut ea.

De

Digitized by Google

De inſtitutione civili & regimine datis.

CAPUT V.

BIs forum in hebdomada ſtatuit generale ſecunda eſt
In quinta feria rite tenere ſuis.
Inſuper authoritatem dans his & honeſtos
Prudenteſque viros conſilio eligere.
Schultetum huc habuere usque hic vel Burgimagiſtrum
Jam cum conſulibus Burgimagiſter erat.
Seu Protoconſul ſeu dicendus Burgimagiſter,
Et ſcribens ſcriba eſt vel protoſcriba ſciens.
Scribæ lingua mea calamus ſcribentis enim mox
Sic agilem ſcribam rex cithariſta canit.
Judiciaria ſit & publica ſeſſio, ſcriba
Præſente illuſtris Dux Leon inſtituit.

De Cathedralis Eccleſiæ Lubicenſis inſtituto.

CAPUT VI.

FEcerat Eccleſiam Cathedralem (id agente Geroldo
Aldenburgenſi præſule) Dux Leo ibi.
Sedes deſignans clauſtrales canonicorum
Præbendas bis ſex conſtituitque ſibi.
Quaſdam autem decimas ſuperaddidit ipſe Geroldus
Imo Comes villas mitis Adolphus eis.

De obſidione Lubicenſis urbis.

CAPUT VII.

VRbs epaſſa Ducis Friderico ab Cæſare cincta &
Concluſa hoſtili in obſidione diu.
Deliberaturi petierunt quid faciendum
Contari cives à Dominoque ſuo hoc.
Si Leo ſuccurrat perſtemus: ſin, feciemus
Quod placitum Regi regum id honorifici.
Quod ſi ea noluerit Cæſar mage (nos mori honeſtos
Quam vita turpi vivere) conveniat.
Conceſſit Cæſar (delibrent) civibus iſti
Contarique ab hero mentem animumque ſuum.
Hoc autem adjecit, ſi non urbem redituris
Nobis præſtetis, ſit mora longa mori.

De deditione urbis & majoribus Privilegiis à Cæſare Friederico datis urbi Cæſarianæ.

CAPUT VIII.

ABſque mora ivere Stadium cives, ubi erat Dux
Cum Suerinenſi exinde reverſi & hero.
Sic ex præcepto Ducis urbem ſub ditione
Cæſarea dederant ſe Imperioque ſacro.
Magnifice ingrediens urbem ſuſceptus in hymnis
Clero & ab Urbanis civibus & reliquis.
Amplius ut caput urbibus iſta urbs eſſe marinis
Debeat, elegit præ reliquis & eam.
Aurum deferre poſſit Senatus eorum
Conceſſit Cæſar (militum ad inſtar) herus.
Conſiliatores in perpetuum Monocrator
Imperii elegit hoc ſibi jure ſacri.
Sed Comiti paſſo exilium propter ditionem
Cæſaream Cæſar ſemitributa dedit.
De theolonarique molendinis, trapeſetis,
Urbis, ſicque Comes partem habuit mediam.

Hhhh 2 De

De vaſtante Henrico Duce Holſatiam.

CAPUT IX.

Milleno Chriſti centeno quadraquegeno,
Anglico ab exilio Dux Leon ut rediit.
Tunc Theorosburgi Comes & cum Cæſare Adolphus
Abſens eſſet Dux ductus erat Stadium
Pacifica illuſtris Princeps ditione recepit
Dux Stadium, Holſatii & Stormarii obvii huic
Introitum dederant gaviſo, multa voventi
Exaltaturo hos magno in honore homines.
Et ſtatim cepit loca Dux Comitis generoſi
Vaſtare Hammoniam atque Itzehon atque Polonam.
Ejiciens Comitis homines ex his Leo Princeps.
Hoc ut Daslenſis viderat ipſe Comes,
Ipſe vices Comitis Theorosburgenſis Adolphi
Terra in Adolphina rite nepotis habens.
Cum hera Adelheide generoſa conjuge Adolphi
Se ad Lubicanam urbem ſe inde recepit herus.

De Bardi, quod dicunt Bardewick/ *deſtructione.*

CAPUT X.

Congeſto Henricus, multo agmine de Stadio, de
Brema & Dythmarcis, Stormaria, Holſatia,
Auxilio fretus Canuti regis, in illo
Tempore Bardum urbem cinxerat ille Leo.
Bernhardus Raceburgi, Suerinique Helimoldus
Bernhardus Guelpæ in parte Leonis erant.
Extiterant cives Bardo in dicta urbe rebelles
Principi eam nollent tradere, pacti in ea.
Sed Leo prævalidus cauda ingenti appulit urbem
Delaſſans demum ceperat in gladio.
Capta Bardo urbe, bellatores in eadem
Non parſere viri civibus, ha, miſeris.
Deſpoliata urbe hac ingens ululatus & ingens
Strages atque ingens veſta vorax ſubiit.
Deſtructis prorſus muris radicitus urbs hæc
Everſa, & tandem ab igne vorata fero.

De cauſſa deſtructionis Bardi.

CAPUT XI.

Tam miri vero populaminis & populorum
Cauſſam Egkardina Chronographia refert.
Principe privato dominatibus atque Ducatu
Sub Fridericea vi ditione manu.
Introitum cives Duci hero Henrico exilianti
Inficiati & eum ſe tolerare ſuum,
Portas clauſerunt, polum huic Antarcticum herili
Nudificavere ab muro homines miſeri,
Blaſphemi ſuperaddentes probramina, ob hanc rem &
Cauſam delevit urbem hominesque Leo.
Primores urbis inſurcaratque ſuis ex
Illis campeſtres fecerat eſſe nolas.
Urbs ex urbe autem jam nunc fundata niteſcens
Sit Luneburgus bellave Phœbipolis.

De

De Leone Duce iterum vaſtante Holſatiam.

CAPUT XII.

TUnc Princeps factus facto hoc animoſior, aucam
Martinalem ederet in Lubeca urbe Leo.
Permoti cives Lubicani cum appropriaſſet.
Urbi ob deſtructam hanc urbi etenim ante datam.
Certis pacifice præmiſſis ceperat urbem
Sub certa tali conditione Leo.
Daslenſis Comes Adolphus cum conjuge Adolphi
Theoreburgenſis cederet atque ſui.
Conceſſum omne fuit, urbem ut Dux obtinuiſſet
Omnem & Adolphinam & Holſatiam angarians.
Ille Lophenburgum Bernhardi Principis arcem
Vicerat abſentis urbe in Hieruſalem.

De Victrioreno caſtro, quod Segeberg dicitur vulgo.

CAPUT XIII.

SUccedentibus his ſic proſperitatibus ante
Victriorum caſtrum Dux Leo frenduerat.
Cumque homines Comitis ſervaſſent illud Adolphi
Tunc peregrinantis in regione Bethel.
Waldenſilenſi Gualthero Victrioris tunc
Fida à cuſtode tenta ſuo Comiti eſt.
Mutatis juvere animis & Holſatiana
Gualtherum & juvit Stormariana cohors.
Non minus auxilio de Schurgia Eghonis ea ipſa
Victriorena arx hæc inſuperata fuit.

De bello cis Trabenam habito.

CAPUT XIV.

PArs infirmata fuit hinc Henricia rurſus
Majo iterum turbas adveniente legens.
Ulciſci ſibi de adverſis ſperabat humumque
Holſatianam iniit pluribus armigeris.
Inter quos Bernhardus erat Raceburgius, atque
Helmoldus Suerinenſis & ipſe Comes.
Jordanus Dapifer Ducis ex & euntibus illis
Ex Lubicana urbe ut bella ſevera ferant.
Non longe à Lubicana urbe ipſi cum hoſtibus hoſtes
Congreſſi, enſe enſis, pes pede preſſus ibi.
Mactati plures fuerant de parte Ducali:
Plures ſubmerſos prompta Trabena bibit.
At Comes elapſus Raceburgenſis fuga in iſto
Bernhardus diro & Marte cruentifero.
Poſt non multo autem trecentis puri argenti
Marcis Helmoldus carcere liber erat.
Jordanus vero quia divitior, quam Helimoldus
Quingentis Marcis inde redemptus erat.

De victorioſo Cæſare Friederico.

CAPUT XV.

AD montem excelſum (qui dictus de populo mons
Vel Melibocus) eum rex Fridericus adiit.
Quo in monte Henricus ſibi caſtrum Cæſar habebat
Muro Harcesburgum prævalido obtinuit.
Lucentem vicit montem & Petram pluvialem
Cum Heymburgo caſtrum deſuperans nitidum.
Marte Levenburgum hæc Henrici caſtra Leonis
Hæc Fridericus rex exſuperabat herus.

De Raceburgo & Gadebuzo expugnatis ab Leone.

CAPUT XVI.

CUm in Natalitiis Chriſti feſtis Leo feſtum
 Phœbicoli Henricus atque diem almum ageret,
Coram nobilibus Raceburgiacum Comitem de
 Perfidia incuſans perfidum & eſſe ſibi.
Dum nil de objectis reſpondiſſet Comes, olli
 Dignum cum prole mancipiarat eum.
Quem ducens caſtro coram Raceburgiaco Dux
 Elapſum manibus de Ducis ipſe lego.
In Godebuzo uxore ſua cum proleque tota
 Devenit Comes hic Duxque ſecutus eum
Caſtrum expugnarat Godebuzenſe ſpolia ampla
 Deducens ante ſic Raceburgiacum.

De confirmatione Cæſarianorum Privilegiorum urbis condictoque bello.

CAPUT XVII.

VRbi quæ dederat Fridericus nomine primus
 Cæſar confirmans cuncta ſecundus erat.
Accipiens factum hoc Woldemarus tulit ægro
 Rex animo ſine ſe noluerat facitum hoc.
Conglomerans fortem cuneum cum claſſe frequenti
 In Theomarcos ſe primiter applicuit.
Hos (contra cives Lubicanos eſſe) coegit
 Condictum bellum & tempus utrinque fuit.

De Alexandro Lubicenſium Capitaneo.

CAPUT XVIII.

PRæſulis auxilio Bremenſis fratri & Adolphi
 Cives è Suerin non minus & Comitis.
En caput urbis Alexander de Solipoli vir
 Cum concivibus ad prælium anhelus erat.
Votum una cum civibus is vir verbigenali
 Vovit Mariæ & Magdaleæ dominæ.
Si Deus ex meritis harum daret ipſe tropheum
 Ædificare ipſis velle monaſterium.
Cathegorialis id & ordinis ad decus ævum
 Mariæ & Mariæ Magdaleæ almificis.

De bello executo & victoria Lubicanis obtenta.

CAPUT XIX.

REgem invenere Guoldemarum Dominumque
 Brunoviæ Ottonem Phœbipoliſque Ducem.
Conſerta in plano fera preſſæ bella miricæ
 Mox ad fontalem curiam utrimque dein.
Sancta hera præſidio Lubicanis civibus iſthic
 Magdalena fuit viſa profecto nitens.
Obcæcans radiis (veluti ſolaribus) hoſtes
 Danorum in faciem ſe oppoſuiſſe datur.
Sortito tali Lubicanis Marte triumpho
 Rex turpi elapſus eſt fuga & in modicis.
Non modicum hoc factum Danis damnum attulit iſtud
 Magdalene ea in luce cruentiferis
Ottonem Brunovie herum dederant Lubicani
 Saxoniæ Alberto pro libitu Domino.

De

Digitized by Google

De perſolutione voti executa vel exequenda.

CAPUT XX.

Cumque reintraſſent Lubicam urbem Lubicani
Caſtrum rumpebant regium uſque ad humum,
Unde in perpetuum tanti eſt memorale triumphi
Pro caſtro clauſtrum conditum id eximium eſt.
Inclauſtraverunt fratres clauſtre Dominici &
Cathegorialis ordinis eſſe ſacri.
Fratribus his plenum dantes cereviſiæ eadem
Dolium in hac ſacra luceque pauperibus.
Annua in hac etiam luce ipſi elimoſina alentes
Verbigeno Domini membra miſella Jeſu.

Ad Judices carminis hujus.

CAPUT XXI.

Non niſi tornatus per te lepidiſſime Doctor
Sic Guigbolde prius tranſeat iſte liber.
Tranſeat Egkhardo inſigni Doctore libellus:
Iſte velut Mecio Judice cautus eat.
Tranſeat eximio Doctore Johanne reviſus
Iſte ut Ariſtarcho judice terſus eat.
Tranſeat egregio Doctore Theoſophiali
Iſte Henrico Guenth judice honeſtus eat.
Vos Domini mei vos unius ordinis omnes
Tetragenus vos vos Cathegoria mei.
Cathegoriales mihi patres convenio & vos
Oro, ſic fiat, ante velut petitur.
Sive domi maneat nonumque premetur in annum
Quam Guigbolde liber ruſticulus Domine.
Taliter autem non depingitur ara triumphi
Quo laus & Jubilus cunctipotenti agitur.
Qua urbs, qua ſenatus urbis caneretur & urbis.
Caſta Venus, Juno clara, Minerva nitens.
Te ſine non fierent hæc mi pater ante relata
Nec prior iſte liber te ſine natus erat.
Primulum ob id librum pater ô Guigbolde ſecundo
Docte orituro addes auxiliante Deo.
Felices cuncti vos vivite, vivite patres,
Ad Chriſtum memores uſque Poeticuli.

INCIPIT LIBER II.

Urbis deſcriptio Lubicanæ geſtorumque ejus:

CAPUT I.

Urbs lutea ante fuit, ſed nunc lateritia fulgens
Blando in telluris rubra ſupercilio.
Declivum latus huic, decurrens colle gemellum
Cœleſtis pluvia purificare ſolet.
Omnes & ſtratas, quæ priſca vocabula grobis
(Dum urbs lutea eſſet) ab his obtinuere ſua.
Regia ſtrata, antiqua minor, antiquaque magna
Vectio & angelica groba per Antiphraſin.

Piſca-

Piſcatoria groba & groba ollaria magna, &
  Piſtorum eſt campanaria ſtrata patens.
Mixtorum ſtrata, Johannis ſtrata beati,
  Alphei ſtrata, ſtrataque piſcifera.
Carnificum ſtrata, Brunonis ſtrataque ciſta,
  Torum vel ſtrata, ſtrata vel Holſatiæ.
Strata peneſtica, parva Petri eſt magna profecto
  Strata Petri, & platea eſt Egidiana ſimul,
Tanquardi groba quis vicos, quisve latentes
  Vicorum introitus exprimat hos? nec ego.
Merlevi groba eſt, eſt groba canumque Ducalis
  Groba Effigialis ſtrataque, ſtrata molæ.
Tynnitalis mons, platea ampla, platea Cobergæ
  Magna caſtelli ſtrata notata ſatis.
Quatuor hujus ſunt urbis valuæ, Holſatiana,
  Valua molendini, valuaque & Hoxarica.
Portæ multiplices urbis ſunt præmemoratæ:
  Munimenta habet urbs fortia, turre frequens.
Fauſtos & fortes muros cellaria multa ab
  Multis cantata quis numerare poteſt!
Ordine recto ædes exſtructæ ſunt platearum
  Ornatæ cocto de lapide & vario.
Turritaſquæ arces altas & celſa viarum
  Urbs tollentia habet pegmata in aſtra caput.
Archetypum iſthic & argentum & chryſendeta in aulis
  Lectus conſpicitur purpureus genii.
Juno nitens, ſincera Venus, galeataque Pallas
  Viſa Poetæ aliis ſit recitenda locis.
Unde ſubarrhetur tenuis fortaſſe Poeta,
  Stans in certa ſpe quando ſubibit opus.
Incruſtatæ urbis auro Eccleſiæ imo ſacella
  Præcelſa auratis ara frequens tabulis.
Sculpturis vel Apelleis prorſus redimitæ
  Vel pictæ à magnifice irradiant.
Quatuor urbs hæc parochias habet inclyta, præter
  Eccleſiam ſummam in fine habili poſitam.
Virginis una eſt, una Petri, una Egidii eſt, ſed
  Eſt Jacobi quarta cuique decora nitens.
Bina monaſteria Sanctorum exculta duorum
  Unum Franciſci eſt, eſt Dominici aliud.
Unum autem eſt hoſpitale hoc ad Spiritum in urbe
  Præfata ſanctum, ſpiritui unde decus.
Cœnobium ſanctimonialium in ordine ſacro
  Sancti Johannis, quod fuit ante nihil.

De donis naturalibus urbis.

CAPUT II.

FLumine donarat urbem natura gemello, &
  Fertili, at una alia fertilior tamen eſt:
Wokoniza in meridiem à ſeptemque Trione
  Prælatus urbis amat inde Trabena & init.
Parte rotas una pellit Guokoniza molares
  Cum quo congaudet eſſe Trabena ferax.
Porro Trabena ex meridie ſeptemque Trionem
  Affluit urbi: urbis ad latus inque fretum.

Navi-

Digitized by Google

Navigia accedunt compluríma flumine ab iſto
De mari ad urbem iſtam, crebraque commoditas
Eſt forum onuſtum rebus oportunis Lubicanæ
Urbis ſub ſigno urbs inicitia libræ eſt.

De commercialibus Provinciis cum urbe.

CAPUT III.

EX Germania & alta & baſſa urbs auctaque multis
Ex regionibus ob mille negotia enim eſt.
Nunc ultra mare Balthicum & urbs Germanicum habet res
Ut Norwegiam & Sueciam agundo rates.
More pari Livonia, Ruſcia, Pruſcia pactæ
Sicque Polonia huic Lituania & Dacia.
Flandriaque, Anglia res Hibernia, Scotia cum urbe
Cum dictis dicta urbs per maria alta tenet.
Saxoniam in terris vel Gueſtfaliam aucta frequentat,
Thuringoſque, Heſſos Franconiam & Retiam.
Prævolitare Aquilam mage deſinat upupa quamvis
Sit criſtata fimo paſta apud Iſidorum.
Stagnales inter urbes caput urbs Lubicana.
Inter & urbs etiam ſeptuaginta duas.

De bello & triumpho contra Sundanos.

CAPUT IV.

CHriſti millenuſque ducentenus Domini annus
Quinquageſimus & tertius iſte abiit.
Tum cives urbis Sundæ præjudiciales
Cœpere in Lubicam eſſe proterviferi.
Nautica quapropter claſſis Lubicana in eoſdem
Educta armigeris Circipanorum in humo.
Obſidione gravi Lubicenſes ergo protervam
Urbem expugnarunt deſpoliando viri.
Cives illius urbis partim enecuere
Partim abduxerunt ſecum & eos Lubicam.
Hoc autem in bello atque aliis de Solipoli vir
Dictus Alexander Dux fueratque caput.
Qui meruit quod non datum in ante ulli aut dabitur poſt
Cum Arnoldo fratre in conſilio eſſe ſenum.

De Principibus & Dominis cum urbe confœderatis.

CAPUT V.

MIlleno, tricenteno, triceſimo in anno
Nono incarnati cunctipotentis heri,
Inferioris Teutoniæ Domini Comiteſque
Brunſuiciique Lophenburgiacique, Stettin/
Saxoniæ ac Wolgaſthi marchio Brandequeburgi
Holſatiæ & Suerin Albiqueburgiaci
Magnipolis Sclavi Bremæ pariter prothopræſul
Verdenſis Præſul de Lubica & Dominus.
Præſul de Suerin & Brandenburgicus atque
Præſul Havelbergæ cum Raceburgiaco.
Præfatorum urbes Dominorum atque oppida cuncta
Pacis commune conſtituere bonum.
Jurando jure ſexennem velle teneri
(Juravere omnes) inviolabiliter.

Digitized by Google

Sub pœna Banni pœna ſuſpendii eandem
Pacem mandarunt omnibus ergo locis.
Littera longa frequens nova ab Eccleſia expopulata
Per Lubicenſes deſtructaque Kemmin erat.
Æquata hinc Kuſchin terræ & Secheta & Novadorpis
Lauken Gorgaderſtorpis ad uſque ſolum.
Cum Nawendorpi , Culpin Reborſtque Stenhorſtum
Gundaviam æquarunt non minus inde ſolo.

De victis urbibus & caſtris in Dacia.

CAPUT VI.

Cum ſibi compactis Lubicenſes urbibus ex poſt
Sexcentos pro ſe & mille habuere viros.
Mercatorum indaginem eam fortiſſimum in ipſo
Danorum regno caſtrum adiere viri.
Caſtrum vicere Dux armigerorum Eberhardus
Murmanni & Attendorn Godeſcalcus erat.
Capto igitur tali caſtro Helſingoraque victa
Cum Valſterboda dehinc Nicopinga viris.
Schonora Alsholmum tandem vicere viriles
Regni hoſtes damno damna tulere viri.
Quapropter regni proceres treugando dedere
Schoniam ut hanc annis poſſideant ſedecim.
His verum attritis annis ſit Schonia regni &
Libera regis ea res rata, ab hac data pax.

De Principibus Dominiſque de novo confœderatis cum urbe

CAPUT VII.

Milleno Chriſti tricenteno Domini anno
Sub quinquageno ſeptimum & adjicias.
Rex Woldemarus Lubicenſi curiam in urbe
Principibus multis Nobilibuſque habuit.
Iſthic Guilhelmus Luneburgenſis erat Dux
Dux Stetinenſis & Caſimirus erat.
Waslaus Dux Wolgaſti & Saxoniæ Ericus
Albertus Dux Megapolitanus eo.
Marchio Romulus & Brandenburgi & Nicolaus
Henricus Comites ambo quidem Holſatiæ.
De Theorosburgo Comes hic generoſus Adolphus
Nobilibus multis militibuſque aderat.
Pacem ſervandam generalem conſtituere
Sub juramentis inviolabiliter.
Sub pœna mortis pœna ſuſpendii in unum
Compromiſere pacem & habere bonam.

De modo Regalis ingreſſus in urbem Lubicanam.

CAPUT VIII.

Multiplici allectus longe & lateque celebri
Fama urbis Cæſar viſere venit eam.
Milleno anno tricenteno & ſeptuageno
Sexto almarum poſt millium & undecim erat.

In

In Lubicanam urbem Carolus cum conjuge Cæſar
Suſceptus cum omni gloria honore pio.
Cæſareo lateri Agrippinus erat prothopræſul
Et Dux Albertus Magnipolenſis erat.
Dux Luneburgi infeudatus non minus iſthic
Albertus Brandenburgicus archi-Comes.
Marchio Miſnenſis Wilhelmus, huicque Jodocus
Moraviæ & Theorosburgiaci Comites.
Guntherus Comes ex Ruppin plures aliique
Fulgentes clara ex nobilitate ſui.
Cumque urbem ingredi herus deberet primo capellam
Gertrudis ſanctæ & regia inivit hera.
Ornamentis Imperialibus induerant ſe
Aſcendere ad equos eximios nitidi.
Sic introducti ſub Papilionibus altis,
Alternatim in faſtu egregio & decore.
Cæſareum frenum pedites duo Burgimagiſtri
Servabant miſſis ad latus ire & equis.
Induperatricis de conſulibus duo frenum
Ejus equi Alburni continuere mares.
Quatuor imo urbis domicelli Papiliones
Deportabant cujuslibet eximios.
Quivis tam de conſulibus quam de domicellis
Argento atque auro veſte politi abiles.
Quidam in pertica eques conſul claves Lubicanæ
Ducens urbis eas obtulerat domino.
Quem poſt immediate ibat Dux Saxoniæ & de
Phœbipoli enſiferis Imperialis erat.
Marchio Sceptriger hunc poſt Brandenburgicus Otto
Hos poſt proceſſit mox monocrator herus.
Ante autem Induperatricem aurato Fredericus
Pomo Agrippinus ſed protopræſul erat.
Cæteri heram illuſtres Domini ſimul & generoſi
Sectabantur eam & nobilitate mares.
Ingredientibus his urbis portas ab utraque
Parte & matronæ & nymphæ aderant celebres.
Totius & cleri proceſſio relligioſa
Cum cruce Chriſtifera & relliquiis habita eſt.
Imo deoſclata fuerat de Cæſare Chriſti
Crux & Cæſarea ab conjuge ſancta fuit.
Præceſſit cleri ad urbem proceſſio & ipſam
Majorem Eccleſiam clerus ibi cecinit.
Ecce advenit & hic Dominus dominator & orbis,
In cujus regnum eſt Imperiumque manu.
Judicium omnipotens regi da & cætera panxit
Cantu expleto ivit Cæſar ad hoſpitium.
Id fuit in cornu plateæ Johannis ubi olim
Darſavianorum curia eratve domus.
Nox non ulla fuit ardentibus abſque lucernis
Quaque domo regi & regiæ heræ in nitida.
Stantibus & Prothoconſulibus tum conſulibuſque hæc
Cæſar ait grates noſtræ urbis Domini.
Noſtri ſolennes noſtræ uxoriſque receptus
Nos non immemores convenit eſſe quidem.
Cui ſenior Jacobus humilis Pleſcovius hæc, nos
Non Dominos imo Cæſar ait famulos.

Huic rex nos ſcimus hanc de quinque urbibus unam
Imperii electis conſilioque viros.
Abſque licentia ubique & ſemper conſilium vos
Juratos deceat pergere ad Imperii.
Præfatæ urbes ſunt Roma atque Venetia, Piſa
His Florentia adeſt in numero & Lubica.
Quare vos Cæſar Dominos ego Cathegoriſo
Magnificos urbis magnificando patres.

De ludis in urbe frequentatis.

CAPUT IX.

TAm de illuſtribus & generoſis nobilibuſque
Vel validis haſtiludia & urbicolis.
Enituere dies curti decem heris Ducibuſque
Letiferi expenſis urbis enim gravibus.
Sic (quia poſcebat hoc magnificentia) factum eſt
In lætis rebus Cæſareiſque aliis.

De fortalitiis & caſtris.

CAPUT X.

SExcenti armati cum Cæſare contra Abiegnum
Montem ex hac urbe & machina bina dein.
Unde Abiegnus mons victus viridi inque mirica
Luneburgenſi præſtitus usque Duci.
De poſt everſum eſt Weningum per Lubicenſes
Caſtrum & vaſallos Holſatiæ Comitis.
Sed caſtrum Ricezovium humo æquatum prius exin
Reſtruxere viris fortibus impoſitis.
Duſovium præ & Laſſavium Redewin, Domenizis,
Fractaque Meimburgum & Gorteſa cum Sclavena.
Windolen, Hennigiſtorpim bellum adjice campum
Suingkulam & Robersdorpim & Suickridium.
Quippe vocabula ſunt per Campi ficta notis hæc
Non belle in noſtris ergo rotata ſtichis.

De proditione ſeditioſa urbi propulſa.

CAPUT XI.

VPupa præſumſit Aquila eſſe, Aſinus Leo quondam
Simia regnatrix ciſra figura fore.
Reſtrinxere ſibi multos in fraude protervos
Fraus fraudavit ſe & vis violens cecidit.
Credimus haud currat canis ad ſeptennia dullans
Concludi nequeunt peſſima fine bono:
Gemmalis fuerat tornator nomine quidam
Henricus prior in proditione calens.
Oſſiſecans alter Arnoldus, deinde Johannes
Calvuſque, Hermannus Mindæ, homines reprobi.
Facta fuiſſet res in Lamberti nocte, ſed hanc rem
Quodam avertebat notificante Deus.
Anno milleno tricento octuageno
Quinto addicti ſunt (ut meruere) rotis.
Perterrere reos tales civile ſolet jus:
Juſtos juſtitia juſtificare jubet.

De

De concurſu Lubicenſium cum Sclavorum Principe.
CAPUT XII.

ANno milleno quadringenteſimo & uno
Sclavorum Dominus Balthaſar infremuit.
Infremuit Barnham Dux Wolgaſt in Lubicenſes
Cum quadringentis ambo Phalangiferis.
Chriſtophori quondam ſancti accendere tabernam
Hoſce ſequebantur urbicolæ celeres.
De manibus devenerunt civilibus hi vix
Per caſtra Erici Phœbipolenſis heri.
Non ſine paucorum jactura ſaucius & non
Ad mortem Barnham Dux ſua facta luit.
Sic aliena optans ſua perdidit, & quia damnum
Intulerat, plura vix ſibi damna tulit.

De recompenſatione damni paſſi per Lubecenſes.
CAPUT XIII.

DE placito Stargardiaci Ducis Udalrici
Cives ſtellari in monte habuere ſuos.
Contra Balthaſar hi Sclavorum Principem herumque
Parchemiæ vaccas abſtulerantque pecus.
Intravere ſecundo hortum roſearium in igne
Vaſtantes villas multiplices inibi.
Guſtraviam obſedere dehinc illam obtinuiſſent:
Sed res per treugas pacificata fuit.
Milleno Chriſti quadringenteſimo in anno
Quarto Pleſcovius Dux Prothoconſul erat.

De effugato Duce Saxoniæ à Lubicenſibus.
CAPUT XIV.

MOllenum Dux Saxoniæ ductu molitoris
Johannis cepit conſulis & reprobi.
Quæ cum præfati percepiſſent mala cives
Magno armatorum ſub numero validi.
Cogerunt fugere illuſtrem ſic Principem Ericum,
Oppidum id incendit Duxque coactus ab his.
Non meliore modo poterat Dux effugere iſthinc
Adjuto nocuit nulla Megera Duci.
Terribilis quandoque foret civilis Eugo
Nam furor in curſu neſcit habere modum.

De ſolemniter reintroductis Senatoribus.
CAPUT XV.

COmmunem propter rem & ſanctam indigna aliquando
Præmia conſcripti ad damna tulere patres.
Immeritum paſſi exilium inſontes Lubicani,
Proceſſu juris perdocuere ſuo.
Poſt ſanctæ Trinitatis feſtum rediere
Primores feria tertio ab exilio.
Quodam in caſtello prope ad urbem ſe Lubicanam
Ante locaverunt hi Dominique Patres.
Ad quos venere cives captare favorem
Læti in muneribus ſympoſioque alacres.

Digitized by Google

Quidam (vt credendum eſt) ſpeciem oſtendere benignam
Extra, non intus hanc habuere tamen.
Extra urbis valvam convenerunt Domini autem
Sanctum ad Georium hoc urbem iniere modo.
Procopius dextra regalis Burgimagiſtro
Jordano à læva vir baſileus erat.
Poſt hos tranſivit Dominos, Dominus Prothoconſul
Marquardus dicto junctus in ante viro.
Cæteri eos Domini comitantes quis laterales
Tunc de prætenſis quatuor extiterant.
Hinc comitabantur paſſi exilium domicelli
Bini & bini omnes ordine quisque ſuo.
Grande ad ſpectaculum hoc regalis rite caterva
Movit complures ad lacrymas populos.
(Omnibus etſi vix beneventi æque extiterant hi)
Ad ſanctæ Eccleſiæ virginis inde ierant.
Burgimagiſtri illic inſtallati duo dictos
Per miſſos regis regio honore viros.
Æquo nempe modo Dominos ad ſtalla locarunt
Sic reliquosque aliis reddita jure loca.
De ſancta Trinitate hinc miſſa eſt celebrata
Solemnis poſt proceſſio facta fuit.
De Eccleſia ivere tunc conſiſtorium ad urbis
Atque ſuas ſedes quisque recepit ibi.
Sede ſedentibus his in præceptocia ad imum
De veris veniam competiere rei.
Burgimagiſter ait, pro omnibus his ob amorem
Chriſti omnem offenſam ex corde remittimus hanc.
Peccatoribus ut vobis ſit propitius rex
Regum veſtris ac omnibus omnipotens.
Jordani hæc tam Pleſcovii pia verba ſagacis
Multos moverunt ad lacrymas oculos.
Senatus reſtitutus ſolemniter ut cum
Vidiſſet plenum non fore ei numerum.
Pro Prothoconſule & Henrico Guiſthoff etiam pro
Goſwino Klingenbergio heris obitis.
Pro Brunone Guarendorpis Cononeque de Alen
Pro Hermanno Iburg Bernhardo & Pleſcovio.
Pro omnibus in Chriſti obitis infra exilium illud
Elegere alios ad loca heris vacua.
Marquardum Bonhorſti, Albertum è ponte, Gerardum
Hojeman Cononem Brekewaldiacum.
Arnoldum Sparenberge hos juxtaque locabant
Senatus ſe elegere novosque alios.
Quatuor his ex depoſitis (ſit ut unio perpes)
Sic & domicellari de numeroque duos.
Quinque elegerunt de mercatoribus ipſis
Senatus eſſet plenus ab his numerus.
Nomina vero de novo erant lapidis Thidomannus,
Et Johannes de Hervordia in ordine eo.
Dithmarus vir de Thurnis: Krulli Ludewicus
Iſti electi de depoſitis fuerant.
De domicellis Darſaviæ fuit ipſe Johannes
Muratæ Eccleſiæ & vir Thidemannus erat.
Johannes Fullo, Apri Johannes Thidemannus
Tzeruthin de mercantibus hi fuerant.

His

His Arpi Albertum & Hamelanum junge Johannem
Nam mercatores hi viri erant in eis.
Introducti octo Jordanus Burgimagiſter
Marquardus pariter Burgimagiſter erat.
De Calvis Reinerus & Henricus Meteleri,
De Stithen fuerat vir Nicolaus in his.
Weſtphalus Hermannus & Henricus Rapeſulver
Adjungas Jungen & Tidemannum ad eos.
Ne dum hæc olli lux urbi jucunda refulgens,
Verum & vicinis urbibus enituit.
Quapropter dictam lucem urbs celebrare quotennem
Solemniſandam in laude Dei ſtatuit.

Quod homo proponit, Deus autem diſponit.

CAPUT XVI.

IN natura ocioſum nihil hic Ciceroni eſt,
Diſponi entia amant non male Ariſtoteli.
Rem proponit homo, ſed diſponit Deus ut vult:
Nec male propoſita promovet omnipotens.
Chriſtophorus rex Danorum annis mille trecentis
Et quadringentis octo ferus Lubicæ
Tali à propoſito in Helmesburgo è medio rex
Ablatus Chriſti in pace habeat requiem.

De caſtris aliis victisque fortaliciis.

CAPUT XVII.

MIlle quadringentis Dominiq; decem novem in annis
Et Lubicenſes & Hammoniana cohors.
Bergdorpim octingentis equitum peditumque
Millibus in binis armigerum arcuerant
Vincentes pariter Ripenburgum & Cudewardam.
In ſeptem fratrum luce agitando reos.

De ingreſſu Friſiæ per Lubicenſes.

CAPUT XVIII.

MIlleno Domini quadringenteſimo in anno
Viceno pariter inque ſecundo agili.
De Lubicana parte unus fuerat Ludewicus
Krul Capitaneus & Stein Tidemannus item
Cum mille armigeris ac Hamburgenſibus una
Navigio Friſiam competiere mares.
Docken plenam piratis (qui navibus iſthuc
Devenere) agiles perdomuere viri.

De vitio Ingratitudinis.

CAPUT XIX.

MIlle quadringentis ſexageno & Domini anno
Nono in Palmarum luce beatifica,
Terræ primores venerunt Holſatianæ
In Lubicanam urbem conquerulando nimis.
De violenta vi Comitis reprimente Gerardi
Exheredare jamque parantis eos.
Ni aſſiſtentes his res hæc quaſi facta, ob eam rem
(Ne ſic damnentur) mutuo pacti & erant.

Ingrati inde piis Lubicenſibus imo fuerunt
Nec vitium ingratitudine majus erit.

Ne quis detrahat Principibus populi ſui.
CAPUT XX.

DE Theorosburgo Comes, Alph vulgo, vel Adolphus
Holſatiæ illuſtris ille pater patriæ,
Pacis amans, cultor Aſtreæ, flos pietatis
Nulli infeſtus, homo mitis, honeſta colens
Virtutis cuſtos, adverſus nemini, amicos
Aſſervans inopum adjutor, herilis honos.
Olli etſi proprium nomen per Proſtheſin auctum
Quidam de validis ridiculum dederant.
Civibus infeſti Lubicanis damna aliquando
Intulerant, ad herum facta querela gravis.
Hinc capti ſontes quidam intra urbem acephalat,
Sanctum ad Johannem pace quietem habeant.
Unde alii Domino querulati illis replicanti
Qui fueram vitulus amodo taurus ero.

De dieta in urbe per regem Daciæ celebrata.
CAPUT XXI.

CHriſternum rex Danorum cum fratre Gerhardo
Præſulibusque tribus militiisque ſuis.
In Lubicanam urbem rex venturos fore Suecos
Credens hoc ordinatum ut erat ſolide.
Sueci illum in regem caperent verſa vice dictum in
Pace ad quindenam manſerat hic Lubicæ.
Iſthic tractatum mercatori ſua cuique
Paſſa refundi nec damna refuſa ſibi.
Senatus magis atque magis ſua ſollicitabat
Tactam, tandem rex velle refundere ait.
Viginti & quinque marcarum millia ſpondens
Solvere, nam in promptu talia non habuit.
Khilum conſulibus pro pignore rex Lubicanis
Impoſuit Khilum his omagiatum & erat.
Inſulæ & Imbriæ humum Lubicani etiam tenuere
Jure pari tribus in Parochiis Domini.
Demum venere Sueci, ſed littus aratum eſt
Hac in re regem non voluere ſibi.

PRIMI

Digitized by Google

PRIMI ET ANTIQVISSIMI
Hiſtoriæ Saxonicæ Scriptoris
WITICHINDI MONACHI CORBEIENSIS, FAMILIÆ BENEDICTINÆ,
ANNALIUM LIBRI TRES
Emendatius & auctius quàm antea editi
Cum luculentis notis, quæ inſtar juſti commentarii eſſe poſſunt.

OPERA ET STVDIO
HENRICI MEIBOMII.

Digitized by Google

ADMODUM REVERENDIS, NOBILISSIMIS, MAGNIFICENTISSIMISQUE VIRIS, AC DOMINIS,

DECANO, SENIORI, ET RELIQVIS CANONICIS CAPITVLARIBVS

Illuſtris & primariæ in Germania Eccleſiæ Magdeburgenſis,

Patronis ſuis reverenter colendis,

Hanc OTTONIS Magni Imper. Auguſti Hiſtoriam metro & proſa deſcriptam notisque illuſtratam, adeoque in hoc volumine comprehenſum Saxonicæ antiquitatis theſaurum,

Offert, dicat, conſecrat

HENRICUS MEIBOMIUS
Acad. Juliæ Profeſſor.

HEN-

Digitized by Google

HENRICUS MEIBOMIUS
Junior
LECTORI S.

Non decreveram quidem huic Tomo alios Scriptores inſerere, quam eos, quos è MStis primus eruiſſet & publicaſſet Avus meus: cur tamen *Witichindi Annales* reliquis nunc addam, ſatis habeo cauſæ. Quamvis enim ille jam tum, iterata vice, ab aliis editus ſit, tamen Avi mei opera in illa editione, quam *Francofurti in Officina Danielis & Davidis Aubriorum & Clementis Sleichii Anno* MDCXXI procuravit, emendatior & auctior prodiit, plurimis notis adjectis: quas cum doctis placuiſſe intellexerim, & *pereruditas* eas vocet CL. *Bæclerus* in Ottone II, iteratam editionem eas mereri cenſui, ſeparare tamen ab ipſo *Witichindo* commodè non potui. Adjunxerat autem Avus meus *Witichindo* ſuo, in illa editione, alia nonnulla, ut *Panegyricum Roswithæ Monialis Gandershemenſis* de rebus Ottonis, antea quidem editum, ſed notis itidem à ſe illuſtratum' & præterea nunquam antea publicatam *Erectionem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis geminam*, cum tribus decadibus *Diplomatum & Donationum Ottonis M.* Quæ omnia ad Saxoniæ & Imperatoris illius hiſtoriam plurimum conducentia, & mutuo ſeſe illuſtrantia, ſimul iterum, novo hoc habitu, comparere in publico volui. Cum vero eodem tempore *Chronicon Monaſterii Corbejenſis, & Translationem S. Viti & Juſtini Martyrum in Novam Corbejam, ejusdemq; Monaſterii Fundationem* ex MStis Avus meus eruiſſet, *Witichindo*, Corbejenſi Monacho, ea adjecit; ideoque & ego, notulis quibusdam ejus illuſtrata, in hoc Tomo, merito ſuo, comparere omnia juſſi. Vitam *Witichindi* hujus Avus meus accuratè deſcripſit, quam hic, una cum teſtimoniis de illo, præmiſi.

Digitized by Google

VITA WITICHINDI MONACHI CORBEIENSIS

COLLECTA

AB

HENRICO MEIBOMIO.

NAtus eſt Witechindus in Saxonia, quod patet ex initio libri primi, ubi ſe generis gentisque ſuæ devotioni in hoc Opere Hiſtorico elaboraturum innuit. Adoleſcens quod ingenio valeret & religionis amore flagraret, deductus eſt in Scholam Monaſticam Corbeienſem, in qua tum temporis ſtudia literarum ut maxime florebant. Cum enim ſcholæ publicæ in Germania nullæ eſſent, in ſingulis pene cœnobiis ſcholæ monachorum habebantur, quibus monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatiſſimi, qui non ſolum in divinis ſcripturis docti eſſent, verum etiam in mathematica, aſtronomia, arithmetica, geometria, muſica, rhetorica, poeſi, & cæteris omnibus ſecularis literaturæ ſcientiis eruditiſſimi habebantur, verba ſunt Joan. Trithemii Chron. Hirſaug. ad annum 890. Quanta cupiditate diſcendi flagrarit Witichindus, oſtendit idem Trith. ad annum 952. & 954. ubi memorat eum excitatum fama Meginradi monachi & ſcholaſtici Hirſaugiam veniſſe, eumque cum admiratione docentem audiviſſe. Verba Trithemii adjungere libet: *Hic etiam* (Witichindus) *in eo libello, quem ſcripſit de ſtudiis veterum, fatetur ſe fama Meginradi ſcholaſtici & monachorum S. Aurelii incitatum, veniſſe ad Hirſaugiam, & cum eis diebus multis habuiſſe colloquium, tantumque ibi vidiſſe ſtudium & fervorem monachorum ad ſcientiam ſcripturarum, tamque doctiſſimos reperiſſe viros, ut ſatis nequiverit admirari, ipſumque Meginradum ſcholaſticum, præcipuis laudibus effert, dicens, eum eſſe alterum Hieronymum & nulli veterum eruditione inferiorem.* Hactenus Trithemius, qui ibidem addit Witichindum in Corbeienſi monaſterio ſcholæ monachorum publicæ præfuiſſe, & complures diſcipulos poſt ſe doctiſſimos reliquiſſe, ex quibus multi ad epiſcopatus & abbatias diverſas poſtea fuerint aſſumti. Quo tempore obierit Witichindus non conſtat: in munere ſcholaſtico ſucceſſorem habuit Otricum virum ſanctum, & tam in divinis, quam in ſecularibus literis eruditiſſimum, ut Trithemius. Ab Alberto Stadenſe nominatur Magnus: meminit ejus etiam Adamus Bremenſis lib. 2. cap. 6. innuens quod diſcipulum habuerit Thiadhelnum, Bremenſem ſcholam florentiſſimam regentem. Quomodo idem Otricus Magdeburgi ex magiſterio ſcholæ archiepiſcopus ejus loci electus, ſed in itinere Romano defunctus ſit, exponit Ditmarus Merſepurg. lib. 3. ubi addit neminem ſapientia ac facundia ſibi ſimilem reliquiſſe. Sed ad Witichindum revertamur. Is nonnulla ingenii ſui monumenta poſteritati reliquit, quæ recenſet Trithemius libro de illuſtribus Germaniæ Scriptoribus in hunc modum:

Widichindus monachus Corbeienſis cœnobii in Saxonia, vir in divinis ſcripturis doctus & in ſecularibus literis eruditiſſimus, ingenio promptus & clarus eloquio, metro excellens & proſa, ſcripſit utroque ſtylo multa præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteritati conſecravit, è quibus ego tantum vidi ſubjecta:

Ad Mechtildam filiam Ottonis I. de geſtis Saxonum lib. 3.
Ad eandem geſta Ottonis primi lib. I.
Sermones ad fratres lib. I.
Epiſtolarum ad diverſos lib. I.
Vitam Divi Pauli eremitæ proſaice & metrice lib. 2.
Paſſio Teclæ virginis ſimiliter metrice lib. I.
Epigrammaton lib. I.
Alia inſuper multa ſcripſiſſe legitur, quæ ad notitiam meam non pervenerunt.
Claruit temporibus Ottonis M. anno 950.

Ha-

Digitized by Google

Hactenus Trithemius dicto loco, quem adi etiam libro de Scriptoribus eccleſiaſticis. Sed hæc omnia, ut & *liber de ſtudiis veterum*, cujus ſupra facta mentio, hiſtoriâ Saxonica, unoque epigrammate ſive poematio excepto injuria temporum hominumq; incuria interierunt. Saxonica hæc primus edidit ſub annum Chriſti 1532. typis Hervagianis Martinus Frechtus, homo Suevus, profeſſione Theologus, de quo qui plura ſcire deſiderat, legat Proſopographiam Henrici Pantaleonis, medici Baſileenſis, parte tertia. Teſtatur Frechtus inveniſſe ſe hunc theſaurum Eberaci ad Rhenum in tenebris, dignumq; exiſtimaſſe, qui lucem videret. Forte autem reperit in bibliotheca monaſterii, quod ibi eſt familiæ Ciſtercienſis, conditum ab Alberto archiepiſcopo Moguntino anno 1133. ut ſcribit Trith. Chron. Sponh. & Bruſchius in hiſtoria archiepiſc. Mogunt. de pago Ringow, in quo ſitum eſt Eberbachium, ſive Erbachium, præclaro Althamerus in Taciti Germaniam, etſi non bene à Ring, quod Germanis annulum ſignificat, nomen derivet, cum à Rheno promanaſſe veriſimilius ſit. Hiſtoriam Witichindi completam eſſe ab alio quopiam ſcribit Trith. præfatione in Chronicon Hirſaugienſe, verum de eo auctore nihil nobis conſtat. Pantaleon, cujus antea memini, ſecunda parte Proſopographiæ duos nobis rerum Saxonicarum ſcriptores obtrudit, Windichinum & Widichindum cujus hic illius ex fratre nepos fuerit, uterq; cœnobita Corbeienſis: ſed deceptus videtur ab Irenico, cujus locum infra producemus, & à diverſitate ſcriptionis, mire enim hoc nomen corrupere tam Sigebertus, quam Trithemius: nam hic ſcribit Windechinus, ille Witichildus, ſive ut quædam habent exemplaria Windichildus. Eſt autem nomen ipſum à ſapientia, quæ Germanis Witte, unde Wittikindus, quaſi dicas, ſapiens puer. Scripta Witichindi legit Conradus abbas Urſbergenſis: legit Albertus Stadenſis & poſt utrumque meminit eorum Gobelinus Perſona, qui ante ducentos annos hiſtoriam ſuam ſcripſit. Cum primæ editionis exemplaria diſtracta eſſent, ante hos 43. annos Reinerus Reineccius codicem manuſcriptum nactus, eum cum edito contulit, novamq; editionem procuravit, ſumptus faciente Andrea Wechelo typographo nobiliſſimo. In qua cum aliquid deſiderarem, diſtractis exemplaribus, tertiam hanc adornavi adjutus ſimiliter ope manuſcripti Codicis etſi non integri, ſed alicubi mutilati. Malui autem Frechtianum exemplar ſequi, quam Reineccianum, cum locupletius ſit veteremq; mediæ ætatis ſcripturam retineat. Addidi etiam notas, quæ inſtar Commentarii eſſe poſſunt. Præterea cum Witichindo copulavi Roſwitham Poetriam, quæ Ottonis M. res geſtas carmine Heroico deſcripſit. Utq; varietate rerum lectori gratificarer, addidi nonnulla alia lectu non indigna. In cæteris dandum fuit aliquid monaſterio Corbeienſi, quod nobis non tantum Witichindum Hiſtoricum, verum multos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Archimandritas & viros inſigniter doctos dedit, adeoque primaria utriusq; Saxoniæ ſchola aliquot ſeculis fuit: imo rempublicam literariam inſigni omniq; prædicatione digno beneficio affecit, conſervatis quinq; prioribus Annalium Cornelii Taciti libris: qua de re ſic ſcribit Juſtus Lipſius ad 2 librum Annal. Taciti: *Quinque hi priores libri inventi ſunt Corbeiæ, quod monaſterium ad Viſurgim eſt, atq; illinc depromptum vere hunc theſaurum quæſtor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.* Hæc ille, candide & ſincere. Andreas Alciatus more ſuæ gentis Germanorum laudi invidens in quodam hiſtoriæ encomio ad Galeacium Vice-Comitem ſcripto, hujus rei meminit, ſed cum injuria noſtræ gentis ac veritatis diſpendio, ſic enim garrit: *Eſſet adhuc ἀκέφαλος Tacitus, niſi Chriſtiani orbis Max. Pontifex Leo X. priores quinque libros de barbaris redemtos, poſtliminio ut tandem reverterentur, effeciſſet &c.* Siccine rependis beneficium acceptum Alciate? verum ſimilis ſtudes eſſe popularibus Tuſcis, de quibus Trith. Chron. Hirſaug. in hanc ſententiam: *Anno Sigeri abbatis 8. qui à Chriſto nato 960. Venerunt legati Tuſcorum ad Ottonem primum Imp. petentes ſibi dari aliquem qui eos in via veritatis inſtrueret, quibus miſit Adelbertum, ex monacho Corbeienſi epiſcopum virum doctum & ſanctum, qui vix evaſit manus eorum &c.* Vere tu Alciate inter Longobardos bardus: merito ejus urbis civis, quæ propter rebellionem, perjuria, tyrannidem aliaq; ſcelera à Germanici ſanguinis Imperatore ſolo æquata, aratriſq; in agri ſpeciem proſciſſa non frugis, ſed ad ludibrium ſalis ſemen accepit. Sed faceſſant iſta. Noſtram operam in his auctoribus partim illuſtrandis, partim edendis, æqui boniq; benevolus lector conſulat, pluraq; ejus generis à nobis expectet.

TESTIMONIA AUCTORUM QUORUNDAM DE WITICHINDO MONACHO.

SIGEBERTUS Gemblacenſis.

ANno Domini 973. Otho ſenior Imperator obit, cujus vitam Witichildus (ſic enim nominat) *deſcripſit: qui etiam hiſtoriam Saxonum uſque ad hunc annum deſcripſit.*

IDEM de Illuſtr. Eccleſ. Scriptor. c. 130.

Winduchindus Monachus Corbejæ Saxonicæ ſcripſit Hiſtoriam Saxonum uſque ad mortem primi Ottonis Imperatoris & ad Mathildam filiam Ottonis Imperatoris, ſcripſit vitam ipſius Imperatoris. Scripſit metricè paßionem Teclæ virginis, & vitam Pauli primi heremitæ alterno ſtylo ſcripſit.

ANTONINUS FLORENTINUS Chronici parte 2. titulo 16. capite 3.

Otto primus obiit, cujus vitam Vindechildus monachus ſcripſit: qui & hiſtoriam Saxonum uſque huc deſcripſit.

GOBELINUS Perſona Coſmodr. ætat. 6 cap 38.

Fuit quidam conventualis monaſterii Corbejæ, Paderbornenſis diæceſis, Witikindus nomine, qui ſcripſit geſta Saxonum & præcipue Ottonis M. & ſuorum genitorum.

JOANNES Cuſpinianus in hiſtoria Ottonis Magni.

Windichildus monachus Saxonum eſt hiſtoriam complexus ubertim uſque ad Ottonis tempora.

FRANCISCUS IRENICUS Exegeſeos Germaniæ libro duodecimo.

Saxonum res propriis hiſtoriis complexi ſunt Vindichildus Adalberio, qui uſque ad Thedoricum ſcripſit ad annum 953. Vitikindus etiam & Hermannus diligentißimi Saxonum hiſtorici multa memoria res Saxonum ſunt complexi. Et Henricus Erphordienſis Saxonum enarrator, qui inter cætera illam Saxoniam ab Albi ad Weſeram Oſtro-Saxoniam: à VVeſera vero ad Rhenum Viſo-Saxoniam nuncupat.

REINERUS REINECCIUS præfatione in ſuam Witichindi editionem.

Eſt quæ ab antiquitatis Germanicæ ſtudioſis legatur hiſtoria hac digniſſima, nec facile reperias, qui de HENRICI *Aucupis &* OTHONIS *Magni, Cæſarum, rebus geſtis, quamvis compendiario, vel accuratius, vel majore cum fide explicet. Quando nimirum auctor circa eadem tempora vixerit, & omnium fere oculatus teſtis extiterit.* Et paulo poſt. *Oratio VVitichindi maxima ex parte tolerabilis eſt, nec iſti ſeculi conſuetæ facundiæ ornamentis caret. Et quaſi modum tenet de ſomniis monaſticis, in quibus inculcandis parcus & modicus eſt, ſecus quam plerique iſtius temporis ſcriptores, quorum ſtudium præcipue circa ea occupatum cernimus.*

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES LETZNERUS in vita Ludovici Pii Imperatoris capite. 19.

In Corbejorum Phrontiſterio repertus eſt liber egregius deauratus & gemmis excultus, in quo erant deſcripta quatuor evangelia: quorum initia valde variis & exquiſitis literis excolorata cum ſequentibus verſibus, autore VVitichindo ejuſdem monaſterii monacho.

Confiteor tibi trine Deus, qui crederis unus.
Hoſtia grata tibi mea ſit confeſſio laudi.
Heu! heu! me miſerum, quo jam divertere poſſum?
Ad te mi Domine Ieſu, miſerere benigne.
Arctor enim validis auctus per crimina vinclis.
Vltima noſco mea pejora prioribus acta.
Da veniam, ſcelerum nimium diſſolve reatum.
Ne me digna luam, bona ſed tua larga capeſſam.
Iam miſerere mei Deus ô miſerere precantis.
Cernor ut innocuus, ſed ſum ſceleratior ullis
Sicut ovis habitu, ferus at lupus efferor actu.
Lingua, mente, manu mala peſſima quæque patrando.
Pœnitet atque pudet me ſic feciſſe funeſte.
Da veniam, ſcelerum nimium diſſolve reatum.
Sum gravibus miſer ac levibus vitiis maculatus,
Invidus, impurus, tumidus, cupidus, furibundus:
Inveterata malis mea vita putreſcit in annis.
Quam tibi deliqui meditando, loquendo, gerendo!
Poſt gemitus lacrymasque juges pro crimine fuſas
Vt canis ad veteres vel ſus trahor improba ſordes:
Aut equus in frenis fractis ceu mulus habenis
Ad nequiora volens ſemper nolensque revolvor
Sic impoſtor ago ſpecie ſub religioſa:
Sic male ſueta vias repetit mens cæca vetuſtas
In quod ſponte ruit patiens invicta remiſcit.
Hæc non ficta loquor; ſed re veraciter angor.
Iam deſperarem, niſi te mitiſſime ſcirem.
Iam miſerere mei, Deus ô miſerere precantis.
Spem vel opem ſine te nec habentis nec cupientis.
Omnipotens te Chriſte precor, miſerere precantis.
Cum puro te corde colo, cum numen adoro
Chriſte tuum, legesque tuas: cum dogmata ſector
Chriſte tua & trinum veneror te nomine & unum,
Da veniam erranti, parcas peccaſſe fatenti
Succurraſque meis rex clementiſſime regum.
Vt vivam felix & mente & corpore ſanus,
Æternique fruar poſt mortem luminis aura.
Chriſte piam matrem, fratres caroſque propinquos,
Et mihi jocundos per tempora longa ſodales
Cuſtodire velis, quæſo, ô rex maxime regum.

Soli Deo gloria, non nobis.

Digitized by Google

ANNALES

WITICHINDI MONACHI CORBEIENSIS FAMILIÆ BENEDICTINÆ,

AD MATHILDAM REGINAM AUTORIS PRÆFATIO.

FLore virginali cum majeſtate Imperiali, ac Sapientia ſingulari fulgenti Dominæ MATHILDÆ, ultimus ſervulorum Chriſti martyrum Stephani atque Viti, Corbejus V. totius ſervitutis devotiſſimum famulatum, veramque in Salvatore ſalutem. Quamvis te paternæ potentiæ gloria ſingularis magnificet, ac clariſſima decoret ſapientia, noſtra tamen humilitas præſumit de proxima ſceptris ſemper clementia, quia noſtra devotio à tua pietate ſuſcipiatur, etiamſi non mereatur. Nam cum noſtro labore patris potentiſſimi aviq; tui glorioſisſimi res geſtas memoriæ traditas legeris, habes unde ex optima & glorioſiſſima melior glorioſiorque efficiaris. Nec tamen omnia eorum geſta nos poſſe comprehendere fatemur, ſed ſtrictim & per partes ſcribimus, ut ſermo ſit legentibus planus, non faſtidioſus. Sed & de origine ſtatuque gentis, in qua ipſe rerum Dominus primus regnavit, pauca ſcribere curavi, ut ea legendo animum oblectes, curas releves, & pulcro ocio vaces. Legat igitur tua charitas iſtum libellum ea pietate noſtri memor, qua eſt conſcriptus devotione. Vale.

WITI-

WITICHINDI MONACHI CORBEIENSIS ANNALIUM

LIBER I.

POſt operum noſtrorum primordia, quibus ſummi Imperatoris militum triumphos declaravi, nemo me miretur Principum noſtrorum res geſtas literis velle commendare: quia in illo opere profeſſioni meæ, ut potui, quod debui, exſolvi; modo generis gentisque meæ devotioni, ut queo, elaborare non effugio. Et primum quidem de origine ſtatuque gentis pauca expediam, ſolam penè famam ſequens in hac parte, nimia vetuſtate omnem ferè certitudinem obſcurante. Nam ſuper hac re varia opinio eſt, aliis arbitrantibus de Danis Nortmannisq; originem duxiſſe Saxones, aliis autem æſtimantibus, ut ipſe adoleſcentulus audivi quendam prædicantem, de Græcis, quia ipſi dicerent, Saxones reliquias fuiſſe Macedonici exercitus, qui ſecutus magnum Alexandrum immatura morte ipſius per totum orbem ſit diſperſus. Cæterum gentem antiquam & nobilem fuiſſe non ambigitur, de quibus & in concione Agrippæ ad Judæos in Joſepho oratio contexitur, & Lucani Poetæ ſententia probatur. Pro certo autem novimus, Saxones his regionibus navibus advectos, & loco primum applicuiſſe, qui usq; hodie nuncupatur Hadolaun. Incolis vero adventum eorum graviter ferentibus, qui Thuringi traduntur fuiſſe, arma contra eos movent: Saxonibus verò acriter reſiſtentibus, portum obtinent. Diu deinde inter ſe dimicantibus, & multis hinc inde cadentibus, placuit utrisq; de pace tractare, & fœdus inire: ictumq; eſt fœdus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendiq; copiam, cæterum ab agris, à cæde hominum atq; rapina abſtinerent: ſtetitque illud fœdus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defeciſſet pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem ſibi pacem arbitrabantur. Ea igitur tempeſtate contigit adoleſcentem quendam egredi de navibus oneratum multo auro, torque aurea, ſimulque armillis aureis: cui obvius quidam Turingorum, quid ſibi vult, inquit, tam ingens aurum circa tuum famelicum collum? Emtorem, inquit, quæro, ad nihil aliud iſtud aurum gero: qui enim fame periclitor, quo auro delecter? At ille qualitatem quantitatemque precii rogat. Nullum, inquit, mihi Saxo, eſt diſcrimen in pretio, quicquid dabis gratum teneo. Ille vero ſubridens adoleſcentem, quid ſi, inquit, de iſto pulvere ſinum tibi impleo? erat enim in præſenti loco egeſta humus plurima. Saxo nihil cunctatus aperit ſinum, & accepit humum, ilicoq; Turingo tradidit aurum: lætus uterque ad ſuos repedat. Turingi Turingum laudibus ad cœlum tollunt, qui nobili fraude Saxonem deceperit, fortunatumque eum inter omnes mortales fuiſſe, qui vili pretio tam ingens aurum poſſederit. Cæterum certi de victoria, de Saxonibus jam quaſi triumphabant. Interea Saxo privatus auro, oneratus vero multa humo appropiat navibus. Sociis igitur ei occurrentibus, & quid ageret admirantibus, alii eum irridere cœperunt, amicorum alii arguere, omnes pariter amentem eum crediderunt. At ille poſtulato ſilentio, ſequimini me, inquit, optimi Saxones, & meam vobis amentiam probabitis utilem. At illi, licet dubii, ſequuntur tamen ducem. Ille autem ſumta humo per vicinos agros quam potuit ſubtiliter ſparſit, & caſtrorum loca occupavit. Ut autem videre Thuringi caſtra Saxonum, intolerabilis res eis viſa eſt, & miſſis legatis conqueſti ſunt de rupto fœdere, ac violato pacto, ex parte Saxonum. Saxones reſpondent, ſe hactenus fœdus inviolabiliter ſervaſſe: terram proprio auro comparatam cum pace velle obtinere, aut certe armis defendere. His auditis, incolæ jam maledicebant aurum Saxonicum, & quem paulo ante felicem eſſe prædicabant, auctorem perditionis ſuæ, ſuæque regionis, fatentur. Ira deinde accenſi cœco marte ſine ordine & ſine conſilio irruunt in caſtra: Saxones verò parati hoſtes excipiunt ſternuntque, & rebus proſpere geſtis proxima circumcirca loca jure belli obtinent. Diu itaq; crebroq; cum ab alterutris pugnatum foret, & Thuringi Saxones ſemper ſibi ſuperiores fore penſarent, per internuncios poſtulant, utrosq; in-

ermes convenire,& de pace iterum tractare,condicto loco dieque. Saxones poſtulatis ſe obedire reſpondent. Erat autem illis diebus Saxonibus magnorum cultellorum uſus, quibus usque hodie Angli utuntur,morem gentis antiquæ ſectantes. Quibus armati Saxones ſub ſagis ſuis procedunt caſtris,occurruntq; Turingis condicto loco. Cumq; viderent hoſtes inermes & omnes principes Turingorum adeſſe,tempus rati totius regionis obtinendæ, cultellis abſtractis ſuper inermes & improviſos irruunt, & omnes fundunt,ita ut ne unus quidem ex eis ſuperfuerit. Inde Saxones clari exiſtere,& nimium terrorem vicinis incutere cœperunt. Fuerunt autem & qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim noſtra lingua Sahs dicuntur,ideoque Saxones nuncupatos,quia cultellis tantam multitudinem fudiſſent. Dum ea geruntur apud Saxoniam,quæ ita modò vocitatur,regionem,Britannia à Veſpaſiano Principe jam olim inter Provincias redacta,& ſub clientela Romanorum multo tempore utiliter degens,à vicinis nationibus impugnatur,eo quod auxilio Romanorum deſtituta videretur. Populus namque Romanus Martiali Imperatore à militibus interfecto , externis bellis graviter fatigatus,non ſufficiebat ſolita auxilia adminiſtrare amicis. Extructo tamen ingenti opere ad munimen regionis inter confinia à mari usque ad mare , ubi impetus hoſtium videbatur fore,relinquebant regionem Romani. Sed hoſti acriori,& ad bellandum promto ubi gens mollis & pigra belli reſiſtit, nulla difficultas in deſtruendo opere fuit. Igitur fama prodente de rebus à Saxonibus proſperè geſtis,ſupplicem mittunt legationem ad eorum poſtulanda auxilia. Et procedentes legati : optimi,inquiunt Saxones,miſeri Bretti,alias Bracti,crebris hoſtium incurſionibus fatigati,& admodum contriti,auditis victoriis à vobis magnifice patratis,miſerunt nos ad vos , ſupplicantes, ut ab eis veſtra auxilia non ſubtrahatis. Terram latam & ſpatioſam & omnium rerum copia refertam,veſtræ mandant ditioni parere. Sub Romanorum hactenus clientela ac tutela liberaliter viximus : poſt Romanos vobis meliores ignoramus : ideo ſub veſtræ virtutis alas fugere quærimus. Veſtra virtute,veſtris armis,hoſtibus tandem ſuperiores inveniamur,& quicquid imponitis ſervitii libenter ſuſtinemus. Patres ad hæc pauca reſpondent : Certos amicos Brettis Saxones ſciatis, & eorum neceſſitatibus atque commodis æque ſemper affuturos. Legati læti in patriam redierunt, exoptato nuncio ſocios lætiores reddentes. Deinde promiſſus in Britanniam mittitur exercitus, & gratanter ab amicis ſuſceptus , in brevi liberat regionem à latronibus , reſtituens patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris fuit, quippe qui jam olim audita fama Saxonum,perculſi terrebantur,tum modo præſentia eorum procul pelluntur. Erant enim hæ gentes Brettis adverſæ, Scoti & Pehiti , adverſus quos militantes Saxones accipiebant à Brettis omnia ad uſum neceſſaria. Manſerunt itaque in illa regione aliquanto tempore,vicaria Brettorum bene uſi amicitia. Ut autem viderunt Principes exercitus terram latam ac fertilem,& incolarum manus ad bellandum pigras, ſe vero ac maximam partem Saxonum ſine certis ſedibus , mittunt ad evocandum majorem exercitum,& pace cum Scotis & Pehitis firmata, in commune contra Brettos conſurgunt , eoſque regione propellunt,& ſuæ ditioni regionem diſtribuunt. Et quia illa inſula in angulo quodam maris ſita eſt, Angli Saxones uſque hodie vocitantur. De quibus omnib. ſi quis plenius ſcire voluerit, hiſtoriam gentis ejuſdem legat ,& ibi inveniet , quomodo, aut ſub quibus ducibus, hæc omnia acta ſint, vel qualiter ad Chriſtianitatis nomen per virum ſuis temporibus ſanctiſſimum, Papam videlicet Gregorium , pervenerint. Nos vero cœptam hiſtoriæ viam recurramus. Poſt hæc moritur Huga. Clodoveus Rex Francorum, nullum alium heredem regni relinquens præter unicam filiam nomine Amalbergam , quæ nupſerat Erminfrido , Regi Turingorum. Populus autem Francorum à ſeniore ſuo humane clementerq; tractatus,pro gratiarum actione rependenda,filium,quem ex concubina genuit,nomine Thiadericū,ungunt in regem. Thiadericus autem deſignatus rex mittere curavit legationem ad Erminfridum pro pace atque concordia : & ingreſſus legatus ad Erminfridum : Mortalium,inquit,optimus maximus dominus meus, Thiadericus,miſit me ad te,exoptans te bene valere,& lato magnoq; diu imperio vigere , ſeque tibi non dominum , ſed amicum, non Imperatorem , ſed propinquū, propinquitatiſq; jura inviolabiliter tibi ſine tenus velle ſervare demandat : tantum ut à populi Francorum concordia non diſcordes, rogat : ipſum namq; ſibi regem ſequuntur conſtitutum. Ad hæc Erminfridus juxta quod regalem decuit dignitatem,

tatem, clementer legato reſpondit, placita ſibi placere populi Francorũ, ab eorum concordia non diſcordare, pace omnimodis indigere; ſuper negotio verò regni reſponſionem ſuam in amicorum præſentiam velle differre: Virumque honorifice tractans, facit eum ſecum aliquandiu manere. Audiens autem regina legatum fratris ſuperveniſſe, & locutum cum rege ſuper negotio regni, ſuaſit Hiringo, ut pariter perſuaderent viro, quia ſibi regnũ ceſſiſſet jure hereditario, utpote quæ filia regis erat, & filia reginæ: Thiadericum vero ſuum ſervum tanquam ex concubina natum, & ideo indecens fore, proprio ſervo unquam manus dare. Erat autem Hiringus vir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus conſilio, pertinax in agendis rebus, facilis ad ſuadendum quæ vellet, hiſque rebus animum ſibi Erminfridi connexuerat. Convocatis principib. & neceſſariis amicis Erminfridus verba legati in præſentiã eorum contulit: at illi unanimiter ſuadebant, quæ pacis atque concordiæ ſunt, eum ſentire: quia impetus Francorum ferre non poſſet, maxime, qui acrioribus hoſtium armis ex alia parte premeretur. Hiringus vero votis laſcivæ mulieris ſatisfaciens, ſuaſit Erminfrido, Francis cedere non debere, ſuper negocio regni juſtiorem cauſam ſe habere, latum præterea imperium, militum manus & arma cæteraſq; belli copias ſibi à Theodorico parum procedere. Secundum hæc verba Erminfridus reſpondit legato, amicitiam quidem ſui & propinquitatem Theodorico non negare, mirari tamen non ſatis poſſe, quomodo uſurpare vellet prius imperium, quam libertatem: ſervum natum, & quomodo ſui quæreret dominium? proprio ſervo non poſſe manus dare. Legatus contra hæc ſatis commotus, mallem, inquit, hoc caput meum tibi tradere, quam hujuſcemodi verba à te audire, ſciens ea multo ſanguine Francorum atque Turingorum, diluenda. Et hæc dicens reverſus ad THIADERICUM, quæ audivit non celat. Thiadericus autem nimiam iram vultu celans ſereno, oportet nos, inquit, ad ſervitium Erminfridi feſtinare, quatenus qui libertate privamur, inani ſaltem vita fruamur. Et cum gravi exercitu appropians terminis Turingorum, invenit cum valida quoq; manu generum ſuum ſe exſpectantem in loco, qui dicitur Runibergum, & commiſſo certamine pugnatum eſt ancipiti bello una die, & ſecunda: tertia vero die victus Erminfridus ceſſit Thiaderico, & fugiens tandem ſe recepit cum reliquo comitatu in urbem, quæ dicitur Schidingi, ſita ſuper fluviũ, qui dicitur Unſtrode. Thiadericus autem congregatis ducibus ac militum principibus exercitus ſui rogat ſententiam, utrumnam cenſerent, Erminfridum perſequendum, an patriam remeandum. Inter quos Waldericus conſultus, cenſeo, inquit, cauſa cæſos ſepeliendi, vulneratos curandi, majorem exercitum congregandi patriam remeandum: neq; enim arbitror, multis millibus tuorum amiſſis, ſufficere nos poſſe ad peragendum præſens bellum. Si enim barbaræ nationes innumeræ in nos conſurgant, multis noſtrorum debilitatis, per quos vinces? Erat autem Thiaderico ſervus ſatis ingenioſus, cujus conſilium expertus eſt ſæpius probum, eiq; propterea quadã familiaritate conjunctus. Hic rogatus ſententiam dare, in rebus, inquit, honeſtis pulcerrimam ſemper eſſe arbitror perſeverantiam, quam ita coluerunt majores noſtri, ut acceptis negociis raro vel nunquam deficerent: nec tamen labores noſtros eorum æquandos putaverim, qui parvis copiis ingentes gentium copias ſuperavere. Nunc terra in noſtra eſt poteſtate, & diſceſſione noſtra victis occaſionem vincendi præſtabimus? Amplecterer & ipſe patriam redire, familiarem neceſſitudinem videre, ſi hoſtem noſtrum eo ſpacio ſcirẽ ocio vacare. Sed vulnerati noſtri forſitan hac re indigent? Caſtrorum iſte labor, impigris animis, reor, pro maxima voluptate eſt. Ergo cæſa multitudine exercitus eſt vehementer attenuatus? Hoſtes non omnes evaſere, certè rariſſimus: ipſe namq; Dux, ut quædam beſtiola ſuo munitur latibulo, urbis circumdatur clauſtro, nec ipſum cœlum ſecure audet inſpicere, noſtro cogente timore. Sed non deſunt ei pecuniæ quibus conducantur nationes barbaræ: non deeſt militum manus, licet laſſa: quæ tamen omnia noſtra abſentia redintegrantur. Indecorum eſt victoribus victis vincendi locum dare. Num ſingulis urbibus adminiſtranda ſufficimus præſidia? Sed eas omnes perdimus, dum imus & redimus. Hæc eo proſequente placuit Thiaderico, omnibuſque gloriæ victoriæ avidis, manere in caſtris, & mittere ad Saxones, qui jam olim erant Thuringis acerrimi hoſtes, quatenus ei eſſent auxilio: Si quidem vincerent Erminfridum, urbemque caperent, terram eis in poſſeſſionem æternam traderet. Saxones nihil cunctati novem duces cum ſingulis milibus militum deſtinare non dubitant. Et ingreſſi

Digitized by Google

duces in caſtra ſinguli cum centenis militibus, reliqua multitudine extra caſtra dimiſſa, ſalutant Thiadericum verbis pacificis. Quos cum Thiadericus hilarior ſuſcepiſſet, dextris datis & acceptis, copiam viris fandi conceſſit. At illi, populus, ajunt, Saxonum tibi devotus & tuis parens imperiis, miſit nos ad te: & ecce adſumus parati, ad omne quodcunque voluntas tibi ſuggeſſerit, parati ut aut hoſtes tuos vincamus, aut ſi fortuna aliud juſſerit, pro te moriamur: aliam enim cauſſam nullam Saxonibus eſſe ſcias, niſi vincere velle, aut certe vivere nolle: neque enim gratiam majorem amicis exhibere poſſumus, quam ut pro eis mortem contemnamus: & ut hoc experimento diſcas, omnino deſideramus. Illis hæc loquentibus, mirati ſunt Franci præſtantes corpore & animo viros, & novum habitum, arma quoque & diffuſos ſcapulas cæſarie, & ſupra omnia ingentem animi conſtantiam: nam veſtiti erant ſagis, & armati longis lanceis, & ſubnixi ſtabant parvis ſcutis, habentes ad renes cultellos magnos. Erant etiam, qui dicerent, tantis ac talibus amicis Francos non indigere: indomitum genus hominum fore: & ſi præſentem terram inhabitarent, eos procul dubio eſſe, qui Francorum imperium quandoque deſtruerent. Thiadericus vero propriis utilitatibus conſulens, ſuſcepit in fide viros, demandans ut ad oppugnandam urbem præpararentur. Illi à rege regreſſi caſtrametati ſunt ad meridianam plagam urbis in pratis fluvio contiguis: & poſtera die prima luce ſurgentes, ſumptis armis oppugnant oppidum incenduntque. Capto oppido & incenſo aciem ordinant ex adverſo portæ orientalis. Clauſi muris dum acies vident ordinatas, ac ſe in ultimis neceſſitatibus conſtitutos audacter erumpunt portis, cœcoque furore irruunt in adverſarios, & telis emiſſis, gladiis proinde res agitur. Cumque grave bellum oriretur, plures hinc, plures inde ſternuntur: iſtis pro patria, pro uxoribus ac natis, poſtremo pro ipſa vita pugnantibus: Saxonibus vero pro gloria, & pro terra acquirenda certantibus. Attollitur clamor virorum invicem exhortantium, fragor armorum, & gemitus morientium: taliq́ ſpectaculo tota dies illa trahitur. Cumque fierent cædes, ubique ululatus, & neutrum agmen loco ceſſiſſet, jam tardior hora prælium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi ſauciati: de Saxonibus vero numerata ſunt ſex millia cæſa. Mittitur igitur Hiringus ab Erminfrido cum ſupplici legatione, & omnibus ſuis theſauris ad Thiadericum pro pace ac ſpontanea deditione. Et accedens Hiringus hæc ait: miſit tibi quondam tuus propinquus modo ſervus, ut ſi non ſui miſerearis, miſeræ ſaltem ſororis tuæ miſerearis, nepotum quoque tuorum in ultima neceſſitate conſtitutorum. Dum hæc lacrymans dixiſſet, interpellatio Principum auro corruptorum adjecit, quia decens foret clementiæ regali, quo talem ſupplicationem non ſperneret, communium quoque naturæ rerum non obliviſceretur, utiliusque eſſe eum in fide ſuſcipere, quem jam ſuperatum haberet, tamque contritum, ut nunquam ſe contra eum poſſit levare, quam illud genus hominum indomabile, & ad omnem laborem perdurabile, à quo nihil exſpectaret Francorum imperium, niſi ſolum periculum. In peracto quoque bello conſiderare poſſet, quam duri & inſuperabiles exiſterent Saxones, ideoque melius eſſe, ut ſuſceptis Thuringis, pariter eos ejicerent de finibus ſuis. His dictis, licet invitus, flectitur tamen Thiadericus, promiſitque poſtera die generum ſuum ſe ſuſcepturum, Saxoneſque abjecturum. His auditis, Hiringus veſtigiis proſternitur regis, laudavitque ſententiam clementiæ imperialis, & miſſo ad dominum optato nuncio lætum eum, omnemque urbem ſecuriorem reddidit, manſitque in caſtris ipſe, ne quid adverſi nox ipſa moliretur. Interea urbe ex pace promiſſa ſecuriore reddita, egreſſus eſt quidam cum accipitre victum quæritans ſupra litus fluvii ſupradicti. Emiſſa vero volucre, quidam ex Saxonibus in ulteriore ripa ilico eam ſuſcepit. Quo rogante ut remitteretur, Saxo dare negavit. Ille autem, da, inquit, & ſecretum tibi ſociiſque tuis utile prodam. Saxo econtra, dic, ut accipias, quod quæris. Reges, inquit, inter ſe pace facta decretum tenent, ſi cras inveniamini in caſtris, capiamini, aut certe occidamini. Ad hæc ille, ſerione hæc an ludo ais? Secunda hora ait, ſequentis diei probabit, quia vos oporteat ſine ludis agere. Quapropter conſulite vobis ipſis, & fuga ſalutem quærite. Saxo ſtatim emittens accipitrem, ſociis retulit, quæ audivit. Illi ſatis commoti, non inveniebant in promptu, quid ſuper hoc agere debuiſſent. Erat autem tunc in caſtris quidam jam ſenior, ſed viridi ſenectute adhuc vigens, qui merito bonarum virtutum pater patrum dicebatur, nomine Hathagaſt. Hic arripiens ſignum,
quod

Digitized by Google

quod apud eos habebatur ſacrum, leonis atque draconis, atque deſuper aquilæ volantis inſignitum effigie, quo oſtentaret fortitudinis atque prudentiæ, & earum rerum efficaciam, & motu corporis animi conſtantiam declarans, ait: huc uſque inter optimos Saxones vixi, & ad hanc ferme ultimam ſenectutem ætas me perduxit, & nunquam Saxones meos fugere vidi: & quomodo nunc cogor agere quod nunquam didici? Certare ſcio, fugere ignoro, nec valeo: ſi fata non ſinunt ultra vivere, liceat ſaltem, quod mihi dulciſſimum eſt, cum amicis occumbere. Exemplo mihi paternæ virtutes ſunt, amicorum corpora circa nos proſtrata, qui maluere mori, quam vinci, impigras animas amittere, quam coram inimicis loco cedere. Sed quid neceſſe habeo exhortationem protrahere tantiſper de contemtu mortis? Ecce ad ſecures ibimus: ad cædem tantum, non ad pugnam: nam de promiſſa pace, ac noſtro gravi vulnere nihil ſuſpicantur adverſi: hodierno quoque prælio fatigati, quemadmodum ſunt ſine metu, ſine vigiliis, & ſolita cuſtodia manent. Irruere igitur ſuper improviſos, ac ſomno ſepultos, parum laboris eſt: Sequimini me ducem, & hoc canum caput meum vobis trado, ſi non evenerit quod dico. Illius igitur optimis verbis erecti, quod ſupererat diei in reficiendis ſuis corporibus expendebant: deinde prima vigilia noctis, qua ſolet ſopor gravior occupare mortales, dato ſigno, ſumptis armis, præcedente duce, irruunt ſuper muros, invenienteſque ſine vigiliis ac cuſtodiis ingreſſi ſunt urbem cum clamore valido. Quo excitati adverſarii, alii fuga ſalutem quæſiere, alii per plateas & muros urbis ut ebrii erravere, alii in Saxones, cives ſuos putantes, incidere. Illi vero omnes perfectæ ætatis morti tradidere, impuberes prædæ ſervavere. Eratque nox illa plena clamoribus, cæde, atque rapina, nulluſque locus in omni urbe quietus, donec aurora rutilans ſurgit, & incruentam declarat victoriam. Cumque penes regem videlicet Erminfridum ſumma victoriæ eſſet, requiſitus, cum uxore & filiis ac raro comitatu evaſiſſe repertus eſt. Mane autem facto, ad Orientalem portam ponunt aquilam, aramque victoriæ conſtruentes, ſecundum errorem paternum ſacra ſua propria veneratione venerati ſunt: nomine Martem effigie columnarum innitentes, Herculem loco Solis, quem Græci appellant Apollinem. Ex hoc æſtimationem illorum apparet utcunque probabilem, qui Saxones Originem duxiſſe putant de Græcis, quia Hirmin, vel Hermes, Græcis Mars dicitur: quo vocabulo ad laudem vel ad vituperium, uſque hodie etiam ignorantes utimur. Per triduum igitur dies victoriæ agentes, & ſpolia hoſtium dividentes exſequias cæſorum celebrantes laudibus ducem in cœlum attollunt, divinum ei animum ineſſe cœleſtemque virtutem acclamantes, qui ſua conſtantia tantam eos egerit perficere victoriam. Acta ſunt hæc autem omnia, ut majorum memoria prodit, Kal. Octobris, qui dies erroris religioſorum ſanctione virorum mutati ſunt in jejunia & orationes, oblationes quoque omnium nos præcedentium Chriſtianorum. His itaque omnibus peractis reverſi ſunt ad Thiadericum in caſtra & ab eo ſuſcepti, ſatiſque laudati & in terra præſenti in æternam poſſeſſionem donati ſunt. Socii quoque Francorum & amici appellati, urbem cui ab igne ut propriis mœnibus pepercere, primum incoluerunt. Qui autem finis regis ſecutus ſit, qui memorabilis fama eſt, prodere non negligo. Miſſus denique Hiringus ad Thiadericum eo die quo capta eſt civitas proxima nocte ſuſceptus ab eo permanſit in caſtris. Audito autem, quia elapſus eſſet Erminfridus, egit ut dolo revocaretur, & Hiringus eum interficeret, tanquam claris muneribus ab ipſo donandus, ac magna poteſtate in regno honorandus, ipſe vero Thiadericus cædis illius quaſi alienus exiſteret. Quod cum Hiringus ægre ſuſcepiſſet falſis promiſſionibus corruptus ceſſit, ſeque parere voluntati illius confeſſus eſt. Revocatus itaque Erminfridus proſternitur veſtigiis Thiaderici. Hiringus vero tanquam armiger regalis ſtans ſecus evaginato gladio proſtratum dominum trucidavit. Statimque ad eum ait rex: tali facinore omnibus mortalibus odioſus factus dominum tuum interficiendo, viam habeto apertam à nobis diſcedendi, ſortem vel partem tuæ nequitiæ nolumus habere. Merito, inquit, Hiringus, odioſus omnibus mortalibus factus ſum, quia tuis parui dolis: antequam tamen exeam purgabo hoc ſcelus meum, vindicando dominum meum: & ut evaginato gladio ſtetit, ipſum quoque Thiadericum obtruncavit, ſumenſque corpus domini ſuper cadaver Thiaderici, ut vinceret ſaltem mortuus, qui vincebatur vivus, viamque ferro faciens diſceſſit. Si qua fides his dictis adhi-

adhibeatur penes lectorem eſt. Mirari tamen non poſſumus, in tantum famam prævaluiſſe, ut Hiringi nomine, quem ita vocitant, lacteus cœli circulus uſque in præſens ſit notatus. Saxones igitur poſſeſſa terra ſumma pace quieverunt, ſocietate Francorum atque amicitia uſi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis vel manumiſſis diſtributa, reliquias pulſæ gentis tributis condemnavere: unde uſque hodie gens Saxonum triformi genere ac lege præter conditionem ſervilem, dividitur. A tribus etiam principibus totius gentis Ducatus adminiſtrabatur, certis terminis exercitus congregandi poteſtate contentis, quos ſuis locis ac vocabulis novimus ſignatos, in Orientales ſcilicet, populos, Angarios atque Weſtvalos. Si autem univerſale bellum ingrueret, ſorte eligitur, cui omnes obedire oporteat, ad adminiſtrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac propria poteſtate unuſquiſque contentus vivebat. De legum vero varietate noſtrum non eſt in hoc libello differere, cum apud plures inveniatur lex Saxonica diligenter deſcripta. Suevi vero Transalbini illam, quam incolunt, regionem, eo tempore invaſerunt, quo Saxones cum Longobardis Italiam adiere, ut eorum narrat hiſtoria, & ideo aliis legibus, quam Saxones utuntur. Igitur Saxones variam fidem Francorum experti, de quibus nobis non eſt dicendum, cum in eorum geſtis inveniatur ſcriptum, paterno errore obligati uſque ad tempora Caroli magni perdurabant. Magnus vero Carolus, cum eſſet regum fortiſſimus, non minori ſapientia vigilabat. Enimvero conſiderabat, quia ſuis temporibus omni mortali prudentior erat, finitimam gentem nobilemque vano errore retineri non oportere, modis omnibus ſatagebat, quatenus ad veram viam duceretur, & nunc blanda ſuaſione, nunc bellorum impetu ad id cogebat, tandemque trigeſimo imperii ſui anno obtinuit: Imperator quippe ex rege creatus eſt, quod multis temporibus elaborando non defecit. Ob id qui olim ſocii & amici erant Francorum, jam fratres & quaſi una gens ex Chriſtiana fide, veluti modo videmus, facta eſt. Ultimus vero Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothowicus ex Arnulfo fratruele Karoli, hujus Lotharii regis proavi, natus erat. Qui cum accepiſſet uxorem nomine Liudgardam, ſororem Brunonis ac magni Ducis Ottonis, non multis poſt hæc vixerat annis. Horum pater erat Luidolfus, qui Romam profectus tranſtulit reliquias beati Innocentii Papæ. Ex quibus Bruno cum Ducatum adminiſtraret totius Saxoniæ, duxit exercitum contra Danos, & inundatione repentina circumfuſus, non habens locum pugnandi, periit cum omni exercitu, fratri natu quidem minori, ſed omni virtute multo potiori, relinquens Ducatum. Regi autem Lothowico, non erat filius, omniſque populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere regni. Ipſe vero quaſi jam gravior recuſabat imperii onus: ejus tamen conſultu Cunradus quondam Dux Francorum ungitur in regem: penes Ottonem tamen ſummum ſemper & ubique vigebat imperium. Natus eſt autem ei filius toti mundo neceſſarius, regum maximus optimus Henricus, qui primus libera poteſtate regnavit in Saxonia: qui cum prima ætate omni genere virtutum vitam ſuam ornaret, de die in diem proficiebat præcellenti prudentia, & omnium bonorum actuum gloria: nam maximum ei ab adoleſcentia ſtudium erat in glorificando gentem ſuam, & pacem confirmando in omni poteſtate ſua. Pater autem videns prudentiam adoleſcentis, & conſilii magnitudinem, reliquit ei exercitum & militiam adverſus Dalamantiam, contra quos diu ipſe militavit. Dalamanti vero impetum illius ferre non valentes, conduxerunt adverſus eum Avares, quos modo Ungaros vocamus gentem bello aſperrimam. Avares autem ut quidam putant, reliquiæ erant Hunorum. Huni egreſſi ſunt de Gothis, Gothi autem de Inſula, ut Jordanus narrat, nomine Sulza, egreſſi ſunt. A proprio autem Duce nomine Gotho Gothi appellati ſunt. Coram quo cum quædam mulieres in exercitu ſuo rerum veneficarum arguerentur, requiſitæ ſunt & inventæ culpabiles. Quarum cum eſſet multitudo, à merita quidem pœna abſtinuit, ab exercitu tamen omnes ejecit. Ejectæ autem Sylvam proximam petierunt: quæ cum mari cingerentur, & Mæoticis paludibus, inde exeundi aditus non patebat. Prægnantes autem jam quædam ex illis, ibidem partum ediderunt: à quibus cum alii atque alii naſcerentur, facta eſt gens valida: ferarum more viventes, inculti & indomiti, facti ſunt venatores acerrimi. Poſt multa vero ſecula, cum aliam mundi partem illic commorantes penitus ignorarent, contigit

Digitized by Google

git cervam venatu inveniri, eamque perſequi, donec ipſa præcedente omnibus retro mortalibus intransmeabilem hactenus viam per Mœoticas paludes transmearent, ibique urbes & oppida, & inviſum antea genus hominum videntes, eadem via reverſi ſunt, ſociis talia referentes. Illi autem curioſitatis cauſſa cum multitudine perrexerunt audita probare. Finitimæ autem urbes & oppida, cum ignotam multitudinem, & corpora cultu habituque horrenda vidiſſent, dæmonia eſſe credentes fugiebant. Illi vero ad novas rerum facies ſtupentes, admirati, primum quidem à cæde atque rapina abſtinuerunt, ſed nemine reſiſtente humana tacti cupidine, multa cæde hominum facta nulli rei proinde parcebant: & capta præda magna ad ſedes ſuas reverſi ſunt. Videntes autem quia res eis ſecus cederent, cum uxoribus ac filiis & omni agreſti ſupellectile iterum venientes & finitimas gentes circumquaq; vaſtantes, Pannoniam poſtremo inhabitare cœperunt. Victi autem à magno Carolo, & trans Danubium pulſi, ac ingenti vallo circumfuſi, prohibiti ſunt à conſueta gentium depopulatione. Imperante autem Arnulfo deſtructum eſt opus, & via eis nocendi patefacta, eo quod iratus eſſet Imperator Centupulcho Regi Moravorum. Deinde quantam ſtragem, quantamque injuriam imperio Francorum fecerint, urbes ac regiones adhuc deſolatæ teſtantur. Hæc ideo de hac gente dicere arbitrati ſumus, ut poſſit tua claritas agnoſcere, cum qualibus avo tuo, patrique certandum fuerit, vel à quibus hoſtibus per eorum providentiæ virtutem, & armorum inſignia tota jam ferè Europa liberata ſit. Prædictus igitur exercitus Ungarorum à Sclavis conductus, multa ſtrage in Saxonia facta, & infinita capta præda, in Dalamantiam reverſi, obvium invenerunt alium exercitum Ungarorum, qui comminati ſunt bellum inferre amicis eorum, eo quod auxilia eorum ſpreviſſent, dum illos ad tantam prædam duxiſſent. Unde factum eſt, ut ſecundo vaſtaretur Saxonia ab Ungaris, & priori exercitu in Dalamantia ſecundum exſpectante, ipſa quoque in tantam penuriæ miſeriam ducta ſit, ut aliis nationibus eo anno, relicto proprio ſolo pro annona ſervirent. Igitur patre patriæ & magno duce Ottone defuncto, illuſtri & magnifico filio Henrico totius Saxoniæ ipſe reliquit ducatum. Cum autem ei eſſent & alii filii, Thanemarus & Luitolfus, ante patrem ſuum obierunt. Rex autem Cunradus cum ſæpe expertus eſſet virtutem novi Ducis, veritus eſt ei tradere omnem poteſtatem patris. Quo factum eſt, ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Ficte tamen pro laude & gloria optimi Ducis plura locutus, promiſit ſe majora ſibi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones vero hujuſcemodi ſimulationibus non attendebant, ſed ſuadebant Duci ſuo, ut ſi honore paterno eum nollet ſponte honorare, rege invito quæ vellet obtinere poſſet. Rex autem videns vultum Saxonũ erga ſe ſolito auſteriorem, nec poſſe publico bello Ducem eorum conterere, ſuppetente illi fortium militum manu, exercitus quoq; innumera multitudine, egit ut quoquo modo interficeretur dolo. Ad hocq; negocium habens, ut fertur, maxime idoneum Mogontiacæ ſedis epiſcopum, nomine Hattonem. Hic obſcuro genere natus, ingenioq; acutus, & qui difficile diſcerneretur, melior conſilio foret, an pejor, quod ex uno ejus actu colligi poteſt. Nam cum bellum eſſet Cunrado, regis Cunradi patri ex Adelberto Henrici ex ſorore nepoti, primum interfectus eſt frater Adelberti: poſtea in ultionem fratris Cunradus quoque occiſus eſt ab Adelberto, nec ullus regum tam ingens bellum inter eminentes viros potuit ſedare. Summus poſtremo Pontifex mittitur ad ſedandam tam ingentem diſcordiam: & ingreſſus civitatem Adelberti, ſub jurejurando ſpopondit, aut ei pacem cum rege facturum, aut incolumem ſuo loco conſtituturum. His pactis conſentiens Adelbertus, fidei gratia & amicitiæ, quod dignaretur aliquid guſtare, rogavit. Quo negante, ilico egreſſus eſt urbem. Cumque pertranſiſſet oppidum cum omni comitatu, fertur proclamaſſe, proh, inquit, ſæpius petit, qui oblata ſpernit: tædet me longioris viæ, tardiorisque horæ: nam jejuni tota die non poſſumus ambulare. Lætus Adelbertus inclinavit ſe ad genua Pontificis, & ut guſtandi gratia in urbem reverteretur depoſcit. Pontifex in urbem reverſus cum Adelberto, liberatur à lege juramenti, ut ſibi videbatur, eo quòd incolumem eum loco ſuo conſtituiſſet. Poſt hæc regi à Pontifice præſentatus Lothowico, & damnatus capitalem accepit ſententiam. Hac igitur perfidia quid nequius? Attamen uno capite cæſo, multorum capita populorum ſalvantur. Et quid melius

lius eo conſilio, quo diſcordia diſſolveretur, & pax redderetur? Ea itaq; varietate virum nobis proprie à ſumma clementia conceſſum aggreſſus eſt, fecitque ei torquem auream fabricari, & invitavit ad convivium, quo magnis ab eo muneribus honoraretur. Interea Pontifex opus conſiderandi gratia ingreditur ad aurificem: & viſa torq; ingemuiſſe fertur. Gemitus cauſam aurifex interrogat. Cui reſpondit, quia optimi viri, & ſibi cariſſimi, ſcilicet Henrici ſanguine illa torques deberet intingui. Aurifex audita ſilentio texit, & opere perfecto traditoque, miſſionem petit & accipit: & obvians Duci eunti ad negocia, indicavit ei quæ audivit. Ipſe autem vehementer iratus, vocat legatum Pontificis, qui jampridem aderat invitandi eum gratia: Vade, inquit, dic Hattoni, quia durius collum non gerit Henricus, quam Adelbertus: & quia melius rati ſumus domi ſedere, & de ejus ſervitio tractare, quàm comitatus noſtri multitudine modo eum gravare. Et ſtatim omnia, quæ juris ipſius erant, in omni Saxonia, vel Turingorũ terra, occupavit. Burghardum quoq; & Bardonem, quorum alter gener regis erat, in tantum afflixit, & bellis frequentibus contrivit, ut terra cederent, eorumque omnem poſſeſſionem ſuis militibus divideret. Hatto autem videns ſuis calliditatibus finem impoſitum, nimia juſtitia ac morbo pariter non poſt multos dies confectus interiit. Fuere etiam, qui dicerent, quia fulmine cœli tactus, eoque ictu diſſolutus poſt tertium diem defeciſſet. Rex autem miſit fratrem cum exercitu in Saxoniam, ad eam devaſtandam. Qui appropians urbi, quæ dicitur Heresburg, ſuperbe locutum tradunt: quia nihil ei majori curæ eſſet, quam quod Saxones pro muris ſe oſtendere non auderent, quo cũ eis dimicare potuiſſet. Adhuc ſermo in ore ejus erat, & ecce Saxones ei occurrerunt miliario uno ab urbe, & inito certamine tanta cæde Franci mulctati ſunt, ut à mimis declamaretur, ubi tantus ille infernus eſſet, qui tantam multitudinem cæſorum capere poſſet. Frater autem regis Everhardus liberatus à timore abſentiæ Saxonum (nam eos præſentes vidit) & ab ipſis turpiter fugatus, diſceſſit. Audiens autem Rex male pugnatum à fratre, congregata omni virtute Francorum, perrexit ad requirendum Henricum. Quem compertum in præſidio urbis, quæ dicitur Grona, tentavit illud oppugnare præſidium. Et miſſa legatione pro ſpontanea deditione, ſpondet, ſe per hoc ſibi amicum futurum, non hoſtem experturum. Huic legationi intervenit Thiatmarus ab oriente, vir diſciplinæ militaris peritiſſimus, varius, conſilioque magnus, & qui calliditate ingenii multos mortales ſuperaret. Hic ſuperveniens legatis regis præſentibus interrogat, ubi vellet exercitum caſtrametari. At ille jam ſuaſus cedere Francis accepit fiduciam, audiens de exercitu, credens ita eſſe. Thiatmarus verò ficte loquebatur: cum quinque enim tantummodo viris venerat. De numero autem legionum ſciſcitante Duce, ad triginta fere legiones ſe producere poſſe reſpondit: & ita deluſi legati regreſſi ſunt ad regem. Vicit vero eos calliditate ſua Thiatmarus, quos ipſe Dux ferro vincere non potuit Henricus. Nam antelucanum relictis caſtris Franci, unusquisque rediit in ſua. Rex autem profectus in Bajoariam dimicavit cum Arnulfo, & ibi, ut quidam tradunt, vulneratus revertitur in patriam ſuam. Cumque ſe morbo ſenſiſſet laborare, pariter cum defectione primæ fortunæ vocat fratrem, qui eum viſitandi gratia adierat: quem ita alloquitur: Sentio, inquit, frater, diutius me iſtam vitam tenere non poſſe, Deo, qui ordinavit ita, imperante, gravique morbo id cogente. Quapropter conſiderationem tui habeto, & quod ad te maxime reſpicit, Francorum toti regno conſulito, attendendo fratris tui conſilio. Sunt nobis, frater, copiæ exercitus congregandi atque ducendi: ſunt urbes & arma cum regalibus inſigniis, & omne quod decus reginum depoſcit, præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cum nobiliſſimis moribus Henrico cedit, rerum publicarum ſecus Saxones ſumma eſt. Sumptis igitur his inſigniis, lancea ſacra, armillis aureis cum chlamyde, & veterum gladio regum, ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, ut eum fœderatum poſſis habere in perpetuum. Quid enim neceſſe eſt, ut cadat populus Francorum tecum coram eo? ipſe enim vero Rex erit & imperator multorum populorum. His dictis frater lacrymans ſe conſentire reſpondit. Poſt hæc verò ipſe Rex moritur, vir fortis & potens, domi militiæque optimus, largitate ſerenus, & omnium virtutum inſigniis clarus: ſepeliturque in civitate ſua Wilinaburg, cum mœrore ac lacrymis omnium Francorum. Ut ergo Rex imperarat Everhardus adiit Henricum, ſeque cum omnibus, theſauris illi tradidit, pacem

Digitized by Google

cem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiariterque uſque in finem obtinuit. Deinde congregatis principibus & natu majoribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri, deſignavit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum. Cumque ei offerretur unctio cum diademate à ſummo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non ſprevit, nec tamen ſuſcepit, ſatis, inquiens, mihi eſt, ut præ majoribus meis Rex dicar & deſigner, divina annuente gratia, ac veſtra pietate: penes meliores verò nobis unctio & diadema ſit: tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit itaque ſermo iſte coram univerſa multitudine, & dextris in cœlum levatis, nomen novi regis cum clamore valido ſalutantes frequentabant. Eo ordine rex factus Henricus, perrexit cum omni comitatu ſuo ad pugnandum contra Burckhardum Alemanniæ Ducem. Hic cum eſſet bellator intolerabilis, ſentiebat tamen, quia valde prudens erat, congreſſionem regis ſuſtinere non poſſe, tradidit ſemetipſum ei cum univerſis urbibus & populo ſuo. Et rebus proſperè geſtis, tranſiit inde in Bajoariam, cui præſidebat Arnulfus Dux. Quo comperto, in præſidio urbis, quæ dicitur Reginesburg, obſedit eum. Videns autem Arnulfus, quia reſiſtere regi non ſufficeret, apertis portis egreſſus eſt ad regem, tradito ſemet ipſo cum omni regno ſuo. Qui honorifice ab eo ſuſceptus, amicus regis appellatus eſt. Rex autem de die in diem proficiens & creſcens, robuſtior, majorque & clarior pollebat. Cumque regnum ab anteceſſoribus ſuis ex omni parte contuſum civilibus atque externis bellis colligeret, & pacificaret & adunaret, ſigna movit contra Galliam & Lotharii regnum. Lotharius enim erat filius Lothowici Imperatoris à Magno Carolo nati: huic erant fratres Carolus & Lothowicus. Carolo Aquitaniæ & Waſcanorum ceſſere regiones, terminum habens ab occidente Barcinonam Hiſpaniæ urbem: ab Aquilone Britannicum mare: & ad meridiem juga Alpium: ad orientem vero Moſam fluvium. Inter Moſam vero fluvium & Rhenum Lothario regnum ceſſit. Lothowico autem à Rheno uſque ad fines Illyrici & Pannoniæ, ad Oram, alii Oderam, quoque fluvium & terminos Danorum imperium erat. Sub his fratribus bellum famoſum actum eſt in Fontinith, antequam hæc diviſio regni fieret. Poſtea verò facta inviolabiliter manſit, quouſque jure hereditario hæc regna omnia cederent Carolo hujus Lothowici proavo, de quo ſupra mentionem fecimus. Hunc quidam ex Orientalibus Francis adiens, nomine Odo, vir fortis & prudens, egitque conſilio ſuo, ut cum Danis bene pugnaretur, qui jam multis annis Caroli regnum vexabant, unaque die ex eis ad centum millia cæderentur. Ex hoc ille Odo clarus & inſignis habitus, & à Rege ſecundus ſignificatus, cum ad eum venerit uno tantum ſervulo Comite contentus. Moriens autem Carolus juſſit Odonem memorem beneficii ſui fore, & miſericordiam ſibi præſtitam, filio, ſi naſceretur, non negaret. Nam filius ei tunc non erat, ſed regina prægnans fuit, cumque poſt mortem patris filius naſceretur, Odo eum & regno pariter & nomine paterno declaravit. Sed Arnulfus Imperator, qui ſeniorem Carolum Germania expulit, poſt mortem ejus omne regnum ipſius ſibi vendicavit. Huic Odo diadema & ſceptrum & cætera regalia ornamenta obtulit, imperiumq; domini ſui gratia Imperatoris Arnulfi obtinuit. Unde uſque hodie certamen eſt de regno Carolorum ſtirpi & poſteris Odonis, concertatio quoque regibus Carolorum & Orientalium Francorum ſuper regno Lotharii. Ob quod Henricus rex movit caſtra contra Carolum, ejuſque ſæpius fudit exercitum, juvitque virum fortem fortuna. Nam Hugo, cujus pater Rodbertus, filius Odonis ab exercitu Caroli occiſus eſt: miſit, & dolo eum cepit, poſuitque in cuſtodia publica, donec vitam finiret. Henricus autem rex audiens caſum Caroli, dolebat, humanæque mutabilitatis communem admiratus eſt fortunam, quia non minori claruit religioſitate, quam armorum virtute. Judicavitque abſtinere quidem ab armis, verum potius arte ſuperaturum ſperavit Lotharios, quia gens varia erat, & artibus aſſueta, bellis prompta, mobiliſque ad rerum novitates. Eo tempore erat quidam de Lothariis nomine Chriſtianus, qui videns regi cuncta proſpere procedere, quæſivit, quomodo majori gratia apud regem honoraretur: & ſimulata infirmitate, vocavit ad ſe Giſelbertum, cui principatus regionis paterna ſucceſſione ceſſit, cepitque eum arte, & ſub cuſtodia regi Henrico tranſmiſit. Erat autem Giſelbertus nobili genere, ac familia antiqua natus. Quem rex ſatis lætus ſuſcepit, quia per ipſum

Digitized by Google

ſolum totum Lotharii regnum ſe habiturum arbitratus eſt. Deinde videns adoleſcentem valde induſtrium, genere ac poteſtate, divitiis quoque clarum, liberaliter eum cœpit habere, ac poſtremo deſponſata ſibi filia, nomine Gerberga, affinitate pariter cum amicitia junxit eum ſibi, ſublegato omni ei Lotharii regno. Genuit quoq; ei & alios filios clara & nobiliſſima ac ſingularis prudentiæ regina, nomine Mathilda, primogenitum mundi amorem, nomine Oddonem, ſecundum patris nomine inſignitum, virum fortem & induſtrium Henricum, tertium quoque nomine Brunonem, quem Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem. Ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, cum Samuelem ſanctum, & alios plures, ſacerdotes pariter legamus & judices. Aliam quoque filiam genuit, quæ nupſerat Hugoni Duci. Erat namque ipſa Domina regina filia Thiaderici, cujus fratres erant Witekind, Immet, Reginbern. Reginbern autem ipſe erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vaſtantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incurſionibus uſque in hodiernum. Et hi erant ſtirpis magni Ducis Widekindi, qui bellum potens geſſit contra Magnum Carolum per triginta ferme annos. Cumque jam civilia bella ceſſarent, iterum Ungari totam Saxoniam percurrentes, urbes & oppida incendio tradiderunt, & tantam cædem ubique egere, ut ultimam depopulationem comminarentur. Rex autem erat in præſidio urbis, quæ dicitur Werlaon. Nam rudi adhuc militi, & bello publico inſueto, contra tam ſævam gentem non credebat. Quantam autem ſtragem fecerint illis diebus, aut quanta monaſteria ſuccenderint, melius judicamus ſilere, quam calamitates noſtras verbis quoq; iterare. Contigit autem, quendam ex principibus Ungarorum capi, vinctumque ad regem duci. Ungari vero ipſum in tantum dilexere, ut pro redemtione illius innumera auri & argenti pondera offerrent. Rex autem ſpernens aurum, expoſtulat pacem, tandemque obtinuit, ut reddito captivo cum aliis muneribus, ad novem annos pax confirmaretur. Quando vero Rex Rhenum tranſierat, ad dilatandum ſuper Lotharios imperium ſuum, occurrit ei legatus Caroli, & ſalutato eo verbis humilimis: Dominus meus, inquit, Carolus, regia quondam poteſtate præditus, modo privatus, miſit me ad te, demandans, quia nihil ei ab inimicis circumvento jucundius, nihil dulcius eſſe poteſt: quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum conſolari. Et hoc tibi ſignum fidei & veritatis transmiſit, protulitque de ſinu manum precioſi martyris Dionyſii, auro gemmiſque incluſam, hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarii. Hanc partem unici ſolatii Francorum Galliam inhabitantium, poſtquam nos deſeruit inſignis martyr Vitus ad noſtram perniciem, veſtramque perpetuam pacem, Saxoniam viſitavit, communicare tecum maluit. Neque enim poſtquam translatum eſt corpus à nobis, civilia vel externa ceſſavere bella: eodem quippe anno Dani & Nortmanni regionem noſtram invaſerunt. Rex autem munus divinum cum omni gratiarum actione ſuſcipiens, proſternitur reliquiis ſanctis, & deoſculans eas, ſumma veneratione veneratus eſt. Inclytus vero martyr, de quo legatus Caroli diſſeruit, erat in Lycia provincia nobili natus familia, ſed pagana, quem pater præſidi provinciæ Valeriano, præſentavit, eumque præſes ipſe ad immolandum ſimulacris coegit, ſed interea manum perdidit, & oratione ipſius iterum ſanam recepit. Brachia tortoribus aruerunt, ſed meritis martyris reſtituta ſunt eis. Videns autem pater, quia tormenta irriſit, domum reduxit, cubiculo omnibus deliciis affluenti incluſit. Ibi cum arcana quædam Hylas (Sic enim vocabatur pater ejus) conſpiceret, cœcus efficitur. Et coactus idolis abrenunciavit Chriſtum confeſſus. Illuminatus autem per merita filii ſui Viti, Chriſtum negavit, & filium interficere quæſivit. Monitu angelico atque ductu Modeſtus jam gravior pædagogus, puerum ſumit, mare navigat, ad Siler fluvium pervenit. Ibi ſub arbore quadam requieſcentes, vacant orationibus, aquilis victum cotidianum miniſtrantibus. Populis eum viſitantibus puer prædicat Chriſtum, plures convertit, plures baptiſmum ſuſcipere fecit. Poſt hæc à Diocletiano Cæſare vocatus Romam proficiſcitur, & filio Imperatoris per orationem Viti à Dæmonio purgato, thura diis offerre cogitur. Illo vero durius Imperatori reſpondente, beſtiis projicitur, nec læditur. Deinde in medium clibani ardentis jactatur, & angelo flammas ſedante, illæſus egreditur. Vinculorum ingenti ferro oneratus carceri traditur, ſed ibi à Domino & multitudine angelorum viſitatur. Poſtremo tormento,

Digitized by Google

to, quod cataſta dicitur, cum Modeſto & quadam nobili fœmina Creſcentia figitur, & fractis omnibus membrorum motibus, à Chriſto conſolatur. Nam fulmine cœli tortores tacti, & tonitru ingenti perterriti ab eo fugantur. Subitoque repertus eſt in loco, ubi prius orationi vacabat, angelo Domini ibi eum reſtituente, & ultima oratione celebrata animas cœlo tradiderunt. Corpora vero Florentia, quædam illuſtris fœmina, terræ tradidit in eodem loco, qui dicitur Marianus. Ejus ultimam orationem tuæ gloriæ ſignificare curavi, quo ejus amore ardeas, & ardore ipſius amoris perpetuum ejus patrocinium merearis. Domine, inquit, Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, perfice deſiderium cordis eorum & libera eos ab omnibus impedimentis hujus ſeculi, & perduc eos ad gloriam tuam, qui per me glorificant te, & volunt gloriari de mei martyrii paſſione. Hanc vocem ſubſecuta eſt ſponſio divinæ promiſſionis, rata & firma eſſe omnia quæ rogaſſet. Poſt multa vero tempora Romam veniens quidam Fulradus nomine, & ibi geſta legens precioſi martyris, notavit locum ſepulcri: veniensque levavit reliquias ſacras, collocavitque eas in pago Pariſiaco. Inde regnante Ludowico Imperatore, translatæ ſunt in Saxoniam: & ut legatus Karoli confeſſus eſt, ex hoc res Francorum cœperunt minui, Saxonum vero creſcere: donec dilatatæ ipſæ ſua jam magnitudine laborant, ut videmus in amore mundi & totius orbis capite patre tuo: cujus potentiæ majeſtatem, non ſolum Germania, Italia atque Gallia, ſed tota ferè Europa non ſuſtinet. Colito itaque tantum patronum, quo adveniente, Saxonia ex ſerviente facta eſt libera, & ex tributaria multarum gentium domina. Neq; enim talis ac tantus ſummi Dei amicus tui gratia indiget, nos vero famuli ipſius indigemus. Unde ut eum poſſis habere interceſſorem apud cœleſtem Imperatorem, habeamus te advocatam apud terrenum regem, tuum ſcilicet patrem atque fratrem. Igitur Henricus Rex accepta pace ab Ungaris ad novem annos, quanta prudentia vigilaverit in munienda patria, & in expugnando barbaras nationes, ſupra noſtram eſt virtutem edicere, licet omnimodis non oporteat taceri. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens in urbibus habitare fecit, ut cæteris confamiliaribus ſuis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet ſervaretque. Cæteri vero octo ſeminarent, & meterent, frugesque colligerent nono, & ſuis eas locis reconderent. Concilia & omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari, in quibus exſtruendis die noctuque operam dabant, quatenus in pace diſcerent, quid contra hoſtes in neceſſitate facere debuiſſent. Vilia autem nulla extra urbes fuere mœnia. Tali lege ac diſciplina cum cives aſſuefaceret, repente irruit ſuper Sclavos, qui dicuntur Hevelli, & multos eos præliis fatigans, demum hyeme aſperrima, caſtris ſuper glaciem poſitis, cepit urbem, quæ dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore. Cumq; illa urbe potitus & omni regione: ſigna vertit contra Dalmantiam, adverſus quam jam olim reliquit ei pater militiam: & obſidens urbem quæ dicitur Grona, vigeſima tandem die cepit eam. Præda urbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ captivitati ſervatæ. Poſt hæc Pragam adiit cum omni exercitu, Bohemorum urbem regemque ejus in deditionem accepit: de quo quædam mirabilia prædicantur: quæ quia non probamus, ſilentio tegi judicamus. Frater tamen erat Bolislavi, qui quandiu vixit, Imperatori fidelis & utilis manſit. Igitur Rex Bohemias tributarias faciens reverſus eſt in Saxoniam. Cumque vicinæ gentes à rege Henrico factæ eſſent tributariæ, Abotriti, Vulzi, Hevelli, Dalmanci, Bohemi, Redarii & pax eſſet: Redarii defecerunt à fide, & congregata multitudine, impetum fecerunt in urbem quæ dicitur Wallislevi, ceperuntque eam, captis & interfectis omnibus habitatoribus ejus, innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbaræ nationes erectæ iterum rebellare auſæ ſunt. Ad quarum ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum præſidio militari Bernhardo, cui ipſa Redariorum provincia erat ſublegata, additurque legato collega Thiatmarus, & jubentur urbem obſidere, quæ dicitur Lunkini. Quinto obſidionis die venere cuſtodes exercitum barbarorum non longe eſſe adnunciantes: & quia nocte contigua impetum in caſtra facere decreviſſent; Cumque plures eadem confirmarent: populus fidem paribus dabat dictis: & cum conventus eſſet populi circa tentoria, legatus eadem hora collega dictante, præcepit, ut per totam noctem parati eſſent, ne qua forte irruptio barbarorum in caſtra fieret. Cum autem dimiſſa eſſet multitudo in caſtris, variavere mœſtitia pariter atque lætitia, aliis bellum formidantibus,

tibus, aliis autem deſiderantibus, & pro qualitate morum inter ſpem metumque verſabantur bellatores. Interea dies tranſit, & nox ſolito tenebroſior cum ingenti pluvia adeſt nutu divino, quatenus conſilium peſſimum impediretur barbarorum. Ut ergo juſſum eſt, tota nocte illa armati erant Saxones, & primo diluculo dato ſigno, Sacramentoque accepto, primum ducibus, deinde unuſquiſque alteri operam ſuam ſub juramento promittebat ad præſens bellum. Otto autem Sole (nam poſt pluviam clara rediit ſerenitas) erectis ſignis procedebant. In prima quidem fronte legatus in barbaros impetum faciens: ſed cum pauci non prævalerent adverſus innumerabiles, reverſus eſt ad exercitum, referens quia barbari non plures haberent equites, peditum vero innumerabilem multitudinem, & nocturna pluvia in tantum impeditam, ut ab equitibus coacti, ad pugnam procederent. Igitur ſole cadente, in humida veſtimenta barbarorum fumum aſcendere fecit uſque in cœlum, ſpem fiduciamque præſtans Dei populo, cujus faciei claritas atque ſerenitas circumfulſit illos. Igitur dato ſigno, & exhortante legiones legato, cum clamore valido irruunt in hoſtes. Cumque nimia denſitate iter pertranſeundi hoſtes non pateret, dextra lævaque ferro erumpentes, quoſcunque à ſociis ſecernebant, neci dabant. Cumque jam bellum gravaretur, & multi hinc atque inde caderent, & adhuc barbari ordines tenerent, legatus collegam, ut legionibus auxilio eſſet expoſtulat. Ille verò præfectum cum quinquaginta armatis lateri hoſtili immiſit, & ordines conturbavit: ex hoc cædi fugæque tota die hoſtes patebant. Cum ergo per omnes agros cæderentur, ad urbem vicinam fugere tentabant. Collega autem hoc eis præcavente, proximum mare ingreſſi ſunt, & ita factum eſt, ut omnis illa nimia multitudo, aut gladio conſumeretur, aut in mari mergeretur. Nec peditum ullus ſuperfuit, equitum rariſſimus, deponiturque bellum cum caſu omnium adverſariorum. Ingens interea oritur lætitia ex recenti victoria, dum omnes laudant Duces, unuſquiſque vero militum prædicat alium ignavum quoque, ut in tali fortuna fieri ſolet. Poſtera autem luce movent ſigna urbi præfatæ, urbani vero arma deponunt, ſalutem tantummodo depoſcunt ac merentur. Inermes igitur urbe egredi juſſi: ſervilis autem conditio, & omnis pecunia cum uxoribus & filiis, & omni ſupellectile barbarorum regis captivitatem ſubibant. Ceciderunt etiam ex noſtris in illo prælio duo Liutharii, & alii nobiles viri nonnulli. Igitur legatus cum collega & aliis principibus Saxoniam victores reverſi, honorifice à rege ſunt ſuſcepti, ſatiſque laudati, qui parvis copiis divina favente clementia, magnificam perpetraverint victoriam. Nam fuere qui dicerent, barbarorum ducenta millia cæſa: captivi omnes poſtera die, ut promiſſum habebant, obtruncati. Itaque recentis victoriæ lætitiam augebant nuptiæ regales, quæ eo tempore magnifica largitate celebrantur. Nam rex dedit filio ſuo Oddoni conjugem filiam Ethmundi regis Anglorum, ſororem Adalſtani, quæ genuit ei filium nomine Luidulfum, virum magnum, meritoque omnibus populis carum: filiam quoque nomine Luidgardam, quæ nupſerat Conrado Francorum Duci. Rex autem cum jam militem haberet equeſtri prælio probatum, contra antiquos hoſtes videlicet Ungaros præſumſit inire certamen. Et convocato omni populo tali ratione eos eſt affatus: Olim ex omni parte confuſum, à quantis periculis imperium veſtrum modo ſit liberum vos ipſi melius noſtis, qui civilibus diſcordiis, & externis bellis toties attriti laborabatis. At nunc propitia nobis ſumma divinitate, noſtro labore, veſtraque virtute pacatum collectumq; cernitis, barbaros ſuperatos & ſervituti ſubjectos. Quod ſupereſt, neceſſe habemus, ut contra communes hoſtes Avares pariter ſimul conſurgamus. Vos hucuſque, filios filiasq; veſtras exſpoliavi, & ærarium eorum replevi: nunc templa templorumque miniſtros ut exſpoliem cogor, abſque nudis corporibus nulla nobis alia remanente pecunia. Conſulite igitur vobis ipſis, & quid ſuper hac re nobis ſit faciendum eligite: theſaurum divinis officiis ſanctificatum tollamne, & dabo pro noſtra redemptione, Dei inimicis? an certè addam cultui divino pecunia honorem, ut ab ipſo potius redimamur, qui verè noſter exſtat creator pariter & redemptor? Ad hæc populus levavit voces in cœlum, inquiens ſe à Deo vivo & vero redimi omnimodis deſiderare, quia fidelis & juſtus ſit in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Operam ſuam deinde promittens regi contra gentem acerrimam, dextris in cœlum elevatis, pactum firmavit. Tali itaque pacto cum populo peracto dimiſit Rex multitudinem. Poſt hæc legati Ungarorum adierunt regem pro ſolitis muneribus: ſed

ab eo

Digitized by Google

ab eo ſpreti, in terram ſuam vacui ſunt reverſi. Hæc audientes Avares, nihil morati cum gravi hoſtiliq; manu feſtinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero ſcientes eos feſtinare ad Saxoniam, Saxoneſque ad pugnandum cum eis paratos, pinguiſſimum pro munere eis projiciunt canem. Et cum non eſſet injuriam vindicandi locus, ad aliam pugnam feſtinantibus, cum ridiculoſa ſatis vociferatione longius proſequuntur amicos. Igitur quam potuerunt repentino impetu intrant fines Thuringorum, illam totam terram hoſtiliter pervagantes. Ibiq; diviſis ſociis, alii ad Occidentem pergebant, ab occidente & meridie Saxoniam quærentes intrare. Sed Saxones pariter cum Thuringis congregati, inito cum eis certamine, cæſis ducibus, cæteros illius exercitus occidentalis per totam illam regionem errare fecerunt. Quorum alii fame conſumti, alii frigore diſſoluti, alii autem cæſi vel capti, ut digni erant, miſerabiliter perierunt. Qui autem in oriente remanſit exercitus, audivit de ſorore regis, quæ nupſerat Widoni Thuringo (erat namque illa ex concubina nata) quia vicinam urbem inhabitaret, & multa pecunia ei eſſet auri & argenti, unde tanta vi urbem expugnare cœperant, ut niſi nox viſum pugnantibus impediret, urbem caperent. Ea vero nocte audientes de caſu ſociorum, regiſque ſuper eos adventu cum valido exercitu: nam caſtrametatus eſt Rex juxta locum qui dicitur Riaede, timore perculſi, relictis caſtris, more ſuo igne fumoque ingenti agmina diffuſa collegerunt. Rex vero poſtera die producens exercitum, exhortatus eſt, ut ſpem ſuam divinæ clementiæ committerent, divinum ſibi auxilium quemadmodum in aliis præliis adeſſe non dubitarent. Communes omnium hoſtes eſſe Ungaros, ad vindictam patriæ parentumq; ſolummodo cogitarent. Hoſtes cito terga vertere vidiſſent, ſi viriliter certando perſiſterent. His optimis verbis erecti milites, Imperatoremque in primis, mediis, & ultimis verſantem videntes, coramq; eo Angelum, (hoc enim vocabulo effigieq; ſignum maximum erat inſignitum,) acceperunt fiduciam magnamq; conſtantiam. Rex vero veritus eſt, quemadmodum evenit, ut hoſtes viſo milite armato fugæ ſtatim indulſiſſent, miſit legionem Thuringorum cum raro milite armato, ut inermes proſequerentur, & uſque ad exercitum protraherentur. Actumque eſt ita, Sed nihilominus videntes exercitum armatum fugerunt, ut peracto miliario vix pauci cæderentur vel caperentur. Caſtra vero invaſa, & omnis captivitas liberata eſt. Rex vero victor reverſus, modis omnibus gratiarum actiones divino honori, ut dignum erat, ſolvebat pro victoria de hoſtibus ſibi divinitus conceſſa. Tributumque, quod hoſtibus dare conſuevit, divino cultui mancipavit, & largitionibus pauperum deſervire conſtituit. Deinde pater patriæ, rerum dominus, Imperatorq; ab exercitu appellatus, famam potentiæ virtutiſq; cunctis gentibus & regibus longe lateque diffudit. Unde & aliorum regnorum proceres eum adierunt gratiamque in conſpectu ejus invenire quærentes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt. Inter quos Hiribertus gener Hugonis, cum ei adverſaretur Rudolfus contra jus faſque omne rex conſtitutus, ut ei apud dominum ſuum præſidio eſſet ſupplicavit. Ipſe enim rex talis erat, qui nihil negaret amicis. Perrexit igitur in Galliam rex, regem alloquitur, &, perfecto negotio, reverſus eſt in Saxoniam. Cumque eſſet in exaltando gentem ſuam, rarus fuit, aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia, quem præclaro munere aut officio, vel aliqua quæſtura non promoveret. Et cum ingenti polleret prudentia ſapientiaque, acceſſit & moles corporis regiæ dignitati omnem addens decorem. In exercitiis quoque ludi tanta eminentia ſuperabat omnes, ut terrorem cæteris oſtentaret. In venatione tam acerrimus erat, ut una vice quadraginta, aut eo amplius feras caperet: & licet in conviviis ſatis jocundus eſſet, tamen nihil regalis diſciplinæ minuebat: tantum enim favorem pariter & timorem militibus infundebat, ut etiam ludenti non crederent ad aliquam laſciviam ſe diſſolvendos. Cum autem omnes in circuitu nationes ſubjeciſſet, Danos, qui navali latrocinio Freſones incurſabant, cum exercitu adiit vicitque & tributarios faciens, regem eorum nomine Nubam baptiſmum percipere fecit. Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, poſtremo Romam proficiſci ſtatuit, ſed infirmitate correptus iter intermiſit. Cumque ſe jam gravari morbo ſenſiſſet, convocato omni populo, deſignavit filium ſuum Oddonem regem, cæteris quoque filiis prædia cum theſauris diſtribuens: ipſum vero Oddonem, qui maximus & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit. Teſtamento itaque legitime facto, & rebus omnibus

Digitized by Google

rite compoſitis, defunctus eſt ipſe rerum dominus, & regum maximus Europæ, omni virtute animi corporiſque nulli ſecundus, relinquens ſibi ipſi majori filioque magnum latumque imperium, non à patribus ſibi relictum, ſed per ſemetipſum acquiſitum, & à ſolo Deo conceſſum. Erant autem dies, quibus regnavit XVI. anni, vitæ autem fere LX. Translatum eſt autem corpus ejus à filiis ſuis in civitatem, quæ dicitur Quedelingeburg, & ſepultum in baſilica ſancti Petri ante altare cum planctu & lacrymis plurimarum gentium. Explicit liber primus.

WITICHINDI MONACHI CORBEIENSIS ANNALIUM LIBER II.

PROLOGUS.

INgens opus cœpturus, vel certe iteraturus: nam magna ex parte peractum eſt: tua gratia fulciatur, quæ domina eſſe dinoſceris jure totius Europæ: quanquam in Africam Aſiamque patris tui jam poteſtas protendatur. Spero enim quicquid in eo invenitur minus idoneum, glorioſa tuæ clementiæ lenitate ſublevetur, permaneatque ea devotione dedicatum, qua eſt inceptum. Explicit prologus.

LIBER II.

DEFUNCTO itaque patre patriæ, & regum optimo maximo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum jam olim deſignatum regem à patre filium ejus Oddonem elegit ſibi in principem. Univerſaliſque electionis notantes locum, juſſerunt eſſe ad Aquas grani palatii. Eſt autem locus ille proximus Julo à conditore Julio Cæſare cognominato. Cumque illuc ventum eſſet, Duces ac præfectorum principes, cum cætera principum militumque manu congregati in Siſtorio, baſilicæ magni Caroli cohærenti, collocarunt novum Ducem, in ſolio ibidem conſtructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque ſuam contra omnes inimicos ſpondentes, more ſuo fecerunt eum regem. Dum ea geruntur à Ducibus ac cætero magiſtratu, Pontifex maximus cum univerſo ſacerdotali ordine, & omni plebe infra in baſilica præſtolabatur proceſſionem novi regis. Quo præcedente, Pontifex obvius læva ſua dexteram tangit regis, ſuaque dextera lituum geſtans, linea indutus ſtola, plantaque infulatus, progreſſuſque in medium uſque fani ſubſiſtit: & reverſus ad populum, qui circumſtabat (nam erant deambulatoria infra ſupraque in illa baſilica in rotundum facta, quo ab omni populo cerni poſſet) en, inquit, adduco vobis à Deo electum, & à domino rerum Henrico olim deſignatum, nunc vero à cunctis principibus regem factum Oddonem: ſi vobis iſta electio placeat, dextris in cœlum levatis ſignificate. Ad hæc omnis populus dextras in excelſum levans cum clamore valido imprecati ſunt proſpera novo Duci. Proinde procedit Pontifex cum rege, tunica ſtricta more Francorum induto, pone altare, ſuper quod inſignia regalia poſita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum ſceptro ac diademate. Eo quippe tempore erat ſummus Pontifex nomine Hildibertus, Franco genere, monachus profeſſione, nutritus vel doctus in Vuldo monaſterio, & ad id honoris merito progrediens, ut pater ejuſdem loci conſtitueretur, deinde ſummi Pontificatus Mogontiacæ ſedis faſtigium promeruiſſet. Hic erat vir miræ ſanctitatis, & præter naturalem animi ſapientiam, litterarum ſtudiis ſatis clarus, Qui inter cætera gratiarum dona ſpiritum prophetiæ accepiſſe prædicatur. Et cum quæſtio eſſet pontificum in conſecrando rege, Trevirenſis, videlicet, & Coloniæ Agrippinæ: illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam à B. Petro apoſtolo fundata; iſtius vero, quia ejus ad diœceſin pertineret locus, & ob id ſibi convenire arbitrati ſunt hujus conſecrationis honorem. Ceſſit tamen uterque eorum Hildiberti cunctis notæ almitati. Ipſe autem accedens ad altare, & ſumto inde gladio, cum Baltheo, converſus ad regem, accipe, inquit, hunc gladium, quo ejicias omnes Chriſti adverſarios, barbaros & malos Chriſtianos, auctoritate divina tibi tradita, omni poteſtate totius imperii Francorum, ad firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum. Deinde ſumptis armillis ac chlamyde induit eum: his cornibus, inquit, humitenus dimiſſis, monearis,

Digitized by Google

nearis, quo Zelo fidei ferveas, & in pace tuenda perdurare uſque in finem debeas. Exinde ſumpto ſceptro baculoque, his ſignis, inquit, monitus, paterna caſtigatione ſubjectos corripias, primumque Dei miniſtris, viduis ac pupillis, manum miſericordiæ porrigas, nunquamque de capite tuo oleum miſerationis deficiat, ut in præſenti & in futuro ſempiterno præmio coroneris. Perfuſus itaque oleo ſancto, & coronatus diademate aureo ab ipſis pontificibus, Hildiberto & Wichfrido, ac omni legitima conſecratione completa, ab eiſdem Pontificibus ducitur ad Solium, ad quod per cochleas adſcendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas conſtructum, unde ipſe omnes videre, & ab omnibus ipſe videri poſſet. Divina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolemniter celebrato, deſcendebat Rex ad Palatium, & accedens ad menſam marmoream regio apparatu ornatam, reſedit cum Pontificibus & omni populo: Duces vero miniſtrabant. Lothariorum Dux Giſelbertus, ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Everhardus menſæ præerat: Herimannus Franco pincernis: Arnulfus equeſtri ordini, & eligendis locandiſque caſtris præerat. Sifridus vero Saxonum optimus, & à rege ſecundus, gener quondam regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxeniam, ne qua hoſtium interim irruptio accidiſſet, nutrienſque juniorem Henricum ſecum tenuit. Rex autem poſt hæc unumquemque principum juxta munificentiam regalem congruenti ſibi munere honorans, cum omni hilaritate dimiſit multitudinem. Interea Barbari ad novas res moliendas deſæviunt, percuſſitque Bolizlaf fratrem ſuum virum Chriſtianum, &, ut ferunt, Dei cultura religioſiſſimum, timenſque ſibi vicinum ſub regulum, eo quod paruiſſet imperiis Saxonum, indixit ei bellum. Qui miſit in Saxoniam ad expoſtulanda ſibi auxilia. Mittitur autem ei Æſic cum legione Merſaburiorum & valida manu Haſſiganorum, additurque ei exercitus Thuringorum. Erat namque illa legio collecta ex latronibus. Rex quippe Henricus, cum eſſet ſatis ſeverus extraneis, in omnibus cauſis erat clemens civibus: unde quemcunq; videbat furem aut latronem, manu fortem & bellis aptum, à debita pœna ei parcebat, collocans in ſuburbano Merſaburiorum, datis agris atque armis; juſſit civibus quidem parcere, in barbaros autem, in quantum auderent, latrocinia exercerent. Hujuſcemodi ergo hominum collecta multitudo, plenam in expeditionem produxit legionem. Bolizlaf autem audiens de exercitu Saxonico: & quia Saxones ſeorſum, & ſeorſum Thuringi irent contra ſe: diviſis & ipſe ſociis, ſicuti erat acerrimus conſilio, utrique exercitui occurrere diſpoſuit. At Thuringi ut hoſtes improviſe ſibi occurſitare viderunt, fuga periculum devitaverunt. Æſic autem cum Saxonibus & cæteris auxiliariis nihil cunctatus in hoſtes ruit maximamque partem ex eis armis fudit, cæteros fugere compulit, victorque ad caſtra reverſus eſt. Et cum ignoraſſet de exercitu, qui inſecutus fuerat Thuringos, minus caute uſus eſt victoria perpetrata. Bolizlaf autem videns exercitum noſtrum diſperſum, & alios in extrahendis ſpoliis cæſorum, alios in ſuis corporibus reficiendis, alios in paleis equorum congregandis occupatos, fugatum reverſumque coadunans exercitum, ſuper improviſos ac recenti victoria ſecuros, ſubito irruit, & ducem cum omni noſtro exercitu delevit. Pergenſque inde ad urbem ſubreguli, primo eam impetu cepit, & uſque in hodiernum diem ſolitudinem fecit. Perduravitque illud bellum uſque ad quartum decimum regis imperii annum: ex eo regi fidelis ſervus & utilis permanſit. Rex autem audito hujuſmodi nuncio, minime turbatur, ſed divina virtute corroboratus, cum omni exercitu intrat terminos barbarorum, ad refrenandam illorum ſævitiam. Datum quippe erat illis & antea à patre ſuo bellum, eo quod violaſſent legatos Thancmari filii ſui, de quo in ſequentibus plenius dicturos nos arbitramur. Placuit igitur novo regi novum principem militiæ conſtituere: elegitque ad hoc officium virum nobilem & induſtrium, ſatiſque prudentem, nomine Herimannum. Quo honore non ſolum cæterorum principum, ſed & fratris ſui Wichmanni offendit invidiam. Quapropter & ſimulata infirmitate, amovit ſe ab exercitu. Erat namque Wichmannus vir potens, & fortis, magnanimus, belli gnarus, & tantæ ſcientiæ, ut à ſubjectis ſupra hominem plura noſſe prædicaretur. Herimannus autem cum eſſet in prima acie, in introitu regionis in hoſtium pugnam incidit, eoſque fortiter vicit: & ob hoc majori invidia inimicos accendit, inter quos Ekkehardus filius Liudulfi, qui in tantum ægrè paſſus eſt fortunam Herimanni, ut ſeſe promitteret majora facturum,

rum, aut vivere nolle. Unde collectis ex omni exercitu fortiſſimis viris, interdictum regis rupit, & paludem, quæ erat inter urbem hoſtium & caſtra regis, cum ſociis tranſiit, ſtatimque hoſtes offendit, & ab his circumfuſus cum omnibus ſuis periit. Erant autem qui cum eo occiderant electorum ex omni exercitu virorum decem & octo. Rex vero cæſa hoſtium multitudine, & cæteris tributariis factis reverſus eſt in Saxoniam. Acta ſunt autem hæc VII. Kalend. Octobr. Poſt hæc antiqui hoſtes Ungari venere virtutem probare novi regis. Intrantes autem Franciam, ſtatuerunt ſi poſſent ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens, nihil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque & à terminis ſuis abegit. Ceſſantibus autem bellis externis, civilia oriri cœperunt. Nam Saxones imperio regis facti glorioſi, dedignabantur aliis ſervire nationibus, quæſturaſque quas habuere ullius alius, niſi ſolius regis gratia habere contemſerunt. Unde iratus Everhadus contra Bruningum, collecta manu ſuccendio tradidit civitatem illius vocabulo Elveri, interfectis omnibus ejuſdem civitatis habitatoribus. Qua præſumtione rex audita, condemnavit Everhardum centum talentis æſtimatione equorum, omneſque principes militum, qui eum ad hoc facinus adjuvabant, dedecore canum, quos portabant uſque ad urbem regiam, quam vocitamus Magadaburg. Eodem tempore tranſtulit rex reliquias Innocentii martyris in eandem urbem. Ipſe autem rex, ut erat clementiſſimus, dum turbatores pacis merita caſtigatione afflixit, ilico cum pietate ſuſcepit, & unumquemq; eorum regio munere honorant, dimiſit in pace. At illi nihilominus duci ſuo hærebant ad omne nefas: quia ille quidem erat jocundus animo, affabilis, mediocris in rebus, largus in dando. Et his rebus multos Saxonum ſibi aſſociavit. Ea tempeſtate defunctus eſt Arnulfus Bajoariorum Dux, & filii ejus in ſuperbiam elati, regis juſſu contemſerunt ire in comitatum. Illo quoque tempore defunctus eſt Sifridus comes, cujus ditionem cum ſibi vendicaſſet Thancmarus, eo quod propinquus ei eſſet (nam mater ejus filia materteræ erat Sifridi, de qua genuit rex Henricus Thancmarum) & regali dono ceſſiſſet Geroni comiti, afflictus eſt Thancmarus triſtitia magna. Rex autem tranſivit in Bajoariam, & rebus ibi rite compoſitis, reverſus eſt in Saxoniam. Diſſenſio autem, quæ facta eſt inter Everhardum & Bruningum, ad hoc pervenit, ut cædes publicæ fierent, depopulationeſque agrorum agerentur, & ab incendiis nuſquam abſtinerent. De legum quoque varietate facta eſt contentio, fuereque qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis ſortiri, ſi forte patres eorum obiiſſent avis ſuperſtitibus. Unde exiit edictum à rege, ut univerſalis populi conventio fieret apud villam, quæ dicitur Stela, factumque eſt, ut cauſſa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori conſilio uſus, noluit viros nobiles ac ſenes populi inhoneſte tractari, ſed magis rem inter gladiatores diſcerni juſſit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum eſt, ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent pacto ſempiterno. Ibi quoque pacis turbatores facti ſunt manifeſti, qui hactenus ſe negabant contra regiam poteſtatem aliquid feciſſe, ſed injuriam tantummodo in ſocios vindicaſſent. Rex autem ſe contemtum ab eis animadvertens; neq; enim ad placitum juxta juſſum venire dignati ſunt, arma diſtulit, veniæ locum dedit, proxima ſibi ſemper ſolitus clementia. Sed hæc dilatio ad majorem perniciem multos pertraxit. Fiebant præterea multa nefaria à ſeditioſis, homicidia, perjuria, depopulationes, incendia: æquum pravumque, ſanctum perjurumque illis diebus pariter procedebant. Junctus eſt autem & Thancmarus Everhardo, collectaque valida manu, oppugnabat præſidium, quod dicitur Badiliki, in quo erat Henricus junior, dataque præda urbis ſuis commilitonibus, abiit ſecum abducens Henricum quaſi vile quoddam mancipium. Interfectus eſt autem ibi Gevehardus Udonis filius, fratris Herimani Ducis: ob cujus necem, Deo omnia ordinante, Duces Francorum inter ſe ſunt diviſi. Tantis igitur ſpoliis Thancmari milites ditati, jam ad omnia parabantur. Poſt hæc cepit urbem, quæ dicitur Heresburg, & collecta valida multitudine, ſedet in ea, multa inde exercens latrocinia. Everhardus autem ſecum tenuit Henricum. Eo quoque tempore occiſus eſt Deudi ante portas urbis, quæ dicitur Larum, in qua erant milites Everhardi. Wichmannus autem, qui ſe primum alienavit à rege, audiens tantum facinus ſeditioſorum, converſus pacem fecit cum rege, quia prudentiſſimus erat, & utilis & fidelis in finem permanſit. Thancmarus autem

tem

Digitized by Google

tem filius Henrici regis natus erat ex matre nobili, manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus: ſed inter arma honeſta minus pudicitia uſus. Erat autem mater ejus multam habens poſſeſſionem, qui licet à patre aliis pluribus ſit ditatus, materna tamen ſe hereditate privatum ægrè valde tulit: & ob hanc cauſam arma ſumſit ad perniciem ſui ſuorumque contra dominum ſuum regem. Rex autem licet invitus, videns rem ad tam ingens periculum procedere, ad edomandam Thancmari inſolentiam, cum multo comitatu perrexit ad Heresburg. Cives autem urbis illius cognoſcentes de rege, quia ſuper ſe cum valida manu appropinquaſſet, apertis portis introduxerunt exercitum, qui obſederat urbem. Thancmarus autem fugit in eccleſiam, à Leone Papa beato Petro apoſtolo dedicatam. Exercitus autem perſecutus eſt eum uſque in templum, & maxime ſatellites Henrici, dolentes ac vindicare contendentes injuriam domini ſui Nec veriti januas ferro incidere, cum armis ingreſſi ſunt ſacram ædem. Thancmarus. autem ſtabat juxta altare, depoſitis deſuper armis cum torque aurea. Cumque ex adverſo telis urgeretur, Thiatboldus quidam nothus Cobbonis cum conviciis ei vulnus inflixit, ilicoque ab eo recepit, quo vita cum terribili inſania in brevi caruiſſet. Quidam autem militum Maincia vocabulo per feneſtram altari contiguam lancea à tergo perfoſſum ibi ſecus aram exſtinxit Thancmarum. Ipſe autem fraternæ fautor diſcordiæ, in Biertanico poſtea bello vitam cum auro ab altari nequiter rapto miſerabiliter perdidit. Earum rerum rex ignarus, & abſens cum audiſſet, ſuper temeritate militum indignatus eſt: ſed fervente adhuc bello civili non potuit eos contriſtare. Miſeratus autem fratris fortunam, ſuique ingenii oſtendens clementiam, pro laude ejus ac induſtria pauca locutus, Theodoricum & tres amitæ illius filios, qui Thancmaro manus junxerant, lege Francorum damnatos ſtrangula fecit deficere. Inde vertit militem avidum pugnæ, & præda urbis ditatum in Laras. Illi autem, urbis præfecto auctore, acriter reſiſtentes, lapides lapidibus, tela telis objicere non ceſſabant, aggravatiq; bello ſuper conſulto ducis inducias depoſcunt. Quibus conceſſis, ducis eis præſidium non negatur. Unde urbe egreſſi poteſtati ſe regiæ tradidere. Ea pugna Dammo pincerna, multis aliis rebus bene geſtis olim famoſus, factus eſt clarus. Everhardus autem audiens de nece Thancmari, & de defectione ſuorum militum, fractus animo proſternitur captivo ſuo, veniam petit, ac nequiter promeretur. Henricus autē erat eo tempore nimis adoleſcens animo, & nimia regnandi cupiditate illectus; eo pacto crimine ſolvit eum, quo conjuratione ſecum facta contra regem dominum ſuum & fratrem, ſibi regni diadema, ſi poſſibile foret, imponeret: fœdus itaque invicem percuſſum. Inde liberaliter Henricus ad regem reverſus, puriori fide ac caritate ab eo eſt ſuſceptus, quam ingreſſus. Suaſione quoq; optimi in primis, & omni religione probatiſſimi viri Frithurici, ſucceſſoris Hildiberti Archiepiſcopi, Everdardus adiit regem, ſupplex veniam depoſcit, ſe ſuaq; omnia ipſius arbitrio tradens. Ne igitur ingens ſcelus inemendatum maneret, quaſi in exilium in Hildenenſem urbem à rege dirigitur. Sed non poſt multum temporis in gratiam clementer recipitur, & honori priſtino redditur. Dum ea interea loci geruntur, antiqui hoſtes noſtri Ungari ſubitò irruunt in Saxones, & caſtris ſuper litus Bodæ fluminis collocatis, inde in omnem regionem diffunduntur. Dux autem miſſus à caſtris cum parte exercitus, eo die ad veſperam ſigna movit circa urbem, quæ dicitur Stiedereburg. Urbani autem videntes hoſtes & ex itinere, & ex pluvia, quæ ingens erat, ſegniores, audacter erumpunt portis, & clamore primum territantes, demum repente in adverſarios irruentes, plurimis ex eis cæſis, & copioſa equorum multitudine cum aliquib. ſignis capta, cæteros fugere compulere. Urbes quas obvias habuere, illorum fugā animadvertentes, armis eos omnib. locis urgebant, & maxima ex eis parte proſtrata, ducem ipſum in quendam luti puteum cogentes oppreſſerunt. Alteræ autem partis exercitus ad Aquilonem verſus, & arte cujuſdam Slavi in locum, qui dicitur Thrimmining, deductus, difficultate locorum ac manu circumfuſus armatorum periit, timoremq; nimium cæteris incuſſit. Dux autem illius exercitus cum paucis elapſus comprehenditur, & ad regem deductus precio magno redimitur. His auditis caſtra hoſtium omnia turbata, fuga ſalutem quæſiere, nec ultra per triginta annos in Saxonia apparuere. Poſt hæc Henricus ardens cupiditate regnandi, celebre parat convivium in loco, qui dicitur Salaveldun. Cumque eſſet magnus ac potens majeſtate & poteſtate regali, plurimis plurima donat, & factionis hujuſcemodi plurimos ob id ſibi

aſſociat. Fuere tamen multi, qui rem cælare potius arbitrati ſunt, ad hoc tantum, ne regi fraternæ diſcordiæ invenirentur. Dabant tamen conſilium, quo facilius bellum ſolveretur, ut videlicet ipſe relinqueret Saxoniam ſub præſidio militari, & ſeſe inferret Lothariis, generi hominum imbelli: & ita factum eſt, ut primo impetu eos rex devinceret, & uno certamine fatigaret. Commilitonum itaq; conſultu, Saxonia, ut diximus, relicta, & urbibus Saxoniæ, vel in Thuringorum terra præſidio militari traditis, ipſe cum amicis Lotharios adit. Cujus rei fama undiq; omnes perculſi, quia tam ſubitaneæ receſſionis à rege, ac repentini belli cauſam penitus ignorabant. Rex autem audita hujuſcemodi fama, primum non credidit: poſtremo certum de belli negocio probans, nihil moratus cum exercitu perſecutus eſt fratrem. Et ut appropiat urbi præſidiis fratris munitæ, quæ dicitur Throtmanni, milites qui erant in ea non immemores fortunæ Thancmari, nequaquam ſunt auſi inibi regem expectare, ſed egreſſi urbe, tradiderunt ſeipſos regi. Erat autem Agina, qui illam urbem ad manum Henrici procurare deberet. Hic à rege vehementi juramento conſtrictus, quatenus ſi poſſet, dominum ſuum à bello ad pacem, & concordiam revocaret, vel certe ipſe ad regem reverteretur. *Ita* dimiſſus adiit dominum ſuum. Ductus autem exercitus à rege, pervenit uſque ad litora Rheni fluminis. Eo tempore, quo erat bellum Everhardi cum rege, miſſus Hadaldus, qui erat ſuper cubiculum regis, ad Giſelbertum pro concordia & pace, cum nec dum ad neutram partem palam declinaret, indigne ſuſcipitur, & reſponſio de die in diem differtur. Ipſe autem ſimultates Ducis ſentiens, nec ultra talibus verſutiis contentus, imperium, tibi, inquit, regale facio, præſente populo, tribunali regis condicto die præſentari, aut certe hoſtem te ſcias judicari. Simili modo & Pontificem Bernhardum à rege miſſum inhonoratum, & reſponſi incertum à ſe dimiſit. Fertur etiam & regalium literarum ſæpius ſigilla corrupiſſe. Poſt hæc vero verba legatum melius cœpit habere, & cum honore transduci fecit. Igitur copias belli parantes Henricus & Giſelbertus decreverunt ad Rhenum occurrere regi. Agina quoque memor juriſiurandi, præcedens exercitum tranſito Rheno regi ſeſe præſentavit. Et ſalutato eo verbis humilimis, ait, frater tuus dominus meus ſalvum te & incolumem magno latoq; imperio diu regnare exoptat, tuumq; ad ſervitium demandat ſe quantocius feſtinare. Rege autem interrogante de eo, pacem bellumne cogitaſſet, proſpiciens vidit multitudinem nimiam erectis ſignis tractim procedere, & ad ſui partem exercitus, qui jam Rhenum tranſierat tendentem. Et converſus ad Aginam, quidnam vult, inquit, illa multitudo, aut quæ eſt? At ille ſatis ocioſe, dominus meus, inquit, eſt frater tuus. Si meæ ſuaſioni dignaretur animum inclinare, aliter veniſſet. Modo ut ipſe juravi veni. Rex autem his auditis dolorem animi motu corporis non celabat, eo quod non adeſſent naves, per quas Rhenum tranſcendere poſſet, & ingens flumen aliud iter non præbebat, nec tempus ſubitanei certaminis in ulteriori ripa conſtitutos aliud ſinebat cogitare, niſi aut coram hoſtibus cadere deberet, aut certe armis vitam defenderet. Unde ad Deum ſupplices expandens manus rex ait, Domine, inquit, omnium rerum auctor, reſpice populum tuum, cui me præeſſe voluiſti, ut ereptus ab inimicis, ſciant omnes gentes, ullum mortalium tuæ diſpoſitioni contraire non poſſe, qui omnia potes, & vivis & regnas in æternum. Qui autem erant in ulteriori ripa, ſarcinas & impedimenta quæque tranſmittunt in locum, qui dicitur Xantum: Ipſi vero parati hoſtes expectant. Cumque eſſet piſcina inter noſtrates & hoſtes, Saxones diviſis ſociis, pars una ex adverſo ruit in hoſtes, altera pars à tergo inſequitur, in mediis hoſtes opprimens, pauci plures vehementer urgebant. Neq; enim noſtratium ſupra centum armatos fuiſſe perhibetur, adverſariorum vero magnus ſatis exercitus. Sed cum à fronte pariter & à tergo urgerentur, qua parte potiſſimum cavere debuiſſent, in promtu non erat. Ex noſtris etiam fuere, qui Gallica lingua ex parte loqui ſciebant, qui clamore in altum Gallice levato, exhortati ſunt adverſarios ad fugam. Illi ſocios hujuſcemodi clamaſſe arbitrati, fugam, ut clamatum eſt, inierunt. Eo die ex noſtris multi vulnerati, aliqui etiam cæſi, inter quos Albertus, qui cognominatus eſt Candidus, telo Ducis Henrici vulneratus, non multis interjacentibus diebus defunctus eſt. Hoſtes autem omnes aut cæſi, vel capti, vel certe fugati: ſarcinæ omnes, & omnium hoſtium ſupellex inter victores diviſa. Ex parte Lothariorum bene pugnaſſe prædicabatur illo certamine Godofridus Niger cognominatus. Sed & Maincia, cujus ſupra mentionem fecimus, eo die cecidit. Dadi autem

em Thuringus mandavit ad præfectos urbium, qui erant in oriente partis Ducis Hen-
ici de victoria regis, & quia ipſe Dux in bello cecidiſſet: egitq; callide, ut omnes ſe tra-
lerent regiæ poteſtati. Henricus autem hoc factum, nequaquam reliquit inultum. Ipſi
utem duæ tantummodo ex omnibus remanſerant urbes, Mersburg & Schidingi. Re-
gi autem poſt victoriam viſum eſt perſequi fratrem ſuum generumq;. Audiens vero
le defectione urbium ſuarum Henricus, fractusque recenti regis victoria, cum novem,
antum armatis iter arripuit, Saxoniamque jam tardius adiens, Mersburg ingreſſus eſt.
Quo rex comperto, & ipſe reverſus eſt Saxoniam, urbemq; in qua frater erat, cum
xercitu obſedit. Sed cum non poſſet fortiori ac majori reſiſtere, poſt duos ferme men-
es tradita urbe egreſſus eſt Henricus ad regem. Datæ ſunt autem ei induciæ 30 die-
um, quatenus cum militibus ſibi cohærentibus ſecederet à Saxonia: ſi cui vero illo-
um regem adire placuiſſet, locum veniæ haberet. Quievitq; Saxonia poſt hæc ab in-
eſtinis bellis paucis diebus. Barbari autem labore noſtro elati nuſquam ab incendio,
æde, ac depopulatione vacabant, Geronemque, quem ſibi rex præfecerat, cum dolo
erimere cogitant. Ipſe dolum dolo præoccupans, convivio claro delibutos ac vino
epultos ad triginta fere principum barbarorum una nocte exſtinxit. Sed cum non
ufficeret contra omnes nationes barbarorum (eo quippe tempore Abotriti rebella-
erunt, & cæſo exercitu noſtro, ducem ipſum nomine Haicam extinxerunt) ab ipſo
ege ſæpius ductus exercitus, eos læſit, & in multis afflixit, & in ultimam pene calami-
atem perduxit. Illi vero nihilominus bellum, quam pacem elegerunt, omnem mi-
eriam caræ libertati poſtponentes. Eſt namq; hujuſcemodi genus hominum durum
& laboris patiens, victu leviſſimo aſſuetum, & quod noſtris gravi oneri eſſe ſolet, Sclavi
pro quadam voluptate deducunt. Tranſeunt ſanè dies plurimi, his pro gloria & pro
magno latoq; imperio, illis pro libertate ac ultima ſervitute varie certantibus. Mul-
os quippe illis diebus Saxones patiebantur hoſtes, Sclavos ab oriente, Francos à meri-
lie, Lotharios ab occidente, ab Aquilone Danos, itemq; Sclavos, propterea que bar-
ari longum trahebant certamen. Fuit quidam autem Sclavus à rege Henrico reli-
tus, qui jure gentis paterna ſucceſſione, dominus eſſet eorum, qui dicuntur Heveldi,
lictus Tugumir. Hic pecunia multa captus, & majori promiſſione perſuaſus, pro-
eſſus eſt ſe prodere regionem. Unde quaſi occulte elapſus, venit in urbem, quæ di-
citur Brennaburg, à populo agnitus, & ut dominus ſuſceptus, in brevi quæ promiſit
mplevit. Nam nepotem ſuum, qui ex omnibus principibus gentis ſupererat, ad ſe
nvitans, dolo captum interfecit, urbemque cum regione ditioni regis tradidit. Quo
acto omnes barbaræ nationes uſque in Oderam fluvium ſimili modo tributis regali-
us ſe ſubjugarunt. Henricus igitur diſcedens à Saxonia, Lotharios iterum adiit, &
um genero ſuo Duce ſcil. Giſelberto cum ſuis militibus aliquandiu moratus eſt. I-
erum ducitur exercitus à rege contra Giſelbertum, & omnis regio Lothariorum illius
mperio ſubjacens igni traditur. Obſeſſusq; in arce, quæ dicitur Kievermont, elapſus
nde proficiſcitur. Et cum obſidio difficultate locorum parum procederet, vaſtata un-
liq; regione, rex in Saxoniam revertitur. Sciens autem comitem Giſelbertum verſutum
& callidum nimis, nomine Immonem: artibus illius melius arbitratus eſt pugnare,
quam armis. Ille vero, ut erat aſtutiſſimus meliori ac majori ſe ſubdens, arma ſumit
contra Ducem: quod ipſe Dux omnium laborum graviſſime tulit, quia eum ſibi aver-
um ſuſtinere debuiſſet, cujus conſilio ac fidei hactenus ſe maxime credebat. Augebat
quoq; indignationem Duci grex porcorum ab Immone callide captus. Nam ſubulci
Ducis cum contra porcos urbis tranſirent, Immo porcellum pro porta agitari fecit, &
omnem gregem porcorum apertis portis intra urbem recepit. Quam injuriam Dux
ferre non valens, coacto exercitu, obſedit Immonem. Ille autem plurima apum exa-
mina habuiſſe fertur, quæ frangens projecit contra equites. Apes autem aculeis equos
ſtimulantes in inſaniam vertebant, ita ut equites periclitari cœpiſſent. Quo viſo Immo
proſpiciens de muro eruptionem cum ſociis minitatus eſt. Hujuſcemodi igitur arti-
bus Dux ab Immone deluſus, ſolvit obſidionem. Diſcedens vero fertur dixiſſe Immone
mecum ſentiente omnes Lotharios facile captos tenui, modo ipſum ſolum cum o-
mnib. Lothariis capere nequeo. Tractum tamdiu bellum Everhardus conſiderans ul-
tra non quieſcit. Quin contemto rege, & jure ſpreto juramentorum, ut initio, con-
ſerta manu cum Giſelberto ad incentiva bellorum pariter conſpirant. Nec contenti

Digitized by Google

regno Occidentali ſolummodo, in Rheni orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. Hæc cum audiuntur in caſtris regis (nam ea tempeſtate rex erat pugnans contra Briſeg & alias urbes, quæ erant Everhardi ditionis) multi ſe caſtris eruebant, nec ultra ſpes erat regnandi Saxones. Rex vero in ea turbatione tanta conſtantia ac imperio uſus eſt, licet coram milite conſtiparetur, acſi nihil ei difficultatis obviaſſet. Nam ſummi Pontifices relictis tentoriis, & alia qualibet ſupellectili, ipſi etiam defecerunt à fide. Defectionis cauſam edicere, & regalia myſteria pandere, ſuper nos eſt: verum hiſtoriæ ſatisfaciendum, arbitramur quicquid in hac parte peccamus veniabile ſit. Summus Pontifex miſſus ad Everhardum, pro concordia & pace, cum eſſet earum rerum deſideratiſſimus, pacto mutuo ſuum interpoſuit juramentum, & ideo ab eo non poſſe deficere fertur narraſſe. Rex autem per Pontificem officio ſuo congruentia dirigens reſponſa nihil ad ſe pertinere voluit quicquid epiſcopus egiſſet, ſine ſuo imperio. Quare quia contra auctoritatem regi, quaſi præcellenti, noluit ſubjici, ſed receſſit ab eo, in Hommaburgenſem urbem, quaſi in exilium deſtinavit: Ruodhardum vero epiſcopum novam Corbejam direxit. In brevi vero utriſq; clementer ignoſcit, in ſui gratiam ſuſcepit, & honori priſtino reddidit. Ad coercendam igitur Ducū præſumtionem, miſſus Hermannus cum exercitu, invenit eos ſuper litus Rheni, magnamq; partem exercitus abeſſe, eo quod jam Rhenum cum præda tranſiſſent. Circumfuſus itaq; Dux ipſe Everhardus militum armis, multis vulneribus acceptis, ac viriliter redditis, perfoſſus tandem telis corruit. Giſelbertus autem fugiens, navem cum pluribus aſcendit, quæ onere prægravata ſuccumbens mergitur: ipſeq; Dux cum cæteris merſus nunquam eſt inventus. Rex autem audita victoria ſuorum militum ac morte Ducum, gratias egit omnipotenti Deo, cujus ſæpius auxilium expertus eſt opportunū. Præficienſq; regioni Lothariorum Oddonem Ricwinis filium, & ut nutriret nepotem ſuum filium Giſelberti optimæ ſpei puerulum, nomine Henricum, reverſus eſt in Saxoniam. Mater autem pueri copulata eſt conjugio Lothowico regi & Henricus frater regis diſcedens à Lothariis, ſeceſſit in regionem Karoli. Necem Ducum aſperrima hyems, hyemeque ſecuta eſt fames validiſſima. Poſt hæc Immo, verè neſcio an falſo, arma ſumit contra regem, & media hyeme circundatus exercitu, ſe pariter cum urbe tradidit, ac deinceps fidelis & utilis permanſit. Nepotes quoque Giſelberti, ſervituti regiæ, ſe ſubjiciebant, urbibus, quas tenebant, nihilominus retentis: Kievermont etiam ab Anfredo & Arnoldo adhuc tenebatur: ad quos Immo mandatum hujuſcemodi dirigens ait: de me non ſentio niſi quod vos ſentitis, de vobis autem notum eſt, quia hujus gentis principes eſtis. Nulli ergo dubium eſt, quin duabus manibus quiſq; magis valeat, quam una. Certum eſt itaq; tres unum fortitudine præcedere. Et tunc quæ neceſſitas cogit, ut ſerviamus Saxonibus, niſi noſtra diſcordia? Quando vos armis circumdederunt, num victoria lætati ſunt? Victoribus certè turpe eſt ſervire. Optimum omnium mortalium, qui me à puero nutrivit, & inter amicos ſemper habuit, & magna poteſtate clarificavit, noſtrum communem dominum deſerui, & Saxoniæ periculo capitis mei ſociavi: modo, ut ſcitis, pro merito honore contumelia ab eo affectus, armis circundatus, pene ex libero ſervus factus ſum. Ut ergo noveritis me ex fide communi utilitati velle conſulere, tibi Anfrid unicam filiam meam deſponſabo, quo nullo apud vos infidelitatis ſcrupulo notari queam. Date igitur locum mutui colloquii, & ex me ipſo fidem probabitis, quam per nuncium necdum poteſtis. Ipſi adhæc, quamvis ferrei pectoris eſſent, & illum jam olim ſuſpectum haberent, tantæ tamen calliditati cedentes, ſuaſibilibus emolliti verbis, mutuo dabant locum conſpectui. At ille armatos habens locis opportunis abſconditos, dolo ambos cepit, & ſub cuſtodia regi deſtinavit, mandato in hæc verba pariter directo. Elatior, inquit, eſt mollior, vinculis aut verberibus non indiget, minis pandit univerſa quæ ſcit. Ansfrid vero durior ferro eſt, hunc ſi tormenta accerrima rimentur, magnum eſt. Quos cum rex ſuſcepiſſet, aliquanto tempore cuſtodiæ mancipatione caſtigavit: poſtea ſuæ gratiæ lenitate ſibi aſſocians in pace dimiſit. Cum ergo cauſæ cauſis, ac rebus res ita copulatæ ſint, ut ſententiarum ordine diſcerni adeo non debeant, nemo me temporum viciſſitudine accuſet dum poſteriora anterioribus præpoſuerim geſta. Rex igitur vicina ſemper ſibi clementia graves fratris miſeratus labores, aliquantis urbibus ſuis uſibus conceſſis, permiſſus eſt in terra regionem Lothariorum habitare. Eo tempore bellum barbarorum fervebat, & cum milites ad manum Geronis

præ-

Digitized by Google

præſidiis conſcripti crebra expeditione attenuarentur, & donativis vel tributariis præmiis minus adjuvari poſſent, eo quod tributa paſſim negarentur, ſeditioſo odio in Geronem exacuuntur. Rex vero ad communes utilitates reipublicæ Geroni ſemper juxta erat, unde factum eſt, ut nimis exacerbati, odia ſua in ipſum quoq; regem vertiſſent. Quæ cauſa Henricum minime latuit: & ut ſolet amaris animis dum dulce aliquid affertur, perſuadebat facile hujuſcemodi homines ſibi concordare, ſpem habens iterum regnandi, dum noſſet exercitum regi offenſum. Denique multis intercurrentibus legatis, & munuſculis invicem miſſis, omnes pene orientalium partium milites ſibi colligavit. Quæ res ad tantum nefas proceſſit, ut conjuratione valida facta in Paſchali feſtivitate, quæ erat proxima, cum ipſe Henricus ad palatium iſſet, regem occidere cogitaſſent, ipſi vero regni diadema imponerent. Earum rerum dum non eſſet publicus proditor, ſemper ſe protegente ſumma divinitate, notæ factæ ſunt regi inſidiæ modicum ante Paſcha. Qui fidelium militum vallatus manu die ac nocte, nihilque decoris vel majeſtatis regiæ coram populo ea ſolemnitate minuens, nimium hoſtibus intulit timorem. Poſt diem vero ſolemnem, conſilio maxime Francorum, qui eo tempore maxime ſibi aſtabant, Herimanni ſcilicet, Udonis atque Conradi, qui dictus eſt Rufus, ſecrete proditos jubet comprehendi, vel certè occidi. Inter quos erat primus, in cæteris omnium bonarum virtutum rebus abſque hac noxa fortiſſimus optimuſque Erik. Hic cum armatos ad ſe properaſſe intellexiſſet, conſcius cauſarum, equum aſcendit, arma ſumit, circumfuſuſque hoſtium turmis memor priſtinæ virtutis ac nobilitatis, elegit mori, quam inimicorum damnationi ſubjici. Nam lancea perfoſſus occubuit, vir omni virtute ac induſtria civibus carus atque clarus. Cæteri autem inſidiarum conſcii, in alteram hebdomadam differuntur & ſecundum leges ſcelerib. ſuis meritas pœnas ſolventes, capite cæduntur. Henricus autem fugiens regno ceſſit. Eo anno & portenta quædam apparuere, ſc. Cometæ. Nam à quintadecima Kalendas Novembres uſque in ipſas Kalendas viſæ ſunt. Quibus viſis, multi mortales territi, aut nimiam peſtilentiam, vel certe regni mutationem metuebant. Quomodo quidem ante regis Henrici exceſſum, multa prodigia monſtrata ſunt, ita ut ſolis ſplendor forinſecus aere abſque nubilo pene nullus appareret, intrinſecus autem per feneſtras domorum rubeus, tanquam ſangvis infunderetur. Mons quoq;, ubi ipſe rerum dominus ſepultus eſt, fama prodidit, quod multis in locis flammas evomeret. Hominis etiam cujuſdam manus ſiniſtra ferro amputata, poſt annum ferè integrum reſtituta eſt ei dormienti, qui pro ſigno miraculi ſangvinea linea loco conjunctionis notabatur. Sed cometas inundatio nimia, inundationem quoq; boum peſtilentia ſubſecuta eſt. Defuncto autem Udone Lothariorum præſide ac regis nepote Henrico, ducatus regionis conceditur Chuonrado, cui & unicam filiam ſuam rex deſponſavit, qui erat adoleſcens acer & fortis, domi militiæque optimus, commilitonibus ſuis carus. Illis diebus Bertholdus frater Arnulfi procurabat Bajoariam, pugnanſq; contra Ungaros, victorq; exiſtens, triumpho celebri factus eſt clarus. Rex autem de die in diem proficiens, paterno regno nequaquam eſt contentus, ſed abiit Burgundiam, regem cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Hugonem alterum armis edomuit, ac ſibi ſubjectũ fecit: cujus fibulam auream regi dono conceſſam, gemmarum varietate mirabilem vidèmus in altari protomartyris Stephani rutilantem. Igitur cum omnia regna coram eo ſilerent, & poteſtati ipſius omnes hoſtes cederent, monitu & interceſſione ſanctæ matris ej⁹ recordatus eſt multis laboribus fatigati fratris, præfecitq; eum regno Bajoariorum, Bertholdo jam defuncto, pacem & concordiam cum eo faciens, qua uſq; in finem fideliter permanſit. Erat autem ipſe dominus Henricus copulatus matrimonio filiæ Ducis Arnulfi, fœminæ egregiæ formæ, mirabiliſq; prudentiæ. Fratrum verò pax atq; concordia Deo acceptabilis, hominibuſq; amabilis, toto orbe fit jam celebris, dum unanimes reſpublicas augent, hoſtes debellant, civibus paterna poteſtate præſunt. Ducatu igitur Bajoariorum accepto, nequaquam deſidia torpuit, ſed abiens Aquilegiam cepit, Ungaros duabus vicibus armis ſuperavit, Ticinum transnatavit, & præda magna intra regionem hoſtium capta, exercitum incolumem in patriam reduxit. Talium igitur & tantorum mores, habitum, formamque, quos ſumma clementia mundo ad delicias omnemque decorem deſtinavit, noſtrum non eſt omnimodis exponere. Verum devotionem, quam erga eos habemus, penitus celare nequimus. Ipſe denique dominus

Digitized by Google

rerum fratrum natu maximus, optimus in primis, pietate erat clarus; opere omnium mortalium conſtantiſſimus: præter regiæ diſciplinæ terrorem ſemper jocundus, dandi largus, dormiendi parcus, & inter dormiendum ſemper aliquid loquens, quo eum ſemper vigilare æſtimes, amicis nihil negans, & ſupra hominem fidelis. Nam quosdam audivimus accuſatos & peccati manifeſtos, ipſum eorum advocatum & interceſſorem, & criminis nullo modo credulum ab eo poſthabitos, tanquam nihil unquam in eum peccaſſent. Ingenium ei admodum mirandum: nam poſt mortem Edidis reginæ, cum antea neſcierit literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere & intelligere noverit. Præterea Romana lingua, Sclavonicaq; loqui ſciebat: Sed rarum eſt, quod earum uti dignaretur. In venationibus creber, tabularum ludos amat, equitatus gratiam regia gravitate interdum exercens. Acceſſit ad hæc & moles corporis, omnem regiam oſtendens dignitatem, capite cano, ſparſus capillo, oculi rutilantes, & in modum fulguris cita repercuſſione ſplendorem quendam emittentes: facies rubicunda, & prolixior barba: & hæc contra morem antiqvum: pectus leoninum, quibusdam ſparſum jubis: venter commodus: inceſſus quondam citus, modo gravior: habitus patrius, ut qui nunquam ſit peregrino uſus. Quotiescunq; autem ſit opus corona portanda, jejunium ſemper præcedere pro vero traditur. Henricus verò morum gravitate pollebat, & ob id ab ignotis minus clemens jocundusque prædicabatur, conſtanti admodum animo: fidelis & ipſe amicis, ita ut mediocris ſubſtantiæ militem conjugis ſuæ ſororis matrimonio honoraret, ſocium ſibi amicumq; faceret. Erat corpore præſtanti, & qui in adoleſcentia omnem hominem egregia forma ad ſe inclinaret. Junior vero fratrum dominus Bruno, magnus erat ingenio, magnus ſcientia & omni virtute ac induſtria. Quem cum rex præfeciſſet genti indomitæ Lothariorum, regionem à latronibus ita purgavit, & in tantum diſciplina legali inſtruxit, ut ſumma ratio, ſummaque pax illis in partibus locum tenerent. Igitur cum bella inteſtina externaque ceſſarent, leges divinæ atque humanæ auctorali vigore pollent. Gravisque perſecutio monachis oritur in diebus illis, affirmantibus quibusdam Pontificibus, melius arbitrari paucos vita claros, quam plures negligentes ineſſe monaſteriis oportere: obliti, niſi fallor, ſententiæ patrisfamiliæ prohibentis ſervos Zizania colligere, ſed utraq; creſcere oportere, Zizania & triticum usq; ad meſſem. Quo factum eſt, ut plures propriæ infirmitatis conſcii, depoſito habitu, & relictis monaſteriis, grave onus ſacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam, qui ſummum Pontificem Fridericum hoc non pure, ſed ficte feciſſe arbitrati ſunt, quatenus venerabilem virum, regiq; fideliſſimum abbatem Hadumarum quoquo modo poſſet dehoneſtaret. Ipſe enim erat vir magnæ prudentiæ ac induſtriæ. Sub ejus temporibus templum famoſum Vuldenſe igne conſumtum eſt, & ab eo reſtauratum, & multo majore decore perfectum eſt. Hic pontificem ſub cuſtodia tenuit, ſecunda conjuratione culpabilem: primum honorifice, ſed cum literas ab eo ſcriptas deprehendiſſet, ſatis ſevere. Pontifex vero dimiſſus, dum ultionem quærit, & contra tantum virum leges non prævalent, humilima monaſteria auctoritate tentavit, ut ad excellentiſſima æqualiter procederet. Sed hujuſcemodi ſimulationes incaſſum profuſæ. Nam abbas in gratia & amicitia regis permanſit, & cauſſis intercurrentibus Pontifex quod cogitavit non implevit. Soror autem regis Lothowico regi genuit tres filios, Carolum, Lotharium & Carolomanum. Ipſe autem Lothowicus Rex à ducibus ſuis circumventus, & à Nortmannis captus, conſilio Hugonis Lugdunum miſſus cuſtodiæ publicæ traditur. Filium autem ejus natu majorem Carolum Nortmanni ſecum duxerunt Rothum, ibi & mortuus eſt. Audiens autem rex, ſuper fortuna amici ſatis doluit, imperavitque expeditionem in Galliam contra Hugonem in annum ſecundum. Eo tempore cum moraretur in campis ſilveſtribus venationem agens, obſides Bolizlavi vidimus, quos populo rex præſentari juſſit ſatis ſuper eis lætatus. Ille annus notabilis caſu calamitoſo totius populi, de morte ſcilicet beatæ memoriæ Edidis reginæ, cujus dies extrema ſeptimo Kal. Febr. celebrata eſt cum gemitu & lacrymis omnium Saxonum. Hæc nata ex gente Anglorum, non minus ſancta religione, quam regali potentia pollentium ſtirpe claruit. Decem annorum regni conſortia tenuit, undecimo obiit. Saxoniam vero decem & novem annis inhabitavit. Reliquit filium nomine Ludolfum, omni virtute animi & corporis ea ætate nulli mortalium ſecundum. Filiam quoque Liudgardam nomine, quæ nupſerat Chuonrado Duci.

Digitized by Google

Duci. Sepulta eſt autem in civitate Magathaburg in baſilica nova latere Aquilonari ad orientem. Explicit liber ſecundus.

WITICHINDI MONACHI CORBEIENSIS ANNALIUM LIBER III.

PROLOGUS.

QVemadmodum cœli terræq; facies, hominum voces, vultus ac mores mille modis concordi diſcordia variantur, ſed ad unius luminis ſenſusq; ducatum, Dei cuncta regentis providentia coguntur: ita publicis ac privatis rebus intentis imperiale decus, quod te ut ſereniſſimum ſplendorem, gemmamque lucidiſſimam mundo effudit, unum juſtitiæ moderamen eſt normaque rectitudinis. Unde laboris noſtri opus, quòd à diverſis moribus diverſe accipitur, eo quòd ingenii ſermonisq; claritate egeat, ſinuglorioſæ clementiæ tuæ ſuſcipiatur, nec in ea noſtra inſipientia, ſed major conſideretur devotio, humiliter depoſco. Explicit Prologus.

LIBER III.

POſt exceſſum Edidis reginæ, omnem amorem maternum transfudit Rex in unicum filium ſuum Liudulfum. Factoque teſtamento creavit eum Regem poſt ſe. Ipſe autem tener adhuc erat adoleſcens, ætatis non amplius habens, quam ſedecim annos. Rex vero in Gallicam proficiſcens expeditionem, coacto apud Cameracam urbem exercitu feſtinat intrare regnum Caroli, vindicandæ cauſſa injuriæ generi ſui Lothowici. Quo audito, Hugo miſſa legatione, jurat per patris ſui animam, qui jam olim periit, Deo regique proprio repugnando, quia tanta ſibi eſſet copia armatorum, quantam hactenus Rex nunquam vidiſſet, addiditque contemtum vane tumideque ſuper Saxones loquendo, quia imbelles eſſent, & quia facile poſſet una potione telorum Saxonicorum ſeptem abſorbere. Ad quod rex famoſum ſatis reddidit reſponſum: ſibi vero eſſe tantam multitudinem pileorum fœninorum, quos ei præſentari oporteret, quantam nec ipſe, nec pater ſuus unquam videret. Et revera cum eſſet magnus valde exercitus, triginta ſcilicet duarum legionum, non eſt inventus, qui fœnino non uteretur pileo, niſi Corbejus abbas, nomine Bovo, cum tribus ſequacibus. Hic erat vir ſapiens ac clarus, à Deo nobis oſtenſus, non conceſſus. Hujus patris avus Bovo Græcas literas coram Chounrado rege legendo factus eſt clarus: & huic ejuſdem nominis avus erat, ut natu major omni virtute ac ſapientia potior. Sed & ipſe nepos erat Warini, qui ex milite factus eſt monachus, & primus omnium apud novam Corbejam regulariter electus eſt in patrem. Qui cum eſſet admirandæ ſanctitatis, ad augmentum virtutum ſuarum beatæque memoriæ, Saxoniæ precioſum attulit theſaurum, reliquias videlicet precioſi martyris Viti. Dimiſſus igitur Lothowicus regi occurrit, jungiturq; cum ſociis exercitui illius. Rex autem cum exercitu Lugdunum adiit, eamque armis tentavit, inde Pariſium perrexit, Hugonemque ibi obſedit, memoriam quoque Dionyſii martyris digne honorans veneratus eſt. Ductus inde exercitus contra urbem Rhemenſem, ubi erat nepos Hugonis contra jus faſque omne ſubrogatus Epiſcopus, legitimo Pontifice adhuc ſuperſtite. Armis autem urbem capiens, injuſte conſtitutum expulit Sacerdotem, legitimum eccleſiæ ſedique propriæ reſtituens. Exinde collecta ex omni exercitu electorum militum manu, Rothun Danorum urbem adiit, ſed difficultate locorum aſperiorique hyeme ingruente, plaga quidem eos magna percuſſit incolumi exercitu, infecto negocio, poſt tres menſes Saxoniam regreſſus eſt, urbibus Remenſe atq; Lugduno cum cæteris armis captis Lothowico regi conceſſis. Hugo autem expertus potentiam regis, virtutemq; Saxonum non paſſus eſt ultra terminos ſuos hoſtiliter intrare, ſed pergenti in eandem expeditionem anno ſequenti, occurrit juxta fluvium, qui dicitur Car, manus dedit, juxtaque imperium regis pactum iniit, utiliſq; proinde permanſit. Videns autem rex filium ſuum Liudulfum virum factum, dedit ei conjugem divitiis ac nobilitate claram, Ducis Herimanni filiam nomine Idam. Quam cum accepiſſet, in brevi poſt hæc ſocer moritur, cum Ducatu omni ei poſſeſſione relicta. Accepta autem poteſtate, animum tranquillum, quem in puero geſſit, exuit, armatumque militem

militem in Italiam ducens, aliquantis ibi urbibus captis, & ſub cuſtodia traditis, ipſe revertitur in Franciam. Eo tempore uſurpato imperio, regnavit in Longobardia homo fortis & avarus, & qui omnem juſtitiam pecunia venderet, Berngarius. Veritus autem ſingularis prudentiæ reginæ virtutem à Lothowico Rege relictæ, in multis eam afflixit, quo tanti decus ſplendoris extingueret, vel certe obſcuraret. Illo tempore Rex proficiſcitur in militiam contra Bolizlavum regem Bohemorum, & cum capienda eſſet urbs, quæ nuncupabatur Nova, in qua clauſus obſidebatur Bolizlavi filius, prudenti Rex conſilio diremit prælium, ne miles in rapiendis hoſtium ſpoliis aliquod periculum incideret. Conſiderata itaque virtute regis, ac innumera multitudine exercitus, Bolizlaf urbe egreſſus maluit tantæ majeſtati ſubjici, quam ultimam perniciem pati. Subque ſignis ſtans, & regem audiens, reſponſaq; reddens, veniam tandem promeruit. Inde plena victoria glorioſus factus Rex Saxoniam regreſſus eſt. Cumque eum virtus præfatæ reginæ non lateret, ſimulato itinere Romam proficiſci ſtatuit. Cumq; in Lonbardiam ventum eſſet: aureis munerib⁹ amorem reginæ ſuper ſe probare tentavit. Quo fideliter experto, in conjugium ſibi eam ſociavit, cumq; ea urbem Papiam, quæ eſt ſedes regia, obtinuit. Quod cum vidiſſet filius ejus Luidulfus, triſtis à rege diſceſſit, profectusque in Saxoniam, aliquandiu moratus eſt in loco conſiliis funeſto Salaveldum. Rex vero in Italia celebratis juxta magnificentiam regalem nuptiis, proficiſcitur inde cum novi matrimonii claritate, acturuſq; proximum Paſcha in Saxonia, lætitiam patriæ magnamq; gratiam conferens. Perſvaſus quoque Rex Berngarius à Chunrado Duce, cui Papia cum præſidio militari relicta erat cuſtodienda, regem ſubſecutus eſt in Germaniam, pacem cum eo facturus, & omnibus quæ imperaviſſet obtemperaturus. Cui regiæ urbi appropinquanti, occurritur miliario ab urbe à ducibus & præfectis, Palatinorumque primoribus, & regaliter ſuſceptus, ductus in urbem, juſſus eſt, in hoſpitio ſibi præparato manere. Neque enim faciem regis intra tres dies videre promeruit. Quod ægre ferens Chuonradus, qui eum adduxerat, unumque cum eo ſentiens filius regis Luidulfus, ſuſpectum ſuper hac cauſſa Henricum fratrem regis habentes, quaſi antiqua ſtimulatum invidia devitaverunt eum. Henricus autem ſciens adoleſcentem maternis deſtitutum ſuffragiis, contemtui eum cœpit habere, in tantum, ut à convitiis ei quoque non parceret. Interea rex regem alloquitur, in gratiamque regis ac reginæ ſuſceptus, deditionis ſponſionem dat, fœderis ſpontanei diem apud urbem Auguſtam deſignans. Ubi cum conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manib⁹ implicans, licet olim Hugonem fugiens regi ſubderetur, tunc tamen renovata fide coram omni exercitu famulatui regis ſe cum filio ſubjugavit. Et ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratia & pace. Ibi miræ magnitudinis lapis grandinis tonitru ac tempeſtate turbulenta de cœlo jactus, ingens miraculum multis viſentibus præbuit. Nati ſunt autem regi filii ex ſereniſſima regina, primogenitus Henricus, ſecundus Bruno, tertius Otto, paterni nominis majeſtate deſignatus, quem jam poſt patrem dominum ac Imperatorem, univerſus ſperat orbis. Filiam quoque ſanctæ matris ejus vocabulo inſignitam, de qua non præſumimus aliquid dicere, cum ejus claritas præcellat omne quod dicere aut ſcribere valeamus. Enimvero rex cum regiones Francorum urbeſque circuiret, audivit, quia ei inſidiæ pararentur à filio generoque, quapropter ſummus Pontifex revocatus, ubi auſteriorem vitam more ſolito cum eremitis & ſolitariis ante Paſcha agebat, ſuſcepit regem Mogontiæ, ibi ei aliquandiu miniſtrans. Nefanda conſilia prodita à filio generoqve animadverſa, purgandi locum criminis cum conſilio Pontificis petierunt & impetrant. Qui licet ſceleris manifeſte arguerentur, paruit tamen rex eorum ſententiis in omnibus, locorum temporumque anguſtia. Et cum apparatus Paſchalis apud Aqvas fieri oporteret, comperit quia nihil ſibi dignum ibi paratum eſſet. Quare cum in Saxoniam perrexiſſet maternis gaudiis & officiis decenter curatur, regemque quem in Francia penè perdidit, in patria magnifice recepit. Nam confortatus amicorum gentiſqve propriæ præſentia, irritum fecit pactum, qvod coactus inire confeſſus eſt. Edictumqve eſt filio generoqve, auctores ſceleris puniendos tradere, aut certe ſe publicos hoſtes noſſe. Pactis priſtinis Pontifex interceſſit, tanqvam paci & concordiæ conſulturus: ob id regi fit ſuſpectus, amicis regalibus conſiliariiſqve omnimodis ſpernendus. De eo neceſſarium arbitramur neqvaqvam aliqvid temere judicare, ſed qvod de eo probamus, qvia magnus erat oratione

Digitized by Google

tione die noctuque, magnus eleemoſynarum largitate, præcipuus verbo prædicationis, non ſilere dignum duximus, cæterum de accuſatis cauſſis, qui judicat Dominus eſt. Earum rerum dum ibi finis non fieret, univerſalis populi conventus eſſe jubetur apud villam, quæ dicitur Fridisleri, ſuper his cauſſis diſcutiendis. Ubi cum frater regis Henricus adeſſet, multas ac graveis cauſſas ſummo Pontifici objiciebat: proptereaque regis totiuſque pene exercitus offenſam incurrit, dum eum penitus culpabilem ex illis dictis cenſerent. Propterea Rex ſæviorem animum gerens ex recenti injuria, eminentiſſimos viros, ac ſibi quondam charos, & in Biertanico bello fideles, traditos exſilio damnavit, dum accuſati rationem redderent, & ſe purgare non ſufficerent. Hi erant Thuringi genere poteſtatis præfectoriæ Dadanus & Wilhelmus nomine. Hoc facto multi ſcelerum conſcii perterriti. Soluta concione & multitudine dimiſſa, ſeſe rex in Orientales partes contulit. Lotharii autem, cum regem Duci Cunrado ſenſiſſent offenſum, cum jam olim ei infeſti eſſent, eo quod Ducatum ſuper eos adminiſtraret ipſis invitis, arma contra eum ſumunt. Ille vero imperterritus leoninum exercens animum, ſigna ſignis contraria invexit, & incredibilem multitudinem ex eis propria manu fudit, dum ſanguine amici, quem in prælio amiſit, Cunradi ſcil. Everhardi filii, ut fera ſæviſſima acueretur. Itaque illi fortiſſimo ſuppetente fortium militum manu, adverſo exercitui dum novus ſemper additur, à meridie uſque in veſperam protrahitur bellum: nocte prælium diſſolvitur, nullus victoria lætatur. Rex autem circa Calendas Julias moto exercitu armis filium generumq; quærere tentavit: obvias urbes partis adverſæ aut armis cepit, aut in deditionem accepit, quouſque Mogontiam perveniret, quam filius cum exercitu intravit, patremque, dictu miſerabile, armatus expectavit. Ibi pluſquam civile, & omni calamitate acerbius bellum cœptum: multæ machinæ muris admotæ, ſed ab urbanis deſtructæ vel incenſæ: crebræ ante portas pugnæ, raro forinſecus ſtationes fuſæ, cunctando enim res univerſæ variavere, dum dominatorem regni foris, intus ſucceſſorem metuebant. Obſidio itaq; dum ſexaginta dies ferme excederet, ſermo fit de pace: unde datus eſt obſes in urbem conſobrinus regis Ecbertus, quo libera via cuilibet pateret in caſtra crimen purgandi, de pace atque concordia tractandi. Filius cum genero caſtra ingreſſi, regalibus veſtigiis proſternuntur, pro ſcelere omnia ſuſtinere paratos fore, ſaltem ut amici auxiliatores in fide ſuſcepti nihil adverſi paterentur. Rex autem non inveniens, quomodo meritas pœnas filio inferret, fautores inſidiarum expoſtulat. Illi autem juramentis vicariis obligati, & quodammodo arte antiqui hoſtis conſtricti, hoc omnino negabant. Ingens interea oritur lætitia in caſtris, & à caſtris circumquaq; fama diffuſa, nunquam urbe egreſſuros, niſi omnib. eſſent à rege imperatis obtemperaturi. Eæ ſpes incaſſum conceptæ: nam cum obedirent edictis regis, motus Henricus adverſus adoleſcentem, nihil te, inquit, jactitas contra dominum meum regem feciſſe? & ecce omnis exercitus uſurpatorem te regni invaſoremq; novit. Ipſe ergo ſi accuſor reus criminis, ſi culpabilis exiſto, quare non contra me legiones ducis? Signa adverſum me move: & feſtucam de terra ſumens, hujus, inquit, precii à me, meaque poteſtate rapere non poteris. Quid tibi viſum eſt ſolicitare hujuſcemodi rebus patrem tuum? contra ſummam divinitatem agis, dum domino patrique tuo repugnas. Si aliquid ſcis vel vales, in me furorem tuum evome, ipſe enim tuam non timeo iram. Ad hæc adoleſcens nihil reſpondit, ſed audito rege cum ſuis urbem ingreſſus eſt. Conſobrinus autem regis Ecbertus cum obſes datus eſſet in urbem, ſuaſibilibus corruptus verbis, regi fit averſus, cum & antea ei iratus eſſet, eo quod argueretur incepti certaminis, ubi oculum perdidiſſet. Dum hæc agerentur, proxima nocte Bajoarii comites fratris regis, relicto eo conjuncti ſunt Liudolfo: qui pergens cum eis cepit urbem regiam, quæ dicitur Reinesburg, cum cæteris in ea regione munitiſſimis, omnemque pecuniam Ducis ſuis militibus diviſit: conjugem cum filiis patrui & amicis, non ſolum urbe, ſed & regione excedere cogit. Hæc omnia à Deo credimus acta, ut qui sereniſſimum regem plurimis populis ac gentibus præficere voluit, diſceret parum in ſe, in Deo vero omnia poſſe. Erat autem junior Arnulfus cum fratribus, qui tale conſilium machinatus eſt contra Henricum, eo quod paterno regno ſubrogaretur, ipſe autem honore patrio privatus eſſet. Porro exercitus diutino labore fatigatus, miſſionem petit & accipit, rege cum paucis admodum filium in Bajoariam ſubſequente. Ipſe namque erat patiens laborum, ſupra quam quod credi poſſit de homine ab adoleſcentia delicate nu-

 trito.

pati, quam communem hoſtem unquam in fidem ſuſciperet. His dictis Liudulfus procedens ait, conductos adverſum me pecunia fateor, obtinui, ne me mihique ſubjectos læderent: ſi in hac parte culpabilis prædicor, ſciat me omnis populus hoc non voluntariè, ſed ultima neceſſitate coactũ feciſſe. Poſtremo Pontifex ſummus rationem intravit promittens ſe, quocunq; rex imperaviſſet judicio ſignificaturum, nunquam contra regem ſenſiſſe, vel velle, vel feciſſe: timore coactum à rege diſceſſiſſe: offenſum ſibi eum, qui intellexiſſet innocentem graviſſimis accuſationibus obrutum: de cætero juramentorum omnibus juramentis fidem ſervaturum. Ad hæc rex: à vobis non exigo juramentum, niſi pacis, & concordiæ conſilium in quantum poſſitis, adjuvetis. Et hoc dato in fide ac pace eum dimiſit. Pontifex cum Duce Chunrado, cum adoleſcentem non poſſent inclinare, quatenus patri ſubderetur, ejusq; ſententiam ſecutus ſuſtineret, diſceſſerunt ab eo, Deo regiq; ſe jungentes. Proxima nocte Liudulfus cum ſuis à rege diſcedens, urbem Reinesburg cum exercitu intravit. Rex autem ſequens filium, urbem offendens, quæ dicitur Horſedal, obſedit eam. Facta autem pugna, durius certamen circa murum nemo unquam viderat mortalium. Multi ibi ex utraq; parte cæſi, plures ſauciati, noctis tenebræ prælium diremere. Saucius ancipiti bello poſtera luce ducitur exercitus inde diutius ibi non morari viſum ad graviora tendentibus. Trium dierum iter proinde ad Reinesburg. Caſtrorum loca occupata, munitionibusq; circumſepta, obſidio urbis diligenter eſt incepta. Sed cum multitudo machinas muris applicari non fineret, ſatis dure interdum ab utriſq; pugnatum pro muris. Diu tracta obſidio cogit clauſos belli negocii aliquid actitare. Arbitrati ſunt enim fame pejus torqueri, ſi ad id cogerentur, quam in acie fortiter mori. Juſſum itaq; occidentali porta erumpere equites, quaſi impetum in caſtra facturos, alios naves aſcendere, ut per flumen urbi contiguum, dum equeſtri prælio pugnaretur, caſtra armatis deſerta invaderent. Urbani ſigno nolæ congregati condicta peragere, quod in caſtris uſu non ignotum: quapropter & ipſi non ſegniter præparantur. Moram facientibus in erumpendo equitibus, claſſis ab urbe longius elabitur, exſilienteſq; de navibus irruunt in caſtra, offendenteſq; armatos, dum trepide fugæ conſulunt, circumfuſi undiq; cæduntur. Alii naves ingredi niſi timore perculſi deviantes flumine abſorbentur: alii naves plus æquo ingreſſi dimerguntur, factumq; eſt, ut vix pauci de pluribus ſupereſſent. Equites vero ab equitibus fatigati devictiq; plures ſaucii in urbem coguntur. Miles regius victor in caſtra reverſus unum ſolummodo lethali vulnere percuſſum pro portis ſecum revehunt. Pecus omne urbis loco herboſo delatum, qui erat inter Rein & Danubium fluvios, ſed à frarte regis Henrico captum, & inter ſocios diviſum eſt. Urbani crebris prœliis triti, fame quoque periclitari cœperunt. Unde egreſſus urbe Liudulfus cum principalibus viris pacem poſtulat, ſed non impetrat, quia patri obedientiam negat. Ingreſſus vero urbem, portam orientalem obſidentem armis tentat Geronem, tot victoriis, quot præliis clarum. A tertia hora usq; in nonam acriter pugnatum eſt ante portam urbis. Equo cadente aſcenſor Arnulfus armis exutus, ilicoq; telis perfoſſus occubuit. Poſt biduum à muliere famem urbis fugiente, mors illius notificatur, dum antea incertum eſſet. Cujus morte Urbani ſatis confuſi, jam de pace tractabant. Interventu proinde principum iterum Liudulfus cum ſociis urbe egreſſus, dum menſe integro & dimidio obſideretur, pacem obtinuit usq; ad condictum diem, dum de his cauſis dijudicaretur, locusq; conſilii apud Fridesleri notabatur. Rex redit deinde in patriam, Henricus vero Novam urbem obtinuit. Reinesburg pene omnis proxima nocte arſa. Exercitandi gratia venationem agens rex in loco, qui dicitur Suveldun, filius patri nudatis plantis proſternitur, intima tactus pœnitentia, oratione flebili, patris primum, deinde omnium præſentium lacrymas extorquet. Amore itaq; paterno ſuſceptus in gratiam, ſpondet ſe obtemperaturum, conſenſurumq; omni paternæ voluntati. Interea ſummus Pontifex ægrotaſſe nunciatur ac deſperari. Quapropter regis placitum modice eſt dilatum. Finem ſummi Pontificis qui interfuere ſatis laudabilem prædicant. Defuncto Pontifice univerſalis conventus populi celebratus: Mogontia poſt annum & dimidium regi tradita cum omni Francia: filius ac gener in gratiam ſuſcepti, qua & in finem uſi ſunt fideliter. Eo anno Sclavi, qui dicuntur Uchri à Gerone cum magna gloria devicti, cum ei præſidio eſſet Dux Cunradus à rege miſſus. Præda inde ingens ducta: Saxoniæ lætitia magna exorta. Proximum agens Paſcha rex cum fratre, ducit poſt hæc exercitum contra Reinesburg,

Digitized by Google

neſburg,iterum armis machiniſq; urbem torquens. Dum præſidio Saxonum deſtituitur ac fame vexatur, portis urbani egreſſi, cum urbe tradiderunt ſemetipſos regi. Qui principes exſilio damnans, reliquæ multitudini parcit, victoriaq; glorioſus remeavit in patriam, omni regione Bajoarica fratri reſtituta. Ingreſſusq; Saxoniam circa Cal. Jul. obvios habet legatos Ungarorum, tanquam ob antiquam fidem ac gratiam eum viſitantes, re autem vera, ut quibuſdam videbatur eventum belli civilis conſiderantes. Quos cum ſecum aliquot diebus retinuiſſet, & aliquibus munuſculis donatos remiſiſſet in pace, audivit à nunciis fratris, ducis ſcil. Bajoariorum, quia ecce Ungari diffuſi invadunt terminos tuos, ſtatuuntq; tecum inire certamen. His auditis rex quaſi laboris oblitus, quem præterito bello toleraviſſet, cœpit ire contra hoſtes, ſumtis ſecum paucis admodum ex Saxonibus, eo quod jam bellum Sclavonicum urgeret. Caſtris poſitis in confiniis Auguſtanæ urbis, occurrit ei exercitus Francorum Bajoariorumq;. Cum valido quoq; equitatu venit in caſtra Cunradus Dux: cujus adventu erecti milites jam optabant non differre certamen. Nam erat natura audacis animi, & quod rarum eſt audacibus, bono conſilio, & dum eques, & dum pedes iret in hoſtem bellator intolerabilis, domi militiæq; ſociis charus. Igitur ab utriuſq; exercitus latrocinantibus agminibus notificabatur, non longe exercitus ab altero fore. Jejunio in caſtro indicto, juſſum eſt omnes in craſtinum paratos eſſe ad bellum. Primo diluculo ſurgentes pace data & accepta, operaq; ſua primum Duci, deinde unusquisque alteri cum ſacramento promiſſa, erectis ſignis procedunt è caſtris, numero quaſi octo legionum. Ducitur exercitus per aſpera & difficilia loca, ne daretur hoſtibus copia turbandi ſagittis agmina, quibus utuntur acerrime, arbuſtis ea protegentibus. Primam & ſecundam, tertiamq; legionem direxerunt Bajoarii, quibus præfuerunt præfecti Ducis Henrici : nam ipſe bello interim aberat, eò quòd valetudine corporis laboraſſet, qua & mortuus eſt. Quartam vero ordinavere Franci, quorum procurator & rector erat Dux Cunradus. In qvinta, quæ erat maxima, quæ & dicebatur regia, ipſe princeps vallatus lectis ex multis militum millibus alacriq; juventute, coramq; eo Angelus, pœnes quem victoria, denſo agmine circumſeptus. Sextam & ſeptimam conſtruxerunt Suevi, quibus præfuit Burchardus, cui nupſerat filia fratris regis. In octava erant Bohemi electi milites mille, armis potius inſtructi, quam fortuna : in qua & ſarcinæ omnes & impedimenta quæq; quaſi ipſa eſſet tutiſſima, quæ eſſet noviſſima. Sed aliter res acta eſt ac arbitrabatur: nam Ungari nihil cunctantes Lech fluvium tranſierunt, circumeunteſq; exercitum, extremam legionem ſagittis laceſſere cœperunt, & impetu cum ingenti vociferatione facto, aliis cœſis, aliis captis, ſarcinis omnibus potiti, cæteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter ſeptimam ac ſextam aggreſſi plurimis ex eis fuſis, in fugam verterunt. Rex autem cum intellexiſſet, bellum ex adverſo eſſe, & poſt tergum noviſſima agmina periclitari, miſſo duce cum quarta legione captivos eripuit, prædam excuſſit, latrocinantiaq; hoſtium agmina perturbavit. Fuſis latrocinantibus undique adverſariorum agminibus, ſignis victricibus Dux Cunradus ad regem revertitur : mirumq; in modum cunctantibus veteranis militibus, gloriæ victoriæ aſſvetis, cum novo milite & ferè bellandi ignaro triumphum peregit. Dum ea geruntur in Bajoaria, varie pugnatum eſt à præſide Thiaderico adverſus barbaros. Cum capere niſus eſſet qvandam urbem illorum, usq; ad introitum portæ perſecutus eſt adverſarios, cogens illos intra murum. Oppido potitus, eoq; incenſo, & omnibus, quæ foras murum erant, captis vel interfectis, cum jam incendio extincto reverteretur, & paludem, quæ erat urbi adjacens, medietas militum tranſiſſet, Sclavi videntes noſtros in arcto ſitos ob difficultatem loci, nec copiam habere pugnandi, nec locum adeo fugiendi, inſequebantur à tergo revertentes cum clamore magno, & peremerunt ex eis ad quinquaginta viros, fœda fuga noſtrorum facta. Ingens interea pavor omnem Saxoniam trepidam pro rege & exercitu ejus, pro hac re invaſit adverſa. Terrebant nos præterea portenta inuſitata. Templa deniq; plæriſq; in locis tempeſtate valida concuſſa, videntibus & audientibus horrorem nimium incuſſere : utriuſq; ſexus ſacerdotes ictu fulminis interierunt: & alia multa illo tempore contigerunt dictu horrenda & propterea nobis prætereunda. Totum pondus prælii ex adverſo jam adeſſe conſpiciens rex, exhortandi gratia allocutus eſt ſocios ſuos hoc modo: Opus eſſe bonis operibus in hac tanta neceſſitate, milites mei, vos ipſi videtis, qui hoſtem non longe, ſed coram poſitum toleratis. Hactenus

enim

Digitized by Google

enim impigris manib. veſtris ac armis veſtris ſemper invictis glorioſe uſus, extra ſolum & imperium meum ubiq; vici: & nunc in terra mea, & regno meo terga vertam? ſuperamur ſcio multitudine, ſed non virtute, ſed non armis: maxima enim ex parte nudos illos armis omnib. penitus cognovimus: & quod maximi eſt nobis ſolatii, auxilio Dei. Illis eſt ſola pro muro audacia, nobis ſpes & protectio divina. Pudeat jam nunc dominos penè totius Europæ inimicis manus dare. Melius bello, ſi finis adjacet, milites mei, glorioſe moriamur, quam ſubjecti hoſtibus vitam ſerviliter ducamus, aut certe more malarum beſtiarum ſtrangulo deficiamus. Plura loquerer, milites mei, ſi noſſem verbis virtutem vel audaciam animis veſtris augeri. Modo melius gladiis, quam linguis colloquium incipiamus. Et his dictis arrepto gladio & clypeo, ac ſacra lancea, ipſe primus equum in hoſtes vertit, fortiſſimi militis ac optimi Imperatoris officium gerens. Hoſtium audaciores primum reſtitere, deinde ut ſocios viderunt terga vertere, obſtupefacti, noſtriſq; intermixti extingvuntur. Cæterorum vero alii equis fatigatis, villas proximas intrant, circumfuſiq; armatis cum mœniis pariter concremantur: alii flumen contiguum tranſnatantes, dum ripa ulterior aſcendentes non ſuſtinet, flumine obvolvuntur & pereunt. Eo die caſtra invaſa, captiviq; omnes erepti: ſecundo die ac tertio à vicinis urbibus reliqua multitudo in tantum conſumta eſt, ut nullus aut rarus evaderet. Sed non adeo incruenta victoria fuit de tam ſæva gente, Chunradus quippe dux fortiter pugnans, animi fervore ſoliſque ardore, qui eo die nimius erat, accenſus æſtuat, vincliſque loricæ ſolutis, dum auram captat, vulnere ſagittæ adverſo gutturis defixæ cadit: cujus corpus juxta regis imperium honorifice collectum tranſportatur Wormatiam, ibique ſepelitur, vir omni virtute animi & corporis magnus atque famoſus, cum fletu & planctu omnium Francorum. Tres Duces gentis Ungariæ capti, Ducique Henrico præſentati, mala morte, ut digni erant, multati ſunt, ſuſpendio namque crepuerunt. Triumpho celebri rex factus glorioſus, ab exercitu pater patriæ Imperatorque appellatus eſt. Decretis proinde honoribus & dignis laudibus ſummæ divinitati per ſingulas eccleſias, & hoc idem ſanctæ matri ejus per nuncios demandans, cum tripudio & ſumma lætitia Saxoniam victor reverſus à populo libentiſſime ſuſcipitur: neque enim tanta victoria quiſquam regum intra ducentos annos ante eum lætatus eſt. Nam ipſi bello Ungarico aberant, Sclavonico certamini reſervati. Igitur ut ſupra retulimus, cum deficeret in ratione reddenda contra ſuum patruum Wicmannus intra palatium cuſtoditur. Cum igitur rex in Bajoariam proficiſci vellet, ſimulata infirmitate ipſe iter negavit: unde monitus ab Imperatore, quia deſtitutus à patre & matre loco filii eum aſſumſerit, liberaliterq; educaverit, honore paterno promoverit, rogatq; ne ei moleſtiam inferret, cum alia plura gravaretur. Ad hæc nihil utile audiens Imperator diſceſſit, commendato eo Iboni Comiti. Aliquantis diebus cum eo degens, petit poſt hæc venandi gratia ſilvam intrare liceret, ibique abſconditos ſocios ſecum ſumens perrexit in patriam, & occupatis ibi aliquibus urbibus, juncto ſibi Ecberto, arma ſumit contra Imperatorem. Induſtria autem Ducis Herimanni facile eos oppreſſit, trans Albiamq; coegit. Illi cum ſe ſenſiſſent Duci reſiſtere non poſſe, ſociaverunt ſibi duos ſubregulos barbarorum, Saxonibus jam olim infeſtos, Naconem & fratrem ejus. Ductus exercitus à Duce reperti ſunt in urbe, quæ dicitur Suithleiſcranne: & pene erat, ut caperentur cum urbe, ni clamore cujuſdam excitarentur, & ad arma proſilirent: cæſis tamen ante portam urbis ad quadraginta armatis, cœſorumque ſpoliis potitus Dux Herimannus diſcedit. Erant autem qui eum adjuvarent, Henricus præſes cum fratre Sigifrido, viri eminentes & fortes domi militiæque optimi. Facta ſunt autem in initio quadrageſimalis jejunii. Barbari vero poſt proximum Paſcha irruunt in regionem, ducem habentes Wicmannum ad facinus tantum, non ad imperium. Nullam moram agens ſed & ipſe Dux Herimannus cum præſidio militari adeſt, videnſq; exercitum hoſtium gravem, ſibique parvas admodum belli copias adeſſe. Civili bello urgente arbitratus eſt conſultius differre certamen in dubiis rebus conſtitutis, multitudiniq; imperare, quæ maxima in unam urbem confluxerat, dum cæteris diffiderent, quoq; pacto poſſent, pacem expoſtularent. Quod tamen conſilium milites ægrè valde tulerunt, & maxime Sigfridus, qui erat bellator acerrimus. Faciunt tamen cives Cocares cemiorum, ut Dux imperarat, pacemq; eo pacto obtinent quò liberi cum uxoribus & natis ſupra murum inermes aſcenderent conditione ſervili, & omni ſupellectile in medio urbis hoſtib. re-

licta. Cum intra urbem irruerent barbari, quidam illorum ſuum mancipium agnoſcit in cujuſdam liberti uxore, quam cum rapere de manu viri niteretur, ictum pugni accipit, irritumque pactum ex parte Saxonum proclamitat: unde fit, ut omnes ad cædem verterentur, nullumque relinquerent, ſed omnes perfectæ ætatis neci darent, matreſq; cum natis captivos ducerent. Quod ſcelus Imperator ulciſci geſtiens, victoria jam de Ungaris parta, regiones barbarorum hoſtiliter intravit. Conſultum de Saxonibus, qui cum Sclavis conſpiraverant, judicatumq; eſt Wicmannum & Ecbertum pro hoſtibus publicis habere oportere, cæteris vero parcere, ſiquidem remeare voluiſſent ad ſuos. Aderat & legatio barbarorum tributa ſocios ex more velle perſolvere nuncians, cæterum dominationem regionis velle tenere: hoc pacto pacem velle, alioquin pro libertate armis certare. Imperator ad hæc reſpondit, pacem quidem eis non negare, ſed omnimodis dare non poſſe, niſi injuriam perpetratam digno honore ac emendatione purgarent, omniaq; vaſtando & incendendo per illas regiones duxit exercitum: donec tandem caſtris poſitis ſuper Raxam fluvium ad transmeandum paludibus difficillimum, ab hoſtibus circumfunditur. A tergo namq; via arborum robore obſtruitur, eademq; armatorum manu vallatur. Ex adverſo fluvius, fluvioq; contigua palus, & cum ingenti exercitu Sclavus, bellatores & ab opere & ab itinere prohibens. Vexatur autem & aliis incommodis exercitus, morbo pariter ac fame. Dum talia agerentur per plures dies, mittitur ad principem barbarorum, qui dicebatur Stoinef, Gero Comes, quatenus Imperatori ſe dedat, amicum per id adepturum, non hoſtem experturum. Erant quippe in Gerone multæ artes bonæ, bellandi peritia, in rebus civilibus bona conſilia, ſatis eloquentiæ, multum ſcientiæ, & qui prudentiam ſuam opere magis oſtenderet, quam ore: in acquirendo ſtrenuitas, in dando largitas, & quod optimum erat, ad cultum divinum bonum ſtudium. Igitur præſes ſuper paludem & flumen, cui palus adjacens erat barbarum ſalutabat. Cui Sclavus æqualia reſpondit. Ad quem præſes, ſatis tibi eſſet, ſi bellum gereres contra unum noſtrum de ſervis domini mei, & non etiam contra dominum meum regem. Quis tibi exercitus, quæ arma, ut talia præſumas? Si aliqua vobis virtus aſſit, ſi artes, ſi audacia, date nobis locum ad vos tranſeundi, ſive nos vobis huc veniendi, & æquato loco fortitudo appareat pugnatoris. Sclavus barbarico more frendens, & multa convitia evomens, irriſit Geronem Imperatoremq; & omnem exercitum, ſciens eum multis moleſtiis aggravatum. Gero ad hæc commotus, ut erat animi ardentiſſimi, craſtinus, inquit, dies declarabit, tu & populus tuus fortes viribus ſitis, an non: cras enim nos vobiſcum congredientes procul dubio videbitis. Gero deniq; olim licet multis geſtis inſignibus clarus haberetur, jam tamen magnus & celebris ubiq: prædicabatur, eo quod Sclavos, qui dicuntur Uchri, cum magna gloria cepiſſet. Gero reverſus in caſtra retulit, quæ audierat. Imperator vero de nocte conſurgens jubet ſagittis & aliis machinis ad pugnam hoſtem provocare, & quaſi vi flumen paludemq; tranſcendere velle. Sclavi autem heſterna comminatione nihil aliud arbitrati, ad pugnam pariter conſpiravere, iter totis viribus defendentes. At Gero cum amicis Ruanis miliari fermè uno à caſtris diſcedens, hoſte ignorante, tres pontes celeriter conſtruxit: & miſſo nuncio ad Imperatorem totum exercitum revocavit. Quo viſo barbari & ipſi obviare legionibus contendunt. Pedites barbarorum dum longiorem viam currunt, & certamen ineunt, fatigatione diſſoluti militibus citius cedunt: nec mora, dum fugæ præſidium quærunt, obtruncantur. Stoinef autem colle eminentiori cum equitibus eventum rei exſpectabat: ſocios inire fugam cernens, fugit & ipſe, lucoq; quodam cum duobus ſatellitibus repertus à viro militari, cujus vocabulum erat Hoſed certamine fatigatus, armiſq; nudatus, capite cæſus eſt. Satellitum alius vivus captus, imperatoriq; cum capite & ſpoliis reguli ab eodem milite præſentatus eſt Ex hoc Hoſed clarus & inſignis habitus: merces tam famoſi geſti donativum imperiale cum reditu viginti manſuum. Eo die caſtra hoſtium invaſa, & multi mortales interfecti vel capti, cædeſq; in multam noctem protrahebatur. Poſtera die caput ſubreguli in campo poſitum, circaque illud ſeptuaginta captivorum capite cœſi, ejuſq; conſiliarius oculis erutis lingua eſt privatus, in medioque cadaverum inutilis relictus. Wicmannus vero & Ecbertus ſcelerum conſcii in Galliam profecti, ad Hugonem Ducem fuga elapſi ſunt. Crebris victoriis Imperator glorioſus factus atque famoſus, multorum regum ac gentium timorem pariter & favorem promeruit; unde plurimos legatos ſuſcipit, Romanorum ſcil. & Græcorum,

Sarace-

Digitized by Google

Saracenorumque, per eoſque dies diverſi generis munera, vaſa aurea & argentea, ærea quoque, & mira varietate operis diſtincta vitrea, vaſa eburnea etiam, & omni genere modificata ſtramenta, balſamum & totius generis pigmenta, animalia Saxonib. antea inviſa, leones & Camelos, ſimias & ſtruthiones, omniumque circumquaque Chriſtianorum in illo res atque ſpes ſitæ. Liudulfus autem filius Imperatoris, cum fidem vult ſervare amicis, patria ceſſit, Italiamque cum eis adiit: quo agente annum fere totum, diem extremum obiit, toti Francorum imperio relinquens ſuo vulnere vulnus durum. Funus autem ejus à militibus debito honore curatum, & ab Italia Mogontiam corpus translatum, in baſilica Albani martyris ſepultum eſt, cum luctu & planctu multorum populorum. Reliquit poſt ſe filium patris vocabulo inſignitum. Literæ autem obitus ejus allatæ ſunt Imperatori, cum eſſet in militia, qua militavit contra Redarios: qui ſatis plurimum lacrymarum pro filii interitu fudit: de cætero, qui adhuc ordinavit imperium ſuum, rectori omnium Deo fideliter commiſit. Eodem tempore Wicmannus ſciens Saxoniam bellatoribus vacuam, à Gallia profectus Saxoniam occulte intravit, domum conjugemque reviſit, inde ſe iterum alienigenis immerſit. Ecbertus vero interventu magni Pontificis Brunonis in gratiam recipitur. Ductus exercitus contra Wigmannum tertia vice, vix obtinuit, ut in fide Geronis filiique ſui ſuſciperetur, ipſique apud Imperatorem obtinerent, quo patria conjugiſque patrimonio cum gratia imperiali frueretur. Injuſſus ſacramentum terribile dedit, ſe contra Imperatorem, Imperatoriſque regnum nunquam aliquid inique conſilio aut actu facturum. Ita fide data in pace eſt dimiſſus, & bonis promiſſionibus ab Imperatore erectus. Peracta cæde barbarorum, eo anno prodigioſæ res apparuere, notæ ſcilicet crucis in veſtimentis plurimorum. Quibus viſis, plurimi ſalubri timore perculſi adverſa formidabant: iidemque vitia multa ex parte emendaverunt. Fuerunt &, qui lepras veſtium interpretarentur, eò quod ſubſequens lepra multos mortales corrumperet. Sapientiores autem ſignum crucis ſalutem victoriamque præfiguraſſe prædicabant, quibus & nos fidelem aſſenſum præbemus. Eo tempore Imperator & ipſe ægrotare cœpit, ſed meritis ſanctorum, quibus fidele jugiter obſequium præbet, maximeq; patrocinio inclyti martyris Viti, cui aperuit os ſuum, de infirmitate convaleſcit, & mundo ut Sol lucidiſſimus poſt tenebras ad omnem decorem & delitias condonatur. Rebus igitur rite compoſitis, per omnem Franciam, Saxoniamque & vicinas circumquaque gentes, Romam ſtatuens proficiſci, in Longobardiam perrexit. Ergo qualiter regem Longobardorum Berengarium duobus annis obſeſſum, cum conjuge & filiis captum in exſilium deſtinaverit, Romanos duobus præliis vicerit, Romam expugnaverit, Duces Beneventanorum ſubjecerit, Græcos in Calabria, Apuliaque ſuperaverit, in terra Saxonia venas argenti aperuerit, imperiumque cum filio quam magnifice dilataverit, noſtræ tenuitatis non eſt edicere, ſed ut in initio hiſtoriæ prædixi, in tantum fideli devotione laboraſſe ſufficiat. Cæterum erga tuam claritatem ſerenitatemque, quam patris fratriſque celſitudo patriæ ad omnem honorem, nobiſque ad ſolatium reliquit, magna devotio opus humile magnificet. At finis civilis belli terminus ſit libelli. Enimvero donatus patriæ Wigmannus æquanimiter ſe continuit, donec Imperatoris adventum ſperavit. Cum ejus reverſio differretur, ad Aquilonares partes ſe contulit, quaſi cum Danorum rege Haraldo bellum ab integro machinaturus. At ille mandavit ei, ſi Ducem necaſſet, vel alium quemlibet principem, noſſet ſine dolo eum ſibi ſociare vellet, aliter rem fraudulenter agitaſſe non dubitaret. Interea ab emptore prætereunte latrocinia ejus produntur, ſociorumque aliqui comprehenſi, & tanquam contra publicam rem agentes, à Duce damnati ſtrangulo vitam perdiderunt. Ipſe autem cum fratre vix evaſit. Dani antiquitus erant Chriſtiani, ſed nihilominus idolis ritu gentili ſervientes. Contigit autem altercationem ſuper cultura deorum fieri in quodam convivio rege præſente, Danis affirmantibus, Chriſtum quidem eſſe Deum, ſed alios eo fore majores deos, quippe qui potiora mortalibus ſigna & prodigia per ſe oſtenderent. Contra hæc clericus quidam, nunc vero religioſam vitam ducens, epiſcopus, nomine Poppa, unum verum Deum patrem, cum filio unigenito domino noſtro Jeſu Chriſto & ſpiritu ſancto, ſimulacra verò dæmonia eſſe, & non Deos teſtatus eſt. Haraldus autem rex, utpote qui velox traditur fuiſſe ad audiendum, tardus ad loquendum, interrogat, ſi hanc fidem per ſemetipſum declarare

velit.

Digitized by Google

velit. Ille incunctanter velle reſpondit, Rex vero cuſtodire clericum uſque in craſtinum jubet. Mane facto ingentis ponderis ferrum portare juſſit. Confeſſor Chriſti indubitanter ferrum rapit, tam diuque portat, quo ipſe rex decernit: manum incolumem cunctis oſtendit: fidem catholicam omnibus probabilem reddit. Ad hæc rex converſus, Chriſtum Deum ſolum colendum decrevit, idola reſpuenda ſubjectis gentibus imperat, Dei ſacerdotibus & miniſtris honorem debitum deinde præſtitit. Sed & hæc virtutibus merito patris tui adſcribuntur, cujus induſtria in illis regionibus eccleſiæ ſacerdotumque ordines in tantum fulſere. Gero igitur Comes non immemor juramenti, cum Wigmannum accuſari vidiſſet, reumque cognoviſſet, barbaris, à quibus eum aſſumſit, reſtituit. Ab eis libenter ſuſceptus longius degentes barbaros crebris præliis contrivit. Miſcam regem, cujus poteſtatis erant Sclavi, qui dicuntur Licicaviki, duabus vicibus ſuperavit, fratremque ipſius interfecit, prædam magnam ab eo extorſit. Eo quoque tempore, Gero præſes Sclavos, qui dicuntur Luſiki, potentiſſimè vicit, & ad ultimam ſervitutem coegit, non ſine ſui tamen gravi vulnere, nepotiſque optimi viri caſu, cæterorum quoque quam plurium nobilium virorum. Erant duo ſubreguli Herimanno Duci inimicitiæ à patribus vicariæ relicti, alter vocabatur Selibur, alter Miſtaw. Selibur præerat Waaris, Miſtau Abodritis. Dum invicem quum ſæpe accuſantur, victus tandem ratione Selibur, condemnatus eſt quindecim talentis argenti à Duce. Eam damnationem graviter ferens, arma ſumere contra Ducem cogitavit. Sed cum ei belli copiæ non ſufficerent miſſa legatione, poſtulat præſidium à Wigmanno contra Ducem. Ille vero nihil jucundius ducens, quam aliquam moleſtiam inferre patruo, cito cum ſociis adeſt Sclavo. Ut autem ſuſcipitur in urbem Wigmannus, ſtatim urbs obſidione vallatur ab inimico. Ductus quoque exercitus à Duce urbem obſedit: interim caſu neſcio, an prudenti conſilio, Wigmannus cum paucis urbem eſt egreſſus, quaſi ad extrahenda ſibi de Danis auxilia. Pauci dies intererant, dum victus bellatoribus & pabulum jumentis defecerant. Fuerunt etiam qui dicerent Sclavum quidem ſpeciem belli geſſiſſe, non verum bellum: incredibile omnimodis fore, hominem à puero bellis aſſuetum, bellicas res tam male præparatas habuiſſe: ſed id conſilii machinatum Ducem, ut quoquo pacto poſſet nepotem vinceret, ut ſaltem in patria ſalutem recuperaret, quam inter paganos penitus perdidiſſet. Fame itaque urbani & fœtore pecorum aggravati, urbe egredi ſunt coacti. Dux Sclavum auſterius alloquens, de perfidia & nequam ejus actibus arguit, hoc quoque ab eo reſponſi accepit. Quid me, inquit, de perfidia arguis? ecce, quos nec tu, nec dominus tuus Imperator vincere potuiſtis, in ea perfidia inermes aſſiſtunt. Ad hæc Dux conticuit, eum ſuæ ditionis regione privans, filio ipſius, quem antea obſidem accepit, omni ipſius poteſtate tradita. Milites Wigmanni variis pœnis afflixit, urbis prædam ſuis militibus donavit, ſimulacro Saturni ex ære fuſo, quod ibi inter alia urbis ſpolia reperit, magnum ſpectaculum populo præbuit, victorque in patriam remeavit. Audiens autem Wigmannus urbem captam ſocioſque afflictos, ad Orientem verſus iterum ſe paganis immerſit, egitque cum Sclavis, qui dicuntur Vuloini, quomodo Miſicam amicum Imperatoris bello laceſſerent, quod eum minime latuit, Qui miſit ad Boluzlaum regem Bohemorum: gener enim ipſius erat: accepitque ab eo equitum duas acies, Cumque contra eum Wigmannus duxiſſet exercitum, pedites primum ei immiſit: cumque ex juſſu Ducis paulatim coram Wigmanno fugerent, à caſtris longius protrahitur, equitibus à tergo immiſſis, & ſigno fugientes ad reverſionem hoſtium revocantur. Cum ex adverſo & poſt tergum premeretur Wigmannus fugam inire tentavit. A ſociis igitur arguitur ſceleris, quia ipſe ad pugnam eos inſtigaverit, fidenſque equo, cum neceſſe fuerit, fugam facile inierit. Coactus itaque equo ceſſit, pedeſtris cum ſociis certamen iniit, eoque die viriliter pugnans armis defenditur. Jejunio autem & longiori via, qua per totam noctem armatus inceſſit, mane cum paucis admodum aream cujuſdam feſſus intravit. Optimates autem hoſtium cum eum reperiſſent, ex armis agnoſcunt, quia vir eminens eſſet, interrogatuſque ab eis quiſnam eſſet, Wigmannum ſe eſſe profeſſus eſt. At illi arma deponere exhortati ſunt: fidem deinde ſpondent, ſalvum eum domino ſuo præſentari: hocque apud ipſum obtinere, quatenus incolumem Imperatori reſtituat. Ille licet in ultima neceſſitate ſit conſtitutus, non immemor priſtinæ nobilitatis & virtutis dedignatus eſt talibus

Digitized by Google

alibus manum dare: petit tamen, ut Miſacæ de eo annuncient, illi velle arma deponere, illi manum dare. Dum ad Miſacam ipſi pergunt, vulgus innumerabile eum ircumdat, eumque acriter impugnat. Ipſe autem quamvis feſſus, multis ex eis fus, tandem gladium ſumit, & potiori hoſtium cum his verbis tradidit. Accipe, inquit, unc gladium, & defer domino tuo, quo pro ſigno victoriæ illum teneat, imperatorique amico transmittat, quo ſciat aut hoſtem occiſum irridere vel certe propinquum eflere. Et his dictis converſus ad Orientem, ut potuit, patria voce Dominum exoravit, animamque multis miſeriis & incommodis repletam, pietati creatoris omnium ffudit. Is finis Wigmanno, taliſque omnibus fere, qui contra Imperatorem arma mſerunt. Imperator itaque acceptis armis Wigmanni, de nece ejus jam certior ctus, ſcripſit epiſtolam ad Duces & præfectus Saxoniæ in hunc modum:

OTTO DIVINO NUTU IMPERATOR AUGUSTUS, Herimanno & Thiaderico ducibus, cæteriſque publicæ rei noſtræ præfectis, omnia amabilia.

DEO volente, ſalus omniaque proſpera plane ſuccedunt. Cæterum nuncii Conſtantinopolitani regis, dignitate ſatis inſignes, nos adeunt, pacem, ut intelleximus, admodum quærentes. Quoquo tamen modo res agatur, bello, Deo volente, ullo modo nos tentare audebunt. Apuliam & Calabriam provincias, quas hactenus tenuere, niſi conveniamus, dabunt. Si vero voluntati noſtræ paruerint, ut præſenti æſtate conjugem cum æquivoco noſtro in Franciam dirigentes, per Fraxinetum d deſtruendos Saracenos, Deo comite, iter arripiemus, & ſic ad vos diſponemus. ræterea volumus, ut ſi Redares, ſicut audivimus, tantam ſtragem paſſi ſunt (ſcitis enim, quam ſæpe fidem fregerint, quas injurias attulerint) nullam vobiſcum pacem abeant. Unde hæc cum Herimanno Duce ventilantes totis viribus inſtate, ut in deructione eorum finem operi imponatis. Ipſi, ſi neceſſe fuerit, ad eos ibimus. Filius oſter in nativitate Domini coronam à beato Apoſtolico in imperii dignitatem ſuſcepit. Scripta XV. Calen. Febr. in Campania juxta Capuam.

His literis lectis in conventu populi, in loco, qui dicitur Werla, coram principibus frequentia plebis, viſum eſt pacem jam datam Redariis oportere ſtare, eo quod unc bellum adverſus Danos urgeret, & quia copiæ minus ſufficerent ad duo bella pater conficienda. Græcorum itaque legatis Imperator ſatis credens, partem exercitus cum plæriſque principibus viris direxit ad condictum locum, quo eis ſecus ſponſionem legatorum puella traderetur, & cum honore filio adduceretur. Græci vero ad artes paternas converſi (nam erant ab exordio fere mundi plurimarum gentium domini, & quos virtute nequibant, arte ſuperabant) ſubito ſuper improviſos, & nihil adverſi ſuſpicantes irruunt, caſtra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, quos & Conſtantinopolim Imperatori ſuo præſentant. Qui vero effugere poterant, & reverſi ad Imperatorem, quæ acta ſunt, nunciabant. At ille ſuper his commotus, ad hoc dedecus diluendum cum gravi manu viros eminentes, domeſticis & externis rebus am ſæpe claros factos, Guntharium & Sigifridum mittit in Calabriam. Græci autem præterita victoria elati, & minus cauti ceciderunt in manus eorum: ex quibus innumera multitudine cæſa, qui ſupererant capientes, obtruncatis naribus novam Romam remeare permiſerunt. Tributum in Calabria & Apulia à Græcis extorſerunt, alique victoria illuſtres facti, & ſpoliis hoſtium ditati, ad Imperatorem reverſi ſunt. Populus autem Conſtantinopolitanus à ſuis audiens male pugnatum conſurrexerunt adverſus Imperatorem ſuum, & machinatione conjugis propriæ cujuſdam militis inſidiis occiderunt, locoque domini militem in Imperio deſignantes. Conſtitutus autem rex continuo captivos abſolvit: puellam cum magno exercitu, & claris muneribus ad Imperatorem deſtinavit. Quam ipſe ſtatim filio tradidit, celebratiſque magnifice nuptiis, omnem Italiam ſuper hoc & Germaniam lætiores reddidit. Eo tempore, quo hæc intra Italiam gerebantur, ſummus Pontifex Wilhelmus, vir ſapiens & prudens, pius & cunctis affabilis, à patre ſibi commendatum regebat Francorum imperium. Cujus mater licet peregrina, nobili tamen genere erat procreata. Hic

cum audiſſet ægrotare cœpiſſe matrem Imperatoris, miræ ſanctitatis fœminam, nomine Mathildam, dumque ejus exſpectat funus, proprio funere ipſius funus præcedit. De cujus laude ſi aliquid dicere cupimus, deficimus, quia omne argumentum ingenioli noſtri ſuperat virtus tantæ fœminæ Quis enim digne poſſit explicare ejus vigilantiam erga cultum divinum? Omnis nox omnib. modis & omni genere cellulam ſuam divinorum carminum melodia implebat Erat enim ei cellula eccleſiæ proxima, in qua modice requieſcebat, de qua omnibus noctibus conſurgens intrat eccleſiam, nihilominus cantoribus & cantatricibus intra cellulam & pro foribus, & in via triformiter conſtitutis, qui divinam clementiam laudarent atq; benedicerent. Ipſa intra eccleſiam in vigiliis & orationibus perſeverans, miſſarum ſolemnia exſpectabat. Deinde infirmos ubicunque audivit in vicino viſitavit, neceſſaria præbuit, deinde pauperibus manum porrexit, deinde hoſpites, qui ſemper aderant cum omni largitate ſuſcepit: neminem ſine affatu blando dimiſit, nullum ſine munuſculis ferè vel neceſſariis adjumentis vacuum reliquit. Sæpe viatoribus, quos longius de cella proſpexit, neceſſaria tranſmiſit. Talia opera licet valde humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nihil de honore regio minuebat, & ſicut ſcriptum eſt, quamvis ſederet tanquam regio circumſtante populo, ſemper & ubique tamen erat mœrentium conſolatrix. Domeſticos omnes famulos & ancillas variis artibus, literis quoque inſtituit: nam & ipſa literas novit, quas poſt mortem regis lucide ſatis didicit. Ergo ſi omnes virtutes ejus velim narrare, hora deficeret: facundia Homeri vel Maronis mihi adeſſet, non ſufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis & eleemoſynis: cunctis divitiis regalibus diſtributis ſervis Dei & ancillis ac pauperibus ſecundo Idus Martias animam Chriſto reddidit. Illo quoque tempore Bernhardus, ut ab omni populo prædicabatur, ſuis temporibus ſacerdotio digniſſimus, diem finivit extremum. Piam famam ſuper his nemo nos vituperet prodidiſſe, dum vero periculo non ſuccumbimus. Audivimus enim de quodam ſolitario, in ſpiritu neſcio an manifeſta viſione, hunc animam reginæ & Epiſcopi infinitam multitudinem angelorum cum gloria ineffabili cœlos deferre, vidiſſe. Igitur Imperator audita matris & filii cæterorumque principalium virorum (nam & Gero, vir magnus & potens, jam antea defunctus erat) morte, judicabat ab expeditione Fraxineti abſtinere, & diſpoſitis in Italia rebus, patriam remeare. Pulſavit quoque fama eum, quaſi plærique Saxonum rebellare voluiſſent: quod quia inutile erat, nec relatione dignum arbitramur. Egreſſus itaque eſt de Italia cum magna gloria capto rege Longobardorum, ſuperatis Græcis, victiſque Saracenis, cum victricibus alis Galliam ingreſſus eſt, inde Germaniam tranſiturus, & proximum Paſcha loco celebri Quidelingeburg celebraturus: ubi diverſarum gentium multitudo conveniens reſtitutum patriæ cum filio, cum magno gaudio celebrant. Manens autem ibi decem & ſeptem diebus, non amplius, deſcendit inde Aſcenſionem Domini apud Merſeburg celebraturus. Triſtis autem illa loca perambulabat, obitu optimi viri Ducis Herimanni, qui prudentiæ ac juſtitiæ miræque vigilantiæ in rebus civilibus & externis cunctis retro mortalibus æternam reliquit memoriam. Poſt ſuſceptos ab Africa legatos cum regio honore & munere viſitantes, ſecum fecit manere. Tertia autem feria ante Pentecoſten, loco devenit, qui dicitur Mimileuu. Proxima nocte juxta morem diluculo de lecto conſurgens, nocturnis & matutinis laudibus intererat. Poſt hæc paululum requievit. Miſſarum deinde officiis celebratis, pauperibus juxta morem manus porrexit, paululum guſtavit, iterumque in lecto requievit. Cum autem hora eſſet, proceſſit lætus, & hilaris ad menſam recedit. Peracto miniſterio veſpertinis laudibus interfuit. Peracto cantico Evangelii æſtuare atque fatigari cœpit. Quod cum intellexiſſent principes circumſtantes, ſedili eum impoſuerunt. Inclinantem autem caput, quaſi jam defeciſſet, refocillaverunt, expetitoque ſacramento divini corporis & ſanguinis, & accepto, ſine gemitu cum magna tranquillitate ultimum ſpiritum cum divinis officiis pietati creatoris omnium tradidit. Transportatur inde in cubiculum: & cum eſſet jam ſero nunciatur populo mors ejus. Populus autem pro ejus laude & gratiarum actione multa locutus, memoravit eum paterna ſubjectos rexiſſe pietate, ab hoſtibus eos liberaſſe, ſuperbos hoſtes Avares, Saracenos, Danos, Sclavos armis viciſſe, Italiam ſubjugaſſe, delubra deorum in vicinis gentibus deſtruxiſſe, templa miniſtrorumque ordines conſtituiſſe, multaque

alia

zed by Google

alia bona invicem conferentes regali funeri inſiſtebant. Mane autem jam facto, licet jam olim inunctus eſſet in regem, & à beato Apoſtolico deſignatus in Imperatorem, ſpei unicæ totius Eccleſiæ, imperatoris filio, ut initio certatim manus dabant, fidem pollicentes & operam ſuam contra omnes adverſarios ſacramentis militaribus confirmantes. Igitur ab integro ab omni populo electus in principem, tranſtulit corpus patris in civitatem, quam ipſe magnifice conſtruxit, vocabulo Magdeburg. Itaque defunctus eſt Nonis Maii quarta feria ante Pentecoſten, Imperator Romanorum, rex gentium, divinarum humanarumque rerum multa ac religioſa ſeculis relinquens monumenta. Hujus anno primo, qui eſt à Dominica incarnatione DCCCCXXXVII. Ungari Franciam & Alemanniam, & Galliam uſque ad Oceanum, Burgundiamque devaſtantes, per Italiam redierunt. Monaſteria S Galli & S. Bonifacii cremantur. Rudolphus Rex Burgundiæ & Arnoldus Dux Noricorum obierunt.

Witichindi Monachi Benedictini de rebus geſtis Saxonum ac Ottonis, aliorumque Imperatorum, Libri tertii & ultimi
FINIS.

THEODORICI DE NIEM WESTVALI, SCRIBÆ QUONDAM PONTIFICII, DEINDE EPISCOPI Verdenſis & Cameracenſis,

ELOGIUM OTTONIS MAGNI IMP. AUG.

Quod exſtat in Nemore Vnionis tractatu 6. qui Labyrinthus dicitur, cap. 33.

ECCE quanta fecit Carolus Magnus pro republica, ecce denique primus Otto, Magnus Auguſtus, qui non fuerunt Itali, ſed Vltramontani, unus Franco, alter Saxo, ac uterque in Alemannia natus, educatus, mortuus & ſepultus? Qualiter autem more felicium Auguſtorum rempublicam adauxerunt, & quam in celebri ſtatu ſpiritualia & temporalia direxerunt, vix poſſet quis calamo exarare, & inter alia opera magnifica & memorabilia eorundem pauca verbi gratia, ſubnectam. Cum Romani improbitate & ſævitia ſanctum virum Leonem Papam, qui juxta quaſdam Chronicas ſcribitur fuiſſe germanus ejuſdem Caroli Auguſti in perſona male tractaſſent & pepuliſſent ab urbe & Italia, ipſe vir ſanctus proceſſit ad VVeſtvaliam, quæ alio vocabulo antiqua Saxonia nuncupabatur, ubi tunc Cæſar, ſcilicet Carolus ipſe magnificus reſidebat, Cæſar ipſe intuendo patrem tam turpiter à Romanis civibus pertractatum, commota ſunt viſcera ejus, nec mora Italiam repetens, Papam in ſede ſua pacifice collocavit, & ſumpta vindicta per relegationem in exilium de hujuſmodi ſcelerum patratoribus, & omnibus bene in Italia diſpoſitis ad Alemanniam rediit, eccleſiis magnifice ædificandis & dotandis, nec non divinum cultum in eiſdem inſtituendis etiam intentus. Quid autem ille primus Otto Magnus Auguſtus inter cætera innumera fecit? Ecce dum Papa Ioannes 12. male viveret, ac piſcatoris cathedram ſordidaret, Cardinaleſque hoc ægre ferentes & ipſum bono modo pioque zelo admonentes ut à talibus reſipiſceret aliquando, nec ut bene ageret intelligere vellet, imo ſacrilegas manus in quoſdam ipſorum Cardinales irreverenter injiceret,

jiceret, etiam cum venatoribus & adulteris partem ſuam in verecundia ponendo, hoc juſtiſſimus Imperator ipſe Otto percipiens, ſubito ad Italiam properat, inde ad Romam proficiſcitur ac convocatis Epiſcopis & clero, ſynodum jubet celebrari, in qua ipſe ſummus ſacerdos, tanquam indignus tali honore deponitur, & eidem alter vir ſanctus etiam Leo nuncupatus ſurrogatur, Ioannes ob urbe fugatur & abdita quærit & cum feris (extunc Octavianus, prout ante Papatum nominatus) uſque ad ejus obitum miſer triſtis & ingloriosus converſatur. Rebus igitur bene diſpoſitis in Italia per eundem Ottonem magnificum Auguſtum, ipſe Alemanniam repetiit, etiam circa augmentum Reipublicæ ibidem & in Gallia, nec non in aliis circumjacentibus regnis indefeſſe ac ſtrenue, prout ſolitus erat in aliis, laborando. Cumque iterum novum ſchiſma in Papatu ſuo tempore ortum foret factione quorundam potentum Romanorum & unus in Capitolio tunc firmiſſimo & alter in caſtro S. Angeli (quod tunc carcer Theodori vulgariter dicebatur, propter Theodoricum regem Gothorum, qui quondam illud in præſidium pro ſe tenebat in urbe dum imperium Occidentale tempore Iuſtiniani principis gubernaret) contendentes de Papatu ſe incluſerant invicem in Vrbe cum ſuis potentibus & conſanguineis, pugnarentque aſſidue ac multa facinora perpetrarent, iterum ipſe Otto Magnus Auguſtus hæc in dolore ſentiens, de Germania iter capit verſus urbem memoratam, quam intrando more Cæſareo expugnat ſubito arcem Capitolii machinis & aliis bellicis inſtrumentis, & illa colliſa ſeu ad terram proſtrata, vi capit etiam illos, qui in eadem erant & ſubſequenter expugnat etiam caſtrum prædictum, & illo ſimiliter capto violenter & ad manum ſuam deductis illis, qui erant in eodem, multa etiam magna palatia Romanorum, quæ ipſos certantes de Papatu in eorum pertinacia defendebant, demolitus eſt, ut adhuc veteres ruinæ teſtantur. Et iterum convocatis Epiſcopis & clero in urbe præfata & in generali Synodo ibidem celebrata, & diſcuſſo, quis illorum verus eſſet Papa, illum, pro quo declaratum fuit, in ſede Apoſtolica honorifice collocavit, reliquum cathenis onuſtum ſecum ad Saxoniam in exilium deportando, cujus corpus in oppido Hamborg fuit traditum eccleſiaſticæ ſepulturæ. Hic etiam Otto magnus Auguſtus Lotharingiam, quæ tunc tertia pars Franciæ fuit, coegit regem pro tunc ac omnes Principes & Prælatos Franciæ perpetuo abjurare, qui tunc illam contra ordinationem dicti Caroli Auguſti factam & per illum glorioſiſſimum tunc Henricum primum Auguſtum patrem ejuſdem magni Ottonis approbatam & effectui productam, quæ inferius tangitur, temere invadere præſumſerunt: ſicut durante hoc ſchiſmate iterum multa jura, provincias & terras ejuſdem Imperii eis uſurpant, diſſimulantibus & tacentibus Rege ac electoribus, qui rebus ordinate procedentibus talia pro viribus ſuſtinere utique non deberent. Præterea Boſonem regem Arelatenſem protunc, quia impias manus in Epiſcopum Arelatenſem in nocte ſacratiſſima Nativitatis Chriſti injicere non verebatur, idem Otto Magnus Auguſtus cepit in Gallia & captivatum totondit & monachum fieri fecit: à quo etiam ſacram lanceam, quæ Magni Conſtantini fuiſſe legitur, acquiſivit, quæ extunc unum de Imperialibus inſigniis uſque ad hæc tempora fuit, ſed propter inertiam illius, qui ea uti deberet, illa nunc rex Boemiæ gloriatur. Demum Burgundiam ac etiam Alſatiam, nec non Boemiam & multas alias Provincias ſibi tunc rebelles invaſit & cepit, ac etiam poſtea Berengarium regem Italiæ poſtquam ſemel ſibi prius pepercit & regno reſtituit, demum cum uxore & Alberto filio ipſius quia idem rex male ſe habuit quoad Deum & homines in Italia captivavit, & ipſos cathenis onuſtos ad Bambergam in qua finaliter obierunt, ſecum in ſignum victoriæ deportavit: pugnavitque poſtmodum contra Hunos & Avares, qui tunc in Auſtria & vicinis regionibus morabantur, & Alemanniam, Italiam & Franciam, nec non vicinas regiones continuò depopulabantur cædibus,

Digitized by Google

dibus, incendiis & rapinis, in hoc veſtigiis paternis, ſcilicet, Henrici primi feliciter inhærendo, multis prœliis eos confecit & demum apud Ratisbonam, ubi S. Vdalricus interfuit, victor glorioſus pugnando devicit, & ibidem duos reges ſive duces eorum in patibulo jugulavit, ſic eaſdem Italiam, Alemanniam & Franciam & vicinas regiones ab incurſu hujuſcemodi beluarum extunc perpetuo liberando. Vnde poſt tot & tantas victorias, deſiderium mundi & pater patriæ & Magnus Auguſtus ab omni populo meruit appellari. Et dic mihi, quæſo, quis unquam Imperatorum Romanor. ſic meruit exaltari? Regna etiam & provincias, quæ cum Dei adjutorio ſibi ſubjecit, quamvis multos haberet filios & fratres, non eis tamen, ſed Romano Imperio perpetuo addidit atque dedit, ac nobilem illam civitatem Magdeburgenſem & inſigne oppidum Goslariæ in Saxonia ipſa condidit, nec non Magdeburgenſem venerandam metropolim, in qua ipſe & uxor ſua ultima ſepulti ſunt, cum omnibus ejus ſuffraganeis eccleſiis in proprio ejus fundo, & de ipſius patrimonio de novo fundavit, de ſuis facultatibus illa & alia monaſteria & eccleſias in Italia, Germania & Gallia opulente dotando. Hic pugnando etiam longo tempore cum Imperatore Græcorum in Calabria, Sicilia & Apulia eum inde pepulit, & demum non tantum Romanorum & Græcorum inſignia Imperialia mutare coegit. Poſtea vero miſericordia motus, ſicut fuit piiſſimus, cum eodem Imperatore Græcorum pacem fecit. Nam filia dicti Imperatoris Græcorum ipſius Ottonis Magni Auguſti ejuſdem nominis filio, videlicet Ottoni ſecundo Imperatori matrimonio copulatur: cui Sicilia, Apulia & Calabria cedunt in dotem, quæ ſic de manibus Græcorum juri ejuſdem Romani Imperii obvenerunt, licet nunc per alios, qui metunt, ubi non ſeminarunt, ſub aliis titulis occupentur. Sed relinquo hæc in medio: quo cauſſante. Præterea idem Otto Magnus Auguſtus perſonaliter transfretavit ad Daciam, ubi per medium annum ſtando, inter nunc fideles, tunc vero hoſtes catholicæ fidei Dacos ſæviſſimos ad hoc, ut ipſos ad eandem fidem quomodolibet convertere poſſet, venerabilem eccleſiam ſui nominis, quæ adhuc Ottonienſis nuncupatur in Niſſia, quæ eſt pars potior & fortior ejuſdem regni Dacorum ex quo fretum maris ibidem extunc Ottenſebe, hoc eſt mare Ottonis, uſque in hodiernum diem appellatur. Præterea ſanctum Adelbertum miſit ad prædicandum Prutenis & aliis perverſis nationibus circumcirca poſitis, ubi ipſe ſanctus demum martyrio coronatur. Et his ſimilia multa magnifica uſque ad ejus obitum continuavit, non delitiis ſive ociis torpendo, ſed toto tempore vitæ ſuæ omnia in ſpiritualibus & temporalibus conſtanter & optime diſponendo. Vnde ipſorum Caroli & primi Ottonis Auguſtorum, quorum uterque ex virtute propria cognominatus eſt Magnus, apud mortales memoria adhuc celebris reputatur.

HENRICI MEIBOMII.

NOTÆ

Ad hiſtoriam Saxoniam Witichindi Monachi Corbeienſis.

AD *Mathildam reginam auctoris præfatio.*) Mathilda regina, cui Witichindus annales ſuos inſcripſit, filia fuit Otthonis Magni Imperat. ex ſecunda conjuge Adelheide: neptis Henrici Aucupis. Ab Avia Mathilda Auguſta literis domi diligenter

ter exculta, poſtea in Cœnobio Quedlinburgenſi recens extructo accuratius inſtituta, cum prima ejus loci maxima ſacerdos Mathildis Aucupis F. vitam cum morte commutaſſet, ipſa in dignitate ſucceſſit. Factum volunt anno 942. In officii adminiſtratione ſupra ſexus naturam diligens fuit & induſtria, adeo ut Ottho tertius Italiam ingreſſurus curam regni Germanici ipſius fidei demandarit affirmante Ditmaro lib. 4. Quo tempore bis habuit Comitia primo Dorneburgi ad Salam fl. deinde Magdeburgi. In poſterioribus compoſitum eſt negocium de raptu Ludgardis filiæ Echardi marchionis Miſniæ, à Wernero (Dithmarus Wirinharium vocat) Lotharii Comitis Walbecenſis F. perpetrato. Eodem anno, qui fuit à Chriſto nato 997. Mathilda cœpit infirmari, cumque intelligeret vitæ finem adeſſe, accerſito Bernwardo Hildensheimenſi Epiſcopo, ei peccata ſua confeſſa eſt: ſumptoque corpore & ſanguine filii Dei paulo poſt animam creatori reddidit, 8. Idus Febr. Sepulta eſt ad caput aui ſui Henrici Aucupis in æde Divo Servatio ſacra. Unice amata fuit à fratre Ottone ſecundo, quippe qui tertiam theſauri ſui partem ei legarit. Ditmarus ſub finem lib. 3. Gobelinus qui Coſmodromio ætatis 6. cap. 49. nonnihil variat.

In qua ipſe rerum Dominus Henricus primus regnavit) Infra lib. 1. *defunctus eſt rerum dominus* (Henricus Auceps) lib. 2. in principio. *A domino rerum Henrico olim deſignatum* lib. 2. ſub finem: *Ipſe dominus rerum, fratrum natu maximus.* Imperatores hoc titulo honorantur ſæpe in libris veterum, ut apud Plin. Epiſt. l. 3. D. de his, qui in teſtamen. leg. Sidonius in panegyrico Major:

——— mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis ——

Vide plura apud Franciſcum Juretum Notis ad Symmach. lib. 1. Ep. 8.

AD LIBRVM PRIMVM.

SUmmi Imperatoris militum triumphos declaravi.) Intelligit paſſionem Teclæ martyris Iconienſis, quam, teſte Trithemio, carmine deſcripſit. Forte & ejuſdem argumenti alia poemata reliquit, cum plurali utatur numero.

Saxones reliquias fuiſſe Macedonici exercitus.) Fabuloſa Saxonum origo, qua à Macedonibus uſque arceſſuntur, quantum conſtat, primum habuit aſſertorem Witichindum noſtrum, quem ſecuti ſunt Gotfridus Viterbienſis in Pantheo, Conradus Abbas Urſpergenſis, Albertus Stadenſis in Chronico, Theodoricus Niemius Weſtvalus lib. de privilegiis, & juribus Imperii, Gobelinus Coſmodromio ætate 5. capit. 11. Wernerus Rolevingius de laudibus Weſtphaliæ. Chronic. Saxon. Moguntiæ Anno 1492. impreſſum. Ex recentioribus hoc commentum amplexi ſunt Johannes Boemus Aubanus libro tertio capit. 13. Cornelius Kempius hiſtoriæ Friſicæ libro primo cap. 9. Mordicus defendit multiſque fulcire conatur argumentis Suffridus Petrus libris de origine Friſiorum. Meras autem nugas planeque aniles fabulas eſſe, quæ ille magna fiducia de Friſone, Saxone & Brunone, totidem in Germania diſtinctarum gentium conditoribus, ex vetuſtis rerum Friſicarum ſcriptoribus, ipſis tenebris obſcurioribus, inculcat, nemo mentis compos dubitare poteſt. Græcam iſtam noſtratium originem refutarunt jam pridem perquam multi, & in his Crancius præfatione in Saxoniam, Reineccius Commentario de Myſorum origine. Fabricius Origin. Saxon. lib. 1. Albinus progymnaſ. hiſtoriæ Saxonicæ.

In concione Agrippæ ad Judæos in Joſepho) De hoc loco vide differentem Fabricium Originum Saxonicarum lib. 1. Et Petrum Albinum progymnaſ. Hiſtor. Saxonicæ. Locus Joſephi extat lib. 2. cap. 16. de bello Judaico: Ubi tamen non Saxonum fit mentio, ſed in genere de Germanis dicitur, quod ſpiritus eorum majores ſint corporibus, iras habeant feris animantibus vehementiores, animos dolorum & mortis contemptores.

Lucani Poetæ ſententia comprobatur) De hoc loco ſic ſcribit doctiſſimus Turnebus Adverſar. lib. 17. cap. 9. *Nihilo ſecius eſſe puto corrigendam in Lucani illo verſu lib. 1.*

Et Biturix longiſque leves Saxones in armis,

vocem Saxones, *& in* Sueſſones *notiſſimos Galliæ populos commutandum: nulli enim in Gallia Saxones à veteribus memorantur, & codicum vetuſtorum vacillans incerta ſcriptura,*

ſcriptura, modo Axones modo Saxones, modo etiam Leuſones, interdum quoque Sueſones ſcribentium ad audendum temerarium facile impellit & Sueſones inferendum.

Hactenus Turnebus. Videantur præterea Mycillus Commentario in Lucanum & Camerarius in librum 1. ejuſdem Poetæ.

Hadolaun) Adamus Bremenſis legit Hathelo, Auctor vitæ Caroli Magni apud Pithæum Haduloba, Urſpergenſis Hathuloga, cum quo facit Albertus Stadenſis & hanc veram ſcriptionem eſſe puto. Regino peſſime vocabulum corrupit ſcribens Adulohohe. Eſt autem regio illa, quam eruditi hodie Hadeleriam ſive Hadeliam vocant, cujus Arterndorf ad Medemam fluvium metropolis eſt, omnium in hac Germaniæ parte frumenti feraciſſima, ut Chytræus lib. 2. Saxoniæ. Videatur præterea Cornelius Kempius hiſtoriæ Friſicæ lib. 2. cap. 17. Et Ubbo Emmius rerum Friſicarum lib. 2. ubi omnia accurate.

Cultelli noſtra lingua dicuntur Sabs) Gregorius Turonenſis lib. 4. hiſtor. cap. 51. *Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgo Scramſaxos vocant infectis veneno, maleficati à Fredegunde regina, cum aliam cauſam ſe gerere ſimularent, utraque ei latera feriunt* Gotfridus Viterbienſis Pantheo part. 17.

Ipſe brevis gladius apud illos Saxa vocatur,
Unde ſibi nomen Saxo peperiſſe notatur.

Lipſius Centuria 3. Epiſtolar. ad Belgas Epiſt. 44. Ex vetuſtiſſimo Pſalterio Latinogermanico, *Scharſahs novacula.* Lindenbrogius gloſſario ad LL. veterum Germanor. *Scherſax novacula*, in gloſſario Latino germanico, Sahs. Gobelinus Cosmodromio ætate 5. cap. 11. *Apud nos ſenioribus novacula qua pili raduntur dicitur* Saß / *& habemus inde verbum vulgare, videlicet* Saſſen / *id eſt novacula cæſariem radere.*

Britannia à Veſpaſiano principe) De victoriis Veſpaſiani in Britanniis, quaſque gentes & quæ oppida Romano Imperio adjecerit, indicat Suetonius in Veſpaſiano cap. 4.

Martiali Imperatore) Inter Imperatores Romanos nullus hujus nominis reperitur: intelligendus igitur Marcianus, ut quidam volunt, verum ille placida obiit morte. Maximus Tyrannus hoc tempore à militibus cæſus eſt ad quem cenſeo hic reſpici.

Exſtructo tamen ingenti opere ad munimen) Loquitur de muro illo celeberrimo Romanæ provinciæ limite & prætentura, ſive clauſura (ſic enim antiquos vocaſſe legimus) quæ Dioni διατείχισμα, Herodiano χῶμα, Antonino, Spartiano, Caſſiodoro Vallum, Bedæ, Murus dicitur. Videatur Guilielmus Camdenus in Britannia, Joannes Twinus de rebus Albionicis Britannicis, atq; Anglicis, lib. 2. Georgius Buchananus rerum Scoticarum lib. 5. Philippus Camerarius hiſtor. Succiſivar. centuria prima cap. 28. Vulgo nominatur murus Picticus.

Miſeri Bretti) MS. Exemplaria vitioſe legunt Bracti: Poeta anonymos in vita Caroli M. vocat Brettones. Unde v. Britonum & Britannorum, adeoque ipſius Britanniæ orta ſit appellatio, præclarè explicat Camdenus.

Pehiti) Ipſos Pictos Pehits Saxones appellarunt. Unde apud Witikindum Pehiti pro Picti paſſim legitur, Camdenus. Idem alibi murum Picticum ab accolis the Pictwall, ſive the Pehitswall dici affirmat.

Inſula in angulo quodam maris ſita eſt.) Notio fabuloſe adſtructa veteri verſu:

Anglia terra ferax & fertilis angulus orbis.
Inſula prædives, quæ toto vix eget orbe.

Unde vero Angliæ nomen ortum ſit, diſputat Camdenus in Britannia. Tempus quo Britanniæ appellatio deſiit, & terra Anglia, populi Anglici dici cœpere, nempe poſt Chriſtum natum 800. Anno circiter 353. poſtquam Saxones in Britannia conſederant, annotavit Joannes Twinus.

Sanctiſſimum Papam videlicet Gregorium) De Anglorum ad fidem Chriſtianam Converſione legatur Galfridus Monumetenſis lib. 11. cap. 12. Beda hiſtoriæ eccleſiaſticæ Anglor. lib. 2. cap. 23. & ſeqq. Gregorius M. Papa lib. 1. Indict. 1. cap. 30. Regino, Sigebertus, Contractus & alii. Incidit hæc Anglorum converſio in annum Chriſti 596. qui eſt 150. ab ingreſſu gentis novæ in Britanniam, 14. Mauricii Imper:

Huga Rex Francorum) Urſpergenſis rectius legit Clodoveus. De hujus liberis & cumprimis de Theodorico Auſtraſiæ ſive Franciæ Orientalis rege, Metis ſedem habente,

habente, quomodo cum Thuringis bellum geſſerit, lege Gregorium Turonenſem lib. 3. cap. 1. 4. 7. 8. Conradum Urſpergenſem, Crancium Saxon. lib. 1. cap. 26. Anonymum ſcriptorem de Suevorum origine, editum à nobiliſſ. Goldaſto, Gobelinum Coſmodromio ætatis. 5. cap. 11.

Amelberga) Gregorio Turonenſi vitioſe Amlaberga.

Erminfrido) Gregorius Turonenſis Herminfredum, Adamus Bremenſis Hirmunfridum, Urſpergenſis Irmunfridum, Gobelinus Armenfridum appellat. Georg. Fabricius Orig. Saxon. lib. 1. ex Sifrido Miſnenſi Erinfridum nominat. Apud Caſſiodorum lib. 4. extat epiſtola Theoderici Gothorum regis ad Herminafridum Thoringorum regem, qui an idem cum hoc, de quo loquimur, credendus ſit, non ſatis compertum habeo.

A ſeniore ſuo) id eſt domino ad imitationem Italorum, qui ſuum inde *ſignor* depravarunt.

Tiadericum) Eſt noſtrum Dieterich/ compoſitum à Dit, vocabulo priſco, quod, teſte Luthero in Onomaſtico parvo, & Reineccio de origine Myſorum (etenim Aventinus divitias & officium, item officia præclara ſignificare affirmat) Deum denotat, eſtque Tiadericus, Dietreich/ Dei dives, cui reſpondet nomen Gotrici Danorum regis. Vocabulum Dit, alii Deut, nonnulli Thioth ſcribunt, ſuntque de eo admodum multa compoſita in annalibus vetuſtis paſſim obvia, qualia ſunt Ditmarus, Ditardus, Ditherus, Dithlindus, Ditboldus, Ditfridus, Ditbertus, Dithelmus, Ditholfus, Ditradus, Ditburgis, Ditmannus, Ditholdus, Ditgrinus, Ditgremus, quæ aliter à Suevis Bajoaribus, Francis, aliter à Saxonibus, tum pronunciata, tum ſcripta fuere. Ut cætera mittam, vocabulum Dietrich ad enunciationem Latinam inflexum ab ætatis mediæ ſcriptoribus miris modis eſt contortum aſpiratione frequenter inſerta. Sic enim ſcriptum invenias: Theoterich, Thiothrih, Thiotirihe, Thiotirich, Thieterich, Thietherih, Thetrich, Theothrich, Thiotrich, Thiadrich, Tidrich, Theodrich &c.

Thiadericus autem deſignatus Rex) De bello Thuringico aliter explicavit, tum Gregorius Turonenſis, tum Anonymus ſcriptor de Suevorum origine apud CL. Goldaſtum.

Iringo) Apud Reginonem lib. 2. ejuſdem nominis reperitur Avarorum princeps, quem Henricus Dux Forojulianorum per ſuos exſpoliavit.

Generum ſuum) Juſtinus lib. 18. hiſtor. Sichæum Eliſæ, ſive Didonis maritum, vocat Pygmalionis generum, cum eſſet ſororis maritus, qui vulgo ſororius. Juſtinum ſequitur Witikindus hoc loco, & infra lib. 2. Ditmarus lib. 2. Ubi Hugo Rex Franciæ nominatur gener Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis, cujus ſororem habebat in matrimonio. Vide quæ ad Juſtini locum doctiſſimus Bongarſius annotavit.

Runibergum) Hodie Ronneberg.

* CL. Caſp. Sagittarius, cum in MSto Martini Poloni pugnæ hujus locum Tenneberg nominari deprehendiſſet, eam lectionem amplecti maluit, cum locus ille ab Unſtruto non longè remotus, Epiſtola de antiquo ſtatu Thuringiæ. In Urſpergenſis tamen Abbatis Conradi à Lichtenaw, qui totum hoc in loco Witichindum deſcripſit, *Runiberg* etiam habetur: Auctor vero de Landgraviis Thuring. c. V. *Roneburg* vocat.

Schidingi) Auguſtale olim Baſini Thuringorum regis, cui Baſina fuit conjunx mulier fatidica, filii Baldericus, Herminfridus & Bertharius, filia Amelberga fax belli Thuringici. De his videantur Gregorius Turonicus lib. 3. cap. 4. Trithemius compendio rerum Francicarum & lib. de Francorum origine.

* De Caſtro Schidingen, & quænam ſubſecutis temporibus ejus fuerit conditio, non pauca annotavit Cl. *Sagittarius l. 2. Antiquit. Regni. Thuring. c. 12.* qui ipſam hanc urbem, ſeu caſtrum, à diviſione illa Thuringiæ Francos inter & Saxones facta, nomen illud accepiſſe conjecturatur.

Fluvium qui dicitur Unſtrode) Urſpergenſis Oveſtrod, Sigfridus Miſnenſis Ungeſtrute. Anonymus Poeta de bello Henrici IIII. contra Saxones Unſtardus. De Unſtro, Unſtruto, ſive Unſtruta Thuringiæ fluvio legatur Chronicon Miſnenſe P. Albini titulo 24. Ejuſdem nominis fluvius in Haſſia, indicatur à Georgio Fabricio in hodœporico Argentoratenſi. Unſtri apud Saxones Alveldium & Hildeſiam præterlabentis, &

tis, & prope Sarſted oppidulum in Leinam ſe exonerantis meminit Chytræus lib. 27 Saxon. vulgo die Innerſte. Hunc fl. Henricus IIII. Imper. in diplomate quodam Treviris dato Entriſtam nominat. Thuringicus Vnſter nobilitatus eſt cruento illo prælio, quod idem Henricus IIII. Imperat. cum conjuratis Saxonibus commiſit, quibus ad Nagelſtætum cæſis profligatiſque, inter cæteros proceres occubuit Gebhardus Dynaſta Querfurtenſis, cum paucis diebus ante nuncium accepiſſet lætiſſimum de nato filio Lothario, qui poſtea Auguſtus ſalutatus eſt, ut Marianus Scotus. De Prælio hoc videatur Bruno & poeta Anonymus, belli Saxonici ſcriptores.

Quidam cum accipitre victum quæritans.) Anonymus rerum Suevicarum ſcriptor hunc Thuringum Witonem vocat, quæque de Saxonibus dicit Witikindus, Suevis tribuit.

Hathagaſt.) Urſpergenſis legit Hatugato, Adamus Bremenſis Hadugatus, Petrus Albinus progymn. novæ Saxonum hiſtoriæ, facit filium Hadwakeri (exteri Audacharium vocant) nepotem Hengiſti regis, qui primus in Britanniam Saxonum Coloniam deduxit. **Gaſt / vocabulum eſt germanicum, non, ut hodie, hoſpitem, ſed** quem vis hominem ad omnia promptum & habilem ſignificans, unde multa paſſim reperias compoſita. Covigaſtus eſt apud Boëthium de conſolat. Philoſoph. Arbogaſtes tyrannus interfector Valentiniani junioris apud Oroſium & alios. Sigebertus ad annum 422. nominat Dictatores legis Salicæ Uſogaſt, Boſegaſt, Salagaſt, Widigaſt. In prologo legis Salicæ ſecundum editionem Frid. Lindebrogii Wiſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus, & Widogaſtus appellantur. Alibi inveniuntur Aligaſtus, Hildegaſtus, Suabgaſtus & Wergaſtus. Nec diſiungendus ab his Segeſtes Cheruſcorum Rex apud Strabonem lib. 7. Vellejum lib. 2. Tacitum lib. 1. Florum lib. 4. cap. ultimo. Neque Radigaſtus Idolum Slavicum, de quo Adamus Bremenſis lib. 2. cap. undecimo, libro quarto capit. duodecimo, Helmoldus libro primo, cap. ſecundo & vigeſimo primo. Doctiſſimus Camerarius tomo 3. horarum ſucciſivarum capite ſexageſimo tertio, Gaſtos germanico nomine à ſapientia & ſcientia rerum atque ingenii perſpicientia dictos exiſtimat.

Leonis atque Draconis & deſuper aquilæ volantis) Ringelheimenſes comites antiqua iſta Saxonum inſignia ſibi vendicarunt: Argumento eſt quod Mathildis Auguſta, Henrici Aucupis Cæſ. Conjunx, cum his inſignibus etiamnum hodie conſpicitur in monaſterio Pœle ſive Pœlede in agro Eichsfeldenſi.

Iringus vero tanquam armiger regalis ſtans) De morte Herminfredi Turingorum Regis aliter explicat Gr. Turonicus lib. 3. cap. 8. *Idem vero inquit*, (*Theodoricus Francorum Rex*) *regreſſus ad propria, Herminfredum ad ſe data fide ſecurum venire præcepit, quem & honorificis ditavit muneribus. Factum eſt autem, dum quadam die per murum civitatis Tulbiacenſis confabularentur, à neſcio quo impulſus de altitudine muri ad terram corruit, ibique ſpiritum exhalavit. Sed quis eum inde dejecerit ignoramus: multi tamen adſerunt Theodorici in hoc dolum manifeſtiſſime patuiſſe.* Hactenus Gregorius. Trithemius de origine Francorum Herminfridum à Theodorico Francorum Rege cum conjuge & filiis captum occiſumque & regionem in provinciam redactam affirmat.

Iringi nomine, quem ita vocitant, lacteus cæli circulus.) Urſpergenſis ſic habet: *Ut lacteus cœli circulus, Iringis nomine, Iringis ſtraza uſque in præſens ſit vocatus.*

Gens Saxonica triformi genere ac lege præter conditionem ſervilem dividitur) De gentis Saxonicæ ordinibus, ſive generibus, præclare explicat Reinerus Reineccius ad libr. 4. Poëtæ Anonymi de vita Caroli Magni, quo lectorem remitto. Neque contemnenda ſunt, quæ de eodem argumento habet P. Albinus progymnaſmatum novæ Saxonum hiſtoriæ pagina 72. & ſeqq.

Orientales populos Angarios & Weſtphalos) Hoc argumentum idem Reineccius ex Bedæ hiſtor. eccleſiaſt. libro quinto capite undecimo, lege Saxonica & annalibus Francicis præclarè tractavit. Locum Bedæ, quia illuſtris eſt, ut adſcribatur integer, dignum putamus. *Antiqui Saxones* (inquit) *regem non habent, ſed ſatrapas plurimos ſuæ genti præpoſitos, qui ingruente belli articulo, mittunt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors oſtenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur & huic obtemperant: peracto autem bello rurſum æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ.* Hæc ille: reliqua explanat noſter auctor.

Digitized by Google

Lex Saxonica diligenter deſcripta) Apud Joannem Heroldum & Fridericum Lindenbrogium extat Lex Saxonica octodecim capitulis diſtincta: an de iſta loquatur Witikindus affirmare non poſſum. Wippo in vita Conradi Saliqui Imper. *Saxonum legem crudeliſſimam* vocat, ſine dubio, quod in ea uſitata & crebra capitis pœna. Apparet autem ſcriptam Saxonibus jam ad fidem Chriſti converſis: nam de præcipuis anni feſtis ibi mentio, & irrogatur Capitis pœna ſacrilegis & perjuris. De Juris Saxonici recentioris, quod, Speculi titulo circumfertur, compilatoribus, diſputat Crancius Saxonæ libro ſecundo, capit. vigeſimo primo, negans Carolum Magnum Speculi auſpicem eſſe, & id quidem recte, nam quod contrà diploma Ottonis Rufi adfertur, id vero reſponſo nequaquam dignum. Adamus Bremenſis libro ſecundo, capite decimo nono, affirmat Haroldum Danorum regem miraculis clarum, leges Saxonibus tradidiſſe: verba ejus hæc ſunt: *Certiſſimum vero eſt eum tam noſtro populo, quam Transalbianis, & Freſonum genti, leges & jura conſtituiſſe, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt.* Tempore Friderici Barbaroſſæ in veteri Saxonia jus Suſatenſe viguit, quod Henricus Leo novæ urbi Lubecæ, in ſuam poteſtatem redactæ, uſurpandum tradidit. Exauctorato Leone & Lubecenſibus ad deditionem coactis, cives ab eodem Imperatore jura Soſatiæ ſibi relinqui humiliter contenderunt. Vide Arnoldum Lubecenſem lib. 2. cap. 40.

* De Legibus Saxonicis & Jure Soſatiæ nuper pluribus egi in Introductione in Hiſtoriam Saxoniæ, præſertim Inferioris.

Suevi Tranſalbini illam quam incolunt regionem) Auctor anonymus de origine Suevorum affirmat tempore devicti Herminfridi regis Thuringorum ultimi, Suevos tam pedites, quam equites profligatis Thuringis agrum, Unſtro ſive Unſtruto flumini contiguum occupaſſe, & nemine reſiſtente incoluiſſe. Fuiſſe autem vel in diœceſi Halberſtadenſi, vel ejus vicinia Suevos, argumento eſt locus in antiquitatibus monaſterii Hamerslebienſis, qui ſic habet: *Judex vivorum & mortuorum teſtis & judex ſit pacti bujus, teſtis ſit ſancta Eccleſia: teſtis ſit principum cura (lego curia) teſtis ſit omnium conditionum differentia: teſtis ſit Northuringorum, Derlingorum, Hardagorum, Suavorum, Haſſingorum provincia, ad quos vel viſu vel auditu, bujus pacti venerit notitia.* Et in Chronico Halberſtad. MS. leguntur hæc verba: *Arnulfus epiſcopus* (Halberſtadenſis) *à Papa Benedicto confirmationem & privilegium impetravit ſuper terminis Epiſcop. & hos pagos Hardengowe, Derlingowe, Northuringen, Belkisbeim, Sueviam, & Haſſigow. &c.* Qui vero Saxoniæ principes & alii ordines Suevis annumerentur, vide in præfatione auctoris in Speculum Saxonicum.

Saxones cum Longobardis Italiam adierunt) De hac expeditione Paulus Diaconus libr. 2. capit. 6. de geſtis Longob. Aimonus libr. 3. capit. 7. Crancius Saxon. libr. 1. cap. 29. 30.

Et nunc blanda ſuaſione) Poeta Anonymus in vita Caroli Magni ad annum 803. de Saxonibus ſic loquitur.

Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
Plus Regis pietas & munificentia fecit,
Quam terror. Nam ſe quiſquis commiſerat ejus
Egregiæ fidei, ritus ſpernendo prophanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.

Wilhelmus Malmesbur. lib. 1. Reg. Angl. cap. 4. citat Epiſtolam Alcuini præceptoris Caroli Magni, in qua hæc verba. *Antiqui Saxones & omnes Freſonum populi, inſtante rege Carolo, alios præmiis & alios minis ſollicitante, ad fidem Chriſti converſi ſunt.*

Triceſimo Imperii ſui anno) Carolomanno fratre defuncto, Carolus regnum auſpicatus Anno 771. in ſequenti Saxones bello aggreſſus eſt, quod finitum Anno 803. ut Poeta Anonymus, præciſe igitur impleti anni 32. Vidi literas Rudolfi Epiſcopi Halberſtadenſis, quæ ſic clauduntur: *Acta ſunt bæc Halberſtadii. 15. Kalend. Novembr. Anno Dominicæ incarnat. 1147. Indict. 11. Pontificatus Domini Eugenii Papæ Anno 3. adminiſtrante Romanum Imperium Conrado tertio, Anno regni ejus 10. ex quo vero Saxonum gens ad fidem converſa eſt, Anno 366.* Hæc ſupputatio convenit cum noſtro auctore.

Jam

Digitized by Google

Jam fratres & quaſi una gens) Poëta anonymus:

Tum ſub judicibus, quos rex imponeret ipſis,
Legatiſque ſuis, permiſſi legibus uti
Saxones patriis & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus,
Ac ſemper regi parens æqualiter uni.

Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 7. *Omnibus, qui reſiſtere ſolebant, profligatis & in ſuam poteſtatem redactis, ea conditio à rege propoſita & ab illis ſuſcepta eſt, ut abjecto Dæmonum cultu, relictisque patriis Cerimoniis Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent, & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur.*

Ludovicus ex Arnulpho) Ludovicus, Arnolfi Imper. filius, admodum juvenis ad Imperium venit, unde à Ditmaro Merſeburgenſi lib. 1. & Alberto Bremenſe lib. 1. capit. 44. puer: ab Hepidanno in annalibus Alamannicis puerulus vocatur. Chronicon Halberſtadenſe MS. Infantis cognomento inſignitum refert. Sed iſte non habuit in matrimonio Ludgardam Ludolfi Ducis Saxoniæ filiam, Brunonis & Ottonis ſororem, ut noſter autor ſentit, in quem errorem induxit etiam Urſpergenſem Abbatem & Albertum Stadenſem. Ab illo deceptus eſt Johannes Cuſpinianus: hic errandi occaſionem præbuit aliis. Fuit autem gener Ludolfi Saxonis Ludovicus, Ludovici Germanici filius, Ludovici Pii nepos, quod obſervavit Crancius Metropolis libr. 2. capit. 13. Henricus Bodo, monachus Cluſenſis in Chronico ſuo Gandersheimenſi M. S. recitat diploma hujus Ludovici, quod ſubjiciemus. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si libertatis noſtræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus & neceſſitates Eccleſiaſticas noſtro ſublevamus juvamine atq; regali tuemur munitione, id nos & ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum, induſtria, qualiter pro remedio animarum piiſſimorum anteceſſorum Auguſtorum, & ob noſtræ mercedis augmentum, nec non pro dilecta conjuge Lutgarda ac cariſſima prole noſtra, quaſdam res proprietatis noſtræ ad monaſterium, quod dicitur Gandesheim conceſſimus, quod eſt conſtructum in bonore S. Stephani protomartyris & in noſtro conſtat patrimonio, hoc eſt in villa, quæ dicitur Tengſtede, & in villa, quæ dicitur, Erike, in pago, qui vocatur Suthuringia, in Comitatu Ottonis, cum domibus, ædificiis, campis, agris, pratis, paſcuis, ſylvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, viis & inviis, acceſſibus cum adjacentibus finibus, exitibus cum regreſſibus & quicquid ad præfatas villas jure ac legitime pertinere videtur. Ita ut quicquid ab bodierna die deinceps Abbatiſſa & ſanctimoniales fœminæ præfati monaſterii inde facere voluerint, liberam ab omnibus perpetualiter habeant poteſtatem. Si vero perſona quælibet poſterorum noſtrorum, quod minime credimus, hoc noſtræ conceſſionis præceptum irrumpere tentaverit, & immunitatis & electionis à nobis conceſſo ſcripto continetur, violandum decreverit, omnipotentis Dei iram incurrere ſe nullo modo dubitet, & coram juſto judice in tremendo examinis die ſe rationem inde redditurum minime ignoret. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas firmior babeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius obſervetur veriuſque credatur, manu propria noſtra ſubter eam confirmavimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Datum 5. Idus Febr. Indict. 10. Anno incarnat. Domini noſtri Jeſu Chriſti 877. Anno primo ſereniſſimi regis in Orientali Francia regnantis. Actum Francofurti in Dei nomine feliciter: Amen.*

In hoc diplomate Ludovicus Rex Germaniæ inculcat primum regni ſui annum, quod convenit cum annalibus Francicis, tam Pithœanis quam Fuldenſibus, concorditer affirmantibus Ludovicum Germanicum hujus noſtri de quo agimus, parentem, mortuum eſſe anno 876. Conſentit cum Annalibus Hermannus Contractus his verbis utens. *Ludovicus Rex fortis & religioſus, morbo tactus apud Francfurt 5. Kal. Septembr. vita deceſſit Anno regni 36. & apud Laureſbeim cœnobium ſepultus eſt, regnum ejus tres filii Carolomannus Bajoariam, Ludovicus Germaniam, Carolus Alamanniam, ſinguli cum adjacentibus provinciis accepere, paceṁq; inter ſe ſacramentis firmavere. &c. Septennio ante ablegarat Ludovicus Rex filium Ludovicum contra Sorabos rebellantes, cum quibus bis congreſſus victoria obtenta eos ad deditionem compulit. Gobelinus Coſmo-*

dromio

Digitized by Google

dromio Orientales Slavos à Ludovico victos innuit. Ab hac expeditione in Saxoniam divertit victor Ludovicus & deſponſata ſibi Ludgarda Ludolſi Ducis Saxoniæ filia, paulo poſt cum ea nuptias celebravit in caſtro Aſchavenburg. Hæc diſertè Gobelinus ætatis 6. cap. 42. addens eodem anno mortuum Lotharium regem Lotharingiæ, Lotharii Imperat. filium, cujus obitus incidit in annum 869 ut Contractus. De nuptiis Ludovici eadem habet Crancius Metropoli lib. 2. capit. 13. Obiit ſecundum annales Francicos 882. 13. Kalend. Decembris. Contractus de anno conſentiens pro Decembri Februarium menſem inculcat, ſecutus, ut opinor Regionem. Ditiones ejus hæreditariæ memorantur ab Ottone Friſing. Chronici lib. 4. cap. 6. nimirum Orientalis Francia, hodie Franconia, Thuringia, Saxonia, Freſia, Lotharingia. Hæc eruendæ veritatis tollendique erroris inveterati ergo, utque liquido conſtaret, quis Ludgardiæ Saxonicæ maritus fuerit, prolixius paulo explicare volui. Ludovicus 4. Imperator, Arnolfi Cæſar. F. quem Cuſpinianus, Aventinus, Peucerus, Reuſnerus, aliique multi Ludgardæ maritum faciunt, nihil cum his, quæ diximus, commune habet. Venit ad Imperium anno 900. Ut Regino, Contractus & alii: annorum tum temporis ſeptem, ut Aventinus. Natus eſt igitur anno circiter 893. quo tempore in matrimonio jam annos quatuordecim fuerat Ludgarda. Obiit Ludovicus Cæſar 911. Cum imperaſſet annos duodecim nulla relicta ſobole, quæ Ludovico ex Ludgarda fuit unica, patri cognominis filius, qui Ratisbonæ, parente Bajoariam ingreſſuro, de feneſtra lapſus, fractis cervicibus, ſtatim expiravit, quæ non tantum immatura, ſed inhoneſta mors, non ſolum regi & reginæ, verum etiam omni domui regiæ maximum luctum ingeſſit: verba ſunt Reginonis libro ſecundo ad annum 880.

Ludolfus qui Romam profectus) In antiquitatibus Gandersheimenſibus, ut & in Chronicon Henrici Bodonis reperiuntur literæ Ludolfi Ducis Saxoniæ, quibus teſtatur ſe inſtructum literis Ludowici Rom. Regis cum conjuge Oda an. Chriſti 853. Indict. 1. Romam ad Pontificem Sergium profectum &c. Quæ verba merito ſub examen veniunt. Indictio prima incidit in Annum Chriſti 853. nullus itaque ibi ſcrupulus: neque de Cæſare Ludovico magnus, ſiquidem ejus pater Lotharius iſto anno monaſterium ingreſſus eſt, ut Regino, etſi Contractus ad annum 855. referat. De Sergio Papa maxima oritur dubitatio. Hunc obiiſſe ſcribit Onuphrius Panvinius anno 847. Quomodo igitur Ludolfus Saxo ad eum venit anno 853. Sigebertus profectionem Principum in Italiam collocat in annum 860. errore craſſiore. Conciliatore hic opus, quem non præſtabo.

Inundatione repentina circumfuſus.) Infelix hæc Saxonum expeditio ſcriptoribus notiſſima. Meminere Annales Fuldenſes & Hermannus Contractus interpolatus ad annum 880. Ditmarus lib. 2. Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 34. Gobelinus ætate 6. cap. 43. Nomina principum qui occubuere recitantur in annalibus, quos dixi: repetuntur ab Aventino lib. 4. Inundatione fluminis periiſſe cum noſtro auctore affirmat Dithmarus, reliqui innuunt, ab hoſte trucidatos, quos ſequitur Crancius peculiari opuſculo de hoc bello conſcripto quod Metropoli adjunctum eſt. Ex duobus Epiſcopis, Marquardo Hildeſienſe & Tiderico Mindenſe, qui in conflictu iſto occubuere, Crancius multo plures facit. Nam Metropol. lib. 2. cap. 9. omnes pene Saxoniæ Epiſcopos pro Chriſto cecidiſſe affirmat: quod commentum recentiores plærique omnes contra veterum annalium & hiſtoricorum fidem inculcant. Videatur Fabr. orig. Saxon. lib. 2. Bruſchius de Epiſcopis Padebornenſ. Spangenberg Saxon. cap. 108. Ubi de tempore variat annum 876 ponens & Kalendas Auguſti, cum Dithmarus diſerte indicet 4. Non Febr. Locus pugnæ memoratur à Crancio Ebbecſtorp in agro Luneburgenſi, ubi hodie inſigne virginum cœnobium.

Quærebat Ottoni diadema imponere.) Otto Saxoniæ Dux inclaruerat bello Italico, ſub Arnolfo Imper. geſto, cui fidem & fortitudinem abunde probavit. Defuncti filio Ludovico tutor datus pari fide officium fecit, & inter cætera Ungaris, extrema Germaniæ minitantibus, ſua authoritate inducias perſuaſit. Poſt obitum pupilli ad Imperium vocatus ſenio ſe excuſavit, commendato principibus Conrado Francorum Duce, ut præter noſtrum auctorem Dithmarus lib. 1. & alii. Luitprandus lib. 1. cap. 7. nominat potentiſſimum Saxonum Ducem; ſingulariter Sigfridus presbyter Ottonem de Brunſwig. Continuator Reginonis vita exceſſiſſe ſcribit Anno 912, quo eodem impe-

imperium auſpicatus eſt Conradus: Chronicon Saxonicum vetus ponit annum 916. Diem nempe 2. Kalendar. Decembr. habet Dithmarus lib. 1.

Qui primus libera poteſtate regnavit) Quomodo hanc cautelam intelligi velit, oſtendunt quæ legendæ Viti Martyris partim verè, partim ſuperſtitiosè ſubnectit.

Adverſus Dalamantiam) Pars Miſniæ antiquitus & adhuc Henrici Aucupis tempore vocata fuit Dalemincia. Dithmarus libr. 2. de eodem loquens Imperatore inquit: *Iſque à patre ſuo in provinciam, quam nos Teutonice Daleminc vocamus, Slavi autem Glomaci appellant, cum magno exercitu miſſus devaſtavit eam.* Quæ notio ſit vocabuli Germanica difficile fuerit conjicere, niſi à vallibus forte deduxeris. Sigebertus, Urſpergenſis, & qui hos ſequuntur, ex vocabulo ignoto gravi errore fecerunt Dalmatas: quod neque Crancius neque Cuſpinianus animadverterunt.

Avares, quos modo Ungaros vocamus) De Avaria, Avaris eorumque ſedibus, occaſione belli, quod cum Hunnis geſſit Carolus Magnus, præclare Aventinus lib. 4. Jornandi de rebus Gothicis Aviri dicuntur. Paulus Diaconus libro 1. capit. 27. primum Hunos deinde Regis proprio nomine Avares nuncupatos affirmat. Hiſtoria miſcella. lib. 14. Avares & Longobardos à Gepidis deducit. Legatur Bonfinius lib. 9.

Jordanus narrat) Vulgo Jornandes. Hujus extat ſcriptum de rebus Geticis excerptum ex hiſtoria Magni Aurelii Caſſiodori duodecim libris diſtincta, cujus ipſe meminit præfatione Variarum. Fuit Jordanus Epiſcopus Ravennas: vixit Anno Chriſti 500. Imperante Juſtino, ut Trithemius.

Nomine Sulza) Jordanus ſive Jornandes habet Scantzia, eamque officinam gentium appellat: Plinio lib. 4. cap. 13. & Solino cap. 33. Scandinavia dicitur. Deſcriptio ejus eſt apud Olaum Magnum & Jacobum Zieglerum Landawen. in Scondia.

Veritus eſt ei tradere omnem poteſtatem patris) Ergo ante hac, & tum adhuc, omnis Ducum Saxoniæ poteſtas à regibus Francicis dependebat, quo jugo ſe primus Henricus exemit: Unde eſt, quod libera poteſtate regnaſſe dicitur. Dithmarus lib. 1. *Otthone 2. Kal Decembris carnis univerſæ viam intrante, ſæpe memoratus juvenis in vacuum ſuccedens hæreditatem jure, & maximam beneficii partem gratuito regis ſuſcepit ex munere, & quod ei defuit, cum ſuis omnibus ægre tulit, &c.*

Moguncicæ ſedis Archiepiſcopum, nomine Hattonem) Habuit Moguntia duos Antiſtites Hattones, utrumque inſigni aliqua infamiæ nota aſperſum. Poſterior à muribus devoratus ſcribitur, propter miſere exceptos & incendio perditos pauperes. Hiſtoria refertur à Bruſchio & aliis, refutatur à Serario Jeſuita rerum Moguntiacarum ſcriptore lib. 4. cap. 4. De priore hic agit noſter auctor obſcuros ejus natales indicans & acutum ingenium. De ingenio acuto ſeu potius Verſipelli, & in omni malitia gnavo, conveniunt ſcriptores rerum Alemannicarum tomo primo, parte prima, Luitprandus lib. 2. cap. 3. Hermannus Contractus & alii. Ekkehardus Cœnobita Sangallenſis de caſibus, monaſterii ſui cap. 1. Hattonem cor regis (Conradi primi) vocat, additque præter archiepiſcopatum duodecim abbatiis præfuiſſe: quod equidem adverſatur manifeſte piis Caroli Magni ſanctionibus. Cum Salomone Epiſcopo Conſtantienſi primas in Imperio tenuit poſt regem, ut idem Ekkehardus. De reliquis infra.

Cum bellum eſſet Conrado, regis Conradi Patri, & Alberto) Arnolfo imperante floruere in Germania duæ familiæ, una Comitum Bambergenſium, altera comitum Franciæ Orientalis. Inter eas ex parvis initiis natum eſt crudele & atrox diſſidium quod plurimum generoſi ſanguinis hauſit, multiſque urbibus, oppidis & vicis incendia & vaſtationes attulit. De eo ſic Regino ad annum 897. *Ea tempeſtate inter Rudolfum Epiſcopum Wirzeburgenſem & filios Henrici Ducis Albardum & Henricum magna diſcordiarum lis & implacabilis odiorum controverſia ex paucis minimiſq; rebus oritur & velut ex permodica ſcintilla ingens incendium oritur, ita de die in diem ſuccreſcens immenſum dilatatur. Et cum de nobilitate carnis, de parentum numeroſa multitudine & magnitudine terrenæ poteſtatis ultra quam decet ſe extollunt: in mutuis cædibus prorumpunt, innumerabiles ex utraque parte gladio pereunt, truncationes manuum & pedum fiunt, regiones illis ſubjectæ rapinis & incendiis ſolo tenus devaſtantur.* Hæc Regino.

Ut autem tota hiſtoria fiat illuſtrior & noſtro aliquid lucis accedat auctori, ex Reginone utramque familiam enucleatam ſubjungam.

HENRICUS DUX, UT REGINO, (FORTE FRANCONIÆ) nominatur tantum: habuit in matrimonio Babam Ottonis Saxoniæ Ducis F. Henrici Aucupis ſororem, quæ, ut communiter fertur, Badebergæ urbi nomen dedit. Camerarius in Chronologia Nicephoriana ex vocum ſimilitudine nomen confictum putat,

Albertus nobiliſſimus Francorum Comes, ut Otto Friſingenſis, exercet inimicitias cum Rudolfo Epiſcopo Wirceburgenſi, quem auxiliantibus fratribus Adelhardo & Henrico bello potens, ipſe fugatus, ex fratribus alter occumbit, alter capitur Anno 902. Qua injuria irritatus amplius Wirceburgenſem Epiſcopum tota ditione exuit. Proditus Sinoniis artibus hierophantæ Moguntini capite truncatur 5. Idus Decembr. Anno 905.

Adelhardus in prælio, quod fratre Adelbertus commiſit cum Epiſcopo Wirceburgio ejuſque fratribus capitur & poſt juſſu Gebehardi hoſtis capitis ſupplicio adficitur. 902.

Henricus cum fratribus contra Francos viriliter pugnans occumbit 902.

Camerarius dicto loco Adelbertum vocat comitem Palatinum Bambergenſem, ſeu Pabergenſem, ut ipſe ſcribit. Præter Adelhardum & Henricum Urſpergenſis Alberto Bambergenſi tribuit alios fratres, nempe Beringerum, Reinholdum & Gerhardum. Verba ejus ſunt. *Anno Domini 906. Ungari à Moravis occiduntur. Beringer, Reginolt, & Gerhart germani fratres interficiuntur. Anno 907. pugna inter Adelbertum fratrem eorum & Conradum fratrem Ludovici Imper. committitur &c.* De his fratribus aliter Contractus ex editione Henrici Caniſii. Anno 901. *Beringer* inquit *Reginholf. & Gerhart nobiles, Germani fratres filii Atonis Comitis & Adelindæ, non longe à Durbaugienſi cœnobio virginum, in pago Alemanniæ Ericbgewe, à matre per ipſum tempus ſtudioſe in honorem S. Cornelii & S. Cypriani martyrum conſtructo, cum ſororem virginem nuptum tradere molientes circumventi & occiſi ſunt, & à matre ſua apud ipſum Cœnobium ſepulti: ubi etiam ipſa, poſtquam Jeroſolymam aliaque loca ſancta cauſa orationis adiit & rediit, divinis intenta ſervitiis & animarum inhians lucris, feliciter hanc vitam finiens condita eſt, ipſa filia virgine æquivoca ſua abbatiſſa conſtituta.*

Hactenus Contractus. Camerarius Chronologia Nicephoriana ex deſignatione quadam ſtirpis Carolinæ, in veteri Codice reperta Adelberto Bambergenſi tribuit parentem Widonem, Adelbertum Marchionem avum: quæ nos in medio relinquimus. Hæc enim, ut idem inquit, enucleare eſt plane fluctus numerare. Adelbertus Bambergenſis ſuæ familiæ ultimus capite plexus eſt Tereti, ut Ditmarus nominat lib. 1. Reginoni eſt Tetraſſa, Urſpergenſi Teraſſa, quibuſdam Terres, olim ad Mœnum amnem munitiſſimum caſtrum, hodie opulentum monaſterium Monachorum, de quo Chriſtophorus Browerus antiquitatum Fuldenſium lib. 2. cap. 10. Facultates & poſſeſſiones cæſi principis in fiſcum redactæ inter nobiles quoſdam diſtributæ ſunt, ut Regino. Et tantum de familia Bambergenſi, ſequitur altera Comitum Franciæ & Wedroviæ.

Conradus Comes Franciæ, exauctorato Poppone Comite Hennebergio, fit Dux Thuringorum, ſed ſponte reſignat. Apud Friſlariam Haſſiæ Urbem cum Adelberto Bambergæ Comite confligens multis vulneribus confoſſus occumbit. Cadaver à con-

Gebhardus homo ſanguinarius Adelhardum Comitem Bambergenſem in pugna captũ immiſericorditer capite truncari jubet: ipſe occumbit in bello Ungarico Anno 910. ut continuator Reginon. Uxor ejus Oda, fi-

Rudolfus Antiſtes Wirzeburgius homo turbulentus, temerarius planeque ſtultus, cauſſam præbet bello inter Comites Bambergenſes & ſuos fratres. Ab Adelberto Bambergenſi ejicitur Epiſcopatu 903.

Eberhardus in prælio cum Adelberto Comite Bãbergenſi ejuſque fratribus commiſſo multis confoditur vulneribus & inter cadavera cæſorum ſemivivus repertus domum reportatur pauloq; poſt moritur

juge & filiis Wilenbergum deportatum tumulatur Anno 905. 3. Kal. Martii.

lia Ottonis Comitis, Vidua Suentibaldi ſive Suentipolchi Arnolfi Cæſaris filii.

Otto Hermannus

obiit publico ſuorum gaudio 908. Bruſchius perperam nominat Lantgravium Thuringiæ, ea enim dignitas primum cœpit ſub Lothario Saxone Imp.

ritur 902. Conjunx ejus & filii ab Alberto Bambergico tam feudis, quam patrimonio exſuuntur & ultra Sylvam Speshart propelluntur.

Conradus ejus nominis primus Rom. Imper. ſuaſu Ottonis Saxoniæ Ducis eligitur, cujus filio malam tamen refert gratiam. Ab Ungaris annua penſione pacem redimens, ad debellandos Imperii Principes ſe convertit. Moriturus Henricum Ducem Saxoniæ ſucceſſorem deſignat, eique per fratrem inſignia imperii tranſmittit. Continuator Reginonis hoc eum exornat elogio: Cunradus Rex obiit, vir per omnia manſuetus, prudens & divinæ religionis amator.

Eberhardus Dux Franconiæ Orientalis, cum Henrico Rixoſo Bajoariæ & Giſelberto Lotharingiæ Ducibus adverſus Ottonem Magnum conſpirans in acie cadit ad Andernacum oppidum, de quo infra plura.

Ingreſſus civitatem Adelberti ſub jure jurando ſpopondit, aut ei pacem cum rege factυrum, aut incolumem loco ſuo conſtituturum.) Poſt Witichindum eadem tradunt Luitprandus lib. 2. cap. 3. Ditmarus lib. 1. Friſingenſis Chron. lib. 6. cap. 15. Gothfridus Viterbienſis Chronici parte 17. ubi Hattonem hunc Ottonem nominat, Marianus Scotus lib. ætate 6. Conradus Urſpergenſis, Sigebertus & alii.

Hac igitur perfidia quid nequius?) MS. Codex legit *iniquius*. Viterbienſis hiſtoriam ita claudit. *Si autem Hatto archiepiſcopus, qui pro ſalute regni hoc feciſſe aſſeritur, in hac cauſſa peccaverit, non meo, ſed auditorum judicio reſervetur. Ego tamen ſi feciſſem, æſtimarem, me etiam Saracenum conducendo peccaſſe.* Otto Friſingenſis narrationi hæc ſubjungit. *Judicent de hoc ſacerdotis facto alii quod velint, & tanquam pro regni utilitate commiſſum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia, non ſolum quemlibet Chriſtianum fraude circumvenire, ſed etiam in corde, & corde in cauſa capitali loqui non debuiſſe arbitror Epiſcopum.* Alciatus Com. in l. Boves 2. de verb. ſignif. hujus hiſtoriæ mentionem faciens, ſic claudit: *Dignus perpetua nota ſacerdos, qui ignoraverit fraude perjurium aſtringi, non ſolvi.*

Quid melius eo conſilio, quo diſcordia diſſolveretur) Atqui mala non ſunt facienda, ut bona inde proveniant.

Fecitque ei torquem auream fabricari) En tibi alterum ſummi in Germania Pontificis flagitium, exitiale orbi Chriſtiano, ſi malitia eos habuiſſet ſucceſſus, quos habuit conatus. Repetit hiſtoriam Ditmarus lib. 1. Sigebertus Gemblacenſis, Albertus Stadenſis, Crancius Sax. lib. 3 cap. 1.

Burchardum & Bardonem, quorum alter Regis gener erat) Intelligitur Burchardus, de quo Regino lib. 2. quod ducatum Thuringiæ gubernandum acceperit. An vero Conradi Imp. ſororius vel filiæ maritus fuerit, liquidum non eſt, ob ambiguam vocis *gener* ſignificationem.

Hatto autem videns ſuis calliditatibus finem impoſitum, nimia triſtitia ac morbo) De morte Hattonis variant ſcriptores. Annales Alemannici tomo primo, part. 1. Italica febre confectum volunt. Ditmarus repentina morte extinctum. Witichindus fulmine ictum. Compilatio Chronologica, à Dæmonibus in puteum ignis in monte Ætna vivum præcipitatum, ſimulque vocem in aere auditam, recitantem hunc verſiculum.

Sic peccata lues, ſicque ruendo rues.

Poſtremum hoc repetit Bruſchius in hiſtoria Epiſcoporum Moguntinenſium.

Appropians urbi, quæ dicitur Heresburg) De hac urbe, ejuſque Idolo totius Saxoniæ tutelari, diximus prolixe in noſtra Irminſula, quo lectorem remittimus.

Ubi ille tantus infernus eſſet) Mimorum jocoſam Cantilenam hiſce Jambis dimetris expreſſit Georgius Fabricius Originum Saxonicar. lib. 2. *Quis*

Quis orcus uſquam tam capax
Rictu profundo? Franca qui
Tot contineret millia.
Unus dies quos abſtulit,
Pugnante forti Saxone.

Urbis quæ dicitur Grona) Non intelligit oppidum Gronaw agri Brunſuicenſis, multo minus Gruningam Epiſcopes Halberſt. oppidulum, ut Fabricius opinatur: ſed arcem Gronde ad Viſurgim antiquis ſcriptorib. non ignotam. Urſpergenſ. & Crancius ſcribunt Gruona, diplomata veterum Imp. Grunonaha. Habitaſſe illic unum ex quinque Palatinis Saxoniæ docuimus in noſtra Irminſula: Gronovium oppidum inſtauravit Sigfridus ex Dynaſtis Querfurdenſib. Epiſc. Hildeſianus, Colonis pagorum Empen, Leie & Beke in locum Leina fluvio undiquaque cinctum migrare juſſis, cui jure civitatis donato ab amœnitate agri paſcuorumque frequentia nomen fecit Gronaw / Anno Chriſti præter propter 300.

* Non poſſum probare, quæ Avus meus & hic, & in libello de Irminſula Saxonica ſcribit, unum ex Palatinis quinque Saxoniæ habitaſſe in *Gronde* ad Viſurgim, ſed potius arbitror Caſtellum *Grone*, prope Gottingam, ſedem fuiſſe Palatini, quod illo tempore, quo Fridericus I. Imp. contra Henricum Leonem exercitum in Saxoniam duxit; deſtrui cæptum eſt.

Thiadmarus ab Oriente) Hunc Fabricius in Originibus putat fuiſſe Burggravium Rorbeccenſem, Ditgremi Comitis Wetinenſis F.

Rex autem profectus in Bajoariam dimicavit cum Arnulfo.) Germani hiſtorici Arnoldi & Arnolfi nomina confundunt: Unde hic utroque appellatur. Filius fuit Luitbaldi Orientalis Bajoariæ Ducis ab Ungaris cæſi, ut continuator Reginonis ad annum 911. Mali cognomento à Monachis & ſacrificulis annalium ſcriptoribus dehoneſtatur, forte quod eorum avaritiam, petulantiam & libidinem nonnihil repreſſerit. Tragicam ejus mortem inculcat Andreas Presbyter Chronico Bavariæ, & Metellus Monachus Tegerſeenſis in Bajoaria Quirinalibus, ubi hoc ſubjicit ejus epitaphium:

Vivus pollebam faciens quæcunque volebam:
Innihilor ſub humo, ſic erit omnis homo.

Aventinus lib. 4. Virum prudentem, pacis ac belli artibus juxta præclarum fuiſſe & honeſta morte obiiſſe ſcriptum reliquit. Conjugem habuit Gerbirgam, ex qua ei filii Eberhardus, Arnulfus & Hermannus: filia una Juditha ſive Jutta, uxor Henrici ex Comite Saxonico Ducis Bavariæ. Arnulfus exceſſit ex hac vita anno Chriſti 937. Ut idem Aventinus.

Ibi, ut quidam tradunt, vulneratus revertitur) Non memini me apud quenquam ſcriptorum hiſtoriæ Germanicæ legiſſe, Conradum è vulnere accepto mortuum: neque de eo quicquam apud Cuſpinianum antiquitatis inveſtigatorem diligentiſſimum. Famam apud Saxones increbuiſſe patet e Chronico rithmis contexto, quod de obitu Conradi I. Imperatoris hæc habet.

Dha nach der König Vorgenant
Von dho hin an Beyerlandt
Mit viel groſſer Ritterſchapht /
Vph Hertogen Arnulphe der ihm mit Krapht
Ouch geghen turſte kommen.
Dha wart der König / han ich vernomen /
Verhowen und gar vorwund /
Dar her zu lande ungeſunt
Quam / und ir ſtarph an kurtzen tagen.

Vocat fratrem, qui eum viſitandi gratia adierat) De hac re ita Ekkehardus junior Monachus Sangallenſis de caſibus monaſterii ſui cap. 5. *Chounradus rex virili prole carens, Eberhardum autem fratrem habens ad regni gubernacula, ſi ſibi ſuperviveret, aſpirantem: ſenſit enim nec regno virtute quidem habilem, nec populo moribus acceptum rogantemque cum ipſe jam ſeneſceret, ut ſe populo commendaret, ſæpe fruſtravit. Incipiens autem mori clam loquitur fratri: video, ait, germane mi, & ſemper vidi, te à populo nolle accipi, ideóq; quod ſæpe rogaras, ne te contriſtarem, tacite diſtuli. Conſilium autem meum ſi nunc*

Digitized by Google

ſi nunc feceris, ut in Deum ſpero, inglorioſus non eris: Eſt in Saxonia, cui neminem in regno æquiparem ſcio Henricus quippe Comes, Mathilda conjuge clarus. Sumens ergo Coronam & ſceptrum nocte dieque accelera ad ipſum, teq; & regnum ei meis verbis in manus dato, & mei memores fore ambos rogato. Fecit igitur ut Rex juſſerat, veniensq; ſecretum comitis petit alloquium. Eliminatis omnibus, ipſe oſtium clauſit, chlamideq; exſuta ad pedes viro corruens, nimis ſtupenti, coronam & Sceptrum detegit, & quæ juſſus eſt, narrat. Cum ille inter cætera, ſi ſecum in fide, qua dixerat, ſentire vellet, omniaq; quæ tanto decerent facturum ſpoponderat. Hæc ille. Luitprandus lib. 2. cap. 7. rem geſtam ita narrat. *Septimo deniq; regni ſui anno, vocationis ſuæ ad Dominum tempus cognovit. Quumq; memoratos principes ſe adire feciſſet, ſolummodo Henrico non præſente ita convenit: Ex corruptione ad incorruptionem, Ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnoſco, & ut cernitis præſto eſt; proinde pacem, concordiamq; vos ſectari etiam atq; etiam rogo Me hominem exuente, nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præſidendi ambitio inſlammet. Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentiſſimum regem eligite, dominum conſtituite. Is enim eſt & ſcientia pollens, & juſtæ ſeveritatis cenſura abundans. His itaque prolatis, propriam coronam non auro, quo cujuſcunq; pene ordinis Principes pollent, verum gemmis precioſiſſimis non ſolum, inquam, ornatam, ſed gravatam ſceptrum & cuncta, quæ regalia ſunt indumenta, in medium venire præcepit, ac prout valuit, hujuſmodi verba effudit: hæredem regiæq; dignitatis vicarium regalib. meis ornamentis Henricum conſtituo, cui ut obediatis, non ſolum conſulo, ſed & oro. Quam juſſionem mox ſequitur interitus, & interitum eſt obedientia proſecuta. Ipſo namque mortem obeunte memorati principes coronam cunctaque regalia indumenta Henrico Duci contulerunt, atq; ut rex Conradus dixerat, cuncta per ordinem narraverunt. Qui regiæ dignitatis culmen & prius humiliter declinavit, & paulo poſt non ambitioſe ſuſcepit.* Hactenus Luitprandus.

His inſigniis, lancea ſacra, armillis aureis cum chlamyde) Quæ (Græcis ſunt βασιλικὰ, κειμήλια, ἐπίσημα καὶ σύμβολα) ſuo tempore regalia fuerint inſignia, quidque ſingula ſignificent declarat Gothfridus Viterbienſis Chronici parte 19. De iiſdem & quibus ceremoniis Romanorum Rex in Germania inaugurari ſolitus ſit, præclarè explicat Chronicon magnum Belgicum in hiſtoria Wilhelmi Comitis Hollandiæ electi Rom. Regis: videatur Aventinus libr. 7. deniq; Joan. Sleidanus Commentar. lib. 2. de Coronatione Caroli V. Imp.

Sepeliturque in civitate ſua Wilinaburg) Eundem locum emortualem Conradi Imp. habet Conradus Abbas Urſpergenſis. Apud Ditmarum Merſeburg, in edito exemplari lib. 1. fit mentio exequiarum defuncto Imperatori Limburgi factarum: verum in codice MS. legitur Vilini, quod aliquo modo ad Wilinaburgum accedit. Reginonis Continuator ponit Fuldam, cum quo facit Marianus Scotus lib. 3. Videatur Chriſtophorus Browerus Antiquitatum Fuldenſium lib. 2. cap. 7. ubi πάντα περὶ πάντων.

Pacem fecit, amicitiam promeruit quam fideliter.) Eberhardus Francus ſine dubio conſtans permanſiſſet in amicitia cum principibus Saxonicis colenda, niſi averſus fuiſſet à Giſelberto Lotharingo, quod innuit Ekkehardus Sangallenſis eo loco quem ſupra adduximus: ubi hæc verba ſubjungit. *Sed poſtea Lotharingorum Kiſilbertus Eburhardum caſtigatum cur honorem ſuum alieno dediſſet, Regi Saxonico rebellare ſecumq; ſentire perſuaſit.*

Cumq; ei offerretur unctio cum diademate à ſummo Pontifice) Marianus Scotus lib. 3. ætat. 6. *Poſt Papam ſecundus habetur Moguntinus Archiepiſcopus uſq; in hodiernum diem.* Joachimus Vadianus de Collegiis monaſteriiſq; Germaniæ veteribus. *Conſtat antiquos Germaniæ Epiſcopos ſumma ſemper dignitate præcelluiſſe, partim quidem, ob indulgentem principum, omnia illis honorifice deferentium, voluntatem, partim etiam propter exiſtimationem, quam doctrinæ & pietatis nomine ſibi conciliaſſent. Qua de re vulgo non ſolum Epiſcopi & Archiepiſcopi, ſed etiam pontifices, ac ſummi quidem, vocati ſunt, cum hodie Romano Epiſcopo prope ſoli id nomen ceu κατ' ἐξοχὴν tribuatur, vulgatiſſimum ante Præſulibus omnibus, præcipue autem Magonciacenſi (de noſtris enim loquor) cui ſummus inter Germaniæ Epiſcopos honos habitus eſt, & poſt eum Treverenſi & Colonienſi.* Vide præterea quæ ad hunc locum commentatur Bartholomæus Schobingerus ICtus, tomo tertio rerum Alamannicarum.

Herigerus erat) Ditmarus lib. 1. *Epiſcopalis unctionem benedictionis ab Herigero Archiepiſcopo*

chiepiſcopo exhibitam anteceſſorum more priorum, non deſideravit, nec ſuſcipere voluit ſed prorſus ad hoc indignum ſe affirmavit. De Herigero Archiepiſcopo, Pii nomen adepto, vide Bruſchium & Serrarium in hiſtoria Antiſtitum Moguntinenſium.

Burchardum Alemanniæ Ducem) Erchingero, qui Ducatum Alemanniæ, ſive Sueviæ, occuparat, juſſu Conradi regis ejus nominis primi decollato, ſuffectus eſt Sueviæ principum aſſenſu Dux primus Burchardus, gentis illius nobiliſſimus & virtutum dote probatiſſimus, verba ſunt Ekkehardi Junioris lib. de caſibus monaſterii Sangallenſis cap. 1. Ducatu potitus Burchardus degeneravit in tyrannum, etenim & Conrado primo Imp. & Henrico Aucupi rebellavit. Ut genero Rudulfo Burgundionum regi contra Berengarium opem ferret, Italiam ingreſſus eſt, ibiq; Novaria Eporegiam deſcendens per inſidias trucidatur anno 926. Ut Hermannus Contractus. Avaritiam ejus, imo ſacrilegia notat Hepidanus monachus Sangallenſis lib. 1. de vita Wiboradæ virginis cap. 30. In antiquitatibus Alemannicis tomo 2. parte 2. ſcribitur interemptus anno 925. Indict. 4. 2. Idus Novembr.

Videns autem Arnulfus, quod reſiſtere regi non ſufficeret) Quomodo Henricus Auceps Cæſar Arnolfum (aliis eſt Arnoldus) de lenifica oratione à bello ad pacem deduxerit, exponit Liutprandus lib. 2. c. 7. Conceſſit Imperator ei, quod ipſius majores non habuerant, nempe ut totius Ducatus ſui Bajoarici Pontifices ſuæ ditioni haberet ſubjectos, unoque defuncto fas haberet alterum ſurrogare.

Bellum famoſum actum eſt in Phontinith.) Prælium hoc commiſſum eſt an. 841. 7. Kal. Julii, tanta utrinque cæde facta ut nunquam ea ætas tantam ſtragem in gente Francorum antea editam meminerit, ut annales Francic. Nomen loci non eodem modo ſcribitur Nithardus lib. 2. Fontaneum: annales Francici villam Fontinatam: Odorannus monachus Fontanetum: Regino ad annum 842. Fontanedum: Lupoldus de Babenberg de juribus regni. Fontanith appellat. De diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii Imper. exſtant quatuor libri Nithardi Angilberti F. editi à Petro Pithœo.

Ex Orientalibus Francis) Agnoſcit eoſdem Otto Friſingenſis Chron. lib. 6. capit. 18. Regio ipſa Orientalis Francia inculcatur ab Annalibus Francicis ad Annum 824. Ditmaro lib 6. auctore hiſtoriæ belli ſacri edito à Reinero Reineccio lib. 1. cap. 24. Ottone Friſingenſi lib. 6. cap. 2. 6. 7. 8. & 16. Antiqua Francia dicitur ab anonymo ſcriptore vitæ Caroli Magni, quem edidit Henricus Caniſius. Vide lib. 1 capit. 25. lib. 2. cap. 16. Eandem appellationem reperias apud Aventinum libro 3. Teutonicam Franciam vocat Henricus IIII. Imperat. diplomate fundationis monaſterii Gotſaw dato Anno 1060. Item Lambertus Schafnaburgenſis. Complexa fuit Bajoariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Friſiam, ut idem Friſingenſis lib. 6. cap. 11. & inde Gothfridus Viterbienſis. Cum quibus conſentiens Rhenanus lib. 1. rerum Germanicarum ſic ait: *Francia Germanica totum regnum Germanicum complecti cœpit quod hodie Romanum Imperium appellatur.* Verum annales Francici anonymo auctore ad annum 820. & 823. Franciam orientalem à Saxonia Bajoaria & Alemannia diſcernunt. Secundum hos erit regio illa Germaniæ, quam hodie Franconiam indigitamus, vocabulo, ut Althamerus in Tacitum annotavit, novitio: Exſtat tamen apud Adamum Bremenſem lib. 1. cap. 8. Sigfridum presbyterum lib. 1. Gobelinum in Coſmodromio ætatis 1. cap. 7. ætatis 6. cap. 18. De eodem Crancius Saxon lib. 2. cap. 1. *Francia Germanica nunc per injuriam appellatur Franconia, cum verum illi Galli abſtulerint. Servant tamen nonnulli ſcriptores illi provinciæ ſuum nomen & honorem, ut Franciam vocent Orientalem &c.* Trithemius lib. 1. compendii annalium Franciam hanc orientalem primum pagum Moingaw, deinde Franciam dictam affirmat. Rhenanus lib. 1. rerum Germanicarum ſcribit etiam Auſtraſiam appellatam, unde colligo auctori anonymo vitæ Ludovici Pii ejus incolas Francos Auſtrales nominari.

Francorum Galliam inhabitantium) Intelligit Francos Occidentales, ut Friſingenſi in Chronico lib. 6. cap 8. & 10. appellantur. Franciæ occidentalis meminit Auſonius eidyllio 9. & Panegyricus incerti auctoris dictus Conſt. Imp. Hanc Luitprandus lib. 1. cap 6. & continuator Reginonis ad annum 939. Galliam Romanam appellant, quod homines Romane ibi loquerentur. De hac Aventinus lib. 2 *Gallia, Lugdunenſis & Belgica præreptæ ſunt Romano imperio & in Germaniam tranſlatæ: haſque noſtrates*

Francon-

Digitized by Google

Franconreich, hoc eſt, Francorum Imperium, regionem vero Germaniæ, unde Franci profecti ſunt, Franconland hoc eſt, Francorum patriam vocare ſolent, quod hic nati ſunt, illic imperent. Gallicos iſtos Francos Lupoldus de Babenberg cap. 3. de Juribus regni & imperii, & Æneas Sylvius de ſtatu Europæ ſub Friderico tertio Imp. cap. 31. non Francos, ſed Francigenas appellandos cenſent. Paulus Diaconus hiſtoriæ miſcellæ lib. 17. Gallos minores appellare videtur, nam Arbogaſten Ducem & parricidam Valentiniani 2. Cæſaris, quem ibi à gente illa propagat, alii Francum faciunt. Gothfr. Viterbienſis parte 17. Occidentalem Galliam inter Ligerim & Sequanam fluvios, olim Gaudinam (Sigfridus presbyter lib. 1. legit Caudiana) vocatam, ſed à Carolo Marcello Caroli Magni avo Franciam vel Francigenam appellatam affirmat. Addit Rhenanus Franciam Romanam Neuſtriam ſive Weſtriam dictam, id eſt, occidentale regnum. Et hactenus de Franciſ tam Orientalibus quam occidentalibus, quam diſſertationem claudam loco ex Chronico Sigfridi, qui ſic habet: *Carolus Martellus, Francos in duas partes diviſit, partem illam in qua Sequana & Lygeris, quæ Gaudiana dicebatur, currunt, Franciam & populos Francigenas, id eſt, à Francis genitos, appellavit, & in Teutonico Kerlingen idiomate ſuo: alteram vero partem in qua Rhenus currit, Franconiam, cujus populi Franci dicuntur.*

Odo vir fortis & prudens.) Chronicon Lauriſheimenſe Udonem vocat. De Odone alii aliter ſentiunt, derivant enim à Witichindo, cujus genus ad Witichindum Magnum qui cum Carolo M. bella geſſit, pertineat. Sed utrumcunque probaris, hoc tamen verum relinquitur, Hugonidas non, ut aliqui fingunt, Gallicæ, ſed Germanicæ originis eſſe.

Imperiumque Domini ſui gratia Imperatoris Arnulſi obtinuit) Regino ad ann. 895. *In eodem placito (Wormatienſi) Otto Rex (Franciæ) cum magnis muneribus ad Arnolfum venit, à quo honorifice ſuſceptus, omnibus impetratis, pro quibus venerat, in regnum revertit.*

Robertus filius Odonis ab exercitu Caroli occiſus eſt) Regino ad annum 922. *Sueſſionis inter Rudbertum & Carolum tanta pugna commiſſa eſt, ut pene ex utraque parte victores eſſent. Carolus tamen ori ſacrilego Rudberti ita lanceam infixit, ut diſſiſſa lingua cervicis poſteriora penetraret.*

Miſit & dolo eum cepit, poſuitque in cuſtodia publica) Heribertus Comes Virmanduorum infando ſcelere dominum ſuum regemque Franciæ Carolum dolo captum, vinculiſq; irretitum Paroviam devexit, tenebroſo recludendum domicilio, Fragmentum hiſtoriæ Franciæ apud P. Pithœum. Continuator Reginonis affirmat Carolum captum eſſe anno 924. Vide præterea Chronicon Frodoardi ad annum 923.

Quidam de Lothariis, nomine Chriſtianus) Vide Sigebertum Gemblacenſem ad annum 927.

Giſelbertum cui principatus regionis paterna ſucceſſione ceſſit) Giſelbertus, ut cum Witichindo Ditmarus & Contractus ſcribunt (nam Roſwithæ Poetriæ eſt Gisbertus: Luitprando Cremonenſi Gilibertus, Schafnaburg. Giſilbertus: Frodoardo & Sigiberto Giſlebertus, Hepidanno monacho in annalibus Kiſilbertus) patrem habuit Regnerum Comitem Montenſem, & matrem Aluradam. Ex Comite Lotharingiæ à popularibus, repudiato Carolo Simplice, Francorum rege, eligitur Dux. Potentiæ confiſus rebellavit Conrado Imp. anno 914. verum ſapientia & fortitudine ejus repreſſus eſt. Plura inferius.

Deſponſata ſibi filia Gerberga.) Nuptiæ celebratæ ſunt anno 929. Suffocato in aquis marito Gerberga nupſit Ludovico regi Franciæ 939. ut Continuator Reginonis. Epitaphium ejus conſervavit Pithœus, quod ſubjiciam:

Francorum ſpecimen, Francis memorabile nomen,
Hoc regina ſacro Gerberga locatur in antro.
Grandis honor regni, cui vita monaſtica cordi.
Hec era Remigio ſua rerum contulit almo.
Sol quintus Maii vidit quam crine reſolvi.
Remigii meritis cui detur vita perennis.

Item.

Regnum ſtirpe ſata, rebus ſpecieque beata,

 Jure

Digitized by Google

Jure ſuperlata Francis Gerberga vocata.

Robertus Gaguinus lib. 5. cap. 6. Eugebertham vocat.

Tertium Brunonem, quem ſummi Pontificis ac Ducis magni vidimus officium gerentem.) Bruno Henrici Aucupis F. natu minimus, quarto ætatis ſuæ anno Baldrico Trajectenſium Epiſcopo (quem Ditmarus ſupra octoginta, Gerhardus Noviomagus undeſexaginta annos præfuiſſe volunt) erudiendus traditur: in cujus contubernio cum prima Grammatices rudimenta mediocriter percepiſſet, Prudentium poetam Chriſtianum legere à præceptoribus juſſus eſt: cujus carmen adeo ei arriſit, ut auctoris lectione ſatiari non poſſet. Reliquorum præterea poetarum, hiſtoricorum, philoſophorum ac ſacrarum literarum lectione non minus delectabatur. Nullum deniq; erat ſtudiorum liberalium genus vel in Latina & Græca lingua, quod ipſius captum excederet. Ditmarus Merſeburgius ſcribit lib. 2. ſacerdotem quendam fuiſſe ecſtaticum, cui ſomnianti viſus ſit Chriſtus pro tribunali ſedens: adductum autem eſſe Brunonem archiepiſcopum & ob nimium philoſophiæ ſtudium accuſatum, qui cum ſupplex jaceret & pronus, ſurrexiſſe Paulum Apoſtolum, cauſamq; pro eo dixiſſe & obtinuiſſe. Commentum quidem ridiculum & inane, ſed quod teſtimonio eſt doctrinæ Brunonis & diligentiæ: Roſwitha poetria de ejus eruditione conſentit:

At Chriſtus patris ſapientia vera perennis
Tyronem refovendo ſuum Clementius iſtum
Ipſi dona dedit tantæ præclara ſophiæ,
Quod non eſt illo penitus ſapientior ullus
Inter mortales fragilis mundi ſapientes.

Atque hæc cauſa fuit cur Otto Imp. ei de dignitatibus eccleſiaſticis mature providerit. Etenim anno 947. nominatur Abbas: interfuit tum cum nonnullis aliis Archiepiſcopis & Epiſcopis Synodo Virdunenſi, de qua Frodoardus in Chronico. Ex annalibus monaſterii Lauriſhemenſis conſtat Brunonem ibi per annos quatuor abbatis munus ſuſtinuiſſe. Colonienſem Archiepiſcopen indeptus eſt Anno 953. ut idem Frodoardus & continuator Reginonis. Qua dignitate non contentus poſt quinquennium Ducatum Lotharingiæ à fratre Auguſto ſibi committi paſſus eſt. Inſolens hoc erat & nunquam antea in Germania auditum. Primi enim ejus Epiſcopi, Italicis Galliciſq; ſimiles, nec dominia ulla, nec imperia vel mera vel mixta, affectabant, memores utique doctrinæ Chriſti qua regnum ejus vel hac in parte ab imperio & gladio ſeculari ſeparavit. Sed ſortis ſuæ & officii ſeſe admonentes, hoc ipſum eſſe ſatagebant, quod dicebantur. Exemplum Brunonis ſecuti poſtmodum ex Prælatis alii, religione neglecta deſertaque ad dominatum & imperium ſeſe converterunt, ſimiliores facti ſatrapis, quam ſacerdotibus. Hinc locus de Epiſcopo Wirceburg. apud Adamum Bremenſem lib. 4. Cap. 5. Hinc Adelberti Archiepiſcopi Bremenſis ſtudium comitum juriſdictionem exterminandi. Æmilius Veronenſis hiſtoriæ Francor. lib. 9. ſcribit Brunonem inſolenter archiducis appellationem ſumſiſſe: à quo non recedit monachus Nuſſienſis in Chronico Belgico magno. Ineptum vero eſt, quod Witichindus Brunonem exemplo Samuelis excuſare nititur. Longè enim alia ratio erat vocationis Samuelis quam Brunonis, quem & filii Dei mandatum expreſſum diſertumque & ſalutaria Synodorum decreta, Imperatorumque Sanctiones ſalutares, pia denique ſuperioris ſeculi Epiſcoporum exempla ab omni gubernatione politica avocabant: Annotavit Aventinus hunc Epiſcopum fratris Auguſti auctoritate fretum, inter primos fuiſſe, qui reipublicæ munia obierint, cum hactenus Epiſcoporum ſtudium fuiſſet ſacras literas docere. In adminiſtratione tam Eccleſiaſtica quam politica oppido gnavus fuit & induſtrius: etenim diœceſis ſuæ libertatem, poſſeſſiones, ædeſque ſacras, quibus potuit modis, potuit autem multis, auxit, amplificavit, ſtabilivit. Bremenſem Epiſcopum juriſdictioni Eccleſiæ Colonienſis ſubjicere conantem repreſſit Adaldagus archiepiſcopus Hamburgenſis, uſus opera Erponis Diaconi, qui poſtea, auctoritate Ottonis Auguſti Verdenſis antiſtes declarari meruit. In Lotharingia Bruno latrocinia compeſcuit, rebelles domuit, & quietem ociumque reſtituit. Exemplum inſignitæ ingratitudinis, qua erga fratrem Auguſtum præclare de ſe merentem inconſulto conſilio uſus eſt, quibuſque modis malo gliſcenti tempeſtive remedium inventum ſit, exponit Ditmarus lib. 2. repetit inde Georg. Fabr. Origin. Saxon. lib. 3. Vi-

vendi

Digitized by Google

vendi finem fecit compendii 5. Idus Octobris an. 965. ut continuator Reginonis, cum duodecim annos in Epiſcopatu egiſſet. Defuncti corpus Ditericus Epiſcopus Metenſis agnatus Coloniam deportari, inque Cœnobio S. Panthaleonis humari curavit. Vitam Brunonis archiepiſcopi deſcripſit Rogerius Monachus Corbeienſis Saxo, ut Sigebertus & Trithemius. Meminit vitæ deſcriptæ Ditmarus, ſed auctorem reticet. Fuit in manibus collectorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magdeburgenſis, qui inde Brunonis archiepiſcopi epitaphium exſcriptum recitant, quod addo.

Fundite corde preces, lacrymarum fundite voces:
Ecce pater patriæ conditur in ſilice.
Regia progenies terras memoranda per omnes,
Bruno pacificus, vir bonus atque pius.
Archos Antiſtes, cui clara Colonia ſedes:
Viſus erat cunctis carus ubiq; ſuis.
Offendit tenebras lux viviciſſima terras:
Invida lingua tacet laus modo vera placet.
Non fuit hic mundus tam raro munere dignus:
Raptus ab hoc ævo jam fruitur Domino.
Idibus Octobris quinto Præſul duodenus
Vitæ conceſſit ſpes comes alma fuit.

Elogia ejus exſtant permulta. In curia Romana cum per Hadamarum abbatem Fuldenſem Epiſtolam ſuam Synodicam, in qua & fidei & Electionis ſuæ rationem reddidit, eo mitteret, appellatus eſt conſors & concivis apoſtolorum, princeps & propagator Domini præceptorum. Levoldus Northofius in Catalogo archiepiſcoporum Colonienſ. manuſcripto hæc de eo habet: *Viceſimus quintus Bruno ſub Ottone primo, ejus fratre, ſedit annos 12. qui dilectus Deo & hominibus fortis in bello, magnus in Pontificibus, quaſi ſol effulgens in Eccleſia Colonienſi, in conſpectu regum & principum magnificatus. Nam Imperatore fratre ſuo in Italia pro diſponenda republica moram faciente Galliæ & Germaniæ tutelam & procurationem ſuſcipiens, eandem prudenter ac ſtrenue adminiſtrabat, hoſtes reprimens, diſcordes pacificans, paci potiſſime ſubditorum invigilans & ſaluti. Unde Ducem Lotharingiæ, quæ à Rheno uſq; ad Moſam extenditur, rebellantem cœpit. Cui Imperator reverſus ipſum Ducatum abjudicavit & abſtulit, & dicto fratri ſuo Colonienſi Epiſcopo ob ſuam petitionem & magnificentiam ſuiſq; ſucceſſoribus & archiepiſcopis in perpetuum conceſſit.* Hæc ille. Adamus Bremenſis l. 2. c. 3. forte lapſu memoriæ Brunonem Ottonis M. filium vocat, quod cum veritate hiſtorica pugnare, ecquis noſtrum ignorat?

Aliam quoque filiam) Glaber Rudolfus hiſtor. lib. 1. cap. 4. Hadviden vocat, Cuſpinianus Adelheidam. Frodoardus ductam ſcribit Anno 938.

Erat namque ipſa domina regina filia Thiadarici.) ſubjiciam ſtemma ex hiſtoricorum & diplomatum fide concinnatum.

Tidericus Comes de Aldenborg, ut Gobelinus in Coſmodr. ætatis 6. cap. 47. de Ringelheim, ut Crancius Saxon. lib. 3. cap. 2. cum Gobelino faciunt Ertwinus in Chronico Oſnaburgenſi & Schiphowerus in annalibus Oldenburgicis MS. Witichindus monachus Thidericum arceſſit à ſtirpe Witichindi M. Saxonum exregis, lib. 1.

Reinhildis uxor Tiderici, ut Ditmarus lib. 1.

Rupertus, Archiepiſcopus Trevirenſis, ut Chronicon Belgicum magnum pag. 76.	Witichindus.	Immod fundator monaſterii Ringelheimenſis condidit arcē, quam de ſuo nomine Immodshuſam appellavit, hodie Imshuſen, paret nobilibus Steinbergiis	Reginbertus pugnavit contra Danos, eorumque incurſiones repreſſit. Witichindus Monachus.	Mechtildis uxor Henrici Aucupis.

Volcwart.	Immeth, ſive Sibeth. Immodus.	Emmiholt prima Abbatiſſa Ringelheimenſis.

Ab Immodo Juniore orti ſunt Immedingi, quorum genus ut clariſſimum celebrat Adamus Bremenſis, & ex eo prodiiſſe ſcribit Unwanum antiſtitem Hamburgenſem, ex hereditate divitem lib. 2. cap. 33. Abbas Urſpergenſis & ejus compilator Albertus Stadenſis eandem tribum Immidingiam egregiam & inclytæ Ottonum ſtirpi vicinam affirmant. Wilhelmus Nangius ſcriptor Gallicus toto cœlo errans Mechtildin, Aucupis conjugem, filiam facit Ludovici junioris, Cæſaris Arnolfi Imper. neptem, eique ſororem tribuit Placidiam, Conradi primi Cæſaris uxorem.

Iterum Ungari totam Saxoniam percurrentes) De hac Ungarorum in Saxoniam irruptione loquitur Adamus Bremenſis lib. 1. cap. 46. *In diebus ſuis Ungri non ſolum noſtram Saxoniam aliaſque cis Rhenum provincias, verum etiam trans Rhenum Lotharingiam & Franciam demoliti ſunt.* Repetit eadem Albertus Stadenſis & annum 921. apponit. Gobelinus in Coſmodromio ætatis 6. cap. 47. ſcribit, illuſtre cœnobium monialium apud Hervordiam Weſtphaliæ urbem tum deſtructum fuiſſe. Perantiquum fuit hoc cœnobium conditum tempore Caroli M. anno 789. admittente Witichindo Saxonum rege, ſumptu & ſtudio Wolderi Comitis ejus loci paternam hæreditatem ædi ſacræ impendentis.

Urbis Werlabon) Intelligit Werlam Weſtphaliæ urbem tunc Ducum Saxoniæ, hodie Epiſcopatui Colonienſi ſubjacentem.

Inde regnante Ludovico Imp. translatæ ſunt in Saxoniam.) De translatione S. Viti in Saxoniam extat legenda, quam Witichindo adjunximus. Qua occaſione idem ex Saxonia ad Rugianos in Mari Balthico penetrarit, ibique Jovis optimi maximi honores promeruerit, exponit Helmoldus. lib. 1. cap. 6. qui idem hoc idolum lib. 2. cap. 12. Zuantevit appellat. Vide plura apud Crancium in Wandalia lib. 2. c. 25. lib. 3. c. 35. lib. 5. 11. & 12. Legenda S. Ottonis Pomeranorum apoſtoli lib. 3. cap. 6. alium propinat Pomeranorum Deum, Hologaſtæ cultum, cui nomen Serovitus, officium res bellicas felicitate, qui ſine dubio à S. Vito degenerante promanavit.

Colito itaque tantum patronum) Scenæ ſuæ ſerviens auctor monaſterii Corbeienſis patronum S. Vitum Mathildæ reginæ, cui hanc hiſtoriam dedicavit, commendat, utque eum reverenter habeat, amica apoſtrophe hortatur.

Vilia autem nulla extra urbes fuere mœnia) Urſpergenſis abbas, qui hæc ex Witichindo exſcripta ſuo inſeruit Chronico, hoc modo legit: *Vilia aut nulla extra urbem erant munia.* rectius ut puto. Gobelinus eadem pene repetens addit. *Et mandavit* (imperator) *quod ſenior inter fratres quoſcunque deberet eſſe in exercitu regis & propter hoc ipſe tolleret patris exuvias, inter quas arma maxime reputabantur.... Et inde vulgo* Herewede *adbuc nominantur.*

Hevelli) Hevelli Slavi ſedes habuerunt ad Havelam Marchiæ fl. quem Annales Fuldenſes ad annum 789. Habolam vocant. Ditmarus Hevellungs Helmoldus lib. 1. cap. 2. Helveldes nominat, & eoſdem dicit cum Herulis.

Brennaburg) Expeditio hæc incidit in annum 928.

Adverſus quam jam olim) Hunc locum præclare illuſtrat Ditmarus ſtatim in initio libri primi, his verbis: *Henricus nobiliſſimo Ottonis & Hatui ſtemmate editus, ut arbor occulta excrevit à puero, & ut bonæ indolis gradatim enituit tyro, ſicut flos in vere novo. Iſq; à patre ſuo in provinciam, quam nos Teutonice Deleminci vocamus, Sclavi autem Clomaci appellant, cum magno exercitu dimiſſus, devaſtata eadem multum atq; incenſa victor rediit. Sed qualiter pagus iſte nomine hoc ſignetur, edicam. Glomazi fons eſt &c.* Hic locus in editione Ditmari Reinecciana mutilus eſt, deſunt enim verba: *Sed qualiter pagus iſte nomine hoc ſignetur, edicam.* Lacunam iſtam in gratiam lectoris ex MS. Ditmaro explere volui.

Urbem quæ dicitur Grona) Urſpergenſis legit Grava, quædam exemplaria habent Rietni, quædam Kiesni. De hac expeditione ad annum 928. ſic ſcribit Sigebertus: *Rex Henricus Gana urbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit*: ubi notandus error, legendum enim *urbem Daleminciæ capit, & Daleminciis tributum impoſuit.* Vide de hac re differentem Petrum Albinum in Chronico Miſnenſi pag. 78. 95. & 145.

Bohemorum urbem regemque) De appellatione Regis Duci Bohemiæ tributa dicemus infra lib. 3. Expeditionis adverſus Bohemos meminit Sigebertus ad annum 930. verbis ſequentibus: *Wenceslaus princeps Bohemiæ à rege Henrico obſeſſus, ſe & urbem regi dedit, & impoſitam Bohemiæ mulctam tributi pecuniam ſoluit.*

Digitized by Google

Redarii defecerunt à fide) Redarii, qui & Riaduri, nomen acceperunt à gentis metropoli Rethra, quam prolixe deſcribunt Adamus Bremenſis lib. 2. cap. 11. & inde repetit Helmoldus lib. 1. cap. 2. Redarios & Tolenzos Helmoldus alicubi pro eadem gente accipit. Hi ab amne Tolenſo nomen acceperunt, qui idem & ſedem eorum arguit: hi Stetinenſium fines inter Parum & Viadrum incoluere. Idem Adamus Bremenſis lib. 4. cap. 13. Rethram metropolim Slavorum vocat, quam hodie Stargardam dici opinatur Crancius Wandaliæ lib. 3. cap. 4. Idolum quod ibi fanum habuit, ab Adamo & Helmoldo vocatur Redegaſt: meminit Hieronymus Emſerus in vita Bennonis Epiſcopi Miſnenſis. Imago ejus deſcribitur in veteri Chronico Saxonico. Ditmarus urbem hujus nominis in pago Redariorum deſcribit lib. 6.

Wallisleu) Urbs Vallerſleba in Ducatu Luneburgico adhuc ſuperat. Chronicon Mindenſe MS. refert Carolum M. Schidræ (hodie Schir in comitatu Lippienſi) condidiſſe Epiſcopatum anno 784. qui à Brunone & Tanquardo Saxoniæ principibus primo Vallerslebam, deinde ab Henrico Aucupe Froſam, poſtremo ab Ottone M. Magdeburgum ſit translatus. Habet eadem Wernerus Rolevincius de laude antiquæ Saxoniæ part. 2. cap. 8. Vallerslebienſis Epiſcopatus ab Ottone M. Magdeburgum translati meminit etiam Crancius Metrop. lib. 3. cap. 28.

Jubentur obſidere urbem, quæ dicitur Lunkini.) Ditmarus lib. 5. Lunzin, Fabricius Orig. Saxon. lib. 2. Linichinum: Chronicon Quedlinburgenſe hanc urbem collocat ad Albim: erit igitur Leontium Lentz.

Cecidere etiam ex noſtris in illo prælio duo Liutharii.) Ditmarus Mersburgenſis Epiſcopus lib. 1. *Ex noſtris autem duo ab avi mei uno nomine, quod Luther ſonat, ſignati milites optimi & genere Clariſſimi, decus & ſolamen patriæ Nonis Septembris cum multis aliis oppetiere.* Sigebertus pugnam hanc collocat in annum Chriſti 931. Ut vero conſtet, qui fuerint hi heroes pro patria fortiter occumbentes, ſubjiciam familiæ Ditmari è paterni & materni generis ſatu ſtemma.

Lotharius, Dynaſta Walbecæ. Comes Saxonicus, proavus paternus Dithmari Epiſcopi Merſpurgenſis.
- Lotharius fundator Collegii Walbecenſis, Uxor Mechtildis
  - Lotharius uxor Godila.
    - Wernerus Marchio Bernburgenſis.
  - Sigfridus Comes Walbecenſis. — Cunegunda
    - Ditmarus Epiſcopus, Merſeburg.
    - Fridericus.
    - Bruno,
    - Sigfridus.

Lotharius Comes Stadenſis in agro Bremenſi proavus maternus Ditmari.
- Henricus Comes Stadenſis. Uxor —— Jutta
  - Cunegunda
  - Heidwigis.
  - Henricus, uxor Eila.
  - Udo.
  - Sigfridus.
  - Eila — Dedo à Wodeſwege dynaſta Saxonicus.
    - Gero Archiepiſcopus Magdeburg.

De Comitibus Walbecenſibus eorumque rebus geſtis pluribus egimus in Chronico noſtro Walbecenſi.

Rex dedit filio ſuo Oddoni conjugem) Continuator Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ Bedæ lib. 2. cap. 3. *Henricus Rex (Auceps) miſit ad Edelſtannum regem Anglorum pro duabus ſororibus ſuis Adgita & Egitta, quarum poſteriorem filio Ottoni collocavit; alteram cuidam Duci juxta Alpes nuptum dedit &c.* Item lib. eodem cap. 8. *Henricus primus Rex Teutonicorum & imper. Romanorum ſororem ejus (Ethelſtanni) filio Ottoni* deſpon-

deſponſavit. De duabus Regiis puellis ad Imperatorem miſſis conſentit Roſuitha in panegyrico, ſed ut in nominibus variet, unam enim Adiuam alteram Eaditham appellat. Quod ipſum nomen alii aliter ſcribunt Luitprando lib 4. cap. 7. eſt Orgit, Witichindo Edidis, Ditmaro Edit, Matthæo Weſtmonaſterienſi Eadgiva. Diplomata vetera habent Edgida, referente Georgio Torquato in Hiſtoria Archiep. Magd. MS. Notionem nominis inveſtigare conatur Reineccius lib. de Origine Myſeorum, quam feliciter judicet lector. De parente reginæ etiam variant ſcriptores, Witichindus libr. 1. & Ditmarus libr. 2. Ethmundum vocant, quibus adſtipulatur Frodoardus ad Annum 946. Roſuithæ & Cuſpiniano eſt Edvardus. Luitprandus non Adelſtanni ſororem, ſed ex fratre neptem indigitat lib. 4. cap. 7. Sed nec de anno nuptiarum Ottonis M. ſatis bene convenit. Continuator Reginonis collocat eas in annum 930. Gobelinus in annum ſequentem, in quem incidit memorabilis illa de Sclavis victoria, teſte Sigeberto, ut antea memini. Idem ſui oblitus, paulo poſt nominat annum nuptiarum 934.

Ludgardam, quæ nupſerat Conrado Duci Francorum) Conradus cognomento Rufus, patrem habuit Wernerum, fratres Hermannum & Udonem Comites. Ipſe à Socero Ottone M. (cujus filiam eodem anno, quo Editha regina mortem cum vita commutavit, conjugem duxit) conſtituitur Lotharingiæ Dux, & non multo poſt Burgravius Wormatienſis, unde ab Ottone Friſingenſi lib. 6. cap. 20. Dux Wormacienſis appellatur. Ekkehardus Decanus Sangallenſis in vita B. Notkeri Balbuli cap. 31. Cunonem & quidem Ducem Meranium appellat. Propter prudentiam & dexteritatem *in rebus* obeundis cognomen ſapientis accepit, teſtis Luitprandus lib. 4. cap. 16.

Heribertus gener Hugonis) Rodulphus Richardi Burgundionum principis filius, de voluntate Caroli Simplicis regis Francorum cum conſilio Hugonis Magni & procerum Franciæ in regem Galliæ ſublimatur, ut Odorannus monachus apud Pithoeum ad an 923. Mortuus eſt anno regni duodecimo 18. Kalend. Junii, ut Gaguinus lib. 5. Hiſtor. Francorum. Huic Rodolfo, quamdiu cum Imperio fuit, ſemper fuit contentio cum Heriberto comite Viromanduorum. Cauſam explicat Frodoardus ad annum 927. his verbis: *Inter Rodolphum regem & Heribertum comitem, pro Laudunenſi comitatu quem Heribertus Odoni filio ſuo dari petebat, concedente illum rege cuidam filiorum Rotgarii (comitis Laudunenſis) Rotgario ſimultas exoritur.* Colloquium Henrici Cæſaris cum Rudolpho Galliarum rege incidit in annum 935. ut Frodoardus.

Regem eorum nomine Nubam) Reinecci editio habet Chnuba: Sigebertus ad annum 927. Chuipia. Hujus nominis regem Dani in annalibus patriis non *agnoſcunt*, nec quenquam regum ſuorum ab Henrico Aucupe Chriſtianis ſacris imbutum volunt: Etſi continuator Reginonis de rege Dano per Aucupem ad Chriſtianiſmum pellecto conſentiat. Sed ut annum rei geſtæ ponat 931. Quæ de Danis hic dicuntur, de Iutarum parte, ac principe eorum aut regio præfecto, accipienda ſunt. Vide Ubbonem Emmium rerum Friſicar. lib 6.

Infirmitate correptus) Continuator Reginonis ſcribit Henricum Aucupem paralyſi percuſſum anno 935. & ſequenti vita exceſſiſſe.

Regum maximus Europæ) Nec victoriæ ab hoſtibus victis domitisque reportatæ neque potentia, fortitudine heroica, & ſingulari ſapientia confirmata, hujus excellentiſſimi principis animum ad ſuperbiam, quæ rebus ſecundis comes individua, inflectere potuerunt. Fortunam, quam ſecundam expertus fuit, habuit reverenter, ſuamque modeſtiam omnibus probavit, unde cognomentum Humilis meruit. Habet id narratio de vita Ditmari Epiſcopi Mersburgenſis annexa Chronico Ditmari: habet Hartmannus Schedel in magno ſuo Chronico Noribergæ excuſo.

Erant autem dies quibus regnavit 16 anni) Ditmarus lib. 2. *Poſt innumera virtutum inſignia idem* (Henricus Auceps) *decurſo vitæ ſuimet ſtadio, ſexto decimo regni, ætatis autem ſuæ ſexageſimo anno, ſexto Non. Julii in Miminleve moritur, & in Quidlinburg, quam ipſe à fundamento conſtruxit, ſepultus à cunctis optimatibus regni defletur. Accidit hoc anno Dominicæ incarnationis 936.* Hæc ille. A quo nec Continuator Reginonis, neque Hermannus Contractus diſcedunt. Solus Sigebertus Gemblacenſis annum 937. inculcat. Exſtat in privilegiis Eccleſiæ Bremenſis diploma, quod hoc modo clauditur. *Data 19. Kalend. Junii. Anno Dominicæ incarnationis 935. Indictione 8. anno autem Henrici regis 17. Actum Diusburg in Dei nomine Amen.*

Hic in numeris non ſemel aberratum, Lector attentus facile animadvertet. AD

Digitized by Google

AD LIBRUM SECUNDUM NOTÆ

A*Quas grani palatii*) Ptolemæo Galliæ Belgicæ urbs. Nithardus lib. 4. vocat Aquis Palatium, additque ſedem primam Franciæ fuiſſe: Regino lib. 1. ſimpliciter Aquas appellat, unde noſtrum Ach.

Eſt autem locus ille proximus Julo) Intelligit Juliacum, Ducatus Juliacenſis metropolin, ſic enim à Marcellino lib. 17. & Antonino in Itinerario nominatur, vulgo creditur à Julio cæſare conditum & appellatum.

Congregati in ſiſtorio baſilicæ magni Caroli) Reinecciana editio ex codice MS. legit Xyſto. Erat autem Xyſtus Latinis porticus tecta, ubi athletæ per hiemem exercebantur. De qua Cicero in Bruto: cum ambularem in Xyſto & eſſem ocioſus. Inde Xyſtici gladiatores, qui non in arena, ſed porticu & ambulacris hiberno tempore pugnabant.

Baſilicæ Caroli Magni) Joachim. Vadianus lib. 2. de collegiis & monaſteriis veteribus Germaniæ: *Ambroſius Baſilicas vocat domus Chriſtianorum publicis conventibus conſecratas, in quibus ſacræ lectiones & tractatus, & præterea & orationes & Miſſa, hoc eſt, Cæna dominica, peragitur, id quod abunde ex libro epiſtolar. ejus quinto colligitur. Veteres publicis uſibus deſtinatas ædes baſilicas dicebant in quibus judicia exercebantur, quæ hodie in pluſculis Italiæ urbibus nomine licet mutato, durant. Vero ſimile autem eſt primos Chriſtianos id genus palatiis principum favore uti cœpiſſe, atque exinde extructis templis ad cultum Chriſtianum conſecratum nomen baſilicarum relictum eſſe.* Hactenus ille. Baſilicam Aquisgranenſem à Carolo Magno exſtructam affirmat Eginhardus in vita Caroli M. colonienſe chronicon exprimit tempus, nimirum annum Chriſti 796.

Summus Pontifex Hildebertus) A nonnullis vocatur Heribertus, fuit duodecimus abbas Fuldenſis. Bruſchio appellatur Hildebrandus & quidem Oſtro-Francorum Dux, contra annalium veterum fidem.

Trevirenſis videlicet & Coloniæ Agrippinæ) Trevirenſis archiepiſcopus tempore coronationis Ottonis M. erat Rupertus, quem chron. Belgicum Mathildis Auguſtæ conjugis Henrici Aucupis fratrem facit. Coloniæ præſulem agebat Wigfridus.

Lothariorum Dux Giſelbertus) Quos Widechindus Lotharios appellat, Frodoardo ſunt Lotharienſes, Hepidanno in Annalib. Choldarii, Ditmaro lib. 2. Lutharingii, Schafnaburgenſi Lutharii. Ipſa regio Widechindo regnum Lotharii: Frodoardo & Aimono monacho lib. 5. cap. 48. regnum Lotharienſe. Unde nomen Lotharingiæ promanavit, nempe à Lothario, Ludowici pii filio & in imperio ſucceſſore, exponunt Regino lib. 2. Marianus Scotus lib. 3. ætat. 6. Otto Friſing. lib. 5. cap. 35. & alii. Pſeudo Turpinus ſcriptor vitæ Caroli M. cap. 11. improba & flagitioſa audacia inculcat Garinum Lotharingiæ Ducem, Caroli M. in bello Hiſpanienſi comitem. Pugnavit autem Carolus in Hiſpania contra Waſcones & Navarros, ut annales Fuldenſes & Contractus anno 778. & poſt ſexaginta quatuor præter propter annos primum Lotharingiæ nomen auditum eſt.

Giſelbertus, ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat) Temporibus Carolorum & Ottonum in imperio Romano Ducatus non erant hereditarii, ſed à Ducibus, tanquam præſidibus & legatis adminiſtrabantur. Hi neceſſe habebant Imperatoribus, & regibus, provinciam ipſis demandatam ingredientibus, de rebus neceſſariis providere.

Herimannus Franco) Hæc verba cum ſequentibus nonnullis in editione Reineccii omiſſa ſunt.

Sigfridus vero Saxonum optimus) Sigfridum Ditmarus lib. 2. Comitem vocat Merſburgenſem.

Percuſſitque Bolizlaf fratrem ſuum virum Chriſtianum) Boleslaus Uratislai F. Bo-

realis Bohemiæ princeps, homo crudelis Wenceslaum fratrem germanum, ad ſe Boliſlaviam ſub ſpecie convivii vocatum, in templo nefario auſu obtruncavit, ſicque toto principatu audacia & ſcelere parto potitus eſt. Cædem contigiſſe volunt 28. Septembris, de anno ſcriptores diſſentiunt. Plura invenias apud Æneam Sylvium hiſtoriæ Boemicæ cap. 15.

Timenſque ſibi vicinum ſubregulum) Veterum germanorum inſtituta inveſtiganti offerunt ſe in magiſtratibus Reges, Regales, Reguli, ſubreguli, videatur Ammianus Marcellinus lib. 17. & alibi ſubregulos Francorum Sunnonem & Marcomerem nominat Gregorius Turonenſis hiſtoriar. lib. 2.

Merſaburiorum & valida manu Haſſinganorum) Hi aliis hiſtoricis ignoti ſunt. Fabricius in Originib. putat eſſe Thuringos & Haſſos. Pagus Haſſegum, qui idem & provincia indigetatur, extat apud Dithmar. lib. 7.

Ad quartum decimum regis Imperii annum) Mirum eſt tam diu potuiſſe protrahi bellum Boemicum. Ditmarus videtur innuere Boleſlaum in hac expeditione captum, & Henrico Bavariæ Duci cuſtodiendum traditum, atqui ille anno 947. Ducatum Bavariæ indeptus eſt, bellum vero Boemicum cœpit 939. Boleſlaus reconciliatur Ottoni anno 950.

Tancmari filii ſui) Sigeberto Gemblacenſi dicitur Tagmarus, Ditmaro lib. 1. & 2. Tammo, Continuator Reginonis Dancmarum appellat, additque fuiſſe ex concubina genitum. Adi Irminſulam noſtram uberius de hac re diſſerentem

Elegitque ad hoc officium virum nobilem) Mirari ſatis non poſſum Albertum Cranciuni, & qui eum ſequuntur magno numero, eo prolabi potuiſſe, ut crederent vera eſſe, quæ de Hermanni Bilingi obſcuris natalibus ac re domeſtica peranguſta Adamus Bremenſis, neſcio quo conſilio, hominibus perſuadere conatus eſt. Unicus hic locus potuiſſet eos admonere Adamum à veritate diſceſſiſſe. Vocat virum nobilem, qui vero illi iſto & ſequentibus aliquot ſeculis? Nonne Dynaſtæ ſive Barones? Sed de hac re prolixe egimus in vindiciis Billinganis, quibus inveteratam illam opinionem abundè refutavimus.

Poſt hæc antiqui hoſtes Ungari) Ungari Saxoniam ingreſſi ſunt anno 938. ut Contractus. Mindenſe Chronicon variat, cujus verba hæc ſunt: *Hoc tempore Sanctimoniales in Overenkerken cum clericis & familia ſua numero centum & viginti orto anno verbi incarnati tempore Ottonis Magni ipſo die SS. Felicis & Audacti ab Ungaris occiſæ ſunt. Verſus:*

Anno Nongento ter X. ſexto ſimul anno.
Tunc Overenkerken occiſæ ſunt moniales.

Poſt annum ſequentem Ungari iterum à Saxonibus graviter cæduntur. Hæc ibi. Antiquitates Tremonienſes volunt agmen Ungarorum in agro Tremonienſi ad internecionem cæſum. Appellatur enim in hodiernum diem non modo rivus quidam, haud procul à porta Aquilonari in loco aquoſo, Die Hunnentrencke / Hunnorum aquatio, ſed etiam ampliſſima ſolitudo ab eadem porta aliquanto remotior, die Streitheide / Campus pugnæ, in quo aliquando graviter depugnatum eſſe etiam oſſa & arma ſæpe cum ex terra effoſſa tum in cavis arboribus reperta, oſtendunt. Verba ſunt Davidis Chytræi Saxoniæ lib. 16. Meminit etiam in brevi ſuo Chronico Tremonienſi Ditmarus Mulherus amicus meus, diſertim exprimens tempus pugnæ nimirum annum 937.

Civitatem illius vocabulo Elveri) Reinecciana editio legit Elmeri, cum qua facit Urſpergenſis, qui hæc de verbo ad verbum exſcripſit. Quæ lectio ſi proba eſt, forte civitas de qua loquitur erit Elmershuſen in ripa Viſurgis. Si altera lectio retineatur, intelligi poterit Hilvershuſa monaſterium in ejuſdem Viſurgis ripa.

Dedecore canum, quos portabant) κυνοφορία pœna fuit militaris, ut Arnoldus Lubecenſis lib. 7. cap. 2. Otto Friſingenſis. lib. 2. de geſtis Frid. Barbaroſſæ de ea hunc in modum ſcribit: *Denique vetus conſuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut ſi quis nobilis, miniſterialis vel colonus, coram ſuo judice pro hujuſmodi exceſſibus reus inventus fuerit, antequam mortis ſententia puniatur, ad confuſionis ſuæ ignominiam, nobilis canem, miniſterialis ſellam, ruſticus aratri rotam, de comitatu in proximum comitatum geſtare cogatur.* Hæc ille. Gunterus Poëta in Ligurino lib. 5. verba Friſingenſis ſequentib. expreſſit verſib.

Digitized by Google

Quippe vetus mos eſt, ut ſi quis, rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel ſeditionis apertæ
Turbine, ſeu crebris regnum vexare rapinis
Audeat: ante gravem quam fuſo ſanguine pœnam
Excipiat, ſi liber erit, de more vetuſto
Impoſitum ſcapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre,
Sin alius ſellam.

Locus Arnoldi Lubecenſis, cujus memini, ita habet: *Quæ præſumptio* (ſcilicet excœcatio Henrici Decani Magdeburgenſis) *hoc modo mulctata eſt, ut mille marcas argenti injuriato perſolveret, & de feudo ſuo ad centum marcas argenti eccleſiæ majori reſignaret, & cum multis nobilibus hominium ei faceret, & cum quingentis militibus militarem ei pœnam perſolveret, id eſt, ut ſinguli milites de loco perpetrati ſceleris, uſque ad fores majoris eccleſiæ caniculum deferrent.* &c. Locum hunc ex Widechindo, auctore non nominato, in ſuam Saxoniam transtulit Crancius, & moris antiqui ignarus corrupit, pro *portare canes* ſcribit *deducere* canes, quem errorem interpres Germanicus, alias vir doctiſſimus, etiam erravit, legatur Saxon. lib. 3. cap. 15. Videtur pœna hæc militaris tempore Ottonis uſitata ſequentibus ſeculis obſoleviſſe, demumque Friderici Barbaroſſæ tempore uſurpata. Argumento ſunt verba Friſingenſis loco ſupra citato: *Hoc tam diſtricto judicio per totam Tranſalpini Imperii latitudinem promulgato, tantus omnes terror invaſit, ut univerſi magis quieſcere, quam bellorum turbini inſervire vellent.* Meminit hujus moris etiam Dodechinus ad annum 1155. qui locus docet nos, in alia etiam cauſa & culpa ignominiæ hanc canum geſtationem impoſitam.

Tranſtulit rex reliquias Innocentii Martyris) Otto M. inſtinctu conjugis Edithæ, civitatem Magdeburgenſem ædificare cœpit & reliquias Innocentii eo deduxit, Ditmarus lib. 2. Addam diploma ejuſdem Imp. quod de hac translatione loquitur. *In nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente gratia rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos ob amorem Dei & noſtræ animæ remedium, in loco Magdeburg nominato eccleſiam conſtruximus in honore S. Petri apoſtolorum principis & S. Mauricii atq; Innocentii. Ad hanc eccleſiam eandem ad nutrimen plebis inibi Deo famulantis & ſanctis ejus, ob remedium animæ noſtræ & patris noſtri, nec non dilectiſſimæ matris noſtræ & conjugis, cujus & prædictus locus dos fuit, & prolis noſtræ omniumq; debitorum noſtrorum & Rodolphi regis, qui nobis ſanctum tranſmiſit Innocentium, telonium omne quod in Magdeburg conſtitutum eſt, vel conſtituetur, in proprium damus & concedimus eidem congregationi, quod familia eorum coram nullo niſi Advocato eorum juſtitiam ſecularem cogantur agere. Quod ſcripto roborari juſſimus, manu noſtra firmavimus, annulo noſtro ſignari præcepimus.*

Signum Ottonis invictiſſimi Regis.

Poppo Cancellarius ad vicem Friderici recognovi.

Data V. Kal. octob. anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVII. Anno regni Ottonis piiſſimi ſecundo. Actum in Magdeburg. Amen.

Arnulfus Bajoariorum Dux) Arnolfus Dux obiit anno 937. ut Contractus, pridie Id. Julii, ut Aventinus lib. 4. In matrimonio ejus fuit Geribilga, ejus liberi & quæ alia huc pertinent, ſupra à nobis indicata ſunt. Parente mortuo Eberhardus Arnolfi filius, quod natu maximus eſſet, non expectato Cæſaris conſenſu, principatum in Bajoaria invaſit. Fratres natu minores Arnolfus & Hermannus & ipſi imperium ambiunt. Bertholdus patruus horum, nepotes officii admonet, expectent Cæſaris ſententiam: morte beneficiarii, beneficium ad ſummum principem rediiſſe: ſed hæc ſurdis audiebantur auribus.

Rex autem tranſivit in Bajoariam & rebus ibi rite compoſitis) Imperator rebelles ad officium reducturus, Ratisbonam aliquot menſes obſeſſam ad deditionem cogit, Eberhardum ferocius reſiſtentem capit, & in Sueviam relegat: Arnolfum & Hermannum curatores templi Friſingenſis, præfectos prætorio declarat, quæ tum primaria erat dignitas. Ducatum Bajoariæ Cæſar committit Bertholdo Arnolfi ſenioris germano eique neptem ſuam ex ſorore Gerbingam (Bruſchius Wiltnudam vocat) Giſilberti Ducis Lotharingiæ filiam deſpondet. Sic tranquillata eſt Bajoaria. Rediit non

 multo

multo poſt ad ſuos Eberhardus, ſed denuo rebellans iterum exſulare juſſus eſt. Continuator Reginonis ad annum 938.

De legum quoq; varietate) Adi Sigibertum Gemblacenſem ad annum 942. & Chron. Belgicum pag. 78. Villa *Stela*, quæ hic nominatur, eſt in Weſtphalia, è regione Werdenæ Imperialis monaſterii ad Ruram fl. hodie Steil. Solebant veteres duellum ſive monomachiam adhibere ad eruendam alicujus rei probationem, aut purgationem inducendam, ut qui ſe ſic probaturum purgaturumve aliquid offerret & vinceret, probaſſe putaretur. Verum hæc monomachiæ probatio non divina tantum, ſed & civili lege eliminata eſt.

Ad placitum juxta juſſum venire) Placitum Latinè decretum dicitur, Græcè δόγμα καὶ ψήφισμα καὶ ἀρεστόν, Budæus in l. ult. de Senatoribus. Mediæ ætatis ſcriptoribus, placitum ſignificat comitia, ſive conventum procerum publicum. Placiti lex Salica & Alemannica crebram faciunt mentionem, nec tacent vocem annales noſtri. Exempla adducam? neceſſe non puto, ubivis ſunt obvia.

Præſidium quod dicitur Badiliki) Intelligit auctor oppidum Bellick, infra Rudenam ad Ruram comitatus Marcani in Weſtphalia fluvium. Roſuitha poetria & monialis Gandersheimenſis in panegyrico depravate vocat Badulinum: Continuator Reginonis Badalikki. Henricus Claudus in diplomate quodam, cœnobio Gandersheimenſi anno 1009. dato, curtim Badelicka per concambium accipit, & monaſterio concedit Daleheim in pago Ambraha. Crancius Saxon lib. 13. cap. 15. toto cœlo errans ex Badilico, conjectura audaci & præpoſtera facit Bardevicum. Quem errorem ſequuntur Spangenbergius & alii. CL. Peucerus locorum ignarus, nec tamen Cranciurn ſequi volens, Baſilicum nobis obtrudit.

Gerhardus Udonis filius fratris Hermanni Ducis) Hermannus Sueviæ, ſive Alemanniæ Dux, fratrem habuit Udonem, quo natus eſt filius Gerhardus, interfectus in bello Tancmari & Eberhardi Franci. CL. Reineccius appendice altera ad Helmoldum Buzovienſem Udonem hunc inſerit familiæ Billinganæ, ſed minus recte. Udonis Alemanni meminit Liutprandus lib. 4. cap. 10. & 16. præterea Roſuitha poetria in panegyrico & Urſpergenſis in Chronico.

Cepit urbem, quæ dicitur Heresburg) De Heresburgo ejuſque variis appellationibus, expugnatione, inſtauratione, idolo, variaque fortuna diximus in Irminſula noſtra, quò lectorem remittimus.

Wigmannus autem, qui ſe primum alienavit à rege) Intelligit Wichmannum ſeniorem Hermanni Billingii fratrem. Ditmarus comitem vocat: elogium ejus ſupra initio hujus libri audivimus.

Eccleſiam à Leone Papa beato Petro apoſtolo dedicatam) Videatur Cardinalis Baronius tomo nono annalium eccleſiaſticorum. Meminit etiam Theodoricus Niemius dedicationis fani Ereſpurgenſis à Leone Papa factæ.

Biertanico poſtea bello) Biertana nominatur apud continuatorem Reginonis ad ann. 939. Liutprandus lib. 4. Bierzum appellat & ad Rhenum collocat. Commiſſum ibi eſt prælium inter Henricum fratrem & Giſelbertum ſororium regis, Eberhardo Franco conjunctos, & Ottonem Auguſtum, in qua pugna Henricus vulneratus eſt, Giſelbertus & Eberhardus fuga ſibi conſuluerunt.

Fœdus itaq; invicem percuſſum) Æque inhiabant Imperio Henricus Cæſaris frater, Eberhardus Francicus comes, & Giſelbertus Lotharingiæ Dux. Poſteriores duo Henricum cupiditate regni incenſum ſpe ejus conſequendi facta à fratre alienabant, etſi nihil minus quam hoc cogitarent. Giſelbertum à rebellione alienum Eberhardus homo callidus & verſipellis ſimiliter promiſſione regni ad res novas animabat, quamvis ipſe coronam regni ſibi deſponderet. Etenim cum aliquando conjugem in ſinu foveret, dixiſſe fertur: *Secundare in gremio comitis, brevi lætatura in amplexibus regis.* Verum fraudulentæ machinationes à Deo magiſtratus legitimi protectore eluſæ ſunt & eliſæ. Videatur Liutprandus lib. 4. cap. 9. & 10.

Super litus Bodæ fluminis) Boda fluvius diœceſin Halberſtadenſem perfluens, & ad monaſterium Munchenaumburgenſe in Salam ſe exonerans, notus eſt vel in vulgus.

Stiederaburg) Intelligo Stederburgum olim firmiſſimum Saxoniæ propugnaculum, anno 1000. in monaſterium monialium converſum, de quo hiſtoria Gerhardi Præpo-

Præpoſiti Stederburgenſis à me primum evulgata, quod olim fuit in diœceſi Halberſtad. cœnobium. Videatur Cranciu s Saxoniæ cap. 130.

Trimming) Intelligit ſaltum qui hodie nominatur Der Drömling: de eo Torquatus in chron. Magdeburg. & Halberſtadenſi MS. iſta annotavit. *Ad Orbæ ripam & præterfluentem Alarim ſaltus eſt* Drömling *haud procul ab Oviſfeld, qui à Vosfeld, opidulo quodam auguſto porrigitur usq; ad Calvordam per milliaria quatuor, cum latitudinem habeat vix ſesqui milliariorum. Attingit confinia Brunſuicenſis Ducatus marchiæ Brandenburgenſis & Archiepiſcopatus Magdeburgici. Eſt autem conſitus arboribus ut plurimum betulis, alnis, corylis: fagis & fraxinis, ex quibus varia inſtrumenta domeſtica facta in longiſſimas quasque regiones deportantur, non ſine ingenti lucro accolarum. Habet vero nomen à ceſpitibus herbidis editioribus, qui aquæ innatant, quibusq; exciſarum arborum trunci inſiſtunt. Eſt & totus uliginoſus ita ut nihil ibi effici poſſit, niſi exſiccetur, vel æſtu nimio, vel frigore intenſiſſimo congeletur. Alit quoque feras nobilium venationibus reſervatas.* Hæc ille.

In loco qui dicitur Salaveldun) Infra vocat locum conſiliis funeſtum.

Quæ dicitur Trothmanni) Tremonia, ut hodie eruditis nominatur, urbs eſt Imperialis in illuſtri Weſtvaliæ Comitatu Marcano. Nomen ei datum à Trutmanno viro illuſtri, quem Carolus M. Saxonibus ad Chriſti religionem perductis Comitem adornavit anno 788. diploma adhuc supereſt, quod propter venerandam antiquitatem integrum ſubjiciam. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina ordinante gratia rex. Si Domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus in illo & non in nobis gloriamur: & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem & in perpetuo futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Propterea omnes Chriſti fideles noverint, quod Saxones, quos à progenitoribus noſtris ob ſuæ pertinaciæ perfidiam ſemper indomabiles, ipſiq; Deo & nobis tamdiu rebelles, quousq; illius, non noſtra virtute, ipſos & bellis vicimus & ad baptiſmi gratiam, Deo annuente, perduximus priſtinæ libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſique tributarios & ſubjugales devote adduximus, eoſque in fide Chriſtiana retinere optamus, & perſeverare cupimus. Quapropter in illa parte Saxoniæ Trutmannum virum illuſtrem ibidem comitem ordinamus, ut reſideat in curte ad campos, in mallo publico, ad univerſorum cauſſas audiendas vel recta judicia terminanda. Isque advocatum omnium preſbyterorum in Saxonia fideliter agat, ſuperq; vicarios & ſcabinos, quos ſub ſe habet, diligenter inquirat, & animadvertat, ita ut officia ſua ſedulo peragant. Tandem idem comes omnia ſibi ſingulariter à nobis præſcripta toto conatu & totis viribus perficiat, & ita memoratus noſter comes Trutmannus bene ingenuus atq; ſecurus exiſtat. Et ut iſta ingenuitatis pagina firma ſtabilisq; conſiſtat, manu propria ſubſcripſimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.*

	L	
Signum	KAR	*Karoli*
	U	
Regis	S	*inviſtiſſimi*

Hildebaldus archiepiſcopus Colonienſis & ſacri palatii capellanus recognovi. Data IV. Kal octob. anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIIX. Indictione XII. Anno autem regni Domini Karoli XXI. Actum in villa Trutmanni feliciter. Amen.

Diverſimodè ſcribitur ab Hiſtoricis & in diplomatis: Otto tertius Trotimaniam anno 993. Henricus Claudus Druthmanniam: continuatori Reginonis ad annum 953. eſt vicus Droomanni: Ditmaro lib. 6. Trotmunni: Gobelino ætatis 6. cap. 48. Trotmunda: chronico Turingico apud Piſtorium Trudmunde. Antiquitates hujus urbis delibat Chytræus lib. 16. Saxon. prolixe explicavit Ditmarus Mulherus, ejus urbis civis literatus & multæ lectionis. Theodoricus de Niem ſcriba quondam Pontificius, deinde Verdenſis & Cameracenſis Epiſcopus Nemoris Unionis tractatu 6. cap. 33. quem Labyrinthum vocat, ſcribit ſuo tempore nationem Weſtphalicam in caſibus juris dubiis deciſionem Tremonia petiviſſe. Addit etiam quomodo Carolus IIII. Caſtrum hoc Imperio eripere & ad Colonienſem eccleſiam transferre, fruſtra tamen, conatus ſit.

Pontificem Bernbardum à Rege miſſum) Loquitur de Bernhardo antiſtite Halberſtadenſi ſeptimo, quem Epiſcopatui quadraginta octo annis præfuiſſe ſcribit Ditmarus. Interfuit Synodo Ingelheimenſi teſte Frodoardo ad annum 948. nominatur ibi Bernhardus Alfurteſtidenſis Epiſcopus. Obdormivit 3. Non. Febr. eodem anno quo ex hac vita exceſſit Wilhelmus archiepiſc. Moguntinus, nimirum 954. ut Marianus Scotus & Lambertus Schafnaburg.

Satis ocioſe) Reineccius legit *ſcioſe*.

Xantum) Urbs hæc eſt in littore Rheni apud Belgas, hodie Santen. Otto Friſingenſis affirmat olim Trojam vocatam. Petrus Cratepolius in annalibus Arch. Colonienſium ſcribit, hanc urbem & Bonam quondam inſignes fuiſſe urbes, conditas anno Domini 280. Ducibus Trojade & Torgeto, & ab iſtis duobus hominibus & oppidis ſucceſſu temporum Clivenſes, Juliacenſes & Geldrenſes ortum habuiſſe. Chron. Belgicum magnum vocat Trojam minorem, additque habitaſſe ibi Haganonem Trojanum, qui fuerit avunculus Theodorici primi comitis Hollandiæ. Sed quis hic non agnoſcat putida ocioſorum monachorum ſomnia & mera mendacia? Plenius & rectius de tota re Stephanus Vinandus Pighius in Hercule prodico.

Mersburg & Schidingi) Mersburgum civitas Epiſcopalis in Thuringia nota eſt. Schidinga ad Unſtrum inter vetuſtiſſimas Thuringiæ Urbes numeratur. Nam bello inter Theodoricum Francorum & Ermenfridum Thuringorum reges flagrante, ipſa à Saxonibus obſeſſa eſt, Urſpergenſis depravate vocat Schindingari.

Regi autem poſt victoriam) Locus hic in editione Frechti corruptus extat: quod animadvertit etiam Wolfgangus Hungerus in annotationibus ad Cuſpiniani cæſares. Rectius legitur in editione Reinecciana.

Ad triginta fere Principum barbarorum) Circumferuntur rithmi, qui idem de Gerone teſtantur.

Zu Lauſnitz erſter Fürſt was Ich
Dreiſſig Wendiſch Heern tödtet Jch.

Abotriti rebellaverunt) Reginoni lib. 2. Abotrudi: Helmoldo Obotriti & Obotritæ terram poſſederunt Megapolenſem. Alio nomine appellatos fuiſſe Reregos autor eſt Adamus Bremenſis lib. 2. c. 10. & lib. 3. c. 22. Militarunt Carolo M. translatisque in Franciam Saxonibus Transalbianis, ipſi pagos vacuos poſſidendos acceperunt. Principes eorum in annalibus vetuſtiſſimis nominantur Wizan, Ceadrogo, Selaomir, Tabamuizil, Traſco, Thraſugo.

In arce quæ dicitur Kievermont) Reginonis continuatori dicitur Capræmons. Liutprandus lib. 4. cap. 19. vocat caſtellum, non ſolum ingeniis hominum, verum natura ipſa munitum. Plura habet Chron. Belgicum Magnum.

Callidum nimis, nomine Immonem) Immo comes nominatur à continuatore Reginonis ad annum 958. & 960.

Pugnans contra Briſeg) Briſacum eſt inter Argentoratum & Baſileam in ripa Rheni. Urſpergenſis ſcribit omnem adjacentem pagum ab hoc caſtello appellari Briſachgowe. Otho Friſingenſis chronici lib. 7. cap. ultimo affirmat Briſacum conditum ab Henrico 6. Barbaroſſæ filio, patre adhuc vivente, quod intelligo de inſtauratione fortiorique munitione. Continuator Reginonis de hiſce bellis civilibus loquens, *Briſacum caſtellum* vocat *latibulum ſemper Deo regiq; rebellantium.* Plura de monte Briſiaco invenies apud Beatum Rhenanum lib. 3. ad Marquardum Freherum Origin. Palat. part. 2. cap. 8.

Summi Pontifices) Intelligit Epiſcopos qui plures fuere, ut ex hoc loco, & ex Liutprando lib. 4. cap. 14. manifeſtum, ſolus tamen nominatur Ruthardus Argentinenſis. Bruſchius ſcribit Epiſcopum in exilio egiſſe annos undecim, quod videtur pugnare cum noſtro auctore, ſcribente brevi in gratiam receptos.

In Hammaburgenſem urbem) Continuator Reginonis vult Arch. Fridericum Fuldam miſſum. Hunc Bruſchius Ducem Lotharingiæ, & Giſelberti fratrem facit, de quo annales vetuſtiores nihil habent.

Miſſus Hermannus cum exercitu) Hermanni, quicunq; ille ſit, apud alios nulla eſt mentio. Liutprandus lib. 14. cap. 16. ab Udone Hermanni Ducis Alemanniæ fratre & Conrado cognomine Sapiente hanc victoriam reportatam ſcribit. Continuator Regi-

Digitized by Google

eginonis ſimiliter Udonem & Conradum nominat, ſed comites tantum indigitat. kkehardus junior Cœnobita Sangallenſis, de caſibus monaſterii ſui, alium hujus ictoriæ auctorem indicat, nimirum Cunonem cognomento Curcipoldum, regil nguinis virum. Hunc ſcribit viginti militibus ſtipatum derepente ſuper Eberhardum : Giſelbertum in ripa Rheni in planicie quadam ludentes irruiſſe, Giſelbertum prius ncea transfixum ſubmerſiſſe, mox Eberhardum levitatis increpatum obtruncaſſe. unc Cunonem continuator Reginonis vocat Conradum, comitem, cognomina-m Curcipoldum, Eberhardi filium, additq; fuiſſe virum ſapientem & prudentem. ognomen accepit à ſtatura corporis breviore, ut Ekkehardus: agnoſcas in eo alterum ydea, quod liquebit ex ejuſdem ſcriptoris loco, qui ſic habet: *Erat quidem anguſto in ctore audax & fortis, qui leonem cavea effracta ſe & Regem ſolos inventos in conſilio in-ientem, rege grandi quidem virogladium, quem Chuono tunc, ut moris eſt, gerebat, arri-re volente, ipſe præſiliens incunctanter occidit. Diffamatur longe lateq; Henrici regis ilitem leonem ſe inſilientem gladio occidiſſe. Mulieres ille & mala arborum naturali ſibi odam odio adeo execratus eſt, ut ubi in itinere utrumvis inveniret, manſionem facere ollet. Multa ſunt, quæ de illo concinnantur & canuntur, quæ quia ad nos redeundum , præterimus, nec quod provocatorem Sclavum giganteæ molis hominem è caſtro regis pro-mpens novus David lancea pro lapide ſtravit.* Hæc Ekkehardus, qui per errorem anc hiſtoriam videtur referre velle ad tempora Henrici Aucupis contra omnes vete-m annales. Obiit Curcipoldus anno 945 ut continuator Reginonis, cognomen à evitate ſumptum ſimile eſt iſtis Trunckenbolt / Schnellebolt &c.

Eberhardus militum armis) Ditmarus lib. 2. ſcribit Eberhardum ab Udone occi-m, Ekkehardus à Curcipoldo.

Giſelbertus autem fugiens, navem cum pluribus aſcendit) Frodoardus ad annum 39. ſcribit Giſelbertum in Rhenum deſiluiſſe cum equo, ibique vi undarum enecatum periri non potuiſſe. Fuiſſe tamen, qui dicerent, à piſcatoribus inventum & huma-m, ſed propter ſpoliorum ornamenta celatum.

Oddonem Ricwini filium) Ricwini meminit Frodoardus referens, quod regi ſuo arolo fuerit infidelis, ſicque tandem in lecto confoſſus. Otto Dux Lotharingiæ in fa-i conceſſit anno 943. ut continuator Reginonis, 944. ut Frodoardus.

Aſperrima hiems) Contractus ad annum 940. *Hiems ſæva hoc anno facta & peſtis nimalium ſubſecuta.*

Conjuratione valida facta in Paſchali feſtivitate) Ditmarus lib. 2 conjuraſſe dicit ricum, Bucconem, Herimannum, Reinwardum, Wirinum, Ericum, & Lotharium vum ſuum paternum, qui Cæſarem Quedlinburgi Paſcha acturum obtruncare vo-bant. Re detecta capite plexi ſunt omnes, excepto Erico & Luthario, Ericus cum anus in eum injicerentur, pugnando tam diu reſtitit, donec lancea de equo dejice-tur. Lotharius relegatur in Bavariam, ſed non multo poſt redit in gratiam. Hujus filio Sigfrido nepos fuit Ditmarus Epiſcop. Merſburgenſis, cujus extat hiſtoria Sa-onica luculente ſcripta. Ericus fuit Comes Werlenſis in Weſtphalia: reliquit filium lillebardum poſtea octavum Halberſtadenſium Epiſcopum, ut Ditmarus dicto loco.

Apparuere ſcilicet cometæ) Contractus ad annum 942. *Cometes per noctes 14. viſus & immenſa animalium peſtis facta.*

Regni mutationem metuebant) Plin. lib. II. c. 25. *Cometas Græci vocant, noſtri, cri-itas horrentes crine ſanguineo, & comarum modo in vertice hiſpidas. Diri cometæ, uidni? quia crudelia atq; immania, famem, bella, clades, cædes, morbos, everſiones urbium, egionum vaſtitates, regnorum mutationes, hominum interitus & exitia portendere cre-untur.* Tacit. lib. 14. Annal. *Inter quæ & ſidus cometes effulſit, de quo vulgi opinio eſt, anquam mutationem regnis portendat*, Lucanus lib. 1.

——————crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.

oachim. Camerarius

οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

Non eſt Cometes qui malum non nunciet.

Ducatus regionis conceditur Chuonrado) Anno 943. ut continuator Reginonis. Luidgardam Ottonis filiam ducit Anno 947. Fuit hoc matrimonium parum felix, quod

Digitized by Google

quod patet ex verbis Ditmari lib. 2. *Hæc* inquit (*Ludgarda*) *vivente marito ſuo, quamvis ſæpe deſpiceretur, & laboribus crebris fatigaretur, tamen viridi patientia hæc ſufferens, honorem innatum ſervare conatur.* Idem Ditmarus refert, quomodo à Cunone quodam infamata ſit, & à Comite Burchardo monomachia vindicata. Continuator Reginonis diffamatorem illum vocat filium comitis Eberhardi, adi annum 950. idem dicit obiiſſe Ludgardam diem ſuum 953. ſepultam eſſe Moguntiæ in eccleſia S. Albani: argenteum ejus fuſum ibi aſſervari auctor eſt Ditmarus.

Bertholdus frater Arnulfi) De duplici victoria, quæ Bertholdo contra Ungaros fortiter dimicanti contigit, ſcribit Aventinus lib. 4. ſub finem. Narrationem claudit his verbis: *Nunquam gens ferociſſima tantum vulnus à noſtratibus accepit: more enim pecudum à Boiis mactati ſunt.* Quomodo huic fortiſſimo principi Imperator obtulerit matrimonium Gerbirgæ ſororis ſuæ, viduæ Giſelberti Lotharingi, & ſi ea minus placeret, filiæ ipſius, exponit Liutprandus lib. 4. cap. 18. Elegit Bertholdus non matrem, ſed filiam, quæ jam nubilis erat: mortuus non multo poſt.

Hugonem alterum armis edomuit) Huic cognomentum magni tribuunt hiſtoriæ Gallicæ: Fuit filius Roberti, de quo ſuperius. A Ludovico rege Galliæ conſecutus eſt Ducatum Franciæ omnemque Burgundiam, ut Frodoardus.

Bertholdo jam defuncto) Bertholdus Dux Bavariæ obiit anno 945. ut continuator Reginonis. Contractus habet annum 947. Uxor ejus filia Giſelberti Ducis Lotharingiæ, de qua ſuperius dictum eſt, fuit Willetrudis, cognomento Pia, quæ marito ſuperſtes ac liberis carens anno viduitatis 26. Chriſti 976. condidit monaſterium Pergenſe ſive Bergenſe monialium ordinis Divi Benedicti in Epiſcopatu Aichſtedenſi, ejuſque loci prima facta eſt abbatiſſa. Vide Bruſchium hiſtoria monaſteriorum pag. 57. Metropolim Wiguleii Hundt pag. 193.

Copulatus matrimonio filiæ Ducis Arnulphi) Ditmarus lib. 2. Judittam appellat, cui ſuffragatur Roſuitha Poëtria hiſce verſibus.

Qui ſibi condigne legali junxit amore
Arnolfi natam Ducis egregii generoſam,
Nomine Judithhow, vultus ſplendore coruſcam,
Ac fulgore magis cunctæ nitidam bonitatis.

Marito ſuperſtes Ratisbonæ extruxit contubernium ſacrarum fœminarum, quod Nieder Münſter vocant, ubi ejus Mauſolæum in aditu monſtratur. Teſtantur idem diplomata Ottonis Magni, qui ei aliqua prædia & curtes dono dedit, nec non Henrici ſancti, quæ extant apud Wigulejum in Metrop. Salisburgenſi. Cum Abrahamo Epiſcopo Friſingenſi nimis familiariter uteretur, incurrit in ſuſpicionem, qua ante mortem liberari non potuit, tum enim ſumpta cœna domini non ſine execratione ſui ipſius ſi rea eſſet, ſeſe purgavit, omnibuſque ſatisfecit.

Inprimis pietate erat clarus) De religioſa Ottonis Imp. pietate præter Widechindum teſtimonium luculentum perhibent Ditmarus lib. 2. & alii hiſtoriæ Saxonicæ ſcriptores.

Dandi largus) Contrarium affirmat filius Ottonis, patri cognominis, apud Ekkehardum Juniorem monachum Sangallenſem cap. 16. Sic enim de parente loquitur: *Miramur cum tam firmiter imperium teneat, quod baculus deciderit, enimvero quaſi leo regna, quæ adhuc cepit, firmiſſime tenet, neque mihi, quamvis filio, partem vel unam dedit.*

Cum antea neſcierit literas in tantum didicit) Imperatorem Ottonem Latinæ linguæ ignarum fuiſſe videtur oſtendere narratio, quæ apud eundem Ekkehardum loco antea citato extat. Ibi enim Adelheidis Auguſta Latinas literas ſe marito interpretaturam affirmat, quod neceſſe non fuiſſet, ſi intellexiſſet ipſe.

Henricus vero gravitate morum pollebat) Henricum Ducem Bavariæ Liutprandus lib. 4. cap. 7. ſcribit fuiſſe facetia ſatis ornatum, conſiliis providum, vultus nitore gratioſum, oculorum vigilantia placidum.

Bruno magnus ingenio) de Brunone ſatis ſuperque dictum ſupra.

Gravis perſecutio monachis oritur) Habent eadem ex Widechindo exſcripta Urſpergenſis & Albertus Stadenſis ad annum 941. Ditmarus libr. 3. ſcripſit ſub expeditionis Danicæ tempus regnante Ottone ſecundo Imp. cœpiſſe primum irrideri clericos & malum illud ſuo tempore continuatum fuiſſe. Vide Gobelinum ætat. 6. cap. 49.

Abbatem

Digitized by Google

Abbatem Hadumarum) Hadamarus decimus tertius fuit abbas Fuldenſis vir illuſtris expertæque doctrinæ: hominem exuit anno 956. æmulo ſuo Friderico Moguntino ſuperſtes ad biennium.

Sub ejus temporibus templum famoſum Vuldenſe) Chriſtophorus Browerus lib. 4. Antiquitat. Fuldenſium: *Anno 937. Baſilica Fuldenſis igne exuritur, quæ ſumptuoſis iterum impenſis Hadamari Abbatis ſtudio, novis operibus reſtaurata & anno 948. Kal. Novembr. Indictione ſexta, Ottone Magno præſente, die ſanctorum omnium à Marino ſedis Apoſtolicæ legato dedicata eſt.*

Soror autem regis Lothowico regi genuit) His tribus addit Frodoardus Henricum, qui cum Carolo uno eodemque partu ſit editus, ſed ſtatim poſt baptiſma mortuus anno 953. Carolus ab Ottone ſecundo conſtitutus eſt Dux Lotharingiæ. Addit idem Frodoardus & Ludovicum, qui eodem, quo pater, obierit anno 954.

A Nortmannis captus) Anno 954. ut Frodoardus. Res per fraudem acta eſt, nam Haigroldus Nortmannus ſimulans colloquium cum rege inermem nihilque periculi metuentem Rodomi cum armatis invadit, ſecumque abducit. Traditur tamen rex Hugoni Pariſiorum comiti, à quo intra anni ſpatium dimittitur. Carolomannus à matre Gerbirga Nortmannis obſes datus, Rotomagi ex morbo deceſſit.

Filium autem ejus natu majorem) Carolus filius Ludovici Regis à Frodoardo ſcribitur natus anno 945.

Morte ſcilicet beatæ memoriæ Edidis) Quæ de annis conjugii Etdithæ hoc loco referuntur examuſſim conveniunt cum aſſertione Ditmari lib. 2. *Fuit hæc* inquit, *cum viro ſuo decem & novem* annos, & ordinationis ſuæ obiit undecimo anno, ſeptimo Kalend. Februarii. Obitum Edithæ Frodoardus collocat in annum 946. Continuator Reginonis habet annum ſequentem.

Omni virtute animi & corporis ea ætate nulli mortalium ſecundum) Extant illuſtria hujus regii Sanguinis principis encomia non omittenda. Hepidanus Sangallenſis: *Liutolfus Deocarus & omnibus ſanctis, filius Ottonis regis.* Liutprandus lib. 4. cap 7. *Hujus* (Liutdolfi) *ob recentem jacturam, quoties memoriam agimus, lacrymis ſinum replemus.*

O ſi nunquam natus, aut non tam mature eſſet defunctus!) Hermannus Contractus ad annum 948 *Luitolfus filius regis Ottonis, vir omnium ſui temporis populo aptiſſimus.* Ditmarus lib. 2. *Qui* (Luidulfus) *ramoſam Samii Pythagoræ literam, humanæ motus vitæ ſignantem, laudabili puer ſimplicitate percurrit ad bivium, & dexterum iter aggreſſus virgulam breviorem, tamen potiorem, de die in diem, ut virens hedera exurgit, & in omnibus patriſſans, nobilitatem moribus in tantum ornavit, ut cunctis primatibus, quæ laus eſt non ultima, placeret. Unde patris gratia ſibi in tantum arriſit, ut hunc communi totius ſenatus electione, honoris conſortem, atque laboris decerneret, ſucceſſoremque confirmaret.* &c. Roſuita Poetria de eo ſic ſcribit:

Extiterat cunctis blandus dulcedine mentis
Manſuetus, clemens, humilis nimiumq; fidelis.

AD LIBRVM TERTIVM WITICHINDI

NOTÆ

F*Actoque teſtamento creavit eum regem poſt ſe*) Meminit Frodoardus in Chronico ad annum 953. & Roſuitha poetria panegyrico. Ditmarus lib. 2.

Et revera cum eſſet magnus valde exercitus) Miror cur Reineccius maluerit ſequi manuſcriptum exemplar, quam editionem Frechtinam, hoc in loco emendatiorem plenioremque, quod collatio docebit. Eſt autem Bovo Abbas Corbejus, cujus hic mentio, ſecundum catalogum, quem nunc edimus, ejus nominis tertius, ſucceſſor

Digitized by Google

Volcmari. Letznerus in hiſtoria Ludovici Pii Imp. ea quæ à Witichindo Bovoni attribuuntur, refert ad Volcmarum: tutius autem ſequimur Widechindum iſti ſeculo proximum. Neque Chronologia aliud evincit: Etenim ſecundum catalogum, quem dixi.

Adalhardus primus Abbas	præfuit Corbejæ annos	4.
Warinus		30. menſes 4. dies 25.
Adalgarius		20.
Tancmarus		—menſes 8.
Avo		3.
Bovo 1.		11.
Godeſchalcus		10.
Bovo 2.		16.
Folcmarus		25.
Bovo 3.		6.

Quos annos ſi colligas, invenies 126. ſi adjunxeris anno, quo condita eſt Corbeja, nimirum 822. provenient anni 948. Expeditio autem Ottonis I. Gallicana incidit in annum Chriſti 946. ut continuator Reginonis & Chronica Auſtralis, vel an. 947. ut Frodoardus in Chron. Contractus quidem rectius aliis. Nam poſt obitum Edidis Auguſtæ demum in Galliam abiit Otto: atqui illa ex hac vita deceſſit an. 947. ut Reginonis continuator, Frodoardus, Urſperg. & alii. Comitatus eſt igitur Ottonem Bovo, anno quem vitæ habuit penultimum. Quid Crancio in mentem venerit, ex Corbeienſi Antiſtite Fuldenſem abbatem facienti, non video, Saxon. lib. 3. cap. 36. cum & à Stadenſi & Urſpergenſi rectius doceri potuiſſet. In proſapia Bovonis explicanda utinam magis accuratum ſe præſtitiſſet Witichindus: merebatur hoc virtus & eruditio Græcæ linguæ in Bovone, hujus noſtri Bovonis abbatis avo, qui dubio procul in Schola Oſnaburgenſi, ubi ſermo iſte publica auctoritate docebatur, tantum profecit, ut peregrinarum literarum in aula imperiali interpretem ageret. Ubi vero Bovonis floruerit familia, ex Chronico Oſnaburgenſi Ertwini Ertmanni ex parte inveſtigavi. Nam auctor ille Warinum, de quo Widichindus hic agit, Cobbonis Comitis Teckelnburgenſis fratrem facit germanum. Sed integrum adſcribam auctoris locum: *Quidam Comes ditiſſimus Cobbo fidelis illius Imperatoris Ludovici de prædictæ Eccleſiæ Oſnaburgenſis Epiſcopo* (Alfrido) *quicquid voluit agere adeptus germano ejus nomine Werin in monaſterio Huxarienſi tum temporis abbati, & ſorori ejus in puellarum Cœnobio Hervordenſi abatiſſæ, quantum voluit de decimis, quæ ad eundem Epiſcopatum pertinebant, tradi fecit ad eadem monaſteria* &c. Eſſe autem hunc Cobbonem comitem Teckelnburgium liquet ex Metropoli Cranciana lib. 1. cap. 40. Johannes Letznerus in hiſtoria Ludovici pii, Warinum facit Pipini ex filia, Caroli M. ex ſorore nepotem, adducens autoritatem Paſchaſii Ratberti, quem mihi inſpicere non licuit. Hoc autem modo familiam deducit.

Pipinus cognomento Nanus

Carolus M. Imp. Rom.	N. uxor N.				
Ludovicus Pius Imp.	Adelhardus incoavit novam Corbeiam in Saxonia ad Viſurgim	Warinus abbas Corbeienſis de quo Witichindus. ⊖ 856.	Walo monachus Corbejæ ad Somam fluvium	Theodora monialis Sueſſionenſis	Guntrada.

Quæ ſi vera ſunt, vera etiam quæ habet Ertwinus, fuitq; Caroli M. Sororius anonymus, comes Tekelnburgenſis ex nobilitate Saxonica, fuitque fortè inter fratres Cobbo natu minimus: quippe qui, Ertwino teſte, demum obierit Anno 884. tertio Aprilis

28. an-

28. annis poſt Warinum fratrem. Bovonis nomen mere eſt Saxonicum, olim honeſtum adoleſcentem quemvis, hoc tempore nequitioſum ſignificans.

Ex milite factus eſt monachus) Vide hiſtoriam translationis S. Viti, quam infra damus.

Cum exercitu Lugdunum adiit) Frodoardus habet Laudunum.

Urbem Remenſem, ubi erat nepos Hugonis contra jus faſq; omne) Seulfo archiepiſcopo Remorum defuncto, Hugo Heriberti comitis F. puer quinquennis deſignatur Epiſcopus. Hoc Epiſcopatu ejecto legitimus Epiſcopus Artaldus ſubſtituitur.

Rhetum Danorum urbem) Rothomagum Normanniæ metropolim intelligit. Neuſtria à Nortmannis occupata vetus nomen amiſit, cœpitque dici Normannia à novis colonis, ex Danis, Suecis & Norwegiis collectis. Helmoldus Buzovienſis lib. 1. cap. 7.

Juxta fluvium qui dicitur Car) Frodoardo ad annum 947. Chara, ad annum 956. Charus. Gregorio Turonenſi lib. 5. Caris appellatur. Altera appendice ad Gregorium Turonenſem pag. 81. nominatur re & nomine Carus.

Dedit ei conjugem divitiis ac nobilitate claram, ducis Hermanni filiam) Hermannus Dux Alemanniæ inter ſuos ſapientiſſimus & prudentiſſimus, ut continuator Reginonis, Ludolpho Ottonis Imp. filio filiam ſuam tertiam (ut Contractus) in matrimonium dedit qua de re ſic explicat Liutprandus lib. 5. cap. 1. *Factum eſt, ut poſt mortem Eberhardi, atque Gileberti, nec non & Henrici fratris regis incluſionem, concurrentibus undiq; ad regem congratulationis cauſa proceribus, veniret etiam vir ditiſſimus Suevorum Dux Hermannus, qui poſt congratulationis ſatietatem, talibus eſt regem aggreſſus ſermonibus; non clam Domino meo eſt, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immenſitate prædivitem me abſque liberis eſſe, nec eſt præter unam parvulam natam, quæ mearum rerum me redeunte heres exiſtat. Placeat itaque Domino meo regi filium ſuum parvulum Liutbulfum mihi adoptare filium, quatenus unicæ filiæ meæ maritali commercio ſociatus, me migrante, mearum fiat hereditate rerum magnificus. Hoc itaque quia placuit regi conſilium quod popoſcerat ſine dilatione complevit.*

In brevi poſthæc ſocer moritur) Matrimonium Ludolfi & Idæ contractus collocat in Annum 947. Mortem ducis Hermanni in 948. Encomium Idæ habet Ditmarus lib. 2.

Berengarius) Ditmaro Beringerus. Intelligit autem ejus nominis ſecundum, filium Adalberti marchionis Eporegiæ.

Eberhardus Dux Forojulii.
|
Berengarius, I. Rex Italiæ.
|
Boſo Marchio Tuſciæ. — Giſela —— Albertus Marchio Eporregiæ.
|
Willa ——— Berengarius ſecundus Rex Italiæ
|
Adelbertus, Wido, Giſela, Gerbira.

Veritus autem ſingularis prudentiæ reginæ virtutem à Ludovico relictæ) Error manifeſtus, quem non tantum Sigebertus Witichindi exſcriptor, ſed & Ditmarus ævo iſti proximus lib. 2. erravit. Etenim prior maritus Adelheidis Auguſtæ fuit Lotharius Rex Italiæ, Hugonis filius, Lotharii nepos. In eo conſentiunt omnes, Odilo abbas Cluniacenſis, qui ejus vitam deſcripſit, Roſuita in panegyrico, Liutprandus lib. 4. cap. 6. Contractus, Urſpergenſis.

Contra Bolizlaum regem Bohemorum) Inſolens eſt quod Boleslaum regem appellat Bohemorum, cum alii Henrici 4. alii Friderici Barbaroſſæ tempore hanc in gente illa uſurpari primum dignitatem cœpiſſe tradant. Idem tamen facit Frodoardus ad annum 950. Et Conradus Urſpergenſis, qui hunc locum exſcripſit. Loquitur autem hic Witichindus de Bolislao Sævo fratricida.

Virtus præfatæ reginæ) Adelheidis Burgundica ab omnibus ſcriptoribus æquo

 lauda-

laudatur. Liutprandus lib. 4. cap. 6. tum *forma honeſtiſsimam, tum morum probitate gratioſam indigitat*, continuator Reginonis *Deo amabilem reginam* vocat. Ekkehardus junior cœnobita Sangallenſis lib. de caſib. monaſterii Sangallenſis cap. ultimo *literatiſſimam* fuiſſe ſcribit. Extat vita ejus ab Odilone monacho Cluniacenſi, ut conjectura eſt, perſcripta.

Aureis muneribus amorem reginæ) Chronicon Caſſinenſe rem aliter, & quidem his explicat verbis: *Lotharius deinde poſt 4. annos ferme in ſubitam phreneſim incidens, ultimam diem explevit, & ita ipſe Francorum regibus deinceps in Italia regnandi terminum dedit. Quo defuncto uxor ejus Adelaidis ad Ottonem propinquum ſuum in Canuſſam arcem munitiſsimam confugit. Cum interea prædictus Berengarius cum filio Alberto ſtrenuiſsimo viro, rurſus regnum invadere cupiens, ac per hoc prædictam reginam capere omnibus modis ſatagens, per triennium ferme præfatam arcem obſedit. Otto vero interim cum regina conſilio habito, nuncium ad Ottonem Saxoniæ ducem, Ungariorum tunc victoria glorioſum tranſmittunt, qui ei omnia, quæ circa illos gerebantur, referens, oraret quatinus ad Italiam confeſtim tranſire, eosq; de Beringarii obſidione liberare, reginamq; ipſam in conjugium ſimul cum regno deberet recipere. Jam vero prædicta arx ad deditionem hoſtium cogebatur, cum ecce, diſpoſitione Dei, nuncius à regina tranſmiſſus ſubito rediret. Et quoniam propter diligentiſsimam obſidionem nullus ei in arcem patebat ingreſſus, literas & annulum, quem à Duce detulerat, callidus arciger clam ſagittæ inſeruit, ac nemine id ſuſpicante in arcem illum trajecit. Quarum videlicet literarum tenor hujuſmodi erat, quod idem Dux jam tranſmiſsis Alpibus Veronam veniſſet, ejuſq; filius Litulfus Mediolani ſe præceſsiſſet in proximis illis venturo auxilio viriliter agerent, ſe tam de conjugio, quam de aliis regni utilitatibus pro illorum voto, auxiliante Deo, facturum. Quid plura? è veſtigio Duce veniente, & fugato Beringario atq; Alberto, ſoluta obſidio eſt, captis Beringarii filiabus atq; in Teutonicam terram tranſmiſsis exilio. Mox Adelaidis conjugium Otto ſortitus, Teutonicis regibus ex tunc & deinceps in Italia regnandi initium dedit.* Hactenus chronicon Caſſinenſe. Quod vero Adelheidis nomine corrupto nunc Adelachis, nunc Adelaidis nominatur, ab ignorantia linguæ noſtræ proficiſcitur. Eodem modo à Gotfrido Viterbienſi parte 17. Adilinda vocatur.

Papiam, quæ eſt ſedes regia) Liutprandus lib. 2. cap. 4. *Ticinum quæ nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur.*

Loco conſiliis funeſto Salaveldum) Continuator Reginonis ad annum 952. *Luidolfus Dux de Italia revertens regio ambitu Natalem Domini in Salafelt celebravit, ubi Fridericum archiepiſcopum omneſque, qui in promptu erant regni majores ſecum detinuit. Quod convivium jam multis ſuſpicioſum cœpit haberi, & plus ibi deſtructionis, quam utilitatis ferebatur tractari.* Ditmarus lib. 2. *Qua de re Ludolfus filius ejus admodum triſtis effectus ad noſtrates properavit, lociſque, quæ ad Salefeldum pertinent, abditis doloq; idoneis, inſidias inculcavit.*

Miræ magnitudinis lapis) Herm. Contractus ad annum 951. *Inter alia prodigia ignitus lapis quaſi maſſa candentis ferri ab occidente per aera venit, & draco viſus eſt ambulare.* Albertus Stadenſis ad annum 952. *Lapis miræ magnitudinis, tonitru ac tempeſtate jactus de cœlo, apud Auguſtam ingens miraculum videntibus præbuit.*

Nati ſunt autem regi filii ex ſereniſſima regina) De liberis Ottonis I. ex Adelheide parci admodum veteres, prolixiores recentes, incertum qua fide. Ditmarus lib. 4. Mathildam abbatiſſam filiam Adelheidis facit, de cæteris à Witichindo hoc loco indicatis, nulla mentio. Si quis de hac Schola plene erudiri deſiderat, legat Fabricium Originib. Saxon. lib. 2. Peucerum Chron. Carion lib. 4. Superſtes Auguſta Ottoni fuit annis 17. defuncta Anno 1000. 16. Decembris. Vitam ejus deſcripſit Odilo abbas Cluniacenſis, quam repertam in monaſterio S. Magni ad pedem pontis Ratisbonenſis edidit nuper Henricus Caniſius Ictus. Elogium Adelheidis tale ibi reperitur: *Erat ei cum domeſticis gravis jucunditas, cum extraneis honeſtiſſima gravitas: in pauperibus infatigabilis pietas: erga bonos perſeverans benignitas: contra impios liberalis ſeveritas: in appetendis timor: in proſperitatibus vera humilitas: in adverſitatibus patiens longanimitas: in victu cotidiano ſobrietas: in veſtitu etiam mediocritas: in lectionibus & in vigiliis & jejuniis aſſiduitas: in dandis eleemoſynis una eademq; voluntas. Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio: nulla de poteſtate ſibi à Deo conceſſa ad ſe trahere po-*

terat

terat humanæ laudis cupido, nulla de virtutibus ſibi à Deo conceſſis præſumptio: nulla de exceſſibus propriis maleſuada ei dominabatur deſperatio: nulla de honoribus, delitiis & divitiis mundi in eam principabatur ambitio, ſed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater diſcretio. Eratque in fide ſecura infirmitas, & in ſpe firma ſecuritas.

Audivit quod ei inſidiæ pararentur à filio generoq;) Otto magnus adverſarios habuit, non tantum filium Ludolſum, verum etiam Henricum fratrem, & Conradum generum, hunc Francorum, illum Bajoariæ ducem. Divina ei ultione immiſſos ſcribit Henricus Bodo monachus cœnobii Cluſenſis in Chronico Gandersheimenſi, quod MS. habeo. Verba ejus non piget ſubjicere: *Quia ſereniſſimus Rex Otto regiam matrem illuſtriſſimam Machtildam aliquantulum inhonoraſſe dicitur, privando illam dotalitiis, quam tamen ſibi, ut decuit, reconciliavit, ex ipſis, quibus defendentibus robur regni accipere debuiſſet, Deus juſtus judex illi regni turbatores ſuſcitavit. Frater namque illius Henricus quorundam perſuaſu, mala in regem moliebatur, ob id videlicet, quod Otto nondum in regem patre electo natus fuiſſet, ipſe autem à rege patre genitus. Filius etiam Ottonis Lutolfus, Suevorum Dux, in regem patrem multa tentavit. Dux inſuper Lotharingiæ Giſelbertus, cui ſoror regis Ottonis nupſerat, ad mortem uſq; perſequebatur. Verum omnium moderator Deus qui non niſi regis peccatum purgare voluit, non niſi & regi expurgatores illos dedit. Haud enim aliud poterant, quam inceſſere regem.* Hæc ille, à nemine quoquam, quod ſciam, relata.

Quæ cauſſa ad rebellionem Conradum Ducem impulerit, à ſcriptoribus non ſatis exprimitur: Ludolſum offenderunt ſecundæ parentis nuptiæ, ut ſupra indicavit noſter auctor, & idem teſtatur Ditmarus. Frodoardus aliam odii affert cauſam, quam ejus verbis adſcribam: *Exoritur inter Ottonem regem & Liudulſum filium ejus, Conradum quoque Ducem & quoſdam regni ipſius primates, diſcordia. Nato ſiquidem regi filio ex moderna conjuge ferebatur eidem puero Rex regnum ſuum promittere, quod olim, priuſquam Italiam peteret, Liudulſo delegaverat, & magnates ſuos eidem promittere fidelitatem jurejurando fecerat.* Hactenus Frodoardus, quæ ſi ita ſe habent, uſu venit Ottoni, alias principi ſapientiſſimo, quod B. Ambroſius 6. Hexam. ſcribit: *Mutato concubitu patres depravantur, prælatis filiis poſterioris copulæ, neglectis autem his, qui ex priore progeniti ſunt.* Et unde frequentiores liberorum exheredationes, præteritiones, defraudationes quam ex eo, quod parentes novercalibus delinimentis inſtigationibuſque corrupti, injuriam adverſus liberos ſuos teſtamento inducunt, maligne circa ſanguinem ſuum inferentes judicium? ut loquitur JC. in l. 4. D. de inoff. teſta. Quod attinet ad invidiam, in qua Mathildis Auguſta apud filium Ottonem aliquandiu fuiſſe ſcribitur, ea ſine dubio inde promanavit, quod ſi per eam ſtetiſſet, Ottone præterito diadema Imperii Henrico ejus germano tributum fuiſſet. Rem ſub finem lib. 1. exponit Ditmarus his verbis: *Aſſerunt nonnulli eandem hoc ſummopere diu niſam fuiſſe, quod junior filius ſuimet Henricus patris ſedem poſſideret, ſed hoc Deus, electos ſibi ad unaquæque ſemper præordinans noluit, nec ſummatum optima pars conſenſit. &c.*

Magnus erat oratione die noctuque) Continuator Reginonis ad annum 954. *Fridericus archiepiſcopus obiit, vir in ſancta religione ſtrenuus & valde laudabilis, niſi in hoc tantum videbatur reprehenſibilis, quod ſicubi vel unus regis inimicus emerſit, ipſe ſe ſtatim ſecundum appoſuit.*

Quouſq; Moguntiam perveniret) Moguntia Franciæ metropolis obſeſſa eſt ab Ottone anno 954. ut continuator Reginonis, Marianus Scotus refert ad annum præcedentem.

Conſobrinus regis Ecbertus) Ditmarus lib. 2. Comitem indigitat, cujus familiæ fuerit, ignoratur.

Conjugem cum filiis patrui) Henrici Bavariæ Ducis uxor Juditha peperit marito Brunonem conditorem familiæ Marchionum Saxoniæ, & Henricum ſive Hezelonem, Henrici Pii Imp. avum.

Junior Arnulfus) Arnolfi mali filius, cujus fratres fuere Eberhardus & Hermannus, qui aliis Wernerus. Hos Aventinus lib. 5. Bajoariæ Lantgravios vocat. Ab Arnolfo originem ſuam arceſſunt Dynaſtæ Schirenſes, à quibus orti principes Palatini ad Rhenum & Duces Bajoariæ.

Thiadericus juniorque Wigmannus) Thiadericus Ditmaro lib. 2. titulo Ducis inſignitur.

Digitized by Google

ſignitur. Wigmannus filius fuit Wigmanni ſenioris, de quo ſupra lib. 2. egimus. Ditmarus Wigmannum pecunia & quidem celeriter corruptum ſcribit.

Summus Pontifex interea, ut ipſe ajebat, timore legis) Fridericus Moguntinus antiſtes bello hoc civili habitavit Briſaci in caſtello, quod latibulum præbuit ſemper Deo regique rebellantibus.

Immede & Meinwerco) Immodum refero ad familiam Ringelheimenſem, de qua ſupra. Meinwercus fortaſſis eſt ex Teſterbandiis, unde origo Meinwerco Epiſcopo Paderbornenſi, de quo prolixe Gobelinus Perſona Coſmodromio ætatis 6. cap. 52.

Locus eſſet apud Cinnam rationis dandæ) Cinna vicus diœceſis Magdeburgenſis olim illuſtri monachorum cœnobio à Wichmanno 16. Archiepiſcopo fundato inclaruit.

Horſedal) Schafnaburgenſis legit Roſſadal, quod idem eſt, nam Hors & Ros Germanis equum ſignificant, erit igitur Horſedal, ſive Roſſadal, vallis equorum, quemadmodum in agro Lippienſis Comitatus prope patriam meam Lemgoviam eſt planicies die Hingſtheide / dicta ab eadem origine. Horſus frater Hengiſti in Anglia Saxonum Coloniæ conditoris inde etiam nomen accepit, ut præter alios Gobelinus ætatis 6. cap. 23. Legitur etiam Ors ſine aſpiratione. Sic Chronicon Saxonicum rithmicum in hiſtoria Alberti Magni Ducis Brunſuicenſ. loquens de equis cataphractis.

Viel Herren Ritter unde Knaphen
  Dher Ors almeiſtigen trugen Waphen
Alſo dho was eine ſite
  Und men na huite pflicht zo ſtritte
Do ſante im zo de frowe güter
  Des jungen Lantgraven muter
Fünff hundert Ritter unde Knaphen
  Mit Orſen und mit ir waphen
Da quam der Hertzoge zo
  Mit Dhen ſinen / das her hatte do
So man ſprach wol ſexenhundert
  Ors verdecket und uzgeſündert.

Et infrà

Nach dhenſelben ſtunden
  Von Magdeborg dhe voremunden
Und dhen Marchreve Albrecht
  Von Brandenborg ein vuſtelecht
Sammeete ein vil mychel Here
  Man ſeyt daz dhamitte were
Viel Ritter und Knaphen
  Der Ors unter ir lip truch waphen
Nach ritterlichen ſite.

Inter Rein & Danubium) Regnus, ut Aventinus: Regennus ut Wigulejus Hund, ſive Regino, ut auctor vitæ Henrici 4. Imp. fluvius eſt Nariſcorum, prope Ratisbonam influens in Danubium. Ditmarus lib. 2. *Ratisbonam, quæ Reinesburg dicitur, Bavarii caput regni, cum urbibus munitiſſimis cepit.*

Reinesburg penè omnis proxima nocte arſit) Wigulejus Hund incendium hoc collocat in annum 954. 18. Kal. Auguſti.

Finem ſummi pontificis) De hujus obitu Marianus Scotus refert verba Wilhelmi filii Ottonis M. qui Friderico archiepiſcopo in cathedra Moguntina ſucceſſit. *Guilielmus filius Ottonis ſic: Anno Dominicæ incarnationis 954. Indictione 12. beatæ memoriæ Dominus Fridericus Sanctæ Moguntiacenſis eccleſiæ archiepiſcopus 8. Kalend. Novembris obiit. Eodem anno ego Guielmus tantæ ſucceſſionis indigenus, loco ejus cum conſenſu cleri & populi ejuſdem ſanctæ ſedis 16. Kal. Januarii, ipſoq; die pace inter regem Ottonem & filium ejus Luitolſum facta in loco Arenſtedi ſum electus & in die 9. Kal. Januariis Moguntiæ ordinatus.* Hæc dixit Guilielmus Epiſcopus filius Ottonis.

Eo anno Sclavi, qui dicuntur Ucbri) Ucri, Henetorum pars, nomen dedere Marchiæ Ucranæ,

Ucranæ, cujus appellatio etiam hodie durat. Fuere autem accolæ lacus & fluminis Ucræ, in cujus ripa ſunt urbes Prentzlovia & Paſewalcum. Reineccii editio legit Velici.

Coramq; eo Angelus) Urſpergenſis addit gloſſema: *ſic enim vocatur vexillum ejus.*

Eo quod valetudine corporis laboraſſet, qua & mortuus eſt) Henricus Dux Bavariæ ejus nominis primus vitam cum morte commutavit anno Chriſti 955. Kalendis Novembris, ſepultus Ratisbonæ in templo Divi Heimerani. Liberos ex Juditha conjuge reliquit Ludovicum, Henricum, Liutgardam: & Helicam virginem ſacratam, ſepultam Bataviæ, Aventinus lib. 5. De crudelitate ejus erga ſacri ordinis homines refert exempla duo Ditmarus lib. 2.

Bohemi electi milites mille) Horum forte Dux fuit Burislaus Sarmatarum princeps, qui prælio contra Ungaros interfuit, Frodoardus ad annum 955.

Lech fluvium tranſierunt) Lycus fluvius à Bajoariæ, olim, teſte Ptolemæo, Rætos à Vindelicis ſeparavit, hodie Suevos Bajoaribus diſtinguit, ut Spigelius ad lib. primum Ligurini. Fortunatus lib. 4. de S. Martino Lecham vocat. Deſcriptio ejus habetur apud Felicem Fidlerum libro de fluviis Germaniæ.

Conradus quippe Dux fortiter pugnans) Principes qui eodem in prælio occubuere recenſentur ab Aventino lib. 5. annalium.

Naconem & fratrem ejus) Naconis frater fuit Stoingneus, ut Ditmarus lib. 2. Frodoardus ad annum 955. fratres hoſce Sarmatarum reges Hepidannus in annalibus Alemannicis, etſi locus corruptus ſit, fuiſſe Wilzorum, Circipanorum, Tolenzorumque principes vocat.

Henricus præſes cum fratre Sifrido) ſi temporis ratio non repugnare videretur, fratres hoſce referrem ad genus maternum Ditmari Epiſcopi Merſeburgenſis, quod diligenter enucleatum præmiſit Chronico Mersburgenſi ejuſdem auctoris CL. Reineccius, repetivit inde Hieronymus Henningeſius familiarum Saxonicar. pag. 89. Eſt vero illa familia Marchionum Stadenſium.

Qui dicebatur Stoineſ) Stoigneus Ditmaro, ut meminimus: Heppidanus Ztoignavum appellat.

Gero cum amicis Ruanis) Rani Ruani & Rugiani iidem ſunt variata tantum pronunciatione. Nomen profluxit ab Inſula Rugia, quæ primos habuit colonos Rugios, qui duce Odoacro Romam & Italiam ante Oſtrogothonum adventum tenuere.

Cum reditu viginti manſuum) De hoc vocabulo apud ſcriptores ætatis mediæ uſitatiſſimo, quædam diximus in Vindiciis Bilinganis, quo lectorem remitto.

Modificata ſtramenta) Intelligo tapetia menſis & ſcamnis imponi ſolita, atque ea diverſi coloris & artificii, qualia apud Plautum ſunt tapetia belluata.

Liudulfus autem filius Imp.) Ludolfus obiit anno 957. ut Frodoardus & Contractus: Febri, ut annales Alemannici. Sigonius lib. 6. de regno Italiæ, Berengarium ſuſpicionem acceleratæ mortis ſuſtinuiſſe affirmat. Locus emortualis nominatur à Contracto Plumbia: annos tum habebat viginti ſex, ut colligi poteſt ex illis quæ ad finem libr. 2. attulimus. Filius Otto, quem reliquit, natus eſt Anno 954. Filia Mechtildis 949. His Georg. Fabricius libro tertio Origin. Saxonicar. addit Ludolfum epiſcopum Oſnaburgenſem, de quo Ertwinus in Chronico Oſnaburg. MS. *Ludolfus nonus epiſcopus Oſnaburg. ſucceſſit Dregoni. Hunc Ludolfum Otto Imp. ſcribit ſuum conſanguineum narrans, quod ob memoriam divinæ remunerationis, nec non interventu dilectæ conjugis ſuæ, ſcilicet Imperatricis Auguſtæ Theophanii, cuidam viro venerabili ſanctæ Oſnaburgenſis eccleſiæ Epiſcopo Ludolfo, quicquid prædii vel hereditatis ipſo Imperiali auctoritate donavit, Ipſe Imperator reddidit in comitatu Bernhardi Ducis in locis ſubſcriptis, videlicet Apelderbach, Hoſnem, Linga cum curtibus ac ædificiis, mancipiis, terris, paſcuis, ſylvis, molendinis &c. Subdens in eodem Imperiali privilegio, quod hujusmodi, ſicut prædixit, Ludolfo Oſnaburgenſis eccleſiæ Epiſcopo ſuo conſanguineo reddidit atq; donavit eo tenore, ut liberum haberet arbitrium vendendi atq; commutandi ſeu eidem eccleſiæ & ſucceſſoribus relinquendi, Anno Domini 975. Ind. 2. anno Imp. 7. in Longobarden.* Hic Antiſtes Ludolfus obiit anno Domini 983. 2. Kalen. April. &c. videatur etiam Crancius Metropol. lib. 3. cap. 39.

Eo anno prodigioſæ res apparuerunt, notæ ſcilicet crucis in veſtimentis*) Ditmar. lib. 2. *Dehinc in anno quarto ejuſdem numeri ſignum ſalutiferæ crucis in veſtimentis hominum mirabiliter

Digitized by Google

rabiliter & magis miſerabiliter elucens digne accipientibus profuit & irridentibus nocuit. Contractus hoc prodigium refert ad annum 958. ſimile accidit avorum noſtrorum memoria Imperante Maximil primo anno 1503. de qua re extat Poema Joannis Franciſci Pici Mirandulæ Domini, & Concordiæ Comitis ad Maximil. Imp. De eodem prodigio refert etiam nonnulla Trithemius Chronico Hirſaug. Ad annum 1500. præterea Nauclerus volum. 2. ejusque continuator Nicolaus Baſelius, nec non anonymus continuator Palmerii ad annum Chriſti 1501. & 1503. De eodem etiam latius Alfonſus Ciaccovius in tractatu de ſignis ſanctiſſ. Crucis cap. 23. & 24.

Ergo qualiter regem Longobardorum Berngerus) Res ab Ottone M. ab hoc tempore in Italia geſtas luculenter deſcripſit Sigonius de regno Italiæ lib. 7. Cuſp. in vita Ottonis M. & alii. De metallis in Saxonia inventis hæc habet Ditmarus lib. 2. *Temporibus ſuis* (Ottonis I.) *aureum illuxit ſeculum, apud nos inventa primum argenti vena.* Otto Friſing. Chron. lib. 6. c. 24. *Hic eſt Otto qui poſt multas, quas novi victorias, Græcos quoque in Apulia & Calabria ſuperavit, ac Imperium Romanum virtute ſua ad Francos Orientales reduxit, primuſque venas argenti & æris juxta civitatem Goslariam in Saxonia invenit.* Sigebertus ad annum 968. *Otto Imperator in terra Saxonica venas auri & argenti primus induſtria ſua aperuit.* Theodoricus Engelhuſius ſcribit Ottonem (ſine dubio ut gratum ſe Deo oſtenderet) Goslariæ duas collegiatas eccleſias canonicorum condidiſſe, è metallis vero vehementer ditatum.

Cum rege Danorum Haraldo) Loquitur auctor de Haraldo ejus nominis ſexto, cognomento Blodtant, Gormonis tertii filio, De ejus Chriſtianiſmo agit Adamus Bremenſis lib. 2. cap. 2. & Saxo Grammaticus hiſtoriæ Danicæ lib. 10. Crancius Daniæ lib. 4. cap. 20.

Clericus quidam, nunc vero religioſam vitam ducens Epiſcopus nomine Poppo) Popponis hiſtoriæ non unus meminit ſcriptor Ditmarus lib. 2. *Apud Danos regnante tunc Haraldo contempta Chriſtianitas ſic per Poponem renovata presbyterum. Arguebat enim idem & regem & populum anteceſſorum cultura ſuorum deviantem, Diis & Dæmonib. vacantem, unum affirmans in tribus perſonis Deum. Interrogatus autem à rege, ſi ignito voluiſſet dicta ferro comprobare, paratum ſe ad hoc eſſe hilari reſpondit animo, craſtinaq; die ferrum ingentis ponderis benedictum, ad locum à rege determinatum portavit, manumque ſecuram imperterritus elevavit. Quo rex miraculo lætus ad modum effectus, cum ſuis omnib. Chriſti jugo protinus humiliter ſe ſubdidit, in finemq; fidelium more, præceptis obtemperavit divinis. Imperator autem hoc ut audivit, vocatum ad ſe venerabilem virum Popponem, ſi pugil Chriſti eſſet interrogat, & ſacerdotali honore ſublimat.* Adamus Bremenſis lib. 2. cap. 26. *Henricus duo regna obtinuit, Danorum Sueonumq;, & ipſe paganus Chriſtianis valde inimicus. Ad quem miſſus legatus Cæſaris ac Hammaburgenſis archiepiſcopi Poppo quidam, vir Sanctus & ſapiens, tunc in Sleſuicenſem ordinatus Epiſcopum de regno Danorum ſeu pace Chriſtianorum Cæſaris partes expoſtulavit. Quem etiam ajunt pro aſſertione Chriſtianitatis, cum Barbari ſuo more ſignum quærerent, nihil moratum, ſed ſtatim ignitum ferrum manu tuliſſe & illæſum apparuiſſe. Dumque hoc facile omnem gentibus erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum ſanctus Dei pro ſubmovendo gentis illius paganiſmo, aliud æque magnum oſtendit miraculum: Tunicam, ſcilicet, indutus ceratam, cum ſtaret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit incendi. Ipſe vero oculis ac manibus in cœlum tenſis, liquentes flammas tam patienter ſuſtinuit, ut veſte prorſus ambuſta & in favillam redacta, hilari & jocundo vultu, nec fumum quidem incendii ſenſiſſe teſtatus ſit. Cujus novitati miraculi, & tunc multa millia per eum crediderunt, & uſque hodie per populos & eccleſias Danorum celebre Popponis nomen effertur. Hæc aliqui apud Ripam geſta confirmant, alii apud Sliaſwig.* Albertus Stadenſis: *Hujus* (Ottonis M.) *temporibus Dani ſunt ad fidem per Popponem quendam converſi, qui ferrum candens & ignitum, in modum Chirothecæ formatum, ſine læſione portavit. Quod videns Rex Haroldus, abjecta Idololatria, cum toto populo ad colendum verum Deum ſe convertit. Poppo autem in Epiſcopum eſt promotus.* Vide præter hos Saxonem Grammaticum lib. 10. & Crancium Daniæ lib. 4. cap. 24.

Sed & hæc virtutibus merito patris tui) Iterata apoſtrophe auctoris ad Mathildam Ottonis Magni filiam.

Miſcam regem, cujus poteſtatis erant Sclavi, qui dicuntur Liucaviki) Ditmarus lib. 2.

Digitized by Google

. 2. *Gero Orientalium marchio Luſici & Selpuli, Miſeconem quoque cum ſibi ſubjectis im-iali ſubdidit ditioni.*

Alter vocabatur Selibur, alter Miſtaw.) Ditmarus lib. 2. *Herimannus Dux Seli-rem, & Miſtui cum ſuis Imperatori tributarios fecit.*

Simulacro Saturni ex ære fuſo) Fabricius Originum Saxonicar. lib. 2. putat fuiſſe odonem Deaſtrum antiquum Saxonum fortè à Slavis etiam cultum. Fuit autem odo ſimulacrum viri ſine ullo ornamento capitis, cæſarie intonſa, ſago induti, cum ıctu lineo: pedibus nudis inſiſtebat piſci aculeato & ſquammoſo, quam percam no-nant: ſiniſtra manu elevata rotam tenebat: dextra urceum roſis refertum. Con-atur Chron. Saxon. vetus. Crancius Metrop. lib. 1. cap. 3. Saxon. lib. 2. cap. 12. Tor-atus in annalibus Magdeb. & Halb MS. partis primæ lib. 3. cap. 2.

Vel certe propinquum deflere) Wigmannus vocat ſe propinquum Ottonis Cæſaris, i locus iterum confutat fabulam de obſcuris natalibus Hermanni Billingi, quomodo im Hermannus Billingus coloni filius eſſe potuit, cujus ex fratre nepos regii fuit ſan-inis. Sed hæc in vindiciis Billinganis tractavimus uberius.

Animam multis miſeriis & incommodis repletam pietati creatoris effudit) Sigebertus ;dem Wigmanni junioris collocat in annum 967. quod conſtare minime poteſt. enim ſupervixiſſe eum Geronem marchionem nullum dubium eſt, atque ille, ut ınes affirmant, obiit 965.

Otto divino nutu Imperator) Recitat partem hujus epiſtolæ Sigonius lib. 7. de re-o Italiæ. p. 173. ſed nonnihil variantem.

Filius noſter in nativitate domini) Otto ſecundus coronatus eſt Romæ anno 967. Schafnaburgenſis & Carolus Sigonius. Fuit tum circiter annorum duodecim, ıippe qui in lucem editus anno 955. ut continuator Reginonis.

Græcorum itaq; legatis Imperator ſatis credens) Ditmarus lib. 2. rem geſtam hoc odo recitat: *Otto M. filio ſuimet uxorem ab Imperatore Conſtantinopolitano deſponſare ſiderans, nunciis ejuſdem ob alieni* (lego aliam) *ad ſe miſſis cauſſam, ſuos fideliter com-ſit Principes, hanc legationem ferentes. Quos in ipſo itinere Græci ſolita calliditate improviſo irruentes, alios occidunt, quoſdam vero captos domino ſuimet Auguſto præ-ıtabant. Pauci vero ex his effugientes, Imperatori ſuo rei eventum aperiunt. Hic de-mentum ſuorum graviter ferens, milites optimos, Gunterium ac Sigfridum, tale faci-s adulciſcendum in Calabriam propere miſit. Qui Danaos victoria priori elatos, & ſibi ;urrentes occiderunt, alios autem in fuga comprehenſos obtruncant naribus, tributum à ræcis in Calabria & Apulia extorquentes, ſpoliisque ditati cum gaudio remeabant. Con-ntinopolitani autem funere ſuorum & captivitate triſtes effecti, adverſus Dominum um conſpiravere, doloſæque Imperatricis conſilio per quendam militem peremerunt ndem, loco ejus hunc deſignantes ad Imperii totius proviſorem. Qui mox magnificis ıneribus, comitatuq; egregio, non virginem deſideratam, ſed neptem ſuam, Theopha-am vocatam, Imperatori noſtro trans mare mittens, ſuos abſolvit, amicitiamque tatam Cæſaris Auguſti promeruit. Fuere nonnulli, qui hanc fieri conjunctionem apud ıperatorem impedire ſtuderent, eandemque remitti conſulerent: quos idem non audivit, l eandem dedit tunc filio ſuimet in uxorem, arridentibus cunctis Italiæ Germaniæque pri-ıtibus.* Hactenus Ditmarus. Hic locus cum Widechindo conferendus eſt, ut con-:t, cujus filia fuerit Theophania. Primo autem certum eſt ex Luitprando Cremo-ınſi Epiſcopo, quem Otto Magnus Conſtantinopolim miſit, cujuſque legatio de-ripta paucis ab hinc annis ab Henrico Caniſio ICto evulgata eſt, petitam eſſe Ro-ıani Imperatoris Græci ex Theophania conjugi filiam, quam tamen Liutprandus on nominat. Romano hoc, cui junioris cognomentum tribuitur, vita functo, heophania nubſit Nicephoro Phocæ, homini monſtroſo, planeque qui imperaret, ıdigno. Luculenter eum depingit Liutprandus, quem dixi, quo lectorem remitto. ræci non ferentes hominis mores & vitia, conſilium cædis & operam adjuvante re-ina Theophania, in cubiculo quieſcentem obtruncarunt. Hic quæritur, an Theo-hania privigna Nicephori Phocæ Romani filia miſſa ſit ad Ottonem Imp. Ditmarus, ui de rebus iſtorum temporum optime conſtare potuit, expreſſe dicit, non virginem eſideratam, ſed neptem ab Imperatore Conſtantinopolitano miſſam. Sigebertus iemblacenſis ſcribit Theophaniam fuiſſe neptem Joannis Conſtantinopol. Imp. qui

Cimiſces cognominatus in matrimonio habuit Theodoram Romani junioris filiam. Hujus verò Theophaniæ neptis dici non poteſt, cum ſit conjugis ſoror. Camerarius in Chronologia Nicephoriana dubitat, an Theophania privigna fuerit, vel ſoror Nicephori Phocæ. Itaque aqua hic hæret, ſecundum adagium. Otto Friſingenſis craſſo errore parentem hujus Auguſtæ vocat Theophanium, Chron. lib. 6. cap. 24. Duxit Otto Theophaniam (Nihemius de jure & privilegiis Imperii depravate nominat Theophilam) anno 972. ut Lambertus Schafnaburgenſis. Encomium ejus extat apud Ditmarum lib. 4. verbis ſequentibus: *Hæc quamvis ſexu fragilis, modeſtæ tamen fiduciæ, & quod in Græcia rarum, egregiæ converſationis, regnumq; filii ejus cuſtodia ſervabat virili, demulcens in omnibus pios, terrensq; ac ſuperans erectos. &c.* Sigebertus Gemblacenſis ad annum. 982. notat in ea levitatem & *ἐπιχαιρεκακίας*. Diem ſuum obiit Neomagi anno 990. 17. Kal. Julii, ſepulturæ mandatur Coloniæ ab Evergero archiepiſcopo in æde ſancti Panthaleonis.

Græci vero ad artes paternas converſi) Virgilius lib. 2.

Ignari ſcelerum tantorum, artisq; Pelaſgæ.

Et mox:

——— *Ille dolis inſtructus & arte Pelaſga.*

Euripides in Iphigenia,

Πιςὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν

Græcia nequaquam novit fidem.

Summus Pontifex Wilhelmus) Ditmarus lib. 2. *Wilhelmus Sanctæ Præſul Moguntiæ, cui cura ab Imperatore Domino ſuimet & parente commiſſa fuit Parthenopolin diſponendi, cæteraq; regni neceſſaria regendi, cum ægrotantis reginæ finem Mechtildis expectaret in Reducuerothe 6. Non. Martii moritur. &c.* Annum obitus Schafnaburgenſis ponit 968. cum quo facit Marianus Scotus lib. 3. ætat. 6.

Cujus mater licet peregrina) Cæſar Baronius annalium lib. 10. ad ann. Chriſti 973. hunc locum allegans poſt verba *cujus mater licet peregrina* ſubjungit hæc verba: *nimirum Anglicana Edmundi regis Anglorum F.* Ollas autem hic lippivit Baronius aliàs oculatiſſimus. Potuiſſet rectius erudiri à Ditmaro, quem legit, ſic ſcribente lib. 2. *Wilhelmus de matre quamvis captiva nobili & Slavonica genitus.* Aberrarunt ſimiliter à vero Bruſchius & Merſeus, qui Wilhelmum Editæ Anglicanæ filium faciunt. Videatur etiam Crancius lib. 4. cap. 19. Saxon.

Matrem Imperatoris miræ ſanctitatis fœminam, nomine Mathildam) De Mathilda Auguſta Henricus Bodo in Chronico Gandersheimenſi MS. ſic ſcribit: *Sereniſſima regina Mechtildis ſanctitate clara, & totam ſtirpem Saxonum nobilitans virtutibus ſuis hoſpitalia multa variis in locis erexit. Monaſterium etiam monialium in Northuſen extruxit, quod malo omine in ſecularem canonicatum eſt mutatum virginibus pulſis. Viderint quid fundatrici reſponſuri ſint rei auctores. In Coſungen etiam virginum cœnobium: monaſterium inſuper in Polde, quaſi in Palude ipſa fundavit.* Hæc ille. De nimia ejus ſuperſtitione vide Ditmarum lib. 1. Obiit eodem, quo Wilhelmus arch. Moguntinus anno 2. Idus Martii, ſepulta Quedlinburgi in æde S. Servatii ad latus mariti Cæſaris Henrici, ut viva rogaverat.

Illo quoq; tempore Bernhardus) Bernhardus ſeptimus Epiſcopus Halberſtadenſis, nobilis dominus ab Hademerslebe, fundator monaſteriorum Hademerslebienſis & Halberſtadenſis, quod vulgo das Portenhauß nominatur, obiit 969. ut annotavit doctiſſimus Guilielmus Budæus, Doctor medicus, amicus noſter. Si apud Ditmarum numeri corrupti non ſunt, producendus eſt ejus obitus longius. Etenim ſecundum Ditmarum Bernhardus potitus eſt epiſcopatu anno 923. eumque gubernavit annos 48. neceſſe eſt igitur, ut mortem ejus collocemus in annum 971. Interfuit Bernhardus Epiſcopus Synodo Ingelheimenſi 948. menſe Junio, ubi convenere Germaniæ & nonnulli Galliæ Epiſcopi, teſtis Frodoardus presbiter Remenſis. Paulus Langius in Chronico Citizenſi virum valde venerabilem & Sanctum nominat.

Gero vir magnus & potens jam ante defunctus) Geronis comitis & Marchionis ſupra aliquoties facta eſt mentio, hic propter ejus excellentes corporis atque animi dotes vitam ejus breviter delibabimus. Fuit ex nobilitate Saxonica Dynaſta ad Sylvam Harciniam, ubi hoc tempore Gerenroda. Ad officium & dignitatem comitis evectus, ingenii

genii

Digitized by Google

genii dexteritatem, vigilantiam & induſtriam mirifice tam Imperatori, quam reliquis regni primoribus probavit. Commiſſa igitur ei à Cæſare legatio, quam hactenus Sigfridus comes Merſburgenſis obtinuerat, qua re offenſus Tancmarus bellum civile excitavit, in quo miſere occubuit. Gero in eo officio diligens, meruit ampliores honores, deſignatus præfectus limitaneus, quem Marchionem vulgo nominamus, contra orientales Slavos, hoc eſt, Luſatios, cum quibus continenter bella geſſit, ubi opus, leoninæ pelli, ſecundum Lyſandri apophthegma, vulpinam aſſuens. Non poterat hoc ei vitio dari, quippe cui res cum gente infida, mobili & ad res novas proclivi. Neceſſe erat uteretur iiſdem artibus, quibus hoſtes ſuos illum circum venire ſolebant, & cum Cretenſibus Cretiſaret, ut habet adagium à Plutarcho non ſemel uſurpatum. Refert Widechindus triginta Slavorum principes per inſidias ei exitium machinatos: quorum conſilia cum detecta eſſent, ipſe clavum clavo pellens ad convivium vocatos multoque vino depoſitos, contrucidari juſſit omnes. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Quomodo adiutus à Conrado Imperatoris genero rem feliciter contra Velicos geſſerit, Saxoniamque univerſam immenſo gaudio impleverit, idem Widechindus commemorat. Meſiconem Polonorum ducem ab eo Imperiali ditioni ſubditum refert Ditmarus libro ſecundo. Ob non ſoluta ſtipendia in odium militum incurrit, ſed à Cæſare defenſus eſt, neque multo poſt Ucros feliciter debellat, cæſo duce eorum Stoineſo. Elogium Geronis inſigne admodum extat apud Widechindum lib. 3. idem tot victoriis quot bellis clarum vocat. Filium habuit Sigfridum, de quo paulo poſt, nepotem ejus, incertum an ex filio, à Luſatiis cæſum refert Widechindus. Cataſtrophen vitæ ejus beatam & ardens amplificandæ religionis ſtudium exponit Ditmarus verbis ſequentibus: *Gero defenſor patriæ, dum unici morte turbaretur filii ſuimet illuſtris, Sigfridi, Romam pergens emeritus jam ſenex coram altari Principis apoſtolorum Petri arma victricia depoſuit & apud Dn. Apoſtolicum impetrans brachium Cyriaci ad Dominum cum omni ſuimet hereditate confugit, patriamq; reviſens, nati ſuimet viduam, prius velatam in monaſterio in ſaltu, qui ſuo ſignatur nomine Gerinrod conſtructo Hadui ſtatuit abbatiſſam à Bernhardo conſecratam Chriſto, firmatisque his omnibus, felici hos obitu præceſſit 13. Kalend. Junii.* Hactenus Ditmarus. In itinere Romano Gero inviſit monaſterium S. Galli in Helvetiis, perſpectaque fratrum ſancta converſatione, ab abbate flagitavit, ut in conſortium fraternitatis admitteretur, libras quoque argenti octo obtulit, ut habet traditio, quæ extat tomo ſecundo, parte ſecunda & tomo tertio rerum Alemannicarum, editarum à nobiliſſ. Goldaſto. Facta ſunt hæc anno 950. ut traditio allegata habet. Monaſterium Gerinrodenſe ſcribitur fundatum 962 Triennio poſt obiit Gero, cui poſitum eſt tale Epitaphium: *Anno Domini DCCCCLXV. XIV. Kalend. Julii Obiit illuſtriſſ. Dux & Marchio Gero, hujus eccleſiæ fundator, cujus anima requieſcat in pace. Amen.* De obitu conſentit Reginonis continuator his verbis: *Eodem Anno (965.) Gero marchionum noſtri temporis optimus, præcipuus, obiit.* Chron. Archiepiſcopatus Magdeburg. MS. refert Geronem primum fuiſſe Burggrafium Magdeburgenſem, eique defuncto ſucceſſiſſe Hermannum Billingium. Quomodo in pago Zermund, id eſt, veteri Marchia acquiſierit aliquid ditionis, cognoſcere licet ex diplomate Ottonis M. quod ex annalibus veteris Marchiæ Andreæ Entzelii depromptum, inter cætera infra Widechindo appoſuimus. Et tantum de fortiſſimo Heroe Saxonico Gerone.

Ab expeditione Fraxineti) Fuit arx in Alpium Cottiarum provincia oppido munita, quam anno 891. Saraceni quidam, numero pauci, ſed inſigniter audaces, forte fortuna ex Hiſpania ad littora Italiæ delati, occuparunt, multoſque per annos cum maximo Longobardorum detrimento tenuerunt. Vide Luitprandum Ticinenſem lib. 1. cap. 1. Hugo rex Italiæ poſt annos quinquaginta munitionem hanc oppugnavit, cepit & Saracenos ejecit, teſte Sigeberto. Iidem fortaſſis latibulum hoc latrunculorum rurſus occuparunt, nam Otto M. Imp. in Italia hærens conſilium de nova obſidione cepit, nunciato ſuorum in Germania obitu æger animi à propoſito declinavit.

Capto rege Longobardorum) Innuit Berengarium, hujus nominis alterum, Adelberti Eporregiæ Marchionis ex Giſela Berengarii primi filia, primogenitum. Hunc Otto Imperator debellatum & in poteſtatem ſuam redactum libertati priſtinæ ac regno reſtituerat. Verum cum priori crudelitati & avaritiæ rurſus indulgeret, in monte S.

Digitized by Google

Leonis obſeſſum & ad deditionem coactum cum conjuge Willa, Boſonis Tuſciæ, marchionis filia in Bajoariam relegavit, unde Cæſaris aſſenſu Bambergam ſe recepit, ibique naturæ ſatisfecit honeſtam nactus ſepulturam. Vidua Willa multorum malorum cauſſa ut delicta ſua expiaret ſumpta veſte ſacra monaſterio ſe incluſit.

Obitu optimi viri Ducis Hermanni) Hermannum Billingum Saxoniæ ducem ante Ottonem M. obiiſſe, evincit hic locus: evincit alter apud Ditmarum lib. 2. pag. 23. qui ita legendus: *Calendis Aprilis Hermannus Dux ibi tunc moritur.* Ubi ſimul exponitur, quomodo Bruno antiſtes Verdenſis defuncti principis, etſi conſanguinei, cadaveri Luneburgam à filio Bernhardo deducto prætextu fulminis eccleſiaſtici, ſepulturam denegarit. Errant tam Henningeſius & Reuſnerus, quam Traziger, quorum illi obitum Hermanni in 981. hic in 984. annum collocant. De Hermanni natalibus in Vindiciis noſtris Bilinganis egimus, acturi de rebus ejus geſtis, deque poſteris ſuo loco prolixe.

Tranſtulit corpus patris in civitatem Magdeburg) Viſcera è corpore exanimi eruta condita ſunt Mimlebiæ in æde Mariana, corpus ab antiſtite Magdeburgio Adelberto & à Colonienſe Gerone deportatum eſt Magdeburgum & in æde Mauritiana ad latus Edithæ primæ conjugis depoſitum: marmori inſcripti ſunt hi duo verſus:

Tres luctus cauſſæ ſunt hoc ſub marmore clauſæ:
Rex, decus eccleſiæ, ſummus honor patriæ.

Rudolfus rex Burgundiæ) Frodoardus annum 937. *Rudulfus Jurenſis ac ciſalpinæ Galliæ rex obiit, cui filius parvus Conradus ſucceſſit.* Contractus Agauni ad S. Mauricium humatum ſcribit. Habuit in matrimonio Bertham, Burchardi Suevorum Ducis potentiſſimi filiam, ex qua præter Conradum filium ſuſtulit Adelheiden Ottonis M. ſecundam conjugem.

PANE.

Digitized by Google

PANEGYRIS
HROSWITÆ
Illuſtris & Clariſſimæ Virginis ac Monialis Germanicæ, Gente Saxonica ortæ, verſu Hexametro in laudem & geſta Oddonis Magni Imperatoris Auguſti.

Cum Notis

HENRICI MEIBOMII.

Digitized

VITA
ROSWITHÆ MONIALIS
Gandersheimenſis.

LAurentius Humfredus Anglus, qui aliquandiu religionis cauſa in Germania exſulavit, Roſwitham Poetriam patriæ ſuæ vendicare ſatagit: vult enim fuiſſe filiam Hederici regis Nortumbrorum ex Bregſinda uxore, alio nomine vocatam Hildam, quæ in cœnobiis Britanniæ & Galliæ annos tres & triginta peregerit, fœmina clariſſima & doctiſſima. Verum temporibus decipitur, teſteſque alias ſunt Georgius Fabricius Origin. Saxon. lib. 2. & Henricus Bodo Chron. Ganderſ. MS. Roſwitham Saxonici generis puellam fuiſſe. Sunt qui eam confundunt cum Roſwitha Gandersheimenſi abbatiſſa quarta (Bruſchius Rodeſwindam vocat) quæ Chriſtinæ tertiæ, fundatoris Ludolfi filiæ in regimine monaſterii ſucceſſit, ſed & hi temporibus falluntur. De Roſwitha abbatiſſa Chronicon cœnobii S Michaelis apud Hildeſiam in hunc modum loquitur: *Walbertus ſeptimus Epiſcopus Hildesheimenſis poſt Chriſtinam, Gandersheimenſem abbatiſſam defunctam, Roſwitham ibidem in regimen intromiſit, quæ cæteris excellentior in Logica & Rhetorica extitit, ut ejus libri & ſcriptura teſtantur: compoſuit namq; librum Logicæ valde inſignem.* De eadem Nicolaus Selneccerus Theologus Pædagogiæ parte 1. titulo de uſuris hæc ſcribit: *De Roſwitha abbatiſſa filia regis Græciæ, ut fertur, dicitur, quod Diabolo ſchedulam, qua puer quidam ſanguine ſuo ſcripta ſiei obligaverat, extorſerit.* Noſtra Poetria Roſwitha in Gandersheimenſi cœnobio inſtituta eſt ab adoleſcentia, quod præfatione in hiſtoriam Beatæ virginis Mariæ ipſa teſtatur verbis ſequentibus: *Unde clam cunctis & quaſi furtim, nunc in componendis ſola deſudando, nunc male compoſita deſtruendo ſatagebam, juxta meum poſſe, licet minime neceſſarium, aliquem tamen conficere textum ex ſententiis ſcripturarum, quas intra aream Gandersheimenſis collegeram cœnobii, primo ſapientiſſimæ atque benigniſſimæ Rikardis magiſtræ aliarumque ſuæ vicis inſtruente magiſterio: deinde prona favente clementiæ regiæ indolis Gerbergæ, cujus nunc ſubdor dominio abbatiæ, quæ ætate minor, ſed ut imperialem decebat neptem ſcientia provectior, aliquot auctores quos ipſa prior à ſapientiſſimis didicit, me admodum erudivit.* Hæc ibi. Ex quibus verbis colligere licet Richardam primo, deinde Gerbirgam Roſwithæ magiſtras fuiſſe, quibus ipſa mox in eodem munere ſucceſſerit. Fuiſſe ibidem etiam prælectiones & exercitia Theologica ex ſcriptis Roſwithæ patet, etenim multa ex ſcripturis eleganter profert, & in præfatione, quam diximus, proteſtatur, ſe immatura hac ætate quædam ex apocryphis deſumpſiſſe ex ignorantia, quæ licet dubia ſint, tamen boni conſulenda cenſet.

* Nobiliſſimus Martinus Fridericus Seidelius Conſiliarius Brandenburgicus, cum Icones & Elogia Virorum aliquot præſtantium, qui multum ſtudiis conſiliisque ſuis Marchiam juverunt & illuſtrarunt, publicaſſet, illis HROSWIDÆ noſtræ, Sanctimonialis in Gandersheim, effigiem inſeruit, vocatque HELENAM à ROSSOW. cujus nobilis familiæ hodieque plures ſuperſunt.

Opera Roſwithæ Trithemius lib. de viris illuſtribus Germaniæ hoc ordine recenſet. *Roſuida monaſterii Gandersheimenſis in Saxonia ſanctimonialis virgo, nobilis, ordinis Divi patris Benedicti, in divinis ſcripturis ſtudioſa & erudita, ſecularium que litterarum diſciplinis probe imbuta, ingenio præſtans & clara eloquio, nec minus converſatione, quam eruditione inſignis, ſcripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, quibus ſexum ingenio ſuperans nomen ſuum cum ingenti gloria tranſmiſit ad poſteros. Ex his ego legi ſubjecta.*

Ad Gerbergam abbatiſſam heroico carmine de vita & converſatione intemeratæ Dei genitricis & virginis Mariæ, librum unum.

De aſcenſione Domini eodem carmine lib. 1.
Item de S. Gangolfo lib. 1.

De

De paſſione S. Pelagii Martyris his temporibus in Corduba paſſi lib. 1.
De lapſu Theophili Vice domini & ejus pœnitentia lib. 1.
De lapſu cujuſdam juvenis per S. Baſilium converſi lib. 1.
De Paſſione S. Dionyſii epiſcopi & martyris lib. 1.
De paſſione S. Agnetæ Virginis lib. 1.
Omnia prædicta eleganti carmine Heroico compoſuit.

Scripſit præterea ſex Comœdias imitata Terentium, quarum Prima inſcribitur converſio Gallicani principis, paſſionem includens Joannis & Pauli martyrum.
Secunda eſt de paſſione Agapis, Chioniæ & Hirenæ virginum
Tertia de reſuſcitatione Callimachi & Druſianæ per S. Joannem.
Quarta de lapſu & converſione Mariæ, neptis Abrahæ eremitæ.
Quinta inſcribitur converſio Thaidæ meretricis.
Sexta paſſionem recitat ſanctarum virginum Fidei, Spei & Charitatis.
Scripſit etiam metrice geſta Othonis Imperatoris, lib. 1.
Epigrammatum diverſorum lib. 1. & quaſdam non inelegantes epiſtolas.

Cætera quæ compoſuit ad notitiam noſtræ lectionis non venerunt. Claruit temporibus Ottonis primi & ſecundi clariſſimorum Impp.

Hactenus Trithemius, cujus verba repetit Bibliotheca Geſneri, addens Roſwitham Græcæ linguæ notitiam habuiſſe. Henricus Bodo monachus Cluſenſis in Chron. Gandersheim. MS. meminit poematis Roſwithæ de fundatione monaſterii Gandersheimenſis, cui præmiſerit vitas Pontificum Anaſtaſii & Innocentii patronorum. Verum hoc lucem nondum vidit: quæ à Trithemio commemorata diximus primus evulgavit Conradus Celtes Protucius Francus. an. 1501. Retinuit autem ſcriptionem mediæ ætatis ſcriptoribus uſitatam, quibus nomina Rudolfus, Rutbertus, Ramwardus, & ſimilia in initio aſpirare familiare fuit, cujus etiam meminit Aventinus annalium lib. 1. in nomenclatura operi præfixa. Panegyricum de laudibus Ottonis M. confecit hortatu Gerbirgæ abbatiſſæ, ut teſtatur in præfatione: in ſecundo carmine præliminari innuit Ottonem ſecundum Imp. poema ipſum videre deſideraſſe. Dictio eſt tolerabilis, ſeculum quo vixit, redolens: in proſodiam plurimum peccavit, quod ſexui condonandum eſt. Verum libet quædam doctorum virorum teſtimonia de hac poetria Saxonica ſubjungere.

Johannes Dalburgius Epiſcopus Wormatienſis.

Quæ paucis ætas conceſſit, patria, ſexus,
Roſwitha virgineo præſtitit ingenio.

Idem.

Afro laus ſcenæ: lyra Flacco: bella Maroni:
Multiplicem laurum Roſwitha docta gerit.

Martinus Pelichius primus Acad. Wittebergenſis Rector.

Gloria quanta fuit magnis Ottonibus armis,
Gloria tanta tibi Roſwitha in hiſtoria.

Itelwolfus à Stein.

Hac de Germana, quid Graje, quid Itale ſentis?
Non minus ac veſtræ verba Latina canit.

Johannes Cuſpinianus in Ottone primo Imp.

Res geſtas Ottonis Roſwitha monialis complexa eſt verſibus, qui licet ſint, ut tempora ferebant, neque elegantes, neque ſatis culti, mirandum tamen eſt ingenium muliebre in Saxonia, & in ipſa barbaria educatum & genitum, ea præſtare potuiſſe.

Lilius Gregorius Gyraldus de Poet. Hiſtor. dialogo 5.

Apud Saxonas, id quod mihi miraculo ſimile videtur, floruit Roſwitha monialis, ut nunc dicimus, Ottone videlicet primo & altero Cæſaribus & Imperatoribus, quæ non modo Latine ſed & Græce ſcivit. Scripſit hæc Panegyricum de Ottonum geſtis: item Comœdias ſex, laudes virginis matris elego verſu, quo etiam divi Dionyſii vitam & alia.

Georgius Fabricius Orig. Saxonicar. l. 2. p. 98.

* In Cœnobio Gandershemio floruit Roſwitha Sacerdos: quæ proſa & carmine libros edidit, & Panegyricum Ludolphi pronepoti Ottoni I. Imp. ſcripſit. De hac Poëtria rectius glorientur Saxones, quam Angli: nam Laurentium Humfredum ſuæ eum patriæ vindicantem, non audimus, neque ferimus.

Idem

Idem lib. de Poetis Germaniæ.

Tu quoque vixiſſes meliori Roſwitha ſeclo,
Aonides poteras inter habere locum.

Caſpar Bruſchius in Hiſtoria monaſteriorum pag. 66.

Gerbergæ abbatiſſæ Gandersheimenſi dedicavit Roſwitis puella Saxonica & monialis Gandersheimenſis inſignis Poetria omnia ingenii ſui Poetica & Hiſtorica monumenta.

Præter hos videatur Baptiſta Fulgoſius lib. 8. cap. 3. de claris mulieribus.

* *Gerb. Joh. Voſſ. de Hiſtor. Lat. L. II. c. XLI.*

Roswid quoque, ſive Hroſvith, Gandeshemenſis (quæ nonnullis Roſvita, aut Roſvida, vel Roſvitis, aut Roſvidis, nominatur) claruit temporibus Ottonis II. cujus juſſu non minus, quàm Gerbergæ Abbatiſſæ, heroico carmine hiſtoriam ſeu Panegyricum reliquit de geſtis primi Ottonis, ſive, ut ipſa ſemper vocat, Oddonis. Præterea verſu elegiaco tradidit paſſionem S. Dionyſii Epiſcopi & martyris. Etiam egit de laudibus B. Virginis, item S. Annæ, adhæc de S. Gangulpho & aliis ſanctis. Quæ omnia prodiere Norimbergæ anno CIↃ IↃI procurante Conrado Celte, primo Germaniæ Poeta laureato. Panegyricus vero Ottonis in Germania cum aliis aliquot Rerum Germanicarum Scriptoribus recuſus eſt, cura Juſti Reuberi. Fuit virgo hæc, ut genere nobilis, ita pietate inſignis: nec Latino modo carmine pollens, ſed etiam Græcè docta. Apud Trithemium in catologo legas, fuiſſe coetaneam Johannis Anglici, qui doctrina ſua papatum meruit. Quæ ſi Trithemius ſcripſit, exiſtimarit, vixiſſe circa an. IↃCCCLV. Sed quomodo iis temporibus fuerit, quæ Ottonis I. geſta ſcripſit, idque Ottonis II. juſſu; quæque tertii Ottonis ætate ex vita hac exceſſerit? Neque hoc neſcivit Trithemius, qui in Chronico Hirſaugienſi eam refert ad annum IↃCCCCLXXX. Quare facile iis fidem habeo, qui iſtæc verba catalogo Trithemii ab homine temporum parum intelligente aſſuta eſſe arbitrantur. Sed, ut verba iſta auferamus, ſic quoque mirari ſatis non poſſum, eam à Trithemio in Catalogo, ſi ſeriem ſpectemus, inter illos recenſeri, qui poſt milleſimum & centeſimum annum floruere. Qui error omnino priori contrarius eſt. Neque diſſimulandus error doctiſſimi Humfridi, quando eandem Roſwidam putat eſſe ac Hildam. Nam & locis & temporibus refellitur, cum Hilda Angla fuerit Abbatiſſa in monaſterio Herethow, atque Anno deceſſerit IↃCLXXX. regnante in Northumbria Egfrido: quemadmodum conſtat ex Beda l. IV. Hiſtor. c. XXIII.

Caſimirus Oudinus Supplemento de Scriptoribus Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis.

* Roſweita ſeu Roſweidis, Gandersheimenſis in Germania Sanctimonialis, clara natalibus, ſed clarior in obſcuro ſeculo ob liberales in Sexu fæmineo diſciplinas, quæ tunc à viris aberant. Claruit Anno circiter 980. de qua Joh. Voſſius de Hiſtor. Latin. l. 2. c. 41. Scripſit ſoluta oratione Vitam S. Willibaldi Eiſtetenſis Epiſcopi. Itemque vitam ſancti Vunebaldi primi Heidensheimenſis Abbatis, quas Surius habet in Vitis Sanctorum, Henricus Caniſius in Tomis Antiquar. Lect. Joannes Mabillon ſec. 3. ſanctorum ordinis D. Benedicti tom. 2. p. 176. & ſeqq. 365. & ſeqq.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO HROSWITÆ GERMANICÆ IN PANEGYRIN Oddonum.

GErbergæ illuſtri abbatiſſæ, cui pro ſui eminentia probitatis haud minor obſequela venerationis quàm pro inſigni regalis ſtemmate generoſitatis, Hroſwith Gandersheimenſis ultima ultimarum ſub hujuſmodi perſonæ dominio militantium, quod famula heræ.

O mea domina, quæ rutilanti ſpiritualis varietate ſapientiæ perlucetis, non pigeſcat veſtri almitatem perluſtrare, quod veſtra confectum non ignoratis ex juſſione. Id quidem oneris mihi impoſuiſtis, ut geſta Cæſaris Auguſti, quæ nec auditu unquam affatim valui colligere, metrica percurrerem ratione. In hujus ſudore progreſſionis quantum meæ inſcitiæ difficultatis obſtiterit, ipſa conjicere poteſtis: quia hæc eadem nec prius ſcripta reperi, nec ab aliquo digeſtim ſufficienterque dicta elicere quivi, ſed veluti, ſi aliquis neſcius ignoti per latitudinem ſaltus iturus, ubi omnis ſemita nivali denſitate velaretur obducta, hicque nullo duce, ſed ſolo præmonſtrantium nutu inductus, nunc per devia erraret, nunc recti tramite callis improviſe incurreret, donec tandem arboreæ medietate ſpiſſitudinis, locum optatæ comprehenderet quietis, illicque gradum figens, ulterius progredi non præſumeret, uſque dum vel alio ſuperveniente induceretur, vel præcedentis veſtigia ſubſequeretur, haud aliter magnificarum prolixitatem rerum juſſa ingredi, regalium multiplicitate geſtorum nutando & vacillando ægerrime tranſcurro, hiſque admodum laceſſita, competenti in loco pauſando ſileſco, nec Auguſtalis proceritatem excellentiæ ſine ducatu appono ſubire. Si enim facundiſſimis diſertiſſimorum ſententiis, quas vel modo ſcriptas, vel ocius de his rebus non dubito fore ſcribendas, fuerim animata: fortaſſe nanciſcerer unde mei ruſticitas velaretur aliquantiſper. Nunc autem omne latus tanto magis caret defenſione, quanto minus ulla fulcitur auctoritate: Unde etiam vereor, me temeritatis argui, tendiculaſque multorum non devitare convicii: eo quod verbis pompoſis facetæ urbanitatis exponenda eloquentius, præſumpſerim dehoneſtare inculti vilitate ſermonis. Si tamen ſanæ mentis examen acceſſerit, quæ recte penſitare non neſcit, quanto ſexus fragilior, ſcientiaque minor tanto venia erit facilior: præſertim cum non meæ præſumptionis, ſed veſtræ cauſa juſſionis, hujus ſtamen opuſculi cœperim ordiri. Cur tamen aliorum judicia formido? quæ veſtri ſolummodo cenſuræ, ſi quid feſelli, obnoxia exiſto: vel cur nequeam devitare convicia? Quæ ſolummodo ſilentio ſtudere debeo: ne ſi ſeriem pro ſui utilitate nulli oſtendendam velim propalari, merito omnium ſuccumbam reprehenſioni: Veſtro autem veſtrique familiariſſimi, cui hanc ruſticitatem ſanxiſtis præſentatum iri ſcilicet Archipræſulis Vilhemi judicio quoquomodo factum ſit, æſtimandum relinquo.

Hroswitha Illuſtris Mulieris Germanica in geſta Oddonis primi præfatio.

POllens Imperii regnator Cæſariani
ODDO, qui regis pietate favente perennis
In ſceptris Auguſtalis præclarus honoris
Auguſtos omnes ſuperas pietate priores,
Quem plures gentes paſſim metuunt habitantes,
Muneribus variis Rhomanus donat & orbis:
Exiguum munus ne ſpernas carminis hujus,
Iſte ſed oblatus laudum placeat tibi cenſus,
Quem poſtrema gregis ſoluit tibi Gandeshemenſis,
Quem dulcis patrum collegit cura tuorum,
Continuumque tibi debet ſtudium famulandi.

Digitized by Google

Forſan geſtorum plures ſcripſere tuorum,
Et ſunt ſcripturi poſthæc inſignia multi:
Sed non exemplum quiſquam mihi præbuit horum,
Nec ſcribenda prius ſcripti docuere libelli,
Cauſſa ſed eſt operis tantum devotio mentis.
Hæc & ad audendum ſuadebat opus metuendum,
Nam ſat formido, quod geſta tui modulando
Incaute ſim falſa ſequens, non vera retexens,
Sed hoc non ſuaſit mala nos perſuaſio mentis.
Nec ſumma veri contempta ſponte feſelli,
Sed res ut ſcripſi ſeſe ſic prorſus habere,
Ipſi dicebant mihi, qui ſcribenda ferebant.
Hinc Auguſtales pietas non ſpernat honores,
Quos ſimplex humilis geſſit devotio mentis.
Et cum te libri laudantes congrue multi
Poſt hæc ſcribentur, meritoque placere probentur:
Ordine poſtremus non ſit tamen iſte libellus,
Quem prius exemplo conſtat ſcriptum fore nullo.
Et licet imperii teneas decus Octaviani:
Non dedigneris vocitari nomine Regis:
Donec præſcripto vitæ regalis honore,
Ordine digeſto, nec non ſermone decoro,
Dicatur ſceptri decus imperiale ſecundi.

Alia præfatio ejuſdem ad Oddonem ſecundum Regem: cujus juſſu hunc librum ſcripſit.

Oddo Rhomani præfulgens gemmula regni
Oddonis flos Auguſti ſplendens venerandi:
Cui Rex altithronus, perpes quoque filius ejus
Præſtitit imperium pollens in vertice rerum.
Vilem ne ſpernas vilis textum monialis
Quem præſentari (ſi digneris reminiſci)
Ipſe tui claris juſſiſti nuper ocellis.
Et cum perſpicias maculis ſordeſcere crebris,
Ad celerem tanto veniam mox pronior eſto:
In monſtrando tuis quantum plus pareo juſſis,
Sitis præcepto non urgeret metuendo.
Non foret uſque modo mihimet fiducia tanta:
Ut ſibi præſentis ſcrutandum ruſticitatis
Auderem ſatis exiguum perferre libellum:
Qui præſtante Deo patri ſubjunctus in aula
Ipſius & monitis promptus parere paternis,
Par decus imperii retines concorditer ampli,
Comportans dextra ſceptrum regale tenella:
Sed quia te memini ſublimiter aſſimulari
Nato famoſi regis David Salomoni,
Qui genitore ſuo præſente jubenteque ſancto
Optata regnum ſuſcepit voce paternum.
Ipſius exemplo te contentum fore ſpero,
Qui cum regnando reſideret in arce ſuperba
Prudenter legum condens decreta ſacrarum
Ac penetrans animo rerum ſecreta profundo
Nunc libet & minimis mentem laxare rimandis,
Sed nec conflictum faſtidit rite duarum
Solvere judicii celeri diſcrimine recti,
Prolem reſtitui veræ mandans genetrici.
Hinc ſupplex te poſco quidem noſtrum Salomonem,

Et

Et licet imperii tenearis ſollicitandi
Cura: digneris tamen & propriæ monialis
Tranſcurrens ſeriem nunc lectitare recentem,
Quo male compoſitis verbis mox decidat omnis
Ruſticitas oris, de tractibus imperialis
Nominis & titulo ſignata tui venerando.
Deſpectus nimia meriti tueantur ab aura.

HISTORIA HROSWITHÆ.

Poſtquam ſtirps Caroli Magni deſiit, Imperium Romanum ad Saxones migravit, quod Henricus primus cum uxore Mathilda ſuſcepit.

POſtquam Rex regum, qui ſolus regnat in ævum
Per ſe cunctorum tranſmutans tempora regum,
Juſſit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum (nomen habentem
A Saxo, per duriciem mentis bene firmam.)
Filius ODDONIS MAGNI Ducis & venerandi
Scilicet HENRICUS, ſuſcepit regia primus
Juſto pro populi moderamine ſceptra gerenda.
Hic pollens quantæ fuerat bonitatis honore
Et quanta populos rexit pietate ſubactos:
Qualiter & reges meritis tunc temporis omnes
Præeminet eximius, excedit denique vilis
Hujus carminuli textum nimium vitioſi:
Nam fuit immitis reprobis, blandus quoque juſtis,
Summo conſervans ſtudio legalia jura,
Æqua ſatis meritis reddens quoque præmia cunctis,
Huic rex pacificus dederat de ſydere Chriſtus
Ejus civilem vitæ per tempora pacem.
Omine felici tenuit quoque culmina regni
Ni fallor denos labentis temporis annos,
Nec non bis ternos multum feliciter actos
Conregnante ſua MATHILDA conjuge clara,
Cui nunc in regno non compenſabitur ulla
Quæ poſſet meritis illam ſuperare ſupremis.

Henricus tres filios ex Mathilda ſuſcepit Oddonem, Henricum, & Brunonem Epiſcopum Colonienſem.

TRina quibus Deitas dederat tres denique natos
Jam tum felici diſponendo pie genti,
Ne poſt HENRICI mortem regis venerandi
Imperium regni male ſurriperent ſceleroſi.
Hi ſed regalis nati de germine ſtirpis
Rexiſſent regnum concordi pace paternum,
Quamvis diſſimiles his ſervarentur honores
Binis regnanti ſubjectis ſcilicet uni.
Inter quos primus fulſit ceu lucifer ortus
ODDO micans radiis nimium claræ bonitatis,
Gratia quem regis ſolita bonitate perennis
Rectorem plebi prævidit rite fideli.
Hic ætate prior fuerat, meritis quoque major,
Congruus & ſceptris defuncto patre gerendis.
Non opus eſt verbis ejus ſummam probitatis
Dicere, vel pueri meritum laudabile tanti.
Cui Chriſtus talem jam nunc augeſcit honorem.

Digitized by Google

Poſſidet ut Romam pollenti jure ſuperbam,
Quæ ſemper ſtabilis ſummum fuerat caput orbis,
Edomat & gentes (Chriſto favente) feroces,
Quæ prius Eccleſiam laniabant ſæpe ſacratam.
Poſt hunc HENRICUS fuerat feliciter ortus,
Impoſitoque patris famoſo nomine regis,
Provida quem Domini pariter ſapientia Chriſti
Dignatur ſervare ducem populo bene fortem,
Belliger ut fortis, belli doctiſſimus artis,
Fortiter Eccleſiam præmuniret venerandam,
Ceu murus jaculis obſtans fortiſſimus hoſtis
Poſt hunc Eccleſiæ paſtor BRUN naſcitur almæ,
Gratia Pontificis quem duxit ſumma perennis
Dignam Catholici curam geſtare popelli
Hinc quoque divino nutu patris pia cura,
Abſtractum gremio charæ nutricis amando,
Ipſum ſervitio Chriſti fecit religari,
Ut regni pompis poſſet conſtare relictis
Miles ſtelligera ſemper regnantis in aula.
At Chriſti patris ſapientia vera perennis
Tyronem refovendo ſuum clementius iſtum
Ipſi dona dedit tantæ præclara Sophiæ,
Quod non eſt illo penitus ſapientior ullus
Inter mortales fragilis mundi ſapientes.

Henricus primogenito Oddoni uxorem Eaditham dat, ex qua Ludulfum genuit.

His igitur pueris regali more nutritis
Ipſorum patri famoſo denique Regi
HENRICO placuit (factis quod rite replevit)
Ut vitæ calidas ſoſpes dum carperet auras
Ipſe ſuo primogenito regique futuro
ODDONI dignam jam deſponſaret amicam,
Quæ propriæ proli digne poſſet ſociari.
Hanc non in proprio voluit conquirere regno,
Trans mare legatos ſed transmiſit bene cautos
Gentis ad Anglorum terram ſat delicioſam,
Demandans ut continuo (tardamine miſſo)
Eduardi regis natam peterent, Eaditham,
Quæ patre defuncto jam tum reſidebat in aula
Fratre ſuo regni ſceptrum geſtante paterni:
Quem peperit regi conſors non inclita regni,
Ipſius egregiæ genetrix chariſſima domnæ:
Altera ſed generis mulier ſatis inferioris.
Hæc nam, verſiculis, proles, quam ſcriptio regis,
Hæc, inquam, fama fuerat cunctis bene nota.
Nobilitate potens, primus meritis quoque pollens,
Edita magnorum ſummo de germine regum.
Cujus præclaro facies candore ſerena
Regalis formæ miro rutilabat honore
Ipſaque perfectæ radiis fulgens bonitatis,
In patria talis meruit præconia laudis,
Ut fore judicio plebis decernitur omnis
Optima cunctarum quæ tunc fuerant, mulierum.
Nec mirum meritis ſic lucebat bene primis
Germen ſanctorum quam producebat avorum.
Hanc tradunt ergo natam de ſtirpe beata

OSVAL-

OSVALDI regis, laudem cujus canit orbis,
Se quia ſubdiderat morti pro ſanguine Chriſti.
At regis noſtri venientes denique miſſi
Ad fratrem dominæ jam tunc reſidentis in arce.
Illi nudabant, quæcunque ſecreta ferebant.
Quæ ſibi percerte comperta ſatis placuere,
Moxque ſuæ dulci narrabat voce ſorori,
Exhortans illam regi parere fideli,
Illam qui propriæ proli voluit ſociari.
Cumque ſuæ monitis mente inſtillaret amicis
ODDONIS dulcem pueri regalis amorem,
Colligit innumeras ſummo conamine gazas.
Aſt ubi collecti viſum fuerat ſatis ipſi
Prædictam ſociis domnam comitantibus aptis
Trans mare percerte ſummo direxit honore,
Condonans illi gazas nimium precioſas.
Nec non germanam ſecum tranſmiſit ADIVAM,
Quæ fuit ætatis meriti pariterque minoris:
Quò ſic majorem prorſus conferret honorem
ODDONI nato famoſi regis amando,
Egregie binas ſtirpis mittendo puellas,
Ut ſibi quam vellet ſponſam licito ſociaret;
Aſpectu primo ſed mox EADITH veneranda
Jure placens cunctis habitu ſummæ bonitatis,
Regali nato cenſetur congrue digna,
Hæc illi dulcem peperit clariſſima prolem
Nomine LUIDULPHUM, tantis genitoribus aptum;
Quem Populus merito dilexit amore tenello,
Exoptans prælongari vitam ſatis ipſi.

Henricus moritur & ODDO in Regem ungitur.

IStis ſic habitis inſtabat denique finis
HENRICI regis, cujus mortem gemit omnis
Illius imperio populus jurique ſubactus.
Quonam defuncto regnum ſuſceperat ODDO.
Ejuſdem primogenitus regis venerandus:
Et voto cuncti jam reſpondente popelli
Ungitur in regem (Chriſto præſtante) potentem,
Cui rex gratiolæ cœli munuſcula tantæ
Contulit, ut digne cunctis celeberrimus ipſe
Geſtorum reges fama præcelleret omnes,
Oceanus refluis quos jam circumfluit undis.
Inſuper è tantis ipſum ſacra dextra potentis
Protegit inſidiis occulta fraude paratis,
Et tam magnificis ornat perſæpe triumphis.
Ut credas regem David regnare fidelem,
Jam nunc antiquis fulgentem rite triumphis.
Nec ſolum gentes frenis moderat bonitatis,
Quæ prius imperio patris dederant ſua colla:
Sed multo plures certe ſibi vendicat ipſe,
Subdens gentiles Chriſti ſervis ditiones
Quo pax Eccleſiæ fieret ſtabilita ſacratæ.
Ad bellum certe quotiens proceſſerat ipſe,
Nullus erat populus (quamvis virtute ſuperbus)
Lædere qui poſſet, vel exſuperare valeret
Ipſum cœleſtis fultum ſolamine regis
Ejus nec ceſſit telis exercitus ullis

Ni ſua ſpernendo forſan regalia juſſa
Illic pugnaret, quo rex idem prohiberet.

Henricus ducit in uxorem Arnulphi ducis Bojorum filiam, Judithbam.

AT dux HENRICUS frater regis venerandus
Princeps in regno fuerat tum nempe quieto
Poſt regem plebi merito venerabilis omni
Qui ſibi condigne legali junxit amore
Arnulphi natam Ducis egregii generoſam,
Nomine JUDITHAM vultus ſplendore coruſcam
Ac fulgore magis cunctæ nitidam bonitatis.
His ita digeſtis fuerat pax undique noſtris
Ad tempus modicum, libitoque minus populorum
Bellorum certe ſævo clangore tacente.

Henricus Oddonis frater ab Eberhardo capitur & à fratre liberatur.

O Quam tranquillum ridens deduceret ævum
Fortunata ſatis noſtræ reſpublica gentis,
Quæ nimis imperio regis regitur ſapientis:
Si non antiqui mala calliditas inimici
Turbaret noſtrum ſecreta fraude ſerenum.
Denique devictis alienigenûm bene telis,
Exoritur noſtris ſubito diſcordia fortis,
Læſerat & plebem bellum civile fidelem,
Plusquam bellorum ſtructura frequens variorum
Hujus cauſſa mali fuerat non parva dolendi,
Denique conflictus quorundam non moderatus.
Ex quibus Henrico quædam pars mente benigna
Devovit regis fratri jus vernulitatis
Pars Everhardo Comiti ſtudium famulandi.
At cum quisque ſui peteret ſolamina damni,
Hinc gravior dominis diſcordia naſcitur ipſis.
Tandem percerte conflictu progrediente,
Prædictus præſes male collectas legiones.
Mox ad Caſtellum Badulini capiendum
Ex improviſo mittens ſub nocte nigella,
Duxit captivum fratrem regis generoſum.
HENRICUM vinclis palmas ſtringendo cruentis
Ejus candidulas, ornamentis magis aptas.
Atque ſuas gazas diſperdens quam numeroſas
Ad ſua mox prolem ſecum deduxit herilem
Utitur ut ſocio proprii domini quoque nato.
Quo rex comperto, moerens ſub corde ſecreto,
Deflevit triſtis nimium miſerabile factum:
Vix quoque Germani damnum patiens grave chari,
Nobile mox Abrahæ factum ſequitur patriarchæ,
Quod miſerans egit dum Loth ex hoſte redemit:
Militibusque ſuis ſummo conamine lectis,
Nec non immodica tota de gente caterva,
Pompa regali pergit ſolamina fratri
Ferre ſub ingenti cordis languore dolenti.
Nec mora, quem venit fratrem refovere, redemit,
Autores tanti condemnavitque piacli,
Suſpendens quosdam ligno reprobis reparato,
Quosdam de patria mandans diſcedere cara.

Secunda conſpiratio Everhardi in Oddonem primum.

HIS bene diſpoſitis regis juſſu ſapientis,
Protulit antiqui rurſum mala fraus inimici
Inventum ſceleris primo mage deterioris,
Cunctis horrendum ſeclis meritoque ſtupendum.
Denique prædictus poſtquam rediens Eberhardus
Præſes ab exilio, patriam remeabat amandam
Hæc ſibi gratiola regis præſtante benigna
GISVERTO comiti vinclis ſociatus amoris,
Conſilium dederat (quod non tibi Chriſte placebat)
Ut caperent juſtum regem Domini benedictum.
Et quod plus, juſto non juſtam vim faciendo,
Illum mox proprio deprivarent male regno.
Hoc quoque conſilium perverſa mente repertum
HENRICO regis fratri ſuaſere fideles,
Mulcentes nimium verbis ipſum male blandis.
Quo prius illatum nollet jam reddere damnum,
Ipſorum votis ſed plus parendo nefandis
Suſciperet regnum depulſo fratre regendum.
Qui male blanditis tandem victus ſuadelis,
Proh dolor, ipſorum ſe promiſit fore promptum
Votis, ac firmis hoc confirmaverat orſis.
Sed ſpero certe non ſe ſic corde tenere,
Illis conſenſum ſed vi præbere coactum.
Qui male namque ſpei vacuæ conamine capti
Sperabant regem populis olim dominantem.
Ipſorum fragili citius ſubjungere juri.
Sed rex de cœlis judex æquiſſimus orbis,
Cunctorum ſolus qui cognoſcit cogitatus,
Quanam mortalis potis eſt diſpendere cordis
Commentum tanti ſceleris, virtute potentis
Dextræ confregit, qua cuncta creata creavit:
Scilicet inſidias Chriſti domino reparatas
Vertit in autores tanti meritoque piacli,
Quique ſuos laqueos Domino tendere malignos,
Ex ipſis ipſi primum ſunt illaqueati.

Vincuntur ab Oddone Everhardus & Giſelbertus.

NON me plus licito tantæ Sophiæ fore jacto,
Ut ſperem plene verbis me edicere poſſe,
Quanta gratiolæ Chriſtus virtute paternæ
Sæpius hunc ipſum regem digne benedictum
Fecit multiplices ſalvum percurrere fraudes,
Nec non inſidias hoſtili parte paratas.
Sed nec hoc fragilis fas eſſe reor mulieris
Inter cœnobii poſitæ ſecreta quieti,
Ut bellum dictet, quod non cognoſcere debet:
Hæc perfectorum ſunt conſervanda virorum.
Principium quod cunctorum, finis quoque regum,
Hoc dico ſolum recte quod dicere poſſum.
Sudori quis poſſe dedit ſapientia mentis
Omnia compoſitis ſapienter dicere verbis?
Qui ſolus ſemper fecit miranda potenter.
Quique David regem totiens de fraude fidelem
Eripiens Sauli, ſceptrum regni dedit ipſi;
Hunc pariter regem David pietate ſequentem

Prote-

Protexit de millenis perſæpe periclis.
Denique cum ſolus perpauco milite ſeptus
Eſſet ab adverſis circundatus undique turmis,
Inſuper atque fugam propriæ partis male factam
Pectore mœrenti ferret nimiumque dolenti,
Credere nec paucis ſeſe præſumeret ipſis,
Illum qui reliquis non deſeruere relapſis;
Sed ratus tantum ſe mox graviter moriturum,
Ocius auxilii fultus virtute ſuperni
Miratur turbæ ſe jam ſuperare cruentæ
Tantas absque ſuæ fraudes diſcrimine vitæ.
At ſi forte ſuos (pugna creſcente ſiniſtra)
Audivit ſocios lethali vulnere læſos,
Prædicti regis lacrymans mox utitur orſis
Qui mœrens dixit, triſti cum pectore ſenſit,
Ictibus angelici populum gladii periturum
En qui peccavi (dixit) facinusque peregi,
Hinc ego vindictæ dignus ſum denique tantæ;
Hi quid fecerunt? damnum qui tale tulerunt:
Jam nunc Chriſte tuis parcens miſerere redemptis,
Ne premat inſontes juſto plus vis inimica
Has igitur preculas miſerans divina poteſtas
Parcebat regis ſolita pietate miniſtris
Et dedit optatum miſerans ex hoſte triumphum,
Juſto prædictos Comites examine perdens.
Ipſo namque die quo decepti vacua ſpe,
Speravere ſuis conſtringendum fore vinclis
Regem, qui merito tenuit regalia ſceptra:
Ex improviſo præſes proruperat UDO
Adducendo quidem multam ſecum legionem,
Ac ſubiit varium forti luctamine bellum.
Nec mora: percuſſus periit gladiis Eberhardus,
Gisbertus ſævis fugiens quoque mergitur undis.
At rex interea neſcit tam fortia bella
Adverſo quidni reſidens in littore Rheni,
Nec tunc auxilii ſcivit ſolamina tanti
Jam (miſerante Deo) ſubito caſu ſibi miſſa.
Denique dum pugnæ ſenſit diſcrimina tantæ,
Haud gaudens inimicorum de morte ſuorum,
Sed plus tantorum mœrens de corde virorum:
Sumpſit non modicum (Davidis more) lamentum,
Qui ſuper occiſum doluit regem pie Saulum.
Aſt ubi victores læti venere, videntes
Illius fuſis vultum lacrymis madefactum,
Haud aptum tanto luctum dixere triumpho:
Sed reddi grates regi debere perenni,
Qui tunc impleri fecit pietate fideli
Quod patet in libro regis ſcriptum Solomonis,
Dicentis juſtum de triſticia liberandum,
Nec non injuſtum pro juſto mox fore dandum,
His mentem regis demulcendo ſuadelis,
Ipſum triſticiam cogunt deponere tantam,
Et bene victrici congaudentem Legioni,
Se poſt bella ſuis blandum præbere miniſtris
Quinam lætitiam vultu monſtrans moderatam,
Sed clam ſubtriſtem ſervans in corde dolorem

Red-

Digitized by Google

Reddebat grates imo de pectore Chriſto:
Non dederat propriis ipſum quia tunc inimicis
Prædam, ſed dextra proſpexit rite ſuperna,
Ipſius titulum tanti clarumq; triumphi
Non ſibi ſed Chriſti deſignavit pietati.

Tertia conſpiratio in cædem Oddonis per Henricum fratrem ejus.

HIS Ita digeſtis: modicum tempus requievit
Civilis belli populus luctamine laſſus,
Sed nec ſic veteris finem ſumpſit dolus hoſtis,
Qui ſemper fragiles tentat pervertere mentes,
Poſt factum facinus ſuadens ſuperaddere pejus.
Fertur percerte quorundam pectore bile
Tanto peſtiferi tandem penetrare veneni:
Vt mortem regi vellent inferre fideli,
Ipſius & fratrem populo præponere regem:
Nec timuere diem Paſchæ ſanctum maculare,
Si poſſet fieri ſancto cum ſanguine juſti,
Sed non conſenſit tanti commiſſa piacli
Agnus paſchalis, qui pro nobis redimendis
Se dedit electum patri moriens holocauſtum:
Sed mox conſilium cunctis nudavit eorum,
Et ſic inſontis ſalvatus erat bene ſanguis
Quique rei placitæ ſunt inventi ſceleroſi
Pro modulo culpæ pœnis damnantur amaris.
Quidam judicio condemnantur capitali
Quidam de patria longe pelluntur amanda.

Deſcribitur pœnitentia Henrici propter conjurationem in Regem fratrem.

POST hæc Henricus frater regis generoſus,
Chriſti gratiola tactus ſub corde ſecreto,
Secum tractavit, ſummoque dolore revolvit,
Contra juſtitiam quicquid perfecerat unquam:
Hoc quoque deflevit nimiis perſæpe lamentis
Quod male blanditis horum ceſſit ſuadelis,
Ipſum qui verbis corruperunt ſimulatis.
Sed quamvis talem ferret ſub corde dolorem,
Præſentare tamen ſpatii per tempora longi
Non ſe regali præſumebat faciei:
Abſens ſed cordis ſtudio florente dolentis
Optabat veniæ dari munus ſibi dulce.
Tandem percerte forti devictus amore
Illico pœnalem proicit de corde timorem,
Et ſub nocturnis nimium ſecreto tenebris
Adveniens, in regalem ſe contulit urbem,
In qua natalem regis celebrare perennis
Rex piis obſequiis cœpit ſolenniter aptis,
Depoſitisque ſuis ornamentis precioſis
Simplicis & tenuis fruitur velamine veſtis,
Inter ſacratos noctis venerabilis hymnos
Intrans nudatis templi ſacra limina plantis,
Nec horret hiemis ſævum frigus furientis,
Sed prono ſacram vultu proſtratus ad aram
Corpus frigoreæ ſociavit nobile terræ:
Sic ſic mœrentis toto conamine cordis
Optans præſtari veniæ munus ſibi dulcis.
Quo rex comperto, victus pietate benigna

Inſtantisque memor feſti cunctis venerandi,
In quo cœlicolæ pacem mundo cecinere,
Læti rege ſuo tenera de virgine nato,
Ut pie ſalvaret mundum merito periturum:
Pro diei tantæ pacem portantis honore
Condoluit, miſerans fratri commiſſa fatenti,
Atque ſuam pie gratiolam conceſſit habendam
Illi cum veniæ dilecto munere plenæ.

Henricus Bavariæ Dux eligitur & Hungari bello victi per eum & Bavari.

NEC non poſt aliquot ſpacii tempuſcula parvi
Ipſius juri proceres ſubjunxerat omnes
Famoſæ nimium gentis Bajoariorum,
Ipſum nempe ducem merito faciendo potentem:
Et poſt hæc ultra fuerat diſcordia nulla
Inter eos, animis fraterno fœdere junctis,
Avareſque per hunc ſævi ſæpiſſime victi
Poſt hæc Oddonis regnum regis ſpacioſum,
Non lædunt telis (conſueto more) cruentis,
Tangere nec contingentes audent nationes
Ex terrore ducis tanti nimium tremefacti.
Hic quia prudentis functus valetudine mentis
His hominum monſtris bellis obſtans iteratis
Ad nos pergendi calles recluſerat omnes.
Inſuper & primus Chriſti bene nomine tutus
Audenter cum ſubjectæ plebis legione
Ejuſdem populi patriam petiit ſceleroſi,
Impugnans gentem cunctis retro namque rebellem,
Scilicet & ſpoliis rerum captus variarum,
Quas ſibi communes collegerunt prius hoſtes,
Orbis perplures devaſtantes regiones,
Uxores procerum, ſoboles rapuit quoq; dulces,
Et ſic proſtratis rediit gaudens inimicis.

Uxor Oddonis Regis Editha moritur.

ISTIS ſic habitis properata diecula triſtis
Venerat, ingentem noſtris augendo dolorem.
In qua præfulgens meritis regina ſupremis
Edith præſentis vitæ deceſſit ab oris,
Ipſius imperio genti faciens famulanti
Triſtitiam, nec non nimium cordis cruciatum
Ejus in abſceſſu, magno quam denique luctu
Et non immerito flevit plebecula cuncta,
Quam plus maternæ movit pietatis amore
Quam dominatricis juſſis confringeret artis:
Cui licet à Chriſto requiem ſine fine perennem,
Nec non lætitiam juſtis retro reparatam
Præſtari citius jam non dubitaverit ullus;
Qui meritum vitæ ſcivit laudabile caſtæ
Ipſius ac mitem geſſit quam denique mentem:
Attamen humanæ pro conſuetudine cauſſæ
Non mirum populus planctum ſibi ſumpſit amarum:
Dum ſibi tam ſubito fuerat ſpes tanta ſubacta,
Et facies dominæ nimium regalis amandæ,
Nec non ſubjecti præfulgens gloria regni
Mandantur terræ gremio ſervanda ſub amplo;
Donec aſſurgat, non corruptumque reſumat,
Quod nunc includit tumulus, prænobile corpus.

Lui-

Luidulfus Oddonis filius & filia Lingarda.

HÆC igitur puerum ſupra paucis memoratum
Acriter orbatum dimittebat Luidolſum:
Fœminei dulcem ſexus unam quoque prolem,
Nomine Lingardam, ſumma bonitate coruſcam,
Moribus & facie ſimilem matri venerandæ
In quas percerte ſoboles mox ſtirpis amandæ
Affectu cordis populus deducitur omnis
Magno, pro meritis ſummis utriuſque parentis.
Sed magis ac juſte dulci feruebat amore
Erga regalem puerum dominum Luidolphum,
Ipſum ſpe mentis tota complexus amantis:
Hicque ſibi naturales imitans bene mores
Exierat cunctis blandus dulcedine mentis,
Manſuetus, clemens, humilis, nimiumque fidelis.
Hinc quoque gratiolam (Chriſto præſtante benigno)
Tantam promeruit, meritam digneque recepit,
Gentibus ut cunctis patris imperio religatis
Ut quicunque ſuæ ſaltim perpaucula famæ
Verbula conciperet latebris propenſius auris,
Ipſius in dulcem totus raperetur amorem,
Abſentem venerans animis dominum ſtudioſis:
Quem pater egregius rex & ſenior venerandus
Dilectæ matris mortem graviter patientem
Affectu patrio, nec non pietate benigna,
Digno percerte jam ſublimavit honore.
Subjectis faciens regni digne dominari.

Conradus Franciæ Dux ducit Luitgardam, & Luitdulfus ducit Idam Hermanni Suevorum Ducis filiam, ſic Franci & Suevi Oddonis obediunt imperio.

NEC non Luitgardam ſimili cauſſa venerandam,
Unica fœminei quæ ſpes ſexus fuit illi,
Gratiola parili coluit, provexit, amavit.
Hanc quoque CONRADO vinclis ſociavit amoris
Egregio ſtrenuoque duci, nimium quoque forti
Munere qui talis dignus conſtabat honoris.
Utque ſuo ſubdi nato faceret Luidulfo
Multum devotæ perfecto mentis amore
Francorum gentis dominos prænobilis almos,
Nec non primates Suevorum ſcilicet omnes
Ipſi legali perpulcram fœdere jungi
IDAM juſſit Hermanni natam ducis almi,
Qui fuit illuſtris princeps in partibus illis.
Hæc quoque regalis fuerat conſortia prolis
Promeritis propriæ probitatis digna ſubire,
Ac vice reginæ ſummo veneratur honore
Rege jubente quidem per conſuetam pietatem,
Illam nec habitare locis voluit ſegregatis
Rex idem nati digne ſuccenſus amore,
Sed ceu reginam regnum tranſire per amplum;
Quo ſic dilectus ſentiret filius ejus
Dulcia gratiolæ ſemper munuſcula magnæ
Ipſi cum ſponſa regni ſociatus in aula.

Lotharius rex Italiæ moritur & regnum Athelheidæ Rudolfi filiæ relinquitur: Illa per Berengarium regno ſuo privatur & incarceratur.

INterea rex Italicus gravido Lotharius

Infectus morbo, mundo diſceſſit ab iſto
Italiæ regnum linquens merito retinendum
Summæ reginæ, ſibi quam ſociavit amore,
Regis Rodulfi fuerat quæ filia magni,
Edita magnorum longo de ſtemmate regum.
Cui nomen clarum dictavit ſumma parentum
Nobilitas, illam digne vocitans Athelheidam.
Hæc quoque regalis formæ præclara decore,
Atque ſuæ cauſſis perſonæ ſedula dignis
Factis regali reſpondet nobilitati.
Scilicet ingenio fuerat prælucida tanto
Ut poſſet regnum digne rexiſſe relictum,
Si gens ipſa dolum mox non dictaret amarum.
Denique defuncto, quem prædixi Lothario,
Pars quædam plebis fuerat, quæ retro rebellis
Menteque perverſa propriis dominis inimica,
Reſtituit Berengarii regnum ditioni,
Quod patre defuncto raptum violenter ab illo
Olim per regis manus devenit Hugonis.
Optato certe qui ſublimatus honore
Detegit, invidiæ quicquid ſub pectore triſti
Geſſit, dum regni deflevit regna paterni,
Felleque plus juſto cordis ſuccenſus amaro
Fudit in inſontem concretum quippe furorem,
Injuſtam vim reginæ faciens Athelheydæ
Quæ regnans illi damnum non fecerat ullum.
Nec ſolum celſæ ſolium ſibi præripit aulæ,
Sed ſimul ærarii clauſtris ejus reſeratis
Omne quod invenit dextra tollebat avara:
Aurum cum gemmis varii generis quoque gazis,
Nec non regalis ſertum prænobile frontis,
Ornatus nec particulam dimiſerat ullam,
Nec timuit propriis illam ſpoliare miniſtris,
Obſequiis quoque perſonis regalibus aptis,
Regalique potentatu miſerabile dictu.
Poſtremo quoque pergendi pariterque meandi
Quo vellet, libertatem male denegat omnem:
Solam cum ſola committens namque puella
Servandam, cuidam comiti ſua juſſa ſequenti,
Qui juſſis captus regis non juſta jubentis
Non metuit propriam culpæ ſine crimine domnam
Clauſam carcereis clauſtris ſervare cubili,
Circum diffuſis cuſtodum denique turmis,
Ut mos perſonas eſt ſervari ſceleroſas.
Sed qui de vinclis Petrum tollebat Herodis,
Hanc, quando voluit, miti pietate redemit.

Quomodo in carcere fuit liberata per Epiſcopum Adelhardum.

CErte dum variis animo foret anxia curis
Nullaque ſpes ſibimet certi ſolaminis eſſet:
Præſul Adelhardus factum deflens miſerandum
Vixque ſuæ damnum charæ patiens grave domnæ,
Illi tranſmiſit miſſum mox namque ſecretum,
Utque fugam caperet monitis ſuaſit ſtudioſis,
Ac peteret muris urbem ſtructam bene firmis,
Quæ caput ipſius conſtabat pontificatus.

Hic

Hic loca præſidii mandans tutiſſima certi,
Illi condignum quoque præberi famulatum:
His nam regales monitis pulſantibus aures
Inclyta demandans Elis regina benignis,
Lætior exoptat vinclis abſolvier artus,
Quid faceret tamen ignorat, quia nulla patebat
Janua quæ ſomno preſſis cuſtodibus alto
Illam nocturnis pateretur abire ſub horis.
Sed nec perſonam charam in famulatibus ullam
Subjectam ſibi carcereis poſſedit in antris,
Ipſius implendis eſſet quæ ſedula juſſis,
Ni ſupra dictam ſolummodo namque puellam,
Nec non præsbiterum vitæ laudabilis unum
His ubi continuis narraret cuncta lamentis,
Quæ mœrens animo multum volvebat amaro,
Voti communis placito viſum fuit illis,
Res melius verti, ſtudio ſi forte labenti
Sub terra foveam facerent fodiendo ſecretam
Per quam de vinclis poſſent evadere duris
Hæc ita percerte conſtat completa fuiſſe
Ocius, auxilio Chriſti præſente benigni.
Nam caute fovea juxta placitum reparata
Advenitque libertati nox apta recenti,
In qua dum ſomnus plebis proſerperet artus,
Tantum cum ſociis regina piiſſima binis
Cuſtodum fraudes fugiens evaſerat omnes,
Atque viæ ſpacium noctis ſub tempore tantum
Pertranſit, plantis quantum valet ergo tenellis.
Sed mox ut ſciſſis ceſſit nox furva tenebris,
Atque polus radiis cœpit palleſcere ſolis,
Abſcondens in ſecretis ſe cautius antris,
Nunc vagat in ſylvis, latitat nunc denique ſulcis
Inter maturas Cereris creſcentis ariſtas
Donec nox ſolitis rediens induta tenebris
Obtegit rurſum nebulo terram tenebroſo:
Tunc iterato viam ſtuduit percurrere cœptam.

Quæritur per diverſa loca Athelheyda regina.

DEnique cuſtodes illam non invenientes
Narrabant factum Comiti multum tremefacti,
Cura cui conſervandæ fuit, inclyta domnæ
Qui terrore gravis percuſſus corde timoris
Pergit cum ſociis illam perquirere multis:
Et cum deficeret, nec jam dignoſcere poſſet
Quo regina ſuum tulerit Clariſſima greſſum,
Detulit ad regem Berengarium timidus rem.
Hic quoque continuo nimiam converſus in iram
Circumquaque ſuos ſubito mittebat alumnos,
Præcipiens illos nullum tranſire locellum,
Sed caute cunctas jam perluſtrare tenebras,
Si forſan latebris regina lateret in ullis.
Ipſeque cum fortis ſequitur turba legionis
Ceu qui vult hoſtes bello ſuperare feroces,
Et rapido ſegetem curſu peragravit eandem,
In cujus ſulcis latuit tunc domna recurvis,
Hæc quam quærebat, Cereris contecta ſub alis.
Scilicet huc illucque locum percurreret ipſum,

In quo non parvo jacuit terrore gravata,
Et quamvis circumpoſitos disjungere culmos
Niſibus extenta cunctis temptaverit haſta,
Non tamen invenit, Chriſti quam gratia texit.
Aſt ubi confuſus rediit, nimium quoque laſſus:
Præſes Adelhardus mox advenit venerandus,
Induxitque ſuam gaudenti pectore domnam.
Intra namque ſuæ muros urbis bene firmos:
Hicque ſibi digne toto ſervivit honore,
Donec majorem Chriſto miſerante decorem
Regni ſuſcepit, pridem quem mœſta reliquit.

ODDO intravit Romam, & duxit in uxorem Athelheydam miſſo prius Ludolfo filio, ut res Italiæ exploraret & Adelhaidam in Germaniam duceret.

DEnique noſtrates quidam, tunc experientes
Reginam domino deſolatam fore charo,
Cujus prædulcem guſtaverunt pietatem:
Crebrius Oddoni magno tunc denique regi
Auguſto, Sed Rhomani nunc denique regni
Nullam dicentes aliam conſiſtere dignam
Tecta ſub ipſius thalami regalia duci,
Poſt obitum dominæ flendum cunctis Eaditha.
Et rex lætatus tantæ dulcedine famæ
Pectore volvebat tacito per tempora longa,
Quo pacto ſibi reginam conjungeret iſtam,
Quæ fuit inſidiis regis circundata tantis.
Venit & in mentem, prædictum denique regem
Qui quondam patriis fuerat depulſus ab arvis,
Ejus & auxilio citius miſerante reductus,
Ingratum fore nunc donis tantæ pietatis.
Hinc quoque mox aditum ſibimet providerat aptum
Ipſius Italicum juri ſubjungere regnum.
Hoc ubi colloquio ſenſit narrante paterno
Patris amor verus, ſpes & gentis Luidulfus;
Non ſua ſollicitans, patris ſed commoda tractans,
Perpaucis ſecum ſociis ſecreto reſumptis
Italiam petiit, fortique manu penetravit,
Exhortans patris imperio populum dare collum:
Moxq; redit clarum referens ſine Marte triumphum:
Quo rex comperto populis narrantibus Oddo,
Corde ſuper natum læto plaudebat amandum,
Ipſius cauſſa, qui jam diſcrimina tanta
Audacter ſubiit gentem turbando ferocem.
Utque labor talis non fruſtraretur amoris,
Ipſe quidem gentem feſtinus adivit eandem,
Plebis non parva propriæ comitante caterva,
Regalis pompæ vario comptuſque decore,
Alpibus accinctas altis intraverat oras.

Berengarius adventum Oddonis in Italiam audiens Papiam ſe contulit, quam Oddo cepit.

HIS Berengarius compertis obſtupefactus,
Non bellum movit regi, non obvius exit,
Sed ſe ſalvandum caſtello protinus apto
Intulit, in tutis poſito firmiſque locellis.
At Rex famoſus noſter virtute ſuperbus
Audacter ſatis ignotas pertranſiit oras,

Digitized by Google

Italici Papiam regni cepit quoque domnam.
Qua certe capta cuncti velut agmine facto
Quærentes regem proceres venere recentem,
Certabantque ſuo juri ſe ſubdere magno.
Quoſnam more ſuo ſuſcepit mente benigna,
Promittens ipſis ejus munus pietatis,
Si poſt hæc illi ſervirent mente fideli.

ODDO nuptias cum Athelheyda Papiæ celebrat.

IStis ſic habitis: Crebro tractamine cordis
Reginæ ſatis egregiæ memor eſt Adelheythæ,
Regalem certe cupiens quandoque videre
Ipſius faciem cujus didicit bonitatem:
Unde quidem mandatelis ſecretius actis
Quæ fuerant pacis nec non prædulcis amoris,
Sub ſigno fidei firmæ mandaverat illi.
Hoc quoque ſuadelis exhortabatur amicis.
Ut celeri Papiam curſu peteret populoſam
Urbem, quam cum triſtitia dimiſit amara,
Quo præſtante ſacra regis pietate perennis
Hic modo ſublimem gaudens captaret honorem
Quo prius ingentem fuerat perpeſſa dolorem.
His mandatelis ceſſit regina benignis,
Et quo juſſa fuit pariter comitantibus ivit
Permultis ſubjectorum cuneis populorum.
Ut rex hos ſenſit, cujus mandamine venit,
Ipſius HENRICUM fratrem præcepit amandum
Hujus in occurſum regredi trans littora Padi,
Ut ſublimandam regni ſplendoribus heram
Tanti compoſitus ducis ornaret famulatus.
Qui ſtudio mentis præcepta ſequens ſenioris
Egreditur certe cum regali legione,
Caſtraque reginæ gaudens petiit venerandæ,
In quis cum ſociis reſidebat denique multis,
Illam condigne ſummo comitatus honore.
Donec regali præſentaret faciei,
Quæ merito regi ſtatim placuit ſatis ipſi;
Eligiturque ſui conſors digniſſima regni.

ODDO rebus Italiæ compoſitis cum regina uxore Saxoniam petit & Conrado Papiam & Italiam committit.

TUNC rex ſe novitate rei cernens retineri
Tempore ne patrias inſtante rediret ad oras:
Luidulfum placuit charum præmittere natum,
Ut gens Saxonum fortis volitaret ad illum,
Et regnum ſub patrono ſtaret ut bene tanto
Qui parens juſſis devota mente parentis
Ad patriam rediit curam regnique recepit:
Omnia prudenter nec non nimium ſapienter
Complens, in patria quæ tunc fuerant facienda.
Interea dux Henricus regis venerandus
Frater, in Italia cordis conamine ſummo
Obſequiis operam geſſit regalibus aptam,
Officium non germani ſolummodo chari
Sed mage jus ſervi ſtudio complendo benigni:
Hinc non immerito regi placuit ſatis ipſi.
Eſt quoque reginæ fraterno vinctus amore,
Affectuque pio fuerat dilectus ab illa.

Digitized by Google

Tunc rex Italiæ peragraverat undique regnum,
Primates regni propriæ ſubdens ditioni.
His quoque completis juxta votumque locatis.
Ne Beringarius regnum raperet ſibi rurſum
CONRADUM cum non paucis ex agmine lectis
In Papia reſidere ducem juſſit Sapientem
Cui veneranda ſuæ dederat conſortia natæ.
Ipſeque continuo rediit cum conjuge clara,
Intendens patriæ ſedem feſtinus adire:
Quem gaviſa quidem plebs ſuſcepit venientem
Altithrono grates ſpargens ſuper æthera dulces,
Qui miſerando ſuæ plebis ſolita pietate,
Quem pius elegit, regem cum pace reduxit.

Conradus ducit Berengarium ad Oddonem, quem Oddo regno Italiæ reſtituit.

HAC ita lætitia dignis rebus celebrata,
Advenit Dux Conradus cum pace reverſus;
Adducens Berengarium ſuprà memoratum
Ipſius ingenii captum ſic arte profundi:
Gratis ut Oddoni venit ſe ſubdere regi
Tunc idem rex qui ſemper fecit ſapienter,
Hunc regem certe digno ſuſcepit honore
Reſtituens illi ſublati culmina regni
Iſta percerte tantum ſub conditione:
Ut poſthæc cauſſis non contradiceret ullis
Ipſius imperio multis longe metuendis
Sed (ceu ſubjectus) juſſis eſſet ſtudioſus.
Hoc quoque ſollicitis decrevit maxime dictis:
Ut poſthæc populum regeret clementius ipſum,
Quem prius imperio nimium contrivit amaro,
Qui ſe complendis ſimulans promptum fore juſſis
Ocius abceſſit, patriam lætuſque petivit.

Berengarius reſtitutus rurſus bellum in Italia commovet.

AST ubi ſublimem regni poſſederat arcem,
Læſus ſuadelis quorundam namque ſiniſtris
Mox infelici graviora quidem juga genti
Infert vi magna, pro deſpectu ſibi facto:
Se regnum precio conteſtans emere magno,
Nec fore culpandum ſi jus fregiſſet avorum.
Sed magis ODDONI culpæ meritum reputari
Ipſi, primates plebis qui venderet omnes.
Hæc res ad regem mox ut devenit eundem,
In Berengarium juſta ſuccenditur ira,
Corde ſuper populi damnis mœrens miſerandi:
In meliuſque ſtatum ſtatuit convertere rerum.
Et faceret citius, Chriſti munimine fultus,
Si non fortunæ reſtaret cauſſa ſiniſtræ.
Namque decore ſui florente per omnia regni,
Cum ſe gauderet cunctis fulgere ſecundis:
Protulit antiqui renovata lues inimici
Fraudis commentum cunctis per ſecla dolendum,
Jam tunc pacificum tentans confundere regnum.
Hoc ut quantocyus poſſet patrare malignus,
Regni rectores primum turbaverat omnes.
Sperans interitum plebis mox eſſe futurum.
Denique famoſi natus regis Luidulfus

Ut

Digitized by Google

Ut cognovit amicitiam, ſignis ſatis aptis
Qua tunc perfectæ fidei dilexit amore
Henricum regis fratrem regina fidelis.
Quodque ſuæ fidei ſtudioſe ſubdidit omne:
Tangitur interni jaculis ſecreto doloris,
Haud ira fervens, odii nec felle tabeſcens,
Sed ſuper amiſſo charæ genetricis amore
Ex ægri latebris ducens ſuſpiria cordis
Deceptusque malis per multorum ſuadelis
Pertimuit (fragilis pro conſuetudine mentis)
Quod poſt non uti donis deberet honoris
Condigni, ſed forte locum ſubire ſecundum:
Quod fieri Chriſtus nunquam permitteret æquus,
Si ſtaret regnum juſta ſub pace quietum.
Aſt ubi ſub triſti vultu ſæpisſime patri
Monſtratur mœſtus ſolito nec more ſerenus,
Senſit deceptum ſerpentis fraude doloſi:
Sed quo legalem patris hinc augeret honorem,
His rex compertis ex proſperitate fidelis
Lætatus prolis tota dulcedine mentis
Hæc illi mandat ſcriptis extemplo remisſis:
“ In ſeclum ſecli maneat laus omnipotenti
“ Qui dedit in tantis temet gaudere ſecundis:
“ Grates atque tibi dentur carisſime fili
“ Quem conſtare quidem penitus cognoſco fidelem.
“ Haud obſcura tuæ fidei quia ſigna dediſti:
“ Cum per te regnum cupiens augeſcere noſtrum
“ Signaſti nobis proprii decus omne laboris.
“ Hinc ego gratanter quæ feciſti ſapienter
“ Accipiens vice converſa condigna rependo,
“ Hoc ipſumque tibi regnum committo regendum,
“ Imperio ſubdi noſtro quod conſtituiſti!
“ Præcipioque tibi jusſis dilecte paternis,
“ Ut quem victrici populum dextra ſuperaſti
“ Abſque mora tecum facias firmare tenendum
“ Fœdus cum juramento ſtructum metuendo
Hæc dux Luidulfus decreta legens venerandus
Lætior ex mandatelis tantæ pietatis
Jusſis cum juramento relegat ſibi firmo
Ad patris obſequium populum digne moderandum:

ODDO ſecundo Italiam petit & coronatur in Imperatorem.

HIS bene diſpoſitis ſummo cum fœdere pacis
Ardens abſentis faciem meruiſſe parentis,
Conjugis & Charæ dulci devictus amore
Ac prolis geminæ longè poſt terga relictæ:
Poſthabitæ fines patriæ placuit repedare,
Quo poſt exilii pondus nimium grave duri
Poſſet quandoquidem patriæ captare quietem
Utque celer morulis hæc impleret ſine cunctis,
Non iter optatum pondus tardaverit ullum:
Collectim patrias jusſit præmittere gazas,
Ipſius & faciem turbam præcedere totam,
Quam belli cauſſa ſecum deduxerat illo,
Promittens ipſum (vita comitante) futurum
Ad fines patriæ ſpatii poſt tempora parvi.
Hoc quoque mellifluí mellis ſignaverat oris

In quis caſtellis in quis voluitque locellis,
Sumptus hoſpitii dignos ſibimet reparari
Hac moti fama noſtrates deſiderata
Affectu cordis ſtudebant inferioris
Omneque mœroris pondus cunctique doloris
Quod prius abſentis cauſſa tulerant ſenioris
Ex animo deponentes communiter omnes
Cauſſam lætitiæ duxerunt eſſe ſupremæ,
Si poſt paucorum veniſſent ergo dierum
Curſus, promiſſi juxta præconia læti.

* * *

Atque ferens ſceptrum capitis diademate pulcrum
Atque ſui cultus omnes regalis amictus:
Ornatus ſed majoris ſuſcepit honoris
Auguſto ſummo pariter mox conbenedicta.

ODDO factus imperator Berengarium in exilium mittit cum uxore Villa, Papam deponit, & rediens in Saxoniam filium infantulum in cunis in regem Aquisgrani creat.

HActenus Oddonis famoſi denique Regis
Geſta (licet tenui Muſa) cecini modulando
Nunc ſcribenda quidem conſtant, quæ fecerat idem
Auguſtus ſolium retinens in vertice rerum:
Tangere quæ vereor, quia fœmineo prohibebor
Sexu: nec vili debent ſermone revolvi,
Qualiter invicti duro luctamine belli
Obtinuit conſtructa locis caſtella marinis,
Quæ Berengarius conjunx poſſedit & ejus,
Ac illum juramento cogente peracto
Miſit in exilium miſera cum conjuge Willa.
Qualiter & recti compunctus acumine Zeli
Summum Pontificem quædam perverſa patrantem
Ejus nec monitis dignantem cedere crebis
Sedis Apoſtolicæ fraudari fecit honore,
Conſtituens alium Rectoris nomine dignum:
Qualiter & regno tranquilla pace quieto
Noſtrates adiens illinc iterumque revertens
Ipſius prolem poſt illum jam venientem
Scilicet Oddonem nutricis ab ubere regem,
Ad faſces Auguſtalis provexit honoris,
Exemploque ſui digne fecit benedici.
Hæc igitur noſtris nequeunt exponier orſis:
Sed quærunt ſeriem longe ſibi nobiliorem
Hinc ego tantarum prohibente gravedine rerum
Ultra non tendo: finem ſed provide pono.
Poſt hæc incepto ne ſuccumbam male victa
His ita finitis & ſummatim replicatis,
Eſt ingens regis pietas oranda perennis
Quo prius Auguſtum præſtet deducere noſtrum
Inſtantis vitæ tempus feliciter omne
Et fultos ſemper cunctis ad vota ſecundis
Eccleſiæ multos cuſtodes ſervet in annos,
Nobis ſolamen dantes clementius, AMEN.

HROSWITÆ HISTORIÆ DE GESTIS ODDONUM FINIS.

HENRI-

Digitized by Google

HENRICI MEIBOMII.

NOTÆ


Ad Panegyricum Roſwithæ.

CUM, quæ in hoc poemate aliquid obſcuritatis ſive difficultatis habitura videntur, in Notis ad Widechindum ſuo loco illuſtrata ſint, neceſſe non eſt, ut hic prolixi ſimus: pauca tantum ibi præterita enucleabimus. Gerbirgis ejus nominis ſecunda cœnobii Gandersheimenſis magna ſacerdos, cui Roſwita poema ſuum conſecravit, filia fuit Henrici Rixoſi Ducis Bavariæ ex Juditha ſive Jutta Arnolfi Bavariæ Ducis filia herede. Sororem germanam habuit Heidewigin, uxorem Burchardi Suevorum Ducis, cui, exauctorato filio Ludolfo, Otto Imp. Ducatum commiſit, occubuit in bello Ungarico anno 955. Fuit Heidwigis ſingularis ingenii & naturæ mulier, moribus ſupra ſexum ſeveris, Græcè & Latine docta, proficiendi ſemper avida. Quomodo Imperatoris Græci Conſtantini nuptias, à quibus abhorrebat, declinarit, invenies apud Ekkihardum juniorem de caſibus monaſterii Sangallenſis cap. 10. Præterea Gerbirgis germanum habuit Henricum Hezelonem, itidem ducem Bavariæ, qui cum anno 995. ad ſororem divertiſſet, peſte correptus Gandersheimii obiit, ſepultus in templo primario ante aram S. crucis, ut Ditmarus lib. 3. Gerbirgis à collegio concorditer electa conſecrationem ab Ochwino (Ditmarus Advinum nominat) Epiſcopo Hildeſemenſe accepit: præfuit, annos circiter 50. nam ſcriptores variant. In ſuburbio oppidi Gandersheim condidit monaſterium ſanctimonialium, quod ab Ottone ſecundo Imp. confirmatum eſt ſequenti diplomate.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum induſtria, qualiter neptis noſtra Gerbirg nominata, Gandersheimenſis cœnobii Abbatiſſa, quoddam ibidem monaſterium, in ſuperiore plaga civitatis ſitum, penitus à fundamento conſtruere in honore ſanctæ Mariæ ob cœleſtis gaudii ſpem proponens, voluntate ſanctimonialium ſuarum ibidem prius manentium conſtituit: Illucq; triginta ſanctimoniales in divini ſervitii collegium aggregavit. Quibus vero tam ibi manentibus, quam in poſterum manſuris, victum & veſtitum procurans, quandam proprietatem ſuam Sundronhof in pago Gollochſcune / *& in comitatu Gerungi conſitam, cum omnibus ea die ad hanc ſervientibus, & omnes cenſuales, qui ſingulos ſolidos pro capite quiſq; perſolvent, tam ad hoc prædium, quam ad aliud Paldoluesheim nuncupatum, jure pertinentes cum omnibus ſuis utriusq; ſexus mancipiis, quæ jure potuit tradere, nec non omnibus rebus cujuslibet poſſeſſionis, excepto auro coccino, ad hoc etiam & cenſores alii fideles in Saxonia in loco Ebte terram unam, quam vulgo Seliland vocant, alteram in Makkenrode & tertiam in Abbaetiskonrod, in Heringehuſomarcha pro ejus voluntate ob animarum parentum noſtrorum remedium ibidem quieſcentium, nec non omnium ſanctimonialium illic defunctarum, vel deinceps futurarum requie, eidem Eccleſiæ & XXX. ſanctimonialibus Deo illic & ſanctiſſimæ ejus genitrici ſub regula ſancti Benedicti Abbatis ſervientibus, in perpetuum uſum cum Advocati manu contradidit: aliamq; ejus proprietatem Paldoluesheim cum omnibus ea die ad hanc ſervientibus ad illud vetus monaſterium, quod primitiva eſt Eccleſia, cum manu etiam Advocati ea ratione contradidit, ut ſi aliquid*

Digitized by Google

ipſæ noviter conſtitutæ in conſiliis egeant, & forte in rebus deficiant à veteri monaſterio habeant. Quo facto ipſa noſtram adeunte ſerenitatem plurimumque rogante pro genitoris noſtri omniumq; debitorum, animabus, arbitrium illis inter ſe Abbatiſſas quaſcunq; communiter voluerint cum aſſenſu veteris monaſterii abbatiſſæ eligendi noſtra potentia conceſſimus. Inſuper etiam pro jam dictorum parentum noſtrorum requie noſtri juris proprietatem, quantum in loco Brunnimehuſon habuimus & XX. familias & totidem manſos, in villis Sebuſon Wurohthuſon, Pilindon, Hammingorod, ſitos, ad idem novum monaſterium noſtra Imperiali potentia conceſſimus, firmiterq; in perpetuum uſum donavimus, cum utriuſq; ſexus mancipiis, ædificiis, terris, cultis & incultis, pratis, paſcuis ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, & cum omnibus juſte adhuc pertinentibus in comitatu Rotwigi Comitis ſitis, Eo tenore, ut hæc ad ejuſdem ſtatum monaſterii ſub manu abbatiſſæ firmiter, uti cæteræ res ad Eccleſias à regibus & imperatoribus contraditæ, conſiſtant. Et ut hæc noſtra conceſſionis & donationis auctoritas firmior ſtabiliorq; cunctis perpetim credatur, hanc cartam inſcribi, anuloq; noſtro ſignatam manu propria ſubtus firmari curavimus.

Signum Domini Ottonis  invictiſſimi. Imp. Auguſti.

Willigiſus Cancellarius vice Roberti archicapellani ſubſcripſi.

Data VII. Idus IV. N. Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. Indict. 1. Anno regni domini Ottonis XIII. Imperii autem VI. Actum Gruonaha feliciter. amen.

Edvardi natam regis peterent Eadithham) In hiſtoria regum Illyricorum nominatur Etuta Honuni Dardanorum regis filia, quæ primo nupſit Platori Pleuruti Illyricorum regis filio, quo à fratre Gentio, quod ſuſpectas haſce haberet nuptias interempto à fratricida conjunx eligitur. Hujus Etutæ nomen idem eſſe putat cum Edithæ Anglicanæ nomine, ut ſit Editha, Hethute, cuſtodia patris, de qua conjectura cuilibet liberum eſto judicium.

Oſvaldi regis cujus laudem canit orbis) Oſvaldus rex Nortumbriæ Chriſtianiſſimus patrem habuit Ediſfridum Nordunbriæ regem matrem Acham. Cedwaldum Britannum ſuos ultus occidit, potitus regno integro & ſubjugatis Pictis & Scotis. Regnavit annos 9. occiſus in prælio cum Penda rege Merciorum in campo Maſerfeld anno 642. ſucceſſorem habuit Oſwinum fratrem. Catalogo ſanctorum Oſwaldus adſcribi meruit, dignaque eſt hiſtoria de liberalitate ejus erga pauperes, quam præcipuè declaravit in præſentia Aidani Epiſcopi, cujus promiſſo & benedictione manus ipſius dextra à vermibus deinde non conſumpta eſſe ſcribitur. Vide Bedæ hiſtoriam eccleſiaſticam gentis Anglorum libr. 3. cap. 2. 3. 6. 9. Encomium Oſwaldi habet continuator hiſtoriæ Anglicæ lib. 1. cap. 4. In veteri codice MS. reperi de eo hoc diſtichon.

Oſwalt terdenis vixit rex optimus annis,
Regnavitq; decem mox ſubeundo necem.

Ungitur in regem Chriſto præſtante potentem) Coronatio Ottonis M. Imp. deſcribitur à Witichindo initio lib. 2. luculentius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 936.

Conradus Franciæ Dux ducit Luitgardam) Satis ſuperque ad Witichindi hiſtoriam de Conrado Duce Ottonis M. genero diximus, hoc loco de poſteris ejus agemus. Derivant enim ab eo genus Conradi Saliqui Imp. Stemma tale eſt.

Wer-

Wernerus natus ex illuſtri familia, quæ patria lingua Gorblingen cognominatur, ut Cuſpinianus.

Conradus, cognomento ſapiens, Dux Wormatienſis, ut Otto Friſingenſis, ut alii Franconiæ.
Uxor ejus Luitgarda Ottonis M. Imp. filia.

Henricus ſive Henzilo uxor Adelheidis Lotharingica.

Bruno Papa alio nomine Gregorius V.

Conradus Dux Carinthiæ obiit 1012.
Uxor Mechtildis filia Conradi regis Burgundiæ.

Conradus ſenior cognomento Salicus, Rom. Imp. obiit 1039.
Uxor ejus Giſela filia Hermanni Ducis Alemanniæ obiit 1049.

Gebhardus Epiſcopus Ratisbonenſis electus anno 1036. ſepultus in monaſterio Oringaw.

Cuno junior Adalberonem Ducem Carinthiæ vicit apud Ulmam Anno 1019. moritur 1039.

Henricus tertius Rom. Imp. Auguſtus.
Uxor Gunhildis filia Canuti Angliæ, Daniæ & Norwegiæ Regis obiit 1038.

Henricus quartus.

Cuſpinianus in hiſtoria Cæſarum in vita Conradi Salici, patrem ejus nominat Hermannum, nepotem Conradi Ducis Franconiæ ex filio Ottone, quod aperte pugnat cum Wippone & Hermanno Contracto, qui concorditer Salici parentem Henricum vocant, hoc modo genealogiam deducentes.

Conradus Cæſaris gener.

Otto Dux Franconiæ.

Cuno ſive Conradus.

Sigfridus

Eberhardus

Hermannus Comes Franconiæ.
Uxor ejus Adelheidis nata in Francia Orientali.

Conradus Salicus Imp.

Gebhardus Epiſcopus Ratisbonenſis.

Juditha uxor Guilielmi Comitis Montisferrati.

Giſela Conradi Salici uxor ante hoc poſtremum matrimonium connupta fuit cum Brunone ejus nominis ſecundo marchione Saxoniæ filio Ludolfi marchionis urbis Brunſuigæ amplificatoris. Encomium Giſelæ habet Wippo in vita Conradi Imp. his verbis. *Erat Giſela liberalis ingenii, illuſtris ſolertiæ, avida gloriæ non laudis, pudoris amans, foeminei laboris patiens, incaſſum minime profuſa, in rebus honeſtis & utilibus abundè larga, dives in prædiis, ſummos honores bene tractare perita.*

Digitized by Google

Præſul Adelbardus factum deſtens miſerandum) Adelardus Epiſcopus Regienſis, poſtquam Adelheidis ex cuſtodia in caſtro Gardæ ad lacum Benacum Martini ſacerdotis ſui ope evaſiſſet, quia ipſe loco ad eam cuſtodiendam munito careret, auctor ei fuit, ut ad Athonem avunculum ſuum ſe conferret, qui arcem Canuſſii non longe firmiſſimam obtineret. Ita Adelheidis ad Athonem profecta caput ei ſuum commendavit &c. videatur Sigonius lib. 6. de regno Italiæ.

Advenit Dux Conradus cum pace reverſus Adducens Berengarium) Ditmarus lib. 2. *Poſt hæc rex Papia præſidio munita, diſpoſitisq; ibi rebus neceſſariis revertitur, quem Beringerus cum Duce Conrado ſubſequitur regisq; gratiam in urbe Auguſtana ſua filiiq; deditione promeruit, ſimulq; reginæ iram ſupplici venia placavit, bonaq; cum pace patriam reviſit.* Reſtitutum quidem eſt regnum Berengario, ſed adempta Marchia Veronenſis & Forojulienſis, quas Otto Imp. Henrico fratri ſe attribuiſſe affirmabat.

Otto ſecundo Italiam petit & coronatur in Imperatorem) Otto Imp. à Joanne pontifice coronatus eſt Romæ anno 962. univerſo populo cleroque fauſtis vocibus Auguſto Imperatorique felicitatem ac victoriam acclamante.

Obtinuit conſtructa locis caſtella marinis) Gobelinus Perſona ætatis 6. cap. 48. *Berengarius invaſor regni Italiæ, poſtquam rex* (*Otto M.*) *Italiam intraverat, & Willa uxor ſua, nec non Adelbertus & Guido filii ejus, nunquam publice audebant comparere: ſed caſtellis, quibus poterant, ſe magis occultabant, nam cum Otto poſtquam coronatus eſt, ad Lombardiam revertitur, Berengarius in caſtro dicto ad S. Leonem ſe continuit. Willa uxor ejus in quadam inſula dicta ad S. Julium, in lacu majore ſe incluſit. Filii vero eorum huc illucq; incerti vagabantur, videlicet Gard caſtellum & Travallum & inſulam in lacu Cumano. Willa inprimis invaditur & adempto de lacu exitu, undiq; quotidianis fundibulariorum & ſagittariorum impugnationibus fatigatur. Et poſtquam duobus menſibus obſeſſa eſt, capitur, & demum clementia Imperatoris dimiſſa quo velit ire libere permittitur: quæ quanta velocitate potuit Berengarium adiit, & ne Imperatori ſe dederet omnimode perſuaſit. Deinde Imperator Berengarium in caſtro montis Leonis obſedit.* Et paulo poſt: *Inter hæc Berengarius obſidione fatigatus, diruto caſtello in monte S. Leonis capitur & cum uxore ſua in Bavenberg in exilium mittitur, & ibidem mortuus eſt.* Hactenus Gobelinus.

Qualiter & recti compunctus acumine zeli) Otto Imp. coacta Romæ frequenti epiſcoporum aliorumque eccleſiaſticorum hominum Synodo Joannem Pontificem ejus nominis 12. multiplicium ſcelerum reum actum convictumque dignitate & officio privari curavit. Id Poetria noſtra recto zelo factum exiſtimat. Diſſentit Bellarminus ſcribens hanc exauctorationem bono quidem zelo, ſed non ſecundum ſcientiam factam. Videatur tomo 1. pag. 818. Cum hoc facit Bellarminus tomo 10. ad annum 965. his verbis utens: *zelus Imperatoris, de quo illud apoſtoli congrue dici poteſt, teſtimonium ipſi perhibeo, quod zelum habet, ſed non ſecundum ſcientiam.* Ditmarus lib. 2. de depoſitione Benedicti Pſeudopontificis, ejuſdem Ottonis juſſu inſtituta ſic loquitur: *Romanorum præpotens Imperator Auguſtus valentiorem ſibi in Chriſto dominum apoſtolicum, nomine Benedictum, quem nullus abſq; Deo judicare potuit, injuſte, ut ſpero, accuſatum deponi conſenſit, quod utinam non feciſſet.* Rectius vereque maſculo & Germanico animo Theodoricus de Niem lib. 3. de ſchiſmate cap. 11. *Ecce quantus & qualis fuit iſte Auguſtus* (Otto Magnus) *qui tot laboribus & expenſis pro reformatione Unionis in ipſa eccleſia ultro ſe ſubmiſit & felicior operatus eſt. Nam mali inquietem aliis præparantes cogendi ſunt ad pacem & ad bonum. Regiæ poteſtatis intereſt præcipue, ut per eam mali coerceantur à malo, ut boni quiete inter malos vivant, ut ſacri canones docent, ſed non intelligitur de alia poteſtate quam Imperiali, quæ omnes dignitates temporales excellit. Et omnes quaſi reges mundi & tot Prælati eccleſiaſtici & communitates egregiarum civitatum ad exſtirpandum ſchiſma noviſſimum ab ipſa eccleſia efficaciter hactenus proficere non potuerunt, nec poſſunt: & quis tunc diſputaſſet cum eodem magno Auguſto Ottone de ipſius judicio ſuper contendentes ſuper Papatu, ſeu perverſo unico Papa, ſcilicet quod niſi à Deo poſſint judicari? Utinam talis Imperator ſurgeret temporibus noſtris, qui nunc caſſaret ſcripturarum multiplicitatem in hoc labyrintho, quæ adeo creuerunt propter multitudinem ſcribentium in hoc paſſu, quod vix eos centum cameli portarent. Clarum eſt enim, quod omnium Chriſtianorum maxime intereſt, quod Papa, à quo omnes*

omnes

Digitized by Google

omnes normam vivendi capiunt, eſſe debet mundus, non ſimoniacus, ſanguinolentus, adulter, vel lubricus aleator, ebrioſus, venator, vel Venereus, vel aliter publicus barattator. Quis enim ſciens Papam eſſe talem, poſſet ſine remorſu conſcientiæ aut adulationis vitio illius pedes vel manus oſculari, aut illum ſanctum patrem cordialiter nominare. Igitur idem Auguſtus ſic faciendo non peccavit vel exceſſit: quinimo ut Dei miniſter, optime fecit, qui fuit adeo glorioſus & conſtantis animi, Deificus mundusq́; Imperator, ut ejus magnificentia & memoria digna geſta teſtantur, ſicut unquam fuit aliquis Romanus, patricius, rex vel Auguſtus, nec tenetur forte, communi utilitate ſuadente Imperator vel Rex Romanorum, fidelitatis juramentum præſtitum tali perverſo Papæ, vel alteri eccleſiaſtico Prælato, notorio peccatori vel incorrigibili, obſervare: quia ibi virtus deficit poteſtatis, ubi ſucceſſit abuſus; & juramentum iniquitatis vinculum eſſe non debet: alias enim ſequeretur, quod arctante illo juramento tales perverſos & malos nemo impedire, atq́; ut ad viam redirent admonere poſſet: quod juri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in Reipublicæ detrimentum: quia non perturbando perverſos, cum poſſis, eſt ipſos in eorum malitiis confovere: & error, cui non reſiſtitur, approbari videtur. Cum oporteat eſſe epiſcopum ſine crimine quaſi diſpenſatorem Dei, ſed multo magis Papam, qui omnibus præeſt. Hucusq́; Niemius.

Ottonem nutricis ab ubere regem Ad faſces Auguſtalis provexit honoris.) Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 967. *Otto Imperator miſit legatos ſuos ad Wilhelmum Archiepiſcopum & alios principes, ut Ottonem filium ſuum cum omni dignitate regali ad Italiam mitterent, quem ipſe ſuſcipiens Romam perduxit, ut Papa Joannes poſterior Imperatorem faceret, quod & libenter fecit.*

Finis notarum ad poema Roſwithæ.

ERECTIO ECCLESIÆ MAGDEBURGENSIS IN ARCHIEPISCOPALEM IN CONCILIO RAVENNATENSI per Johannem Papam XI.

DUM in Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis habita eſſet Synodus Ravennæ, in eccleſia ſcilicet B. Severi Epiſcopi & confeſſoris, reſidentibus Dn. Joanne ſummo & univerſali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ & Galliæ præſulibus, de ſtatu quidem eccleſiæ tractantibus: adſtante etiam innumerabili clero & populo, ſanctiſſimus Imperator Cæſar Auguſtus, qui eandem ſanctam Synodum ob communem Imperii ſui ſalutem congregaverat, plurimas Sclavorum nationes ultra fluvium Albiæ in confinio Saxoniæ multo ſe labore & maximis ſæpe periculis ad Chriſtum convertiſſe coram omnibus retulit. Et quia rudes & necdum ſtabiles erant, qui tuitione & cuſtodia & cotidiana ſolicitatione in fide corroborari deberent, ſanctam Synodum conſuluit rogans, ut quos ipſe ſummo ſtudio Deo mancipaverat, paſtoris negligentia ad vomitum redire non ſineret Hujus dignam relationem Sancta Synodus benigna aure ſuſcipiens, Deo in his omnibus gratias agens, tot Slavorum populos ad Deum noviter adductos non niſi per Epiſcopos, in convenientibus locis in unaquaque provincia eorum ſecundum populi quantitatem & rationabilem terræ diviſionem conſtituendos, ad hoc animari & erudiri poſſe cenſuit & ratum æſtimavit. Ad quod agendum ut major firmitas & tutior in Epiſcopis ordinandis ſit oportunitas, archiepiſcopum, ad quem negocium ſuum & controverſiam, ſi quæ orta fuerit, quaſi ad caput referre & diſcutere valeant, eis conſtitui atque proponi communi deliberatione ſtatuit. Et hoc ejus judicio & diſcretioni, in quo maxima reparandæ & confirmandæ religionis poſt Deum fiducia erat, fieri debere omnino judicavit. Eſt præterea locus in parochia Alberſtadenſis Epiſcopi quem Magdeburg dicunt, in confinio Saxonum & Scla-

& Sclavorum, in ripa prædicti fluminis Albiæ: ubi idem ſereniſſimus Cæſar civitatem mirifice fundavit: populi multitudinem adunavit: eccleſias conſtruxit: plurimorumque martyrum, beatorum ſcilicet Mauritii & Innocentii aliorumque corpora tranſtulit: canonicos quoque ibi Deo famulantes conſtituit, ad quorum victum & eccleſiæ utilitatem caſtra, villas, prædia, decimas, cum univerſis adjacentiis affluenter ex proprio conceſſit. Cujus, quia is locus quaſi ad Sclavos reſpiciens erat, ob loci congruentiam & vicinitatem Saxonum, ut novæ Chriſtianitatis & Catholicæ fidei, quam multo ſudore paraverat, caput, fundamentum, & reparatio eſſet, ſancta intentio erat. Quæ res quia omnibus cognita erat, ſancta Synodus eundem piiſſimum Imperatorem ſumma devotione petiit, ut ejus auctoritate, quia Canonicum & acceptabile erat, illic archiepiſcopalem ſedem ſtatui canonica auctoritate annueret, in qua archiepiſcopus ordinatus ultra flumen Albiæ Epiſcopos, qui ordinati ſunt & ordinandi futuris poſt temporibus erunt, ſubjectos habeat. Ipſe quoque ab eis, qui pro tempore fuerint, poſt primum qui à Romana ſede Archiepiſcopalem benedictionem & pallium ſuſcepturus eſt, conſecretur. Ad hæc Imperator precibus & Dei voluntate commotus ſanctæ congregationis voluntati paruit & hoc privilegio Apoſtolicæ ſedis corroborari dignum dixit, quod & actum eſt à ſummo Pontifice, omnibus Præſulibus, Italiæ, Galliæ & Germaniæ qui aderant propriis manibus corroboratum. Igitur quia civitas, ubi Magdeburgenſis archiepiſcopatus ſedes eſt, ſita eſt infra parochiam Alberſtadenſis Epiſcopi rejacet, ſine conſenſu Epiſcopi ſedis illius, archiepiſcopi Magoncienſis, cui ſubjectionem exhibet, commutationem parochiæ fieri non poſſe, ſancta Synodus decrevit. Eo ergo revoluto anno & altero dimidio transacto cum Hattonem archiepiſcopum Magoncienſem & Hildiwardum Epiſcopum Alberſtadenſem Ravennam convenire contingeret, ſanctiſſimus Imperator ſi bona voluntate commutationem parochiæ Alberſtadenſis eccleſiæ ad Magdeburgenſem fieri vel coram archiepiſcopo Ravennate & Epiſcopis comprovincialibus eos omni dilectione convenit. Tunc venerabilis Hildiwardus epiſcopus in præſentia omnium & prædicti præſulis Hattonis hoc ſe pro Deo nullo modo negare & contradicere poſſe, quia utriuſque eccleſiæ & ſuæ maxime augmentum erat, clara voce reſpondit, & quod ad innumeri populi ſalutem pertinet ob alicujus decimæ cupiditatem caſſari abſurdum eſſe profeſſus eſt. Supra-dictis ergo auditoribus placuit ut ex utraque parte ab eis, quibus res cognita erat, commutatio ſub exterminatione fieret. Placuit ergo communis voluntatis conſenſum inter Dn. Othonem piiſſimum Cæſarem Auguſtum & Hildiwardum Alberſtadenſis eccleſiæ Epiſcopum, ut in Dei nomine daret, ſicut in præſenti dedit ipſe Hildiwardus Magdeburgenſi eccleſiæ hujus ſcripti nexu ſuo jure habendum, id eſt, parochiam omnem, quæ rejacet inter fluvios Albeam Scilicet Salam, Horam & Bodam, uſque ad ea loca, ubi caſtra Unnesburg, Wantzleva, Hoeldesleva, cum omnibus pertinentiis & villis, quas Burgwart vocant, occidentem verſus longius finem protendunt & terminantur cum omni decimatione & obedientiis, omnique eccleſiaſtico ordine, ſicut eccleſia Alberſtadenſis hactenus poſſidere viſa eſt, & de dominio & jure ſuæ eccleſiæ in ejus jus & dominium transfudit atque delegavit. Unde ad vicem recepit pro decimatione ipſe Hildewardus Epiſcopus ad partem ſuæ eccleſiæ omnem decimationem in Hoſgowe ſicut terminatur in fluviis Sala, Willerbech & Wippera & ut eam abbatia in honore Beati Wipperti in territorio Herolueſfelt inſtructa in integrum poſſedit, quam prædictus Dn. Otto ſereniſſimus Cæſar ab eadem abbatia ex proprio legali concambio commutavit & eccleſiæ Magdeburgenſi proprietario jure conceſſit, & quia jam dictus Dn. Cæſar ejus fundator & conſtructor erat, ut omnem in poſterum occaſionem quod in precio & metu fieret, removeret, ſecundum Deum timendum hominum æſtimationem & ipſius Alberſtadenſis Epiſcopi liberam arbitrii voluntatem hanc commutationem colligari voluit, & eo modo finita eſt cauſa. Unde præſentem notitiam pro ſecuritate, ne unquam in tempore legalis commutatio hæc poſſet ſolvi, juſſione Domini Cæſaris & petitione Dn. Hildiwardi Epiſcopi Alberſtadenſis.

Ego Ambroſius Palatinus Cancellarius ſubſcripſi, complevi & dedi.

Petrus Archiepiſcopus ſanctæ Ravennatis eccleſiæ interfui & ſubſcripſi.

Hatto Mogontinus Archiepiſcopus interfui & ſubſcripſi.

Ego

Digitized by Google

Ego Hildiwardus Alberſtadenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Ungfridus ſanctæ Virdinenſis eccleſiæ Epiſcopus & paſtor libens ſubſcripſi.
Ego Reginoldus Rubilocenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Ego Ewerardus ſanctæ Leodicenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Ego Adelbertus Lunenſis Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Ego Rupertus ſanctæ Feltrenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Ego Albertus ſanctæ Tarviſianenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Ego Ganslinus ſanctæ Patavienſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Abraham ſanctæ Friſingenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui.
Martinus Epiſcopus ſanctæ Fr-epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Vinth Epiſcopus ſanctæ Mutinenſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi
Rudolfus Epiſcopus * * * conſenſi & ſubſcripſi.
Elberich conſenſi & ſubſcripſi.
Joannes Epiſcopus Egubienſis Eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.
Ego Lirgiſo Epiſcopus ſanctæ ordinatæ eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.
Joannes Epiſcopus Callienſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.
Luto Epiſcopus ſanctæ Cluſenſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.
Albericus Epiſcopus ſanctæ Piſenſis eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi.
Ludini Epiſcopus conſenſit & ſubſcripſit.
Hubertus Epiſcopus ſubſcripſit.
Sichelm ſanctæ Florentinæ eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Adalbertus ſanctæ Bononienſis eccleſiæ Epiſcopus conſenſi. Arnolfus Epiſcopus ſubſcripſi.
Joannes Imolenſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Liutprandus ſanctæ Cremonenſis Epiſcopus eccleſiæ interfui & ſubſcripſi his juſte peractis Conſtantinopolin rediens.
Odelricus Pergamenſis Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Grimoaldus ſanctæ Rhegienſis eccleſiæ Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Antonius Priſcienſis eccleſiæ Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Sigulfus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Sigulfus S. Placentinæ eccleſiæ Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Petrus Epiſcopus ſubſcripſit.

Explicit fundatio Archiepiſcopatus Magdeburgenſis.

* Non opus quidem eſt, nec hujus loci, ut de Epiſcopis, qui ſubſcripſerunt, omnibus & ſingulis agam, quoniam tamen quorundam nomina corrupta ſunt, videamque alios, Avum meum ſecutos, hæc eodem modo recitaſſe, de uno alterove aliquid monere volui. Mutinenſis Epiſcopus, qui *Winth* vocatur, *Wido* eſt, jam tum ſub Lothario, Berengario, Adelberto Regibus cognitus, imprimis autem Ottoni M. carus, cujus etiam Archi-Cancellarius Italicus fuit, & diplomata Imperatoris ſubſcripſit. In quorum uno, in favorem ipſius Widonis An. 963. dato, quod idcirco non ipſe Wido, ſed *Linegorius Cancellarius ad vicem Widonis Epiſcopi & Archi Cancellarii recognovit* Otto Imp. eum vocat *fidelem ſuum & ſummum regnorum ſuorum conſiliarium.* Qui deinde ſcribitur *Egubienſis* Eccleſiæ Epiſcopus, *Eugubienſis* eſt, in civitate Italiæ Eugubio, quæ ad radices montis Appennini in Umbria ſita eſt, cujus Epiſcopum, numero XXIII, tum temporis egit Johannes. Quarum vero Eccleſiarum Epiſcopi fuerint *Martinus*, *Rudolfus*, *Elberich*, *Lirgiſo*, *Ludini*, *Arnolfus*, *Sigulfus*, qui, citra additionem Eccleſiæ, Epiſcopi tantum nominantur, non vacat nunc inquirere.

Alia narratio de eadem fundatione ex Chronico Magdeburgens. manuſcripto.

Imperator Otto Magnus civitatem Magdeburg ad honorem & defenſionem dilectæ ſuæ Saxoniæ Metropolim & Archiepiſcopium facere, cui præfatos duos Epiſco-

patus (Brandenburgenſem & Havelbergenſem) à ſe conſtructos, & alios quos adhuc conſtruere deſideravit, ſubjacere, ibique Deo & S. Mauritio ſe ſuaque omnia dare cogitavit. Sed partem parochiæ Halberſtadenſis, ad quam civitas illa cum ſuis adjacentiis pertinuit, à Bernhardo ejuſdem eccleſiæ Epiſcopo ſeptimo, quoad vixit, impetrare non valuit. Quo defuncto cum venerabili Hildewardo pro ipſo ſacerdotii officio functo, ipſe voti non immemor, ut in bonis repleretur deſiderium ſuum, Romam profectus in ſuburbio Ravennæ in eccleſia S. Severi Epiſcopi & confeſſoris coadunavit Synodum in qua præſidente Dn. Joanne, ſanctæ & univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifice, aſtantibusque quam plurimis Italiæ, Germaniæ & Galliæ Epiſcopis & Principibus, tantique negocii exordium arrecta aure & mente præſtolantibus multo labore magniſque perſæpe periculis ſe multas Slavorum nationum cis flumen Albiæ, in confinio Saxoniæ ad catholicam fidem convertiſſe, coram cunctis expoſuit, quique adhuc rudes in fide; ne ad vomitum redirent, qualiter corroborari poſſent, conſuluit. Cujus dignam relationem tantamque fidei confeſſionem ſancta Synodus benigna devotione ſuſcipiens & bonorum omnium largitori gratias agens in ſingulis provinciis ſecundum loci ſitum & populi quantitatem Epiſcopos cenſuit conſecrari: quorum prædicatione & cura pervigili nutantes poſſent in fide ſtabiliri, & adhuc Idololatriæ dediti ad cultum juſtitiæ revocari. Ut vero ad id agendum major firmitas & tutior in Epiſcopis eſſet opportunitas, Archiepiſcopum, ad quem negocium ſuum & controverſiam, ſi qua orta fuerit, referre valeant, eis communi deliberatione præponi ſtatuit. Quam videlicet archiepiſcopalem cathedram apud Magdeburg civitatem potiſſimum fieri placuit, eo quod hæc in confinio Slavorum loco videretur oportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris eſſet amplior. Cæterum quia præſul Halberſtadenſis Synodo huic non adfuit, cauſæ clauſulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipſe à debito ſubjectionis abſolveret & tunc demum privilegium & ſubſcriptio illibata fieret. Anno igitur integro & dimidio evoluto, cum Hatto archipræſul Magontienſis cum præfato Hildiwardo, ſuo videlicet ſuffraganeo, eo deveniſſet & Imperator illos pro prædicta cauſſa blanda petitione conveniſſet, Hildiwardus Epiſcopus tam archiepiſcopi conſenſu, quam omnium qui aderant conſultu, prompta & hilari mente piæ ejus petitioni annuit & facta in præſentiarum pari æſtimatione, concambio Synodali decreto, ſancto Mauricio Magdeburg, ſanctoque Laurentio Merſeburg quæque petita tradidit, id eſt, parochiam omnem ſitam inter fluvios Albiam, Salam, Horam & Bodam, uſque ad ea loca ubi caſtra Unsburg, Wanslebe, Ottersleve, cum omnibus pertinentiis & villis quæ Burgwardt appellantur, verſus Occidentem longius protenſo fine terminantur, cum omni decimatione, banno, ſubjectione, obedientiis & omni eccleſiaſtico ordine prout Halberſtadenſis eccleſia viſa eſt eatenus poſſediſſe. Recepit autem ad vicem ab Imperatore in partem & utilitatem ſuæ eccleſiæ omnem decimationem in Hosgowe, ut terminantur in fluviis Sala, Willerbeke & Wippera, cum omni poſſeſſione quam de abbatia in honorem beati Wigberti in territorio Herovelfelt conſtructa, idem Imperator æqua commutatione acquiſierat, cujus etiam abbatiæ ipſe fundator erat. Huic etiam concambio confirmando Petrus Ravennæ Archiepiſcopus & plurimi Epiſcoporum Italiæ, Galliæ & Germaniæ ſubſcripſere Anno Dominicæ incarnationis *968*. Indictione 12. Imperii autem ipſius Dn. Ottonis 7. regni vero 34. Quibus peractis Cæſar lætatus, nec minus pro adhuc peragendis ſecundum Deum ſolicitus accerſito Richario, Magdeburgenſis cœnobii abbate tertio, coram Annone Wormacienſi & Othwino Hildenſemenſi Epiſcopis ſecum tunc forte commorantibus, volebat illum officio Epiſcopatus fungi in ipſa ſedis ſuæ mutatione: ſed impedierunt quidam occulto conſilio & Imperatori pro ſecreto hoc delatæ literæ. Qui dum ſe tanto honore privatum intelligens minus æquo animo ferret, ac impediendo tam ſancto propoſito Imperatori quoquo pacto obviare proponeret, brevi pulſatus valetudine terrena mutavit cœleſtibus, ſucceſſitque in ipſa ſedis mutatione Herdiggus. Erat tunc quidam magni nominis & meriti Adelbertus, qui dudum Treveris de cœnobio S. Maximini monachus abſtractus & Epiſcopus conſecratus ad prædicandum Rugis fuerat deſtinatus: ſed populus exaſperatus dura fronte & indomabili corde expulit illum de finibus ſuis, contemnens evangelizantem evangelium pacis, quia Dei providentia in terra noſtra illi populus committen-

mittendus erat novæ acquiſitionis. Hunc ergo de Wiſſenburgenſi abbatia, quam interim regebat, aſſumptum per omnia dignum & probatum Cæſar prædictæ eccleſiæ Magdeburgenſis ſacerdotio promovit, illumque Romam pro pallio ab Apoſtolica ſede ſuſcipiendo cum literis ſuæ auctoritatis direxit. Sedit eo tempore in clavigeri cœleſtis cathedra gratia & nomine Joannes, Papa nominis illius tredecimus, in ordine vero Romanorum Pontificum centeſimus triceſimus ſextus. Hic igitur benignisſime illum ſuſcipiens pro pio ſtudio glorioſisſimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat, gaudens, ideoque juſtis ejus petitionibus annuens illum Apoſtolica auctoritate Archiepiſcopum fore ejusque ſucceſſores decrevit: cui & pallium ad miſſarum ſolemnia celebranda dedit, & ipſe nimia dilectione commonitus 15. Kalen. Novembr. id eſt, in feſto S. Lucæ Evangeliſtæ ordinavit & privilegio Apoſtolicæ auctoritatis ſanxit ac confirmavit, eum in omni ordine eccleſiaſtico Primatum habere omnium eccleſiarum Archiepiſcoporum qui in Germania ſunt ordinati, in Gallia quoque Colonienſi, Mogontienſi, Trevirenſi archiepiſcopis, per omnia honore ſimilem eſſe, crucis ſignaculum ante ſe ferre & inter Cardinales Epiſcopos Romanæ ſedis conſortium habere. Præterea duodecim presbyteros, ſeptem diaconos, viginti quatuor ſubdiaconos Cardinales, ad morem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ordinare, qui ad principale altare miniſtrantes quotidie, excepto jejunio, Dalmaticis, feſtis vero ſandaliis uterentur: & presbyteri & abbates S. Joannis Baptiſtæ tunicis induerentur & ut his exceptis Epiſcopis ſuper altare in honorem B. Petri Mauriciique dedicatum miſſam celebrare aliquis nullo modo præſumeret. Præterea ſtatuit eum eſſe Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam Slavorum gentis, tunc ad Deum converſæ vel convertendæ, & ut ſecundum deſiderium Imperatoris in his civitatibus in quibus olim barbari ritus maxima vigebat ſuperſtitio, id eſt, Cizi, Miſni, Merſeburg, Brandenburg, Havelberg, Pornam, in honorem Domini Epiſcopi fundarentur, quorum paſtores ſecundum canonicam auctoritatem Magdeburgenſi Epiſcopo fidem & ſubjectionem debendo ſociarentur. His & aliis, quæ privilegia adhuc inibi conſervata teſtantur, Synodali decreto ordinatis, & in terminatione Dei & Apoſtolici nominis confirmatis, præfatus Archiepiſcopus cum legatis Romanæ eccleſiæ, Widone ſcilicet, Epiſcopo Bibliothecario, & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildiwardo Halberſtadenſi epiſcopo ſedi ſuæ inthroniſarent, dimiſſus ad Imperatorem remeavit lætus quem Imperator nihilominus gaudens, utpote beati ſui deſiderii compos, cum literis commendatitiis Magdeburg deſtinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris Epiſcopi, Marchiones & reliqui Saxoniæ Principes convenientes, ipſum honorifice ſuſceperunt & vocum acclamatione, manuumque elevatione electum cum præfatis Apoſtolicæ ſedis legatis celebri ritu inthroniſaverunt. Adfuit omnis ſexus & ætas gaudentium: fuit prorſus generale tripudium, ubi ad confirmationem ſui idem Archiepiſcopus in præſentia eorundem nativitatem Domini ſecum celebrantium, Boſonem monachum Merſeburgenſi, Burchardum Miſnenſi, Hugonem Cyzenſi, eccleſiis primos Epiſcopos ordinavit. Dudo quoque Havelbergenſis & Dudellinus Brandenburgenſis Epiſcopi, prius quidem Mogontino Archiepiſcopo ſubjecti, ſed tunc agente Imperatore, à debita ſui obedientia abſoluti, Magdeburgenſi eccleſiæ & ejus Archiepiſcopo cum præfatis confratribus fidem & ſubjectionem promiſere. Ipſe namque Imperator erat conſtructor omnium harum, quas archiepiſcopatui ſubjecerat, Epiſcopalium ſedium, nimirum infinitæ hereditatis tuæ potiſſimum cupiens heredem eſſe Deum, non pauca tamen relinquens ſucceſſioni filiorum. In tantis ergo talibusque ſolemniis pro ſummi regis exortu, pro ſumma celebratione, tum etiam pro nova populi ipſius vel cultus augmentatione gaudebat chorus Magdeburgenſium, & à ſummo Principe miſſum Principem canit frequentia Principum, palamque à paſtoribus eccleſiæ laudabili numero laudatur paſtor creator omnium.

FINIS.

Sequuntur excerpta quædam de fundatione Archiepiſcopatus Magdeburgenſis.

DITMARUS MERSEBURGENSIS.
Lib. 2.

IMperator autem comperta lugubri matris & filii cæterorumque nece Principum, gravi queritur mœrore invincibile totius Reipublicæ damnum. Urgebat ad hoc eum timor mortis propinquæ, & quod Domino rebus promiſit in anxiis, oportuno complere ſtuduit in tempore. Electum namque à cuncto ſanctæ Halberſtadenſis eccleſiæ clero & populo Hillibardum, tunc Præpoſitum & à domino ſui Bernhardo ad hoc præſignatum, Romam venire præcepit. Cumque eodem, quod diu latebat, ſecretum mentis revolvit, ſcilicet facturum ſe in urbe Partenopolita archiepiſcopatum ſemper ſtuduiſſe, ob ſpem remunerationis æternæ, defenſionemque communis patriæ, ſeque ad omnia quæcunque unquam ab eo experiiſſet, promiſit paratum, ſi conſentiret ſibi hoc conficere votum. Hic autem ut erat ſapiens, piæ connivebat petitioni, partemque parochiæ, quæ ſita eſt inter Oram & Albim & Bodam fluvios & inſuper viam, quæ Friderici dicitur, Domino conceſſit, ſanctoque Mauritio ac Imperatori. Qui vocans ad ſe Richarium Magdeburgenſis eccleſiæ abbatem tertium, voluit hunc dignitate ſacerdotali decorare, ſed viſa quadam Epiſtola quæ clanculum ſibi deferebatur, omiſit, Adelbertumque Treverenſem, profeſſione monachum, ſed Ruſſiæ prius ordinatum Præſulem, & hinc à gentilibus expulſum, ad archiepiſcopatus apicem inclinatum patrem & per omnia probatum Anno Dominicæ incarnationis 970. 15. Kalend. Novembr. apoſtolica auctoritate promovit. Tunc miſit eum ad ſedem ſuam cum magno honore, præcipiens univerſis Saxoniæ principibus, ut proximum natale Domini cum eo eſſent. Archiepiſcopus autem à clero & omni populo magnifice ſuſceptus, in his feſtivis diebus conſecravit Boſonem Merſeburgenſis eccleſiæ paſtorem, Burckardum Miſnenſis eccleſiæ proviſorem, Hugonem Epiſcopum Citizenſem, Havelbergenſis eccleſiæ cuſtodem: his Tudonem cooptavit prius conſecratum. Omnes hos inquam conſecravit, ſubjectionem ſibi ſuisque promittentes ſucceſſoribus, diſpoſita ſingulis quibusque parochia ſpeciali. Additus eſt his confratribus Brandenburgenſis eccleſiæ paſtor Ditmarus, ante hos unctus & Jordan Epiſcopus Poſnanienſis.

Theodoricus de Niem lib. de privilegiis & juribus Imperii.

Hic etiam Imperator Otto venerabilem Metropolim Magdeburgenſem & omnes ejus ſuffraganeos, ſcilicet Brandenburgenſem, Havelbergenſem, Miſnenſem, Zicenſem, quæ nunc Naumburgenſis nuncupatur, Mersburgenſem, ſolemnes cathedrales eccleſias, in proprio ejus patrimoniali beneficio & dominio, in diverſis locis, in mediterranea & orientali Saxoniis, de novo fundavit, & valde multis opidis, caſtris, certis juribus, & juriſdictionibus atque aliis bonis temporalibus & etiam præcipue in partibus illis multa veneranda cœnobia virorum & mulierum fundavit, & nunquam à toto tempore ſui regiminis à talibus bonis operibus conquievit. Archiepiſcopum autem Magdeburgenſem, qui eſſet pro tempore, per Papam ejus ætatis, Primatem Germaniæ fieri procuravit, ſibique multis Alemanniæ provinciis nobiles & vaſallos potentes, & eorum dominia, quæ obtinebant ab Imperio in feudum perpetuo ſubjecit, & magnos reditus etiam illic pie donavit & eosdem archiepiſcopos & epiſcopos primas ſedes etiam in temporalibus inter Principes ſeculares habere ſtatuit & decrevit.

Helmoldus Hiſtoriæ Slavicæ lib. 1. cap. 11.

Subactis autem Chriſtianæque fidei copulatis Slavorum gentibus, magnus Otto, inclytam urbem Magdeburg ſuper ripas Albiæ fluminis condidit, quam Slavis metropolim ſtatuens, Adelbertum ſummæ ſanctitatis virum, ibidem conſecrari fecit archiepiſcopum. Is primus in Magdeburg ordinatus, duodecim annis ſtrenue pontificatum adminiſtravit, multosque Sclavorum populos illic prædicando convertit. Cujus ordina-

Digitized by Google

ordinatio facta eſt anno Imperatoris 35. & ſunt anni poſt ordinationem S. Anſcarii 137. Magdeburgenſi autem epiſcopatui ſubjecta eſt tota Slavia uſque ad Panim fluvium: Epiſcopatus ſuffraganei quinque, quorum Merſeburg & Cicen ſuper Salam fluvium, Miſna vero ſuper Albiam, Brandenburg & Havelberg interius vadunt. Sextus Epiſcopatus Slaviæ eſt Aldenburg. Hunc Epiſcopatum ſicut & cæteros Imperator Otto, Magdeburgenſi primum adjicere decreverat, quem tamen poſtmodum Atheldagus Hammenburgenſis Epiſcopus requiſivit eo quod terminus ſuæ eccleſiæ antiquis Imperatorum privilegiis eſſet circumſcriptus.

Gobelinus Coſmodrom. ætat. 6. cap. 48.

Anno Domini 970. Otto Imperator confirmatione ſedis archiepiſcopalis in Magdeburg, cum conſenſu Hildewardi Epiſcopi Halberſtadenſis, à ſede Apoſtolica obtenta 15. Kalend. Novembris Athelbertum quendam Treverenſem profeſſione monachum ad archiepiſcopatus apicem in ipſa Magdeburgenſi eccleſia primum promovit, ſex ſuffraganeos ei ſubjiciendo, qui fuerunt Merſeburgenſis, Miſnenſis, Cizenſis, qui alias dicitur Nuemburgenſis, & Havelbergenſis. Prædictos quatuor Epiſcopos ſupradictus archiepiſcopus eodem die in Magdeburg conſecravit anno regni Ottonis 34. Imperii ejus anno 7. Et deinde iidem Epiſcopi per archiepiſcopum prædictum per parochias ſuas deſtinati ſunt. Cæteri duo, qui his additi ſunt, fuerunt Brandenburgenſis & Poſnanienſis, qui prius conſecrati fuerunt.

Wernerus Rolevingius de laudibus antiquæ Saxoniæ parte 2. capitulo 8.

Magdeburgenſis eccleſia fundata eſt in honorem S. Mauricii ſuper Albiam in Parthenopoli, quondam Putena dicta, quæ tamen in illo loco non fuit à Carolo M. fundata, ſed in Stide ſub dominio Comitum de Swalenberg, nunc de Lippia dictorum: de quo tranſlata fuit ad Vallersleve, deinde ad Vroſe, tandem per Ottonem primum ad Magdeburg, cujus favore mirabiliter ſublimata in primariam totius Alamanniæ fuit, & eſt usque in præſens. Primus Epiſcopus fuit ſanctus Adelbertus, vir per omnia reverendus.

Chronicon Mindenſe à Meibomio editum.

Quarta eccleſia in Saxonia fundata eſt Scydere, quæ tamen poſt per Brunonem & Tanquardum Saxones in Vallersleve ſuper Ericam tranſponitur & inde per Henricum primum in Vroſe opidum Northuringiæ: & tandem per Ottonem M. Anno Domini *969.* in Parthenopolim, quæ eſt Magdeburg, transfertur.

FINIS.

Digitized

DIPLOMATA
OTTONIS MAGNI
IMPERATORIS AVGVSTI

collecta

ab

HENRICO MEIBOMIO

DIPLOMA HENRICI I. COGNOMENTO Aucupis Rom. Imp.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Henricus divina favente clementia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, tam præſentes quam etiam & futuri, qualiter nos rogatu Unnonis Hamburgenſis Eccleſiæ venerabilis archiepiſcopi, quandam commutationem inter ſe, & quendam nobilem virum nomine Willarium fieri permiſim us. Tradidit enim præfatus Willar cum manu Raſmade conjugis ſuæ, & Thoadulfi filii ejus, adprædictum Epiſcopatum in manum ipſius Eccleſiæ Epiſcopi Unnonis & Ulfridi ſui etiam advocati, quicquid proprietatis in locis Holtgibutli, Holthem, Fokaresha, Niantorp, Omanthorp, Walle, Magulum, Rikinburgi & Damiſta nuncupatis habere viſus eſt, cum curtilibus, ædificiis, mancipiis, terris cultis & incultis, & omnibus, quæ dici aut nominari poſſunt appendiciis, contra eam recompenſationem, quam ab eodem Epiſcopatu ſibi traditam accepit, & noſtræ auctoritatis ſcripto confirmatam acquiſivit. Eandem vero commutationem ejuſdem Epiſcopi petitione hoc ſcripto confirmari juſſimus, & ut hoc noſtræ confirmationis præceptum à fidelibus noſtris verius credatur; & diligentius obſervetur, manu noſtra ſubtus illud firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari præcepimus. Data IX. Kalend. Junii, anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXV. Indictione VIII. Anno autem Henrici Regis XVII. Actum Diusburg in Dei nomine. Amen.

* Quas Avus meus hic Witichindo ſuo adjecit Tabulas Ottonianas, partim ſunt integra Diplomata, partim Ingroſſaturæ, uti ſolent Privilegia & Donationes & Fundationes ab Archivariis ingroſſari. Quamvis igitur nolim dicere ipſa Autographa ab Avo meo eſſe inſpecta, tamen, quæ vel ex libris fide dignis excerpſit, vel à bonis harumque rerum peritis viris communicata habuit, publicæ luci exponere voluit. Monebo tamen quædam de illis. *Benjamin Leuberus*, non celebris tantum JCtus, ſed patriarum quoque antiquitatum peritiſſimus, qui ſumma diligentia omnes Ottonum Impp. ſaltem de rebus Saxonicis, tabulas conquiſivit, multas earum in ſua doctiſſima de Stapula Saxonica diſquiſitione publici juris fecit, teſtaturque eas omnes ex Autographis à Principum miniſtris, rei peritiſſimis, eſſe extractas & diligentiſſime collatas. Ille vero Diplomata Ottonis M. ab Avo meo producta magni æſtimat, & ad ea provocat, & cum iis, quæ ipſe profert, conſentientia oſtendit, excepto uno, de quo mox dicam. Nuper quoque CL. *Caſpar Sagittarius*, harum rerum indagator ſolertiſſimus, accepta à communi amico noſtro, viro eruditiſſimo, *Johanne Gotfrido Oleario*, varia Ottoniana diplomata in Antiquitatibus Archiepiſcopatus Magdeburgenſis publicavit, & quædam ex his ipſis. Quamvis igitur tam *Leuberi*, quam *Olearii* cum Avi mei diligenter contulerim, & omnes quoque variationes, in locorum præſertim nominibus, annotarim, tamen ut hic variantes illas lectiones ſubjungam, non arbitror operæ pretium: monebo tamen, ubi opus, de ſingulis diplomatibus aliquid, & Lectorem curioſum ad ipſos illos citatos Scriptores remittam. Habet vero *Leuberus* hoc quoque Henrici Diploma n. 1587. ſed vix in una voce à Meibomiano varians.

Othonis I. Imp. de libertate loci Eccleſiæ Hamburgenſis privilegium.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Qui mundiali poteſtate præditi, quibuſcunque neceſſariis regentium ſuffragari feſtinant, divinam ſibi nihil refragari certiſſime ſciant. Ideoq; non dedignamur affectum ad nos confugientium perducere ad effectum, quia ob hoc temporalis regni modificationem pariter ſperamus & amplificationem, æternaliſque proventuram perpetuo perennitatem. Unde noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum ſagacitas, quod Adaldagus ſanctæ Hammaburgenſis Eccleſiæ venerabilis archiepiſcopus, adiens excellentiam ſerenitatis noſtræ, expetivit à noſtra pietate talem liber-

libertatem, & tuitionem monaſteriis, in ejus Epiſcopio conſiſtentibus, qualem cætera per noſtrum regnum monaſteria noſcuntur habere. Cujus juſta & rationabilis videtur petitio, ad honorem ſanctæ Dei genetricis, cui locus ille Hammaburg eſt conſecratus, eidem loco ſupra dicto concedimus omnes conceſſiones, quas conceſſerant anteriores Francorum reges cæteriſque monaſteriis ad hanc diœceſin pertinentibus, idem Ramaslaum, Bremum, Bireſinum & Bukkenum, videlicet, ut nullus judex publicus, vel quælibet judiciaria poteſtas aliquam ſibi vendicet poteſtatem in ſupradictorum hominibus monaſteriorum, litis videlicet, & colonis, vel eos aliquis capitis banno ob capitis furtum, vel quocunque banno conſtringat, vel aliquam juſtitiam facere cogat, niſi Advocatus archiepiſcopi, quamdiu eos corrigere valuerit. Quod ſi quiſpiam illorum incorrigibilis extiterit, tunc ab Advocato eidem præſentetur judiciariæ poteſtati, cæteri vero in ſubditione archiepiſcopi permaneant. Si vero aliquis ex libertis voluerit Jammundling vel litus fieri, aut etiam colonus ad monaſteria ſupradicta, cum conſenſu cohæredum ſuorum, non prohibeatur à qualibet poteſtate, ſed habeat licentiam noſtram, habeat quoque poteſtatem prædictus Adaldag ſucceſſoreſque ejus Hammaburgenſis Eccleſiæ archiepiſcopi ſuper liberos & Jamundilingos monaſteriorum ſupradictorum, in expeditionem ſive ad placitum Regis. Damus quoque Clericis Hammaburgenſis Eccleſiæ poteſtatem inter ſe, ſive aliunde eligendi Epiſcopum, cum neceſſitas popoſcerit. Et ut hæc autoritatis noſtræ conceſſio à fidelibus noſtris verius credatur, & per ſuccedentia tempora diligentius obſervetur, manu propria ſubtus eam firmavimus, & annulo noſtro ſigillari juſſimus. Data 11. Kalend. Julii anno Domini DCCCCXXXVII. Indict. X. anno regni Ottonis piiſſimi Regis I. Actum in Werlaha in Dei nomine.

Privilegium Ottonis Regis de confirmatione bonorum Bremæ, Hammaburg, Bukkam, Birſinen, Ramaſlo pertinentium.


In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Rex divina opitulante Clementia. Dinoſcat omnium fidelium noſtrorum ſagacitas, qualiter nos pro mercede vitæ permanentis, & per interventum caræ Conjugis noſtræ Edgidæ atque Thietarii fidelis noſtri, in proprium damus ad locum nominatum Hammaburg, quicquid in locis ſic nominatis, Bremum, Birſina, Ramaslo, Buckin, proprietatis hucuſque habere viſi ſumus, in terris cultis & incultis, agris, pratis, paſcuis, campis, molendinis, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, viis & inviis, quæſitis & inquirendis, omnibuſque ad præfata loca jure legitimeque pertinentibus, firmiter in proprietatem donavimus, ad utilitatem Hammaburgenſis Eccleſiæ Epiſcoporum. Inde etiam munificæ largitatis noſtræ ſcriptum fieri juſſimus, per quod volumus, firmiterque jubemus, quatenus archiepiſcopi Hammaburgenſis Eccleſiæ habeant poteſtatem, quicquid illis placuerit faciendum. Et ut hoc à fidelium noſtrorum induſtria verius credatur, ac per ſuccedentium temporum curricula diligentius obſervetur, manu noſtra ſubtus illud confirmari curavimus, & annuli noſtri impreſſione conſignari juſſimus. Data VI. Idus Auguſti Indictione X. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCVII. Anno autem Ottone regnante rege II. Actum in Walahuſen, Amen.

Privilegium Ottonis I. ſuper telonio, quod in Magdeburg conſtitutum eſt, vel conſtituetur.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos ob amorem Dei & noſtræ animæ remedium, in loco Magdeburg nominato, Eccleſiam conſtruximus in honore Sancti Petri apoſtolorum principis, & Sancti Mauritii atque Innocentii, ad hanc Eccleſiam eandem ad nutrimen plebis inibi Deo famulantis & ſanctis ejus ob remedium animæ noſtræ & patris noſtri, nec non dilectiſſimæ matris noſtræ & Conjugis noſtræ, cujus & prædictus locus dos fuit, & prolis noſtræ omniumque debitorum noſtrorum, & Rodolfi Regis, qui nobis ſanctum tranſmiſit Innocentium, telonium omne, quod in Magdeburg conſtitutum eſt, vel conſtituetur, in proprium damus & concedimus ejuſdem congregationi, quod familia eorum coram nullo, niſi Advocato eorum,

Digitized by Google

eorum, juſtitiam ſecularem cogantur agere. Quod ſcripto roborari juſſimus, manu noſtra firmavimus, annulo noſtro ſigillari præcepimus.

Signum Ottonis  invictiſſimi Regis.

Poppo Cancellarius ad vicem Friderici recognovi.
Data V. Kalend. Octob. anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVII. anno regni Ottonis piiſſimi II. Actum in Magdeburg. Amen.

Privilegium Ottonis ſecundum, Magdeburgenſi Eccleſiæ datum.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina clementia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos ob amorem Dei omniumque Sanctorum in loco Magdeburg nominato Eccleſiam conſtruere ſtuduimus, Sancti Petri principis apoſtolorum, ſanctorumque martyrum Mauritii, Innocentii, ſociorumque eorum patrociniis intereſſe, illorum obſequia, quantum ſuppetit humanitas, inibi ut agatur cupientes. At eoſdem vero ſanctos, & ad uſum nutrimenque congregationis illic eis ſervientis ob memoriam patris noſtri, & pro remedio animæ ipſius, venerandæque matris noſtræ, noſtrique & conjugis noſtræ, cujus & prædictus locus dos fuit, & prolis noſtræ, omniumque debitorum noſtrorum, nec non & Rudolfi Regis, qui nobis Sanctum transmiſit Innocentium, conſiliantibus nobis Epiſcopis, qui tunc in præſenti erant, Friderico videlicet, & Adaldago archiepiſcopis, Baldarico, Thiethardo, Ebergiſo, Amalrico, Odalrico, Burchardo, Bernardo, Amelungo, res noſtræ proprietatis, quæ ſubnotantur, in proprium damus. In pago Northuringia in Comitatu Thietmari in Magdeburg curtem noſtram cum ædificio & territorium illuc pertinens cum omnibus locis ex Occidentali parte Albiæ fluminis ad eandem civitatem pertinentibus vel ſervientibus, cujuſcunque ſint beneficia, hoc eſt, Fredemaresleba, Pretalize, Buchavi, Froſa, Rotharisdorp, Lieminidesdorp, Thietheresdorp, Otteresleba, Oſterewettinga, Suldorp, Imenwettinga, Iſtatesdorp, Dudelow, Watanefuneg, Mantesleba, Witrichesdorp, Unundiſcumburg, Bizzun, Lieboldesdorp, Trumpſite: Quatuor hubas in Valedorp, & quicquid ad præfatum locum pertinens habuimus ex Aquilonari parte Horaha fluminis in locis ita nominatis, Moſano, Pelnuſi, Dudiſi, Zuobaro, Welbuchi, Zelici, & in Comitatu Geronis in Bigera tres familias Litonum, & in Comitatu Chriſtiani in Grimhecesleba XV. familias Slavorum & omnis cenſus ac venationis acquiſitionisque decimam in Mortſani & Ligrize & Heveldui præfatæ congregationi concedimus, & liceat, ut in eis ligna & herbæ in uſus ſint, & porci ſaginentur. Omnes præfatorum locorum familias cum cunctis adhæc jure pertinentibus mancipiis, ædificiis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, piſcationibus, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, jure perhenni in proprium damus & condonamus eidem congregationi, ut familiæ eorum coram nullo, niſi Advocato eorum, juſtitiam ſecularem cogantur exercere, & nulli, niſi eidem congregationi ſervire, & illa, niſi Deo & Sanctis ejus, niſi tantum ſingulis annis unum cavallum, ſcutum & lanceam, & lanceas vel duas cruſinas dent, ut ſciant in mundiburdio regis ſe eſſe. Electionem eis conceſſimus Abbatem inter ſe eligendi, & Advocatum, quemcunque velint, Abbatem tamen dignum. Et ut hæc noſtræ traditionis auctoritas plena vigeat firmitate, juſſimus hoc præceptum conſcribi, per quod ſanximus, ut nullus Succeſſorum vel heredum noſtrorum temere illud præſumat infringere. Et ſi ullus homo in iiſdem rebus aliquid injuriæ facere præſumpſerit, ſummi judicis vindictæ ſubjaceat, iramque prædictorum martyrum incurrat. Et ut hoc à fidelibus noſtris verſius credatur, manu noſtra ſubtus illud firmavimus, & annulo noſtro ſignari præcepimus. Data XI. Kalend. anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVII. Indict. XI. anno vero Ottonis piiſſimi regis II. Actum in civitate Magdeburg. in Dei nomine feliciter, Amen.

Signum Ottonis invictiſſimi Regis.

Poppo Cancellarius ad vicem Friderici recognovi.

 * Hoc

Digitized by Google

* Hoc Diploma nuper etiam in Antiquitatibus Magdeburgicis produxit *CL. Sagittarius* §. XLV. in aliquibus tamen minus integrum, niſi quod menſem *Octobrem*, in Meibomiano omiſſum, ex ſuo MSto addiderit. Notabilis tamen eſt hæc variatio, quod juxta Sagittarianum Otto donat *omnem cenſum*, juxta Meibomianum vero, *omnis cenſus decimam*. Quid autem Cenſus ſit, explicatur in alio Ottonis M. diplomate Dato Magdeb. a. 958. ubi donat *omnem juſtitiam ac cenſum, qui Saxonicè Mal vocatur*.

Privilegium Ottonis Imp. Magdeburgenſe tertium.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Noverint omnes fideles Dei noſtrique tam præſentes quam futuri, qualiter nos ob amorem Dei, animæque noſtræ, omniumque debitorum noſtrorum remedium ad S. Petrum apoſtolorum principem, & ad S. Mauricium atq; ad S. Innocentium, ad nutrimen monachorum in loco Magdeburg dicto, Deoque illic ſervientium, quem & ipſum locum Romano ſubjecimus mundiburdio, in proprium dantes, quod à Bernhardo Halberſtadenſi Epiſcopo pro prædio, quod nos ejus Eccleſiæ in Winede huſionomarco dantes cum Advocati ejus traditione accepimus, hoc eſt, in pago Northuringia, in Comitatu Ditmari, quicquam in Magdaburgara marco ad S. Stephanum in Halberſtadenſi eccleſia in territoriis & mancipiis, omnique re, & decimam de hominibus Magdeburgenſis Eccleſiæ, & Erps cujuſdam nobilis viri in locis ſic nominatis, Magdeburg, Uroſa, Manteſleba, Naturitesdorp, Dudolon, item Dudulon, Nartesdorp, Nuwenwadingi, Oſterwadingi, Sudolf, Otaresleba, Apendorp, item Apendorp, Ruordhardesdorp, inſuper & Plebani eccleſiam in Magdeburg, Buchum, Predulize, Fridumaresleba, Trumſice, Wutirisdesdorp, Bobelſtorp. Quæ omnia hoc ſcripto ad præfatam Magdeburgenſem Eccleſiam in proprium firmavimus, & ad certificationem manu propria confirmavimus, corroboravimus, & annulo noſtro ſigillari juſſimus.

Signum Domini Ottonis invictiſſimi Regis.

Poppo ad vicem Fridurici recognovi.

Datæ IX. Kalend. Maji, anno Dominicæ incarnationis DCCCCXL. Indictione XIV. Anno Ottonis V. Actum in Magdeburg.

* Hoc privilegium malè ab Avo meo deſcriptum notat *Leuberus de Stap. Saxon* n. 1593. producitq; ibi aliud ex Authentico expreſſum. Verum, quod doctiſſimus Vir affert, jam tum quoq; ab Avo meo, tanquam quintum Ottonis privilegium Magdeburgenſe productum fuit, datum Magdeb. IV. Kal. Aug. A. D. 946 Ottonis X. Videntur igitur duo diverſa Diplomata eſſe, quamvis de re eadem, diverſis temporibus data. Sagittarius in ſuo annum 941. ſcriptum obſervat, quod rectius videtur, quam an. 940, ut eſt in Meibomiano, cum IX. Kal. Maji datum ſit, Otto autem II. Julii poſt Patris mortem regnare cæperit.

Privilegium Ottonis Imp. Magdeburgenſe quartum.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina propitiante clementia Rex. Noverint omnes fideles, præſentes ſcilicet & futuri, quod nos pro Dei amore, ac pro ſalute animæ Domini genitoris noſtri Henrici regis, cæterorumque nobis junctorum affinitate conſanguinitatis, regnique noſtri ſtatu, & conjugis proliſque noſtræ incolumitate, fratribus in loco Magdeburg nominato, ad ſervitium Dei, ſanctorumque martyrum Mauricii atque Innocentii à nobis congregatis, totum quod à vectigali & telonio vel moneta ejuſdem loci venire potuit ex hoc in antea ad uſus illorum hoc Imperiali regiæ autoritatis præcepto jure perenni in proprium conceſſimus. Et ut hæc largitatis noſtræ traditio verius credatur, ac per ſuccedentium temporum curricula à Succeſſoribus noſtris firmius obſervetur, manus noſtræ inſcriptione illud ſubtus firmavimus, & annuli noſtri impreſſione corroborari præcepimus Data V. Kalend. Apr. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLI. Indictione XIV. regnante Ottone ſereniſſimo Rege Anno VI. Actum Magdeburg in Domino feliciter, Amen.

Privi-

Digitized by Google

Privilegium Ottonis Imp. quintum.

Otto Imp. ob amorem Dei, & pro remedio animæ patris ſui, omniumque debitorum ſuorum donat eccleſiæ S. Petri & Beati Mauricii & Innocentii, martyrum in Magdeburg infra ſcripta bona, quæ à Bernhardo Epiſcopo Halberſtadenſi cum conſenſu Cleri & Advocati ejus traditione, conſentiente etiam Friderico archiepiſcopo pro X. manſis in Widenchuſeno marco & VII. in Weſterwaltinga, quos Eccleſiæ Halberſtadenſi reſtituit, accepit, videlicet in pago Nortthuringia in Comitatu Geronis in Magdaburgar marco pertinens habuit, eccleſiam ad Sanctum Stephanum in Halberſtad in territoriis, mancipiis, omnique re, & decimam de hominibus ejusdem Magdeburgenſis Eccleſiæ in locis ſic nominatis Magdeburg, Froſa, Manteſleba, Hurtazaresdorp, Dudulon: item Dudulon, Iſtaresdorp, Linen, Waddinga, Oſterwaddinga, Suldorp, Ottoresleba, Apendorp, item Appendorp, Rundhardesdorp, Buchwi, Predalize, Fridumaresleba, Trumplice, Butiricheſdorp, Kobolteſdorp, inſuper & popularem Eccleſiam in Magdeburg Actum Magdeburg IV. Kalend. Auguſti Anno Domini DCCCCXLVI. Ottonis X.

Privilegium Ottonis Imp. Gandersheimenſe.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Otto divina Clementia Rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, qualiter nos remunerationis æternæ gratia monaſterium Gandersheim nuncupatum in honore S. Mariæ & omnium ſanctorum à noſtris conſtructum progenitoribus, noſtri immunitate patrocinii donamus, Sanctimonialibus ejusdem Cœnobii electionis arbitrium concedentes omniaque à Prædeceſſoribus noſtris regibus illuc collocata, Ludovico ſcilicet, prædia in Dengſtede & Erike & Bliſterſtede cum familiis cæteriſque omnibus appendiciis in pago Suttһuringia in Comitatu, cui tunc Otto præfuit, & ab Arnolfo proprietates in villa Crucht & Calcheim nominatis, illo traditas, & à proavo noſtro Ludolfo, qui prælibatum conſtruxerat monaſterium, quicquid in confinio villarum infra nominandarum, id eſt, Gandesheim, Rundina, Doguſte, Lankendorpe, proprietatis habuit, datum & ab ejus conjuge Odavillam in Wan ſleva cum omnibus jure illuc pertinentibus. Et ab avo noſtro Ottone villa in Hollenſtede cum omnibus appendiciis ſuis tradita, hoc regalitatis noſtræ curtis etiam in Hezehuſen & Felberge cum omnibus eo pertinentibus, quas dominus ac genitor noſter Henricus Rex præfato dedit monaſterio cum prædio illuc à domina ac matre noſtra Machtilda regina in Friſia collato, præcepto confirmamus. Tradimus inſuper earundem victui Sanctimonialium, quicquid proprietatis hactenus habuimus in villa Mundelingen in pago Hartheri in Comitatu Erenfridi. Jubemus quoque, ut nullus comes, vel alius quilibet exactor, judiciariam poteſtatem vel freda exigenda ſeu manſiones ſeu paratas faciendas, in omnibus monaſterii locis, niſi ex conſenſu Abbatiſſæ monaſterii ejusdem, habere præſumat. Et homines illius Abbatiſſæ, ſive liberi, ſive ſervi, nulla judiciaria coerceantur poteſtate, ſed in præſentia ejusdem Abbatiſſæ Advocati eorum rectitudinem acquirant, & cæterorum perficiant. Et ut hæc auctoritas noſtra firma permaneat, & per futura tempora à fidelibus noſtris melius obſervetur, manu propria ſubtus eam confirmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Datum 4. Non. Maji Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVI. Indictione II. Anno Domini Ottonis piiſſimi regis XI. Werlahon in divinitatis nomine.

Signum Ottonis Sereniſſimi Regis.

Privilegium Ratisbonenſe Ottonis Imp.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium, nec non & futurorum ſolertia, quod nos interventionibus Henrici noſtri dilecti germani obtemperantes, quaſdam res juris noſtri, pro remedio animæ noſtræ ad Eccleſiam Beati Petri principis Apoſtolorum, Sanctiq; Emmerani martyris Chriſti, ubi Venerabilis Epiſcopus Sanctæ Radasbonenſis Eccleſiæ, Michael nomine, præeſſe dignoſcitur, in proprium conceſſimus,

id eſt, in villa Nuichinga, in pago Hertinga, in Comitatu Eberhardi Comitis curtem regalem, id eſt, cum omnibus appendiciis & adjacentiis ſuis, juſte legitimeque illuc pertinentibus jure perenni in proprium, mancipiis utriuſque ſexus, ædificiis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, piſcationibus, manſionariis, barſchalkis, aureariis, bruneariis, Cidelariis, molendinis, viis & inviis, exitibus ac reditibus quæſitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus. Inſuper etiam dedimus ad ſupradictam Eccleſiam Sanctorum Petri Apoſtoli, Emmeranique martyris curtem regiam, id eſt, in villa Helffendorf ſitam in Frieromarca in Comitatu Pilgrimi Comitis & Sigehardi in Sveideſeo & Kadalhoi Yſinachgowe, cum omnibus juſte illuc pertinentibus rebus, Curtilibus, mancipiis utriusque ſexus, ædificiis, agris, pratis, Paſcuis, ſilvis, foreſtis, foreſtariiſque, cum noſtro regio banno, cæteriſq; omnibus commoditatibus, Cidelariis, manſionariis barſchalkis, molendinis, piſcationibus, venationibus, viis & inviis, exitibus ac reditibus, quæſitis & inquirendis mobilibus & immobilibus, juſſimus quoque inde hoc præſens præceptum conſcribi, manu propria firmatũ, annuliq; noſtri impreſſione inſignitum.

Signum Domini Ottonis invictiſſimi Regis.


Brun Cancellarius ad vicem Heroldi archicapellani recognovit Data XVII. Kalend. Auguſti, Anno Domini DCCCCL. Indictione VII. regnante Sereniſſimo Rege Ottone, anno XV. Actum Beheim ſuburbio Naumburg, in Domino feliciter, Amen.

Donatio facta ab Ottone Imperatore filio Ludolfo.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei favente clementia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, præſentibus ſicut & futuris, quod nos omnem regionem Zermund nuncupatam, filio noſtro Luidolfo in proprietatem donavimus. Filius vero noſter Conradi Ducis, noſtrique Marchionis Geronis interventu, tres marcas ejusdem prædictæ regionis, cum omnibus appendiciis & adjacentiis ſuis jure perenni ſupra nominato Marchioni in proprietatem manu ſua donavit, quod eſt ſitum in pago Zermund in Comitatu Theomari Civitatis Oſterburgenſis. Poſteaquam prædicti noſtræ omnes obtemperantes petitioni probationique, juſſimus inde hoc præſens præceptum conſcribi, per quod volumus, firmiterque jubemus, ut prænotatus Marchio noſter Gero de his omnibus noſtro dono ſibi in proprium conceſſis, amotodo & deinceps omni tempore liberrimam teneat poteſtatem habendi, donandi, vendendi, ſeu quicquid placuerit ſibi ea inde faciendi. Hæc noſtra conceſſio ut obtineat vigorem, manu noſtra ſubtus eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Datum V. Calend. Auguſti. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLII. Indictione VIII. regnante pio Ottone Rege Anno XV. Actum Walahuſen in Dei nomine feliciter, Amen.

Donatio alia ab Ottone Imp. facta monaſterio S. Ludgeri prope Helmæſtadium.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos pro remedio animæ noſtræ, nec non & patris noſtri ac dilectæ matris noſtræ, nec non & aliorum conſanguineorum noſtrorum, ad monaſterium, quod nominatur Helmonſtedi, ad interventum monachorum inibi Deo famulantium, omnem decimationem ſubtus nominatarum villarum cum conſenſu Venerabilis Epiſcopi Bernhardi, qui nunc Halverſtadenſi Eccleſiæ præeſt, in perpetuum jus donavimus, Helmonſtedi, Baſſalo, & duo Sedorp, Wormſtedi, præterea vero quicquid decimationis fuit ad curtes prædictorum monachorum in præfato Epiſcopio in proprium conceſſimus. Juſſimus inde hoc præſens præceptum ſcribi, manu noſtra ſubtus ſignari, & annuli noſtri impreſſione corroborari.

Signum Domini Ottonis  Sereniſſimi Regis.

Ludolfus Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi.
Data III. Kalend. Majas Anno incarnationis Dominicæ DCCCCLII. Indictione V. Anno Domini Ottonis Sereniſſimi Regis XVII. Actum Magdeburg feliciter, Amen.

Donatio

Digitized by Google

Donatio Magdeburgenſi Eccleſiæ facta ab Ottone Imper.

Otto ob remedium animæ ſuæ & dilectæ conjugis ſuæ Adelheidis prædium quoddam, quod ſibi Bilingus Comes tradidit pro proprietate quadam, quam dedit illi dictus Otto Rex in terra Slavorum, & Thuringia donavit dictus Rex ad monaſterium, quod conſtruxit in Magdeburg in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sancti Petri principis Apoſtolorum, nec non Sanctorum Mauricii & Innocentii, ad uſum monachorum, & eſt tale Hiddehuſi cum tota marca & Heliſugun, Heriſci, Daſingarod, Gelrichi, Willienhuſun, Ageſtorp, Guttingi, cum omni proprietate & pertinentiis. Actum Kidalingaburg, Anno Domini DCCCCLIII. Anno regni Ottonis Regis XVIII.

* Hanc Donationem plenam & integram videre licet ap. CL. *Sagittarium* in Antiquitatibus Magdeburg. §. 58. ubi etiam pro *Bilingus Comes* habetur *Bilingus quidam miles noſter.*

Alia donatio eidem Eccleſiæ facta.


Otto Primus pro remedio animæ ſuæ, patris Henrici Regis, & pro incolumitate matris ſuæ Machtildæ Reginæ, nec non pro incolumitate Regni ſui, ac Conjugis ſuæ Adelheidis & filii ſui Ottonis, inſtinctu & monitu Wilhelmi archiepiſcopi Moguntini dedit Eccleſiæ S. Petri & S. Mauricii & Innocentii martyrum in Magdeburg, & Abbati dicti monaſterii & ſuis Succeſſoribus omnem regionem & pagum vocatum Nelecice, omnemque utilitatem in eo manentem, urbem videlicet, Guncanſtein, cum ſalſugine ejus, cæteraſque urbes ac prædium, quod Wichard in beneficium habet, urbem Sputinesburg ſitam in pago Nudcici, & ad petitionem matris ſuæ prædium, quod Huodo in beneficium ſuum habet in pago Helmungowi in Comitatu Wilhelmi Comitis in locis Bretinga & Bernhardesroda cum omnibus pertinentiis, prædium, quod Albertus in Comitatu ſuo habet in pago Northuringorum in locis Cununſteti, Flahtungen, Waſſeresdal, Adinga, Actum Odorp. 4. Kalend. Auguſti Anno Domini DCCCCLXI. regni XXVI.

* Hanc Donationem eidem Eccleſiæ factam, integram magis habet CL. *Sagittarius* Ant. Magd. §. 75.

Privilegium Ottonis Imp. datum Eccleſiæ Mindenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina propitiante clementia Rex. Omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum cognoſcat induſtria, qualiter vir venerabilis nomine Landwardus, Epiſcopus ſcilicet Eccleſiæ conſtructæ in honorem Sancti Petri Principis Apoſtolorum, in loco, qui dicitur Mindin, attulit in noſtram præſentiam piiſſimi genitoris noſtri, cæterorumque anteceſſorum noſtrorum Regum ſcripta, in quibus continebantur, qualiter ipſi præfatæ Eccleſiæ Res, cum omnibus in ipſis rebus conſiſtentibus, ſub illorum receperunt Mundeburdo, precatusque eſt manſuetudinem noſtram, ut hoc ipſum à noſtræ Imperialis poteſtatis conſenſu fieri non recuſaremus. Nos autem ob amorem Dei & remedium animæ noſtræ, ac pii genitoris noſtri, cæterorumque anteceſſorum noſtrorum Regum, nec non & pro noſtræ mercedis augmento, paternos mores ſequentes, & benignitati ejus conſentientes ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria poteſtate, in Eccleſias aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones jam dictæ Eccleſiæ (quas nunc infra ditionem regni noſtri legibus poſſideat, vel quæ deinceps in jura ejus divina pietas voluerit augeri) ad cauſas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, manſiones vel paradas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ contra rationem diſtringendos, nec ullas redibitiones, vel inuſitatas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat, hominibus quoq; famulatum ejusdem monaſterii facientibus, qui Saxonice Malman dicuntur, prædictum Mundeburdum & tuitionem noſtram conſtituimus, ut etiam coram nulla judiciaria poteſtate examinentur niſi coram Epiſcopo, aut Advocato quem ejusdem loci Epi-

ſcopus elegerit. Quicquid vero fiſcus exinde ſperare potuerit, pro æterna remuneratione, dictæ Eccleſiæ ad ſtipendia pauperum & luminaria continuanda conceſſimus, & ipſe Epiſcopus cum omnibus rebus ſuis noſtro fideliter pareat Imperio, & ſub noſtra conſiſtat defenſione, quatenus ipſum fratresque ejusdem loci pro nobis, conjuge, proleque noſtra Dominum meliusque jugiterque exorare delectet. Fratribus autem ejusdem loci præfati dedimus licentiam eligendi paſtorem inter ſe qualemcunque voluerint, ita tamen, ſi talis inter eos inveniatur, qui vita & moribus probatus habeatur. Et ut hæc conceſſionis auctoritas, pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, juſſimus prælibati loci Epiſcopo hoc præſens præceptum conſcribi, manus noſtræ inſcriptione confirmatum ſubtus, & annuli noſtri impreſſione corroborari, pro Dei amore, & ſtabilitate Imperii noſtri, & incolumitate noſtra & æterno præmio præcipimus.

Signum Domini Ottonis  Invictiſſimi Regis.

Lintulfus Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovit.

Data Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXI. Indict. IV. Anno regni ſereniſſimi Ottonis XXII. Actum Burcheim in Chriſti nomine feliciter, Amen.

* Cancellarii nomen *Lintulfus* etiam ſcribitur in chron. Epiſc. Mindenſ. edito à *Piſtorio* p. 734. ubi hoc ipſum Diploma habetur: arbitror tamen ſcribendum eſſe *Liutulfus*, quod eſt idem cum *Luidolfus*, qui ſequens Diploma ſubſcripſit, & *Ludolfus*, qui Donationem Monaſterio S. Ludgeri factam ſubſcripſit. Plura de eo vide apud *Mallincrot.* de ArchiCanc. p. 51.

Privilegium libertatis ab Ottone Imp. datum monaſterio Lauriſhamenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum. Notum ſit omnibus, tam præſentibus, quam & futuris fidelibus, qualiter ob amorem Dei, & animæ noſtræ remedium Abbatiam cœnobio Laureſham appendentem in unum deinceps eſſe collectam, & ipſum cœnobium regulari ordine & abbate ſolide & inconvulſe per omnia ſemper vigere decrevimus. Quapropter obſecrante venerabili Abbate Gerbodone, eidem monaſterio noſtra electione intronizato, hoc noſtræ auctoritatis præceptum fieri voluimus, quæ præcedentium Auguſtorum ſcilicet illuſtris & magni Karoli, piique Ludovici benignitatem incitando, regularem monachis illius monaſterii de Abbate electionem indulgemus, & ipſam Abbatiam ex integro poteſtati abbatum ad communem utilitatem monachorum Deo ibi famulantium ſubdimus. Statuimus etiam Epiſcopum, in cujus parochia ſitum eſt monaſterium, ex qualibet occaſione ibi irrumpere, ſeu monachis irrationabiliter inquietare non debere, nec ex rebus monaſterii in omni Imperii noſtri ditione telonei exactionem fieri: nec publicum judicem, ſeu quemlibet ex judiciaria poteſtate, vel aliquam aliam perſonam quicquam poteſtatis aut negotii, ſine voluntate aut permiſſu Abbatis in omnibus ſæpedicti monaſterii rebus habere vel exercere. Quicquid jus fiſci exinde exigere potuerat, ex integro in uſus monaſterii cedere præcipimus. Homines quoque ingenuos ſeu ſervos in poſſeſſionibus monaſterii commanentes, diſtringere, ſive ipſas poſſeſſiones contra Abbatis decretum intrare, ſeu ad cauſas audiendas, ſeu manſiones faciendas, aut freda, vel tributa exigenda, vel ullam in aliquo violentiam faciendam omnibus omnino hominibus, per hanc noſtræ immunitatis conſcriptionem prorſus interdicimus, atque ab hujuſmodi, aut ſimili præſumptione cunctos per omnia tempora inhibemus; quatenus Abbas & monachi omnia illuc aſpicientia ſub noſtra tuitione quo ordine quietiore poſſederint, eo liberius pro ſtatu Imperii noſtraque ſalute Deo vacent. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum firmum & ſtabile permaneat, annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, & manu propria ſubter firmavimus.

Signum

Signum Domini Ottonis ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.

Luidolfus Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi.

Data VII. Kalend. Februarii anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, DCCCCLXIII. Indictione VI. regnante pio Imperatore Ottone anno XXVIII. Actum Papiæ feliciter, Amen.

Privilegium datum ab Ottone Imp. Eccleſiæ Patavinæ.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente Clementia Imperator. Si ſanctis & venerabilibus locis digna confecimus munera, aut collata à piis & religioſis viris Imperiali auctoritate confirmamus, ad ſtatum regni noſtri proficere credimus. Proinde omnium S. Dei fidelium noſtrorum præſentium & futurorum comperiat induſtria, qualiter pro Dei amore, animæque noſtræ remedio, nec non conſultu & interventu dilectæ Conjugis noſtræ Adelhidæ, & conſortis Imperii noſtri, per hanc noſtri præcepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmamus ac corroboramus Eccleſiæ S. Dei genitricis & Virginis Mariæ, & S. Juſtinæ, quæ caput eſt Patavienſis Epiſcopii, cui præeſſe videtur Goslinus venerabilis Epiſcopus, noſterque dilectiſſimus fidelis, omnes plebes, abbatias, Xenodochia, atque cortes, nec non illam, quæ Saccum dicitur, quæ à Prædeceſſore noſtro Berengario Imperatore & Hugone rege eidem Eccleſiæ per præcepti paginam data eſt, quatenus prætaxatus Pontifex ſuique Succeſſores ad partem ipſius Eccleſiæ habeant, teneant, firmiterque poſſideant in perpetuum prædictas plebes, abbatias, Xenodochia, atque cortes una cum ſervis & ancillis, aldionibus & aldianis, omnibusque rebus, quæ dici vel nominari poſſunt, ad præfatum Epiſcopum pertinentibus. Concedimus etiam ac Imperiali auctoritate confirmamus prælibato Goslino Epiſcopo ſuiſque Succeſſoribus in cunctis ſui Epiſcopii poſſeſſionibus, ubicunque ſibi melius viſum fuerit, Caſtella cum turribus & propugnaculis erigere, negotia conſtituere, molendina componere, & publicas aquas ad utilitatem ipſius Eccleſiæ trahere, piſcationes exercere abſq; alicujus contradictione. Inſuper concedimus, atque largimur, ut ſi præcepta, aut Teſtamenta, aut chartula ipſius Eccleſiæ Ungarorum incurſu, incendio, aut aliquo caſu perditæ ſint, & lites contra eandem Eccleſiam ſurrexerint, hac noſtra Imperiali poteſtate fultus præfatus Pontifex ſuique ſucceſſores per inquiſitionem & ſacramenta trium liberorum hominum approbent & teſtificentur eaſdem res ad partem ſuæ Eccleſiæ, quas deinceps firmiter poſſideant in perpetuum. Præcipientes igitur jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, aut aliqua regni noſtri magna parvaque perſona prælibatum Epiſcopum ſuosque ſucceſſores de præfatis rebus inquietare, aut moleſtare, aut de ipſis rebus teloneum exigere præſumat, ſed liceat præfatum Epiſcopum cum ſuis omnibus, ut dictum eſt, quiete & pacifice vivere, & pro nobis Dominum exorare omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur, quod fieri non intendimus nefario auſu hujus noſtræ confirmationis & corroborationis præceptum infringere præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem præfato venerabili Epiſcopo Goslino, ejuſque Succeſſoribus, qui pro tempore fuerint. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur juſſimus inde hoc præſens præceptum conſcribi, annuloque noſtro ſigillari, & manu propria ſubter firmavimus.

Signum Domini Ottonis magni & invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Luitgerius Cancellarius ad vicem Vidonis epiſcopi & archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data pridie Nonas Julii anno Domini incarnationis DCCCCLXIII. Indictione IV. anno Imperii Magni Ottonis Imperatoris Auguſti. III. Actum ad Aquampendentem in Chriſti nomine, Amen.

* Tabulas has integras quoque *Car. Sigonius* l. VII. de Regn. Ital. p. 171. recitat, quæ in reliquis ferè ſimiles ſunt, niſi quod pro anno C. 963. habeat 964. qui cum anno tertio Imperii Ottonis rectius convenit.

Donatio

Donatio Ottonis Imp. facta Eccleſiæ Magdeburgenſi.

Otto Primus pro amore S. Mauricii martyris, & pro remedio animæ ſuæ, parentumque ſuorum, necnon interventu & petitione Wilhelmi ſedis Moguntinæ archiepiſcopi, dedit Eccleſiæ S. Mauricii in Magdeburg duas curtes juris regni ſui, unam videlicet Calva in pago Northuringorum ſitam, aliam, quæ vocatur Rosburg, ultra Salam fluvium ſitam in pago Sirimunci cum omnibus appendiciis, Eccleſiis, ædificiis, & cæteris pertinentiis. Actum in Palatio Inginelheim V. Kalend. Aprilis, anno Domini DCCCCLXV. regni XXX. Imperii IV.

* Donationem hanc pleniorem producit *Benjam. Leuberus* de Stapula Saxonica n. 1600.

Alia donatio Ottonis Imperat. facta Eccleſiæ Magdeburg.

Otto I. ob amorem Dei regnique æterni manſionem, ob remedium animæ patris ſui Henrici regis, ac pro incolumitate matris ſuæ Mathildis, ac pro ſtatu & incolumitate regni vel Imperii, conjugisque ſuæ Adelheidis, ac filii ſui Ottonis, inſtinctu & monitu Wilhelmi archiepiſcopi Moguntinæ ſedis, dedit Eccleſiæ S. Mauricii martyris in Magdeburg omnem rem pagumque vocatum Neledice, omnemque utilitatem cum omnibus ad eam pertinentibus, aquis ſalſis & inſalſis, terris cultis & incultis, mancipiis Teutonicis, & Slavonicis, munitionem etiam vel Burgwardium urbis Spuitineburg in pago Nudhice ſitæ cum omnibus pertinentiis, taleque prædium, quale Huodo in beneficio habet in pago Helmingowe in Comitatu Wilhelmi, quale Aldebertus in beneficium habet in Comitatu ipſius in pago Northuringorum in locis Cununſteti, Flahtungen, Wahharesdal, Adinge, Actum Wiſibadun. II. Idus Aprilis, anno Domini DCCCCLXV. Imperii IV. regni XXX.

Donatio Imp. Ottonis facta monaſterio Laurisheimenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina auxiliante clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum induſtria, qualiter nos ob mercedem retributionis divinæ, interventu dilectæ conjugis noſtræ Adelheidæ, venerabili Abbati Gerbodoni fideli noſtro, qui cœnobio S. Nazarii in Lauresham præeſſe videtur, in quadam ejuſdem Cœnobii villa Wezinloch nominata, in Comitatu Conradi Comitis, mercatum publicum fieri conceſſimus, & quicquid in telonei lucris, vel aliqua utilitate exinde proventurum eſſe videtur, ad ſervitium S. Michaelis in Abramesberg ſeu S. Nazarii, in Lauresham, Imperatoriæ noſtræ largitatis munificentia donavimus. Et ut hoc autoritatis noſtræ donum, ſive præceptum, ſtabile ac inconvulſum permaneat, hanc chartam conſcribi, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum Domini Ottonis magni & inviƈtiſſimi Imperatoris Aug.

Ludolfus Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi.

Data II. Non. Maii, anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXV. Indictione VIII. anno regni Domini Ottonis XXX. Imperii vero IV. Actum Herenſtein palatio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Alia donatio Ottonis Imp. facta Eccleſiæ Oſnaburgenſi.

Otto Imperator ob petitionem dilectiſſimæ matris ſuæ Mechtildis, atque per interventum Adelheidis amantiſſimæ ſuæ conjugis, & ob frequens ſervitium Venerabilis Epiſcopi Drogonis, quoddam nemus vel foreſtum infra hæc loca poſitum, Farneswinckel, Rutenſtein, Angaria, Oſnynck, Senede, Bergeshovet, Dromanameri, Egeſtervelt, Dumeri, in perpetuum proprietatis uſum dedit atque donavit, ea ſcilicet ratione, ut nullus contumaciæ deditus nemus prælibatum, imperiali videlicet banno munitum, ſine prædicti Epiſcopi licentia ſtudio venandi, vel aliquod hujuſmodi negotium peragendi, præſumat intrare. Quod ſi quiſquam parvi pendens tentaverit, ſciat, ſe tam divinæ, quam Imperialis ultionis vindictam incurriſſe, nec non debitum pro delicto in regalem fiſcum redditurum. Et ut hoc firmum ſtabileque per omnes nomi-

Digitized by Google

nominis ſui & ordinis dignitates permaneat chartam deſuper conſcribi & ſigillari juſſit. Actum Quedlingburg. Anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXV. Indictione VII, anno regni Ottonis XXX. Imperii autem IV. in nomine Dei feliciter, Amen.

Privilegium Ottonis Imp. de Eccleſiis Hamburgenſi Eccleſiæ ſuffragantibus.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imp. Auguſtus cum Imperatoriæ dignitatis officium eſſe conſtet, ut erga divini cultum officii pervigili cura inſiſtant, & quicquid augmentum ſanctæ Chriſtianæ religioni adhibere potuerint, indeſinenter in hoc ſtudeant. Idcirco nos interventu dilecti archiepiſcopi Adaldagi pro proſperitate & incolumitate Imperii noſtri, quicquid proprietatis in marca vel regno Danorum ad Eccleſias in honorem Dei conſtructas, videlicet, Slieſſwigenſem, Ripenſem, Aruſenſem, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum acquiratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri juris abſolvimus, ut & Epiſcopis præſcriptarum Eccleſiarum, abſque ulla Comitis, vel alicujus fiſci noſtri exactoris infeſtatione ſerviant, & ſuccumbant, volumus & firmiter jubemus. Servos vero & colonos in eiſdem proprietatibus habitantes, nulli, niſi eiſdem Epiſcopis ſerrvituros ab omni etiam noſtri juris ſervitio abſolvimus, & ſub nullius banno vel diſciplina illos, niſi ſub illarum Eccleſiarum Advocatis eſſe volumus. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum firmum & inconvulſum permaneat, hanc chartam conſcribi, annulique noſtri impreſſione ſigillari juſſimus, quam & manu propria ſubtus firmavimus. Data VI. Kal. Julii, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXV. anno Domini Ottonis Imperii IV. regni autem XXX. Actum Magdeburg in Dei nomine, Amen.

Ottonis Imp. privilegium datum Eccleſiæ Magdeburgenſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Cum plurimi anteceſſorum noſtrorum. Imperatorum videlicet aut Regum, munifica largitate Eccleſiis Dei pro augmento vel amplificatione earundem utilia ſimul & commoda ſint collata ſubſidia, unde & in ſui ſtatus tranquillitate roborentur, & ob irruentium extrinſecus infeſtationem moleſtias muniantur. Idcirco nos reſpectu divinæ remunerationis, pro remedio animæ noſtræ, dilectæque conjugis noſtræ Adelheidis, filiique noſtri cariſſimi Ottonis, pro ſtatu quoque & incolumitate regni vel imperii noſtri, mercatum in Magdeburg & monetam, omneſque telonei fructus vel uſuras, quoquomodo, vel à navigio advectis, vel plauſtris, vel carrucis vel quibuſcunque vehiculis adductis ſive ab Equitibus vel peditibus, vel cujuſcunque modi, aut conditionis hominibus ſupervenientibus allatis mercibus acquirendas vel accipiendas: ſeu quicquid hactenus utilitatis exinde ad noſtrum publicum jus pertinere videbatur, totum & ex integro Deo Sanctoque Mauricio in Magdeburg transfundimus, offerimus, atque donamus, ut ſervi Dei die noctuque ipſi Sanctoq; Mauricio ibidem famulaturi, pro noſtra quoq; Dominum ſalute deprecaturi, abſque ullius ſemper contradictione teneant, & poſſideant, & ſuis, ut libuerit, uſibus adjungant. Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum per proceſſura temporum curricula in offenſo jugiter tenore perduret, chartæ hujus conſcriptione roborari, annulique noſtri impreſſione ſignari juſſimus, quam & manu propria ſubtus firmavimus.

Signum Domini Ottonis magni & inviciſſimi Imperatoris Auguſti.

Rudolfus Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani cognovi.

Data VII. Idus Julii, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXV. Indictione IIX. anno regni Ottonis XXX. Imperii IV. Actum Magdeburg palatio in Domino feliciter, Amen.

Aliud Privilegium Ottonis Imp. datum eidem Eccleſiæ.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Quoniam regiæ majeſtatis officium eſſe conſtat, ut loca venerabilia divino cultui præparata pia jugiter vigilantia contra irruentes undiq; moleſtias muniat, ut famuli Chriſti in iiſdem locis pro ſpe regni cœleſtis laboraturi, atque pro peccatis vel offenſionibus populi Domino ſupplicaturi, eo liberiore ſuæ liberalitatis ocio vacare

valeant: & quoniam ſtabilimentum divini ſervitii ſtatus & proſperitas eſſe creditur regni vel imperii terreni. Idcirco nos divino inſtinctu moniti pro remedio animæ noſtræ, dilectæque conjugis noſtræ Adelheidis, & filii noſtri cariſſimi Ottonis, pro ſtatu quoque & incolumitate regni & Imperii noſtri Bannum noſtræ regiæ vel Imperatoriæ dignitatis in urbe Magdeburg opus conſtruendæ urbi à circumjacentibus illarum partium incolis noſtro regio vel Imperatorio juri debitum, Eccleſiæ in eadem civitate conſtructæ, ſanctoque Mauricio in jus perpetuum liberaliter offerimus. Et ne vel Judæi, vel cæteri ibi manentes negotiatores ullam aliunde, niſi ab illo, qui eidem Eccleſiæ præfuerit, diſtrictionis aut diſciplinæ ſententiam vel regulam ſuſtineant, volumus & firmiter jubemus, præſcripti vero noſtri Banni, Deo Sanctoque Mauricio à nobis oblati, nullus vel Comes, vel Vicarius, vel judex, vel tribunus, vel exactor, vel aliqua perſona, in eadem civitate ſibi uſurpandi, vel aliquam aliam in ſcriptis legem aut diſciplinam exercendi poteſtatem habeat, niſi ipſe, qui eidem loco vel Eccleſiæ præfuerit Advocatus, quem noſtro conſenſu ſibi & eidem Eccleſiæ præficiendum elegerit. Et ut hæc auctoritatis noſtræ præcepta inconvulſa & immutilata firmiter permaneant, hanc chartam conſcribi, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, quam & manu propria ſubtus firmavimus.

Signum Domini Ottonis magni & invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Rudolfus Cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi.

Data VII. Idus Julii, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXV. Indictione IIX. anno regni Domini Ottonis XXX. Imperii autem IV. Actum Magdeburg palatio in Dei nomine feliciter, Amen.

Donatio Imp. Ottonis facta Mamaconi Comiti.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium ſcilicet, quam futurorum induſtria, qualiter nos ob interventum dilectæ conjugis noſtræ Adelheidis, filiique noſtri cariſſimi, ſcilicet Ottonis, nec non Theodorici comitis noſtri fidelis, cuidam noſtro fideli Mamaconi tradidimus, quicquid prædii vel hæreditatis monaſterio fratribusque in Magdeburg Deo Sanctoque Mauritio die noctuque famulantibus habere videbatur, prædicto Mamaconi donavimus in pagis Derlingen & Nortduringen, in Comitatu ipſius Mamaconis, quem ipſi in beneficium conceſſimus, in locis ſubſcriptis, videlicet in Veltheim, in Heſſenheim, in Arnlaldesheim, in Bernsherdeſtorp, in Cugelinge, in Echeim, in Sehuſen, in Drongelevo, (Dreinleve) in Hahaldesleve (Hadelſleven) in Valdorf, quod Theodoricus Comes pro remedio animæ ſuæ monaſterio prædicto tradere videbatur, excepto ſemiſſe cum omnibus appendiciis & utilitatibus, tam in mancipiis, quam & in ædificiis, curtilibus, terris cultis & incultis, molendinis, piſcationibus, mobilibus, & immobilibus, quæſitis & inquirendis, & cum omni integritate, ſeu cujuſcunque modi utilitatis inveniri poſſit, prædicto noſtro fideli Mamaconi tradidimus, donavimus, & confirmavimus, & liberam habeat poteſtatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quicquid ſibi libuerit exinde faciat. Et ut præſens hoc præceptum noſtris temporibus firmius habeatur, futurisque verius credatur, & inconvulſum permaneat, cartam hanc conſcribi & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, quam & manu propria firmavimus.

Signum Domini Ottonis magni invictiſſimi Imperatoris Auguſti.

Ludolfus Cancellarius ad vicem Wilhelmi archicancellarii recognovi.

Datum VIIII. Kal. Maii, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVI. Indict. IX. Anno regni Dn. Ottonis XXXI. Imperii autem V. Actum Quidelinburgi in Domino feliciter, Amen.

Privilegium Ottonis datum Eccleſiæ Hamburgenſi de Libertate loci.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto Dei clementia Imperator Auguſtus. Si religioſorum obtemperaremus votis noſtræ liberalitatis loca divino cultui mancipata largitate donaremus, ad æternæ recompenſationis præmium indubitanter id nobis credi-

Digitized by Google


credimus profuturum. Quare omnibus conſtet, nos pro Dei amore Venerabilis Adaldagi Hammaburgenſis Eccleſiæ archiepiſcopi flagitatibus annuentes, conſtruendi mercatum in loco Bremum nuncupato illi conceſſiſſe licentiam, bannum & teloneum, nec non monetam, totumque quod inde regius regi publice fiſcus obtinere poterit, prælibatæ confecimus ſedi: quin etiam negotiatores ejusdem incolas loci noſtræ tuitionis patrocinio condonavimus, præcipientes hoc Imperatoriæ auctoritatis præcepto, quo in omnibus tali patrocinentur tutelæ, & potiantur jure, quali cæterarum regalium inſtitores urbium: nemoque inibi aliquam ſibi vendicet poteſtatem, niſi præfati Pontificatus archiepiſcopus, & quem ipſe adhoc delegaverit, manu noſtra ſignato, & annuli noſtri impreſſione roborato. Acta IV. Idus Auguſti, Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVI. Indictione IIX. Anno Domini Ottonis magni Imperatoris, regni XXXI. Imperii vero IV. Actum Mersburg in Dei nomine feliciter.

Conceſſio Ottonis Imp. facta Alderamo Duci Saxonico.

Otto divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Oportet Imperialem excellentiam aurem ſerenitatis ſuæ, honeſtis fidelium ſuorum petitionibus inclinare, qua promptiores & devotiores eos in ſuum efficiat famulatum. Quapropter noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet & futurorum univerſitas, Aledram Marchionem, interventu ac petitione Adelhegidæ noſtræ conjugis, atque imperii noſtri participis, noſtræ adiiſſe ſublimitatis culmen humiliter poſtulando, ut quaſdam curtes, abſas, hactenus regni noſtri juri de beati noſtri præcepti pagina illi concederemus, nec non omnes res & proprietates ſuas ad utriusque ſexus familias, quæ illi advenerunt tam de hæreditate parentum, quam de ſuo adquæſtu, ſimiliter autoritate noſtri præcepti eidem confirmaremus, & penitus corroboraremus. Cujus petitionibus annuentes, & ipſius fidelitatem conſiderantes, per hoc noſtrum præceptum, prout juſte & legaliter poſſumus, concedimus, donamus atque largimur præfato Aledramo marchioni omnes illas curtes in deſertis locis conſiſtentes, à flumine Tanard usque ad flumen Urbam, & ad littus maris, quorum nomina hæc ſunt: de Gobangiaſco, Balangio, Salaſcedo, Leceſi, Cathole, Miolia, Pulcione, Gruaza, Prunetto, Altuſino, Cortemiglia, Monteneſi, Noſcetto Maſionti, Archa, & quicquid ibidem hactenus juris regni Italici pertinuit, ut ſicut hucusque juri regni noſtri & dominio ſubditæ ſunt, ita amodo in antea præfati Aledrami Marchionis dominio ſubdantur, & in ejus jus delegentur, & omnino transferantur. Inſuper etiam confirmamus & corroboramus dicto Aledramo marchioni omnes res & proprietates ſuas ad utriusque ſexus familias, tam de hæreditate parentum, quam de adquæſtu illi advenientes per diverſa loca infra Italicum regnum conjacentes, videlicet in Comitatu Aquenſi, Senonenſi, nec non Aſtenſi, & montisferrati, Taurinenſi, & Vercellenſi, Parmenſi, & Cremonenſi, ſeu Pergamenſi, cum omnibus eorum pertinentiis & adjacentiis, ſeu etiam, quicquid habere vel poſſidere videtur in diverſis locis, in toto Italico regno, vel inantea acquirere poterit, ſine aliqua minoratione, per hujusmodi noſtri præcepti confirmationem habeat & teneat, firmiterque poſſideat tam ipſe, quamque ſui hæredes, una cum terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, mobilibus & immobilibus, utriusq; ſexus familiis, ſilvis, ſalicetis, montibus & vallibus, planiciebus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, venationibus, pedagiis, teloneis, omnibusq; publicis functionibus, vel etiam quæ dici vel nominari poſſunt, ad easdem res & proprietates ſeu cutes vel caſtella pertinentibus, vel adſpicientibus, habeantque poteſtatem tenendi, vendendi, commutandi, alienandi, pro anima judicandi, & quicquid eorum animus decreverit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Interea per hujus noſtræ donationis & confirmationis auctoritatem jubemus & omnino ſtatuimus, ut nulla Italici regni perſona præfatum Aledram ſuosque hæredes de omnibus, quæ ſupra vel inantea acquirere poterint, diſveſtire præſumat. Quod ſi aliquis contentionem de hujusmodi ſupradictis omnibus, cum eodem ſuisque hæredibus habuerit, volens illi objicere, quod inveſtituram inde præterito tempore non habuerint, liceat eidem Aledramo, ſuisque hæredibus per noſtram datam licentiam, & hujus noſtri præcepti conſtitutionem, aut per ſacramenta aut pugnam declarare. Præterea recipimus eundem marchionem Aledram cum filiis & hæredibus ſuis, & omnibus rebus, mobilibus & immobilibus, juſte & legali-

Digitized by Google


ter ad eum pertinentibus ſub noſtri mundiburtione, ita videlicet, ut nullus Dux, nulluſque Marchio, nullus Comes, nullus judex, nullus Gaſtaldus, nulluſque publicæ partis procurator, nulla major vel minor perſona, eum abſque legali judicio inquietare aut moleſtare præſumat. Si quis hujus noſtri præcepti aut mundiburdi violator extiterit culpabilis, ſolvere cogatur auri optimi libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem præfato Aledramo marchioni ſuiſque hæredibus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque obſervetur, manu propria roborante, annuli impreſſionem inferius affigi præcepimus.

Signum Domini Ottonis  Sereniſſimi Imperatoris.

Ambroſius Cancellarius ad vicem Humberti Epiſcopi & archicancellarii recognovi & ſcripſi. Data X. Kal. April. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVII. Imperii vero Domini Ottonis piiſſimi Cæſaris VI. Indictione X. Actum Ravennæ in Dei nomine feliter, Amen.

Donatio Ottonis Imp. facta Adelheidæ conjugi.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Notum facimus omnibus fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter nos per interventum ac petitionem amantiſſimi filii noſtri Ottonis Imperatoris, dilectæ conjugi noſtræ Adelheidæ Imperatrici, regnorumque noſtrorum conſorti, in proprium donavimus juris regni noſtri quaſdam curtes, ita nuncupatas, Hohfeldon & Saramaresheim, Suchuſum, & Marinzanwiler, atq; Saliſe, ſitas in Eliſazium, in Comitatu Hugonis Comitis, cum Eccleſiis, curtibus, ædificiis, mancipiis, terris, cultis & incultis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſylvis, vineis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, molendinis, molendinorumque locis, exitibus, reditibus, quæſitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus rebus, omnibuſque pertinentiis, quæ vel dici, vel nominari poſſunt, ad præfatas curtes Hohfeldon, Saramereſheim, Suchuſum, & Morinzawiler, atque Saliſe pertinentibus (ut jam prædiximus) noſtræ dilectæ conjugi Adelheidæ Imperatrici, regnorumque noſtrorum conſorti in integrum donavimus, ut jure hæreditario habeat, teneat, firmiterque poſſideat, habeatque poteſtatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, quicquid ei exinde placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Et ut hæc noſtræ auctoritatis donatio omni tempore firma ſtabiliſque permaneat, juſſimus inde hoc præſens præceptum conſcribi. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus obſervetur, hoc præceptum manu propria ſubtus firmavimus, annulique noſtri impreſſione ſignavimus.

Signum Domini Ottonis Magni  & invictiſſimi Imperatoris noſtri.

Rutgerus Cancellarius ad vicem Hattonis archipræſulis, & ſummi Capellani recognovi & ſubſcripſi.

Data XVI. Kalend. Decembris, Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVIII. Indictione .... Anno regni ſereniſſimi Ottonis Regis XXXIII. Imperii ſcilicet ſui VII. Actum Aterno civitate, quæ ſita eſt ſuper fluvium, qui ſic dicitur, in Chriſti nomine feliciter, Amen.

Fundatio Epiſcopæ Miſnenſis.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos interventu dilectiſſimi filii noſtri Imperatoris Auguſti, ſimul & Adelheidæ cariſſimæ conjugis

conjugis noſtræ, nec non pro memoria ac remedio animæ patris noſtri Henrici, more antiquorum Imperatorum & regum, noſtra regali poteſtate Miſnenſi Epiſcopatui terminum poſuimus, nominando fines & determinationes locorum, ſicut infra continetur. Ubi caput & fons eſt aquæ, quæ dicitur Odera: inde quaſi recta via uſque ad caput Albeæ. Inde deorſum ad Occidentalem partem, ubi diviſio duarum regionum eſt, Behem & Niſem: ibidemque ultra Albeam, & per ſylvam in Occidentalem partem uſque ad caput Mildæ, & ſic deorſum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque dum Milda intrat in Albeam, & ſic ſurſum ultra provinciam Niſici, ad ipſum terminum: nec non in altera parte Lucizi & Selpoli, & ſic uſque ad civitatem Sulpize, illam videlicet infra eundem ſurſum uſque ad caput ejus. Omnes, qui infra terminum iſtum habitant, in omni felicitate terræ, frugum & pecudum, in argento, veſtimento, nec non quod Teutonici Overcoupunga dicunt, & Taluregа familiarum: inſuper tota utilitate & omnibus rebus, quibus mortales utuntur diverſis modis, decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Miſnenſem Eccleſiam, primo Deo, deinde ſancto Johanni Evangeliſtæ, beatoque Donato, matri Dei, univerſa dubietate procul remota, perſolvant, referant, & reddant. Et ſi quis hoc præceptum in remunerationem Dei conſtitutum, diſvertere & diſrumpere tentaverit, odium Dei ſanctorumque omnium inceſſanter habeat. Et ut hæc noſtræ regiæ poteſtatis donatio & conſtitutio nunc & in futuro firma & inconvulſa permanendo conſiſtat, hoc præceptum inde conſcriptum, ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, manuque propria, ut infra tenetur, corroboravimus.

Rudbertus Cancellarius ad vicem vacationis archicapellani recognovi.

Data IV. Kalend. Novembris, Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXIIX. Romæ in Eccleſia S. Petri, Indictione XI. feliciter.

Donatio facta Epiſcopatui Magdeburgenſi.

Otto Imper. cum Joannes Papa ad inſtantiam ſuam conſecraſſet Adelbertum primum archiepiſcopum Magdeburgenſem, ex eo, quia dictus archiepiſcopatus inter gentes Chriſtianæ fidei imperfectas videbatur ſitus, in pago Spirenſi inter veros & perfectos Chriſtianos dedit archiepiſcopo ad rogatum tam per nuncios, quam per literas dicti Papæ Abbatiam in Wizenburg. Actum Anconæ II. Kalend. Novembris, Anno Domini DCCCCLXVIII. regni XXXII. Imperii. VII.

* Hanc Donationem Epiſcopatui Magdeburgenſi factam integram publicavit *Benjam. Leuberus* num. 1610. diſquiſitionis de Stapula Saxonica.

Alia donatio ejusdem Ottonis Imp.

Otto Imp. dedit Eccleſiæ S. Mauricii in Magdeburg quoddam prædium ſuum Chotirodizzi nominatum, in pago Northuringa in Comitatu Huidonis ſitum. Actum Ravennæ Kalend. Decembris Anno DCCCCLXXI.

Donatio ejusdem Imp. facta monaſterio Ratisbonenſi.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si fidelium ac ſervorum Dei nobis fideliter ac devote famulantium petitiones, dum nobis pro ſuis & noſtris utilitatibus ac neceſſitatibus innotuerint, ad effectum perducimus non ſolum anteceſſorum noſtrorum, regum atque Imperatorum imitando conſuetudinem, verum etiam ad beatæ & æternæ remunerationis mercedem talia nobis facta profutura liquido credimus. Quapropter omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorumque, tam præſentium, quam futurorum cognoſcat induſtria: quando anteceſſor noſter Karolus magnus, pro æternæ mercedis augmento, quoddam monaſterium in Ratisbona civitate, quod eſt conſtructum in honore Sanctæ Mariæ, matris Domini, & principis apoſtolorum Dei, & precioſi Dei martyris Emmerani, ubi venerabile corpus ejus requieſcit humatum, & cum eo corpora, & multæ reliquiæ Sanctorum ſunt locatæ, recta ratione fideliter in ſuam & ſucceſſorum ſuorum poteſtatem recepit. Proinde ipſe cum auctoritate Leonis Papæ, filiusque ejus Ludovicus cum Eugenio Papa & Pius Ludovicus Rex cum Nicolao Papa, & Arnulfus Rex cum Formoſo Papa, confirmaverunt, de prædicto monaſterio unoquoque

Anno VII. aureos perſolvi ad altare S. Petri. Idcirco cunctorum Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, præſentis ſcilicet atque futuri manifeſtatur collegio, quod nos per interventum dulciſſimi fratris noſtri Henrici Ducis Bojariorum, eundem locum, in Synodali concilio, ante altare Principis Apoſtolorum, in præſentia Domini & Venerabilis Papæ Joannis, & in præſentia Epiſcoporum CXVII. confirmamus in poteſtate Imperatorum ſive Regum, usque in ævum permanere, propter improbitatem Epiſcoporum ejusdem civitatis: quia non omnes, ſed multi ex eis ſemper inſidioſe contendebant contra eundem ſanctum locum. Propterea volumus ob amorem & honorem ſancti Petri de prædicto monaſterio cenſum augeri, ut rectores ejusdem Cœnobii pro defenſione & pro libertate ejusdem loci unoquoque anno offerant Romæ dimidiam libram cocti auri ad altare Sancti Petri: & ita confirmamus cum auctoritate Papæ & Epiſcoporum, qui ſunt poſt Italicos & Gallicos, Moguntinus, Magdeburgenſis, Wormatienſis, Conſtantienſis, Wirziburgenſis, Rubilocenſis, Auguſtenſis, Halberſtatenſis, Spirenſis, Curienſis, Colonienſis, Leodienſis, Trajectenſis, Mindenſis, Hoſenbrugkenſis, Trevirenſis, Metenſis, Citienſis, Verdonenſis, Tullenſis, Juvavienſis, Batavienſis, Friſingenſis, Brixinenſis, Bragenſis, Ratisbonenſis: ut ſi quis Imperator aut Rex eandem Eccleſiam tam ſanctam alicui præſtet, ſit anathema maranatha, id eſt, perditio in adventu Domini, & in ea maledictione perſiſtat, quam ſanctus Formoſus Papa ſuper eum confirmavit, usque dum reſipiſcat: Et præfatum monaſterium cum monachis & omnibus ibidem in præſens collatis, vel in poſterum conferendis, in immunitatem Papæ, & in noſtram recipimus. Et ut hæc auctoritas confirmationis noſtræ firmior habeatur, & per futura tempora diligenter obſervetur, manu propria noſtra eam confirmavimus, annuli noſtri impreſſione muniri præcipientes.

CHRO-

CHRONICON CORBEIENSE.

ANno incarnationis Domini 822. Indictione 15. 8. Kalend. Septembris 2. feria, Monachi, qui in loco, qui *Hetba* dicitur, per ſeptem annos prius demorabantur, inde egreſſi cum crucibus & reliquiis in hunc locum pervenerunt: locoque ab Epiſcopo Barurado, qui tunc præſens aderat, CORBEIÆ nomen impoſitum eſt, erectoque tentorio, illatisque crucibus ac reliquiis, locum dedicaverunt in honore & nomine S. Stephani protomartyris, infodientes crucem Chriſti, ubi nunc altare eſſe dignoſcitur.

Dominus LIUDWICUS Imperator Auguſtus, Karoli Magni F. tradidit monaſterio locum HUXERI, cum omnibus finibus ſuis, Eresburg & Meppiam abbatiolas, & cætera prædia in Aquilone: Juditha Imperatrix ab eodem viro ſuo hæc obtinuit.

Dominus Liudwicus Rex die dedicationis *Hemele* in dotem altaris obtulit: tradidit etiam *Hemmentorp*, Abbatiolam *Visbike*, decimas cum decimalibus eccleſiis in Epiſcopatu *Aſnebruggi*, Vineas in *Liciaco Hemma* regina hæc ab eo obtinuit.

Domnus Lotharius Imperator tradidit RUGIAM inſulam cum tota circumjacente provincia.

Nomina fratrum novæ Corbejæ.

Conſtructor primus loci noſtri *S. Adalbardus* annis 4.

Hrodradus, Werinhardus, Aldricus, Magnerus, Eiloldus, Benewardus, Sigericus, Hramwardus, Wahala.

Dn. *Warinus*, abbas præfuit annis 30. menſes 4. dies 25. obiit 12. Kalend. Octobr.

Ragenhardus, Suithardus, Frithariens, Aſthulfus, Bunico, Faſtigerus, Chriſtinus, Bilo, Sigericus, Colo, Thiodolfus, Folckerus, Halecgerus, Heloco, Houlfus, Halocwardus, Dendiwala, Hildibodo, Adaldagus, Hildiwardus, Theodulfus, Theoboldus, Ahilhardus, Adalgerus, Avo, Herwardus, Wiſardus, Adaloldus, Saxolfus, Gerhardus, Frithariens, Gerho, Helmricus, Margwardus, Frithudagus, Binix, Ovo, Gerolmus, Agicus, Werinhardus, Ragenharius, Hethenricus, Heremannus, Wido, Deddo, Wendildagus, Ragenharius, Margwardus, Gerhardus, Eodus, Gothelf, Hrodgarius, Adalgarius, Gorlo.

Dn. *Adalgarius*, præfuit annis 20. obiit 7. Idus Jan. Foledagus, Wiſhardus, Bruno, Godeſchalcus, Margwardus, Warinus, Rodmannus, Bovo, Othaldus, Gerbertus, Thiadricus, Ereph, Unuwanus, Rothulfus. Wicbertus, Alfgerus, Adaloldus, Mainwercus, Gothet, Saru, Ekkericus, Wido, Abbo, Luidulfus, Alfredus, Hogerus, Waldricus, Bodo, Henricus, Daddo, Folckhardus, Eilhardus, Gerbertus, Boſo, Haoldus, Thiadulfus, Rogenharius Riddagus, Nithardus, Walho, Wendildagus, Lutharius, Folebertus.

Dn. *Thancmarus*, abbas vix menſibus VIII. præfuit, obiit 3. Idus Septembris.

Bruni, Herimannus, Thiatmarus, Bardo, Wahl, Lanfridus, Otbertus, Hilliwardus, Hildibertus, ipſo anno.

Dn. *Avo* abbas vix tribus præfuit annis obiit 5. Idus Novembris.

Evo, Sinic, Aſic, Baldgerus, Thiadberm, Hildiwardus, Alfricus, Bovo, Brunhardus.

Dn. *Bovo* abbas præfuit annis 11. obiit 3. Kalend. Novembris.

Wicbertus, Erilbertus, Woridi, Henricus, Hogerus, Guntharius, Geroldus, Hoſed, Rainwercus, Erph, Bruni, Godefridus, Ludolfus Epiſcopus, Euricus, Bodo Thiatbertus, Goldulfus, Jutwardus, Hrodradus, Bodo, Deddi, Heltmarus.

Dn. *Godeſchalcus*, abbas præfuit annis 10. obiit 2. Idus Januarii.

Bervardus, Boſo, Brunmannus, Izminharius, Thiadmarus, Bodo, Baddo, Thiadmarus, Thiadricus, Adalhardus, Brunhardus: Adalwardus, Thiadolfus, Ordulfus, Hrodolvus, Thiadbertus, Lutgerus, Adilgerus, Folckſamus, Rodulfus, Macharius.

Dn. *Bovo*

Digitized by Google

Dn. *Bovo* abbas præfuit annis 16. obiit Kalend. Julii.

Guntharius, Liudulfus, Wahl, Chriſtinus, Bili, Thiadbertus, Bovo Epiſcopus, Aildagus, Hrodgerus, Werimannus Hoholdus, Beddo, Bermarus, Baddo, Addaſto, Adultus, Nithardus, Saru, Marchwardus, Aven, Thinfridus, Euricus, Lutharicus, Gotſchalcus, Arnoldus, Helmdagus, Gerbernus, Bernhardus, Walthardus, Helmdagus, Adelgerus, Wicimmarus, Winingus, Folckmarus.

Dn. *Folckmarus* abbas præfuit annis 25. obiit 3. Non. Octobris.

Rathubodo, Wido, Amuluncius, Thiatgerus, Adim, Bernhardus, Thiatmarus, Folchardus, Boja, Rambertus, Chriſtinus, Oddo, Bovo, Alfricus, Brun Epiſcopus, Hatholdus, Allia, Wiſhardus, Milo, Helmercus, Hatholdus, Oddo, Luidulfus, Wahl, Bunico, Beja, Hogerus, Hoſed, Reinoldus, Godeſcalcus, Thiado, Hildini, Rodulfus, Folcmarus, Hogerus, Frithericus, Benni, Margwardus, Thiatfridus, Folckmarus, Rodoldus, Sigebertus, Margwardus, Rotgerus, Wido, Adalricus, Thiadmarus, Widukint, Fritharius.

Dn. *Bovo* abbas præfuit annis 6. obiit 3. Idus Julii. Godeſcalcus, Siric, Thiatgerus, Herimannus, Dendi, Bernradus, Folcmarus, Ailbertus, Hoſed, Binik, Hogerus, Thancmarus, Ereh, Hogerus, Bodo, Octo, Warinus, Ailboldus, Reinmarus, Thiatmarus, Wahl Rodulfus, Bornradus, Thiadricus, Eulfus, Eilbertus, Tiadulfus, Wahl, Thiadgerus, Helmdagus, Thiadricus, Alfricus, Ekkiardus, Hogerus, Hejo, Helmwercus, Lutharius Amelungus.

Dn. *Gerſmus* abbas præfuit annis 27. obiit 14. Kalend. April.

Albertus Bern, Aſi, Adalhardus, Aldwinus, Folcmarus, Geroldus, Folcmarus, Thiadricus, Bern, Rotholdus, Hildiboldus, Ailbertus, Hoſed, Unuanus, Ruoddagus, Folcmarus, Haruth, Burchardus, Bovo, Hatwercus, Oſdagus, Godeſcalcus, Wath, Meinhardus, Adulwardus, Thiadricus, Bernhardus, Andered.

Dn. *Liudolfus* abbas præfuit annis 26. obiit Idibus Auguſti.

Bola, Maria, Adoldus, Wego, Ruogus, Thiadargus, Epiſcopus, Tancmarus, Wifratus, Godeſcalcus, Aufricus, Thiadricus, Aſuad, Rudmannus, Folchardus, Wighardus, Wedicht, Aſthulf, Avo, Alfricus, Thiadricus, Alvad, Meinwercus, Thadulfus, Anno, Meinhardus, Adalwardus, Thiadulfus, Ailbertus, Meinwercus, Bernharius, Heremannus.

Dn. *Thietmarus* abbas præfuit annis 18. obiit 4. Idus Martii.

Sigibertus, Odila, Oddo, Hunoldus, Hoſed, Godefridus, Werimboldus, Meinholdus, Oddo, Margwardus, Adalricus Berenmarus, Heremannus, Hadda, Bernhardus, Hadholtius, Bilis, Alfricus, Brun, Thiazman, Radulfus, Wikkerus, Gelo, Folckredus, Thiadricus, Reinwardus.

Dn. *Hoſed abbas* præfuit annis 9. obiit Non. Decemb.

Godeſcalcus, Thiadmarus, Folcmarus, Hawardus, Alfricus, Ailaldus, Wighen, Brun, Godefridus, Wahl, Reinoldus, Geroldus, Thieducus, Rothardus.

Dn. *Wahl* abbas præfuit annis 4. obiit Idib. Februarii, Eberhardus, Bernhardus, Otgerus.

Dn. *Druthmarus*, abbas præfuit annis 32. obiit 15. Kal. Martii.

Ludolfus, Thiatmarus, Bernhardus, Thiaulagus, Fritharicus, Bern, Aſmundus, Conradus, Margwardus, Chriſtophorus, Rukgerus, Folcmarus, Herini, Bernhardus, Eilbertus, Heſſi, Bermarus, Richardus, Hiddi, Biſo, Herimannus, Fritharicus, Lutgerus, Bernhardus, Werinboldus, Walthardus, Haulfus, Efich, Reinhardus, Thiatmarus, Meinwercus, Gerhardus, Gero, Wirinheri.

Dn. *Rothardus* abbas præfuit annis 4. obiit 5. Idus Junii.

Thiatmarus, Thiadulfus, Liudulfus, Bernhardus, Thiatmarus, Reinmarus, Arnulfus, Wigulfus, Brunog, Bernhardus.

Dn. *Arnoldus* abbas præfuit annis 5. obiit 6. Non. Octobris.

Saracho, Raza, Wiela, Godefridus.

Dn. *Saracho* abbas præfuit annis 15. obiit 5. Idus Januarii.

Wido, Witmannus, Heimbertus, Bern, Brantho, Thiadmarus, Heinricus, Hermannus, Godeſchalcus, Meran, Widego.

Dn. *Wernherus* abbas præfuit annos 8. obiit 9 Kalend. Januarii.

Wilil,

Digitized by Google

Wilil, Walo, Ramwardus, Tiemmo, Haleto, Sigebodo, Gebrat, Heinricus Heremannus.

Dn. *Fritbericus* abbas præfuit non plene tribus annis: obiit 5. Idus Julii.

Otto, Marquardus.

Dn. *Marquardus* abbas, præfuit annos 26. obiit 15. Kalend. Februarii.

Gumbertus abbas, Thiatmarus abbas, Henricus abbas, Waramundus abbas, Windolfus abbas, Luitgerus abbas, Henricus abbas, Hillinus abbas, Everhardus, Robertus, Adalbertus, Bernhardus, Buſo, Radulfus, Liulo, Walterus, Beringerus, Gerhardus, Adelbero, Engelherus, Folcmarus, Folcmarus, Gerhardus, Walterus, Geruvigus, Hunoldus, Geroldus, Heremannus, Becelinus, Adalbertus, Heilwardus, Walker, Adalmarus, Godefridus, Liulo, Adelbertus, Erminoldus, Heremannus, Franco, Wolframmus, Everhardus, Anno, ANNO, Richardus, Bodo, Odulfus, Geldolfus, Thidricus, Adalhardus, Benno, Wido, Wido, Reinwercus, Abbo, Wilhelmus, Harchnidus, Meinhardus, Waltherus, Thidricus, Haleto, Geroldus, Thidericus, Trudbertus, Brunwardus, Rothgerus, Hermannus, Adelgerus, Albricus, Folenandus, Bonifacius, Hugo, Beringerus, Erembertus, Luitbertus, Adelbertus, Godeſchalcus, Hermannus, Liutwinus, Waltherus, Goderammus, Liudulfus, Henricus, Eremfridus, Hildigerus, Ezicho, Witheroldus.

Dn. *Erkenotus* abbas præfuit annos 22 obiit Nonis Octobris.

Gebehardus, Burchardus, Rothulfus, Liutbrandus, Thietmarus, Heremannus, Arnoldus, Liutgerus, Heremannus, Werinherus, Richbertus, Ekenricus, Adolfus, Godefridus, Burchardus, Thidericus, Adelbertus, Burchardus, Odalricus, Albericus, Conradus, Hereboldus, Robertus, Morardus, Ricbertus, Waltherus, Reinwardus, Adalbertus, Henricus, Arnoldus, Ekkihardus, Bertholdus, Themhardus, Henricus, Henricus, Rodulfus, Johannes, Gumbertus, Liudulfus, Liudulfus, Gerbertus, Reinhardus, Thidericus, Gelbertus, Hugo, Sigifridus, Adalbertus, Hachebrandus, Burchardus, Uſico, Sigifridus, Walthardus, Conradus, Heinricus, Elvingus, Ekericus.

Dn. *Folcmarus* abbas præfuit annos 9. & menſes 10. obiit 4. Non. Auguſti.

Reinhardus, Henricus, Bertoldus, Thegenhardus, Henricus, Bertholdus, Bruningus, Luikol, Bruno, Conradus, Hethinricus, Burchardus, Folcbertus, Halekio, Heinricus, Everlandus, Sibertus, Reinhardus, Reinherus, Rotlandus, Henricus, Conradus, Hereboldus, Rochardus.

Dn. *Adalbero* abbas præfuit annos fere 5. obiit 4. Kalend. Junii.

Godeſchalcus, Werenherus, Adolfus, qui plenaria fecit, Robertus, Horicus, Adelbertus, Conradus, Adalbertus, Cono, Meinwardus, Frithericus, Bruningus.

Dn. *Heinricus*, abbas, præfuit non plene tribus annis, Abraham, Marcwardus.

Dn. *Heinricus* abbas præfuit menſes 6. obiit 6. Idus Auguſti.

Dn. *Wickboldus* abbas.

Explicit Chronicon.

HENRICI MEIBOMII.
NOTÆ
AD CHRONICON CORBEIENSE.

PRopter antiquitatem, quæ apud literatos omnes in precio eſt, Chronicon hoc, etſi rebus pene deſtituatur, notis illuſtre & cum Widechindo & Roſvitha copulare voluimus. Acceſſit etiam alia editionis cauſa, nempe, ut conſtet, quibus majores noſtri Carolorum, Ottonum & Henricorum temporibus usque ad Barbaroſſæ ætatem, nominibus uſi ſint, videlicet, non peregrinis, puta Hebraicis vel Latinis, ſed mere Germanis. In hoc numeroſo monachorum catalogo vix ſex aut ſeptem aliena invenias, reliqua ſunt noſtratia, compoſita pleraque more antiquitus uſitato. Explodendi igitur Georgius Ruxnerus, evulgator libri Trojaminum, explodendus Laurentius Hochwartus Canonicus Patavienſis, conſarcinator genealogiæ Comitum Salmenſium, aliique ejus farinæ palpatores, qui invita veritate, tantum ut familiis ſplendorem à vetuſtate addant, peregrina nomina ad nauſeam inculcant, qua de re alias pluribus agendum erit.

* Chronicon hoc Corbejenſe Avus meus edidit ex vetuſtis membranis, quas hodiedum Corbejæ ſuperſtites eſſe teſtatur Reverendisſimus monumentorum Paderbornenſium Auctor. p. 128.

Eresburg & Meppiam) De Eresburgo conſulatur Irminſula noſtra Saxonica: Meppia eſt in diœceſi Monaſterienſi.

Abbatiolam Visbike) Chronicon Mindenſe editum à Joanne Piſtorio conditum ſcribit tempore Ludarii Epiſcopi Mindenſis Anno Chriſti 944. imperante Henrico Aucupe: ſed in numeris error eſt, etenim eo tempore jam ante ſeptennium in vivis eſſe deſierat Auceps. Vide Albertum Crancium Metropol. l. 3. cap. 24.

Hemma regina) Uxor Ludovici Regis Germaniæ mater Ludovici Regis, qui in matrimonio habuit Ludgardin Saxonicam, de qua diximus ad Widechindum.

Lotharius Imperator tradidit Rugiam) De Evangelio Chriſti à monachis Corbeienſibus Rugianis Slavis annunciatis diſſerit Helmoldus hiſtoriæ Slavicæ libr. 1. cap. 6. Verba ſubjungam. *Tradit veterum antiqua relatio, quod temporibus Ludovici ſecundi, egreſſi fuerint de Corveia monachi ſanctitate inſignes, qui Slavorum ſalutem ſitientes impenderunt ſe ipſos ad ſubeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratisq; multis Slavorum provinciis pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani, ſive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes eſt errorum & ſedes Idololatriæ. Prædicantes itaq; verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam inſulam lucrati ſunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris noſtri JEſu Chriſti & in commemorationem S. Viti, qui eſt patronus Corveiæ. Poſtquam autem permittente Deo mutatis rebus, Rani à fide defecerunt ſtatim pulſis ſacerdotibus atque Chriſticolis, religionem verterunt in ſuperſtitionem. Nam ſanctum Vitum quem nos martyrem ac ſervum Chriſti confitemur, ipſi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Nec eſt aliqua barbaries ſub cœlo, quæ Chriſticolas ac ſacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur, cui etiam templum ac ſimulacrum amplisſimo cultu dedicaverunt, illi primatum deitatis ſpecialiter attribuentes. De omnibus quoque provinciis Slavorum illic reſponſa petuntur, & ſacrificiorum exhibentur annuæ ſolutiones. Sed nec mercatoribus, qui forte ad illas ſedes appulerunt, patet ulla facultas vendendi, vel emendi, niſi prius de mercibus ſuis deo ipſorum precioſa quæque libaverint & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem ſuum non minus quam regem venerantur. Ab eo ergo tempore, quo primo fidei renunciaverunt hæc ſuperſtitio apud Ranos perſeverat usque in hodiernum diem.* Hactenus Helmoldus, cujus verba pene eadem reperias apud Crancium Vandaliæ lib. 2. cap. 25. Meminit Metropol. lib. 3. cap. 1.

Digitized by Google

cap. 1. ubi idolum hoc à Ranis, ſive Rugianis Swantevit indigitatum ſcribit. Meminit etiam Nic. Marſcallus Thurius l. V.

Dn. Warinus abbas) De hoc Ertwinus Ertmannus Cos. Oſnaburgenſis in Chronico ejus diœceſis. *Quidam,* (inquit) *Comes ditisſimus fidelis Imperatoris Ludovici, de prædictæ eccleſiæ Oſnaburgenſis Epiſcopio quicquid voluit agere adeptus, germano ejus Werin in monaſterio Huxarienſi tunc temporis abbati, & ſorori ejus in puellarum cœnobio Hervordienſi abbatiſſæ, degentibus, quantum voluit de decimis, quæ ad eundem Epiſcopatum pertinebant, tradi fecit ad eadem monaſteria.* Vide notas noſtras ad tertium librum Widechindi Corbeienſis, præterea hiſtoriolam de translatione S. Viti Corbeiani.

Adalhardus abbas) Adalhardi, abbatis Corbeienſis mentionem faciunt annales Francici editi à Juſto Reubero ad annum 809. Item Aimonus lib. 4. c. 109. & 110. Auctori vitæ Caroli M. à Pithœo edito Adalardus nominatur.

Adalgarius abbas) Hujus meminit Adamus Bremenſis, lib. 1. c. 32.

Bovo abbas) Bovo hujus nominis ſecundus deſcripſit res geſtas ſui temporis, quæ hiſtoria allegatur à M. Adamo Bremenſi, hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. *1.* cap. 35. Letznerus poſt obitum auctoris intercidiſſe ſcribit.

Folcmarus abbas) Hic Antiſtes monaſterio ſuo à Sigfrido Comite Saxonico poſſeſſiones quaſdam in diœceſi Halberſtadenſi ſitas, nempe, Croppenſtede majus & minus, Wendlingam, Hetebornam, Daldorſium, & ſaltum Hakel, per hanc occaſionem acquiſivit. Comes Sigfridus ex uxore ſua Jutta ſuſtulerat filium ſibi & filiam matri cognominem. Filius in venatione de equo decidens cervicem fregit: cujus rei nuncio exterrita ſoror, dum præcipiti gradu ex ſupremo tabulato in aream arcis properat, forficem, quam manu tenebat, pectori infixit, ex quo vulnere ipſa etiam occubuit. His tragicis liberorum caſibus conſternati parentes, cum nulla ſpes, prolis ſupereſſet, bona, quæ diximus, abbati Corbeienſi Folcmaro contradiderunt, ea conditione, ut monaſterium monachorum in opportuno aliquo hujus diſtrictus loco erigeretur, boniſq; illud ſufficienter dotaret. Quod abbas fideliter præſtitit condito cœnobio in pago Weſtergroningen ad Bodam fl. qui à cœnobio novum nomen accepit dictus Cloſtergroningen. Verum ſubſequentibus ſeculis creſcente latrocinantium petulantia, cum Antiſtes Corbeienſis hoſce ſuos ſubditos longe diſtantes ab injuria defendere non poſſet, majus & minus Croppenſtede ceſſit Epiſcopo Halberſtadenſi, à quo incolæ horum locorum, cum colonos villarum Ammendorfii & Nienſtedii ſibi conjunxiſſent extructo oppido jure civitatis donati ſunt. Superant adhuc literæ fundationis monaſterii Groningenſis, quæ quia hactenus editæ non ſunt, hic eas apponam. *In nomine Dei omnipotentis. Folckmarus novæ Corbeiæ indignus abbas, omniſq; congregatio inibi Deo ſerviens, omnibus ſanctæ matris eccleſiæ filiis ſalutem. Quia ſtatuta ſæpe majorum perturbat turba pravorum, & juſte poſſeſſa aliquando injuſte putantur acquiſita: idcirco unanimitati veſtræ notum fieri volumus qualiter quidam Comes Sifridus nomine, ob ſpem retributionis æternæ tradidit hereditatem ſuam ad noſtrum monaſterium in pago Hardga in loco, cui vocabulum eſt Weſtergroningem ſito juxta fluvium Bode, hoc eſt, eccleſiam ipſam cum clericis, quos ibi proprios habuit & metallis, & quicquid in Auſtrali parte eccleſiæ intra urbem eſt & quicquid extra urbem hereditatis poſſidet, in agris, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis, aquarũ decurſibus, pro rege glorioſiſſimo, videlicet, Henrico, cum ſerena Mathilda, & regia prole Oddone, Henrico, Brun, Gerbeg, Hatbuvin, nec non & pro ſeipſo, una cum conjuge Guthie, & pro omnibus ſuis debitoribus ea ratione, ſi fieri poſſet, ut eum juvaremus monaſterium inibi conſtruendum, & ut duobus monachis de noſtra congregatione ipſum locum perpetuo commendaremus: quod & fecimus in præſenti: inſuper & alios quatuor clericos cum eis direximus. Hæc traditio facta eſt, præſente Deo, coram altari ſacratiſſimorum Chriſti martyrum, Stephani protomartyris & Viti, noſtra aſtante parvitate, ſimulq; advocato Hogero, cum aliis teſtibus, Luidbrando, Aged, Thiadmaro Heodwardo &c. Actum autem novæ Corbeiæ, anno incarnationis Dominicæ 936. 7. Kal. Junii, id eſt, poſtridie Urbani. Indictione 9. Anno *** glorioſiſſimi regis.* Hactenus literæ fundationis; de Sigfrido Comite plura invenies in Chronico noſtro Walbecenſi.

* In litteris Adriani IV. Papæ datis A. MCLIV. apud celſiſſimum Auctorem Monument. Paderborn. p. 126. hæc verba habentur: *Monaſterium quoque in Groninga & monaſterium in Kemnade nunquam ab eodem Corbejenſi alienentur Cænobio.*

 Liudul-

Liudulfus abbas) Meminit hujus Ditmarus lib. 3. pag. 28. & 29. Hujus tempore vixit in nova Corbeja Thiadagus monachus, artis medicæ peritus, quem Bolislaus ſenior Dux Boemiæ paralyſi laborans ex monaſterio Pragam evocavit, ejuſque opera feliciter uſus eſt. Ejuſdem Ducis opera adeptus eſt Epiſcopatum Pragenſem, ut ſcribit Ditmarus lib. 7. Vide de eodem Ephemerides Boemicas Procopii Lupacii ad diem Junii 5. & 10. præterea ad 7. Julii.

Thietmarus abbas) Memoratur à Ditmaro lib. 7. pag. 100. In manuſcripto Chronico Halberſtadenſi nominatur Tidmannus, ſcribiturque interfuiſſe dedicationi novæ Baſilicæ anno 992.

Wabl abbas) De eo idem Ditmarus lib. 7. *Imperator* (Henricus ſecundus) *in vigilia Pentecoſtes ad Immalesbuſen venit, illic cum Antiſtite Meinwerco hanc ſanctam feſtive ducens ſolemnitatem Illic Valo Corbeienſis abbas prius ab cura ſuſpenſus deponitur, & unus ex Larsheimenſi monaſterio Druchtmer ſine fratrum conſenſu prædictorum aſſignatur. Quo ad ſedem ſuam in hac veniente hebdomada omnis congregatio. exceptis novem, flens abiit, ut Liudulfus abbas prædixit, & locum hunc pene vacuum non ſponte reliquit.* Cauſam depoſitionis exponit Gobelinus Coſmodromio ætatis 6. c. 52. verbis ſequentibus. *Hoc tempore Meinwercus Epiſcopus* (Padibornenſis) *voluit monaſterium Corbeienſe cauſa corruptionis viſitare, ſed Walo abbas Epiſcopo reſtitit. Quare ad inſtantiam Epiſcopi abbas ab Imperatore ab abbatia depoſitus eſt.* Hæc ex Gobelino repetit Crancius Metropol lib. 4. c. 4. repetit Kerſenbrogius catalogo Epiſcop. Padibornenſium, neuter verò Gobelini vel verbulo meminit.

Druthmarus abbas) ſecundum Lambertum ex hac vita deceſſit anno Chriſti 1046.

Rothardus abbas) De hoc idem Lambertus Schafnaburgenſis in hunc modum: *Meginhero abbati* (Hirsfeldenſi) *6. Idus Novembris ſubſtitutus eſt Ruothardus Corbeienſis diſciplinæ monachus, qui in monaſterio Corbeienſi abbas quondam fuerat ordinatus: ſed quorundam criminum falſo* (ut creditur) *inſimulatus, abbatia amiſſa nonnullos per diverſa monaſteria privatus jam exegerat annos.* Hæc ille. Quæ Trithemius Chronico Hirſaugienſe inde repetens, Ruthardum virum ſtudioſum & doctum vocat, qui multo tempore Scholæ monaſticæ in Corbeja publice præfuerit, & eruditos poſt ſe reliquerit, tandem narrationem his verbis concludit: *ſcripſit de tranquillitate vitæ pulcerrimum libellum, in quo ſeipſum multimoda ratione conſolatur, dicens, mortalem non debere turbari propter quoſcunque eventus rerum tranſitoriarum, cum omnia ſint mortis adventu terminanda in brevi, quæ mortalibus in hac vita moleſta videntur occurrere. Scripſit & alia nonnulla, quorum in aliis locis titulos jamdudum poſuimus.* Hactenus Trithemius, Schafnaburgenſis ad annum 1072. ulterius de Ruthardo ſic ſcribit: *Ruthardus abbas Herveldenſis menſe Januario ægrotare cœpit, & ſic per annum continua ægritudine decoctus, cum evaſurum ſe deſperaret, abbatia & paſtorali dignitate quam per infirmitatem talem adminiſtrare non poterat, 3. Idus Decemb. ultro ſe abdicavit, anno poſtquam abbati Meginhero ſucceſſerat tertiodecimo jam exacto.* De exceſſu ejus ex hac vita idem ad annum 1074. ſic loquitur: *Ruthardus abbas Herveldenſis monaſterii 5. Idus Junii deceſſit, vir in ſacris ſcripturis apprime eruditus, & ſic ad loquendum expeditus, ut nemo illa ætate verbum Dei copioſius, nemo ſubtilius, nemo elegantius tractaret: alias in obſervatione ſanctæ regulæ paululum, quam mores & tempora expeterent, remiſſior erat. Is miro Dei judicio, qui quos diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit, ante diem mortis ſuæ defecit, & per continuos duos annos phreneſi pariter & epilepſia graviſſime vexabatur. Defunctus eſt autem anno integro & ſex menſibus exactis, poſteaquam abbatia ſe abdicaverat. Quod tamen factum adeo pœnitens deflebat, quoties à ſtupore atque hebetudine menſis paullulum reſpiraverat, ut ambiguum eſſet, morbo an mœrore gravius acerbiuſque tabeſceret.*

Arnoldus abbas) De Arnoldo auctor Chronici Lauriſhamenſis ſic ſcribit: *Poſt exceſſum venerandi & Deo digni patris Hugonis Arnoldus ſubrogatur. Qui à primis* (*ut ita dicam*) *infantiæ cunabulis in ipſo monaſterio ſpiritualibus rudimentis educatus, bonæ ſpei juvenis in virilis animi robur evaſit, ac per omnes dignitatum gradus ſenſim aſcendens, plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri floruit. Nam primum à Præpoſituræ miniſterio Wizenburgenſis eccleſiæ regimini prælatus, poſtea Limburgenſis monaſterii curam, ac ſubinde novæ Corbeiæ dignitatem loco pariter & officio abbatis ſortitus eſt.*

eſt. Nec multo poſt in Laureshamenſi monaſterio filius à matre in dominum & patrem ſublimatur, & ad extremum in Spirenſi eccleſia Pontificale culmen aſcendens ſicut cedrus Libani multiplicatur: nimirum à tot dignitatum titulis non tantum accipiens honorem præmii, quantum illis decoris ſui addens.

Saracho abbas) Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1071. *Saricho abbas Corbeienſis obiit, cui Wernher ejuſdem cœnobii monachus ſucceſſit.*

Marquardus abbas) Tranſlatus eſt ad epiſcopatum Oſnaburgenſem anno 1088. deponitur ab officio 1093. ut Ertwinus in Chronico Oſnaburgenſi. Qui cauſam reticet, quam Crancius conjectat Metrop. lib. 3. c. 36. Rediit exepiſcopus ad veterem nidum ibique vitam clauſit. Meminit ejus Chronicon Pegavienſe, qui locus cum notatu dignus ſit integrum adſcribam. *Eo tempore regularis diſciplinæ diſtrictio, quæ ſecundum Hirſaugienſium inſtitutionem jam laudabiliter propagari cœperat, præ cæteris Saxoniæ cœnobiis apud Corbeiam regalem abbatiam vigebat, cui tunc Dn. Marquardus abbas, vir veneratione & memoria dignus præſidebat. Hunc Dn. Wigbertus adiens ei cuncta ex ordine pandit, quibus ejus afficeretur animus, ſcilicet, quia cœnobii ſui ſtatus ac religio hactenus minus, quam ſperaverat, ad regularis diſciplinæ ſit augmentum provecta: hac ſola tamen occaſione quod ad tantum opus initiandum cooperatores idoneos hujus propoſiti non haberet, vel habuerit. Proinde quicquid ejus prudentiæ, potiſſimum videretur ſe facturum pollicetur. Hoc tamen ſui obſequii frequentia ſe omnimodis promeriturum, ſi ex eodem ſacro congregationis collegio quemcunq; ſibi judicaret utilem fore, cum aliquantis ejuſdem laboris conſortibus ſecum deſtinaret. Promiſit denique ſi ejus petitioni tantummodo ſatiſfaceret, ſe ad eorum uſus ex prædiis ſuis ſufficientia præbiturum: cujus in Chriſto deſiderium ac petitionem abbas religionis ac juſtitiæ tenax gratanter accipiens, totius conventus ſuper hoc conſilium ac voluntatem ſciſcitatur, & omnibus in idipſum conſentientibus, talem tantumq; virum in tam pio voto non fruſtrandum, cum eorum unanimi conſenſu Dn. Windolfus venerabilis monachus ad hoc opus idoneus eſſe ac utilis judicatur: nec immerito. Is enim ob vitæ continentiam & religionis obſervantiam tunc cuidam cellæ eidem abbatiæ pertinenti, prælatus erat, qui Prælati Priores dicuntur, ubi confratribus ſibi commiſſis ſtrenue præfuerat. Antea etiam ſcholarum regimen narratur tenuiſſe, literarumq; ſcientia laudabiliter claruiſſe. Canonicatum quoq; in Præpoſitiva, quæ Hilgeſtat appellatur, habuerat, ſed eo propter Chriſtum poſtpoſito, religionis amore devictus apud Corbeiam eſt ſuſceptus. Tum autem in Abbatem promovetur aliique fratres ei adſolatium adjunguntur, è quibus Ludigerus, qui poſtea Reinersſtorf, abbas extitit, in Priorem ei deſignatur. Plurimis etiam neceſſariis donatus eſt, ac inter cætera his libris: Antiphonario & Graduali, libello Miſſali, regula & Pſalterio, quæ uſq; hodie apud nos perdurant. Præterea reliquias B. Viti martyris & aliorum ſanctorum, Dn. Marquardus abbas ipſi dedit, eoq; fidei Dn. Wigeberti fideliter commendato valedicens omnibus eos diviſit.* Hæc ibi Notandum præterea eodem tempore ex Corbeia deſumptos abbates, Hillinum (ſic enim corrigendum nomen ex codice MS. editus enim male Ludigerum ponit) Oldenslebienſium & Ludigerum Reinersdorfienſem, de quibus idem Chronicon Pegavienſe ad annum 1110.

Folckmarus abbas) De hoc auctor Chronici Lauterbergenſis MS. ſic ſcribit: *Anno 1138. Volckmarus abbas Corbeienſis obiit, cui ſucceſſit Albero frater Ducis Henri &c.* quæ relatio non convenit cum Letzneri Hiſtoria Corbeienſi, ad quam lectorem remittimus.

Wickboldus abbas) Interfuit expeditioni contra Slavos Obotritos & Luticios ut Chronicon Lauterberg. ad annum 1147. meminit expeditionis hujus Helmoldus lib. 1. c. 63. & ex eo Albertus Stadenſis, ſed ut paucorum principum nomina exprimant. Otto Friſingenſis de rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ lib. 2. c. 23. ſcribit Wickboldum hunc (ipſe Guibaldum nominat) juſſu Imperatoris in Græciam Conſtantinopolim ablegatum. Hujus legationis collega fuit Wilbaldus abbas Stabulenſis, Vir prudens, & ut Guntherus Ligurini lib. 4.

Inſignis meritis & clara ſtirpe creatus.

Anno exacto Corbeienſis è Græcia incolumis domum rediit, eo tempore, quo Fridericus Imp. priore conjuge repudiata, duxit Beatricem filiam Reinaldi Comitis ſive Ducis Burgundiæ. Dodechinus appendice ad Marianum Scotum perperam Agneten vocat.

vocat. Guibaldus Stabulenſis, collega Wickboldi in legatione transmarina, non ſine ſuſpicione propinati veneni mortuus eſt: videatur Radevicus lib. 2. cap. 22.

Finis notarum ad Chronicon Corbeienſe.

Priusquam ab hoc monaſterio, ut antiquo ſic celebri, diſcedamus, Litaniam, quæ in eo ante annos 700. in uſu fuit, hoc loco apponemus, cujus Chemnitius tertia parte examinis Concilii Tridentini meminit verbis ſequentibus. *Ex commemoratione ſanctorum deventum tandem fuiſſe ad invocationem, oſtendit etiam Litania cœnobii Corbeienſis ubi ſancti nominantur quidem, ſed ſemper additur, Exaudi Chriſte: Item Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. Illam Litaniam ante triennium in cœnobio Corbeiæ novæ, quæ ſub Ludovico Cæſare ex veteri Galliæ Corbeia, tanquam colonia ad Viſurgim flumen deducta eſt in vetuſto codice inveni, quam, quia aliquid monere poteſt, hoc loco adſcribam.*

LITANIA.

Ex vetuſto codice collegii Corbeienſis ad Viſurgim deſcripta: videtur autem in uſu fuiſſe circa annum Domini 890. fit enim in ea mentio Stephani Pontificis & Arnulfi Imperatoris.

Kyrie,
Chriſte, Eleiſon.
Kyrie,
Chriſte, Exaudi nos.
Chriſtus vincit, Chriſtus regnat,
Chriſtus imperat, Chriſte exaudi nos.
Stephano ſummo Pontifici ſalus &
Vita. Tu illum adjuva.
S. Petre,
S. Paule,
S. Andrea, Exaudi Chriſte.
S. Clemens,
S. Sixte,
Arnolfo regi vita & victoria
Redemtor mundi tu illum adjuva,
S. Dei Trinitas
S. Dei genitrix
S. Michael. Exaudi Chriſte.
S. Gabriel.
S. Raphael.
S. Joannes.
Omnibus judicibus & cuncto exercitui Francorum.
S. Martine.
S. Maurici.
S. Sebaſtiane.
S. Marce. Salvator mundi tu illos adjuva.
S. Ambroſi.
S. Hieronyme.
Bovoni abbati & congregationi S. Stephani.
Regnator mundi tu illos adjuva.
S. Stephane,
S. Vite. vincit
S. Dionyſi. Chriſtus regnat
S. Blaſi. imperat.
S. Georgi.
Rex regum,
Rex noſter, Chriſtus vincit.
Arma noſtra invictiſſima,
Spes noſtra,

Forti-

Digitized by Google

Fortitudo noſtra,
Liberatio noſtra, Chriſte exaudi nos.
Redemptio noſtra,
Defenſio noſtra,
Exaltatio noſtra,
Lux, via, veritas & vita noſtra.
Ipſi ſoli imperium, gloria & poteſtas per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.
Ipſi ſoli honor, laus & jubilatio per infinita ſecula ſeculorum, Amen.
Ipſi ſoli virtus, fortitudo & victoria per omnia ſecula ſeculorum, Amen.
Chriſte. Exaudi nos.
Kyrie.
Chriſte. Eleiſon.
Kyrie.

Vide de hac eadem Litania Joannis Letzneri Chronicon de vita Ludovici Pii Imp. ubi ab exemplari Chemnitii nonnihil variat.

* Ante annos tredecim *Nicolaus Schaten* S. J. Sacerdos in ſuo Carolo M. Romano Catholico l. 4. c. 10. non illam tantum Letznero productam, ſed alteram quoque Martino Chemnitio viſam, & ab eo deſcriptam, & ab Avo meo hîc adjectam Litaniam tanquam ſuppoſititiam rejicit, fraudisq; accuſare bonos viros non veretur. Avus quidem meus Chemnitii fide deſcripſit, ideoque pro illo Apologiam ſcribere non teneor: miror tamen lepidum Jeſuitæ argumentum, quo, quoniam hodie Litania illa in Monaſterio Corbeienſi reperiri non potuit, à Chemnitio quoque ante integrum ſeculum ibi viſam eſſe negat. Quicunque in his locis, ubi vixit, de magno illo Theologo, pietate & prudentia maxime conſpicuo, patrum noſtrorum relationes audiverunt, aut ſcripta illius, contra TRIDENTIa fulmina Romæ, tanto veritatis zelo elaborata ſine præjudicio legerunt, nunquam talem fraudem in tam candidum & φιλαλήθη virum cadere potuiſſe, jurarent. Et, qua de cauſa talem litaniam fingeret? cum id, quod probare ſibi ſumſit, pluribus aliis modis citra illam litaniam, evincere poſſit, & evicerit. An ex ſuo ingenio alios judicat Schatenius?

FINIS.

DE TRANSLATIONE S. VITI ET INSTITVTIONE NOVÆ CORBEIÆ.

POſt Salvatoris noſtri JEſu Chriſti paſſionem & reſurrectionem, poſt triumphos apoſtolorum, ac memorias martyrum, tandem ipſe rex regum & Dominus virtutum, ſuperatis pacis inimicis, pacem eccleſiæ ſuæ reſtituit, adeo ut ipſi reges ad tumulos martyrum proſtrati adorent, & glorioſius in frontibus ſuis crucem Chriſti, quam diadema regum portare ſe gaudeant ſimulque pro fide atque ſtatu eccleſiæ decertare contendant: honore quoque maximo eorum, quos anteceſſores ſui trucidarant, ſepulcra ambiant. Quæ victoria Chriſti cum primum apud Romanos tripudiaret, Longobardorum gentem penetravit, atque in Francia glorioſius triumphare cœpit: Hiſpanos adiit: Britannos concluſit: Anglorum gentem ſubegit: &, licet compulſi, ipſi Saxones, qui Anglorum ſocii fuerant, devota mente colla ſubmittunt. Laus igitur ſoli Chriſto, & gloria inenarrabilis, qui nomen ſuum uſque in terminos univerſæ terræ notum fieri voluit. Qualiter denique Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis converti potuerint, breviter in ſequenti annectere huic opuſculo curavi. Eo igitur tempore, quo glorioſus rex Pipinus Francorum regebat imperium, fuit vir venerabilis Fulradus nomine, qui monaſterium beatiſſimi martyris Dionyſii ad regendum ſanctorum cœtum monachorum ſuſceperat. Hic cum magno deſiderio æſtuaret, qualiter beatiſſimis martyribus honorem debitum impendere

pendere potuiſſet, non eſt contentus eorum corpora ſola amplecti, quibus ſedulum exhibebat officium, ſed præfatum principem adiit, petivitque ut eum Romam ire permitteret, quatenus inde ſanctorum corpora ad præfatum monaſterium aliqua, ſicut cupidus erat, transferre potuiſſet. Quod princeps piiſſimus libenter accipiens, non ſolum licentiam dedit, ſed & gratias pro tali deſiderio retulit. At vero venerabilis abbas ſtrenuos ac devotos ſibi adjutores & ſocios ad hoc opus peragendum quærebat. Erat interea vir laicus, ſed devotus, ejuſdem abbatis conſanguineus, qui multam habens hereditatem ac familiam, filium non habebat. Unde cogitare cœpit, quomodo hereditatem ſuam Domino dicaret. Audiens vero jam dicti abbatis deſiderium petivit ab eo, ut ſecum eum ire permittat. Cui cum præfatus vir omne deſiderium ſuum aperuiſſet, divina comitante gratia tale repererunt conſilium, ut corpusculum beatiſſimi pueri ac ſacratiſſimi martyris Viti à loco, quo poſitum erat, tolleret, atque in prædio ſuo diligentiſſime poneret, eccleſiam quoque ejus nomini fabricaret: quæ donante ſibi Domino omnia complevit. Quo in loco, divina largiente clementia, per beati Viti martyris merita multæ hactenus oſtenduntur virtutes atque ſigna. Præfatus vero abba tranſtulit corpora beatorum martyrum Alexandri & Ipolyti. Poſthæc cum viri devotiſſimi, qui in præfato monaſterio degebant, beati Viti reliquias apud præfatum virum eſſe didiciſſent, & qualiter pro Chriſti nomine ſanguinem fudiſſet, in ejus paſſione perlegiſſent, totis viribus hoc agere decreverunt, ut cum reliquorum martyrum reliquiis in baſilica S. Dionyſii poneretur. Sed ille, qui eas tranſtulerat, omnem hereditatem ſuam, ſeque cum ipſis reliquiis ſancto Dionyſio tradi promittens, tandem obtinuit, ut in loco, quo poſitæ erant, eas manere permitterent. Manſit autem in eodem loco corpus beatiſſimi martyris uſque ad annum 23. piiſſimi imperatoris Ludowici, & octingenteſimum triceſimum ſextum incarnationis Dominicæ. Sed priuſquam ad hoc, qualiter corpus S. martyris partibus Saxoniæ translatum ſit, ut qualiter virtutes per eum Dominus in ipſo itinere oſtendere dignatus eſt, verba vertamus, dignum duximus, ut de ejus monaſterii conſtructione, ubi ad præſens quieſcere videtur, aliquid breviter dicamus. Poſt obitum namque nobiliſſimi regis Pippini, Karolus filius ejus regnum obtinuit Francorum univerſum. Cui Dominus tantam contulit virtutem atque potentiam, ut non ſolum Francorum regnum ſtrenue gubernaret, ſed etiam multas barbarorum gentes circumquaque ſubjugaret. Unde factum eſt, ut gentem Saxonicam, quæ olim contra Francos rebellabat, non ſolum ſuo dominio ſubegiſſet, ſed & mellifluo Chriſti nomini dicare meruiſſet. Nam & hunc ideo præ omnibus Chriſtianis regibus potentiſſimum in bellis fuiſſe credimus, quia quos ſuo dominio ſubjugabat, Chriſti nomini dedicabat. Quum autem requiem præſtitiſſet ei Dominus à compluribus inimicis ſuis, convocavit omnes, qui ſubditione ſua erant, majores, ſacerdotes & principes, atque ſtudioſiſſime quæſivit, quomodo veram fidem, veramque religionem in univerſo regno ſuo firmaret. Quæſivit etiam nihilominus ſacerdotes bonæ ſpei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipſos ſecundum eccleſiaſticam fidem docerent, domos Epiſcoporum atque eccleſias conſtituerent. Sed cum omnem ordinem eccleſiaſticum in illa regione tradidiſſet, qualiter ibidem monaſticam religionem inſtituere potuiſſet, invenire nequivit: non tantum, quod illius gentis homines, quos obſides & captivos tempore conflictionis adduxerat, per monaſteria Francorum diſtribuit, legem quoque ſanctam atque monaſticam inſtitui præcepit. Denique, quia in Corbeio monaſterio laudabilis eo tempore religio monachorum habebatur, multos inibi ejusmodi viros fore conſtituit. Erat igitur eodem tempore in præfato monaſterio abba, Vir vitæ venerabilis, meritoque eximius, Adalhardus nomine, nobilis genere, ſed nobilior fide, fervens in diſciplina, plenus caritate, ſtudioſus in lege divina, & plenus diſcretione. Hic cum eſſet inter primores palatii, atque conſiliarius regis, ſcilicet, quia erat conſanguineus ejuſdem, voluntas ſupra-dicti regis ei abſcondi minime potuit. Sed quia non erat inferior illo devotione, regreſſus ad monaſterium, ab eis, qui ibidem erant, à gente Saxonica ſciſcitari cœpit, ſi poſſit illa in patria inveniri locus, ubi monachorum monaſterium conſtrui rationabiliter poſſet. E quibus unus Theodradus nomine ait: Scio, inquit, in patris mei poſſeſſione eſſe locum, ubi ex utraque parte fons vivus emanat, & multum aptus ad hoc opus mihi eſſe videtur. Cujus reſponſione delectatus venerabilis pater,

Digitized by Google

lis pater, eum ſtatim illas in partes direxit, ut diligenter rem prolatam inveſtigaret, & utrum pater, & reliqui conſanguinei hoc conſentire vellent, inquireret. Qui cum iſſet, patris matriſque, avunculi atque patruelis voluntatem cognoviſſet, reverſus ad monaſterium, ut hoc fieret deſiderare potius, quam reſiſtere velle nunciavit.

Sed jam-dicto abbati illo in tempore commiſſa erat cura maxima videlicet ut regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini Bernhardus nomine creſceret. Nam ipſe Pippinus, Karoli regis filius, ante triennii tempus obierat, & ideo prædictus abba non potuit perficere quod cupierat, & per ſexennii tempus tardatum eſt opus. Factum eſt autem poſtquam præfatus puer crevit, accepit ei uxorem, & conſtituit ſecundum juſſionem principis ſuper omne regnum. His ita geſtis, perrexit Romam, non ſolum orationis cauſa, ſed etiam, ut cum venerabili viro Leone Papa conferret, de neceſſitate regia & plebis. Ubi cum moraretur, atque ſimul de profectu adoleſcentis gauderent, ſubito venit nuncius pennigero volatu, afferens epiſtolam luctuoſam nimis, de morte Karoli Imperatoris. Qua perlecta, mœſtus nimis venerabilis pater illo de loco abſceſſit, ſtatimque ad monaſterium proprium perrexit. Ludwicus autem, qui uſquequaque Waſconum regnum tenuit, ſuper omne Francorum regnum eſt ſublimatus. Tunc acceſſerunt ad eum viri peſtilentes, & accuſaverunt venerabilem Adalhardum, & ejecerunt eum de honore ſuo abſque culpa, & exiliaverunt ſine cauſa. Interea vero Luduwicus Imperator juſſit, ut Corbeienſes monachi alium de ſuis abbatem ſibi eligerent. Illi vero tandem poſt mœſtitiam conſolati, elegerunt ſibi ejuſdem nominis virum æque ſanctiſſimum. Hoc enim ita futurum utriuſque quidam eremita diu prædixerat: quando hi duo viri ejuſdem nominis, ejuſdemque propoſiti, anachoritæ fieri voluerunt, & ſeculi gloriam & occupationes terrenarum rerum fugientes, Beneventum uſque pervenerunt.

Hic itaque Adalhardus monaſterium ad gubernandum cum ſuſcepiſſet, ſatis egit, ut omnia, quæ prior Adalhardus ſecundum voluntatem Dei facere propoſuerat inſtanter impleret, ſcilicet quia eorum ſemper in bonum una fuerat voluntas, & eoſdem ut prior habebat, in conſilio adjutores, adjunctum ſibi etiam venerabilem virum Walonem, qui frater erat prioris Adalhardi, & in diebus Karoli Imperatoris magnæ fuerat poteſtatis, omnibus, qui erant in palatio venerabiliores & omni provincia Saxonica prælatus. Sed ut præſcivit, quod eum quidam infeſtare vellent, ut accuſarent, portum monaſterii petiit, ibique cum multo ſtudio Domino ſervire decrevit.

Hunc præfatus abba familiariſſimum habuit. Interea recordatus ipſe abba, qualem prior Adalhardus habuit voluntatem de conſtructione monaſterii in Saxoniæ partibus, habuit conſilium cum ſenioribus fratribus, & cum his, qui ab illis partibus venerant, ad extremum cum omni congregatione qualiter hoc ad profectum adduceretur. Viſumque eſt omnibus, juſtum eſſe, ut hanc rem indicaret Imperatori, ut cum ejus fieret imperio & voluntate. Factum eſt autem eodem tempore, ut ſereniſſimus Imperator Luduwicus haberet placitum in Saxonia in loco, qui dicitur Patherbrunna, in ſecundo anno regni ſui, incarnationis vero Domini octingenteſimo, decimoquinto. Tunc acceſſit præfatus abba ad eum, & locutus eſt ei, cum conſilio ſuadens, ut ad profectum Chriſtianæ religionis in eadem provincia monaſterium monachorum conſtruere juberet. Quod cum piiſſimus princeps benigne ſuſcepiſſet, placuit accerſere Epiſcopum nomine Hathumarum, ad cujus diœceſin pertinebat locus, ubi conſtruendum erat monaſterium, ut cum ejus fieret imperio & voluntate. Sicque factum eſt, ut ab ea die, & deinceps, religio monachorum etiam in regione Saxonica ſuccreſceret atque proficeret. Eodem die remiſit Dominus Imperator eidem abbati omne ſervitium, quod ad ſe pertinebat, ut liberius ſanctum opus implere quiviſſet. Cœpit autem ædificare in loco, qui dicitur Hechi, ubi cum per ſex, & eo amplius, annos laboraſſent, nihil proficere potuerunt, niſi quod religio ſancta in loco deſerto tradebatur. Nam locus ita aridus erat, ut nec victum, nec veſtimentum ibidem invenire poſſent: niſi quantum præfatus abba à monaſterio proprio deferri faciebat. Augebatur tamen cotidie numerus monachorum ex nobiliſſimo Saxonum genere: pueri quoque bonæ indolis nutriebantur optime, & licet opibus eſſent pauperes, religione ſancta pollebant.

Erat eo tempore Adalbertus vir religioſus præfato in loco Præpoſitus, qui cum æſtuaret anguſtia, eo quod non haberet ad opus fratrum ſtipendia, cœpit de mutatione loci cogitare, ſed ubi, vel qualiter, invenire nequibat. Sed cum magna habitatoribus ingrueret neceſſitas, ad hoc ventum eſt, ut ſe in tres partes dividerent cum Prioribus ſingulis. Interim neceſſitas vertitur in voluntatem, omnes pariter de mutatione loci tradere cœperunt. Affuit interea etiam eis in tanta neceſſitate poſitis divina clementia: aſcendit enim in cor regis, ut revocaret venerabilem virum Adalhardum ſenem, & reſtitueret ei omnem priorem honorem, & multo eum amplius, quam unquam antea fuerat, ſublimaret. Qui cum jam dictos monachos in tanta cognoviſſet penuria eſſe cum omni feſtinatione miſit dans precium, juſſitque ut ſicubi invenirentur carra onuſta, & tam annonam, quam boves compararent, & cum feſtinatione laborantibus ſubvenirent: Poſthæc acceſſit ad Imperatorem, & rogavit, ut daret licentiam quærere inter illa loca, quæ ad ſe pertinebant, ſi forte poſſet alicubi locum invenire, ubi monaſterium rite fieri poſſet: quod à pio principe ſtatim conceſſum eſt. Tum venerabilis abba accepta licentia pervenit in partes Saxoniæ una cum Walone fratre ſuo. Quo cum perveniſſent, didicerunt à fratribus, quia erat locus ſitus ſuper fluvium Wiſera, in pago Auguenſe, qui pertinebat ad villam, cui vocabulum eſt Huxere, quod & antea quidam audiverant, & idipſum Imperatori indicaverant. Ierunt ergo, & quidam ex fratribus cum eis, & invenerunt locum, quia erat optimus & habitationi monachorum congruus. Tunc inierunt conſilium cum Epiſcopis & comitibus, & cum nobiliſſimis viris ejuſdem gentis, ut inſtanter eundem locum excolerent, & monaſterium ibidem collocarent.

Venerunt ergo anno octingenteſimo, viceſimo ſecundo Dominicæ incarnationis, ſub die octavo Idus Auguſti, regnante Ludowico ſereniſſimo Auguſto undecimo anno, ad locum memoratum: circumſpectoque ex omni parte, & undique circuientes, proſtrati in orationem decantaverunt Pſalmos ad hoc officium pertinentes. Et poſtquam compleverunt letaniam & orationem, jactaverunt lineam, & infixerunt paxillos, & cœperunt menſurare, prius quidem templum, inde habitationes fratrum. Quod cum peregiſſent, conſtituentes, qui quædam habitacula initiarent, ad propria ſunt reverſi. Sed primum petierunt Epiſcopum, ut veniret & ſanctificaret locum, vexillumque ſanctæ crucis in loco altaris poneret, nomenque, ut Corbeia vocaretur, aptaret. Quod factum eſſe octavo Kalend. Septembris conſtat. Et eadem die cœperunt, qui aderant ædificia erigere: erant tamen pauci numero, uſque ad diem ſextam Kalen. Octobris ſeptimo Kalend. namque ejuſdem menſis ſurrexerunt à loco, quo uſquequaque habitaverant cum omni ſupellectili ſua, ſenes & pueri, & alia die venerunt ad locum deſtinatum, & celebraverunt miſſarum ſolemnia cum omni gratiarum actione, laudantes Dominum & benedicentes Domino. Sequenti autem anno venit iterum venerabilis abba, & plures ex fratribus cum eo, & convocans omnem congregationem inſtruxit eos de omnibus, quæ ad cultum divinum & religionem ſanctam pertinebant, quomodo & qualiter qui ſcire voluerit, in libello, qui de vita ejus dictus eſt, plenius invenire poteſt. Cum autem appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, miſit venerabilem virum Walonem ad palatium, ut talem libertatem & tuitionem ex parte Imperatoris loci illius habitatoribus impetraret, qualem cætera quoque ſublimia monaſteria, per Franciam habebant. Quod ille fideliter egit, & Domnus Imperator benigne conceſſit. Quæ poſtquam geſta ſunt, iterum cœpit cogitare, quemadmodum loco patris abbatem præferret, qui ſecundum voluntatem Domini regere poſſet monachorum gregem, qui cotidie augebatur atque creſcebat. Erat eodem tempore in Corbeienſi monaſterio quidam adoleſcens monachus, qui ex nobiliſſimo Francorum atque Saxonum genere fuerat ortus nomine Warinus. Hic à tanta perfectione cœpit, ut cum eſſet juvenis, atque magna poteſtate præditus, haberetque ſibi deſponſatam virginem pulcram atque nobiliſſimam, & jam jamque inter primos palatii conſiſteret, elegit potius ſervire Domino æterno, quam regi mortali, relictiſque omnibus portum monaſterii petiit. Hunc venerabilis pater in nova Corbeia juvenem abbatem facere cogitabat, confidens ſcilicet de Domini miſericordia, ut qui à tanta perfectione cœpiſſet, perfectius conſummaret. Fratres autem agebant, ut venerabilem virum Walonem ſibi in patrem eligerent. Interim cum jam jamque diem

diem egreſſionis ſuæ adeſſe ſentiret, miſit ut quem vellent eligerent, accepta licentia Imperatoris. Interim dum electio protelatur, religioſus abba diem finivit extremum. Quo nuncio omnes mœrore concuſſi: Walo qui tunc ibi electionis gratia morabatur, juſſus pergit ad palatium, inde ad proprium monaſterium: ſtatimque ibi ab omnibus eligitur ad abbatem. At vero, hi qui in Saxonia habitabant monachi, de electione abbatis ſui beatæ memoriæ meriti Adalhardi confiſi eligunt ſibi abbatem jam-dictum virum venerabilem Warinum: quique proficiebat cotidie & acceptus erat, tam Deo, quam hominibus. His vero geſtis, poſt aliquod temporis ſpacium, accidit quædam diſceptatio inter Luduwicum Imperatorem & principes, qui erant in regno, pro qua re in tantum indignatio principis excrevit, ut & Walo, quem olim ante omnes dilexerat, in exilium mitteretur, & Hilduwinum virum æque devotiſſimum in Saxoniæ partibus, ſcilicet in monaſterio Corbeia, tanquam in exilium collocaret. Interim venerabilis abba Warinus majori honore apud Imperatorem habebatur.

At vero memor, quod ſibi commiſſum erat, ſcilicet ut inter barbarorum gentes monaſterium ædificaret, petiit ut de corporibus ſanctorum, quorum plurimi habebantur in Francia, ſibi aliquot transferre in proprium licuiſſet monaſterium. Statimque Imperator ut fieret juſſit. Qui cum multum eodem anno laboraſſet, ut S. Victorium de Ambianis civitate transferret, hoc implere nequivit, quia accolæ terræ illius hoc graviter ferebant. Tunc reverſus eſt ad propria multorum tamen ſanctorum reliquias ſecum adferens. Illo vero in tempore venerabilis abba Hilduwinus in eodem monaſterio juſſu habitabat Imperatoris, eratque omnibus carus atque dilectiſſimus. Quis enim ſe continere poſſet ab amore ejus, qui Dominum ſummo deſiderio amabat, & in ejuſdem cultu aſſiduus erat? Hic cum cognoviſſet deſiderium præfati abbatis & fratrum, quia volebant ob augmentum Chriſtiani cultus aliquem ſanctorum in monaſterium ſuum transferre, promiſit, quod ſi ſe Dominus in honorem priſtinum collocaret, abſque retractatione aliquem eorum, qui ſub ditione ſua erant, eis daret. Statimque poſt aliquot dies honori priſtino reſtitutus eſt. Poſt hoc Imperator etiam venerabilem abbatem Warinum ampliavit honore, eique monaſterium Rasbacis cognomento Hieruſalem ad gubernandum tradidit. Tunc acceſſit ad venerabilem virum Hilduwinum & rogavit eum, ut memor eſſet promiſſionis ſuæ, & daret ei corpus beatiſſimi pueri & martyris Viti. Qualiter autem, vel quo tempore hoc corpus S. Viti in Saxoniam translatum ſit, & in monaſterio, quod Corbeia nova dicitur, collocatum, intimare curavimus. Anno incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo, triceſimo ſexto, indictione quarta decima, anno autem imperii ſacratiſſimi Imperatoris Ludovici viceſimo tertio, Warinus abba monaſterii Rasbacenſis cognomento Hieruſalem, ſed & Corbeienſis novi, à cujus fundatione annus vertebatur decimus quartus, conſulens ſalutem patriæ, ſalutem etiam gentis ſuæ, & exaltationem loci ipſius, ob cauſam fidei & religionis expetivit à viro religioſo & venerabili abbate Hilduwino monaſterii S. Dionyſii, ut de ſanctis martyribus venerabilibus, quorum corpora in loco præfato humata quieſcebant, aliquem ei ad confirmandam fidem gentis ſuæ tribueret, atque licentiam portandi concederet.

Quam petitionem Hilduwinus abba cum voluntate & licentia piiſſimi imperatoris Luduwici, conſenſu etiam Epiſcopi Paraſiacæ urbis, cæterorumque nobilium virorum, in ſupra-dicta diœceſi commorantium, libenter annuens dedit ei, ut ſupra dictum eſt, corpus S. Viti pueri & martyris Lucani, qui ſub Valeriani & Diocletiani temporibus paſſus eſſe, & à quodam viro religioſo regnante Pippino translatus ab Italia in Franciam, & in Diœceſi Paraſiaca locatus narratur. Cujus merito in loco, ubi poſitum fuerat corpus ipſius, ut ſupra dictum eſt, multas Dominus virtutes operatus eſt. Fertur enim ab incolis loci illius, ubi beatiſſimus martyr in corpore quievit, quod à tempore, quo ipſo in loco poſitum fuerat, nunquam ibi tempeſtates aut fulgura nocuiſſent. Hoc corpus S. Viti magna cum veneratione, & teſtificatione religionis, ab Hilduwino venerabili abbate, Warino religioſo abbati, in Eccleſia S. Dionyſii coram innumerabili multitudine populorum, tam monachorum, quam canonicorum, virorum ac mulierum, poſt peracta die Domini-

Digitized by Google

co miſſarum ſolemnia, decimo-quarto Kalend. Aprilium, commendatum ac traditum eſt. Suſcipiens autem corpus S. Viti religioſus Vir Warinus abba, habens ſecum turbam copioſam, tam ſuorum monachorum, quam aliorum virorum, cum ſumma veneratione & ornatu, atque omni decore eccleſia exiit, tam ipſe & ſui, quam Hilduwinus abba cum ſuis monachis, & omnis populus, qui ad diem feſtum convenerat, à monaſterio S. Dionyſii iter tendens monaſterii Raſbacenſi cognomento Hieruſalem. Ubi perveniens cum ſuis omnibus, & multa turba populi comitante, honorifice cuſtodivit ipſo in loco corpus S. Viti martyris usque in diem duodecimum Kalend. Julii. Virtutes denique & ſanitates, quas Dominus meritis & precibus martyris Viti, antequam ad memoratum monaſterium perveniſſent, operatus eſt, ſcire cupientibus intimare dignum duximus.

Igitur factum eſt, cum egrederentur ex monaſterio S. Dionyſii, die Dominico, cum ex diverſis locis plurimi convenirent, & obviam ſancto martyri properarent, mulier quædam, Ermegardis nomine, jam annis duodecim cœca in itinere cum multis obviam procedens viſum recepit, & ſine adminiculo alterius usque ad proximam manſionem, quæ fuit in villa vocabulo Nuntriacus, proſecuta eſt. In craſtinum autem cum iter agerent, plurimis occurrentibus, mulier quædam Framildis nomine, cujus digiti manuum incurvi mediis palmis affixi videbantur, coram feretro curata eſt.

Inde pergentes ad monaſterium Raſbacis, ibi perſtiterunt usque in diem duodecimum Kalendar. Julii. Igitur egreſſi duodecimo die Kalendar. Julii die monaſterio Raſbacis, Warinus abba cum ſuis omnibus recto tramite in partes Saxoniæ pergentes fecerunt manſionem in villa, cujus nomen eſt Cella Giſlefridi, ubi in craſtinum poſt miſſarum celebrationem mulier quædam Harawillis nomine cœca jam annis quinq; ſanata eſt. Inde ad Cellam venerunt nomine Augia, ubi biduo demorati ſunt. Ibi duæ mulieres, quarum una Baltrudis, cœca annis quinq; altera Gertrudis, cœca menſibus tribus fuerat, ſanitatem receperunt. Puer etiam quidam nomine Warinus fere octennis, ex omni parte claudus ibidem mox ut acceſſit ad feretrum curatus eſt. Poſtera die iter agentibus mulier quædam occurrit ferens puerum quinquennem, jam à menſibus quinque claudum. Quæ cum linteum ſuper feretrum expandiſſet, eodem linteo tactus puer convaluit. Inde moventes pervenerunt in villam, quæ dicitur Alnidus: deinde tranſito fluvio, cui vocabulum eſt Matrona, diverterunt in villam cui nomen Salices, poſt hoc in vicum Summaharna. Poſtea in vigilia Pentecoſtes in villa, quæ dicitur ad S. Marulum, inde per Aquasgrani usq; ad regnum Saxonum. Poſt dies aliquot in villam, quæ dicitur Soſet, ſive Soſatum, vbi multam phalangem Saxonum obviam habuerunt, adeo ut incredibilis videretur exercitus utriusq; ſexus. Ab ea villa moventes ad aliam venerunt nomine Brechal. In his manſionibus ſingulariter dierum viginti ſpacio, Domino per beatum Vitum operante, virtutes plurimas in utroq; ſexu, præter eos, quos ſupra memoravimus, duo viri cœci, unus mutus, unus claudus, adoleſcens unus manum habens aridam, curati ſunt. Sed & mulieres quinq; cæcæ, quinq; debiles, parvula contracta, alia gibboſa & incurva, alia brachium contractum, altera manũ habens aridam, omnes ſanatæ ſunt. Tandem igitur, Chriſto propitio, finito cœpto itinere, monaſterium, quod Corbeia nova dicitur, multitudine populi utriusq; ſexus de nobiliſſimo Saxonum genere nobiſcum comitante, pervenimus, pridie ante vigiliam S. Viti, quod eſt Idus Junias, ubi ipſum ſanctiſſimum corpus in loco congruo, ut dignum eſt, collocatum & poſitum eſt. Ibi ſumma & ineffabilis Trinitas, ad confirmandam & corroborandam fidem gentis ipſius, multas virtutes & ſanitates operari dignata eſt. Fit enim ipſo in loco conventus magnus, magna cum devotione atq; alacritate, adeo ut per miliarium, & eo amplius, in circuitu monaſterii tabernaculis nobilium virorum ac mulierum replerentur campi atq; agri, qui ex omni regno Saxonum propter religionem & reverentiam beatiſſimi martyris Viti, aliorumq; ſanctorum martyrum reliquias, in ipſo loco habentium, convenerant. Inter ipſam deniq; multitudinem tam devotiſſime & humiliter concurrentium, nullum ibi turpe verbum auditur, nullus jocus, aut ſcurrilitas invenitur, ſed die noctuq; Deo laudes & grates referuntur, ſemperq; in ore ipſorum Kyrieleiſon habetur. Ab hac die & deinceps Dominus per beatum Vitum in eodem monaſterio virtutes multas & ſanitates operatus eſt.

Explicit.

Verſus

Digitized by Google

Verſus antiqui de translatione S. Viti in Saxoniam per Warinum abbatem Corbeienſem.

Felix Saxonia, gaude per pignora cara
Viti ditata, quæ dat tibi Francia grata.
Abbas Warinus regali ſemine primus
Francorum natus, Viti venerabile corpus
Tranſtulit è Francis Corbeiam, ceu patet iſtis.
Romano fretus pius imperio Luduwicus,
Hæc, Hilduwine, donat te patre favente,
Quando Dionyſii rexiſti limina clauſtri.
Quo tam præclaro gaudebas ante patrono.
Ex tunc translatum fuit à te Francia ſacrum.
Imperium, divi quo nunc gaudent Alamanni.
Chronica Martini dant hæc, veteres quoque libri.
Ex qua re ſanctum veneremur carmine Vitum
Octingentenus dum vicenusque ſecundus
Annus erat Chriſti, clauſtro fundum dedit iſti
Filius iſte pius Magni Karoli Luduwicus.
Quos ſeptenne puer fovens ſancta prece ſemper
Et benefactores omneſque tibi famulantes
Conſerves, Vite, duc nos ad pabula vitæ:

DE TRANSLATIONE S. JUSTINI IN NOVAM CORBEIAM.

Paſſus eſt beatus puer Juſtinus temporibus Diocletiani & Maximiani, ſub judice impiiſſimo Rectiovaro. Unde juxta fidem Chronicorum ſub atrociſſima, & incomparabili illa decima poſt Neronem perſecutione, paſſum eum colligimus: quæ & prioribus perſecutionibus immanior, dum venerabilem multitudinem martyrum cœlis mitteret, inter quos etiam præcipuum S. Mauricii collegium, & innocentiæ ſpeculum, Chriſti martyr Vitus cum ſuis coæqualibus nobiliter triumpharunt. Caput autem beati Juſtini in Autrico, quod nunc Antiſiodorum dicitur, corpus vero in loco, quem ipſe deſignaverat, ſepulturæ traditum eſt. Poſt multa annorum curricula, jam fide florente, cum ipſi rerum domini crucem præferrent diademati, Karolus Imperator, cujus nec cum ſeculo deficiet fama, Saxoniam, bello Romanis ſubactam, Chriſti fide ac ſervitute nobilitavit. Cujus progenies cum regnum Romanum poſt eum annis centum & ſedecim rexiſſet, Arnulfus jure hereditario ſucceſſit. Karolo enim Ludewigus Pius, Ludewigo Pio, Ludewigus ſecundus, Ludewigo ſecundo, Ludewigus tertius, Ludewigo tertio Karolus infans, Karolo Arnulfus. Cujus anno tertio Bovoni Corbeienſi abbati, qui dicebatur Pius & fratrum amator, defuncto ſucceſſit Godeſchalcus, ſextus ejus loci Abbas. Qui ſecundo ordinationis ſuæ anno, ſaluti patriæ conſulens, corpus beati pueri & martyris Juſtini de Francia in Saxoniam translatum in Corbeienſi monaſterio anno Domini octingenteſimo nonageſimo primo; à loco condito ſexageſimo octavo, ſexto Kalend. Aprilis cum cæteris ſanctorum corporibus ad noſtram perpetuam pacem collocavit. De quo abbate, quam miſericordi in hac vita correptione ſit emundatus, quod in ſcriptis Thietmari Merſeburgenſis venerabilis Epiſcopi reperimus, pro utilitate legentium inſeruimus. *Fuit olim in cœnobio novæ Corbeiæ ſub temporibus Godeſſalci venerabilis abbatis quidam monachus, nomine Alfrius, admodum religioſus, qui acriter migraneam in capite patiebatur, quæ duplex eſt, aut ex gutta, aut ex vermibus. Cui pro remedio oſtenſum eſt à quibusdam, ut ſecari in capite debuiſſet, quod & factum eſt. Sed de die in diem dolor augebatur, in tantum ut jam deſperaretur. Et cum eundem jam deficientem fratres cuſtodirent, caſu accidit, ut ſinguli egredientes hunc ſolum jacentem relinquerent. Tandem è cloaca vidit ſeptem dæmones teterrimos procedere. Sex eorum ſinguli portabant in manibus ſex libros, id eſt omnes triginta ſex. Septimus vero immenſæ magnitudinis volumen geſtabat, & ſedens lectione ejus gravi infirmum de ſuis actionibus,*

quas ab infantia, vel cogitando, vel loquendo, vel operando, usq, in eam horam unquam geſſerat, in vanum terrebat. Precioſus etenim martyr Vitus veſte fulgida indutus, vultu angelico conſpicuus, è templo cellæ, in qua æger jacebat, contiguo procedens ingreditur, & immundæ turbæ manu fugam indixit, & juxta illum ſtans conſolabatur eum, & quis eſſet protinus intimavit, & impoſita manu capiti illius benedixit, & eum ſanum ſurgere juſſit: per quem & hæc mandata prædicto abbati miſit: Vide ſis commonitus ut tot admonitiones noſtras ſic incurioſe non accipias, ne in poſterum vacua lamentatione gemas. Pro vero enim aſſero tibi, ſi amplius inobediens fueris, à Deo contemneris; & te adhuc ſuperſtite alium in tua ſede dominum videbis.

Dixerat hæc aſtans & mox diſparuit infans.

Hæc autem ut precioſus martyr, puer inquam Vitus, per monachum ægrotantem denunciavit, abbas negligens poſtea perſentit. Nam ei adhuc viventi ſuperpoſitus eſt ipſius rogatu venerabilis abbas Bovo, Vir omni laude dignisſimus. Hinc ergo bonorum crebros hortatus hominum ſervare conſilium nimis eſt ſalubre, multo magis vero horum, qui merito ſui inter filios Dei feliciter computati voluntatem ejus ſciunt in eventu futurorum. Quicunque enim temerarius ſapienti non innititur conſilio, Ocyus videbit, quis ſit in ſemet ipſo. De talibus comprobandis plurima habemus exempla, quæ imitatores ſuos ad elaboratum perducunt bravium cum veniunt ultima.

Arnulfo Imperatore de medio ſublato, Ludewigus, qui dictus eſt infans, regnavit. Poſt quem Conradus, ceſſavitque regnum de domo Karoli. Eligitur deinde deſignatione Conradi morientis Henricus Saxo, ejus & gentis & nominis primus. Quo defuncto filius ejus Oddo ſucceſſit, qui miro ſumto & devotione archiepiſcopatum ſtatuit ſupra ripam Albiæ in loco, qui dicitur Parthenopolis. Circa quem dum totus intentus eſſet, prædiis, ædificiis, auro, argento, gemmis, rerumque exquiſitarum decore, quodque omnibus eſt venerabilius, Sanctorum reliquiis ipſum præ omnibus hujus regionis eccleſiis ditavit. Inter quæ caput beati pueri Juſtini, quod ipſe abſciſſum matri direxit ab Autrico ſibi apportatum conſervabat, corpuſque à loco, ubi requieſcere videtur, transferre cogitabat. Gerbernus autem Corbeienſium abbas decimus, cum omni congregatione precibus apud Deum & homines, quosque poterat, caput corpori adjici precabatur. Sed quia multum valet deprecatio juſti aſſidua, ſervorum Dei vicit inſtantia, & imperator divina clementia commonitus, caput ſuo adjungendum corpori Gerberno abbati venerabili dedit. Abbas autem & ſui fratres monaſterio Anno Domini nongenteſimo, quadrageſimo nono, tertio Kalend. Auguſti, gaudentibus & populis, ac in laudem Dei conclamantibus, intulerunt. Tanti patroni precibus nos juvari ſi crediderimus, videbimus, præſtante Domino noſtro JEſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto regnat per omnia.

* Locus Thietmari, ſive Dithmari Epiſcopi Merſeburgii extat lib. IV. Chronici non longè à fine, ubi tamen minus prolixa eſt narratio, & monachus, qui migranea, id eſt, hemicrania laboravit, non Alfrius, ſed Alaricus nominatur.

F I N I S.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI ROSLÆ,
Nienborgenſis Saxonis,
HERLINGSBERGA:
SIVE
Poëmation de bello, inter HENRICUM Mirabilem, Ducem Brunſuicenſem & Lunæburgenſem, ac confœderatos Saxoniæ Principes geſto ob arcem HERLINGSBERGAM Anno CIↃ CC, XXCVII.

Ante annos plus minus CCCLX. in media barbarie non ineleganter ſcriptum, primum luci datum,

à

JOAN. HENRICO MEIBOMIO

Cum

NOTIS.

HEN-

Digitized by Google

HENRICUS MEIBOMIUS Junior LECTORI S.

PRomiſi antea, in hoc Tomo I. me editurum Scriptores illos omnes, quos primus publicaſſet Avus meus, *Henricus Meibomius*, ideoque *Henrici Roslæ* & *Theodori Lange* Poemata, ad Hiſtoriam Saxoniæ non parum conferentia, in calce adjeci, quia illa ex MSto primus eruit, quamvis publicationem eorum morte præventus promovere non potuit. Præſtitit autem id filius ejus, Parens meus, JOHANNES HENRICUS MEIBOMIUS, in Academia Julia quondam Profeſſor, dein Ducis Holſatiæ & Reip. Lubecenſis Archiater, qui, Parentis ſui exemplo, Hiſtoriæ Patriæ non incurioſus erat, quamvis, Medicinam in populoſa urbe faciens, ſubciſivas tantum horas impendere illi poſſet. Edidit autem *Roslam* cum notis, illuſtrandæ non hiſtoriæ tantum, ſed & barbaro ſtylo Scriptoris intelligendo valde alicubi neceſſarias. Ediderunt duos illos Scriptores *Sternii* Luneburgi, A. 1652. ſed, quod metuerent, illos de Saxonicis tantum rebus agentes non adeo multos inventuros emptores, in pauca exemplaria diffuderunt, ut multi in Germania fruſtra aliquod deſideraverint, quamvis, curioſiſſimum talium, *Carolum Freſneum*, non fugiſſe, ex pluribus locis, in Gloſſario illius eruditiſſimo & laborioſiſſimo, pateat. De ipſis Scriptoribus jam tum quædam notavit Parens meus in Præfat. ad Illuſtr. Schwartzkopfium: nec habeo multa quæ addam. An enim *Henricus Rosla* ex nobili familia eorum, qui *in Rosla* & *de Rosla* vocantur, ortus fuerit, dicere non poſſum: quamvis aliàs mihi noti ſint *Fridericus miles in Rosla* apud Ecſtormium in Chron. Walckenred. p. 95. & *Guntberus de Rosla miles* apud Perſtuchium in Chronic. Portenſi. p. 57. Legit utriuſque Carmen *Theodoricus Engelbuſius*, citatque ſæpius in Chronica ſua: quantum tamen ad *Roslam* attinet, quos ex eo p. 236. & 260. citat verſus, illi in hoc de Herlingsberga Poëmate non comparent, ideoque probabile videtur, illum alia carmina, quæ aut perierint, aut in Bibliothecis adhuc lateant, ſcripſiſſe: niſi forte *Engelbuſii* aliquod ἀμάρτημα μνημονικὸν intercurrerit, cum alibi, ſcilicet p. 124, & p. 152. etiam citet verſus, ac ſi *Rosla* eos compoſuerit, qui tamen in illo non exſtant, ſed in *Tiderici Langii* Saxonia. De quo quidem etiam id dicendum eſt, *Engelbuſium* ex eo non paucis in locis p. 173. 182. 192. 236. 242. 244. 245. 257. 258. 262. 270. verſus quoſdam citare, quorum aliqui ex hoc de Saxonia carmine deprompti ſunt, alii in eo non leguntur; cum igitur alicubi, ut p. 126. 170. & 236. citet verſus ex *Poëſi Ducum Brunſuicenſium*, videtur aliud etiam Poëma ſcripſiſſe, ex quo reliqui illi ſint deprompti, qui in hoc de Saxonia non apparent. Vocat autem eum alicubi *Longum*, alibi *Langum* vel *Langium*, & p. 54. vocat *de* Eimbeke & deinde his initialibus litteris T. E. id eſt, *Theodorum Eimbeccenſem* allegat, ut probabile ſit, eum non tantum Canonicum Eimbeccenſem, ſed etiam ex illa urbe, quæ Ducatus Grubenhagenſis Metropolis eſt, & Eccleſiam Cathedralem S. Alexandri habet, oriundum fuiſſe. Quod ſi nonnulli hujus *Henrici Roslæ* vel *Theodori Langii* alia adhuc nondum edita poſſident, ut publico invidere nolint, rogantur.

Digitized by Google

MAG.^{co} NOBIL.^{mo} ET CONSVLT.^{mo}
VIRO,

DN. JOANNI Schwartzkopf/

JCto, & Seren.^{mi} Principis AVGVSTI, Ducis Br. & Lun. Cancellario, & Conſiliario intimo,

Domino, Fautori & Amico ſuo plurimum venerando & amando.

FAcio tandem, Vir nobiliſſime, quod diu facere meditatus ſum. Adfero Poëmation *ad Mag. T. de pugna ad caſtrum Herlingsbergam inter Principes Saxoniæ aliquot depugnata. Habuit id parens meus* Henricus Meibomius *ab* Henrico Petrejo, *ICto clariſſimo, & Conſiliario olim Guelphico. Auctor & ſe nominat, & patriam indicat ſub finem opuſculi. Idem enim ſibi nomen eſſe ſcribit, quod Duci Brunſuicenſi,* Henrico Mirabili *ſeu* Moroſo, *de quo potiſſimum agit: cognomine vocari* Roslam, *natum* Nienburgi, *quod opidum eſt cum arce Ducali, ad Viſurgis fluminis ripam, Ducibus Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus parens, belliſq; his civilibus, nunc ſopitis, non parum nobilitatum: & quod hoc nomine efferre ſeſe præ aliis queat, quod natales in media barbarie dederit tam felici ingenio. Talis enim Auctor hic noſter fuit, qui incuſare ſeculum ſuum potuerit, & ſi in noſtra tempora incidiſſet, unus procul dubio non è vulgo fuiſſet eruditorum. Nam & ingenium ipſi non defuit, & Poëtas veteres ſedulo legit; & non infeliciter ſubinde imitatur: & Spiritu valet poëtico, quo nunc promptè aſſurgit: nunc tamen viciſſim delabitur: Præterea & fictiones habet poëticas non inelegantes, eſtque ſola ſeculi infelicitas, quæ ipſum altiora conantem depreſſit. Librarius verò indoctus fuit & ſupinè negligens: unde textus aliquando corruptus, & in eo vulnera curam non admittentia. Titulus opuſculo quum deeſſet, Parens meus dedit, &* Herlingsbergam *vocavit à loco ubi pugna commiſſa: non incommodè, ut opinor. Nam & Lucanus,*

— Si parva licet componere magnis,

libros ſuos Pharſaliam *inſcripſit à loco, ubi pugnatum: & Guntherus noſtras Poëmata ſua* Ligurinum, *à Liguribus, quicum Friderico Ænobarbo negotium fuit, nominavit. Vellem autem memoratus Parens meus ipſe Poëmation hoc in publicum emiſiſſet & illuſtraſſet: quod diu eſt quod ſe facturum promiſit. Verùm fato præreptus, præſtare, quod policitus erat, non potuit. Quia tamen meum eſſe duco,*

Digitized by Google

Parentis fidem liberare, nec pati, ut diutius cive hoc ſuo careat Saxonia, Auctorem in manus ſumpſi, & recenſitum in publicum prodire juſſi. Addidi mantiſſæ loco Tiderici Langen, Canonici Eimbeccenſis, Saxoniam *carmine deſcriptam: Sed qui & ætate, & eruditione & metro noſtro Auctore longè eſt inferior: ex quo tamen non ſecus, atque ille olim ex ſtercore Ennii, gemmulam depromas. Vnde etiam hac ipſâ in tractatione ejus operâ & teſtimonio non unâ vice fuimus uſi. Quòd verò, Nobil.me Domine, Poëmation hoc Mag. T. nomini ſacrum eſſe volui, ejus rei cauſſas ſanè habeo complures. Nam & neceßitudo, quæ inter Mag. T. & Parentem meum jam olim interceßit, efflagitare id videbatur: & poſtulabat amicitia noſtra, quæ hæreditario quaſi jure in me devoluta, ab ipsâ juventute in hoc ſenium noſtrum, quod uterque nunc degimus, cum tempore ita auxit, ut ſolvi niſi morte nequeat. Vna tamen eſt cauſa potior & maxima, ob quam ſcriptor hic tibi debetur, ſumma M. T. in hiſtoria ſuperiorum ſeculorum de antiquitatibus patriæ cognitio, & in iis eruendis curioſa ſedulitas. Quanquam enim, Vir Nobil.me maximum & Politici & ICti nomen impleas, & tum Reip. tum Iuſtitiæ clavum modereris,*

Et tot ſuſtineas ac tanta negotia ſolus:

Vtrique tamen muneri obeundo nihil magis neceſſarium eſſe rectè judicas, quàm hiſtoriæ & antiquitatum patriæ notitiam. Quippe qui optimè noris, quàm non vulgares ICti, ab hiſtoriæ cognitione minus inſtructi, in maximis Principum negotiis aliquando errarint, & viam palàntes quæſierint veri. Non gravare igitur, Nobil.me Dn. ſi Auctor hic, in quo non pauca patriæ antiquitatis ſuperant veſtigia, tuis auſpiciis in lucem ſe tollere audeat, ſi te auctorem laudet, ſi patronum & defenſorem ſibi ſumat. Eſto ille pignus & teſtis amoris & obſervantiæ meæ in Mag. T. quam bono publico diu ſervet ſoſpitetq́ maximus omnium Monarcha Deus. Dabam Lubecæ, Kal. Nov. Anno cIↃ IↃc LII.

Nobil. Mag. T.

addictiſſimus

JOAN. HENRICUS MEIBOMIUS.

HEN-

HENRICI ROSLÆ,

Nienborgenſis Saxonis,

HERLINGSBERGA.

Gentis Saxonicæ mens geſtit bella referre,
Congreſſumque Ducis: clemens Deus annue
Copia ſcriptorum fecit te Græcia notam, (cœptis.
Qui decantarunt miris tua facta Camœnis.
Nequaquam regnis aliis majora patraſti,
Facundi ſed te celebrem fecere Poëtæ:
Carminibus vivitur, & eiſdem gloria creſcit:
Carmina dant famæ nomenque decuſque perenne.
Fortia qui faciunt laudandi carminibus ſunt:
Nec tu laudis eris expers, qui fortia ſcribis.
Unde ſedet menti, gens famoſiſſima, de te
Scribere, Saxonica, nullis es in orbe ſecunda
Terris; ergo decet, ut cunctis publica fias,
Lectores ſupplex veniam poſcendo benignos.
Eſt ignoſcendum ſtudioſis, immo favendum.
Eſt plenus campus, longoque ſitu ſinuoſus,
Primates terræ quo colloquium tenuere.
Una Ducem mens eſt ſibi demolirier unum:
Hunc compromittunt ſe bellis obruituros.
Divide tres hoſtes, per pacem, prælia, treugas.
Ardua qui nimium prenſat, recidivat ad imum.
Scire poteſt aditum quiſquam, ſed nemo regreſſum.
Juratur, bello ne quis ſe ſubtrahat aſtu:
Edictu, quod deſertor ſit publicus hoſtis.
Nullaque non ſpondent ſociales oppida dextras,
Præſidium voto præbendo per omnia fidum.
Talia Legatos mittunt mandata ferentes:
Primates, Satrapas, ſimul in commune rogare,
Vendat ut his Herlingenberg cognomine caſtrum,
Æſtimet & proventum, vectigalia, cenſum:
Cuncta redempturos nam ſpondent ære repenſo.
Aſſeverantes, quod eis promiſcua turba
Aſſiduis proclamarit miſeriſque querelis
Plangendo municipium diſpendia ferre
Id doti terræ: turbari ſeque ſuoſque.
Indignaturos alioquin noſceret ipſos,
Ni cito primorum dictis parere fatetur.
Poſtquam Legati finem fecere loquendi,
Percontatur eos Dux imperterritus, anne
Dicere plura velint? reſpondent omnia fatos.
Ille minus, quàm dura ſilex, ſermone movetur:
Tum bene conjectans, quod ei nova factio ſurgat.
Mens eſt quippe viri prænoſtica ſæpe futuri.
Paullo metitur, placideque ſubintulit iſta.
Quam ſors diſtribuit terram mihi, noſtra manebit.
Quicquid ſtagnantem Rhenum concluditur inter,
Oceanumque mare, mihi ſervit, & ultima Thyle,
Hujus reſpectu caſtri, quod & æſtimo tanti.
Hac ſumma licitor, à veſtris illud emendum:

Hunc fore contractum facilem non æſtimet ullus.
Ipſi quod dicunt, oneri noſtrum ſibi caſtrum:
Præſto culpa ſibi, qui fœdus caſſat amici.
Ignorante queunt fieri me plura : ſed iſtam
Excuſans equidem tegit ignorantia labem.
Invoco te teſtem, judex altiſſime, quòd vi
Enormi nullos oppreſſi, ni foret hoſtis.
Pacem, jura, fidem complector non minus ullis.
Sed vetus hoc verbum penſans exiſtimo verum:
Tam bene nullus agit, quod cunctis complacitum ſit.
Cogat an ad raptus me pauperies ? ſed abundo.
An mea ſævitia? ſed enim novi miſereri.
Cæcet avaritia? ſed ſummi penſo timorem.
Quæ proponit homo, Dominus diſponit in alto.
Poſthæc ipſe manu Legatos ducit in aulam:
Curat honoratos, epulis reficitque perunctis.
Legati redeunt, hoc reſponſum referentes.
Aſt ubi verba Ducis acceperunt Baſilei,
Mane veredariis ibi defidant ſibi miſſis.
Pro ſe quisque locus ad opus belli ſtudioſus:
Urbibus in cunctis fervet labor. hæc novat enſes:
Fabricat hæc arma: clypeis ſtudet illa parandis;
Arcubus & pharetris, telis : Sed curribus illa:
Hæc conis galeas: phaleris polit illa jugales.
Caſtra per & vicos frumenta cibique parantur,
Atque exercitibus ſtipendia larga pluuntur.
Præſertim ſatagunt agiles formare ſecures,
Uſibus & miris laxantur ubique metalla,
Et Chalybum maſſæ, quas extudit ignis & ardor.
Vomere caſſus ager non reddit vota colonis.
Non hic unigena fabricatur machina: nomen
Hæc librilla tenet, quaſi ſaxea pondera librans:
Obtinet illa ſuis: ſed hirundinis hæc: ſtat aſelli
Illa vocata nota: quædam fit ab ariete dicta,
Ex re nomen habens, altis æquè alta minatur
Turribus interitum: quoniam ſupereminet ipſa.
Præſul Sifridus Hildenſemenſis adunat
Fortia caſtra ſatis & terribiles equitatus.
Magdeburgenſis incedit poſtmodo pubes.
Hermannus de Blankenborg, vir idoneus, æquus;
Qui doleat ſanè cùm ſævus cogitur eſſe:
Jam ſucceſſurus cathedrali dignus honore,
Vallatus vegetis proceſſit in arma vaſallis.
Otto Saxonicus Dux inſtauraſſe catervas
Viſus Alexander, viciſſet quemlibet orbem:
Hoc Electore gaudet Reſpublica Rege.
Adſtant conſpicui Ducis Henrici duo fratres,
In fratremque vehunt animoſos porro maniplos,
Martius Albertus juvenis, Wilhelmus ephebus.
Sunt deſolanda ſibi colluctantia regna,
Revera cenſum nutrit concordia parvum.
Amplior amplificis Luneburgenſis juvat hoc Dux,
Nec genus expendit commune,gradumq; ſecundum,
Alares quin exhibeat bello metuendos.
Marchio magnanimus, ſignatus arundine frontem,
Fortunatus honos, immenſaque gloria terræ,

Otto pater patriæ, cui tellus obſtupet omnis
Branndenburg: cujus eſt inclyta notaque fama:
Cujus erant proprio condigna volumine geſta;
Educit validæ fortiſſima pectora pugnæ.
Unicus Henrico tremor hinc patruus ſuus Otto,
Totus Chriſticola, totus pietatis amator,
Marchio Brandenburgenſis magnanimus, ipſe
Emicat hunc juxta juvenum grege fultus amœno:
Quem ſuus æquiparat virtutibus, indole, frater
Marchio, cui nomen Albertus. clarior armis
Anehalt princeps Otto tu conglomeraris.
Bernhardus de Berenborg multis latus ambit,
Nec ſibi parva phalanx, aſpernandusque ſatelles.
Albertum ſtipat equitum de Kötene cœtus.
Saxoniæ nemus eſt viginti millibus & ſex
Porrectum, dicit quod Teutona lingua vocans Hart.
Eſſe poteſt majus, ſed non præſtantius ullum,
Silvis, ſive feris: hoc autem dives habetur,
Quod municipiis & pagis pullulet. Hart eſt
Hinc ideo dictum, quia durius omne, quod illud
Educat, eſt aliis. Genus hoc hominum neq; ferrum,
Nec mortem metuit, conceperit ut modò bilem.
Hinc conſerta ruit furialis & horrida turba,
Quam belli capita tredecim duxere Barones.
Blankenborg, Reinſtein, Scrapelow, Mansfeldt, Hakeborne,
Arnſtein, Valkenſtein, Stoleberg, Werningerod, Honſtein,
Querneford, Hademersleve, Barbuje vocati.
Mos eſt, principibus terræ bellantibus, iſtos
Certatim Dominos auro conducere multo:
Utpote queis faveat victoria ſemper amica.
His deſiderium belli fuit omnibus unum.
Urbes munitæ veniunt armis opulentæ.
Æſtuat inter eas magis, & Goslaria bellum
Ardet: Bruneswick illis fuit auxiliatrix.
Quippe ſui Domini deliro limite ſulcos
Confundunt, ira diſcordes atque furore.
Quomodo gens rabiem florens devenit atrocem?
Quò ruitis, ſtirps regalis, reges genitura?
Cur non deterret vos inteſtina ruina?
Impendent, ſi neſcitis, diſcrimina vobis.
Per loca pax fruges, peſtem ſubleſtia ſparget.
Julius in magnum ſic cum conſurgeret orbem,
Pompejus reges Orientis movit: in ipſis
Civicus interiit exercitus, & lue triſti
Æmathiæ campos Romanus inebriat enſis.
Regis & auguſti virtus quæ qualis Adolphi
Sit patet: ecce feris Saxonibus approperavit:
Auctus eis cum Cæſario ſublimis honore.
Peſtis certe * fetus * in pr * fr *
Robora tanta virum non confregere Leonem.
Intrepidique Ducem cordis, quin obvius iret,
Molibus & moles opponeret, & memoratu
Rem dignam, nunquam per ſecula cuncta tacendam.
Jactet magnanimo ſe Veronis Tiderico:
Clarior Henrico Duce Brunſwick facta profectò.
Scilicet ærumna fit famæ pleraque cauſſa.

Hectora quis noſſet, ſi non ab Achille periſſet?
Si non erraſſet Ithacus, non cognitus eſſet.
Et te naufragium facit hoc, Dux inclyte, notum:
Nubila fortuna tibi fert præconia magna.
Sic Macelabæus, patriæ legumque favore
Succenſus, cuncta ruit in diſcrimina præceps;
Oblitus dulcis vitæ, caræque ſalutis,
In mortem poſuit animam, ſalvaret amatam
Ut gentem, regum ſuperans iraſque minaſque.
Caſtro munito ſatis, adventante catervà
Vallum cingente, Dux dixit, obſidione,
Hæc ſecum: num me totiens impune laceſſet
Conjurata manus? num me ditione propellet
A patria? num cuncta ſibi mea vendicet ipſa?
An non arma mihi, non miles & æra ſuperſunt?
Deficit an animus? an in ſumptus manus ægra?
Sæpe rubum modicum vidi ſubvertere currum.
Non totiens fieri placet heriſcindia mecum.
Acer in adverſum terram pontumque ciebo.
Accidior juſtè? potius premerent alienos.
A notis hunc quis potuit ſperare dolorem?
Ille fide pravus, hanc qui non ſervat, amicus.
Compertum ſit eis faxo, quantæ mihi vires.
Volvitur in cœlis Phœbe, Fortunaque terris;
Præ foribus noſtris non ſemper calva ſedebit.
Regnator cœli faveat mihi, conditor æqui:
Non erit his tutum ſatis irritaſſe quietum.
Talia flammato ſecum Dux ore volutans
Accerſit Comites, Primates, atque Quirites.
Nec ſibi ſufficere ratus has, quibus imperat ipſe,
Indecorem quoque ſe, niſi totis obvius iret
Viribus, & terris propriis depelleret hoſtem.
Pro caris natis, pro conjuge, proque colonis,
Pro libertate, bellis ultroneus optat
Vincere vel vinci. Coëunt excita juventus
Virtutis validæ; tranſmittis Rhene bicornis
Electos armis proceres, ad prælia doctos:
Quoſque viros Weſera propior circumfluus ambit.
Voſque tuliſtis opem manus imperioſa Turingi,
A ſocero miſſi, partem Ducis acre tueri.
Miſſina mittis opem, mittis licet Arcia pubem:
Ambæ porro bonæ; tu fundere tela, vibrare
Tu gladium, ſtudioque foves Ducis utraque partes.
Fundit, quidquid opis habet Ovacra, tu quoque Leina:
Nec ſe ſubtraxit nec Ferda, nec ardua Bremis,
Subſidium portans, & idonea pectora pugnæ.
Weſtvali properant, & fida juvamina portant.
Waldeccæ magnæ Comes alacer auxiliatur.
Dux Brunſuicenſis opibus defenditur iſtis.
Nullos eſt ſtrepitus Holſatia ſola ſecuta,
Fortibus ipſa viris elegantiſſima quamvis.
Nominis ergo memor, & honoris magnus aviti,
Dux Henricus agit in agros, in bella paratos
Mœnia, quos rerum dominos expaverit orbis.
Henricus regnat qui primus Teutonicus Dux;
Ottones tres qui regni ſublimia ſcandunt:

Qua-

Quatuor æquivocum ſibimet qui nomen habebant:
Et tu Lothari, tu victor & Otto Philippi:
Quique rebellavit Karulo Wedekindus olim Rex:
Et Ducis unius virtus, quem (ſi modò famæ
Credimus) ipſa fuit feritas venerata leonum,
De poſtliminio natale ſolum repedantem:
Hinc hodieque leo ſeclo monet acta vetuſto,
Fuſilis egregia qui Bruneswik ſtat in urbe.
Qui multis errans, terris & fluctibus, annis,
Vidit multarum prorſus miracula rerum:
Brunonis recolit, qui fundator fuit urbis:
Ejus & Ottonis fratris, qui primus ad arcem
Eligitur regni, licet illud ſpreverit ipſe:
Cujus erat natus Henricus Saxonicus Rex.
Magnifici Ducis unius reminiſcitur inde
Acre rebellantis auguſte tibi Friderice.
Succurrit patris Alberti memorabile factum
Principibus tribus arma moventis, eosque fugantis:
Quodque ſit à parvis injuria ſæpe repulſa.
Te Dux egregie, te princeps inclyte, famæ
Quippe tuæ nullus horum præjudicat actus.
Pande Dei facta mens, regis myſtica cela.
Ecce videre datum ſancto fuit Anachoritæ,
Excelſo regem ſolio reſidere ſupremum.
Millia ſanctorum & circumſtipare ſedentem.
Hic pro ſupplicibus interpellare videbat
Canitie patres, habitu juvenes reverendos:
Atque puellarum matronalemque pudorem
Formidare ſuis: inter quas virgo coronam
Regalem capite demiſit, ſeque profudit
Regnantis pedibus: quod non tulit ipſe, ſed alto
Exſiliens ſolio (nam mater erat ſua) blando
Suſtinet affatu: pete nunc, dulciſſima, dicens,
Si quid habes, natum tibi fas abdicere non eſt.
Tunc ſic orſa loqui: mitiſſime, te meminiſſe
Arbiter exoro, fidei rudimenta beatæ
Cultus honosque tuus quod creverit atque inolevit
Baronum populus, Ducis Henrici genitorum
Cura promotus: quot celſos Pontificatus,
Eccleſias quantas, quot, clauſtraque quanta dicarim.
Hæc meminens, parcas ſtirpi, genimenque, quod illo
Stipite deſcendit, calcari non patiaris.
Non minor Henrico devotio, quàm fuit illis,
Mundi cuncta mala miſeratio diluit alma.
Deſiit. inde Deus, memini placidiſſima, dixit:
Non ſunt ulla bona, quin ſint ſibi præmia certa.
Sed modò jam notum cunctis fieri volo ſcitum;
An bona correptus poſtponens deſerat, & ſi
Virtutis pigeat: ut perſtantem, tolerantem,
Gratia fertilior commendet & ampliet ipſum.
Plorandus magis eſt faciens mala, quam patiens hæc.
Rectoris culpâ plebs cæditur, & vice verſâ.
Dono nunc miſerans, ſed nunc res tollo ſecundas.
Parce metu genitrix, tibi do, quòd ſis ſibi tutrix.
Juſtorum ſemen quis vidit quærere panem?
Arguo plerunque quos diligo, quosque gravare

Digitized by Google

Hos relevare queo. reprimam fluctus hyemoſos
Henrico. Viſis his expergiſcitur ille.
    Conſtituens ſortem belli tentare, ſagaci
Plurima mente gerit verſutus, & omnia tentat
Dux animare volens armatos: egerat aſtu,
Nuncius ut miſſum ſe diceret in manifeſto,
Quòd fratres gemini ſibi clanculo fida pararent
Certiùs auxilia: primi quòd in hoſtibus ipſi
Non molirentur contraria, ſed fore cautos.
A Duce dirigitur rurſus, qui diceret hoſti,
Nunc pugnaturum; jam nunc properare paratum.
    Pene per hebdomadas hæc fiunt continuas tres.
Exſpectant primò, ſed diffidentia pigros
Fecit, habentq; ratum, non hunc committere pugnam
Quare ſecuri, non auſurum reputantes,
Indulgent omnes epulis propenſiùs, atque
Parciùs excubiis inſtant: non parvaque turba
Ad ſua ſe recipit: rareſcit bellicus ordo.
    Præſcius inſtantis belli Dux atque tumultus,
Secedens in conclavi, clauſoque receſſu,
Ad conſueta precum converſus munia, fundit
Vota precesque pias, & te ſuffragia poſcit
Utile perfugium mater Chriſti miſerorum:
Quæ ſibi devotam mentem non abdicat unquam.
Sollicitat precibus cœnobitas ac eremitas
Atque monaſteria: quo per Miſſas ſibi placent
Aſtrigeri dominum cœli, quibus ipſe profectò
Tutor erat magnus & inexpugnabile ſcutum.
Quantus amor ſit heri, monſtrat dilectio ſervi.
Eripiunt morti multos ſuffragia Miſſæ,
Cujus in omne malum tibi fert auditio vallum.
    Deinde fide plenus prohibens vetat Eccleſiarum
Raptus: auſterè jubet hoſtibus eſſe feroces,
Ac loca ſancta ſuos manſueſcendo venerari.
    Summa timere Deum ſapientia! reddere cultum
Auguſtine tuis, Franciſceque, Paulleque ſervis!
    O dignis quantum donat cultoribus auri!
Ut carnale metat volo, ſpiritualia qui dat.
Semper homo pavidus eſt felix, eſtque beatus:
Sed mentis duræ mortis mala ferto futuræ.
    Henrico ſed enim haud temerum vel inutile viſum
Hortari cœtum: collectas famine tali
Compellat turmas: acer eliquat ore diſerto.
    Eſt inconvulſus nobis audacia murus:
Nullus eum munit, iſtam quicunque relinquit.
Quid faciat, quid agat, quem diffidentia turpat?
Cæſus non cædens nimis eſt, quis neſciat? acris
Hoſtibus accedet veſtrâ formidine virtus.
Audaces hoſti per-valde ſunt metuendi.
Si vos audetis, Deus & fortuna juvabit.
Venit ſumma dies, moriamur, nos tueamur,
Vulnera, jacturam, donis opibusque rependam.
Hanc, quam non reddam, dextris defendite vitam.
Qui cadit, hujus ero natis obnoxius ultro;
Sed tergum danti: non convenit omnia fari.
Eſte viri fortes, ne ſitis honoris inermes:

Tu

Digitized by Google

Tu verò abſcede, quisquis vis todinus eſſe.
Armato pavido potior eſt treſſis agaſo.
Cur infirmamur ſpe, cùm noſtrum tueamur?
Vincit, pugillo claudens Deus omnia, paucis.
Spes erit hæc mecum: Deus eſt, qui judicat æquum.
Nil facit excubitor, niſi ſit cuſtodia factor.
Hac ſic ille tenus, cui reſpondere phalanges:
Ultima, Dux magne, tecum mens certa ſubire
Eſt nobis: verba tua ſunt plena rationis.
Nunc, ope de noſtrâ nihil ambiguus, pete pugnam.
Laudat Dux animos, verbum probat, atque favore
Tirones ſolenne creat mox ipſe novellos,
Quos & muneribus animis audacibus implet.
Eſt dare jucundum largo: non poſſe, gemendum.
Spes hinc orta viris, timidis audacia crevit.
Urbs eſt Eimbeke, quam fortes tenuere catervæ,
Quæ Ducis imperio communiter arma capeſſunt.
Metantur caſtra lituo præcone ſonante:
Ordine centuriæ procedunt collegiato.
Sole repercuſſi clypei nova lumina fundunt.
De muris pavidæ fulgentes ære maniplos
Deſpiciunt matres, & proſpera corde precantur.
Si non ſint homines, quid pulcri mundus haberet.
Erumpunt portis acies aurore decoræ.
Ut verò vidêre Ducis vexilla, leonis
Effigie picta, mox hoſtica caſtra coire,
Cornipedes phaleris ornare, ſibique timere.
Diſponunt acies, condenſant agmina cornu,
Hildenſemenſis effatur concionator
In cuneis: nunc ille dies, qui nos opulentos
Efficiet: timor ô ſolummodo degener abſit!
Gloria conſtantis aſſiſtrix; mulcta fugati.
O crimen miſerum! civem fore quemque fugacem.
Stulte tuos fugiens, eris ecce tuis fugiendus.
Eſt infruniti, vi non obſiſtere lethi.
Virtus cuncta domat, & ſtrenuus omnia prenſat.
In virtute mori, non mors, ſed vita ſit ulli.
Eſt bene credibile nos hoſtes vincere poſſe.
Concipiunt omnes animos ad verba loquentis.
Protinus ardenter cupiunt pro munere pugnam.
Diſtabant leuca media, cum jam Ducis agmen
Præcipiti curſu greſſum rapit ordine multo.
Incedunt acies ex ordine, terribiles ſunt.
Protinus hoc viſo munitur caſſide Saxo,
Multa ſuper populo queſtus, triſtique ruina:
Rege JESU, quoque matre pia, Sanctisque vocatis.
Hinc creſcit pugna, fragor alta reverberat aſtra,
Miſſilium nube tenebreſcit lucidus æther.
Vix tellus ſtrepitum, vix ſuffert terra tumultum.
Haſtæ diſſiliunt fractæ trans arva trabales.
Hinc parmæ parmis, hinc enſe retunditur enſis,
Pes pede, virque viro, lateri latus, arma ſub armis.
Denſatur pulvis feſſos ſudor rigat artus.
Turba ruunt, roſeusque cruor lavit arma viroſque:
Arva cruore fluunt, & putri ſquallida tabo
Exhalant animas millenis mortibus. Ecce!

Hic manibus mutilus, hic cruribus, ille cerebro
Confracto cadit, hic jacto per tempora ferro,
Hunc exenterat enſis, huic ſecat ilia mucro:
Spicula confodiunt hos, illos clava trinodis
Affligit, quos cornipedum gravis ungula calcat.
Sanguinis hic aliquis miſerandam fundit orexin.
Corde Comes Lippas in pugnæ limine lippus,
Vertit terga fugæ turpi, Brunſwicque relinquit.
Hujus quis cladem, vel funera fando diei
Explicet, aut poſſit verbis æquare laborem?
Numina ſanctorum devotis mentibus adſunt,
Eripiuntque ſuos, & eis funeſta repreſſant.
Hildenſemenſis pater, & Dux fortis in armis
Graſſatur, manibusque ferox & pectore ſævit.
Brandenburgenſis, Anehalt & Saxonicus Dux,
Frater uterque Ducis: hinc Nobilium chorus omnis,
Et prælibata jamdudum concio tota
Pro probitate loco non copia conſtitit ullo.
Qualis apud Trojam Patroclus & inclytus Hector,
De quorum laude nec ſecla vetuſta quieſcunt.
Credas Ajaces redivivos & Menelaos.
Vulnera multiplicant, dum vincere quilibet optat.
Dux Brunſwicenſis optato tempore fretus
Horridus erigitur, ac irâ vindice motus,
Dum recolit faſtus illati, dumque doloris
Perpeſſi, totus gravis & ferus imminet hoſti.
Et breviter, corde gaudens, ulciſcimur, inquit,
Gens & terra mea mecum. Sic ilicet orſus
Exanimatque viros, nunc hos, nunc proterit illos.
Militis atque Ducis gerit officium, ferit hoſtem
Martius ipſe manu, ſociis ſudantibus affert
Impiger auxilium, fractasque redintegrat alas.
Hinc exaudiri gemitus plangorque cadentum.
Interea Ducis ejusdem ſanctiſſima conjunx
Limina Sanctorum, matronis cincta pudicis,
Viſitat, & Dominum flectit ſanctosque marito.
Dumque modum hic præter furiis laxaret habenas,
Cornipedem quidam ferit in caput ecce ſecuri,
Hoſtibus exponens dominum, terræque profundens:
Rurſus equo dominum cari bellisque remittunt.
Crudeſcit pugna, Dux acrius hoſtibus inſtat;
Cum quo tota cohors ultrices concipit iras:
Pulchrum pro domino reputant cecidiſſe manipli.
Principio attoniti ceſſerunt turbine primi:
Languenti capite corpus caret omne vigore.
Tantum perfecit virtus unius in omnes.
Optima Theotocos dedit inviolabile corpus
Vulnere præſenti pugnâ: quaſi diceret, ecce!
Flagrantis fidei Dux quam probo, percipe pignus
Ac arrhabonem, noſtrum qui prodat amorem.
Quaſſari potuit, mergi tua cymba nequivit.
Dignum laude virum, dum Solis agit rota gyrum,
Poſteritas oculis hæc hauriet, hauriet aure.
Eſt viſus acies geſtorum certior index.
Vivet fama Ducis, dum vivent carmina vatum:
Ad famam cujus ſermo non ſufficit ullus;

Digitized by Google

Proponunt dare gaudentes epinicia, verùm
Gaudia mœrore victorum mixta fuêre,
Planctu lætitiæ; cùm funera cara ſuorum
Inter cæſorum vidêre jacentia turmas.
In luctum cithara eſt converſa, redactus amarum
Cantus in gemitum: nam primates duo capti,
Et Dux Wilhelmus & Parthenopolitanus,
Arcta pati vincla manibus coguntur onuſti.
Sed licet anxietas premat ac enargia cunctos,
Vota tamen ſolvunt regnatori: memorantes,
Quod minimè Chriſtus tollit, tollit crebrò fiſcus.
Devoti grates referunt, ariſque reponunt.
Præſtans obſequium, meritò capit emolumentum.
Non eſt mercedis devotio caſſa fidelis:
Præſentis vitæ bona fert pius atque fidelis.
Neſcit deſerere confidentes Deus in ſe.
Reſpexit vultu tranquillo conditor orbis,
Quem pius ut genitor modò commonefecit alumnum:
Reſtituens decuplum, quod ſubtraxit ſibi ſimplum:
Qui poterit facere, quos vult, opulos vel egenos.
Tempeſtè veniet, cuicunque Deus benedicet.
Ut videre Duci poſt nubila Solis oriri
Splendidius lumen: tunc ecce tepeſcere cœpit
Hoſticus ille furor. ſtant illis fœdera pacis:
Litigiis reſilire placet, pactum ſtabilire
Indice voce, manu: jam ceſſodium profitentur.
Floret præcipuus cum præcipuis honor ejus,
Atque inter primos auguſti germinis heros
Incedit primus regali matre creatus,
Regalem decorans meritis regalibus ortum.
Quando decuſatur ſibi conveniunt genus & mos.
Qui modò te cecini, Dux illuſtriſſime, gentis
Nomen habens auctor, quod tu auguſtiſſime ductor,
Nienborg natus, cognomine Roſla vocatus.
Libri lectorem Dominus det habere decorem
Cœleſtis regni, regat huncque Dei manus almi.

FINIS.

JOANN. HENRICI MEIBOMII
IN
HENRICI ROSLAE
HERLINGSBERGAM
NOTÆ.

QVæ in ſacris literis de Iſmaële, Abrahami filio, antequam lucem videret, angelus pronunciavit, quòd futurus eſſet homo ferus, omnibus infeſtus, & ab omnibus infeſtatus; id non incommodè quis accommodaverit ad HENRICUM, Alberti Magni F. Ducem Brunsvicenſem, & familiæ Grubenhagenſis, nunc emortuæ, conditorem, inquietum & turbulentum principem: qui quòd auſterè omnia ageret, nec facilè ſuâ ſorte contentus viveret, *Moroſus*, ſive ut vulgus Scriptorum loquitur, *Mirabilis*, popularibus ſuis der Wunderliche/ fuit nuncupatus. Hic in diviſione patrimonii cum fratribus, Alberto & Wilhelmo, auctoritate parentis adhuc viventis factâ, eum accepit tractum, cui hodie Eimbeca, Oſterroda, Herzberga, Lutterberga, Gebelhuſium, Duderſtadium & Grubenhaga includuntur. Fuere ei cum fratribus, quòd in hæredii diviſione ſe defraudatum quereretur, damnumque id reſarciri cuperet, perpetuæ ſimultates, quæ demum, Wilhelmo ſine liberis defuncto, in apertum bellum eruperunt, eo eventu, ut Henricus urbe Brunſwigâ, quam ſui juris fecerat, ab Alberto fuerit profligatus. Cum Comitibus Henrico Wernigerodano, & Henrico Reinſteinio, bella idem geſſit fortunâ diſſimili, quum ex arce Aſſeburgo & Herlingsberga ipſe illos ſubinde infeſtaret, rurſumque ſuam ditionem miſerrimè populari videret. Propter continuas verò ex dicta arce, ſive caſtro Herlingsberga in vicinos factas eruptiones & deprædationes, potitus tandem fuit eo etiam bello, quod Auctor noſter deſcribit, de quo paullo plenius aliquid dicere operæ pretium putamus. Situm fuit caſtrum *Herlingsberg* in edito monte contra arces Widelagam & Fineburgum, etiamnum hodie notas, prope Oucram fluvium. Conditor fertur OTTO IV. *Rom. Imp.* qui, quum adverſario ſuo, & in Imperio competitori *Philippo* Goslarienſes ſe adjunxiſſent, munitionem hanc contra eos exſtruxit. Teſtis eſt Arnoldus Lubecenſis lib. VI. cap. V. & Crancius Metrop. lib. VII. cap. XVI. quibus ſuffragatur Tidericus Langius in Poëmatio ſuo de Saxonia his verſibus:

De Brunſwick natus, fuerat Rex Otto vocatus,
Servivit Chriſto, dum mundo vixit in iſto,
Iſte coronatus in Brunſwick eſt tumulatus,
Caſtrum fundabat Herlingsberg quod nominabat.

Spangenbergius innuit hoc factum Anno CIↃ CCI. Qui verò in præſidio ibi collocati erant milites, mirum in modum Goslariam infeſtabant, ut ex civibus opulentiores quique, immanium injuriarum pertæſi, urbe excederent. Quum enim urbi ad Solis ortum immineret Herlingsberga, ad occaſum verò eſſet Lichtenberga, & in utraque præſidium tam validum, quàm ad maleficia & injurias inferendas pronum, Goslarienſes libidini petulantis militis exponebantur, quumque nec tutò portis egredi ipſis liceret, & vicini aditu ad urbem prohiberentur, deficiente inſuper annonâ, omnium rerum penuriâ graviter laborabant. Quod quum ad Philippum fama detuliſſet, oppreſſorum miſertus, exercitum conſcripſit, & contra Ottonem profectus eſt: jamque in procinctu erat, ut Herlingsbergam obſideret, verùm ab Ottone ita exceptus eſt, ut fortunam periclitari non fuerit auſus.

* Meren-

Digitized by Google

* Merentur in hanc rem legi verba Godefridi Monachi in Annalibus T. I. Rer. Germ. à Frehero editis, ad An. 1204. *Philippus Rex cum exercitu Saxoniam intravit, ut caſtrum quoddam, nomine Harlingenberg, à Rege Ottone conſtructum dejiceret. & cives Goslariæ de oppreſſione ejus & fratrum ſuorum liberaret. Sed ubi eundem in forti manu ſibi occurrere cognovit, conſilio cum ſuis habito receſſit, ſatius ratus ad tempus cedere, quàm cum hoſte male pugnare.*

Ab Ottonis obitu quem Herlingsberga dominum habuerit, adfirmare liquidò non poſſum. Auctor Chronici Rithmici MS. adfirmat eam ab Alberto Magno, Henrici Mirabilis patre, ditioni Brunſwicenſi adjectam:

Dizzhe Fürſte an Tugenden zart
Irwarpf ouch eyn türe Werch
Zo ſyner Herſchaph den Harlungenberch.

Invenio alibi id factum Anno M CC LV. quemadmodum etiam Anno M CC LXXV. *Ludolfus de Elvingerode* arcem hanc tanquam Advocatus tenuit, nomine Ducis Alberti, ut habent Antiquitates monaſterii Heiningenſis. Neque hoc ſubticere poſſum floruiſſe ſub hæc tempora familiam, quæ ſi non ſemper forte arcem Herlingsbergam poſſedit, ab ea tamen nomen ſibi uſurpavit. *Balduinus* enim & *Jordanus de Herlingsberg* milites nominantur ad annum M CC LXXVI. Jordanus etiam ab ipſo Moroſo, ſive Mirabili in literis ad annum M CC LXXXII. Anno verò M CC LXXXIIX. ſimul vixere *Jordanus, Balduinus, Henricus & Widekindus de Herlingsberg:* quorum poſtremus in vivis adhuc fuit Anno M CCC *Henricus* miles & *Bruno*, famulus *de Herlingsberg* inculcantur ad annum M CCC XIIX. & M CCC XXIV. *Henricus* autem ultimus fuit hujus familiæ, & bona quædam in feudum tenuit à Dominis de Monte, prope Mindam habitantibus: quæ ab illius obitu ad Simonem de Monte fuerunt devoluta. Ea Simon porro in feudum conceſſit Conrado ab Aſſeburg. Defuncto verò Simone, frater ejus Gerardus, ultimus familiæ Dominorum de Monte, Epiſcopus Hildeſienſis, Aſſeburgios bonis iſtis in poſterum ab Epiſcopis Hildeſienſibus inveſtiri voluit. Factum hoc Anno M CCC XCIIX. ut invenio notatum in Excerptis Hildeſienſibus, parentis mei Henrici Meibomii. Cæterùm defuncto Alberto Magno, quum filii hæreditatem paternam diviſiſſent, Henrico Mirabili primogenito, ut ante etiam monui, ceſſit ea pars, quam ditionem Grubenhagenſem nominamus, cum diſtrictu Eichsfeldenſi. Quâ ſuâ portione ille minimè contentus, ad fratrum regiones occupandas animum adjecit, intercepta etiam per vim *Herlingsberga*. Hæc res quum vicinos quoque offenderet, cumprimis tamen *Sigfridum Hildeſienſem Epiſcopum*, Principem bellicoſum, valde commovit: cujus querelis, de excurſibus & rapinis ex Herlingsberga factis, excitati Ordines Saxonici, Henrico bellum intulere, quod à Poëta noſtro deſcribitur. Pugnam Hieronymus Henningeſius in Geneal. collocat in annum M CC LXXXIV. Idem facit Joan. Pomarius in Hiſtor. Epiſc. Magdæb. ſub Erico XXVI. Defenſa autem manſit hoc temporis quidem Herlingsberga, bellique cauſsâ præciſâ pax ditioni fuit reddita, ut Auctor noſter teſtatur. Verùm ex non longo intervallo recruduit bellum, ſummis utrinque viribus redintegratum, eo tandem eventu, ut Henricus Dux ſuccumberet, arx ipſa Herlingsberga ſolo æquaretur, & ditioni cederet Sigfridi Epiſcopi Hildeſienſis, qui non longè ab eodem loco arcem exſtruxit Levenborg / ſive Lewenborg / altero miliari à Wolferbyto etiam hodie viſendam: quam poſtea iterum obſedit Henricus, ſed fruſtraneo eventu. Factum hoc non Anno M CC XC. quem inculcat Spangenbergius, ſed Anno ſequenti, ut habent Faſti Hildeſienſes, & colligitur ex Onuphrii Meinroſen Chronico Hildeſienſi MS. pluribus vero deducit Chronicon Magdeburgenſe MS. in vita Erici Archiepiſcopi, cujus verba adſcribo: *Hujus etiam tempore captum & fractum fuit caſtrum Herlingsberg, ubi idem Archiepiſcopus & cives cum eo fuerunt in obſidione caſtri, cum multis aliis Principibus & Baronibus: ubi etiam eſt ortum magnum bellum, in quo Dux de Brunſwick cum ſuis ſuccubuit. Eodem etiam anno mortuus eſt Rex Alemanniæ & Romanorum Rudolphus regni ſui Anno XIIX. & ſepultus in Spira. De his ſunt verſus:*

Poſt M. poſt duo CC. poſt nonaginta monosque,
Harlinberg capitur, moritur Rex, Dux ſuperatur.

Hactenus Chronicon Magdeburgenſe.

Digitized by Google

* Hos eosdem verſus Numerales recitat quoque *Engelbuſius* p. 260. & hæc præmittit : *Herlingesberg caſtrum fortisſimum prope Goslar capitur à civitatibus Saxonicis.*

Quamquam autem communiter caſtrum jam dictum *Herlingsberg*, ſive *Herlingberg* nuncupatur : tamen à Crancio *Herlinberg*, in verſibus modo citatis *Harlinberg* vocatur. Arnoldus Lubecenſis & Chronicon Rithmicum MS. *Harlungenberg* ſcribunt, cujus nominis montem habet Marchia ad Brandenburgum opidum, à colonis Alſaticis *Harlungis*, quos Carolus M. ex Alſatia, ſive Brisgoja eò traduxerat, id nominis ſortitum, de quibus præter Abbatem Urſpergenſem conſulatur Beatus Rhenanus. Wiperti Comitis Groicenſis majores *Hartungos* nominatos ſcribit Auctor Chronici Pegavienſis. Sed hæc obiter : ad ipſius Poëmatis enarrationem pergemus.

Verſu 2. Congreſſumq; Ducis) Per *Ducem* hic intelligit Auctor Henricum Mirabilem, quem toto fere poëmatis decurſu Ducis nomine κατ᾽ ἐξοχὴν nominat.

Ibid. Clemens Deus annue cœptis) Μίμησις eſt Virgil. ex lib. IX. Æn.

Juppiter omnipotens audacibus annue ceptis.

Præ cæteris autem Poëtis Virgilium imitatur Auctor noſter, & interdum non infeliciter, quod ſubinde notabimus.

3. *Copia Scriptorum*) Docet Auctor his ſex ſeptem verſibus, nihil eſſe potentius carminibus ad nominis memoriam gloriamque ſempiternam. Verſus, utut ſeculi culpâ ſint inconditiores, ſententia tamen elegans eſt, & vera, quam diviniore ſpiritu proſequitur Horatius lib. IV. Carm. Ode IIX.

5. *Nequaquam regnis aliis*) Salluſtius de bello Catilin. *Athenienſium res geſtæ*, inquit, *ſicuti ego exiſtimo, ſatis amplæ, magnificæq; fuere ; verùm aliquanto minores tamen, quam famâ feruntur. Sed quia provenere ibi magna Scriptorum ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At Pop. Romano nunquam ea copia fuit : quia prudentisſimus quisq; negotioſus maximè erat. Ingenium nemo ſine corpore exercebat. Optimus quisque facere, quàm dicere, ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Hæc Salluſtius ; cujus hunc locum Poëtæ noſtro in oculis fuiſſe non dubito. Queritur enim ſimiliter res geſtas Græcorum in majus laudari, quàm forte fuerint, quòd Scriptores habuerint inſignes, qui eas deſcripſiſſent : Germanorum facta obſcuriora, quòd ſcriptoribus deſtituerentur. De iis enim, ut de Romanis Salluſtius, ita Ulricus Huttenus in Heroico, de non degeneri German. ſtatu:

-- -- *Neq; enim ſcriptis calamoq; vacabant*
Utiliora armis corda & præſtantibus actis.
Maluit illa ætas, quàm ſcribere, nitier armis,
Ederéq; inſignes, quas ſcriberet altera, pugnas.

Si quid verò laudis majoribus noſtris à Romanis tributum fuit olim, id ideo factum, quod ex magno & laudato hoſte majus & laudatius obventurum ſibi ſciebant nomen. Cantilenas tamen habuerunt Germani, quibus res geſtas ſuorum celebrabant, de quibus alibi quædam dixi.

7. *Carminibus vivitur*) Cicero lib. I. de Rep. *Nullius agricolæ cultu ſtirps tam diuturna, quam Poëtæ verſu, ſeminari poteſt.* Ovidius alicubi :

Carmine fit vivax virtus, experſque ſepulchri
Notitiam feræ poſteritatis habet.

Item :

Scinduntur veſtes, gemmæ franguntur & aurum :
Carmina quam tribuunt fama perennis erit,

Lucan. lib. IX.

O ſacer & magnus vatum labor ! omnia fato
Eripis, & donas miſeris mortalibus ævum.

Adi Theocritum in Hierone, ſive Eidyll. XVI. Hoc, ſcilicet τῇ ποιητικῇ ἔδωκεν ὁ Θεὸς ταμιεύειν τὴν εὔκλειαν, *Poëticâ conceſſit Deus, ut nominis honorem diſpenſaret*, inquit Syneſius Epiſt. XLIX.

Notabis

Notabis autem hoc in loco enorme vitium, quo in leges metri peccat auctor, quod alibi etiam facit, & in media illa ſeculi ſui barbarie nemini non familiare erat. Ita peccat in voce *aſſeverantes*, *municipium*, *magnanimus*, *elegantiſſima*, *olim*, *concionator* &c. ne quid dicam de vocabulis Græcæ originationis, quibus licentioſè ubique utitur, aut de cæſuris, quas habet frequentes, & ſine exemplo bonorum Poëtarum. Sed ſeculo iſta imputanda, quo vixit.

9. *Fortia qui faciunt*) Ut Alexander M. Achillem felicem prædicavit propter præconem Homerum, ut eſt apud Ciceronem Orat. pro Archia, Symmachum lib. IX. Epiſt. LXVII. ita infelices habentur præconibus laudum ſuarum deſtituti. De iis Horatius Carm. lib. IV. Ode IX.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Urgentur ignotiq; longâ
Nocte, carent quia vate ſacro.

11. *Gens famoſiſſima*) Hoc eſt, clariſſima & celeberrima. Onomaſticon Græcolatinum: *Famoſus*, ἐπίφημος. Vocabulum enim eſt μέσον, ut & primitivum ejus *fama*. Unde Tacitus etiam *Hieroſolymam* vocat urbem *famoſam*, Hiſt. lib. V. cap. II. id eſt, celeberrimam, ut toto terrarum orbe fuit. Exempla non addo alia. Videatur Tiraquellus de Nobilit. cap. XXXI. num. XXXIIX. & ſeqq. Weitzius Notis ad Virgilii Copam. Barthius in Animadverſ. ad Claudian. de bello Gildon.

15. *Eſt ignoſcendum ſtudioſis*,) Athenis olim lege cautum erat, ne, quam primam daret Poëta fabulam, exploderetur, quod primo conatui favendum cenſerent: iniquum eſſet, ſi Auctori noſtro petenti eandem gratiam facere Lector recuſaret.

17. *Colloquium tenuere*) Hoc eſt, conventus egere, formâ mediæ ætatis uſitatiſſimâ. Galfredus Monumetenſis lib. VI. cap. XV. *De pace babenda colloquium inceperunt.* Saxo Sialandicus lib. XIV. *Henricus Bavariâ reverſus apud Eidoram ſolenne cum Danis colloquium babuit.* Græci olim dixere εἰς λόγους ἐλθεῖν, qua phraſi utitur Herodotus lib. IX. Paullo aliter uſurpat Guntherus in Ligurino lib. X. ubi ait:

Nec mora, colloquium cum Saxone poſcit habendum.

Hoc enim ibi vult dicere, hoſtem cum Saxone velle colloqui de transactione, ſive ut communiter peregrino vocabulo idem ſolemus exprimere, *parlamentare.* Ita Annales Francorum à Juſto Reubero editi, ad annum CIƆ CCCX. *Petiit ut colloquium fieret —— promittens ſe in eo cum omnibus ſuis in Imperatoris ditionem venturum.*

19. *Compromittunt*) Id eſt, omnes unanimi voce invicem promittunt, phraſi non adeò uſitata. Nam propriè *compromittere* vocabulum eſt forenſe, deque eo dicitur, ubi duo vel plures litigantium arbitrio boni viri litem ſubmittunt decidendam. Græcis eſt ἐπιτρέπειν. Poteſtas ipſa litem decidendi ἐπιτροπὴ, Latinis *compromiſſum.*

20. *Divide tres hoſtes per pacem, prælia, treugas*) Elegans & notabile hoc monitum eſt politicum, non eſſe uno eodemque tempore cum duobus tribusve hoſtibus belligerandum: qui ſi præter opinionem immineant, cum uno pacem, cum altero inducias faciendas, ut tertii impetus eò faciliùs ſuſtineri, roburque ejus infringi poſſit.

--- χαλεπὸν γὰρ ἐρυκακέειν ἕνα πολλούς,
---- *Difficile eſt uni compeſcere multos*,

inquit Homerus Odyſſ. T. Neque ignominioſum multitudini cedere, quum ne quidem Herculi fortiſſimo contra duos pugnare viſum fuerit, ut originem ex eo ſumpſerit proverbium, μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο. de quo vide Eraſmum. Non longe à Poëtæ noſtri conſilio abit ſententia Rudolphi I. Imp. apud Albertum Argentinenſem: *Quicunque*, inquit, *tres lites habet, duas, ſi poterit, reformet: boc eſt conſilium meum.* Sequutus id conſilium Philippus Macedo, de quo Juſtinus lib. VII. cap. VI. *Quoniam omnibus par eſſe non poterat, diſpenſanda ratus, alia interpoſitâ pactione componit, alia redimit, facillimis quibusq; ingreſſis, quorum victoria & militum trepidos animos firmaret, & contemptum ſibi hoſtium demeret.* Vide apud eundem de Hercyllide Lacedæmoniorum Duce, lib. VI. cap. I. *Treugæ* autem hic idem ſunt quod induciæ. Guilielmus Neubricenſis: *Induciæ, quas treugas vocamus.* Apud JCtos titulum invenias *de treuga & pace:* eſtque ipſis *treuga* ſecuritas præſtita rebus & perſonis, diſcordiâ nondum finitâ: ſive,

Digitized by Google

ſive, ut preſſius dicam, ceſſatio à bello pactitia. Græci *ἐκεχειρίας* vocant, *παρὰ τὸ ἔχειν τὰς χεῖρας*, *ab abſtinendis manibus*. Apud Robertum de Monte ſcribitur *Treviæ*, quod convenit cum vulgari illo Treves: Itali *tregua* dicunt & *triegua*, *ſoſpendimento d'arme:* armorum ſuſpendium: Græci recentiores *τρέβα* & *τρέυα*, de quibus vide Jo. Meurſium, Gloſſario Græco-barbaro.

21. *Ardua qui*) Hoc Itali eleganter dicunt:

A caderuà, chi troppo in alto ſale.
Caſum minatur quiſquis altius ſalit.

Ibid. Recidivat ad imum) Id eſt, recidit, ſive rurſus decidit. Verbum eſt ſequioris ſeculi. Papias Lexico: *Recidivare, revocare, poſt lapſum reparare.* Item: *in infirmitatem iterum cadere.* Huguwitio: *Recidivare, renovare, poſt caſum reparare.*

28. *Primates, Satrapas*) Intelligit Principes, dominos, proceres regionis. verſu 37. *primores* vocat. De omnibus vide parentem meum in Vindiciis Billinganis.

41. *Ille minus, quàm dura ſilex*) Expreſſum ex Virgilii illis lib. VI. Æn. de Didone:

Nec magis incepto vultum ſermone movetur,
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

42. *Quod ei nova factio ſurgat*) Factionem Nonius ait ſumi pro *opulentia* vel *potentia intoleranda.* Pro *opulentia* ſumit Plautus Ciſtellar. act. II. ſc. I. & Aulular. act. II. ſc. I. pro *potentia intoleranda* Bacchid. act. IV. ſc. IIX. Joſ. Scaliger in Notis ad Manil. lib. I. & V. explicat factiones Græcè per *αἱρέσεις, πράξεις.* Gloſſarium vetus *Factio, συσκευή.* Eſt autem *συσκευὴ* Herodiano lib. III. *fraudulenta molitio, inſidiarum ſubornatio, captatio*: quo ſenſu factionis nomen etiam heic loci uſurpatur, & apud Suetonium in Claudio cap. XIII. *Sed & à ſingulis per factiones, & deniq; civili bello infeſtatus fuit.*

43. *Mens eſt quippe viri prænoſtica*) *Prænoſtica*, quaſi præſcia, à verbo *prænoſcere*, quod eſt præſcire, prædivinare, quo utuntur Plautus Aſinariâ actu I. ſc. I. Cicero lib. I. de divinat. Notiſſima autem ſententia dicit, mentem humanam futuri ſæpe prædivinatricem ac præſagam eſſe, quod Auctores etiam alii ſæpe inculcant. Cicero loco dicto: *Cenſent eſſe in mentibus hominum, tanquam oraculum aliquod, ex quo futura præſentiant.* Hinc apud Virgilium Æn. lib. XII. *Præſaga mali mens:* apud Ovidium lib. II. Metam. fab. I.

— *præſagaq; luctus*
Pectore ſolitico ſuſpiria:

Et lib. II. de Ponto El. IIX.

— *timidæ præſagia mentis.*

Livius lib. XXV. *Ad Romanos nondum quidem tantæ cladis notitia pervenerat, ſed tamen mœſtum quoddam ſilentium erat, & tacita divinatio; qualis jam præſagientibus animis imminentis mali eſſe ſolet.*

44. *Paullo metitur*) Metitur animo, & expendit, perpendit, æſtimat rei magnitudinem. Ovidius lib. II. Metam. fab. I. de Phaëtonte:

Quid faciat? multum cœli poſt terga relictum;
Ante oculos plus eſt: animo metitur utrumq;.

Claudianus lib. II. de raptu Proſerp.

It Venus & raptus metitur corde futuros.

47. *Oceanumq; mare*) Catullus Carm. penult.

Uſq; ad Hyperboreos, Oceanumq; mare

Ita duo ſubſtantiva conjunguntur, quorum tamen alterum vicem ſubit adjectivi, loquutione apud bonos auctores non inuſitata. Ciceroni hoc modo dicitur *lapis ſilex*, Horatio *ſtertinium acumen*, Perſio *juvenes curæ*, & *heroës ſenſus*, Martiali *dominum ſupercilium*, & *famulum nemus*. Exempla plura alia collegerunt viri clariſſimi Joſephus Scaliger in Catalectis, Jo Meurſius ad Lycophronem, & alii.

Ibid. Mihi ſervit & ultima Thyle) Hemiſtichium eſt à Virgilio mutuatum ex lib. I. Georg.

Tibi ſerviat ultima Thule.

Thylen autem inſulam cum Arnobio lib. VI. adverſus gentes & Jornande lib. de rebus

Gothic.

Gothic. Poëta noſter vocat, quam auctores cæteri *Thulen*; Ptolomæus, Strabo, Græcique alii θύλην. Vocat *ultimam* cum Virgilio, Arnobio & Seneca Medeâ, act. II. *procul axe remotam* Claudianus: *ignotam, nigram* & *nigrantem* Statius. In Oceano Hyperboreo ſive Septentrionali omnes collocarunt, quæ verò hodie illa ſit, de eo

Geographi certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Tu vide præ cæteris Guil. Camdenum, in deſcript. Britan. ſub fin. Petrum Bertium, & Jodocum Hondium in deſcript. Islandiæ, tum verò Phil. Cluverium lib. III. German. antiq. cap. XXXIX.

52. *Qui fœdus caſſat amici*) *Caſſare* verbum eſt bonis auctoribus ignotum: recentioribus eſt delere, exauctorare. Formatur à voce *caſſus*, quæ inane, orbatum, vacuum, privatum ſignificat. Onomaſticon Latino-græcum: *caſſum*, κενόν. Priſcianus lib. XI. à *careo* deducit; Nonius à *caſſibus aranearum*: alii à caſu. Sunt quibus quaſi *quaſſum* dicitur. Lucretio lib. III. *caſſum animâ corpus*, eſt mortuum: ut Virgilio lib. II. Æn. *lumine caſſi*, & lib. IX. *æthere caſſi*, ſunt vita functi: Afranio *caſſa terricula*, minæ inanes. Symmachus lib. I. Epiſt. IX. *Credo planè, nec fides caſſa eſt:* quod Virgilius lib. IV. Æn. dixit:

Credo equidem, nec vana fides.

Auctor noſter infra *agrum vomere caſſum*, vocat aratro non ſubactum. *Fœdus* autem *caſſare* hoc loco eſt, tollere, reſcindere.

55. *Invoco te teſtem*) Formula ſolennis Deos ἵστορας, ἐπιμάρτυρας, *teſtes & conſcios* invocandi. Vide nos in Comm. ad Jusjur. Hipp.

59. *Tam bene nullus agit*) Theognis ἐν γνώμαις.

— — οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς,
οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων
— — — *Neq; Juppiter ipſe,*
Seu pluvius, ſeu ſit ſiccus, ubiq; placet.

Trebellius Pollio in Poſthumo II. *Nusquam gentium reperietur, qui poſſit penitus approbari.*

63. *Quæ proponit homo*) Deſumpſit ex Salomone Proverb. XVI. *Mens hominis de ejus via deliberat, ſed ejus greſſum componit Jehova.* Vulgo dicimus: *Homo proponit, Deus diſponit.*

65. *Epulis reficitque perunctis*) Id eſt admodum delicatis, ſumptuoſis, lautis, Catullus

---- ---- *Quid hic poteſt,*
Niſi uncta devorare patrimonia?

id eſt: ampla & opima. Perſius Sat. III.

Uncta cadunt laxis tum pulmentaria labris.

Plautus Pſeudolo act. I. Sc. II.

Pulmento utor unctiuſculo.

67. *Baſilei*) Utitur voce hac Abbo de obſidione Lutetiæ Pariſ. lib. I.

Urbs mandata fuit Carolo nobis baſileo.

Loquitur autem de Carolo de Baguera, ſive de Bovera, qui & Craſſus, rege Francorum. At Auctor noſter per *baſileos* intelligit Principes, Duces in Henricum Moroſum confœderatos, quos paullo ante primates, primores & ſatrapas vocarat. Propriè dicas *regulos.* Ammianus Marcellinus lib. XIIX. *Reges omnes & regales & regulos ad convivium corrogatos.* Etiam Homerus paſſim *Duces* ſuos *reges* nominat: & Manilius lib. II. Priami filios reges vocat, atque ipſum ait eſſe

---- *quinquaginta regum regemq; patremq;*

Extat apud Goldaſtum in Conſtit. Imper. Epiſtola Ludovici Junioris Imp. ad Baſilium Imp. Conſtantinop. qui ſibi ſoli βασιλέως titulum arrogabat; ubi Ludovicus hæc inter alia habet: *Gentium ſingularum monimentis interim poſtpoſitis, ſacræ nobis affluenter hiſtoriæ monſtrant, plurimos fuiſſe Baſileos nuncupatos. --- Invenies plurimos tali nomine vocitatos, & non ſolum Græcorum, ſed & Perſarum, Epirotarum, Indorum, Bithynienſium, Parthorum, Armeniorum, Saracenorum, Æthiopum, Vandalorum, Gothorum & aliarum gentium prælatos Baſileorum appellatione veneratos.*

68. *Veredariis*) Procopius Orat. I. de bello Vandal. & lib. V. de ædific. Juſtin.

βερεδαρίους vocat. Sunt autem Principum Regumque nuntii & tabellarii, ſic dicti; quod *veredis* uterentur, equis ταχυδρόμοις & velociſſimi curſus. Caſſiodorus Var. lib. IV. ep. XLVII. *equos curſuales* vocat, & lib. VI. ep. VI. laudat eos ab oportuna velocitate, & quod eorum ſtatus ſemper in curſu ſit. His per iter diſpoſitis, & per ſtationes ad celeritatem mutatis, veredarii utebantur, ut eò velocius, quò deſtinabantur, pervenirent, ac principes ſine mora eorum, quæ ubique locorum gererentur, certiores reddi poſſent. Vide de Perſarum veredis Herodotum lib. IIX. Si plura deſideras, adi Guidum Pancirollum, Comm. in Notitiam Imp. cap. VI.

Ibid. Deſidant) Legendum *diffidant*. Eſt autem *diffidare*, bellum denunciare; *diffidatio* & *diffida*, ipſa denuntiatio, & initium quaſi belli. Vir doctus Matth. Martinius Lexico Etymol. non ineptè vocem deducit ab antiquo *feida* ſive *faida*, quæ vox exſtat in Legibus antiquis Longobardorum & Saxonum, ex Germanico Fehde / quo inimicitia ac bellum denotatur. Unde beſehden / bellum inferre, Ohrfede / juramentum ſive teſtatio, quâ quis inimicitiis renuntiat & ultionibus: & *diffeida*, ſive *diffida*, indictio belli, & *diffeidare*, ſive *diffidare*, bellum indicere. Neceſſitatis autem olim eſſe cenſebant indicere prius bellum, quàm inferre, ne primus in id erumpens, aut alterius ditiones invadens, pro latrone haberetur. Hinc Livius lib. XLVI. de veteribus Romanis ait eos, *indicere prius quàm gerere ſolitos bella, denunciare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi eſſent.* Quomodo tamen iſta limitanda, vide apud magnum Grotium lib. III. de Jure belli cap. III. num. VI. & ſeqq.

75. *Exercitibus ſtipendia larga pluuntur*) Apulejus in princ. Floridor. *Totum illud ſpatium qua pluitur & ningitur,* Appoſitè autem hoc loco uſus eſt Poëta voce *pluuntur.* Etenim pluvia larga opus eſt pecuniæ in bello, ut exercitui numeroſo de ſtipendiis, aliiſque ad uſum neceſſariis, ſatisfiat; nec numerari ferè poteſt id æs, quod hic erogandum. Scitè olim ille magni nominis belli dux, Joan. Jacobus Trivultius, qui interrogatus, quas res maximè ad gerendum bellum putaret neceſſarias, reſpondit, *pecunias, pecunias, atque iterum pecunias*: tantam nempe earum vim, quæ immenſa eſſet, atque exprimi vix poteſt. Et alter quidam, Capitaneus Luſitanus, conſultus à Sebaſtiano Protugalliæ Rege, qui de expeditione in Barbariam conſilia animo agitabat: tria gerendo bello requiri dixit flumina, quorum prius militem, alterum commeatum, tertium pecunias continuò advectaret.

78. *Et Chalybum maſſæ*) Virgilius in octavo divini operis dixit, *Stricturas Chalybum. Chalybes* populi metallis abundantes. Unde *Chalybum metalla* apud eundem Poëtam in decimo.

80. *Non hìc unigena fabricatur machina*) Non unius, vult dicere auctor, conficiuntur generis machinæ, ſed plurium. Quemadmodum autem Romanorum machinæ bellicæ complures ab animalibus nomen ſortiebantur, ut *aries, cuniculus, ericius, teſtudo, ſcorpio, muſculus, onager*, de quibus Servius ad Virgilii Æn. lib. XI. & Iſidorus Orig. lib. XIIX. Ita morem hunc Germani imitati, ſuis etiam machinis animalium nomina indiderunt. Noſter auctor nominat *hirundinem, ſuem, aſellum* & *arietem.* Otto de S. Blaſio, continuator Ottonis Friſingenſis, addit *talpam, vulpeculam, eritium, cattum.* Chronicon Colmarienſe *cancrum.* Urſpergenſis Abbas, & Chronicon incerti auctoris editum à Chriſtiano Urſtiſio, notant imperante Ottone IV. Imp. cœpiſſe uſum inſtrumenti bellici, cui nomen *Tribock*: Matthæus Pariſienſis in Hiſtor. Anglic. nominat *Tribunculum*: Carolus Sigonius lib. XI. de Regno Italiæ, *Trabuchum.* Præter has verò ab animalibus denominatas machinas, auctor noſter mentionem facit *librillæ*, ſic dictæ,

--- --- *quaſi ſaxea pondera libret.*

Apud alios aliæ recenſentur, ut *Petrariæ* apud Turpinum in vita Caroli M. cap. IX. Joannes Monachus in vita Ganfredi Ducis Andegavenſis *Petroritas* vocat. *Clitæ* ſunt apud Auctorem vitæ Caroli M. à Pithœo editum: *Trojæ*, apud Turpinum loco cit. *Mangas* habet Radevicus lib. II. cap. XLI. quas Auctor Chronici Hieroſolymit. à Reineccio evulgati lib. VI. cap. IX. & ſæpe alibi *Mangenas*: Sigonius *Manganas*: Joannes Monachus & Anonymus ſcriptor Græcus apud Jo. Meurſium in Lexico Græco barbaro, *Mangonellas* vocant. Ottoni Friſingenſi de geſtis Frid. I. Imp. lib. II. cap. XVI. dicuntur *Margæ.* Georgius Fabricius, Orig. Saxon. lib. VI. meminit *Blidæ*, quam

quam phalaricæ Romanæ ſimilem facit. *Falces* memorantur Roberto Monacho lib. IV. de bello ſacro: *Briccolæ* Sigonio loc. cit. Harum autem machinarum illâ ætate tantum artificium erat, inquit Sigonius, ut quarundam impetu vaſti etiam molares in ſublime torquerentur. Inventis verò hodie tormentis æneis omnium uſus exolevit. Cæterùm machinæ iſtæ omnes generali nomine ſcriptoribus vocabantur *ingenia*, ut eſt apud Robertum Monachum lib. II. cap. XXIX. lib. VI. cap. II. & IX. lib. VII. cap. II. & paſſim alibi. Vide etiam Auctorem Chron. Hieroſol. lib. IV. cap. XXXV. & Guil. Britonem lib. VII. Idque exemplo Tertulliani, qui *ingenia* appellat inſtrumenta vel machinas, & quæcunque artificia, quibus aliquæ operationes eduntur, ut obſervat nobiliſſimus Salmaſius Notis ad Simplicii Comm. in Enchirid. Epict. Atque etiam hodie Itali *ingegno*, ſive *ingenium* uſurpant pro machina, & *ingegnere* vocant præfectum machinarum, quem Galli *ingegneur* dicunt. Quales autem ſingulæ fuerint machinæ recenſitæ, & in quem uſum fabricatæ, perquam difficile fuerit explicare. Si tamen conjecturis aliquid tribuendum, *Librillam* Auctoris noſtri, ex *baliſtarum* genere fuiſſe autumem: *Aſellum*; ad Onagrum Romanum retulerim. *Tribunculus*, ſive *Tribock* ex nominis Germanici etymologia ad *Arietem* ſpectabit. Deſcriptionem *Catti* & *Cancri* habet Chronicon Colmarienſe. De *Catto* etiam Sigonius lib. XIX. *Sattum fecit*, inquit, *qui anteriore ex parte flammam evomebat, in poſteriore verò armatos incluſos haberet.* Machinas cæteras cum Romanis Lector ulterius conferre poterit, & lucem his aliquam addere ex Vegetio & Lipſio de militia Romana. Hoc tantùm addo, hodie etiam tormenta bellica ænea animalium ferè nomina ſortiri. Ex iis ſunt apud Leonh. Fronſpergerum de jure & re milit. part. 1. lib. IIX. & part. II. in princ. *Baſiliſcus*, *Serpens*, *Philomela*, *Syren*, *Sus*, *Simia*, *Ruſticus*, *Bos*, *Satyrus*, *Falco*, *Falconeta*, ſolo pondere, & glandis, quam emittunt, quantitate & magnitudine ferè differentia.

86. *Præſul Sifridus Hildesheimenſis*) *Sigfridus* hic ante adeptum Epiſcopatum Hildeſienſem Decanus fuit Eccleſiæ Magdeburgenſis: Chronicon monaſterii S. Michaëlis apud Hildeſienſes MS. ab hoc Sigfrido caſtrum Herlingsberg deſtructum teſtatur, & non longè ab eo aliud exædificatum, cui nomen Levenburg / ut à principio monui.

88. *Magdeburgenſis*) Intelligit *Ericum Archiepiſcopum XXVII.* qui unà cum civibus ſuis contra Henricum Moroſum profectus, captus & in vincula conjectus fuit. Vide infra, num. 114. & 148.

89. *Hermannus de Blanckenburg*) Fuit hic Halberſtadenſis Eccleſiæ Canonicus, dignitate Portenarius, ut vocant, ſub Volrado Epiſcopo decrepito, qui circiter annos XLII. ſedi præfuit, ac ætate ingraveſcente Guntherum Mansfeldenſem Præpoſitum, Albertum Aldenburgenſem Decanum, Gebhardum Querfurtenſem Cellarium, & Hermannum Blancoburgenſem Portenarium, vicarios habuit. Fervente igitur civili hoc bello, ad commune negocium amandatus eſt Hermannus. Idem non longè à geſto bello hoc, anno nempe M CC XCV. Præpoſitum egit S. Bonifacii apud Halberſtadenſes, duobus poſt annis in Epiſcopum electus, quæ cauſſa eſt, ut ab auctore noſtro dicatur

Jam ſucceſſurus cathedrali dignus honore.

93. *Otto Saxonicus Dux*) Hic libenter fateor, aquam mihi hærere. Quis enim hic Otto fuerit, Dux Saxoniæ & Elector, juxtà cum ignariſſimis ſcio. Nullum enim hujus nominis, quanta etiam diligentia inquiſierim, in annalibus aut Genealiographis noſtris invenio, qui circa annum M CC. LXXIIX. quo bellum hoc Herlingsbergenſe depugnatum fuit, vixerit. Inculcant Joannem I. Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ ducem & electorem, qui annis ante hanc pugnam quinque, anno M CC LXXIII. Rudolphum elegit Habsburgium, diemque ſuum obiit anno M CC LXXXV. Inculcant Albertum II. Saxoniæ ducem & electorem, Joannis I. fratrem, qui anno M CC XCII. poſt pugnam hanc anno XIV. elegit Adolphum Naſſovium, ſub quo vixit Auctor noſter. De Ottone Saxoniæ duce & electore altum ſilentium: quem ſi quis me in hiſtoria Saxonica verſatior docuerit, is ſolidam à me inierit gratiam.

98. *Martius Albertus juvenis*) Alberto, Henrici Moroſi fratri, à corporis craſſitie nomen fuit *obeſi*, ſive *pinguis*. In hoc poëmate *Martius juvenis* appellatur, quod

Digitized by Google

inde factum autumo, quòd vivente adhuc patre cum principibus aliquot & Dynaſtis in Boruſſiam profectus fuerat, auxilium ferens Ordini Teutonico cum vicinis Sarmatis, à fide Chriſtiana deſciſcentibus belligeranti. Idem fecerat pater ejus Albertus Magnus, anno MCCLXV. ut teſtantur Additiones ad Schaffnaburgenſem.

Ibid. Wilhelmus Ephebus) De hoc videatur parens meus Henricus Meibomius, Notis ad Aur. Bull. Andronici Imp. ubi Crancium & Henningeſium refutat, quorum alter in pueritia, alter in infantia Wilhelmum obiiſſe ſcribunt. Eosdem certè & Auctor noſter refellit, dum Wilhelmum ephebum facit & militiæ ducem, quorum utrumque vel puero vel infanti convenire nemo ſanus dixerit.

99. Sunt deſolanda) Reſpicit Auctor Salvatoris noſtri axioma politicum, quod is profert apud Matthæum cap. III. verſ. 24. & Lucam cap. XI. verſ. 15. *Si regnum in ſe dividatur, non poteſt regnum illud ſtare.*

100. Revera cenſum) Hæc Criſpi Salluſtii in bello Jugurth. ſententia eſt, ſemper laudata & pro oraculo quodam habita: *Concordia res parvæ creſcunt; diſcordia maxumæ dilabuntur.*

101. Amplior amplificis) Hac formatione Plauto Epit. act. I. ſc. I. dicitur *furtificus*; & eidem apud Varronem lib. VI. de L. L. *furnificus*: Lucretio *lætificus*; *horrificus & terrificus* lib. I. II. & VI. Apuleio in Apol. *candificus*: Gellio lib. XIX. cap. IV. *algificus*: Paſchaſio Ratberto Carm. in lib. de Corp. & Sangu. Dom. *almificus*. Gunth. Ligur. lib. II. *regificus*.

Ibid. Luneburgenſis juvat hos Dux) Fuit hic Otto, *Strenuus* cognomento, *Joannis* Ducis Luneburgenſis F. qui patre Anno M CC LXXVII. defuncto gubernationem Ducatus adiit, ut habet Chronicon Rithmicum MS. Hic Henrirum Mirabilem ſecundo agnationis gradu contingebat, ut auctor hic innuit, & ex ſubjecto ſchemate liquet.

Otto, cognomento Puer, primus Dux Brunſvicenſis.

Joannes Dux Luneburgenſis.	Albertus Magnus Dux Brunſvicenſis.
Otto Strenuus.	Henricus Mirabilis.

Ottonis hujus Strenui titulus, ut in literis ab ipſo datis habetur, hic fuit: *Otto Dux de Brunſwic ac Dominus in Luneburg.*

103. Alares quin exhibeat.) Quos Auctor hoc in loco & Tacitus Annal. lib. III *Alares* vocat, eos Cæſar *Alarios* nuncupat. Livio lib. X. ſunt *Alares cohortes & Alarii equites*. De his prolixè vide Lipſium lib. II. de milit. Rom. Dial. VII.

104. Marchio magnanimus, ſignatus arundine frontem.) Hic eſt *Otto*, ejus nominis IV. Marchio Brandenburgenſis, Joannis F. cognomento *Sagittarius*, Germanice. Mit dem Pfeill. Fertur enim Anno M CC LXXIIX. in oppugnatione opidi Statsford ſagittâ ictus, cujus ferrum toto anno, antequam commode evelli poſſet, circumferre coactus fuit. Sigfridus Presbyter lib. II. ad annum M CCC IV. vocat *Ottonem cum telo*. Per *arundinem* autem, quo vocabulo Poëta hic utitur, ſagittam intelligunt auctores, ex arca ad ſauciandum evibratam. Virgilius lib. IV. Æn.

---- *Hæret lateri lethalis arundo*

Et lib. VI.

— — *actaq; multo.*
Perq; uterum ſonitu, perq; ilia venit arundo.

Statius lib. IV. Thebaid.

Terga Cydoneâ Corythos arundine pulſat.

Silius Italicus lib. II.

Ecce Cydoneâ violatus arundine plantam.

Alio nomine *calamum* vocant. Ovidius lib. VII. Metam. fab. 28.

Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.

Plinius lib. XVI. *Calamis populi Orientis bella conficiunt.* Sed de arundine & calamo quæ huc faciant, vide apud Jo. Bodæum Comm. ad Theophr. Hiſt. Plant. lib. IV. cap. XII.

110. *Pa-*

Digitized by Google

110. *Patruus ſuus Otto, Totus Chriſticola, totus pietatis amator.*) Intelligit Alberti II. Marchionis Brandenburgenſis filium *Ottonem*, qui à ſtudio religionis, pro qua etiam arma contra Saracenos induit; & beneficentia erga pauperes, *Pii* ſive *Benefici* cognomen invenit. Fuit autem patruus *Ottonis cum telo*, ſive *Sagittarii*, de quo modo dixi. Si verò hic prælio ad Herlingsbergam interfuit, neceſſe eſt fuiſſe grandævum, & tam Henningeſium, quam Reusnerum, ejus obitum in annum M CC LXVII. collocantes, à vero aberraſſe.

114. *Præter Marchio, cui nomen Albertus*) Hic alter *Joannis* Filius, *Ottonis IV.* ſive *cum telo* fuit frater, *Ottonis Pii* patruus, qui ut huic prælio interfuit, ita non diu eidem ſupervixit, eodem hoc anno ἄπαις decedens, ut habet Henningeſius. Id in prælio factum putat Reusnerus. Schema cognationis horum inter ſe ſubjicio.

Albertus II. Marchio Brandenb.
Elector IV.

Joannes I. Elector V.	Otto III. Pius vel Beneficus Elector VI.

Otto cum telo, ſive Sagittarius.	Albertus.	Ericus Canonicus Colonienſis & Halberſtadenſis, deinde Archiepiſc. Magdeburgenſis XXVI. quem in prælio Herlingbergenſi captum jam diximus, ad verſum 88.

116. *Anebalt Princeps Otto.*) Intelligi puto *Ottonem*, filium *Henrici I. Bernardi* Saxoniæ Ducis nepotem: *Bernardi I. & Sigfridi* Anhaltinorum Principum fratrem, qui anno M CCC XV. in fata conceſſit.

117. *Bernardus de Berenborg*) Hic, ni fallor, fuit *Bernardus II. Bernardi I.* filius; *Ottonis & Sigfridi* ex fratre nepos. Obiit hic Anno M CCC XIIX. tribus poſt Ottonem patruum annis.

119. *Albertum de Kotene.*) Intelligo *Albertum* Anhaltinum principem, quem *Seniorem* reſpectu filii ὁμωνύμου vocant Annales: *Sigfridi* filium, *Ottonis & Bernardi* ex fratre nepotem, qui obiit Anno M CCC XVII. Schema agnationis eſt ſequens.

Henricus I. Bernardi Ducis Sax. F. Princeps
Anhaltinus.

Sigfridus, alii Sigismundum vocant.	Bernardus I.	Otto obiit 1315.
Albertus Senior obiit 1318.	Bernardus II. obiit 1318.	

120. *Saxoniæ nemus eſt, viginti millibus & ſex Porrectum*) Silva *Hercynia* Eratoſtheni, teſte Cæſare lib. VI. de bello Gall. etiam nota fuit, *Orcynia* dicta, Ptolomæo & Straboni ὀρκύνιος & ἑρκύνιος δρυμὸς ſive *Hercynius ſaltus*, Plinio *Hercynium jugum*. *Montes* in ea ſilva, inter quos *Bructerus* noſtratibus notiſsimus, vulgò der Brocken/ item der Blocksberg/ *Hercynii* dicuntur: Helmoldo lib. I. cap. XXVI. *montes Hartici*. Silva ipſa per totam ferè Germaniam diffuſa, aliis in locis aliud ſortitur nomen, priſcum illud in ſolius Saxoniæ inferioris Ducatu Brunſvicenſi retinet & vulgò der Hartz dicitur, ut Rhellicanus in Annotat. ad Cæſarem, & cum eo ferè Althamerus ad Tacitum notant. Raymundus Marlianus ad Cæſarem ab *Hercyno monte*, quem hodie ignoramus, dictam voluit. Althamerus & Glareanus ad lib. VI. Cæſ. à *pice* ſive *reſina*, quam Germani Hartz vocant, derivant: quod reſiniferis arboribus redundet, & reſinæ copiam magnam gignat. Auctor noſter à *duritie* deducit. Quod enim *durum* eſt Latinis, id noſtri dicunt Hart: quaſi omnia in iſto tractu ſint ſolidiora & duriora, incolæque ipſi homines ſint aſperi, furioſi, nec ferrum mortemque formident: quales Arctoos omnes in frigidis locis prognatos Lucanus eſſe ait:

Omnis in Arctois populus quicunq; pruinis
Naſcitur, indomitus bellis & mortis amator.

quales etiam Virgilius Trojanos deſcribit Æn. lib. XI.

> ---- *quos nulla fatigant*
> *Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.*

Sive verò latitudinem, ſive longitudinem ſilvæ Hercyniæ intelligat Poëta, patere illam ait XXVI. millibus paſſuum. Quod intelligendum non de priſca illa Hercynia ſilva, quæ major omnino fuit, ſed de ea, quæ auctoris tempore ita vocabatur, quæque adhuc hodie priſco nomine inſignitur. Nam Cæſar latitudinem priſcæ illius IX. dierum iter expedito patuiſſe ſcribit; quumque initium ponatur ad Rheni ripam, finem etiam LX dierum iter progreſſo ignorari adfirmat. Vide Cluverium Germ. Antiq. lib. III. cap. XLVII.

129. *Tredecim duxere Barones: Blanckenburg, Reinſtein*) Hi Comitatus, ſive Dynaſtiæ, aut Baronatus deſierunt omnes, exceptis *Mansfeldiæ*, *Stolbergenſi* & *Barbyenſi* Comitatu. Archiepiſcopæ Magdeburgenſi ceſſere *Quernfurtum* & *Hademerſchlebia*: Ducibus Brunſvicenſibus *Honſteinium*, *Blanckenburgum* & *Reinſteinium*: Comitibus Mansfeldiis *Hakeborna*, *Arnſteinium* & *Scrapelovia*: Stolbergenſibus *Wernigeroda*: *Falcoſteinium* paret Aſſæburgiis nobilibus. Videatur de familiis iſtis Joannes Hoppenrodius in Genealog. Saxon. & Hermannus Hamelmannus in famil. emort. Comitatus *Reinſteinenſis*: à Tiderico Langio, in Encomio Saxon. vocatur *Regenſteinenſis*. Sed verior ſcriptio prior. Nomen enim accepit Comitatus ab arce primaria, quæ quòd ex puro & ſolido ſaxo habitacula omnia, cellas, ſtabula, magno labore & opere habeat excavata, nomen obtinuit, ut vernaculâ linguâ Reinſtein / quaſi *purus lapis* nuncuparetur. *Barbyenſis* familia veteribus inſtrumentis ſcribitur nunc *Barboge*, nunc *Barbuje*. Noſtri auctoris ſcriptionem ſequitur is, quem dixi, Tidericus Langius. Memini ex parente meo me audire, in Antiquitatibus monaſterii Mariævallenſis à Waltero de Barboje ad annum M LXIV. Walterum ab Arnſtein vocari patrui ſui filium. Ex quo is conjiciebat unam eandemque familiam fuiſſe Barbyenſium & Arnſteiniorum: quum & inſignia eadem, nempe aquila, id confirmare videantur. Adſcribam ex Tiderico Langio verſus aliquot, qui huc facere poſſint, quod pleroſque Comitatus & Dynaſtias ab auctore noſtro commemoratas exprimant, nonnullaſque alias, quæ in Saxonia olim viguere, addant. Sunt autem hi ſequentes:

> *Barones, Comites tenet & Saxonia dites,*
> *Nobilitas illos magnos, ornatque puſillos:*
> *Everſtein, Daſſel, Hardenberg, addito Pleſſe,*
> *Woldenberg, Heimborg, Werningrod, poſtq; ſit Homborg,*
> *Staden, Barbuje, poſt Hademerſleve, Hoge,*
> *Wantsleve, Scartfelde, Blanckenborg, Quereneforde,*
> *Mansfeld, Valckenſtein, Werberge, ſive Regenſtein,*
> *Lindaw, Scöenborg, Dannenberg, Scermbeke, Wunſtorp.*
> *Hi principantur, multis caſtris dominantur,*
> *Montibus & ſita ſervant ſua caſtra polita.*

143. *Stirps regalis, reges genitura.*) Virgilius Æn. lib. IX.

> *DIs genite & geniture Deos.*

146. *Peſtem ſubleſtia ſparget.*) Gloſſæ Iſidori: *Subleſtia, infirmitas, triſtitia. Subleſtis, infirmus, triſtis.* Feſtus: *Subleſta ſunt infirma, tenuia.* Nonius; *Subleſtum eſt leve, frivolum.* Hinc Plautus Bacchid. actu III. ſc. 1. & Perſa act. III. ſc. 1. *ſubleſtam fidem*, dixit levem, infirmam: & Nervolaria *vinum ſubleſtiſſimum*; quod, ut Feſtus vult, vel animo vel corpore infirmos facit. Joſ. Scaliger Notis ad Copam interpretatur languidum & ἐκλελυμένον. Addit vocem *ſubleſtum* ad alia translatam, ſumi pro evanido, tenui, languido. Unde ego hic *ſubleſtiam* interpretor inanitatem, vacuitatem, indigentiam. Ut ſenſus ſit: in pace abundaturam copiam frugum, ab earundem verò ex bello penuriam orituram peſtem. Annonæ enim indigentiam & famem conſequitur peſtis, dum fami ſolandæ homines rebus ſæpe abominandis ventrem ſaburrant.

151. *Regis & Auguſti virtus quæ qualis Adolphi.*) Intelligit Auctor *Adolphum Naſſovium* Imp. Quia verò de hoc ut vivente & imperante loquitur, liquere inde tempus

Digitized by Google

tempus poteſt, quo ipſe Auctor vixit. Adolphus enim ad Imperii gubernacula evectus eſt Anno M CC XCII. vitâ verò & imperio excidit Anno M CC XCIIX. cæſus ab Alberto Auſtriaco.

154. *Peſtis certe.*) Quod Hippocrates noſter, lib. de Arte, de ægrotis deſperatis dicebat: Ad artem pertinere, eorum, qui à morbis ſint victi, curam non attingere, quod ſanare tales medicina non poſſit: Id liceat mihi ad hunc verſiculum accommodare: qui adeò corruptus eſt totus, ut & medici manum omnem reſpuat, & ſi admitteret, decollet tamen ſpes reſtitutionis.

155. *Non concuſſere Leonem.*) Hoc nominis Henrico ſuo dat Poëta ob animi robur & fortitudinem, qua abavum ſuum, Henricum Leonem æquare videbatur, de quo mox quædam dicemus.

159. *Jactet magnanimo ſe Veronis Tiderico*) *Verona* nobiliſſima & notiſſima Italiæ urbs auctori noſtro *Veronis* dicitur, quâ licentiâ etiam infra verſu 206. *Bremam* appellavit *Bremin.* Loquitur autem de *Theodorico Amalo*, Theodemiri F. Walamiri N. Gothorum Regulo, qui Italiam ingreſſus, Odoacro Herulo, primo Italiæ Rege aliquotiens victo & fugato, tandemque interfecto, regnum invaſit, eique præfuit Annis XXXIII. menſibus V. diebus XXIIX. ut Onuphrius Panvinius ſupputat. Noſtratibus ab Auguſtali Verona nominatur Dieterich von Bern / notus etiam plebeis hominibus ex antiquis cantilenis, res ejus geſtas perſonantibus. Vide de eo prolixè Henrici Pantaleonis Proſopogr. lib. 1. & confer Joſ. Scaligerum in Caſtigat. ad Catullum.

161. *Ærumna ſit famæ pleraq; cauſſa.*) Magna nempe moliuntur, ut enitantur, quos ærumna premit; hinc famam merentur. Ovidius lib. VI. Metam. fab. IIX.

— — Grande doloris
Ingenium eſt, miſeriſq; venit ſolertia rebus.

Seneca lib. cur bon. mal. cap. V. *Ignis aurum probat, miſeria fortes viros.* Huc ſpectat illud Guntheri in Ligurino lib. II.

— — Nulla eſt audacia major;
Quam cui materiem naturæ præbet egeſtas.

Et quod de Cæſare Salluſtius lib. de Rep. ordin. *In te præter cæteras artes artem unam mirabilem comperi, ſemper tibi majorem in adverſis, quam in ſecundis rebus animum eſſe.* De Annibale Livius lib. XXIIX. *Ac neſcio an mirabilior fuerit adverſis, quam ſecundis rebus.* De M. Antonio Plutarchus in ejus vita. *Naturâ erat aſperis in rebus longè ſolito præſtantior, ac fortuna improſpera preſſus, germaniſſimus reddebatur bono viro.*

178. *Sæpe rubum modicum vidi ſubvertere currum.*) Verſus eſt paroemiodes non inelegans, quaſi dicere velit, ſe ſæpius vidiſſe à parvis etiam viribus maximas acciſas. Simili ſenſu dicitur infra verſu 236.

Quodque ſit à parvis injuria ſæpe repulſa.

* Idem proverbium occurrit apud Saxonem Grammaticum Hiſt. Dan. l. III. p. 43. *Vel fortaſſe meminerat Hotherus excellentiſſimis viris incertiſſimam extare potentiam, exiguamq; glebam ingentes arietare currus.*

179. *Non totiens fieri placet beriſcindia mecum.*) *Erciſcere*, ſive *berciſcere*, ut illi ſcribunt, qui à Græco ἑρκίζειν vocem deducunt, quod eſt interſepire, priſcis erat *dividere.* Unde *judicium familiæ erciſcundæ* apud JCtos, hoc eſt, rei familiaris dividundæ; & apud Ciceronem Orat. pro Cæcina, *arbiter familiæ erciſcundæ.* Ab hoc verbo erciſcere derivatum puto ſequiori ævo *beriſcindiorum* vocabulum, quo Poëta hic utitur. Voluit autem hoc dicere Henricus Mirabilis, ſe nolle, ut totiens fiant ſecum heriſcindia, ſive diviſiones ditionum ſuarum. In ea enim pridem opinione erat, quod ab initio etiam monui, ſe à fratribus ſuis in ditionum paternarum, hæreditatiſque diviſione defraudatum: nunc verò denuo irritabatur, Herlingsberga ſua à Principibus & Dynaſtis confœderatis cedere, aut eam vendere juſſus.

180. *In adverſum terram pontemque ciebo.*) Ita Juno apud Virgilium Æn. lib. VII.

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Accidior juſte?) Papias Gloſſis: *Accidiari, ſtomachari; unde accidia, quæ eſt tædium animi vel anxietas.* Balbus Catholico: *Accidia, triſtitia, moleſtia, anxietas vel tædium. Accidioſus, moleſtus, triſtis, anxius. Accidiari, triſtari, anxiari, vel habere*

bere tædium, indignari. Huguitio: *Accidia, triſtitia, ſubleſtia, anxietas tædium. unde Accidiola diminutivum; & accidioſus, ſubleſtus, triſtis, anxius. Accidiari, triſtari, anxiari, habere tædium, vel indignari.* Gloſſæ Iſidori: *Ægret, Accidiatur.* Chriſt. Becmannus in Origin. L. L. & Matth. Martinius in Lexico Etymol. à κῆδος deducunt, quod eſt *cura*, unde ἀκηδία Græcis. Caſpar Barthius ab *acido* derivat, quod pro ingrato Latinis ſumi docet. Apulejus lib. V. Metam. *inacere* dixit: *Si tibi etiam, ut par eſt, inacuit noſtra contumelia.* Sed vide Barthium.

182. *A notis hunc quis potuit ſperare dolorem)* Μίμησις Virgiliana. Ita enim Poëta Æn. lib. IV.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Eſt autem *ſperare, timere.* Ita iterum Virgilius lib. I. Æn.

At ſperate Deos memores fandi atq; nefandi.

Juvenalis Sat. IV.

----- *Jam quartanam ſperantibus ægris.*

Jul. Firmicus lib. IIX. *Imminentium culminum ruinas ſperet ac metuat.* Etiam Græcum ἐλπίζειν aliquando eſt in rebus malis. Thucydides in princ. hiſtor. de belli Peloponneſiaci futura atrocitate loquens: ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων. *Sperans* (ſive metuens) *magnum & ſuperioribus bellis memorabilius longè futurum.* Exempla alia vide apud Valentem Guellium ad lib. IV. Æn. & in Paralipom. Item Taubmannum ad Virgilii Ceirin. Figuram Servius ἀκυρολογίαν vocat: quod tamen diſputat Jac. Nic. Loënſis Epiphillid. lib. II. cap. XXIII.

185. *Volvitur in cœlis Phœbe, Fortunaq; terris)* Non inelegans comparatio Fortunæ & Lunæ. Hinc vulgi illud: *Fortuna* ut *Luna.* Uti enim hæc variè & in horas creſcit & decreſcit, faciemque ſubinde in cœlo mutat: Ita hæc in terris vultu, quo nunc blanditur, mox terret. Burchardus Monachus S. Galli, lib. de Caſib. Monaſt. ſui cap. XIV. de fortuna adducit ſequentes verſus:

Volvitur orbe ſuo Fortuna, revertitur ad ſe;
Sic ſtat in ambiguo quod fortius eſſe putatur.
Caſſibus imbutus nudus cadit & reſolutus,
Eſt, fuit, & non eſt, venit, fuit, & nihil eſt, eſt.
Dum redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

189. *Talia flammato ſecum Dux ore volutans)* Virgilius Æn. lib. I.

Talia flammato ſecum Dea corde volutans.

190. *Primates atque Quirites)* Principes ſimul & univerſi exercitus turbam, quam *Quiritium* nomine appellat. Quirites enim licet propriè eſſent cives Romani; Unde Gloſſarium vetus: *Quirites*, πολῖται ῥωμαῖοι dicti à Quirino, ſive Romulo, ſuo olim Rege; tamen & ad alios poſtea id nominis translatum eſt. Immo Virgilius lib. IV. Georg. quirites vocat apum fœtus, quos Ariſtoteles χαδόνας appellat Hiſt. anim. lib. X. cap. XXII.

----- *Ipſæ regem parvosq; quirites*
Sufficiunt.

197. *Rhene bicornis)* Virgilius Æn. lib. IIX.

Extremiq; hominum Morini, Rhenusq; bicornis.

Dicitur autem Virgilio Rhenus *bicornis*, ut vult ibi Servius, *quia per duos fluit alveos; per unum, qua Romanum imperium eſt; per alterum, qua interfluit Batavos; ubi jam Vahal dicitur & facit inſulam Batavorum.* Veteres enim fluvios ταυρώπας & *tauriformes* fingebant, ob undarum ſonitum mugitui ferè ſimilem: & κερασφόρους ſive *cornigeros*, propter oſtia, quibus in mare ſe exonerant. Horatius lib. IV. Ode XIV.

Sic tauriformis volvitur Aufidus.

Virgilius de Tyberi, Æn. IIX.

Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.

Valerius Flaccus de Iſtro, lib. IIX,

Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus.

Exit enim ſex oſtiis in mare, at Rhenus duobus.

Digitized by Google

199. *Weſera*) Fluvium, quem Vellejus, Tacitus, Plinius, Mela, Sidonius *Viſurgim* dicunt; Strabo βίσουργιν, Ptolomæus οὐίσουργιν, Dio οὐίσουργος; auctor noſter vocat *Weſeram*, ſequutus Saxonicum idioma, quo vulgò die Weſer appellatur. Poëta ἀνώνυμος in vita Caroli M. vocat *Wiſuram*: Annales Fuldenſes *Viſuracham*: Wandebertus in hiſtor. D. Bonifacii Mogunt. *Wiſurabam*: Annales Francici ad annum Iↄ ccc LII. *Wiſuracham*. Antiquitus autem Germani fluvios in genere vocabant *Aba* vel *Aa*: hodie etiam in Saxoniæ inferioris quibuſdam locis Awe. Minores autem fluvios ſimpliciter ita dicebant: majores, licet proprio ſuo nomine vocarent, illud tamen ſub finem in *Aba* terminabant, ut notat Clariſſimus Marcus Velſerus Rer. Auguſtan. Vindel. lib. I.

200. *Turingi, A Soceromiſſi*) Henrici Moroſi conjunx fuit *Agnes*, filia *Alberti*, cognomento *Degeneris*, Lantgravii Thuringiæ, Dynaſtæ terræ Pleiſſenſis, & Margareta filia Friderici II. Imp.

201. *Miſſina mittis opem*) Sequitur hoc etiam in loco auctor idioma Saxonicum, quod appellationem veterum Myſorum, à quibus CL. Reineccius Miſnenſium originem deducit, proximè accedit.

Ibid. Mittis licet Atſia pubem) *Aſſi* vicini Saxonum nominantur ab Aimone Monacho lib. IV. *Haſſios* Adamus Bremenſis lib. I. cap. VII. alii *Heſſones* vocant. Hos intelligi hoc loco, & propter vicinitatem Henrico Moroſo auxilia ſubmiſiſſe facilè crediderim. Vitioſam tamen ſcriptionem, qua *Haſſia* dicitur *Atſia*, non auctori tribuo, ſed imperito librario.

203. *Ambæ porro bonæ, tu fundere tela, vibrare Tu gladium*) Virgilius Ecloga V.

--- --- boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus,

205. *Ovacra*) *Oucra* amnis eſt, ſive *Oucer*, ut hodie vocamus. De ejus appellationibus aliis vide Parentem meum Notis ad Gerhardi Stederburgenſis Hiſtoriam de Henrico Leone, num. IV.

209. *Waldeckæ magnæ Comes*) Intelligi autumo *Ottonem I.* Comitem Waldeccenſem, *Adolphi* filium, qui circa hoc tempus vixit, militiâ clarus & rebus geſtis.

216. *Henricus, regnat qui primus Teutonicus Dux*) *Henricus Auceps* hic fuit, *Ottonis Magni* Saxoniæ Ducis, cujus mox mentionem faciemus, pater. Hic Imperator feliciſſimus fuit, & Germaniam à tributo liberavit, quod Hungari quotannis ſibi petebant, cæſis ex iis XLCIↃ. Unde *Pater Patriæ, pacis conditor*, & *rerum Dominus* ab exercitu eſt ſalutatus. Obiit anno D CCCC XXXVI.

217. *Ottones III.*) Hi fuere *Otto I. Otto II. Otto III*: tres continuâ ſerie ſibi ſuccedentes Imperatores. *Otto I.* Henrici Aucupis, quem dixi, filius fuit, *Magni* nomen adeptus ob res geſtas, & ob clementiam *Mundi amor* nominatus. Obiit anno D CCCC LXXIII. *Otto II.* primi filius, quòd Saracenos Apuliâ & Calabriâ ejeciſſet, *pallida Saracenorum mors* nuncupatus, obiit anno D CCCC LXXXIII. *Otto III.* ſecundi filius, à ſapientia ſumma, ut *Mirabilia mundi* diceretur, obtinuit. Obiit anno poſt milleſimum primo vel ſecundo. Variant enim Annales.

218. *Quattuor æquivocum ſibimet qui nomen habebant*) Guntherus Ligurini lib. I.

Alter at æquivocum ſibi conſimilemq́; Rogerum
Progenuit.

Æquivocum ſcriptoribus iſtis eſt, quod Græcis eſt ὁμώνυμον. Onomaſticon Græcolatinum: *Æquivocum*, ὁμώνυμοι. Ita *æquivocari*, eſt eodem nomine vocari, Petro Bleſenſi Epiſt. LXXVII. Utuntur voce hac eundem in modum Widekindus, Luitprandus Cremonenſis, Tithmarus Merſburgenſis, & ad unum omnes. Intelligit autem hic Auctor noſter quatuor Henricos ejuſdem nominis, tres Imperatores: ex quibus ejus nominis ſecundus, Saxo-Bavarus fuit origine, reliqui tres Franconicæ ſtirpis. Inter hunc & tertium medius fuit *Henricus Salicus*; quod notum eſt ex Annalibus.

219. *Et tu Lothari*) Hic eſt *Lotharius Dux Saxoniæ, Brunſuigæ & Luneburgi Dominus, Comes Querfurtenſis, Arnsbergenſis & Supplinburgenſis*, natus anno M LXXV. electus in Imperatorem Romanum anno M CXXVII. invito Leopoldo Auſtriæ Duce & Carolo Flandriæ Comite: repugnante Friderico Suevo Coclite, & ejus

fratre Conrado, quos armis repreſſit. Literarum & diſciplinarum amantiſſimus fuit, multaque medicorum Arabum & Maurorum ſcripta in Linguam Latinam transferri curavit. Communis multorum ſed falſa opinio eſt, etiam Jus Civile Juſtinianeum per Wernerum quendam, ſive Irnerium JC. auctoritate juſſuque Lotharii in forum & ſcholas reductum. Primus errorem illum tetigit Vir CL. Frid. Lindenbrogius, Præfat. ad Cod. Legg. Antiqu. Plenius diluit Magnus Theologus Georg. Calixtus lib. de Theol. morali: penitus tandem ex animis hominum exemit nuper Hermannus Conringius, medicus & Philologus eruditiſſimus, mihique amiciſſimus, tractatu de Orig. Juris German. Encomiis plurimis præclarè ipſum exornant Otto Friſingenſis Chron. lib. VII. cap. XX. Auctor vetus apud Abbatem Urſpergenſem, Petrus Diaconus apud Car. Sigonium de Regno Ital. lib. II. & alii: præter quos vide & parentem meum in Chronico Regio-Lotharienſi Germanico. Obiit anno M C XXXVII. die III. Decembris. Otto Friſingenſis ait *actus ejus, ut nullà poſſent aboleri oblivione, in plumbeis laminis deſcriptos, juxta eum reconditos.* Habet eadem Aventinus Annal. Bojor. lib. VI. & Cuſpinianus in Cæſarib. niſi quod hic pro plumbeis tabulis inculcet æneas. Verùm falluntur omnes. In Mauſoleo enim Lotharii, quod eſt in Lotharia Regia, cujus cœnobium conditum ab ipſo dixi, quum anno M DC XIIX. aperiretur, reperta fuit tantum una plumbea, cujus inſcriptionem, quòd alibi nondum exſtet, ut ipſe coram juſſu parentis mei deſcripſi, hic ſubjungo.

LOTHARIUS o DI. GRA o
ROMANORUM o IMPERA
TOR o AUGUSTUS o
REGNAVIT o ANNOS o
XII o MENSES III o DI
ES o XII o OBIIT o AUTEM o
II o NONAS o DECEM
BRIS o VIR o IN o XPO o FIDELIS
SIMUS o VERAX o CONSTANS o PA
CIFICUS o MILES o IMPERTERRITUS
REDIENS o AB o APULIA o SAR
RACENIS o OCCISIS o ET o E
IECTIS o

Ibid. Tu Victor & Otto Philippi) Hic *Otto* ejus nominis *quartus* eſt, *Henrici Leonis* filius, electus in Imp. contra *Philippum Suevum*, quem ad Moſellam fl. vicit. Cumque Philippus paullo poſt ab Ottone Palatino occideretur, Otto filiam ejus *Beatricem* matrimonio ſibi copulavit. Res geſtas, variamque fortunam prolixè deſcripſit Parens meus in Apologia pro ipſo edita, contra Abbatem Urſpergenſem & alios, quem vide.

221. *Et Ducis unius virtus, quem (ſi modò famæ Credimus) ipſa fuit feritas venerata leonum*) Intelligit Henrici Moroſi abavum, Henricum Ducem Saxoniæ, potentiſſimum Germaniæ Principem & fortiſſimum, cui ingens animus & facta ingentia *Leonis* nomen pepererunt. A ſinu hic pene Adriatico ad ſinum Codanum & Oceanum Germanicum Bojis, Suevis, Vindelicis, Noricis, Chaucis, Saxonibus imperavit. Verùm quum potentia ejus & Cæſari & Principibus ſuſpecta fieret, Cæſaremque vel offendiſſet, vel à malevolis apud ipſum calumniaretur, proſcribitur & maximâ parte ditionum exutus in Angliam exſulare cogitur. Reverſus demum, retento Brunſuicenſi ac Luneburgenſi tractu, quem poſteri ejus etiam hodie tenent, obiit Brunſwigæ, anno CIↃ CXCV. ætatis LXVI. Auctor noſter etiam fabulam ſimul tangit, quæ de ipſo in vulgi eſt ore & antiquis cantilenis. Fabulati enim fuere Henricum peregrinantem in Palæſtina, offendiſſe in terris ſolis & deſertis leonem dimicantem

cum

cum ſerpente immani, auxiliumque ferentem leoni, ſerpenti caudam amputaſſe. Ex eo leonem comitem ſe præbuiſſe Henrico, nec diſcedere ab illo voluiſſe, dum viveret. Mortuo Leoni ab Henrico erectum leonem fuſilem, qui etiamnum viſitur Brunſvigæ ex adverſo arcis Danckwerderodæ, quæ hodie die Burg vocatur.

226. *Qui multis errans terris & fluctibus, annis, Vidit multarum prorſus miracula rerum*) Μίμησις eſt Horatiana ex Homero deſumpta. Ita enim Horatius lib. de arte Poët. de Ulyſſe:

Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Et lib. I. Epiſt. II. de eodem:

---- ---- *Multorum providus urbes*
Et mores hominum perſpexit, & aſpera multa
Pertulit.

228. *Brunonis recolit*) Ita infra verſu 410.

Dum recolit faſtus illati, dumq; doloris
Perpeſſi:

Utrobique gignendi caſum verbo iſti jungens, ſine exemplo aliorum, quod ſciam. Eſt autem *recolere*, reminiſci. Onomaſticon Græco-Latinum: *Recolo*, ἀναλογίζομαι. Marcellinus lib. XXV. *Recolebat ſæpe dictum, Lyrici &c.* Auguſtinus Confeſſion. lib. IX. cap. XI. *Ad hæc ei quid reſponderim, non ſatis recolo.* Fuit autem *Bruno*, cognomento Magnus Dux Saxoniæ II. *Ludolphi* filius, frater *Danckwardi* & *Ottonis Magni*. Bruno urbem condidit Brunſwigam anno Iↄ ccc LX. Danckwardus arcem in ea Danckwerderodam. De Ottone ſtatim dicemus.

* Non ſatis ex his verſibus ſenſum eruere licet, fueruntque ſine dubio alio modo ſcripti. Nam & *Engelhuſius*, ubi eos p. 171. recitat, hoc modo ordinat, & auget:

Nomen Brunonis, qui fundator fuit urbis
Contra Danos bellum movit non alite dextro.
Cujus & Ottonis fratris, qui primus ad arcem
Eligitur regni &c.

229. *Ottonis fratris, qui primus ad arcem Eligitur regni, licet illud ſpreverit ipſe*) *Otto Magnus* Saxoniæ Dux, *Brunonis*, qui Brunſwigam condidit & de ſuo nomine appellavit, frater, *Ludovico IV.* Imp. defuncto à Principibus Imperii Succeſſor deſignatus eſt. Verùm honore ſuo contentus, dignitatem oblatam recuſavit, prætendens oneris magnitudinem & ætatis ingraveſcentiam. Liberrima verò ſententia Conradum Orientalis Franciæ Ducem Regem declaravit: quod ſenis experientiſſimi votum ac judicium tantum valuit, ut qui contradiceret, inveniretur nemo. Auctor Widekindus lib. I. Gobelinus ætate VI. cap. XLVI. & alii.

231. *Hujus erat natus Henricus Teutonicus Rex*) Henricus Auceps, de quo ſupra, num 216.

232. *Magnifici Ducis unius reminiſcitur inde, Acre rebellantis auguſte tibi Friderice*) Is fuit *Otto*, primus Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis, *Henrici Leonis* nepos, cognomento Puer. Hic Brunſuigam, majorum ſuorum peculium & urbem hereditariam, à patrui ſui, Henrici Ducis Saxoniæ & Comitis Palatini ad Rhenum genero, Hermanno Marchione Badenſi, Imperatori Friderico II. divenditum, civium Brunſuicenſium, peregrinum jugum averſantium, ope & auxilio adjutus, non minus ingenioſè quàm fortiter in ſuam poteſtatem redegit. Hiſtoria eſt in Chronico Saxonico vernaculo & Colonienſi, item apud Crantzium in Saxonia.

235. *Principibus tribus arma moventis*) Intelligitur *Albertus Magnus*, Henrici Moroſi pater, cui eo anno, quo obiit, videlicet M CC LXXIX. bellum fuit cum Archiepiſcopis Magdeburgenſi & Bremenſi, Epiſcopo Hildeſienſi & Marchione Brandenburgenſi. Rei ab aliis præteritæ memoriam conſervavit Chronicon Stederburgenſe. Meminit & Chronicon Rithmicum MS. ſed ut ab Epiſcopo Hildeſienſi, qui Alberti M. frater erat, inchoatum, illoque eo ipſo anno defuncto, à Marchione Brandenburgenſi Alberto, & complicibus continuatum dicat. Sed & pro Archiepiſcopo Magdeburgenſi diœceſeos iſtius tutores nominat.

239. *Pande Dei facta mens; regis myſtica cela*) Per *myſtica regis*, intelligit conſilia & ſecreta, quæ non revelanda. Expreſſus autem eſt verſus ex illo angeli Raphaelis ad To-

Digitized by Google

ad Tobiam: *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum eſt.* Tobiæ cap. XII. verſ. VII.

240. *Ecce videre datum ſancto fuit Anachoritæ.*) In voce *Anachoritæ* eadem licentia, qua noſter, peccavit Sidonius in Euchariſt. ad Fauſt.

Succinctos gelido libantem ceſpite ſomnos
Anachorita tremit.

Fuere autem *Anachoretæ* iidem qui *Eremitæ.* Gloſſæ: Ἀναχωρητής, *Eremita.* Dicebantur *Anachoretæ* à ſeceſſu in loca ſola & deſerta; *Eremitæ*, ab eremis, ſive locis ipſis & ſolitudinibus in quæ ſecedebant. Cœpere tempore perſequutionum, ſub Meſſio Decio & Gallo Valeriano Impp. annis à Chriſto nato plus minus CCL, ut Auctor eſt Hieronymus in vita Paulli Eremitæ. Iſidorus eos Heliam & Joannem Baptiſtam imitatos ſcribit: Cœnobitas, qui communi victu uterentur, Apoſtolos, Orig. lib. VII. cap. XIII. Vide de Anachoretis Centuriatores Magdeburgenſes, Centur. V. cap. VI.

258. *Genimenq;, quod illo Stipite deſcendit*) *Geniminis* vocabulum, quod à genitu deducitur, haud alibi, puto, uſurpatum reperies, quàm apud veterem Bibliorum interpretem, qui eo utitur Jobi cap. XXXI. verſu XII. Proverbiorum cap. IIX. verſu XIX. & ſæpe alibi.

* Freſneus in Gloſſario hæc repetit, & addit: Papias, *Genimina*, *Germina.* Gloſſæ antiquæ, *Genimen*, *generatio.* Utitur vero voce illa etiam Tertullianus: *Omnes idololatria obſtetrice naſcuntur: dum adhuc ipſi uteri infulis apud Idola confectis redimiti genimina ſua dæmoniorum candidata profitentur.*

269. *Rectoris culpâ plebs cæditur, & vice verſâ.*) Etiam in vulgus notum eſt Horatii illud Epiſt. lib. I. ep. II.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Auctor verò noſter non plebem tantùm puniri, ſi Reges peccant, ſed vice verſâ etiam plebis delicta in ipſos redundare Principes non veretur adſerere. Et vero verius id profectò ita uſu venit; nec aliud ſacra nos docent literæ. Rex David & Propheta, dum Samuelis lib. II. cap. XXIV. populum numerat, peccat quidem & graviter punitur. At populus erat, qui prior peccarat, eiq; Deus iraſcebatur, atq; ideo Davidem impellebat, ut populum numeraret, velut indicat hiſtoria. Exemplo memorabili, quod ſæpe Deus permittat errare principes in conſiliis, ut populi peccata puniantur. Simile eſt exemplum lib. II. Chronic. cap. XXXV. ubi Joſias, rex piiſſimus bello non neceſſario ſe implicat, in eoque perit. Cauſſa indicatur lib. II. Regum cap. XXIII. & XXV. Deum nempe iratum fuiſſe populo Judæ propter peccata regnante Manaſſe commiſſa.

272. *Juſtorum ſemen quis vidit quærere panem.*) Sententia eſt ex Pſalmi XXXVII. verſu XXV. *Junior fui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærere panem.*

273. *Arguo plerunq; quos diligo.*) Apocalypſeos cap. III. verſ. XIX. *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Vide etiam Proverb. cap. III. verſu XI. & Hebræor. cap. XII. verſu VI.

Ibid. Quosq; gravare, Hos relevare queo.) Deuter. cap. XXXII. verſ. XXXIX. *Ego occidam & vivere faciam: percutiam & ſanabo.* Tobiæ cap. XIII. verſu II. *Tu flagellas & ſalvas.*

280. *Sibi clanculo fida pararent Auxilia.*) Latinius & uſitatius eſt *clanculum.* Dixit tamen *clanculò* etiam Apuleius Metam. lib X. & Macrob. Saturn. lib. V. cap. XIIX.

298. *Cœnobitas ac Eremitas.*) De *Eremitis* jam ante diximus. Auguſtinus lib. I. de moribus Eccleſ. Cathol. cap. XXXI. Monachorum duas facit ſectas, *Eremitas & Cœnobitas.* Cœnobitas ait paruiſſe Decanis & Patribus. Decanos denis fuiſſe præpoſitos, Patres totum cœtum gubernaſſe, &c.

299. *Quo per Miſſas ſibi placent.*) De *Miſſæ* vocabulo admodum laborant auctores, unde dictum ſit. Plurimi Hebræam vocem eſſe contendunt, ſed fruſtra: nec opus, ut eò recurratur. Vox eſt pura puta Latina. Ut enim Græci ſive finita populi concione, ſive peractis ſacris, populum dimiſſuri dicebant: Λαοῖς ἄφεσις. Ita eodem modo Latini finitis ſacris proclamabant: *I, licet.* Unde apud Chriſtianos deinde fieri cœptum, ut quando in eccleſia dimitterentur catechumeni, qui ſacramento altaris intereſſe nondum poterant, diceretur: *Ite, miſſa eſt*, ut notat Iſidorus Origin. lib. VI. cap. XIX. & Monachus San. Gallenſis lib. I. cap. XI. Vide Joan. Guil. Stuckium, lib. de Sacrific. Gentil. Chriſt. Becmanum in Origin. L. L. Matth. Martinium Lexico Etymol.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam autem plura olim Miſſæ vox ab initio ſignificabat, obtinuit tamen deinde apud Pontificios, ut ſumeretur pro ſacrificio propitiatorio & expiatorio, quod Deum placatum nobis redderet ac propitium, veniamque largiretur peccatorum, ut poſtea ſanxit Concilium Tridentinum Seſſ. XXII. cap. II. Hic error autem jam tum invaluerat in eccleſia auctoris noſtri ævo, qui proinde hic ait, Henricum Moroſum ſolicitaſſe monachos atque eremitas, ut per Miſſas ſibi placarent Deum. Tu vide de Miſſæ Papiſticæ vi & efficacia Thomam Naogeorgum Regni Pontificii lib. III.

308. *Summa timere Deum ſapientia!*) Proverb. cap. I. verſ. VII. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Jobi cap. XXIIX. verſu XXIIX. *Timor Domini eſt ipſa ſapientia.* Vide Pſalmo CXII. verſu IX. Loquutio auctoris eſt ad normam illius apud Horatium lib. I. Epiſt. I.

Virtus eſt vitium fugere & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

309. *Auguſtine tuis, Franciſceq́, Pauleq́, ſervis.*) Intelligit tres mendicantium ordines: *Auguſtinianos Eremitas, Franciſcanos & Dominicanos.* Eremitæ ſuæ ſectæ conditorem volunt D. Auguſtinum, verone, an falsò, ipſi viderint: Franciſcani auſpicem habent Franciſcum Aſſiſiatem: Dominicani, ſive Prædicatores, alio nomine Paullini dicti, Dominicum Calagurritanum.

312. *Semper homo pavidus eſt felix, eſtq́ beatus.*) Deſumpſit ex Proverbiorum cap. XXIIX. verſu XIV. *Felix qui ſemper timet.* Etiam Siracides cap. XIIX. verſu XXVII. *Homo ſapiens in omnibus metuit.* Probus in Thraſybulo: *Mater timidi non flebit.* Timere & metuere ſæpe eſt prudentiæ. Cicero lib. III. de Orat. ex Ennio. *At Romanus homo, tametſi res bene geſta eſt, Corde ſuo trepidat.* Cyrus apud Xenophontem, Pædias lib. IIX. *Habui ſucceſſus magnos: ſed ſemper temperavi mihi ne fierem inſolens, & ne lætarer evolando.*

315. *Famine tali Compellat turmas.*) Vocabulum eſt antiquum, *famen*, à verbo fari, & loquutionem ſive ſermonem notat: unde *famino, dicito*, apud Feſtum. Onomaſticon Græco Latinum: *Famen, φάτις, βάξις.* Auctor vetus, haut ſcio quis:

Ne levi ſaltem maculare vitam
Famine poſſis.

Abbo lib. II. de obſidione Lutetiæ Pariſiorum:

Almis faminibus ſoſpes procedit ægrotus.

Ælnothus in Vita S. Canuti in proœm.

Obſtructas aperit aures & famina reddit.

Andreas Capellanus, in Eroticis: *Præterea mendacibus non debet uti faminibus, ſed & cavere ne ſermone minus effuſo utatur.* Apud Apuleium eſt *affamen*, Metam. lib. ult. in fine. Pro *minus*, lego *nimis*.

316. --- *Acer eliquat ore diſerto.*) Perſius Sat. I.

Phyllidas, Hipſipylas, vatum & plorabile ſi quid,
Eliquat, & temero ſupplantat verba palato.

Apud Perſium tamen *eliquat* dicitur de eo qui liquida voce pronunciat, aut laſcivè aliquid effert. Noſter de eo profert qui diſertè & fluido ſermone perorat. Id adjecta vox *acer* notat. Deſumpta eſt metaphora à liquoribus, qui eliquari, id eſt, liquidiores clarioreſque reddi propriè dicuntur hinc ad vocem transfertur, ut ait Anton. Fognelinus Notis ad Perſium. At Eilhardus Lubinus ad eundem Perſium tranſlationem eſſe putat à ſacco & colo vinario, quo vinum tranſmiſſum defæcatur & liquidum redditur. Demum Caſaubonus tranſlatam vult vocem à metallis, & id genus rebus, quæ naturâ ſuâ compacta ſunt & dura, quum verò liquantur, molleſcunt & corrumpuntur. Sed judicet Lector. Apud Lucretium lib. I. & III. eſt vox *deliquat* pro declarat. Eâ uſus etiam eſt Titinnius & Accius apud Nonium. Lexicon Græco-Latinum: Deliquat, διηθεῖ, διυλίζει, ac ſi dicas, tranſcolat, defæcat.

317. *Eſt inconvulſus nobis audacia murus.*) Deſumpſit hoc fortè Auctor ex Salluſtio, qui ita in bello Catilinar. *Semper in prælio iis maximum eſt periculum, qui maximè timent: audacia pro muro habetur.*

324. *Venit ſumma dies.*) Hemiſtichion Virgilianum ex lib. II. Æneid.

Venit ſumma dies & ineluctabile tempus.

 328. *Sed*

Digitized by Google

328. *Sed tergum danti : non convenit omnia fari.*) Eſt ἀποσιώπησις hoc in loco, quam Cicero *reticentiam* vocat & *præciſionem*: Præcidit enim ſermonem, & ad alia tranſit. Virgilius lib. I. Æn.

Quos ego : ſed motos præſtat componere fluctus.

Val. Flaccus lib. I. Argon.

Illum ego : tu tantùm non indignantibus undis
Hoc caput accipias.

Ovid. Epiſt. XIX. *Nos quoque ; ſed taceo.*

Lucianus Καταπλῳ. ὧν εἰ λαβοίμην.

Quos ſi comprehendere.

329. *Eſte viri fortes, ne ſitis honoris inermes.*) Similis eſt ſententia in illo Homerico Odyſſ. 4.

ἄλκιμος ἐς ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.
Fortis agas, ut tè gens poſtera laudibus ornet.

330. *Tu verò abſcede, quisquis vis todinus eſſe.*) Diu me torſit vox *todinus*, quam tamen nunc explicare conabor. *Todi & todelli*, ſunt aves parvæ, inquit Feſtus, unde *todilla cruſcula*, pro exilibus & tenuibus. Sed quænam hæ aves? Lexicon Philoxeni: *Tudus*, *tudeculus*, ἐρίθακος. Ἐρίθακος Latinis eſt *Rubecula*, de qua Ariſtoteles lib. IX. Hiſt. anim. cap. XLIX. Huguwicio, Lexicographus ſuperiorum ſeculorum: *Toda*, inquit, avis eſt, quæ non habet oſſa in tibiis : quare ſemper eſt in motu : inde *todinus* dicitur ille, qui velociter cadit & movetur ad modum todæ. Et *todeo*, *todes*, *todui*, vel *todi*, eſt moveri, cadere, & *todenius*, id eſt gallus. Hactenus Huguwicio. Ex quibus colligo, *todinum* ab auctore noſtro intelligi eum, qui non conſtans eſt, ſed lubricus, quem proinde ab exercitu ſuo faceſſere hic jubet Henricus Moroſus noſter.

* Amplectitur hanc Patris mei explicationem vocis *Todinus*, & verba etiam Hugowic. ex alio tamen MSto paullo aliter allegat, putatque eſſe, lubricum, qui non firmiter ſtat, *Cl. Freſneus* in Gloſſario.

331. *Treſſis agaſo.*) Perſianum eſt ex Sat. V. Eſt autem *treſſis* qui tribus aſſibus veneat : *Triobolaris.*

334. *Deus eſt, qui judicat æquum.*) Pſalmo VII. verſu XII. *Deus judex juſtus.* Homerus Βατραχομυομ.

Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

335. *Nil facit excubitor, niſi ſit cuſtodia factor*) *Factor*, eſt creator. Pſalmo CXXVII. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.*

336. *Hac ſic ille tenus.*) Tmeſis, ad imitationem Virgilii Æn. V.

Hac celebrata tenus magno certamina patri.

341. *Tirones ſolemne creat tunc ipſe novellos.*) Mos fuit Principibus Germaniæ, ut prælia inituri equites crearent, quos *tirones novellos* hic vocat Auctor, quaſi noviter aut recens creatos. De Alberto M. Brunſvicenſium Duce, congreſſuro cum Alberto & Tiderico Marchionibus Miſniæ, ita ſcribit Auctor Chronici Rithmici MS.

Her machte als Ich horte /
Viele Knaphen Ritter vor dem Strite /
Nach Vurſtelichem Site /

Id *cingulum militare* qui nondum acceperant, dicebantur *ſervi*, *ſervientes*, *famuli* : Germanicè, Knechte / Knapen. Poſt acceptam dignitatem nominabantur *milites*, Germanicè Ritter. Atque hi ante centum atque ultra annos magno numero fuerunt in plerisque Germaniæ locis, ut diplomata indicant : Sublatâ conſuetudine milites creandi, gravitati morum, diſciplinæ & honeſtati apud ordinem equeſtrem multum indies decedere animadverſum eſt. Sanè dignitate iſtâ ipſi quoque Principes mactari non aſpernabantur. De eodem enim Alberto M. teſtatur idem Chronicon, ipſum in Angliam iter ſuſcepiſſe, ut ab Henrico Rege ordinem militarem ſumeret, tempeſtate autem rejectum, eundem honorem à Marchione Brandenburgico accepiſſe:

Da

Digitized by Google

Da nam der Vurſte hoheborn/
Van ſinem Oheime wert/
Dem Marchreven/ dat ſwert
Vnd ward ſelbe Ritter an der ſtund.

Factum id autem eſt Anno M CC LIV. quum annorum Albertus eſſet XIIX. Qui verò ordinem ita acceperat, is deinceps rurſus alios equites creandi nanciſcebatur, modò Princeps eſſet. Ita enim de Alberto M. pergit Chronicon laudatum:

Do der hohe Vurſte clar
An aller Tugend wol gevar/
Vmphinck de ritterlichen Waphen:
Her machte Graven vnte Knaphen
Zo Rittere uzer mazen viel. etc.

Verùm de ſervis, famulis, miniſterialibus & militibus vide plura apud CL. Reinerum Reineccium lib. de Nobilitate, & Parentem meum Notis ad Levoldi Northovii Chronicon Comitum de Marca.

345. *Urbs eſt Eimbeke.*) Hæc metropolis fuit, atque etiam eſt hodie, Ducatus Grubenhagenſis, quem poſſidebat Henricus Moroſus: dicta à rivo, qui eam interfluit. Rivus enim noſtratibus Ein beeck.

352. *Si non ſint homines quid pulchri mundus haberet?*) Alludit ad originationem mundi, qui licet à pulchritudine & ornatu Græcis κόσμος, Latinis à munditie *mundus* dictus ſit: ſine homine tamen pulcher non eſſet, ſed κόσμος ἄκοσμος, mundusque immundus.

353. *Acies aurore decoræ.*) Novè *aurorem* dixit Auctor, pro fulgore aureo: nec tamen ſine exemplo aliorum, qui ad eundem modum nova nobis dedere vocabula. Ita apud Lucillium eſt, teſte Nonio, *lymfor* à lymfa: item *pigror & nigror.* Apud Lucretium lib. VI. *ægror & putror*: apud Plautum Moſtell. act III. ſc. 1. *claror*: apud Arnobium lib. VII. *caldor*. Ita *tuor, pator, lutor, fremor*, apud Apuleium, pro viſu, hiatu, luteo colore & fremitu. lib. de Deo Socr. *radios omnis noſtri tuoris.* Unde Gloſſæ Iſidori: *Tuor, viſus*: Metam. lib. 1. *vulnus dehiſcit in profundum patorem.* Onomaſt. Græco-Lat. *Pator*, χαῦμα, ſive χάσμα, ut legit Martinius Lex. Philolog. Metam. lib. IX. *Mulier lutore buxeo macieq; fœdata.* Et in Florid. *Leonum fremores.* Sic apud Cælium Aurelianum lib. III. Acut. Paſſ. IV. & lib. I. Tardar. paſſi. cap. V. eſt *turbor*, pro turbatione, ut ibi notamus: apud Ekkehardum Juniorem lib. de caſib. monaſterii S. Galli, *runcor narium.*

354. -- *Ducis vexilla, Leonis Effigie picta.*) Henrici Leonis, familiæ Ducum Brunſvicenſium conditoris, avita inſignia fuiſſe *Leonem*, Parens noſter ad Bullam Andronici Imp. notavit. Cujus loco licet poſtmodum duobus Leopardis ab Angliæ Rege acceptis fuerit uſus, tamen priſca inſignia readſumpsêre Leonis nepos, Otto Puer, & abnepos Albertus Pinguis, & hujus filius, Magnus, ut ſigilla ipſorum adhuc hodie oſtendunt. Eadem verò inſignia uſurpaſſe etiam Henricum Moroſum, Alberti Pinguis fratrem, ex hoc ipſo auctoris noſtri loco conjicias, dum vexilla militaria Leonis effigie conſpicua fuiſſe ſcribit. Quamvis varios fuiſſe veteres in inſignibus, & ſæpe ea mutaſſe, idem, quem dixi, Parens meus ibi doceat, quò Lectorem remitto.

364. *Eſt infruniti*) Græcis eſt ἀφρόνιτος, inſulſus, inſipiens. Feſtus: *Fruniſcor & frunitum dixit Cato, nosq; cum adhuc dicimus infrunitum, certum eſt antiquos dixiſſe frunitum.* Lucillius Satyr. lib. XIIX. apud Nonium:

------ *Æquè fruniſcor ego ac tu.*

A *fruniſcor* igitur *frunitus*, ab hoc *infrunitus*, qua voce præter noſtrum auctorem utitur Seneca lib. de vita beata, cap XXIII. & lib. III. de benef. cap. XVI. Item Agellius lib. IV. cap. IX. Huguwitio, Lexicographus vetus, ridiculè deducit ab *in* & *frumine*, quod eſt *pars gutturis, quâ cibus*, ut inquit, *ſapit*: ut *infrunitus* ſit, quaſi *frumine*, id eſt ſine ſapore ſapientiæ, inſipiens, inſulſus, indiſcretus, improvidus. Lepidè ſimul & acutè! niſi acutius dici malis *infrunitum* à *fruno*, tanquam *ſine fruno*, quod eſt *confectio, quâ coria fruniuntur*, ut vult Cornelius à Lapide Comment. in Eccleſiaſtici cap. XXXI. verſ. XXIII. ubi & alias derivationes videre eſt.

365. *Virtus cuncta domat*) Curtius lib. II. *Nihil tam altè natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti.* Invia virtuti nulla eſt via, & nil mortalibus arduum eſt.

366. In

366. *In virtute mori, non mors, ſed vita ſit ulli*) Plautus Captivis act. III. ſc. v.
Qui per virtutem peritat, pol non interit.

374. *Multa ſuper populo*) Hemiſtichion à Virgilio lib. I. Æn.
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.
Et lib. XII.
Multa ſuper gnata lacrymans, Phrygiisq; Hymenæis.

381. *Pes pede, virque viro*) Etiam hoc deſumptum à Virgilio, qui ita lib. Æn. X.
----- *Hæret pede pes, denſusq; viro vir.*
Item:
Obvius adverſo occurrit, ſeſeq; viro vir
Contulit.
Et lib. XI.
Implicuere inter ſe acies, legitq; virum vir.

Quomodo autem duobus hic verſibus Auctor noſter loquitur, eodem fere ſolent Poëtarum plerique, ubi cominus pugnantes deſcribunt milites. Homerus Iliad. E.

Ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.
Scutum ſcuto hæſit, galeæ galea, atq; viro vir.
Euripides in Heraclid.
Τὸ δεύτερον δὲ ποὺς ἐπαλλαχθεὶς ποδὶ
Ἀνὴρ δ' ἐπ' ἀνδρὶ στὰς ἐκαρτέρει μάχῃ
Collatus at poſt eſt pedi pes, & ſtetit
Contra virum vir, ſtrenuè pugnam ciens.
Tyrtæus Athenienſis περὶ πολεμικῆς ἀρετῆς.
Καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,
Ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ,
Καὶ στέρνον στέρνῳ πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω.
Jamq; pedem pede contingens, ſcutum quoq; ſcuto,
Et criſtam criſtæ, tum galeam galeæ,
Pectore tum pectus, adverſun. pugnet in hoſtem.
Furius Bibaculus:
Preſſatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.
Statius Thebaid. lib. IIX.
Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Enſe minax enſis, pede pes & cuſpide cuſpis.

Ammianus lib. XVI. *Arma armis corpora corporibus obtrudebat.* Et mox: *Cominus mucro feriebat contra mucronem.* Hirtius de bello Hiſpan. *Hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma.* Curtius lib. III. *Duæ acies ita cohærebant, ut armis arma pulſarent, mucrones in ora dirigerent.*

391. *Sanguinis hic aliquis miſerandam fundit orexin*) ὄρεξις appetitio eſt, ſive appetentia aut deſiderium, interdum quarumvis rerum, ſæpius cibi & potus, præcipuè apud ἰατρῶν παῖδας. Hoc in loco fundere orexin ſanguinis dicuntur, qui dum in prælio occumbunt, amittunt ſimul appetentiam ſanguinis ſive ſitionem, quâ ad pugnam accedebant. Nota eſt hiſtoria Tomyris ſive Tamyris Scytharum Reginæ, quæ Cyri caput amputatum in utrem humano ſanguine repletum conjiciens, *Satiate*, inquit, *ſanguine, quem ſitiſti, cujusque inſatiabilis fuiſti.* Juſtinus lib. I. cap. IIX. & alii.

392. *Comes Lippas, in pugnæ limine lippus, Vertit dorſa fugâ turpi.*) Circa hoc tempus inter Comites Lippienſes vixit *Simon* pater, cum filio homonymo, quorum ille anno MCCLXXX. obiit. Alterutrum fuiſſe ex his oportet, quem Auctor fugâ ex acie ſe ſubduxiſſe ſcribit.

394. *Hujus quis cladem noctis*) Verba ipſiſſima ferè ſunt Virgilii ex Æn. lib. II.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit verbis æquare dolorem?
Ad eundem modum Silius Italicus lib. V.
Quis Deus, ô Muſæ, paribus tot funera verbis
Evolvat, tantisq; umbris in carmine digna
Quis lamenta ferat?

Et

Digitized by Google

Et ex recentioribus Brito Philipp. lib. I.

---- ---- Et quiſ ad unguem
Omnia vel dictare queat, vel claudere metro,
Vel mandare biblis, memori vel corde tenere?
Non indigna ferat iſtis vel Muſa Maronis,
Theologi, cineres Troja qui vexit ad aſtra:
Vel qui ſuppoſuit Thraciam victoribus Argis,
Erroresq́ vagos digno celebravit Ulyſſis:
Non hic ſufficeret fama Lucanus amator,
Aut qui tam ſapido Thebaida carmine ſcripſit,
Ut queat ad plenum digno memorare relatu.

397. *Et eis funeſta repreſſant*) Huguwitio: *A premo eſt preſſo frequentativum, & preſſito.* Hinc noſter deſumpſit *repreſſo*, reprimo, repello.

414. *---- Nunc hos, nunc proterit illos*) Etiã hoc hemiſtichium à Virgilio eſt, qui l. IV. Æn. de Aſcanio.

---- Nunc hos curſu, nunc præterit illos.

418. *Hinc exandiri gemitus plangorq́ cadentum*) Nec minus hæc ſunt à Virgilio, qui Æn. lib. IV.

Hinc exaudiri voces & verba vocantis.

Et lib. VI.

Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera.

Item lib. VII.

Hinc exaudiri gemitus iraq́ leonum,
Vincla recuſantum & ſera ſub nocte rudentum.

419. *---- Ducis ejuſdem ſanctiſſima conjunx*) Hæc fuit *Agnes*, filia *Alberti Landgravii Thuringiæ.* Vide ſupra ad verſum 200.

430. *Languenti capite corpus caret omne vigore*) Verſus eſt vulgatus:

Quum caput ægrotat, cætera membra dolent.

Elegantiùs Guntherus lib. VI.

---- ---- Capiti totius corporis angor
Condolet, uniusq́ dolor transfertur in omnes.

Chryſoſtomus alicubi. κεφαλῆς κακῶς διακειμένης, μεταλαγχάνει ἀνάγκη τὸ σῶμα τῆς ἀσθενείας. *Capite malè diſpoſito neceſſe eſt ægritudinem in corpus derivari.* Et ſæpè graviſſimam. *Ut* enim in *corporibus, ſic in imperio, graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur,* inquit Plinius lib. IV. Epiſt. XXII.

436. *Quaſſari potuit, mergi tua cymba nequivit*) Reſpexit procul dubio diſtichon illud, ſub id tempus pervulgatum, quod Gregorium IX. Pontificem ad Fridericum II. perſcripſiſſe ferunt:

Niteris in caſſum navem ſubmergere Petri;
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

437. *Dignum laude virum*) Hemiſtichium eſt ab Horatio mutuatum.

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

439. *Eſt viſus acies geſtorum certior index*) Plautus Trucul. act. II. ſc. VI.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.

Et addit rationem:

Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt.

Vide Notas Taubmanni ad eum locum.

446. *In luctum cithara eſt converſa, redactus amarum Cantus in gemitum*) Sententia eſt ex Jobi cap. XXX. verſu XXXI. *Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.*

450. *Sed licet anxietas premat atq́ enargia cunctos*) ἐνάργεια, eſt rei evidentia, ſive id quod manifeſtum eſt, & clarè patet. Derivant Grammatici ab ἐν & ἀργὸν, *album*: quòd alba & lucida facilius in conſpectum veniant. Lexicon Cyrilli: ἐναργὴς, *liquidus, evidens.* ἐναργῶς *evidenter.* Ait itaque Poëta anxietatem & rei evidentiam, ſive rem ipſam omnes premere. Niſi enim ita vocem hic interpreteris, haud ſcio quid ſibi velit.

* *Freſneus* in Gloſſario legendum hic conjecturatur Anergia ex Gr. ἀνεργία otioſitas, ſegnities. Non patet tamen, quomodo Roſla dixerit, captivos illos ſegnitiem in carcere premere.

452. *Quod minimè Chriſtus tollit, tollit crebrò fiſcus*) Alludit ad illud vulgi: *Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus.*

456. *Præſentis vitæ bona fert pius atq́ fidelis*) Reſpicit Paulli illud Epiſt. I. ad Timoth. cap. IV. *Pietas ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem hujus & futuræ vitæ.*

461. *Opulos vel egenos*) Opulentos novè dixit *opulos*: quemadmodum verſu mox ſequenti *tempeſtè*, pro tempeſtivè. *Opulens* Prudentius alicubi dixit, Salluſtius in Jugurtha, *opulentiſſimus.*

467. *Jam ceſſodium profitentur*) *Ceſſodium* non minus novè, quàm cætera dixit Auctor noſter, pro ceſſatione ab odio & inclinatione ad reconciliationem animorum.

470. *Regali matre creatus*) Henrici Moroſi mater, Alberti Magni uxor, *Adhelita*, ſive *Adelheidis*, ſoror fuit Ottonis Marchionis Montisferratenſis, quam in Anglia Albertus duxit, ubi illa apud Angliæ reginam Leonoram, ſuam materteram educabatur. Ob hanc verò Adelheidis cum Angliæ regina cognationem, puto ipſam hic *regalem* appellari.

472. *Quando decuſatur, ſibi conveniunt genus & mos*) Quid notet hic τὸ *decuſatur*, fateor me neſcire. Utuntur tamen voce etiam alii, ſed æquè obſcuro ſignificatu. Abbo præfat. in obſidionem Lutetiæ Pariſiorum: *Porro Triadi noſtras credidi biblos, viſu & auditu modo decuſatas.* Et ſub finem lib. II. de obſid. Lutet. *Non*

Non præter chlamydem auratam cupis induſiari
Tegmine, decuſata tuos gemmis niſi Zona
Nulla fovet lumbos.

Saxo Sialandicus lib. III. *Igitur complura* (Othinus) *fœminei cultus inſignia fabricatus, tandem armillam cæteris operoſius expolitam, annalesq́ complures, pari ſtudio decuſatos, puellæ præbuit.*

* Quod *Decuſare* ſignificet *ornare*, *honorare* ex adductis locis patet, & pluribus id docet *Freſnerus* in Gloſſario: origo tamen acceptionis illius valde obſcura eſt.

474. — *Auguſtiſſime ductor*) Scilicet exercitus. Cicero Tuſcul. quæſt. lib. I. *Quoties non modò Ductores noſtri, ſed univerſi etiam exercitus, ad non dubiam mortem concurrerunt.*

FINIS.

TIDERICI LANGEN,

Canonici Eimbecenſis & Goslarienſis,

SAXONIA.

Mantiſſæ vicem Herlingsbergæ conjuncta.

REſtat laudanda Saxonia magnificanda:
A Saxo dicta, gens Saxoniæ benedicta,
Eſt fortis, dura, gens bellica, vix ruitura.
Eſt ſatis ornata, virtutibus eſt decorata.
Non eſt exoſus populus, neque ſtans ocioſus:
Hoſtibus infeſtus ſemper ſatis atque moleſtus.
Nunc, puer, auſculta: quondam poſt tempora multa;
Poſt Trojæ fatum, poſt bellum cotidianum,
Tunc infinitus populus ratibus redimitus,
Maſclis ornatus, ad quævis bella paratus,
Multi Barones de Græcis nobiliores,
Tunc proceſſerunt huc navigioque venerunt:
Inter eos multi fuerant juvenes & adulti.
Hi per tres ſtabant turmas pariter properabant,
Romam confregit violenter prima, ſubegit
Per mare quod tranſit, ibi tertia pars ita manſit.
Pars Britones undâ fortis petit inde ſecunda,
Quos debellavit, & ibidem mox habitavit.
Sulcatum ſtagnum per multa pericula magnum,
Tertia proceſſit claſſis pars indeque ceſſit,
Hinc proceſſerunt, Staden tunc applicuerunt,
Hinc quædam munda tranſitque recentior unda
Quæ remanet villa converſio dicitur illa.
Tunc non absque viro mulier venit ordine miro,
Græci blavotas volucres, tunc non bene notas,
Falcones, niſos, velut res non antea viſos,
Huc apportabant ad terram dum properabant:
Currentesque canes plures non laudis inanes,
Formam multorum pariter ſimul & Muſicorum.
Tunc venit viola, ſambucus, rotta, vigella,
Pſalterium, cithara, lyra, tympana, tibia rara,
Organa dulciſona, quæ dant lætiſſima dona:
Et pariter celebrem varium cultum muliebrem
Huc adduxerunt, hæc climata dum tetigerunt.
Gentis honoratæ viguit victoria latè;
Nam quoscunque placet ſuperant ſolitâ bonitate.
Quod loquor ecce patet, ſubdita terra jacet.

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremum terra fuit iſtorum ſine guerrâ.
Græci majores ſtatuerunt inferiores
Diverſis villis bene quòd ſuffecerat illis.
Urbes perlatas & foſſatis decoratas
Tandem ſtruxerunt, munitas quas poſuerunt
Montibus aptatas, quarum medio ſituatas.
Oſnik Hartonis multis habitis ibi donis
Servant cervinam proceres exinde ferinam,
Promto porcinam, leporinam, capreolinam,
Montibus argentum reperitur quod fore lentum
Cernitur ut plumbum, ſi non præſtat via fundum.
Absque labore gravi cernens hæc ſæpè probavi:
Et pariter cuprum ſolet ex hoc cedere lucrum,
De quo ditantur, qui circum quaque morantur:
Diverſæ gentes hoc tollentes & habentes.
Quatuor inventa quæ ſana manent elementa:
Ignis, terra, decens aër & unda recens,
Flumina diverſa currunt huc undique verſa,
Dant non exoſos nobis piſces copioſos.
Sunt & piſcinæ quarum numerus ſine fine,
Cingitur & magnis trinis Saxonia ſtagnis.
Odera qualis aqua, non novit rex neque Papa.
Iſta ſatis munda copioſa fluit magis unda
Multùm piſcoſa curſu nunc impetuoſa.
Moxque ſuum portum facit Albea Solis ad ortum:
Sic Sala perſpicuum curſum deducit ad Auſtrum,
Solis ad occaſum facit ejus Wiſera caſum.
Iſtas per mundas merces portantur in undas,
Ops fecundatur, multis lymphiſque rigatur.
Sunt ibi Salinæ, quarum numerus ſine fine:
Innumeri fontes multum Sal parturientes.
Perque plagas vehitur reliquas, ubi non reperitur.
Aër ſincerus, purus ſimul eſt, & amœnus.
Aër in æſtate ſimul eſt redolens ibi latè.
Eſt ex hoc civis ibi ſanior incola quivis,
Et longæ vitæ licet hoc exponere ritè.
Sunt infinitæ volucres pennis redimitæ,
Nilque laborantes ſe cantibus allevíantes.
Sunt ibi morales volucres, ſunt atque reales.
Reſtant alaudæ, quæ ſubſiſtunt ſine fraude,
Perque ſuas notas rudes ſiſtunt idiotas
Suntque philomelæ jam Chriſti numine plenæ.
Nam volucres tales ſiſtunt Chriſti moniales.
Accipitres fortes inter volucres ſibi ſortes
Quærunt lædendo volucres pariter capiendo
Signant raptores, qui nunc ſunt deteriores:
Ni reddant prædas fines faciant ſibi fœdas.
Eſt & avis Kivit, quæ bellat quàm citò vivit,
Signans iratos homines ad bella paratos.
Pavo protervus incedit nempe ſuperbus.
Non eſt in mundo volucer volitans ut hirundo:
Signat & ignobiles homines quandoque rebelles.
Cras crocitat corvus, facit hoc piger & tædioſus.
Cum moritur cygnus, cantat; facit hoc homo dignus
Chriſto diſſolvi cupiens, terrâque reſolvi.
Grus vigilat, quando lapidem gerit in pede ſtando:

Dum cadit explorat tunc & ſuâ voce ſonorat.
Signat & orantes hæc cuſtodes vigilantes,
Eſt & avis niſus, raptum dimittere viſus.
Aſſolet hæc verè plantas de nocte fovere.
Hoc faciunt juſti puncto bonitatis aduſti,
Illos namque tegunt, victu qui paupere degunt.
Eſt & avis prona volitans, aviumque corona,
Dum ſatis expandit pennas, ſuper æthera ſcandit,
Solis ad obtutus infigit lumina tutus,
Prædam diverſis avibus tribuens ita ſparſis
Signat doctores & quosvis nobiliores.
Fertilis & munda manet iſthic terra rotunda,
Continuò mundæ fruges naſcuntur abundè.
Cernitur in meſſe frumentum largius eſſe.
Agricultura dat centeſies ſua jura.
Agri productum tribuunt cum fœnore fructum.
Exſtat & hîc triticum, quod non reperitur iniquum.
Creſcit non lentè bona moxque ſiligo repentè.
Ordea cum piſa ſunt iſthic plurima viſa,
Cum Spica plenâ creſcens reperitur avena,
Sunt ibi nonnullis fabæ, melonesque citrulli.
Laudibus & digna creſcunt ibi plurima ligna.
Quædam quercina, ſed in altum ſæpe ſupina.
Porcis paſturas multas tribuunt ibi duras.
Nec non ſagenâ ſunt fructibus undique plena:
Quæ non obſcœna ſunt ligna ſatis abiena.
Lignis denſata reſtant ibi nemora grata,
Lignaque ſtructuris variis dant eſſe figuris.
Prædictis lignis componitur optimus ignis.
Copia lignorum reperitur ibique bonorum,
Qui comburuntur carbones inveniuntur.
Eſt ex his humo bonus ignis qui ſine fumo.
Inſuper & plura: non eſt ex his mihi cura.
Junctus Saxo Rugis Romanam ſubdidit urbem,
In quâ bis ſeptem regnavit Odacarus annis.
Tunc Longobardis allectus opem tulit idem.
Igniferi cunei tunc cœlo currere viſi.
Ex tunc Italiam per plurima prælia cepit.
Anglia vaſtata fuit à Saxonibus, unde
In præſens tempus colit illam ſemen eorum.
Hoc non abſcondam, quod erat ſub Carolo quonda
Ipſa fidesque data converſio tunc celebrata,
Gentis hujus princeps & rex Widekindus, adinceps
Qui baptiſatus & fide fuit roboratus.
Eſt & eo nata propago Ducum generata.
Carole, qui Friſones, Ligures, Italos, Aquitanos,
Hunnos, Illyricum viciſti tempore parvo,
In ſex Saxones luſtris vix perdomuiſti.
Quos tu feciſti nomen cognoſcere Chriſti
Non fidei verbo, ſed protracto mage bello:
Non ſine pernitie ſeu triſti clade tuorum.
Ex hoc nimirum cenſeris Apoſtolus horum.
Septem conſtituis ibi ſedes munere regis.
Brunſvic, Saxoniæ, Luneborg, Pallaciique
Tunc principatus fuit horum jure vocatus.
Et tunc Baurorum fueratque Ducatus eorum.

Princi-

Principibus multis provincia fulgida noſtra.
Ex quibus Auguſti plures tibi Roma creati.
Objicibus vaſtis includitur, & ſpacioſis
Limitibus, cujus etiam Weſtvalia pars eſt.
Rhenus ab occaſu, ſimul Odera Solis ab ortu,
Oceanus Boreâ, quà terminat Unſtrot ab Auſtro.
Frugibus argento varioque repleta metallo:
Terra repleta bonis, habitarique ſalubris:
Aëre, fluminibus, bona fontibus, ac nemoroſa.
Denique Weſtvalus ab origine manat eadem,
Jam Chriſto gratus converſus, morigeratus.
Cunctis acceptus populus non extat ineptus.
Eſt expeditus ibi clerus in arte peritus
Qualibet, ut ſcitur: apud illos ars reperitur.
Illic Doctores Decretorum meliores:
Sunt ibi legiſtæ multi pariterque Sophiſtæ,
Perque ſuas partes hîc ſeptem ſunt ſimul artes.
Architriclini ſunt Metropoles ibi bini,
Utpote Bremenſis, venerandus Magdeburgenſis.
Sunt & biſſeni bonitatis numine pleni:
Inſuper & tales ſedes retinent cathedrales.
Divinum præſtant Aaron cùm cornua geſtant
Gentes confortant, baculos, ſandalia portant.
Halverſtadenſis, Hildenſemenſis ut enſis,
Brandenburgenſis, Verdenſis, Lebuſienſis,
Havelburgenſis ac Mindenſis, Caminenſis,
Racenburgenſis jungatur & his Lubecenſis.
Hinc Marsburgenſis ſcribatur, Magnipolenſis.
Pontifices iſti dominantur in grege Chriſti.
Hi ſub ſe clerum conſervant arte peritum.
Beda Deo gratus, venerabilis, atque beatus,
Hic Saxo natus fuit, eſt & canoniſatus:

* Singulare eſt, quod hîc refert Poetaſter, Bedam venerabilem, gente Saxonem fuiſſe, dein in Angliam veniſſe & ibi ſepultum eſſe. Non recitat autem tantum verſus illos *Engelhuſius* in Chron. p. 146. ſed & natales ejus Saxonicos approbat & locum ipſum nativitatis apponit. *Fuit enim natus in villa* Dencke *juxta Aſſeborch prope* Brunſwyck. Neſcio autem, an tuto credere poſſimus illis, qui poſt aliquot ſecula hæc primi nobis narrant? Fuit fortaſſis hoc per traditionem inter Monachos ad illos Saxonicos Scriptores tranſlatum; & ſuſpicatus aliquando ſum confuſos ab iis, qui hæc tradiderunt, Bedam Juniorem, cum Beda ſeniore ſeu venerabili, quia Juniorem illum Teutonem fuiſſe, à Carolo M. cum aliis elegantibus pueris, ſine dubio ex Saxonia, in Italiam tranſlatum, ex vita illius didici, quam *Monachus S. Benigni* conſcripſit, editam ad X. Aprilis ab *Henſchenio & Papebrochio*. Tumulatum tamen ſeniorem illum Bedam Venerabilem in Anglia, & quidem in Girwicenſi monaſterio, Dunelmum deinde tranſlatum, credimus *Pitſeo* de Scriptor. Angl. p. 139, cum alterius, Junioris Bedæ, corpus Genuæ in Liguria oſtentetur: quæ etiam à non paucis confunduntur. Vide *Gobelinum* Coſmodrom. Ætat. VI. c. 35.

Sed converſatus Anglis & ibi tumulatus:
Nunc apud hos dia reperitur Philoſophia:
Subtiles divi ſunt Grammatici poſitivi.
Degunt clauſtrales ſanctæ Chriſti moniales
In clauſtris, clauſæ remanent concentibus auſæ.
Ordine diverſæ dant Chriſto munera per ſe.
A dignis digna laudatur virgo benigna,
Jam non exoſos multos ibi relligioſos.
Nigris amicti velut ordinis hi Benedicti

Digitized by Google

Gradu ſublimi ſubſiſtunt ordine primi.
Bernhardi vita virtutibus eſt redimita.
Fratres majores ſapientes atque minores,
Et Carmelitæ reſident iſtic Eremitæ.
Hi ſine fine piæ famulantur laude Mariæ.
Continet illuſtresque domos Saxonia plures:
A quibus reges noverunt condere leges
Juſtè formatas, & in omni jure probatas.
Ex quibus primus in ſcriptis, ut reperimus,
Floruit ut ficus rex, nomine qui LudoWicus,
Tunc in honore piæ fundarat templa Mariæ
Hildenſem diam funditus eccleſiam.
Hic Caroli natus ſit cum Genitore beatus
Hinc rex Conradus fortis fuit ut Leopardus.
Hartesburg iſte conſtruxerat,& tibi Chriſte
Eccleſiamque pio poſtea Valerio.
Ex tunc Henricus rexit, qui pacis amicus.
Virtutes cujus ſunt multæ, nominis hujus
Qui fuerat primus in ſceptris, ut reperimus,
Goslere fundator civitatis atque parator,
Famoſum nomen multum ſortitus & omen.
Dum confirmandus eſſet princeps venerandus,
Et ſceptrum & pronam ſprevit ſimul ipſe coronam,
Dicens, indignum ſe tantum ſumere ſignum.
Sueverat immenſum dare tunc Germania cenſum,
Hunc perverſorum rex ſuſtulit Ungariorum.
Tunc dedit ipſe canem, cenſu ſe dixit inanem,
Forſitan ingentem caudâ ſimul aure carentem,
Grex armatorum venit ex hoc Ungariorum,
Millia maſclorum rex quinquaginta ſuorum
Secum ducebat, has ad partes veniebat.
Rex accerſivit hos, aptos quos ſibi ſcivit,
Mille quater duxit dum prima diecula luxit.
Haud Cæſar triſtis tunc auxiliantibus iſtis
Hoſtes acceſſit, & in his magnalia geſſit:
Quoſdam proſtravit, reliquos exinde fugavit.
Ipſos damnavit, populi cenſum variavit.
Sic citò ſalvavit, terræ Pacem reparavit,
Hanc bene firmavit, velut exitus acta probavit.
Ex hinc ipſorum regem cepit Ungariorum,
Quem captivabat, in Werle decapitabat.
Rex ut complevit prius hæc in pace quievit,
Qui deportatus Quedlinburg eſt tumulatus.
Rexit non fruſtra tribus annis & tria luſtra.
Huic conthoralis Mechtildis erat ſpecialis.
Præmonſtratenſes in Polde mox ſapientes,
Northuſen pulcras ſtatuit Kaufunga puellas.
Virtutum plena Quedlinburg eſt ſub arena.
Otto, poſt Otto, regnavit tertius Otto.
Sed primus Magnus dictus, qui vixit ut agnus,
Quas bene produxit: pius eccleſias citò ſtruxit.
Magdeburgenſem fundavit & Suerinenſem,
Mira Dei geſſit: Magdeburg nunc requieſcit,
Filius iſtius Rex fuit Otto pius.
Vitâ privatus telo fuit ipſe necatus
In feſto Thomæ, tumulatus erat citò Romæ.

Tertius

Digitized by Google

Tertius Otto verè qui mortuus à muliere.
Sanctus Barwardus pædagogus erat ſibi clarus.
Ipſe Tiberinos populos vicitque marinos
Imperio fultus, Aquis eſt ipſe ſepultus.
Tunc venit Henricus, Chriſti qui rexit amicus.
Vixerat hic mundè tunc conjuge cum Cunegunde.
Hi fuerant tanti quòd facti Poſtea ſancti.
Mersborg fundabat & Bavenberg ſituabat.
Bavenberg ſancti nunc ambo ſunt tumulati.
Qui vixit mundus Conradus eratque ſecundus,
  Nominis illius rex fuit ipſe pius,
Struxit Goslariæ pius eccleſiamque Mariæ.
Conradi natus, Henricus nempe beatus,
Hic in honore Dei ſic Simonis atque Tadæi
Quàm citò produxit pius eccleſiam ſibi ſtruxit.
Hic rex, ô Chriſte, placeat tibi tertius iſte.
Summum Pontificem Cæſar produxerat idem
Pontifices multos & ob hoc ætatis adultos,
Goslare cantarent & ut aram ſanctificarent.
Hanc ita dilexit dum Cæſar & omnia rexit.
Partim Spirenſi, ſic partim Goslarienſi,
Terris humatus jacet eccleſiis tumulatus.
Henricus quartus in morte fuit nimis artus,
Summo notatus banno fuit ipſe ligatus,
Non fuit humatus quinquennis poſt tumulatus.
Henricus quintus fuerat, qui fulſit ab intus
Multùm virtute, quia rexerat omnia tutè,
Hic rex edixit aulam, dum corpore vixit,
Multum magnatis de principibus generatis.
Tunc fuit occiſa gens ingens Goslere viſa.
Talis & exempli, quod ſanguis ad oſtia templi
Effluxit multus, qui poſtea manſit inultus.
Dæmon cantabat & in aëre vociferabat:
Cunctis hoc feſtum formavi cæde moleſtum.
Poſt hæc Luderus rexit Chriſticola verus,

* Hos verſus de Ludero ſeu Lothario citat quoque Engelhuſius in Chronico, ſed pleniores. Poſt illa enim verba, *Chriſticola verus* inſerit hunc verſum:

Hic Sancto Petro forma crucis ordine retro
Luttere tunc clauſtrum fundans ſituavit ad Auſtrum.

Luttere qui clauſtrum fundans ſituatur ad Auſtrum,
Quò deportatus requieſcit ibi tumulatus.
Huic coæquevus regnavit poſtea Suevus.
Quidam Conrardus, qui non fuit ad bona tardus.
Poſt hæc mirificus rexit Cæſar Fridericus.
Hic expugnabat Mediolanum & ſuperabat,
Atque Moguntinos ſuperaverat ille vicinos.
Colne portati ſunt reges ſanctificati.
Hujus erat finis in partibus ultra-marinis.
Illic ſubmerſus in aquâ modica male merſus.
Fulſerat electus Henricus poſtea Sextus.
Hic & magnifici fuerat natus Friderici.
De Brunſuic natus fuerat rex Otto vocatus,
Servivit Chriſto mundo dum vixit in iſto.
Iſte coronatus in Brunſuic eſt tumulatus
Caſtrum fundabat Herlingsberg quod nominabat.
Ex hinc magnificus ſurrexerat & Fridericus.

Annis

Annis ter denis & binis rexit amœnis.
Hi prætaxtati ſic taliter enumerati
Tunc populo grati ſunt his terris ita nati.
Ipſi per tria CCC per quinquaginta duoſque
Annos rexerunt tunc imperioque tuerunt.
Adſit & Erneſtus Dux robore fortis, honeſtus,
Multum magnificus, per mare mirificus.
Annis ter quinis in partibus ultramarinis
Hic ſcrutabatur terras, populos ſpeculatur,
Ad terras verſus properans venit, inde reverſus
Invenit nuptam tunc ſponſo ſic ſociatam.
Qui mox ſubriſit, & ei ſponſalia miſit.
Hoc ſic invento Dux agnitus eſtque momento,
Brunſuic ferocem portavit & ipſe Leonem.
Barones, comites tenet & Saxonia dites.
Nobilitas illos ornat magnoſque puſillos.
Everſtein, Dasle, Hardenberg, addito Pleſſe,
Woldenberg, Heimborg, Wernigrod, poſtque ſit Humborg
Sladem, Barbuie, poſt hæc Hademersleve, Hoje.
Wantsleve, Scartfelde, Blankenborg & Querevorde,
Mansvelt, Valkenſtein, Werberge ſive Regenſtein,
Lindaw, Schowenborg, Danneberg, Schermbeke, Wunſtorp.
Hi principantur multis caſtris dominantur:
Montibus & ſita ſervant ſua caſtra polita
Fortes armigeri corpore belligeri.
Hi varias fortes armant quandoque cohortes.
Urbes muratæ per Saxoniam nominatæ,
In queis burgenſes famoſi ſuntque potentes.
Brunſuicenſes, Goslarienſes, Magdeburgenſes,
Halverſtadenſes, Hamburgenſes, Lubicenſes,
Hildenſemenſes, Verdenſes, Marcipolenſes,
Luneburgenſes, Bremenſes & Caminenſes,
Brandenburgenſes, Mindenſes, Quernhamelenſes,
Angermundenſes, Hallenſes, Stendalienſes,
Havelburgenſes, Raceburgenſes, Suerinenſes,
Lebuſſenſes, Serveſtenſes, Soltwedelenſes,
Marchia cum ſtagno ſociatur munere magno.
Magnipolis, Reppin, Gripheswalt, pulcraque Stettin,
Staden, Sund, Wiſmar, Sleſuick, Roſtock ſimul & Barth,
Wolgaſt, Perleberg, Colberg, cum Cotene Stolberg,
Anclam, Franckenvord, cum Torglaw, Sehuſe, Quernvord,
Aſcherslef, Demmin, Brix, Grubin, Calveque Templin,
Wernigrod, Werben, Helmſtad, Coln, Berlin & Aken,
Bockſtuden, Regismons & Stargardia, kyris,
Garlef, Blankenborg, Oſterwick, Cell, Quedelinborg,
Hannover, Grona, Dasl, Alvelt, Sarſtede, Peina,
Eimbeke, Duderſtad, Götting, Mund, Oſterod, Hardex,
Northeim, Gandersheim, Ring, Dransfeld, Uslare, Boklen,
Hi modicum mœſti ſe conſervant ut honeſti.
Sunt mercatores, quibus attribuuntur honores:
Sunt pannicidæ pleni ſuper omnia fide.
Hoſtibus infeſti ſunt hi quandoque moleſti.
Unanimes cuncti ſunt pervigiles ita juncti.
His Deus hoc præſtat, quod eis ſapientia reſtat.
Explicita Saxonia Tiderici Langen.

FINIS TOMI I.

INDEX

Digitized by Google

HERMANNUS DUX SAXONIÆ. HILDEGARDIS WESTERBURGIA.

T.III.P.44.



T.I.P.706.




HELENA Á ROSSOW. VVLGO HROSWIDA, SANCTIMONIALIS IN GANDERSHEIM.

T.III.P.31.



EKTYΠON IRMINSVLÆ.










Digitized by Google

T.iii.



T.iiii. P.158.



Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
Rerum & Verborum.

Numerus paginas, & additæ literæ, i. initium, m. medium, f. finem paginæ ſignificant.

Aa, Aba, Avve fluvium ſignificat 797. i.

Aaron ſacerdos 95. i. *ejus ſoror murmurans*, ib. *pœnitentiâ pœnam declinat*, ib. *mortuus plangitur*, 98. i. *vitulum conflavit populo* 94. i.

Aaron R. Perſarum 240. f.

Aaronis virga germinans 95. f 97. m

Abarces, ſ. Arbaces 128. i. *Medorum Rex* 128. m.

Abbaetis Konrod 727, f.

Abbas ſecularis 375, f.

Abbas Joachimus in Sicilia 271, f.

Abbas monaſterii Paderb. SS. Pauli & Petri moritur 345, m.

Abbatem eligendi poteſtas, Archiep. competit 741. f.

Abbenroda, monaſterium. 531. i.

Abdias Propheta 125. m.

Abelus 73. m.

Abel Waldemari Dan. R. F. 512. *gener Adolph. Com. Schouenb.* ib.

Abgarus Edeſſæ R. 188, f.

Abdias Sacerdos 221, m. *R. Judæorum* 123, m.

Abjathar 118, f.

Abimelechus Davidi panes propoſitionis porrigit, 118, f. *extirpatur*, ibid. *filius Gedeonis regit Judæos* 104, f. *trucidat fratres* 103, m. *perimitur*, ib.

Abiramus moritur 124, f.

Abiroa 95, m.

Abiſais Joabi frater 120. i.

Abotriti Henrico Aucupi tributarii 639, f.

Abrahamus circumcidit ſe 85, m. *habitat in Chaldæa* 83, f. *ex Ægypto in Canaan revertitur* 84, m. *Chaldæorũ & Syrorum literas invenit* 74, m. *Melchiſedeco dat decimas* 84, f. *naſcitur* 82, f. 84, f. *Jubileum annum inſtituiſſe putatur* 84. f. *nomen ipſius* 85, *moritur* 86, m. *pater fidelium* 137, i.

Abraham Friſingenſ. Epiſcop. 692, m. 733, m.

Abrahet mons 99, f.

Abramesberg 748, m.

Abratia provincia 70, m.

Abſolomi Davidis R. F. hiſtoria 120, m. f.

Abſolon Epiſcop. Roſchildenſ. 524.

S. Abundi reliquiæ 562, f.

Academia Bononienſ. 214, m. *Pariſienſ.* 240, m.

Academiæ V. ſingulariter privilegiatæ 240, f.

Academici unde dicti 142, f.

Accidia, accidiari 795, f.

Achtwort / Echtwort / *quale jus* 536, m.

Accuſatores Socratis pœnas luunt 147, f.

Achabi hiſtoria 124, m. 125, i.

Acephali hæretici 228, i.

Acon & alii portus à Turcis occupati 385, i.

Aconenſis urbs deſtruitur 393, m.

Achaja, Græciæ prov. unde ſic dicta 68, m.

Achaz ſacrificat 129, m.

Achialon vallis 99, i.

Achiel Bethelenſis 124, f.

Achillas Cæſari inſidiatur 171, i.

Achilleides Andromachæ è Pyrrho F. 112, m.

Achilles ejusque hiſtoria 102, m. 106. 107, 108.

Acrazapes Aſſyriorum Rex 127, i.

Acriſte, Eckerſtein/ 558, i.

Acindinus 204, m.

Actus naturales an peccata 229, m.

Ada Lamechi uxor 73. f.

Adamiani 228, m.

Adami protoplaſti hiſtoria 73. *ſepulchrum* 73, f.

Adamus Cardinal. Angl. 301, f. 110, m. 316, i.

Adalbero Abb. Corbeienſ. 757. m.

--- *D. Carinthiæ* 729, m.

Adalbertus Bononienſ. Epiſc. 733, m.

Adaldagus Archiepiſcop. Hamburg. 680, f. *ingratus erga fratrem.* ib.

Adalgarius Abbas Corbeienſ. 755, m.

Adalhardus I. Abb. Corbeienſ 755, m. 764, f. *nobilis genere*, ib. *Longobardorũ regnum gubernat* 765, i. *Caroli conſanguineus & conſiliarius* 764, f. *deponitur & in exilium pellitur* 761, m. *revocatur* 766, i. *Huxeram Monachos ducit*, ib.

Adelbertus Franciæ Comes, ab Archiep. Moguntino circumventus 637, f.

--- *Ottonis partes ſequutus* 654. i.

Adelbertus Moguntinus Archiep. moritur 453, m.

-- *Epiſcop. Mindenſis VI.* 558, m.

-- *Monachus Corbeienſ.* 625, f.

-- *Bamberg. Comitum ultimus* 674, m.

-- *Lunenſis Epiſc.* 733, i.

-- *Rugis Evangelium annunciat* 734, f.

Adeldagus Archiepiſc. Hamburg. 739, f. (674. i.

Adelhardus Henrici D. Sax. F.

-- *Epiſcopus liberat Adelheidam ex carcere* 720, f.

Adelhardus II. eligitur à Monachis Corbeienſ. 765, m.

Adelheidis Ottonis M. conjux Secunda imperii ipſius particeps 751, m. 752, m. *Burgundica* 695, f. *prior ejus maritus* 695, f. *ipſa laudatur* 696, i. f. *literas Latine ſcriptas interpretatur* 692, f. *ex quo nata* 704, m.

Adelheidis Ottonis M. filia 652, f.

Adelheidis Henrici Mirab. fil. 564, m.

Adelheidis Comitis Adolph. Schaumburgici filia Tiderici Com. Honſtein uxor 518, m.

Adelheidis in Canuſii arcem confugit 630, i.

Adelheida Sommerſchenburg. Palatina 437, i.

Adelhogus Baro Dorſtad. Epiſc. Hildeſ. 440. f. 455, i.

Adeodatus 231, m.

Adinga, locus 648, m. 745, m.

Adolphus Naſſovicus Imperator 282, i. 393, m. *occiditur* 394. m. 314, f. 795, i.

Adolphus Comes de Clivis & Marbe 331, f. *Com. Ravensburg. capit patrem* 289, i. *D. Montenſis pro fratre Wilhelmo ad Epiſcopatum Colon. transferendo laborat* 337, m. *Comes Marcanus* 573, m.

375, m. 377, m. Comes de Altena fundator cenob. Montis veteris 384, m. Arch. Colon 385, f. Ottonem electum à ſe deſerit 386, i. ex qua cauſa ib. & 416, removetur à Papa ib. Comes de Altena ſatagit regiminis 386, m. ejus filii 388. Comes Waldeggenſis 389, m. Epiſc. Leodienſ. moritur 395, f. Comes de monte 391, m. f. Everhardi f. Marcanus 393, i. de monte moritur 394, i. Marcanus Everh. F. fit Præpoſitus Wormatienſis 394, m. ob telonium bellum gerit 395, i. Comes Marcanus Aurelias ſtudiorum gratia ſe confert 397, f. fit Colonienſ. Canon. 397, f. Epiſcopus Colonienſ. 398, i. Epiſcopus Leodienſ. primum Leodium intrat ib. m. victor in monte ap. Hojen 400, i. ſuccedit patri Engelberto in Comitatu 400, m. præſidet in judicio prope Leodium 401, m. pacem facit inter militares de Avans & Warans 401, m. magna clade afficitur 404, i. fœdus pangit cum D. Brabantiæ ibid. m. ejus filium infeudat de Machlinia 404, m. obit 404, f. Comes de Marca abit in terram ſanctam 401, m. Epiſcopus Claremontanus obit 403, f. Comes Marcanus præbendam Coloniæ obtinet 404, f. fit præbendarius Leodienſ. 405, i. frater Engelberti poſtulatur Epiſcop. Monaſter. 407, m. Archiep. Colonienſis factus 409, m. Comitatum Clivenſem avita hereditate nactus Archiepiſcopatum patruo reſignat ibid. 416, f. Comes Schaumburg cum Reinoldo & aliis occiſus 454, f. 506, m. Sandersleviius primus Comes Montis Urticarum ſ. Netteln=berg 497, f. Comes Schauenburg 499, m. incolas ſuarum terrarum prudenter conquiſivit 500, m. Secundus Schauenb. pugnat contra R. Daniæ Suenonem 502, f. Holſatos domat 503, qualis fuerit. ib. occiſus 506, m. 507, i. 523, m. Tertius, uxorem ducit 507, m. 529, m. elogium ipſius 507. Danos fugat 507, f. captus detinetur biennium, tandem dimiſſus 508, i. ejus itinera & res geſtæ 531, m. obit 509, i. 532. Quartus m, regimen ſuſcipit 509, m. Hamburgi monaſterium S. Joh. Bapt. fundat 511. f. abit in Livoniam, unde reverſus fit Franciſcanus 512, f. Diaconus, Presbyter factus 513, i. obit & ſepelitur in Conventu Kylonienſe ab ipſo erecto 513, i. Adolphi patruus ſtrangulatus 515, m. Sextus 516, m. capitur ib. f. moritur 517, i. Septimus 517, m. abit in terram Sanctam 568, f. obit Famaguſtæ in Cypro ib. f. ejus corpus Mindam transfertur 568, f. Ottonis fil. Comes Holſa. & Schauenb. 521, i.

Adonai quid ſit 62, m.

Adria, urbs 70, m.

Adrianus Imperator 77, i. 191, i.

Adrianus Papa 240, m. 275, m. coronat Frider. Imperat. 384, f. moritur 454, m.

Adulatores inviſi Octaviano 174, m.

Advocati, Vögte, Producti fuerunt Brunſuigæ nomine Ducum Saxon. & poſtea Brunſvic. 443, m. tales Epiſcopis adjuncti fuerunt 441, i. ſed mox remoti, ib. ex Advocatis orti Comites Marcani & montis 412, f.

Ægidii Gelenii laus 417, i.

Æquivocus qui idem nomen habet cum alio 797, f.

Aer ſagittis pugnantium nubilatus 153, f. ſpirituum flabello agitur, 128, f.

Ædificatores altera manu pugnantes 140, f.

Ægea Diomedis uxor 112, m.

Ærumna laborem & famam nonnullis parant 795, m.

Ægeatos inſula 163, m.

Ægiſtus in venatione peremtus 123, m.

Ægialeus 82.

Ægidius Cardinalis 285, i.

Ægyptii unde oriundi, 76, f. Apin venerati 88, m. circumcidunt ſolos eos, quos ſibi conſtituere volunt ſacerdotes 85, m. cogunt Iſraelitas exire 92, m, colunt ſiva 162, m. Jovem Ammonem 151, m. pereunt in mari 93, i.

Ægyptus, aliàs Aeria dicta, quando & à quo primùm dicta ſit Ægyptus 65, f. 98, m.

Ælius Pertinax 191, f.

Ægyſtus adulter ſuſpenditur 112, i. & m.

Æmilia Italiæ provincia decima unde ſic dicta ſit 70, m. nunc Lombardia, ibid.

Æmilianus tyrannus 196, f.

Æmilius exercitus Romani dux 164, i.

Æmuli Danielis à leonibus diſcerpuntur 140, m.

Æneas condit Lavinium 115, m. ſeditione mota quid efficiat 113, f. exilio multatur ibid. incurrit in odium Græcorum. ibid. Laviniam accipit uxorem 115, i. naves quibus Paris in Græciam profectus erat, reficit 113, f. nobiles Romanos primus ſaltare docuit 115, m. num Veneris filius fuerit 128, f. quando venerit in Italiam 115, i. regem Amphicum perimit 107, f. Troja diſcedens per Macedoniam, Siciliam, Italiam denique jactatus, Latinæ affinitate jungitur 113, f. Turnum perimit 115, m.

Æneas Sylvius rex Latinorum quartus 117, f.

Æolus inſulis Æoliis nomen dedit 72, m.

Æra Antiochena 171, m. Judæorum 93, f.

Ærarium Regum Perſicorum fuit Gaza 77, i.

Æropus Macedonum rex 136, m.

Æs alienum cavendum Principibus 180, i.

Æſculapius Medicus Romæ habitus quaſi deus 161, f.

Æſic miſſus contra barbaros 643, m.

Æſon pater Jaſonis 103, f.

Ætas Abrahami, naſcente Iſmaele 85, m. mundi prima 61, i. mundi quarta 110, f. mundi quinta 137, i. etc. mundi ſecunda 75, m. mundi ſexta 176, i. mundi tertia 82, m.

Æthiopes à Chuſo ſunt orti 76, f. ab Indo flumine conſurgentes juxta Ægyptum conſidunt 90, i. Ægyptum invadunt 90, f.

Æthiopia 71, m.

Aetiani 228, m.

Ætna ardens 72, m. 167, m.

Afri unde orti 76, f.

Africa ab Afro è poſteris Abrahami progenito ſic appellata 71, i.

Agag 97, m.

Agag rex Amalechitarum 118, i. Saulı theſauros promittit, ut ſalvus è manibus ejus evadat, ibid.

Agamemnon exercitus Græcorum dux Trojanis pugnaturis ſe opponit 107, m. per ſervum Clytemneſtræ adulterum, ea inſtigante, perimitur 112, m. ubi regnaverit 68, f. rex Mycenarum frater Menelai 106, f. 114, f.

Agapetus I. pontifex R. 224, f. ubi & quomodo mortuus fuerit, ibid.

Agar, ancilla Abrahami, ei filium parit 85, i. (85, i.

Agaremi populi ab Agare oriundi

Agatho papa 231, m.
Agelmundus 217, m.
Ager Damaſcenus hominis primi creati locus 73, i. Jeſrael 125, i. Picenus à Pico dictus 70, m.
Ageſtorp 745, i.
Aggeus juvenis, nondum vates, Zachariæ collega 142, i.
Agina Capitaneus quidam Ottonis I. jurat 249, i. 646, m.
Agiulfus Longobardorum rex 223, m. 230, i.
Agnes Imperatrix Ducatum Bavariæ accipit 451, f. moritur 452, m.
Agnete mater comitis de Monte 391, m.
Agnus paſchalis qua nocte edi ſolitus 92, m.
Agon Olympiacus ab Hercule inſtitutus 114, f.
Agrimeſe & Plonenſis lacus 530, m.
Agrippa detinetur in carcere 178, f. Romam adit ibid.
Agrippa Sylvius quando ſit exorſus regnare latinis, etc. 126, i.
Ahias Silonites 122, m. 124, i.
Ahus caſtrum ad Lippiam 392, i.
Ai 84, m.
Ajax Oileus poſt Græcorum de Troja diſceſſum naufragium patitur 108, i. Olenius ibid. per Paridem ſublatus quisnam fuerit, ignoratur, ib. Telamonius clàm de nocte jugulatur, ib. Telamonius Hectori fortiter reſiſtit 107, m. Telamonius iraſcitur Ulyxi 111, m.
Aidoneus Moloſſorum rex Oreus etiam dictus 101, i.
Aiſtulfus 234, f.
Alchte Widekindi Comitis Hojenſ. conjux 535, m.
Alachis dux Longobardorum 230, m.
Alanda fluv. 529, m.
Alani Romanis rebelles debellati 114, i.
Alania ad paludes Mæotides usque pertingit 66, f.
Alaricus Gothorum rex 213, m.
Alba longa per Aſcanium condita 115, m.
Alba Sylvius rex Latinorum 121, f.
Albani martyris baſilica 659, i.
Albania unde dicta 66, i.
Albertus Epiſc. Piſenſis 733, m.
Albertus Auſtriæ dux 309, f. I. Imperator quamdiu regnarit 282, i. 394, m. Curiam habet Norbergæ 394, m. Comitatum Holland. petens, non impetrat 395, i. occiſus 397.
Albertus & Wibrandus archiep. Magdeb. fratres 415. i.
Alb. archiep. Mogunt. obiit 453, f.
Albertus Brandenburgenſ. 733, m. 455, i. 793, m.
Albert. M. Dux Brunſv. Holſatiam hoſtiliter invadit, vaſtat 513, m. Tutor Danici principis, partem ejus regni gubernat 538, m. redit in Saxoniam ib. anno emortuali quæ bella geſſerit 790, f. obiit 566, m.
Alb. Brunſv. archiep. Bremenſ. 517, m.
Alb. Henrici Moroſi N equum ſalientē in clypeo uſurpavit 485, m.
Alb. Candidus trucidatur 646, f.
Alb. Epiſc. Halberſtad. 543, m.
Alb. Leodienſ. Epiſc. occiſus 385, m. 411, f.
Alb. Livoniæ Epiſc Rigam fundat 108. i.
Alb. Hojenſ. Com. Mindenſ. Epiſc. 571, i.
Alb. Obeſus D. Brunſv. 791, f. ejus liberi 468, 469, m.
Alb. Palatinus Saxoniæ 528, f.
Alb. Riemenſtorp. Epiſc. Halberſt. 542. m.
Alb. D. Saxon. Ottonis Luneb. libertati obſtat, Hiddesacke ab eo deſiderant 533, m.
Alb. Henrici Saxon. D. fil. 674, i.
Alb. Tarviſienſis Epiſc. 733, i.
Alb. Urſus, Brandeb. captus 523, f. unde nomen illud 485, m.
Alb Wormatienſ. epiſcopus occiſus 452, m.
Albia Saxoniæ fluvius 67, i. 158, m.
Albio baptizatur 238, m.
Albuinus Longobard. rex 221, m.
Albula unde ſic appellata 126, i.
Albuſuinda 222, m.
Alcadas rex Aſſyrior. decimus 89, f.
Alciatus bardus inter Longobardos 625, f.
Alcimus, alias Joachimus, divinitus punitur 166, f. in principatum per Demetrium confirmatus, ib.
Aldenberg caſtrum 382, i. Ciſtercienſi monaſterio exſtruendo impenditur 384, m.
Aldenborg & Lütkenborg circa Plonenſem lacum 500, f.
Aldenborgenſes Sclavi ſeditioſi 506, m.
Aldenburg Sclaviæ Epiſcopatus 737, i. conſtitutus & inſtauratus 504, m.
Aldenburg. Com. 526, f. Burchardus occiditur 510, f. 534, i. Lubecam translatus 359, m.
Aldenhuſium arx 445, f.
Aldenmetler 387, i.
Alea miles quidam, aleæ luſus inventor 106, i.
Aledra marchio 751, m.
Alemannia baſſa 160, i. et Teutonia eadem fuit 69, m.
Alenſes ſi Aldenſes Canonici translati 566, m.
Alethes rex Corinthiorum primus 117, f.
Alexandri M. Colloquium cum ſene quodam palatii ſolis & lunæ incolæ 157, i.
Alexander idem qui Paris 106, m. imperator Xerxis Perſarum regis victor 193, m. Macedonum rex 146, m. 149, m.
Alexander Magno à Joba pincernad intoxicatur 158, i. Pauſaniam perimit 152, i. nomen Dei, in lamina aurea ſuper capite ſacerdotis Jaddi adorat 152. m. M. ad Euphratem tentoria figit 153, m. M. ad Montes Caſpios ſe vertit 154, f. M. ad prædam relictam percenſendam diebus viginti quatuor opus habet 154, i. M. ad Indiam ultimam venit 155, m. M. adverſus Illyricos & Thraces feliciter pugnat, Thebisque ſubverſis, in Perſas movit 152, i. Alexandriam ædificat 152, m. Amazones delet 109, f. Amazones in gratiam recepiſſe narratur 110, i. Armenios ſuperat 152, i. Bactrianos ſubigit 154, m. conſulit arbores fatidicas 157, m. Darium reperit mortuum 154, m. duces Perſicos ſternit 152, i. perfidos viæ monſtratores ſerpentibus devorandos projicit 154, f. elephantem ſternit 153, f. 155, m. 156, m. Geonem gigantem humi affligit 153, f. Babylonem ingreditur 154. i. ſcribit ſe filium eſſe Ammonis 151, m. Alexandriæ magnificè fuit humatus 158, i. vulneratus 153, f. intrat Judæam 152, i. templum Hieroſolymitanum, & deo ſacra facit 152, m. Judæis immunitatem dat 152, f. Græciam ſibi ſubdit 153, m. 152, f. mittit epiſtolam Dario cum granis piperis 153, i. Teſtamentum facit, principibus duodecim provincias diſtribuens 158, i. M. occiſores Darii occidi jubet 154, m. occupat Ægyptum 152, m. pergit contra Porum regem Indorum 154, f. Perſepolin funditus evertit, ibid. Porum Regem vincit, ib. M. Porum ſecum circumducit 155, i. etc. primus Græcorum monarcha 154, i. quando mortuus 158, i. quando natus 151, i. quando regnare cœperit in Macedonia 152, i. redit ad montes Caſpios 157, f.

regnum Perſarum transfert ad Græcos 154, i. Roxanen duxit in uxorem 154, m. Sardes capit 152, i. ſtatuas Herculis perforat 155, m. Taliſtridi tributum imperat 154, f. Thebas ſubvertit 153, i. tranſit Euphraten 153, m. Tyrum capit 152, i. venit ad Gangen 155, f. ad Gymnoſophiſtas ib. ad locum quendam tam tenebroſum, ut ſe milites ejus internoſcere non poſſint, ib. ad partes Bactrianorum, ib. ad ſtatuas Herculis, ib. M. victimas diis ſuis immolat ib.

Alexander Epirotarum rex, Alexandri M. avunculus à Samnitibus occiſus 151, f.

S. Alexandri corpus 554, m. 555, m 563, i. 764, m.

Alexander Papa Rom. 266, i. 275, m. contumacem ſe præbet 270, f. 437, m. obiit 452, i.

Alexander V. papa R. eligitur 12, f. Piſtoriæ ſedem habet 13, i. moritur 330, f.

Alexandria ab Alexandro M. condita 152, m. 158, i.

Alexandro per Athenienſes corona miſſa 153, i. M. Senex in palatio ſolis ac lunæ viſus, num fuerit Enochus 157, f.

Alexius 218, m.

Alexina, Alberti M. conjux ſecunda 474, i.

Alheidis Borchardi Com. de Dasle filia 507, m.

Alirumnæ Gothorum magæ 109, m. 205, f.

Allophyli 77, i. 99, m.

Alomon Crotonienſis primus fabularum inventor 102, i.

Alpes Apenninæ initium capiunt, ubi Cocciæ deſinunt 69, f. Pannoniam ab Italia ſecernunt 68, f. unde ſic nominatæ ſint 70, i. Coccia unde appellatæ 69, m.

Alſatia 70, f.

Alſine, Elſe, Elizabeth Henrici mirab. filia 470, i.

Altades octavus Maced. rex 139. i.

Altendorn 393, f.

Altena, munimentum nimis vicinum 382, i. inexpugnabile, ib.

Altena caſtrum exſtructum, dein Marcana dictum 412, m.

Altena & Aldenberg caſtra parent Adolpho & Everhardo fratribus 383, m.

Rutgerus de Althena 379, i.

Alterſona ad Mare Ponticum 557, f.

Althamerus laudatus 625, i.

Altitudo turris Babylonicæ 76, m.

Altius ſaliens ruinã vix vitat, 788, f.

Altmannus, ejus vita 362, m.

Alvenslebii, Fridericus Heino & Buſſo, Henrici f. 522, m.

Amalricus 741, m.

Amanus per ſolum contemnitur Mardochæum 149, f. totam Judæorum gentem extirpare conatur, ib. perit 150, i.

Amaræus decimus Chanaanis filius 77, m.

Amaſias populum numerat 127, m.

Amaſias fugit in Lachin, ibi trucidatur, ib.

Amaſias hoſtium idola adorat, ib Idumæos delet, ib. occidit patris ſui interfectores, ib. quo tempore in Juda regnavit, ib.

Amathæus undecimus Chanaanis filius 77, m.

Amazones à Gothis oriundæ perhibentur 109, i. ab Alexandro an deletæ 155, i. Aſiam & Syriam domant 109, f. num adhuc reperiantur 110, i. templum Dianæ ædificant 116, f. Trojam veniunt Priamo auxilium laturæ 115, i. unde dictæ 109, f. usque ad Alexandrum M. regnant, ib.

Amazonum incurſus repentinus per Aſiam factus 119, f.

Ambianenſes S. Victoris corpus nolunt dimittere 767, m.

Ambitio Papalis 245, i. 269, f.

Ambitus Hieroſolymæ 183, m.

Ambroſianum officium 241, i.

Ambroſius ex præfecto Epiſcopus 209, m.

Ambroſius Mediolanenſis 209, f.

Ambroſius Romanenſis 216, m.

Ambroſius Cancellarius Ottonis M. 732, m. 752, m.

Amelberga 159, i. 668, i. fax belli Thuring. ib. f.

Amelungus Epiſc. 741, m.

Ammon deamat Thamarem 120, m. filius Manaſſis 135, m. Ægyptiacè arena eſt 151, m. per Abſalomum tollitur è vita 120, m.

Ammon, unde Ammonitæ, filius Lothi 85, f.

Ammonitæ ſubacti 129, i.

Amorræi ab Amorræo denominati 77, i. cæcitate percuſſi 100, i. Iſraelitis inſidiantur 96, i. ſuperantur, ib.

Amorræus Chanaanis filius 77, i.

Amos quando prophetarit 128, m.

Amphicus rex peremtus 107, f.

Amphion cantu citharæ ſaxa movet 102, m. regnat Thebis, ib.

Amphitryo regnavit in Græcia 75, m.

Amram pater Moyſis 90, m.

Amri rex Iſraelis 123, f.

Amulius Numitoris filiam propter nit 128, m. quando cœperit regnare Latinis, ib.

Amyntas rex Maced. 142, m. 147, f.

Amyntes Aſſyriorum rex XVII 98, m

Anach pater Sagmaris vel Semegadis 102, i.

Anachoreta, Eremita 800, i.

Anacletus Papa 192, i.

Anagariæ, Gregor. IX. ſubſcripſit bullæ 534, m.

Ananus Pontifex occiſus 182, i.

Anaſtaſius Imper. fulmine percuſſus 219, f. quandiu imperaverit 219 m. 233, m.

Anaſtaſius II. Papa Rom. 213, m. 219, f. 275, m. moritur 454, m.

Anaxagoras Phyſicus claruit 142, f. 146, m.

Anaximander ſucceſſit Thaleti Mileſio 142, f.

Anaximenes ſucceſſor Anaximandri, ib.

Anchiſes pater Æneæ 101, m. 227, i.

Ancona 70, i. m.

Ancus Martius moritur 135, f.

Andernacenſes 392, m. malitioſi 409, m.

Andes pagus 170, i.

Andreas Rex Neapolit. 367, f.

Andreas quidam miracula edit 221, i

Andr. Legatus Leodienſ. 399, f. 401, i.

Andromache, Hectoris uxoris ſomnium 108, m.

Andromacha, Pyrrhi uxor 68, i. 111, i.

Andronicus Junior tertius Palæologorum 472, i. Henrici Brunſuic. affinis, ib.

Andronicus 166, f. ejus genus & familia 473, f. Andr. ſecundus, ſororius Henrici junioris Brunſv. 475, m.

Angaria 216, i.

Angariæ monumentum Widekindi Sax. R. 546, m.

Angeli corporum creatores Platonicis putati 142, f.

Angeli Dei cum mulieribus concubuerunt 74, f.

Angeli duo Sodomam miſſi 85, m.

Angeli veræ lucis creatione intelliguntur 62, f. 63, i.

Angeli mali num cũ mulieribus congreſſi gigantes procrearint 128, m.

Angelici 228, m.

Angelus apparet Danieli 140, m.

Angelo Domini obſtat Balaamo 96, f.

Angelus Domini Goliatho ſe offert 118, m. monet Jaddum ut Alexandro M. ſupplex fiat 152, i.

Angelus Domini panem affert Eliæ 125, i.

Angelus Domini in exercitu Senacherib 131, i.

Angelus S. Marci eligitur Papa, & nomi-

Digitized by Google

nominatur Gregorius XII, 325, i.
A*ngelus vexillum* 699, i.
in S. Angelo murus ducitur à Joh. 23. 18. m.
A*ngli ad Chriſtum converſi* 225, f. 667, f.
A*nglia* 113, f.
A*ngliæ Rex Herſlot Normanniæ occupat* 36, i. *Gallos cedit, capit* 36, m. *colloquitur cum Ludov. Bavaro confluentiæ* 402, f. *Galliam vaſtat* 403, i. *Tornacum obſidet* ibid.
A*nglia Saxonia nova* 215, f.
A*nglia in Saxonia* ibid.
A*ngli Saxones* 71, m. *unde dicti aliàs Britanni* 630, f. 667, f.
A*nhaltinorum quorundam principum Genealogia* 793, m.
A*nicetus Papa* 102, f.
A*nima Euphorbi in Pythagoram ingreſſa* 142, f.
A*nima moriens Arabibus non minus quam corpus cum eodem reſurrectura creditur tempore judicii* 228, f.
A*nima perfecta licentiat à ſe virtutes* 229, m.
anima Peripateticis partim æterna, partim mortalis eſt 143, i.
— *Stoicorum ſententia mori viſa non minus quàm moritur corpus* 142, f.
A*nima Tertulliano immortalis ſed interim corporea eſſe viſa eſt* 228, f.
A*nima Ulyxis ubinam poſt mortem manſura* 111, f.
A*nimæ humanæ omnes, quando creatæ, cœlitus infundantur corporibus* 336, f.
A*nimæ humanæ quo loco ab Origene habitæ* 193, m.
A*nimæ humanæ peccatis obnoxiænum in dæmones vertantur* 228, f.
A*nimæ per circulos annorum multos in corpora diverſa Platonicis intrant* 142 f.
A*nimæ à Gnoſticis ſubſtantiæ divinæ putatæ* 228, i.
A*nimalia cuncta ſolis unius calore vivunt* 80, m. *quando & unde creata* 62, f.
Ἀντιστροφὴ *Gobelini Ludovicus Imperator pro Ludovico Italiæ rege poſitus* 246, i.
A*nna mater Samuelis* 117, i.
S. A*nnæ brachium* 563, m.
A*nni ab egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto ad ædificationem templi divini per Salomonem quot* 121, m. *poſt diluvium ad linguarum confuſionem* 76, i. *quibus Salomon Idola colendo deum offendit, annis regni ejus aliis per ſcripturam non annumerati putantur* 122, m. *quindecim vitæ Ezechiæ adjecti* 134, m.
Annonæ charitas maxima 454, i.
Anno Archiep. Colonienſ. moritur 452, m.
Anno Wormatienſis Epiſcop. 774, f.
Annulus in digito quarto cur per inventorem ejus Promethea geſtari juſſus 89, f.
Annus Hebræorum triplex 93. f. *Jubilæus* 84, f. *Jubilæus. annus eſt remiſſionis,* ibid. *Jubilæus conceditur Colonienſibus* 319, f. *Jubilæus inſtituitur* 283, m. *menſibus duodecim lunaribus, diebus quinque & diei quadrante conſummatur* 76, i. *unus noſter decem annos Noëi non habet.* ib.
Anotimum paſcha 193, i.
Ansbrandus 233 i.
Anſcharius ultimus Hamburg. & primus Bremenſ. Epiſc. 556, m.
Anſer Capitolinus excitat Manlium 150, i.
Anſes idem qui Jeſus 98, m.
Antæus 104, f.
Antenor 691, i. *occupat partes Venetiarum* 113, f. *ad Græciæ principes legatus* 106, m. *Venetiarum conditor* 69. i.
Antæ plures 101, i.
Anthemius imperator 217, i.
Anthemon à Græcis captus 108, i.
Antherus pontifex Romanus 200, m.
Anthropomorphitæ 228. m.
Antigone 105. f.
Antigonus Ariſtobuli filius 171, f. *& Alexander regnant* 161. i. *filius Alexandri rex Judæorum* 172, f. *Inſidiis petitus* 168. m. *regnum Aſiæ ſuſcipit* 160, f.
A*ntiochia obſeſſa* 263. f. *per Seleucum Nicanorem condita* 161, i. *à Chriſtianis capta* 382, f. *ibi Fridericus Imp. ſepultus* 385, m.
A*ntiochus Antiochi M. filius Syriæ rex* 165, m. *aſſociat ſibi Scopam* 166, i. *cum Romanis fœdus init* 164, m. *Epiphanes* 165, f. *Eupator* 166, m. *Eupator ab equitatu peditatuque munitiſſimus venit in Judæam* 166, m. *exercitum mittit contra Simonem* 167, f. *Perſiæ Rex morbo perit miſerabili, divinitus confeſſione ipſiusmet immiſſo* 166, m. *profanat templum Hieroſolymitanum* 166, i. *Samariam ſolo æquat* 124, i. *Syriæ rex bellum magnum parat adverſum Romanos* 164, m. θεὸς 162, f.
A*ntipapa in gratiam receptus à Papa* 515, m.
A*ntipater Herodis magni pater* 171, f. *Idumæus* 169, m. *veneno peremtus* 177, f.
A*ntipatris adventus prænuntiatur* 516, m.
A*ntipas rex per Diomedem occumbit* 107, f.
A*ntiquitas ipſa errorem hiſtoricorum creavit* 611, m. *apud literatos in pretio eſt* 758, i.
A*ntonia caſtellum Herodis, à Romanis occupatum* 184. i. ib. f.
A*ntonius Pius & liberi ejus* 101, m. *Severi filius, qui & Caracalla Imperator Rom.* 192, i.
A*nton. Priſcienſis Epiſcopus* 733, m.
A*ntonius à Cæſare victus* 173, f. *Bulcanus* 306, i. *eremita* 206, i. *interficit ſeipſum* 174, i. *per papam canoniſatus* 282, m.
A*nton. de Roma indulgentiarum præco, in carcere ſe jugulat* 8, m.
A*nus Jaſonem ad concumbendum cum Medea accerſit* 104, f.
A*odus tempore nocturno ſolem per incantationem facit viſibilem* 102, m.
A*pamia per Seleucum Nicanorem condita* 161. i.
A*pelles* 228 m.
A*pellitæ*, ib.
A*pendorp* 742, m.
A*pis Ægyptiorum deus* 86, m. *Argivis fratrem ſuum præficit* 88, m. *condit Memphin,* ib. *cur Serapis appellatus fuerit,* ib. *moritur,* ib. *maximus Ægyptiorum deus,* ib. *tertius Archivorum rex* ib.
A*pocalypſis Joannis quando & ubi ſcripta* 187, f.
A*pollinaris quando Ravennæ paſſus* 187, m.
A*pollinariſtæ* 228, f.
A*pollo* 78, m. *ambiguè reſpondet Pyrrho* 161, m. *artis medicæ inventor* 80, m. *Carthagini veſte aurea ſpoliatur* 167, m. *natus eſt in Bæotia* 68, m. *Pythonem ſerpentem perimit* 119, m. *quo tempore artem medicam invenerit* 102, m. *de veſte aurea ſibi detracta vindex* 167, m. *de bello Trojano conſultus* 106, f. *Titan & Phœbus cur appellatus* 80, m. *unde Pythy nomen acceperit* 119, m.
A*pollonius, Antiochi dux occiditur à Juda Macchabæo* 166, m.
A*poſtoli Amazonibus prædicaviſſe non leguntur* 110, i.
A*poſtolici* 128, m.
ἀποθέωσις *Diomedis* 112, m. *Elizabethæ regis Ungarorum filiæ* 282, m.

281, m. Menulphi 245, f.

Appius Claudius Cæco aquam Claudiam induxit, & viam Appiam ſtravit 160, f. 147, m.

Appius Claudius invadit Siciliam 161, f.

Appius Cæcus primus inter ſcriptores Romanos oratione uſus eſt ſoluta 98, m.

Aprilis noſter Hebrais eſt Niſan 92, m.

Apulejus Socratis ſectator 148, i.

Apuleja XV. Italiæ provincia 70, m.

Apulia & Sicilia Imperio Germ. adduntur 385, m.

Aqua Ægypti in ſanguinem converſa 91, m. aſperſionis 95, i. contradictionis ib. f. diluvii 75 i. ex aſini mandibula ſaliens 116, i. terram circumiens Oceanus 64, i.

Aquæ ductus Neapoli inciduntur in obſidione 480, i.

Aquæ amaræ dulces factæ 93, m. Jordanis huc illucq; diviſæ 126, i. mundi pro Neptuno habitæ 80, i.

Aqua in vinum miraculoſe mutata 563, m.

Aquila Bibliorum interpres 191, i. cur primum vexilli ſignum fuerit Jovi 130, m. Jovi Titanibus bellum illaturo apparet, ib.

Aquilea anno obſidionis tertio per Attilam capta 215, m. Fori Julii caput 68, f.

Aquiſgranum quondam Lotharingiæ urbs 643, m. 685. m. Palatium ibi, 685, i. Fridericus Imp. Paſcha ibi celebrat 385, i.

Aquiſgranenſes proſcribuntur 288, m. recuſant Imperatorem coronandum recipere 520, m. trucidant Wilhelmum Juliacum 420, i.

Aquitania finis Galliæ 70, f.

Ara Baalis deſtructa 102, f.

Arabes iidem cum Sabbæis 77, i. terram Juda vaſtantes theſauros Jorami aſportant 125, m.

Arabia dicta Saba 65, i. 65. m. unde dicta, ib.

Arabici 228, f.

Arabiſſa uxor Jobi 87, f.

Arachæus ſeptimus Chanaanis filius 77 m.

Aradii ab Aradio denominati, ib.

Aradius Chanaanis filius, ibid.

Aralius rex Aſſyriorum quintus 86, m.

Aram moritur 84, i.

Arator 224, m.

Arbaces Sardanapali præfectus regnum ad Medos transfert 128, i.

Arbergiorum Dynaſtarũ origo 481, f.

Arbores fatidicæ 157, m.

Arbogaſtes Valentiniani occiſor 679, i.

Arca Domini filiis Helis per Philiſtinos eripitur 117, i. domini per Iſraelitas, è manibus Philiſtinorum recepta, ponitur in domo Aminadabi 117, f. Noei in montibus Armeniæ quieſcit 75, m.

Arcades in lupos converti ſolent 113, m.

Arcadia, Sicyonia dicta, 68, m. ſinus eſt Achajæ ibid.

Arcadius Imp. quandiu imperarit 211, i. ibid. m.

Arcas filius Jovis Pelaſgis ſubactis regionem illorum Arcadiam vocat 98, m.

Arceſilaus vel Archelaus 143, i.

Archelaus Cappadocum rex 177, i. Macedonum rex 187, f. relegatur 177, f. ſuccedit Anaxagoræ 142, f.

Archibuſio, Arquebuſe 52, m.

Archidiaconatus Bononienſis magna dignitas 6, m.

Archiepiſcopatus Magdeburgenſis 251, i. Pragenſis 152, m.

Archiepiſcopi Germaniæ, imprimis Moguntini, Summi Pontifices ſunt appellati 677, f.

Archiepiſcopi Germani Cardinalatum repudiant 316, i.

Archiepiſcopus Colonienſis Angariæ ducem ſe eſſe ſcribit 216, i. Colonienſis & Comes Clivenſis in periculo verſantur 332, i. Magdeburgenſis 276, m.

Archilochus medius diſcinditur 107, m.

Archontici 228, m.

Ardea oppugnata 144, i.

Ardeſina, Ardenna, Oſninus 361, i.

Ardiſus rex Lydorum L 129, i.

Arelatenſe Regnum eſt pars Imperii 46, m. Imperatorum negligentia amiſſum ib. quomodo recuperandum ib. provinciæ eo ſpectantes 51, m.

Aremulus rex Latinorum XII, (127, m.

Arenſpergicus comitatus antiquiſſimus 415, i.

Aretha Syriæ præfectus 153, m.

Aretium oppidum 163, f.

Arſa vicus Judææ 65, f.

Argæus rex Macedonum V. 135, i.

Argentina 206, i. Epiſcopos male tractat 49, m.

Argetal, caſtrum obſeſſum 404, m.

Argo navis 104, i.

Argonautæ 103, f. 263, f.

Argus rex Argivorum 89, m.

Aribo Archiepiſcop. Moguntinus 451, m.

Aridæus 106, f.

Aries inſtrumentum bellicum deſcriptum 180, f.

Arietes pro numinibus culti 78, f.

Ariminum conditum 161, i. 164, i. quondam Romanorum Galliæ Ciſalpina fuit 161, i.

Arioli & magi Balthaſaris regis 140, i.

Ariphilis 105, m.

Ariſteus 162, m.

Ariſtobulus filius Herodis 173, f.

Ariſtobulus ſibi poſt patris Hircani obitum diadema primus imponit 168, i.

Ariſtobulus Judeus, peripateticus Philoſophus ſummus, in libros Moyſis commentarium Ptolomæo Philometori dicat 167, m.

Ariſtobulus veneno ſublatus 168, m.

Ariſtoteles Auctor peripateticorum deambulando ſolitus diſputare 143, i. eloquio Platoni impar 151, m. excellentis ingenii vir, ibid.

Arius rex Aſſyriorum quartus 86, i.

Armatrites rex Aſſyriorum VII, 87, m.

Armunfridus 668, i.

Armenii 65, f. 66, i.

Armeni ab Ule deſcenderunt 76, f. per Alexandrum Magnum victi 152, i.

Arminfridus rex Turingorum 159, i.

Arnaldesheim 750, m.

Arnoldus Bavariæ dux 246, m. 228, m.

Arnoldus Archiep. Colon. obit 454, m.

Arnold. Epiſc. Merſburg occiſus 523, f.

Arnold. Archiep. Mogunt. occiſus 454, f. 415, f.

Arnold. Abb. Corbeienſ. 756, f. 760, f.

Arnold. Noricorum D. moritur 663, m.

Arnolfus Epiſc. inter eſt Concil. Raven 733, m.

Arnsburgum obſidetur 271, i.

Arnsburgenſis Comitatus 363, m.

Arnſtein Comitatus 794, m.

Arnſteiniana & Barbyenſis familia videtur fuiſſe eadem 794, m.

Arnulfus 223, m. imperator 244, m. debellat Normannos ib. inauguratur Romæ 144, f. moritur, ib. rejicit Ungaros ib. m.

Arnulphi f. Arnoldi Imperatoris origo & familia 676, m. mors ib.

Arnulphus Bojariæ D. 637, m. obit 644, m. 687, f.

Arnulfus Junior, Arnolfi mali filius 697, f.

Arphaxad Noëi filius genuit Salam 76, m.

Arpha-

Arphaxad Semi filius moritur 83, f.
Arphaxad quidam, Medus, Niniven inſtaurat 145, i.
Articuli in Synodo Conſtantienſi propoſiti 339, f.
Arragonia R. obit 46, m.
Arrius hæreſiarcha 203, m. moritur 204, f.
Ars fabricandi arietes & tecta unde 103, m. ferraria per Tubalcainum reperta 74, i.
Arſames, Ochi filius 151, f.
Artabanus Armeniæ rex 173, f.
Artaldus Epiſcopus Romanus 695, i.
Artaxerxes à Judæis Aſſuerus appellatus 147, f. Eſdræ idem eſt cum Cambyſe 144, f. præcipit ut Græcia vivat in pace 148, m. Longimanus quanto tempore regnaverit 146, m. Ochus rex Perſarum II, 151, i. rex Perſarum VII, 140, f.
Artes Magicæ 161, f.
Artotyritæ 228, m.
Arturus Britanniæ rex 218, f.
Aruſenſis Eccleſia 749, m.
Arx montis Sionis obſeſſa 166, m.
Aſa excelſa idolis deſtinata non tollit 123, m. moritur, ib. petit auxilium regis Syri contra regem Iſrael, ib. vincit Æthiopem Saram, ib.
Aſaphus 121, m.
Aſcalon 65, f.
Aſcanes 77, m.
Aſcanius 116, f. rex fit Latinorum 115, m. cond.. Albam longam, ibid.
Aſcatades 92, m.
Aſculum 70, m.
Aſenei 77, m.
Aſeneus ibid.
Aſer 87, i.
Aſia 64, i.
Aſina Balaami 96, f.
Aſlen, locus, ubi 396, i. Aſlenſium Comitum proſapia 529, m.
Aſna fl. 336. f.
Aſnebrugi, Epiſcopatus 755. m.
Aſpiratio nominum ab R. incipientium 707, m.
Aſſaracus gignit Capyn 101, m.
Aſſeburg, arx 784, m. Aſſel pagus, ubi 529, m.
Aſſenetha 87, m.
Aſſi, Haſſi 797, m.
Aſſuerus, qui duxit Eſtheram, non eſt iſte, qui Eſdræ Cambyſes eſt 145, i.
Aſſur 65, i.
Aſſyria ib.
Aſſyrii iidem qui Chaldæi 128, m. per Bethulienſes fugati, proſtrati 145, m. ab Aſſure orti 76, f.
Aſta, urbs, ubi 477, m.
Aſtabari qui prius Sabatani 77, i.
Aſtenſis Comes Henricus moritur, 453, f.
Aſterius 99, m.
Aſtutia eorum qui rationes reddere coguntur 397, i.
Aſtyages aliquibus binomius 139, f. capitur ib. Darium adoptat, ib. filiam militi cuidam plebejo conjugem cur det ib. i.
Aſtyagis facinus 139, m.
Aſyla 99, i. (130, i.
Aſylum per Romulum inſtitutum
Aterndorf, Hadeliæ metrop. 667, i.
Aternum urbs, ad fl. ita dictũ 752, m.
Athalia 125, m.
Athanaſius ab exilio revocatus 207, f.
Atheldagus Hamburg. Ep. vindicat Aldenburg 737, i.
Athenienſes unde Jones dicti 64, m. ſe Thebanis potentiores eſſe gloriantur 153, i.
Atho Canuſſii arcem obtinet 730, f.
Atlas Aſtronomiæ inventor 80, f. 89, i. cælum humeris ſuſtentat 90, i. 95, m.
Atreus 148, m.
Attica 92, i. 68, m. ib.
Attila 215, m. ib.
Avarum dignitati præficere periculoſum 5, i.
Avares ſeu Huni 67, f. poſtea Hungari dicti 634, f. Thuringiam invadunt 641, Bojoariam invadunt 654.
B. Auctor juvat Brunſuicenſes in victoria obtinenda 546, f.
Audentii reliquiæ 563, i.
Avend. 81, f.
Avenionenſis Academia floret 375.
Aventinus mons ab Aventino, quodam ſic appellatus 127, m. 135, f.
Aufidus 70, m.
Aufredus Trajectenſ. Epiſcop. moritur 557, m.
Auguenſis, pagus 766, m.
Auguſta 124, i. 253, m.
Auguſtinus 150, m.
Auguſtinianorum cœnob. Helmſtad. quando extrui cœptum 421, f.
Auguſtus Cæſar porcus eſſe maluiſſet Herodis quam filius 177, m. moritur ib. f. triumphat 174. m.
Auguſta capta 452, m.
Auguſtus menſis 174, m.
Joh. Avienis 419, f.
Aviſamenta in concilio Conſtantienſi propoſita 340, i.
Aulica Eccleſ. ſexta Saxoniæ 554, m.
Avo, Abbas Corbeienſ. 755, m.
Aurelianus 197, m.
Aurelia floruit ſtudiis liberal. 397, f.
Aurea bulla 473, f. honoris ſignum ib.
Auror fulgur auri 803, m.
Auſtria 67, f. 238, m. 270, i.
Autricum, ſ. Antiſiodorum Juſtini caput ſervavit 669, m. quod inde translatum Corbeiam 770, m.
Autharius 182, f.
de Avvans & Warans Nobiles factionibus pugnant 399, m. 402.
Azarias 127, m.
Azo Præpoſitus Steterbergenſ. 454, i.

B.

BAal cum templo ejus per Jehu dirutus 127, i.
Baalitæ 124, f. Baalem invocantes ſaxum Siſyphi verſant, ib. per Jehu mactati 127, i.
Baaſa 123, f.
Baba Ottonis Saxon. D. filia 674, i.
Babylon 65, i. 139, f.
Babyloniæ gentes in civitatibus Samariæ collocatæ 129, f.
Babylonis transmigratio 119, f.
Baccha 102, i.
Bacchanalia, ib.
Bachardus homo malitioſus 508, m. Luciferum quartam in divinis perſonam dixit, ib. combuſtus, ibid.
Bacchides 166, f.
Bacchus 92, i. 151, m.
Bactria 65, f.
Badeliki præſidium, quis locus 359, m.
Baganda 107. f.
Baghardi 229, i.
Bajazetes 287, m.
Bajoaria quæ & Bavaria 67, f. Ducum & Palatinorum ad Rhenum origo 697, f.
Bajoaria ab Ottone I. tranquillata 687, f.
de Bailion & Hoien Domini 398, m.
Bala 86, f.
Balaamus 96, m. ubi cætera de eo digna leges
Balacus ib. ubi totam hiſtoriam ejus habes deſcriptam.
Baldaricus Epiſcop. 741, m.
Baldaricus Baſini Thuring. R. fil. 668, f.
Baldevvinus Armeniæ R. 382, f.
Baldevvinus Bremenſem ſedem tenens 506, m.
Baldevvinus miles capit Fridericum 386, m.
Balduinus Epiſcop. Paderbornenſis 284, m.
Balduinus Flandrenſis Cæſari rebellis 258, m.
Balliſta à βάλλειν dicta 72, m.
Baleares inſulæ ib.
Baleus Rex Aſſyriorum IX. 88, i. VI. idem qui & Xerxes 86, m.
Βάλλειν 72, m.

Baltha-

Balthaſar abnepos Nabuchodonoſoris 139, f. ubi vide.

Balthaſar de Coſſa 330, m. monſtrum hominis at Papa R. 360, f. fit diaconus Cardinalis per Boniſac. VIII. largitionibus id obtinens & deinde legatus in urbe & Comitatu Bononienſe 9, m. Bononiam Boniſacio ſubjicere conatur 9, f. & poſt diuturnam obſidionem occupat, ib. dictus & factus Bononiæ dominus, duriter ſubditos tractans p. 10, i. multos ibi ſeditionis veluti reos trucidavit 10, i. Bononienſes opulentos cujuscunque eſſent ordinis mulctavit 10, i. gabellas novas adinvenit & impoſuit 10, i. ut ex pane & frumento gabellam acciperet, non niſi in uno loco vel duobus panem coqui aut vendi curavit 10, m. venditi vini gabellas cepit 10, m. Frumenti omnis quod molebatur tertiam partem ſibi ſumſit 10, m. cibum alibi paratum aut vinum alibi emtum, Bononiæ conſumere non patiebatur 10, m. dimidium vini. in tabernis venditi, ſibi gabellæ loco ſumebat 10, f. ex victualibus omnibus ſumſit gabellam 10, f. gabellas ex ſcortis & baratoribus, hominibus turpibus extorſit 10, f. aſtutus, proſpera & adverſa æquo ferens animo 12, i. terribilia aggrediens felicem eventum obtinet, ut quando caſtrum inebriato exercitu ex pugnavit 12, m. Romæ pro lubitu diſponit p. 13, i. Alexandrum ne Romæ ſedem habeat, impedit 13, i. Alexandrum papam una cum Cardinalibus Piſtoria Bononiam abducit & liberalitate ſibi omnes devincit, p. 13, m. ibidem eligitur à Cardinalibus Papa, licet ipſe Cardinalem Melitenſem Conradum, nominaſſet, & ut is eligeretur Cardinalis rogaſſet 13, f. à Ludovico Siciliæ R. commendatur Cardinalibus, inprimis Gallicanis ad Papatum 13, f. eligitur Pontifex 13, f. non mature quærit pacem inter R. Pol. & Mag. Ord. Theut. 14, m. fruſtra nititur Carolũ Malateſtam ſibi conciliare 15, m. Labaſcit animo 16, f. pacem cum Ladislao facit 17, m. Romæ denovo pecuniam extorquet 17, f. horrendas gabellas exigit 18, i. monetam mutans cogitur edictum ſuum retractare 18, m. Indulgentias publicat 18, m. inſignia ejus ſuſpenſa fulgure diſjecta 20. i. Româ fugit Sutrium, hinc Viterbium 21, f. Florentiæ & Bononiæ degit 23, m. à Colonienſe Archiep. pro inveſtitura magnam accipit pecuniæ ſummam 24, m. putat propter hæreſin tantum Papam deponi poſſe 25, f. Calumniatur Sigismundo 27, m. Conſtantia fugit Schafhuſium 27, f. hinc Lauffenbergam & Friburgum p. 28. Briſacum p. 29. Nuenburgum ib. miſit in Concilium procuratorium ſed inſufficiens 29, m. ſperat D. Burgundiæ ope evadere 29, f. Cuſtoditur in opp. Cellæ dicto 30, f. Articuli 55. formantur contra eum 30, f. Deponitur 31, i. 32, f. prælatus quidam eum ex carcere liberare conatur 45, f.

Balthaſar Thuring. Landg. 414, f.

Balthaſar Ottonis R. Neapolit. frater, D. Brunſuic 487. ejus conjugium & obitus, ib.

Balthaſar & Otto filii Henrici, D. Brunſu. 477, i.

Bamberga unde nomen habeat 674, i

Bambergenſium Comitum familia quando floruerit 673, f.

Bambergenſ. Epiſcopus Guntherus obit 452, i.

Bananias 120, i.

Banderium Romanæ Eccleſiæ 7, m.

Banneſen, campus 401, m.

Banſionenſis vicus 557, f.

Baracus 102, i.

Barathrum Romæ factum 151, i.

Baratores 52, f.

Barbianus Comitatus Bononiæ confinis 12, i.

Barbienſis familia, eadem cum Arnſteiniana; 794, m.

Barbuic dynaſtia Saxoniæ 794, m.

Bardevvic deſtructum 507, m. 529, m

Bardevvicenſ. Eccleſ. fundata 556, i.

Bardo & Burghardus victi ab Henrico Aucupe 636, i.

Bardo Archiepiſc. moritur 451, f.

Barenſes 307, m.

Barletum ibid. i.

Barnabas Mediolani Vice-Comes, 477, f. (569, i.

Joh. de Barkhuſen obit & ſepelitur

Barrabo 285, i.

ap. Barrum in Apulia moritur Bruno Archiep. Colon. 385, f.

Barlingehuſen monaſterium 508, m.

Bartenslebii cum Peinenſibus videntur ejusdem originis 446, m.

Bartenslebiorum familia florens 532, m. Suerinenſes inde orti, ib.

Bartholomæus Cardinalis Barenſis nomen Urbani ſortitus 294, f.

Bartoldus Epiſcopus in Livonia 530, i.

Barvradus Epiſc. Corbeiæ, 755, i.

Barvvardus Epiſc. Hildeſem. canoniſatur 508, m. 531, i.

Baſan 96, i.

Baſilica XII. Apoſtolorum 316, m. Caroli M. Aquisgranenſ. 642, m. de veterum baſilicis ib.

Baſiles, principes 789, f.

Baſo aliis Biſo 257, m.

Baſſalo 744, f.

Baſinus Thuringorum Rex 668, f.

Baſina Regina fatidica, ib.

Baſſus 218, m.

Bathuel 86, i.

Bavenberg Epiſcopeum conſtructum 410, f.

Bavari 255, f.

Beda 232, i. &c.

Beelphegor 83, m.

Beelzebub 83, f.

Begga 227, i.

Behem & Niſom, regiones 753, i.

Bela III. Rex Hungar 449, f.

de Belderßen eques 564, f.

Belgica 70, f.

Beliſarius debellat Gothos 220, m. 224, f.

Bellik, Badilik 688, m.

Bella Davidis 120, f.

Bella Romæ ſocialia 168, f.

Bellatores viri Davidis 120, i.

Bellius mons 70, i.

Bellopares 100, f.

Bellua monſtroſa Alexandro viſa 555, i.

Bellum Amazonum contra Thebas 114, f. Caroli Italicum 238, m. Pannonicum, ibid. civile Romanum primum 168, f. civile inter Gracchum, Scipionem & Pompejum 167, f. Danicum 277, i. Gallicum contra Romanos 163, f. in Galliis 246, f. in Thuringia 276, m. inter Antoninum & Auguſtum 173, f. inter Aſtyagen & Perſas 139, f. inter Brabantiæ & Juliaci duces 286, i. inter Davidem & Abſolomum 120, f. inter filios Ludovici Pii 242, f. inter Hungariæ & Bohemiæ reges 281, i. inter Romanos & Pyrrhum ſecundum 161, m. inter tribus Iſraeliticas XI. & Benjamiticam 101, m. inter Wandalos & Suevos 213, f. inteſtinum Hieroſolymitanum 182, f. Judaicum per Joſephum deſcriptum 180, i. Mithridaticum 169, i. Pharſalicum 170, f. Punicum 162, f. 163, m. Punicum II. 164, m. Romanorum cum Samnitibus 160, m. ſacrum 263, m. 273, f. Saxonicum 235, i. ſociale 169, m. Tarentinum 161, m.

161, m. Trojanum 115, i. inter Philippum Regem Galliæ & Ottonem 365, m. Polono-Pruſsicum 14, m.
Belochus 88, i. 99, m.
Belphegor 83, m.
Belus 76, f. 82, f. &c.
Benedicens populo Dei benedicitur 97, m.
Benedictione Papæ promoventur Abbates, 384, m.
Benedictus, Antipapa Imperatori deditur 251, i. 730, f. moritur Hamburgi in exilio, ib. I. Papa Rom. 225, m. II. Papa Rom. 231, f. V. Papa R. 254, f. VI. Papa R. ib. XI. Papa R. 289, f. conſecratur 314, f. eligitur 306, i. moritur, ib. XIII cedit Papatu 36, f. obſidetur bello 37, m. fugit in Sardiniam 39, decrepitus 40, m. agit cum Cardinalibus de ſucceſsione 44, m.
Beneventani 304, m. 306, i.
Beneventum 70, m. 161, i. 304, m. & ſeqq.
Bengeler 314, m.
Benjamin 87, i.
Benjamitæ 101, m.
Beor 97, i.
apud Berbuis prælium 399, i.
Berengarius 246, m. 284, m. 249, m & ſeq. 652, i. II. ab Ottone captus 703, f. reſtituitur 724, m. bellum movet, ib. mittitur in exilium cum uxore 726, m.
Berg aut Schallekesberg caſtrum 515, f.
Bergæ ſepultus Frideric. Archiep. Colon. 385, f.
Bergenſes Dynaſtæ, ubi habitaverint, 542, f. eorum ultimus Otto Epiſc. Mindenſis, ibid. epitaphium illius 543, i.
Bergenſe Monaſter. prope Magdeb. 523, m. in epiſcopatu Aichſtetenſi conditum 691, m.
Bergkerke villa Weſtphal. 555, f.
Bergomum 150, f. &c.
Berigius 109, i.
Beringer, Reginhold & Gerhard fratres 674, m.
Bernburgenſes Comites 522, i.
Bernburgenſis Marchio Wernerus 683, f.
Bernhardo Epiſcopo Paderborn. donum Papale collatum 268, m.
Bernhardus abbas Clarevallenſis 275, m. 501, m. Spiræ prædicat 348, f.
Bernhardus Bitter Dapifer 389, f. capitur 390, i. rapit filiam Gervvini de Rinkenrode 394, m.
Bernh. Brunſuicenſis 335, m. captus 547, m. Comes Lippienſis 272, f. 273, i. 335, m. &c. 364, f.
Bernh. Com. Lipp. capit Henricum D. Luneburg 520, f. 548, m.
Bernh. Com Lipp. Monachus factus 523, m. 537, i. Dux Luneburgenſis 288. m. filius Caroli Groſſi 244, m. 155, m.
Bernhard Epiſc. 741, m. VII. Epiſcop. Halberſtadenſ. nobilis ab Haderſleben 646, m. 690, i. 702, f. moritur 662, m. Ottonis deſiderio repugnat 734, i.
Bernh. præpoſitus Hamburg. tutor Eccleſiæ Bremenſ. Epiſcop. Mindenſ. & Oſnabrugenſ. 518, m.
Bernh. Epiſc. Hildeſ. Romam abit 453, f. obit 454, m.
Bernh. de Horſtmal 388, f. Comes 417, f. 418, i.
Bernh. D. Lauenburgenſ. 431, m.
Bernh. VII. Epiſcop. Mindenſ. 558, f. I. epiſcopus Padebornenſis 268, m. obit 454, f. II. Epiſcop. Pad. 273, f. III. Epiſcop. Pad. 276, f. IV. Epiſcop. Pad. 277, m. 365, f. V. Epiſcop. Pad. 284, m.
Bernh. Peinenſium Comitum ultimus 446, i.
Bernh. Pipini F. Caroli M. Nepos 765, i.
Bernh. præpoſitus Steterburg. obit 454, f.
Bernh. Comes de Welepa 434, i. 445, m. 564, m.
Bernhardsroda 745, m.
Bernsherdeſtorp 750, m.
Bernvvardus 255, i.
Berſingenſe prælium 515, m.
Berſabea 120, m.
Berteritus R. Longob. 230, m.
Bertha Italica conciliatur Henrico 452, i. Imperatrix. ib.
Bertharius Thuringus 668, f.
Bertholdus Bajoariæ procurator 649, m. frater Arnolfi ibid.
Bertoldus Epiſcop. Hildesheim obit 453, m.
Bertoldus Præpoſitus Hildesh. obit 453, f.
Bertoldus de Tunen officiatus in Hamme 395, m.
Bertrandus de Arvaſſanis 318, m. etc.
Bervvardus Epiſcop. obit 451, i.
Beſeleel 95, i.
Beſſus 154, m. etc.
Beſtia quædam magnitudinis inuſitatæ 155, i.
Bethel 84, m. 86, f.
Bethlehema 86, f.
Bethulienſes 145, m.
Bezetha 183, m.
Biblia Hebræa ſumptibus Ptolemæi Philadelphi Græca facta 162, m.
Bibliothecarius & Legatus Papæ Wido 735, m.
Bichlingenſi Comiti Henrico nubit Henrici Mirab. F. 470, m.
Biertana 688, m. ibi prælium 645, m.
Bigamia 73, f.
Bigera loci nomen 741, m.
Bilingus Comes 741, i.
Dn. de Bilſtein 393, f.
Birſina, locus 740, i. m.
Biſo qui & Baſo 245, f.
Biſchoperode monaſt. 512, i. 564, m.
Biſchoppeshagen 564, m.
Biſuntiæ curia Francorum & Slavorum 454, f.
Bithynia Beritia prius dicta 66, m.
Bitide loci nomen 535, m.
Bitter, cognomen Bernh. Dapiferi 389, f.
Bizzum, locus 741, m.
Blanckenborg 273, m. Comitatus ceſsit Ducibus Brunſuic. Comites 507, m. ex Comitib. his fuit Epiſcop. Mindenſis XXVI. 562, m. Comitiſſa Oda. 794, m.
Blanditiæ fœmineæ quantum poſsint 122, m.
Blankenſtein caſtrum 379, i. 386, f.
Blaſia Sebaſtæ epiſcopus 201, f.
Blaſphem a Choſrois 226, m. Juliani 207, f.
Blechfeldicum prælium 452, m.
Elithilda 227, i.
Bobelſtorp 242, m.
Boda fl. diæc. Halberſt. 688, f.
Bodicken 240, f.
Bocmundus Archiep. Trevir. 394, i.
Bockeborg, muro cingitur 519, i.
Böckenvörda 255, f.
Bokelo caſtrum exſtructum 567, à Mindenſi Eccleſia tranſit ad Comites Schauenburg. 567, m.
Böethius 220, i.
Bœotia 68, m.
Bogenarius, id eſt humilis, ita dictus Henr. Com. Oldenb. 534, m.
Anton. de Bogetta Can. Leod. 400, i.
Bogiſlas Balbini ſententia exploſa 530, f.
Bohemia 67, f.
Bohemi comedones & bibones 74, f. quando Imperio Germ. ſubjecti 742, m.
R. Bohemiæ I. herbipoli creatus 741, f. dapifer Imperatoris, ib.
Bohemiæ borealis princeps Boleslaf 686, i. ſævus 695, f. oppugnatur 652, i.
Boh. duces quando reges facti 362, f. 695, f.
Bohemia oppugnatur & capitur ab Henrico Rom. Rege 682, m. 450, f. 451, m.

Digitized by Google

Bohemiæ R. bello Anglicano occumbit 404, i. Luzenburg. feudum poſſedit 401, m.
Bohemiã invadit Lotharingus 380, m
Bohemus quidã Chriſtianus fit 247, f.
Bohemi Joh. Huſi doctrinam amplexi 17, f.
Bolizlaf fratrem trucidat 643, m. acerrimus conſilio, ib. cadit Saxones & Thuringos 643, f.
Boleſlaus Bohem. Dux paralyticus 760, i.
Bonſinius male ex Brunſuic Brundiſienſem facit 475, m.
Bonifacius epiſcopus Moguntinus 233, f. 239, m. f.
Bonifacius II. papa R. 218, m. 224, m. 231, m. IV. papa R. ib. V. papa R. ib. VIII. papa R. Balthaſari Coſſæ poſt Joh. 23. confert Bononienſem Archidiaconatum, 23, 6. per eum exercet uſurariam iniquitatem Romæ 8, f. 9, i. pecunia deſtitutus Bononiam occupare non potuit 9, m. decedit 11, i. 396. IX papa Rom. 316, i. ibid. m. 323, m. 367, i.
Boni homines, equeſtris ordinis Viri, dicti 419, m.
Bononia 70, m. 281, m. 289, i. libertatem redimit 42, m. qualis civitas 6, m. 10, m. à Galeatiis detenta 9, m. obſeſſa ib. etiam à Bonifacio Papa, per Balthaſarem 9, f. & occupata, ibid. & ſeq. gabellis premitur 10, i. à quibus Germani eo venientes immunes fuerant 10, f. 11, i. Alexandro ibi mortuo eligitur Balthaſar, p. 13, f.
Bononienſis Epiſcopus Adelbertus 733, m.
Bononienſis diſtrictus Romandiola vocatus 70, f.
Bononienſes 288, f.
Booz 98, f.
Joh. de Bopardia, miles 399, f.
Bopardienſis prabenda collata Levoldo Northof. 397, f.
Borchardus Hiddingk / miraculis notus 566, m.
Borchardus Grelle Archiepiſc. Bremenſ. 512, i. 536, m.
in Border bona legata 566, i.
Borgentrike 318, i. 335, m.
Bornhovet villa Holſatiæ 510, m.
Borkenſe collegium fundatum 417, f.
Bos agnum enixa 185, m. Romæ locutus 164, i. 172, m.
Boſnienſis Epiſcop. Johannes 513, i.
Boſo Merſeburg. Epiſc. 735, f. 736, m.
Botfeld, Bortfeld, Butfeld 447, f.
Bovo quale nomen 655, i.
Bovo Abbas Corbeienſ. 755, m. II. Abb. Corb. 756, i. hiſtoriam ſcripſit 759, m. III. 756, m.
Bovinum & Bovinæ pons 388, f. 417, f.
Bovinia obſidetur 399, i.
Ludolfus de Boynen miles 379, i.
Brabantia 70, f.
Johan. D. Brab. 393, f. Joh. III. bellum gerit cum R. Bohem. 401, m. invadit Leodienſem Epiſcopatum 402, f. contra juramentum agit 404, m. obit 405, f.
Henricus D. Brab. 534, m.
Brachman 155, f. etc.
Brachmanorum mores 155, f. etc.
Brackel 335, m.
Brandenburgum 247, m obſeſſum 454, m.
Brandenburgenſium March. Genealogia 793, m. Johannes & Otto 533, m. Waldemarus an reſurrexerit 516, m.
Brandeburgenſ. Epiſcopatus fundatus 734, i. paſtores ſubjecti Archiep. Magdeburg. 755, m.
Bredenvord caſtrum deſtructum 391, f. capitur 395, f.
Brema 740, i. m. Brem. Epiſcopatus fundatus 555, m. 556, i. ſchola floruit 624, m.
Bremum locus ubi mercatus conceditur Hamburgenſi Archiep. 751, i.
Brennaburg. urbs 674, m. capta 639, m.
Brennus 150, m.
Hermann. de Bretenvord 395, f.
Bretinga 745, m.
Bretti, Britones 630, m. 667, m.
Briſacum rebellantium latibulum 698, i. oppugnatur 648, i. 690, f.
Brigida vatem agit 291, i.
Britannia 71, m. 113, m. 192, i. Saxonum opem implorat 630, m.
Britanniæ duæ 71, m.
Briton, ibid.
Britones 215, m.
Brixia 150, f.
Brobeke 174, i. 313, m.
Brocardus 161, i.
Brok Capella Mindenſ. 499, m.
de Brokhuſen Comitum ultimus Gerhardus 519, m. Comitatus venditus 547, i.
Bruchi corrodunt quicquid in Ægypto viret 91, m.
Brule obſeſſum 398, f.
Brunduſium 70, m. Brunduſienſis pro Brunſ. 475, m.
Bruningus de Engelinghebor 562, f.
Brunnenſis Præpoſitus 396, i. Reinhardus vel Meinhardus 422, i.
Brunnenſes 392, m.
Brunnimehuſen 728, i.
Bruno idem qui Bernhardus 414, i.
Bruno, Germanus, ad papatum evectus Gregorius V. dictus 360, i. 729, m
Bruno Henrici Aucup. F. 638, i. ejus educatio 680, i. eruditus, Prudentium legere juſſus, ib. Archiep. Colonienſ. 680, m. Dux Lotharingiæ, ib. ſecularem poteſtatem cum dignitate Eccleſiaſtica primus conjunxit, ib. Archiducis nomen uſurpavit 681, i. 441, f. Sanctorum corpora Coloniam tranſtulit 559, i. ejus elogium 650, m. obiit 385, f. 416, m. ſepultus Coloniæ 681, i. Archicapellanus dicitur 748, m.
S. Bruno Epiſcop. Mindenſ. Marchio Brandeb. 498. Monaſterium S. Mauritii condidit, in quo ſepultus 560, m. 498, m.
Bruno Cartuſianorum ordinis auctor 383, i.
Bruno R. Henrici frater Epiſc. Auguſtanus 450, f. moritur 451, m
Bruno præpoſitus Magdeburg. 508, m. Lubecenſis 532, m.
Bruno Epiſc. ſupplicio affectus 450, f.
Bruno Hildesheimenſ. Epiſcopus moritur 454, f.
Bruno Bonnenſis præpoſitus 385, f.
Bruno Brunſuigæ conditor 448, f. amplificator 729, f.
Brunſuicenſium Ducum initium 469. eorum & Paleologorum prima affinitas 474. i. & f.
Bruno comes & dux Saxoniæ 244, i. Epiſcopus Tullenſis 261, f. 265, f. filius ducis Carinthiæ Papa creatus 252, m. Ludolphi Ducis Saxoniæ filius 243, m. reliquias Innocentii Roma attulit, totum Saxoniæ Ducatum adminiſtravit periit cum exercitu in prælio contra R. Daniæ 634, m.
Brunſuiga 267, i.
Brunſuigam Bruno & Tanquardus condiderunt 448, f. eò ſe recepit Henricus junior 431, m. Henrico aſſeritur hereditarium ejus dominium 440, f. unde leonem loco inſignium habeat Brunſuiga 485, m. vendita eſt 799, m. bellum gerit cum Ducibus 519, m. Gildonum magiſtros X. ſuſpendit 514, f. Comitia ibi, Anno 1130, 524, f. capto Ottone Lyneburgico commercia ibi impediuntur, 533, m.
Bruſchius & Bucelinus Krantzii ſcripta ſuis inſerunt 3, m.
Brutania 113, f.
Brutia 165, m.
Brutus fabuloſus Priami filius 113, m.
Bruvvider 392, m.

Bru-

Bruxellenſes dedunt ſe Comiti Flandriæ 405, f.
Buccina ad Jerichuntis deſtructionem adhibita 98, f.
Bucco eſt Burchardus 414, i.
Bucchavi ad occidentē Albis 741, m.
Buchum 742, m.
Bucu, locus 500, f.
Bucco Halberſt. Epiſc. 452, m.
Guil. Budæus Med. D. 702, f.
Bukken 740, i. m.
Buckeborg caſtrum 507. m. arx Schauenburgenſ. Comitum 494, m
Burge 208, m.
Bulgari 143, i. 230, m.
Bulgaria 68, i.
Bulla quid 473. Βυλλαίων 473.
Bulla papalis 304, i. 311, m.
Bullioneus D. coronatus Hieroſolymis 382, f.
Bunna obiit & ſepultus eſt Sifridus Archiep. Colon. 394, i.
Burchardus Epiſc. temp. Ottonis M. 741, m. Aldenburgenſ. Comes occiditur 510, f. 534, i. Epiſc. Miſnenſ. 735, f. 736, m. Suevorum Dux, cui nupta filia fratris Ottonis M. 656, m. Querfurdenſis 528. Wormatienſis Epiſc. Canonicos conſcribit 450, f.
die Burg zu Braunſchweig 799, i.
Burggravius de Montenarken 400, i.
Burgundiæ R. Ottoni ſubjicitur 649, f
Herm. Buſchii ſepulchrum 421, m.
Butjadi 533, f.
Butyllus Urbani VI. Nepos 368, i.
Buzoe villa Lyneburg. 503, m.
Byzantium 71, i. 135, m.

C.

Cabades 220, m.
Cacanus Hunnorum R 227, f.
Cacodæmones ἄμυνοι 118, i.
Cadavera occiſorum hom. machinis in arcem obſeſſam projecta 479, f.
Cades 95, f.
Cadmus 68, m. 74, m. 99, m. 100, f.
Cæſarius Heiſterbacenſis 417, i.
Cæſar 170, i.
Cæſaries Abſolonis 120 f.
Cajeta 115, m.
Caini & Sethi Deſcendentes quomodo nominati, 72, f.
Cainan 74, i.
Cainus 73, m. f. &c.
Cajus Julius Cæſar 170, i. &c.
Cajus Caligula 178, f.
Calabria 70, m. 162, f.
Calcaneus mons Lyneburgi 517, m.
Calculus Hartvigo in ſomno exemtus & in manus datus 256, f.
Calcheim & Cruchte villæ 743, m.
Caleb 95, m.
Calices ad cœnam celebrandam vitrei pro ligneis ſubſtituti 198, f.
Calixtus I. Papa Rom. 198, f. 275, m. illi reſignat Henr. V. 383, i. obiit 453, m.
Callienſis Eccleſiæ Epiſcopus 733, m.
Callinicus patriarcha Conſtantinus 232, f.
Callinicus ignis Græci inventor 339, f.
Calpurnia 172, m.
Cambyſes 77, i. 144, f. etc.
Camenæ villa combuſta 390, i. unde id nomen 419, m. 392, i.
Camillus 150, i.
Campanæ unde originem habuerunt 124, i.
Campania 69, m. 124, i. 161, m.
Campen 67, m.
Campi Cathalaunici 214, f. Hemiſcirii 66, i.
Cancri in numerum numinum relati 78, f.
Canis loco muneris projectus 641, i.
Canes cum carnibus oſſa devorant 163, f. tanquam dii per gentes honorati 78, f.
Canonici Werderenſes ejecti 561, f. Aldenſes Lubeckam tranſlati 566, m. Fratres vocati 450, i.
Canonici regulares ſuccedunt ſecularibus 329, m.
Canonicorum veterum habitatio 450, i.
Canonum volumen magnum collectum 450, f.
Cantilenis celebrarunt veteres Germani res geſtas 786, f.
Canuſium, arx 730, f.
Capella ſancta Trinitatis Paderbornenſis 290, f.
Capelle, locus aliquis, ita dictus 389, f.
Capetus filius Capys 125, m.
Capitolium 136, m.
Cappadoces 77, m.
Cappadocia 65, m. 66, i.
Capua 69, m.
Caput Nicanori abſciſſum, & Hieroſolymam perlatum 166. m.
Caput cæſi hoſtis in campo poſitum 658, f.
Capys 101, m.
Car, Carus, Chara, fluv. 651, 695, m.
Caranus primus rex Maced. 128, m.
Carchedon Syrus
Cardiceas 154, m.
Cardinalatus an fuerit Hieronymi temporibus 209, f.
Cardinales quinque juſſu Papæ occiſi 310, m.
Cardinalis de Petra mala 309, f.
Gebennenſis 295, f.
Cardinalium Conſilium 181, m. 293, f. 324, m. Pontificiorum pompa 293, f.
Carentus 70, m.
Caria 66, m.
Careſtia 55, f. Weſtphaliæ 398, m.
Caria 76, m.
Carinthia 67, m.
Carmen Cumæum 131, m. Moyſis heroicum 98, m.
Carmenſi 76, f.
Carmentis 74, m. etc.
Carmina 96, m. 98, m. 122, i. æternam pariunt gloriam 786, m.
Carnium eſus ſine ſanguine quando permiſſus 75, f.
Caro ad imaginem Dei creata non eſt Ambroſio 72, f.
Carolomannus 221, m.
Carolus Auguſtus 239, i.
Carolus Burgundiæ D. obſidet Nyſſam 753, i. Leodium deſtruxit, perit ad Nanſi, ibid. Calabriæ D. 367, f. Ludovici Dyrrachini filius 479, m. Siciliæ & Neapoli Rex a Papa coronatur, ib. 367, f. ejus conjux Margaretha, patruelis, ib. memor beneficiorum 479, f. Neapolin invadit, ib. trucidatur 487, m. 483, m. Ludovici Pii filius, quas terras acceperit in diviſione regni paterni 637, m. quando natus 693, m. Calvus Franciæ rex 243, f. Craſſus 144, i. R. Franciæ capitur 637, f. 639, m. Antipapam & ſchiſmata fovet 519, m. de Malateſta 9, m. 15, m. 331, m. Galliæ rex 246, f. Imperator 291, f.
Carolus M. 231, i. 235, i. 240, m. 241, m. 271, m. Imperator creatus 634, m. Francos cum Saxonibus junxit, ib. Saxones convertit ad Chriſtum, ib. 670, m. 664, m. Hiſtoriarum curioſus indagator 451, m. Eccleſiam Mindenſem fundat 554, f. quali fuerit corpore, ib. Eccleſias fundavit ad ſeriem alphabethi 555, i. oriundus ex Francia Teutonica, ib. m. multarum gnarus linguarum 556, i. Grammaticam Teutoniam ſcribere cœpit, ib. menſibus & ventis nomina Teutonica impoſuit 556, f. obiit, ib. canonizatus 505, m.
Carolus Martellus 231, i. Rex Hungar. 367, f. Neapolit. creatus ab Urb. VI. 367, f. II. Rex Neapolit. ib.
Carolus IV. coronatur, 405, i. in Metenſi urbe ſolennem habuit curiam 406, f. cœpit regnare 516 m. Mindam venit 518, 546, m. 560, m. Witekindi ſepulchrum viſitat, ib.
Carolus I. Siciliæ R. crudelis 487, f.
Carolus Valeſius Comes Alencon 367, f.
Carpathus 72, i.

Carpocrates 228, i.
Carpocratiani, ib.
Carpophori Martyris reliquiæ 561, f.
Corrobertus vel Robertus R. Hungar. 367, f.
Carrocium 420, f.
Carthaginenſes 165, m.
Carthago 71, i. 121, m. 114, f. 122, m. 127, m. 163, m. &c.
Cartuſienſium ordo capit 383, i.
Caſdai 77, m.
Caſethus, ibid.
Caſſander 160, f.
Caſſandra 136, m. f. 110, f.
Caſſare 789, i.
Caſibalus 107, m.
Caſinus mons 224, m.
Caſtellanus de Waremia 399, i.
Caſtitas filiarum Rombildæ 287, f.
Caſtor 105, i.
Caſtor & Pollux fratres 106, f.
Caſtorpii 411, i.
Caſtrum Lucretiæ 303, m. novum per Paderbornenſ. obſ. 338, m. S. Angeli 316, m. Wilcorum 226, f. Witikindi 238, i.
Caſtrenſes in Waldenberg 393, f.
Caſtruccius de Alteminellis fit Lucæ Dux 471, f.
Cataſta 639, i.
Catina 134, m.
Catula tributi loco miſſa 588, m.
B. Catharinæ oleum 471, m.
Caucaſus 65, i.
Cauſa Trajecti ad Moſam obſeſſi 327.
Ceadrogo Obotritorum Rex 690, m.
Cecropia 92, i.
Cecrops 60, m. 91, i. 92, i.
Cedron torrens 123, m.
Cedvvaldus occiſus 728, m.
Celeſtinus Papa obit 451, f.
Cella Paulinæ, monaſt. 471, i.
Celle oppidum 30, f.
Cenez 100, i. m. & f.
Cenſus Romæ actus 161, i.
Centupulchus Moravorum R. 635, m.
Cerdo quidam magus 191, m.
Ceres 78, m. 80, i. 86, m.
Cerinthiani 228, i.
Cerviſium 69, i.
Certamen quinquennale 129, i.
Certamina artis palæſtricæ Antæo notiſſima 104, f.
Cervil 100, i.
Ceſſodium, odii ceſſatio 805, f.
Cethimus 77, m.
Ceuta capta a R. Portug. 30, m.
Chæremon Stoicus 195, f.
Chalybes, populi metallis abundantes 791, m.
Cham 74, f. 76, i.
Chananæorum gentes decem unde ortæ 76, f.
Chaon 68, i.
Chaonia, ibid.
Charta cur papyrus appellata 88, m.
Cherinthus 190, m.
Chilpericus Francorum rex 221, f.
Chios 72, m.
Chorebus Elienſis 129, i.
Choſroes 226, m.
Chriſma 95, i.
Chriſtiani 179, m. 189, i.
Chriſtianiſmus Clodovæi regis 224, m. Saxonum Britannicorum 226, m.
Chriſtianorum nomen Antiochiæ ſumpſit initium 180, i.
Chriſtianus Moguntin. Archiep. 271, m. 440, m.
Chriſtianus Delmenhorſt. Comes 488, m.
Chriſtianus Com. Sclav. in Grimbecesleba 741, m.
Chriſt. de Lothariis 637, f.
Chriſtiani pelluntur Hieroſolymis, 385, i.
Chriſtus 132, m. 134, i. 141, i. 175, m. 228, m.
Chronica Euſebii 100, f. Levold. Northov. 373, m. Corbeienſis MS. membran. 758, m. S. Ægidiani monachi Brunſu. 546, f.
χρυσόβυλον, & χρυσοβύλλιον 433, f. 476, i
Chus 76, f. Semi nepos, ib.
Cicatrices in facie inſtar piſcis aſſati 570, f
Cilices 77, m.
Cilix 66, m.
Cingulum militare 802, m.
Circipani 503, f.
Circius ventus 68, f.
Circuitus Babylonis 139, f.
Circulus cœli Lacteus Iringus dictus 634, i. 669, f.
Circumciſio 98, m. 228, i. quid Æthiopibus, Arabibus & Phœnicibus valeat 85, m.
Ciſon torrens 102, m.
Ciſtertienſium ordo capit 383, i.
Cithei 77, m.
Cives aliquot Brunſu. capite plexi 282, m. Paderbornenſ. conciſi 281, f. Roſæ albæ ex urbe ejecti 304, f.
Civitas Tranenſis 307, m.
Civitates fugitivorum 99, i. Italicæ Imperatori reconciliatæ 272, m. Judah per Seſacum captæ 123, i.
Cizicæ Eccleſ. paſtores Archiep. Magdeb. ſubjecti 735, m.
Clades Chriſtianorum 187, m. Romanorum 164, f.
Clanculo pro clanculum 800, m.
Claremont obſeſſum 404, m.
Claudia veſtalis 136, m.
Claudius Druſus 158, m. Imper. Romanorum 179, i. & m. 197, m.
Clavi cum urtic in Schaumburgenſ. Com. Inſigniis 531, m.
Cleinenberg 338, i.
Cleinſorgii (Chriſtiani) Chronicon 376, f.
Clementinæ Conſtitutiones 290, i.
S. Clementis corpus in Pontum Euxinum projectum 557, f. Romam transfertur, ib.
Clementis Papæ mors 432, m.
Clemens Papa V. 290, i. 396, m. 387, f. moritur 398, m. III. 275, f. VII. Antipapa 486, f. 547, m.
Clementia Henr. Leonis conjux 503, f. 526, m.
Cleopatra 171, m. 172, i. 174, i.
Cleph 222, m.
Clerici à Papa carnifices deſignati 304, i. Lubecæ congreguntur 454. f.
Cletus Pontifex 189, f.
Clodius Francorum Rex 216, f.
Clodoien idem ib.
Clodovæus 214, m. 219, m.
Clomaci, Slavi 682, f.
Cloſter Groningen 759, m.
Cluniacum 256, f.
Cluſenſtein caſtrum 379, m.
Cluſenſis Epiſcopus Luto 733, m.
Cluſium 150, f.
Clyſtere venenato occiditur Conradus 390, i.
Clytemneſtra 112, m.
Clytus 153, f.
Cn. Fulvius 169, i.
Cobbo Comes Teklenburg 694, m.
Cocareſcemii 657, f.
Coccius 69, m.
Codex Juſtiniani per eum confirmatus 221. m.
Cœleſtinus Papa Romanus 214, m. 218, m. 275, m. & f.
Cœli lacteus circulus Iringi nomine appellatus 634, i. 669, f.
Cœlibatus 198, f.
Cœlius mons 135, m.
Cœlum apud Hetruſcos ardet 164, i. hiatu magno ſcindi viſum ib. m.
Cœnobium Ciſtertienſe 266, m.
Cœnobitæ 800, m.
Cœnus 128, f.
Colchis 103, f.
Ant. Colerus Lubecenſ. 472, m.
Colibriæ caſtrum 17, m. Bened. XIII. in eo obſeſſus, ib.
Colloquium Alexandri M. cum ſene quodam palatii ſolis & lunæ incola 157, i. tenere formula medii ævi 787, m.
Colluſio Suſatenſium cum Comitis Clivenſis Capitaneo 332, f.
Colon. Archiep. Papæ pro inveſtituræ multam pecuniam ſolvit 24, m.
— — Hermannus obit 451, f.

Coloniæ

Digitized by Google

Colonia Agrippina 175, i. *Ubiorum* 270, f. *incendio minuitur* 398, i *interdicta* 394, i *florenos aureos cudendi poteſtatem obtinet* 573, m. *ibi coronatus eſt Robertus Bavarus Imperator* 520, m.

Coloſſus à colendis oſſibus appellatus 72, i.

Coluber Græcis ὄφις 228, m.

Columba virgo quædam ſancta 197, m

Columbanus 226, m.

Columna marmorea Alexandri M. juſſu erecta 156, f.

Columnæ Alexandri Magni 157, f *Herculis* 64, i. 71, m.

Comes Arnsburgenſis 201, f. *de Anhalt* 223, i. *de Arnſtein*, ib. *de Hamersleve*, ib. *Iſenburgenſ Fridericus* 386, m. *de Wernigerode*, ib. *Virtutum* 288, m. 310, i.

Cometa 185, m 264, f. 265, i. 422, m. *mali nuntius* 691, f.

Comitum nomen in Saxon. quando primum auditum 444, f.

Comitatus Flandrenſis 248, f. *Wartbergenſis* 258, f. *de Altenburg & Monte* 386, m. *Geronis* 741, m.

Comites, Lippienſes 321, m. *Saxoniæ antiquæ celebres, quinam* 547, f. *multi hodie deſierunt* 794, i.

Comitia, Bambergenſia 268, i. *Francofurtenſia* 276, f. 287, f *Gelenhuſiana* 273, i. *Magdeburgenſia* 272, f 276, i. *Mindenſia* 260, i. *Northuſana* 264, m *Wirtzburgenſia* 267, f. *prima Friderici Barbar.* 503, m. 525, f. *Salveldenſia* 447, f.

Commarcani qui 525, m.

Commemoratio ſanctorum omnium vita functorum 159, m.

Commodus 191, m

Como Epiſc. Mindenſ. 535, i.

Compendii Monaſterium Scholarium 401, f.

Compromittere 787, m.

Conatui primo favendum 787, m.

Concertatio de regno Francor 159, i.

Concilium generale urgetur à Sigismund. Imper. 23, m. *cur habendum* 24, f. *an ſupra Papam* 28, m

Concilium Aquiſgranenſe 241, f. *Arelatenſe I.* 205, m. *Arelatenſe II.* ib. *Brixienſe* 262, f. *Colonienſe* 557, m *Conſtantienſe* 331, f 339, m. *Epiſcoporum Romæ habitum* 212, m. *Fritzlarienſe* 267, m. *Lateranenſe generale* 282, m. *Lateranenſe ſpeciale* 275 m. *Lugdunenſe prius* 282, f *Lugdunenſe alterum*, ib. *Piſanum confirmatum* 328, i. *in eo Alexander Papa electus* 12, f *Principum Græcorum* 111, m. *Romanum* 324, m. 276, f. *Sardicenſe* 205, i. *Tremonienſe* 258, m *Viennenſe* 290, i. *Wormatienſe* 262, m

Concubinæ Salomonis CCC. 122, i.

Confungen monaſter. 702, m.

Conjugalis amor 6, m.

Conjuratio aulicorum contra Darium 154, m. *contra Amaſiam* 127 m. *contra Ottonem M.* 691, m.

Cono legatus pontificius 267, m. *Archiep. Trevir. occiſus* 452, i. *Epiſc Mindenſ.* 565, f.

Conon Papa 231, f.

Conradinus captus, decollatus 390, f.

Conradus, Abbas Paderbornenſis 259, m. *Frater Friderici Ducis Alſatiæ* 268, m. *de Altena* 399, f. *Archiep. Colon. ungit Richardum* 390, m. *Brandenb. Marchio obit* 454, m. *Carinthiæ Dux* 719, m. *Everſteinius Com. ſuſpenſus prædo* 511, f 535, f. *Friderici F. defendit parentem* 389, i. *Neapolin capit* 390, i. *clyſtere venenato obit*, ib. *Franciæ Comes D. Thuringiæ* 674, f. *Conradi Francorum Ducis poſteri* 719. *Conradus ducit Luitgardam Ottonis I. F.* 719, m *Ei Italia & Papia ab Ottone committitur* 724, m. *Ejus pater, fratres* 684, m. *Cuno dictus, Meranius Dux ſapiens*, ib. *D Wormacienſ.* 720, i *de Marka victor* 400, i *Franciſcanorum Monaſterium ingreditur* 537, i. *Miſniæ & Luſatiæ Marchio monaſterium ingreſſus* 536, f. *Mindenſis Epiſc. XXIX.* 564, m *II. de* Warberg 566, m. *Monaſter. Epiſc.* 391, m. *Comes de Monte* 396, m.

Conradus I. Imperator 246, m. *quibus ortus majoribus* 675, i. *cum Arnulfo in Bajoaria dimicat*, 636, m *deſignat ſucceſſorem Henricum*, ib. 676, f 677, i. *moritur* 676, f. *II. Imperator* 259, f. *obit* 451, m. 387, f 729, m 523, i 497, f. *ejus ſtemma genealogicum* 728, f. *III. Imperator* 269, i. 384, f. 453, m. *in Palæſtinam ducit exercitum* 584, f. 453, f. *obit* 454 i. *IV. Imperator* 280, f.

Conradus Smet 336, f. *Spegel* 315, i. *Sueviæ D. Frider. I. frater* 446, m *Palat. Rheni obit* 448, i.

Conradus Salisburg. contradicit Papæ 441, m.

Conradus V. Comes Schouenb. 509, m 532, i.

Conr. Tremonienſis Comes 418, i.

Conr. de Vechta Verdenſis Epiſc. 42, i.

Conr. f. Cuno Warberg. Comes 451, m

Conr. II. Ep. Mind. Warberg. Come 566, m.

Conſiliarius hoſtilis linguâ privatus 658, f.

Conſtans Imperator 204, f. 229, f.

Conſtantia Baſilii 209, m.

Conſtantia, urbis deſcriptio 27, f.

Conſtantinopolis 68, i.

Conſtantinus 198, m. 201, m 202, m. 204, m 229, m. &c.

Conſtitutiones Clementinæ 290, i.

Conſulatus Caji Julii Cæſaris 170, i.

Conſules poſt Tribunos Rom. electi 144, f. *quare duo annis ſingulis Romæ ordinati*, ibid. *Romæ regnant* 134, f. *unde dicti* 144, f.

Contentio inter Ajacem & Ulyxem, 111, m.

Conventus Bopardienſis 288, i. *Francofurtenſis* 327, m.

Convivium cruentum 252, m.

Coos 71, f

Corbia 226, m. *Monachus Corbeienſ Wuikindus*, ibid

Corbeienſium, Abbatum Catalogus 694, m. *Abbas primus* 651, m. *Abbas Bovo* 651, f *monachorum opera fides Chriſtiana transfertur in Rugiam* 557, m. *Schola* 624, i. *Monaſterium quando inſtitutũ* 755, i. *ibi libri conſervati* 625, m.

Conſtitutio contra diffidationes 406, f. *contra inconſueta vectigalia* (407, i.

Core 95, m.

Cori ſimilæ quot in cibum dietim neceſſarii fuerint Salomoni 121, f.

Corinthus 68, f. 92, m.

Cornelii Kempenſis fabula 522, f.

Cornelii Montis Eccleſia 383, i.

Cornelius Papa 200, f.

Cornetum 69, m. 308, i.

Cornutus 195, f.

Corona per Athenienſes Alexandro miſſa 153, i.

Coronæ Chriſti ſpina 471, i.

Corporalia, ſecundum Manem, à diabolo ſunt facta 197, f.

Corpus, Barnabæ repertum 219, i. *liberum violari prohibitum* 162, f. *ſancti Marci* 69, i. 217 f. *S. Viti* 234, m.

Corſa 72, m.

Corſica etiam κύρνη vocata eſt ib.

Cortina 96, m.

ad Cortracum prælium Gallicanum 395, m.

Corvi cibant Eſaiam 124, f.

Coſmatus P. R. 324, i.

ad Coſfeldiam pugna inter Ludov. Haſſ. & Engelb. Com. Marcan. 422, m.

Coturnices 93, m.

Cracovia 67, f.

Cralus Serviorum regulus 473, f.

Crangii Dynaſtæ 411, i.
Crancius rerum Saxonicarum peritus 8, f. ex Gobelino integras exſcripſit pagellas 368, f. plagiarius 547, m.
Creatio angelorum 63, i. hominis 72, f. 73, i.
Creatura nulla fiebat antequam fieret 63, f.
Crema direpta ac incenſa 505, i. 587, m.
Cremonenſis Ep. Luitprandus 731, m
Crepatica, caſtrum 20, i.
Cres rex Cretenſium I. 83, f.
Creſcentius 252, f.
Creta 68, f. 71, f. 83. f.
Creuſa 106, m.
Crito ſ. Cruco Sclavorum princeps 525, i.
Crodo, idolum Saxon. 701, i.
Croppenſted, majus & minus 759, m.
Crucht & Calcheim villæ 743, m.
Cruciferi 330, f.
Crucifratres 397, m.
Crucis ſanctæ lignum induſtria Heraclii recuperatum 217. Ceſſit Saladino 430, f. Alphonſus Ciaconius de eo ſcripſit 700, i.
S. Crucis vexillum in cœnobiorum fundatione uſurpatum 766, m.
Crucis ſigna in veſtimentis 659, m. 700, i.
Cruces & reliquias SS. ſecum transferunt monachi 755, i.
Cruco tyrannus 500, f.
Crux Domini reperta 212, m. eripitur Chriſtianis 385, i. prædicatur, ibid.
CS pro X ante tempora Octaviani ſcribi ſolita 158, m.
Cubitus, arca per Noëmum conſtructa fuerunt Geometrici 75, i. communis & Geometricus pedes quot habeant, ibid.
Cugelinge locus 750, m.
Cultelli verius ab hominibus quam homines à cultellis nomen traxerunt 152, i.
Cu'tri lapidei 98, f.
Cumæ 131, m.
Cumanum caſtrum 239, m.
Cunegunda uxor Engelb. Com. Marc. 391, m.
Cunibertus 132, m.
Cuno id eſt Cunradus 414, i.
Cuno Junior 729, m.
Cunradus, Francorum D. 634, m. ejus virtus 656, m. obitus 657, m Ottonis gener, Lotharingiæ D. 649, m.
Cunradus Rufus inter rebelles Ottonis M. 649, m.
Cununſtetum 745, m.
Curcipoldus 691, m. obiit, ib.
Curia Papalis Pictavii 396, m.
Currus falcati Darii & Siſaræ 102, m. 154, i. Gordii 153, m.
Eberh. Curtius JCtus 376, i.
Cuſtodes Samaritani 129, f.
Cyaxares 135, f.
Cyclades 71, f.
Cynici 143, i.
Cyniphes Ægyptii 91, m.
Cypriani error 200, f.
Cyprus 71, f. 160, i.
Cyrene 102, i.
Cyriacus fictitius 109, f.
Cyrillus 214, m.
S. Cyrillus Sclavorum Apoſtolo 557, f.
Cyrnus 72, m.
Cyron 102, m.
Cyrus 139, m. & ſeq. 141, f. & ſeq.
Cythara 72, i. 106, m.
Κύων 143, i.

D.

DAcia 71, m. pro Dania 7, m. 8, i.
Dadanus & Wilhelmus Thuringi 653, m.
Dado 231, i.
Dædalus 46, m.
Dæmones 83, i. 96, m. 148, m. 112, f.
Dagon 117, m.
Dalamantia Miſniæ pars 673, i. oppugnatur ab Henrico Saxonum Duce 634, f. 639, m.
Daldorſium 759, m.
Dalem & Winthem 433, f. 443, f.
Dalmatia 68, i.
Dalmanci Henrico Imper. I. tributarii 639, f.
Damaſcus 76, f. 85, i.
Damaſus Papa 212, i. 265, f. Poppo obit 451, f.
Dammartin 399, m.
Dalila 116, i.
Damkeiſten villa 574, i.
Dan 87, i.
Dankwerderoda arx, 799, i. m.
Dani 71, f. idololatræ, licet Chriſtiani, 659, f. ſuperantur ab Henr. Aucup. 641, f.
Daniæ Rex captus, lytro dimittitur, 509, f. annulus ab Henrico per Henr. Aucupem converſus 684, m. Regina Margaretha, vulgo die Schwarte Grethe 513, f. capta, ib.
Danaus 99, m.
Danebode ſive Dankbode cogn. Thyre 524, i.
Daniel 138, m. & ſeqq.
Dankvvardus D. arcis Brunſu. conditor 799, m.
Danubius 67, f.
Danus Chriſtianiſmum amplectitur 247, f.
Dannenbergenſis Comes Henricus 532, m.
Dapiferorum olim officium 417, f. m
Dardania 90, i. 101, i.
Dargunenſis pagus 500, f.
Dardanidæ 114, i.
Dardanus 66, m. 90, i. 88, m.
Darii occiſores 154, i.
Darius 137, f. 140. & ſeqq. Arſamides 152, i. Hyſtaſpis 145. f. Nothus 147, f.
Dasbeke 287. m.
Daſingarod 745, i.
Daſſel Dynaſtia 794, m.
Dea, eadem nominibus diverſis à populis diverſis appellata 81, f. magna 79, f.
Deaſtri 77. f.
Debora 102, m.
Decemviri abdicati Romæ 147, f.
Decimæ Epiſc. Saxonicis denegatæ 238, m.
Decius Imperator R. 196, m.
Decretum, Aſſueri, de Judæis in Perſia tota trucidandis 149, f. Synodi ſuperſtitioſum 258, m.
Decuſare 805, f 806, i.
Dedicatio 146, m. 245, m. 257, i.
Dedo a Wodensvvege 685, f.
Defectus Solis 130, m 188, f. 225, f.
Deformis princeps, fortis, prudens, & doctus 542, m.
Degber Eccleſia fundata 558, m.
Dejoces 135, i.
Deipholte Nobiles 561, m.
Deiphobus 106, m. 108, f.
Deiphold Comitum ſedes 539, i.
Delbrugga 331, f.
Deliquare pro declarare 801. f.
Deliquia Solis & Lunæ quid prætendant 324, f.
Delphi 150, m.
Delus 71, f.
Demetrius 161, i. 162, m. & f. 166, m. & f.
Demmin Sclavorum rebellantium hoſpitium 506, i. evertitur ab Henr. Leone 454, f.
Democritus 143, i. 146, m. 147, f.
Demoſthenes 151, m.
Denewerk caſtrum 524, i.
Denarius per Abrahamum in Chanaanam introductus 85, m.
Deos teſtandi formula 789, m.
Depenow caſtrum, captum 572, i.
Dercillus 117, f.
Dercylus 119, m. & f.
Derlingen/ pagus 750, m.
Derlingi 670, m.
Deſiderius rex Longobardorum 234, f.
Deſperatis medicina non adhibenda 795, i.
Δεσπότου titulus qualis 476, f.

Dethma-

Dethmarus Epiſcopus 563, m.
Deucalion 75, m. 92, i.
Deudi occiſus 644, f.
Deus Platoni in mundi conſtitutione conjunxit terram & ignem 148, f. *quale eſſe noverit* 62, m. *quia quædam non poteſt, ideo omnipotens quoque eſt*, ib. *quidnam ſit* 61, f. *reſpicit ad oblationem Abelis* 73, m. *Salomonis regnum poſt mortem ejus dividit* 122, m. *ſex diebus omnia creavit* 62, f. *ſine commutatione ſui nil patiendo mutabilia facit* 62, m. *Socratis qualis fuiſſe videatur* 148, i. *ſolus æternus eſt*, 62, m. *ſpiritualiter habet, quæ ipſi carnaliter attribuuntur* 72, f. *ſpiritualis quædam mens* 143, m. *valdè excelſus eſt* 63, f.
Deus ante mundum creatum quid fecerit, quæſtio quærens, curioſa eſt 63, i.
Deusdedit, Papa Rom. 231, m.
Deuteronomium 98, i.
Dextra (auris) audit dominum per noctem 117, m.
Diabolus. De hoc nomine vide paginas 73, i. 119, m. 183, f.
Diana dea venatorum dicta fuit, 78, m. 80, f.
Dictatura 144, f.
Didymus 208, i.
Dies Ægyptiaci qui 91, f. *afflictionis* 94, f. *Cæcilia feſtus* 325, m. *creationis tres priores* 63, i. *expiationis* 94, f. *Ezechiæ ægrotantis tempore horis decem ſolito longior effectus* 134, m. *obitus Hectoris anniverſarius* 108, f. *propitiationis* 94, m. *quo Deus omnia creavit, ineffabilis* 2, f. *Saturni ſeu Sabbati, Germanis* Saterrag 81, f. *diverſè inchoatur* 82, i. *Septimanæ à planetis denominatus* 80, f. *Septimanæ quilibet Judæis Sabbatum, feria dici poteſt* 81, f. *tempore Noë, cæterorum Patriarcharum tantus fuit, quantus eſt, nunc* 76, i. *unus è duobus factus* 99, i.
Dietrich von Bern 795, m.
Diffidare quid 790, i.
contra Diffidationes Conſtitutio 406, f
Difenbach (Martinus) laudatur 542, i.
Dii 77, f. 130, f. 152, m. 155, f.
Diluvia particularia 71, f. 75, i. m. & ſeqq. 88, i. 92, i.
Dimonci Caſtrum Andronici 472, m
Dina 87, i. & m.
Dinclarienſe prælium 542, m.
Dingdimus 155, f. & ſeqq.
Dingeſtag 81, i. &c.
Dinovveſchingen 67, f.
Diocletianus 197, f. 198, i. 202, f.
Diodorus Siculus 171, i.
Diœceſis Auguſtenſis 69, i. *Paderbornenſis à Friderico Badbergico vaſtata* 317, f.
Diogenes 142, f. 148, m.
Diomedes 105, m. 106, f. 107, f. 112, m. & f.
Dionenſis Dn. 398, m.
Dionyſius 80, m. 92, i. 95, m. 100, f. 102, i. 143, m. 147, f. 149, m. 291, i. 225, i.
Dioſcorus epiſcop. Alexandrinus 164, m.
Diploma Caroli M. de capta Roma, fictum 522, f.
Dis idem qui & orcus 80, i.
Diſcordia inter Cardinales *& Electores* 293, m. *inter epiſcopos de coronatione Imperatoris* 248, m. *Neapolitanorum inteſtina* 297, i. *Weſtphalorum* 272, f.
Diſpenſatio Innocentii IV Adolpho monaſticam vitam amplectenti, data 512, f.
Diſſenſio inter Imperatorem & Papam iterata 267, i.
Diſſidia in Imperio, ib.
Diſſidium circa electionem Archiepiſcopi Colonienſis *novi* 336, i. *de epiſcopatu Paderbornenſi* 263, i. *de regno Judaico* 169, m. *inter Abbatem & Priorem monaſterii Paderbornenſis* 327, f. *inter duces Romanos* 182, m. *inter epiſcopum* Colonienſem *& Comitem Arnsbergenſem* 164, i. *inter Imperatorem & Papam* 269, f. *inter Papam & Reginam Sicilienſem* 297, i. *inter principes auctum* 333, i.
Dit, Deum notat, unde compoſita Ditrich &c. 668, m.
Ditgremius Wettinenſ. Com. 676, m
Dithimus 121, m.
Ditmari, Comitatus 742, m. *Familiæ ſtemma* 683, m.
Ditmarſi, debellati 515, m. *Ducem Sleſvic. proſternunt.* ib 520, f.
Ditmarus, Epiſc. Mersburg. Lotharii N. 691, m. *Ep. Eccleſ. Brandenb* 736 m. *Mullerus Termonienſ.* 485, i.
Divinacula 96, m.
Divinationes ex Aſtris 82, m.
Divinæ gratiæ impetrandæ ergo vita monaſtica electa eſt 536, f.
Diviſio comitatuum & territoriorum eſt deſtructio eorum & ſubditis noxia 380, m. 408.
Doblin caſtrum 501, m.
Dochile 218, i.
Doguſte 742, m.
Dodanim filius Javanis 77, m.
Dominicanorum ordo capit 508, m. 564, i. 801, m.
S. Dominico victoria tribuitur, 520, f
Dominus in columna ignis, & nubis ductat Iſraelitas 92, m.
Dominus rerum, titulus fuit Imperatorum 666, m.
Dominum ſupercilium 788, f.
Dominandi cupidinem D. Bernhardus caſtigat 441, i.
Domitiani geſta 187, f.
Domitianus 187, f.
Domus, Achabi ſubverſa 127, i. *Aminadabi fit arca domini hoſpitium* 117, f. *Baalis deſtructa* 125, f. *Baalis ornamentis templi divini ornata*, ib. *Dei conſilio Jojadæ reformata*, ib. *diſcalceati* 116, m.
Donatio Conſtantini fabuloſa 203, m.
Donatus, hæreticus 203, i. *Papa* 231, m. *poſt Ariſtotelem partes orationis octo reperit* 151, m.
Donnerſtag 81, m.
Donovve villa 507, m.
Dordrecht 67, m.
Dorus Papa Rom. 254, f.
Dorothea 201, f.
Conr. de Dorſtad Dynaſta 475, i.
Dorſtadiani cœnobii conditor 440, f
Dorreringe 160, m.
Dortmund 689, m.
Draco igneus Dario præfertur 153, m
Dracones infeſtant exercitum Alexandri Magni 155, i.
Dreilebii Nobiles, olim Dynaſtæ & Barones 522, m.
Dreſole 375, f. 400, m.
Driborg 236, f.
Driburgum 174, i.
Dringenbergum caſtrum 284, m. 314, i.
Drogo Epiſc. Oſnabrug. 558, i. 559, m. *perit in acie* 557, m.
Drommeling *Thrimmening* 645, f. 689, i.
Drongelevo, Dreinleve 750, m.
Droſſatus id eſt Dapifer 375, m.
Joh. de Droſte 548, m.
Druſus veneno ſublatus 178, i.
Druthmarus Abbas Corbeienſis 756, *quando obierit* 760, m.
Ducatus ol. non erant hereditarii 685, f.
Duces, Longobardorum XXX 222, m. *regis Perſarum per Alexandrum M. ſuperati* 152, i. *Saxonum unde orti* 238, i. *Imperatoribus advenientibus omnia ſubminiſtrabant, ut adminiſtratores* 685, f. *miniſtrabant Ottoni M. in coronatione* 643, m.

Duda

Dudo epiſcopus, Paderborn. 253, f. 559, m. perit 557, m. Havelbergenſ. 735, f. 736, m.
Dudelovv 741, m. 742, m.
Dudeling Epiſcop. Brandenb. 735, f.
Duderſtad Marchionatus 477, i.
Dudiſi, locus 741, m.
Duellum inter Hectorem & Achillem 108, i.
Dullethe 434, f. 448, i.
Dulmene, urbs 267, f. 421, m. villa 394, f.
Dulzaniza Epiſcopatus 503, m.
Dune fl. 382, i.
Duſburgum 255, m.
Duſii 128, f.
Dux, Auſtriæ in regem ſublimatur, 277, f. de Brunſvvick 223, i.
Dynaſtia 86, i.

E.

EAdita & Etuta an idem nomen 728, m.
Ebbekeſtorp in Ducatu Luneburg. 557, m.
Ebelus Levites 101, m.
Eberaci ad Rhenum Monaſter. Ciſtercienſ. 625, i.
Ebergiſus Epiſcop. 741, m.
Eberhardus, Francus ſupplicat Ottoni 645, m. 688, m. D. Francon. Orient. Conradi Imp. frater 675, m. Comes Franciæ & Wedroviæ 674, f. 744, i. Bavenbergenſ. Epiſc. primus obit 451, m.
Ebronenſis Epiſcopus 567, f.
Ebeſſa 114, i.
Ebionitæ 190, m.
Ebolus Hiſpaniæ inſula 72, m.
Ecbatana 145, i.
Ecbertus, Ottoni I. rebellis 654, m. Ottonis conſobrinus 653, m. & f. reconciliatur 659, m.
Ecbertus & Burchardus de Wolferbütle 532, m.
Ecbertus Marchio occiſus 452, m.
Eccleſia, Oſnabrugenſis epiſcopo caret, 338, m. Paderbornenſis dedicata 245, m. &c.
Eccle. unio tentatur à Gregor. XII. 11.
Eccleſiaſticus 164, i.
Echeim 750, m. in Ecke caſtrum novum dirutum 394, f.
Eckerſtein/ Aeriſte 558, i.
ad Ecker conflictus 570, i.
Ekhardus F. Liudulfi 643, f.
Ecclipſis Solis & Lunæ 230, f. 324, m.
Ecſtormius (Henr.) 471, i.
Edelhardus i 234. i. 238.
Edemon 108, m.
Eden 64, f.
Edeſſa 161, i.
Ediſſa 76, m. 149, f.
Editha uxor Ottonis I. obiit, 718, m.
Edvardus Rex Angliæ bellum in Flandria gerit 394, m.
Effigies populorum turrim Babylonicam elevantium mutatæ 76, m.
Egeſippus 191, m.
in Egeſtorp Monaſterium conſtructum 567, m.
Eginhardus 245, f.
Eglon 101, i.
Ego ſum qui ſum 62, m.
Egvvord 512, m.
Ehudus 100, & ſeqq.
Eichsfeld & Duderſtad 476, f.
Eilsleven pagus 441, f.
Eimbecka 803, m.
Eiſtad 234, m.
Eloi 62, m.
Elam 99, f.
Eleazarus 97, f. 120, i. 162, i. m. 166, m
Electio Epiſcoporum ab Imperatore Papæ conceſſa 266, m. 267, f.
Electra 90, i.
Eldageſen captum à Com. Schouenb. 572, m.
Eleemoſynas non dederunt Papæ nonnulli 367, m
Eleenora Edvardi III. R. Angl. F. 543, m.
Elferus Presbyter obit 453, i.
Elephantes infeſtant Alexandrum 155, m.
Elephas occiſus ab Alexandro 153, f.
Eleutherius 192, f.
Eliachimus idem qui & Joachimus 135, f.
Elias Propheta 124, m. f. & ſeqq.
Elias Thuringus 336, f.
Eliezer diſpenſator Abrahami 85, i. Pſeudopropheta 125, m. vates ad Joſaphatum miſſus 124, m.
Elion 62, m.
Eliquare verba 801, m.
Elis 129, i.
Eliſa 126, i. m. & f.
Eliſabetha, Ottonis Brunſu. F. 419, i. filia Com. de Valkenborg 399, i Thuringiæ Landgravia obit & canonizatur 511, m. Abbatiſſa Schonaug. 352, m. Hungar. Regina Ludovici vidua 481, m.
in Eliſazio ſita curtes donata ab Ottone M. 752, m.
Eliſæi Græci 77, m.
Eliſæi Prophetæ hiſtoria & miracula 124, 126, & 127.
Elizabetha filia regis Ungarorum deificata 282, m.
Elmershuſa opp. ad Viſurgim 686, f.
Elon 114, f.
Elthen Monaſterium Virgin. 518, m.
Elvericus Decanus moritur 453, m.
Elvidiani 228, f.
Eltze aulica villa 556, m.
Emenium & jocale 10, i.
Emmiholt Abbatiſſa I. Ringelheimenſ. 681, f.
Emon rex Theſſaliæ 91, i.
Emor Evæus 87, i. & m.
Empedocles 147, f.
Enargia 805, m.
Encratitæ 191, m.
Engelbertus Comes Marcæ integrum recuperat Comitatum 389, f. captus & in carcere mortuus 391, i.
Engelb. Com. de Marca bellum gerit cum Epiſc. Oſnabrug. 397, m. obit 400, m. exſtruxit caſtrum Oſthof. 397, m.
Engelb. Adolfi F. Comes Marcanus naſcitur 402, i. fit Epiſcop. Claremontanus 403, f. ſine Papæ licentia non migrat ultra mare 405, m. Weidene curiam tenuit; Comiti Naſſovico filiam deſpondet, 407, i. filii ejus Leodii vivunt 405. deducuntur in curiam Romanam & Montem perſulanū ſtudiorum cauſa 405, m. 407, f.
Engelb. Com. Marcanus capit Ludov. Haſſ. Epiſc. Monaſterienſ. 422, m. deſtruit caſtrum Wolmerſtein 399, m. abit Romam & ad Rupemamatoris 399, f.
Engelbertus, primogenitus Everhardi Dn. de Arberg 394, f.
Engelbertus dictus Franſes 401, i.
Engelbertus frater Bernhardi Bitter ducit raptam de Rinkenrode 394, m.
Engelb. de Valkenberg Archiep. Colonienſ. 389, f. moritur 390, f. canonizatus 417, i. ejus vita à quo deſcripta, ib.
Engelbertus XVII. Mindenſ. Epiſcop. 560, f.
Engelſthen 216, m.
Engere, ibid.
Engerenſis præfectura data Bernh. Lippiaco 438, m.
Engerſchen, ib.
Engele, ib.
Enochus 73, f. 157, f. 336, f.
Enochus urbs in honorem Enochi condita 73, f.
Enoſus 74, i.
Enzelii (Chriſtoph.) Chronicon Veteris Marchiæ 445, f.
Epaphus 71, m.
Epheſus 109, f.
Ephraimus 88, f.
Epicuræi 143, m.
Epiphanius 208, m.
Epirus 68, i.
Epiſcopus Aldenburgenſis Lubecam translatus 505, m.
Epiſcopatus Bambergenſis fundatus, de his vide paginas 234, & ſeqq.

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi bellicis negotiis immiſcentur 654, m. *aſſentatores puniti* 243, i. 245, m. 277, m. *quando regimen ſeculare tractare cœperint* 440, f. *Epiſcopi & Archiepiſcopi Ducum, Marchionum, Comitum appellationes ſumſere* 441, m. *Halberſtad. Hildeſienſ. & Abbas Corbeienſ. milite ſuo vaſtant agrum Brunſuic.* 433, m *peſſimè viventes*, ib. *per Moguntinum ab officio ſuſpenſi* 264, m. *Saxonici ab Imperatore afflicti* 263, i. *Wirtzburgenſis & Aichſtadenſis confirmati* 232, m.

Epiſcopus, Colonienſis in gratiam pontificis lucro ſuo carere non vult 323, i. *Leodienſis Paderbornenſi hoſtilia denunciat* 333, m. *Moguntinus debellatur* 288, f. *Monaſterienſis hoſtes ſuos perſequitur* 272, f. *Monaſterienſis Trajectum transfertur* 292, i. *Trajectenſis ad Coverdiam caſus* 277, m.

Epiſtola, Alexandri M. ad Ariſtotelem 154, f. *Alexandri M. ad Dingdimum regem Brachmanorum* 155, f. & 156, m. *Alexandri M. ad Taliſtridem Amazonum reginam* 154, f. *Darii ad Alex. M. injurioſiſſima* 152, f. *Friderici II. Romanorum Imperatoris ad principes* 278, f. *quædam ſuſpecta* 190, m. *regis Galliarum ad Imperatorem* 277, f.

Epiſtropus rex, è partibus Orientalibus, Græcis multa tulit incommoda 107, f.

Epitaphium, Bedæ 232, i. *Ruperti Epiſcopi Paderbornenſis, auctore Gobelino Perſona* 315, m. *Vergilii* 174, f. *Urbano VI. per Gobelinum Perſonam conſcriptum* 312.

Ephra civitas 102, f.

Ephrata civitas Judah cur Bethlehema fuerit appellata 86, f.

Epocha ſeu Æra Judæorum 93, f.

Eppo, eſt, Eberhardus 414, i.

Equa quo authore primùm ab aſinis ſint inita 68, m.

Equus Darii hinniens facit, ut Darius rex Perſarum fiat 145, f.

Erciſcere, ἑρκίζειν 791, f.

Erconradus 241, m.

Eremita quidam vates 311, i.

Erencides 145, m.

Erenfridi Comitatus 743, m.

Eresberg 235, f.

Eresburg, ib.

Erespurgenſis templi dedicatio 688, m

Erfordia 230, m. *ſtudiis liberalibus florens* 13, 375, 398, f.

Erichthonius Athenienſium rex 99, m. *Dardani filius* 101, i. *ob pedum turpitudinem uſum currum primus invenit* 99, m.

Erichtion 95, m

Ericus & Joh. Comites Hojenſes 519.

Ericus Ottoni perduellis confoditur 649, m.

Ericus, Rex Daniæ occiſus 501, f. *cogn.* Lamm *Rex Daniæ fit monachus* 536, i. *Archiep. Magdeb. captus* 791, m. *D. Brunſu. Epiſcop. Paderbornenſ.* 369, m. *Marchio Brandenb.* 793, m. *Gerhardi Comitis Schauenb. F. Epiſc. Hildeſienſ* 515, f. *obiit*, ib. *Werlenſis Comes* 601, m

Erkenboldus Archiep. Moguntinus obiit 411, i.

Erkenotus Abbas Corbej. 757, m.

Erlulfus Verdenſ. Epiſc. moritur 757.

Ermengardis Everhardi Marcani Comitis uxor 393, m.

Ermengardis Adolfi Comitis de Monte filia 391, m.

Erminfridus Thuringorum Rex 530, f

Erneſtus, Dux obit 451. *Henrici mirab. F.* 470, f. 792, i. *Holſatiæ & Schauenb. Comes Epiſcop. Hildeſienſ.* 572, i.

Erps, vir nobilis 742, m.

Errorius renunciat Papatui 31, f.

Erthenneborg 498, m.

Ervvete 257, i.

Eſaias Ezechiæ regi mortem annunciat 134, m

Eſauus alio nomine dictus fuit Edomus 86, m. &c.

Eſdras 146, m. & f.

Eſebon 114, f.

S. Eſici corpus Coloniam translatum 559, m.

Eſkenrode 413, m.

Eſle caſtrum 507, m.

Eſſai 147, i.

Eſſenſe collegium quales eligat Abbatiſſas 411, m.

Eſthera 149, f. 150, i.

Editha Ottonis I. uxor obiit 693, m. 650, f.

Ethai 77, i.

Ethaus, ib.

Ethanus 121, m.

Ethelberus Dithmarſus 501, f.

Etheus 103, f.

Ethnici dies à Planetis denominarunt 80, f.

Etſebo 509, f.

Etuta Honuni Dardanorum R. Filia 728, m.

Etymologia Coloſſi 72, i.

Etymon Anglorum 216, i. *cereviſiæ* 86, m. *Paderbornæ* 237, i. *Turingorum* 160, m.

Eva 73, i. & m. 89, f.

Evæi 77, i.

Evaus, ib.

Evard eſt 419, m.

Evariſtus 102, m.

Eudoxia 218, m.

Evergiſus 270, m.

Everhardus, Leodienſ. Epiſcop. 733. *Conradi Imp. I. frater dedit ſe Henrico Aucupi* 636, f. 677, f. *Francorum Dux occiſus* 648, m. *conſpirat contra Ottonem I.* 715, i. m. *Comes de Marka* 379, i. 381, i. *bellum movet* 393, m. *eligit Archiep. Colon.* 394, i. *obiit* 397, m. *Comes de Altena fit Monachus* 384, i. *pœnitentiam agens in exilio* 383, f. *porcos paſcit* 384, i. *Adolfi filius mortuus in tornamento* 388, m. *Comes Marcanus Rudolph. Habſburgus* 391, f. *Comes fit gubernator Geldriæ* 396, m. *Præpoſitus Magdeburgenſ.* 508, m. 526, m *Epiſc. Monaſter. obit* 395, i.

Everſtene caſtrum 498, m.

Everſteinius Comes Otto occumbit 518, f. 546, m. *Conradus* 535, f. *genialogia eorum Comitum* 536, i. *Hermannus bannitus* 548, m.

Everſtein Dynaſta Saxon. 784, m.

Eugenius 210, m. 211, m. 231, m. 275, m. *Papa* 453, f. *obiit* 454, m.

Eugubienſis Epiſcopus Johannes 733.

Evilmerodachus 136, m. 137, m & f.

Eulalius 218, m.

Eulenberg 67, m.

Eunomiani 228, f.

Eunuchi, à quo primum inſtituti 187.

Eupales 121, m.

Euphemia 225, i.

Euphorbus 142, f.

Euphrates 65, i. 140, m.

Europa pars orbis 66, m.

Europa filia Agenoris, ibid. 104, f. *Phœnicis* 90, m.

Europs 66, m. 82, f.

Eurus 68, f.

Euryſtheus 117, f.

Euſebius Epiſcopus Vercellenſis 208, i. *Papa Rom.* 212, m.

Eutychianus 201, i.

Excidium Sodomæ & Gomorrhæ 85, f

Examen per ferrum candens 253, i.

Exauctoratio militum XX. millium per Auguſtum facta 175, i.

Exconſules quinam dici conſuerint 144, f.

Exempla ad agendum plusquam verba provocant 378, f.

Exercitus Priami contra Græcos 107, i. *triplex tempore uno Romæ emiſſus* 165, i.

Exilium Æneæ 113, f.

Exiretani & nuntii Pontificis 7, m.

Exitium Saguntinorum 164, m.
Expeditio, C. Julii Cæſaris in Galliam 170, m. *Græcorum ad Trojam* 106, f. *Imperatoris in Italiam iterata* 272, m. *Lotharii Bohemica* 268, m.
Expenſæ moderandæ 380, i.
Expeditiones Ottonis II. Imp. 251, m.
Exploratores terræ promiſſæ 95, m.
Ezechias 131, i. 134, m.
Ezechiel 138, m.
Ezelinus Epiſcop. Hildeſ. obit 451, f.

F.

Faba 75, f.
Fabianus Papa R. 196, m. 200, m. 231, i.
Fabius ad Annibalem legatus 164, m. *Gallis occurrens cæditur* 150 f. *Romuli Dux* 130, m.
Fabritius (Georg) refutatur, i. m.
Fabula, de Hercule canem infernalem vincente quam habuerit originem 101, i. *de Tiberio à ventris fluxu liberato* 178, m. *de virginibus undecies M.* 199, f. 352, f. *monaſtica* 259, m. *quædam de ſacerdotibus Ægyptiis* 137, f.
Fabula primum data non explodebatur Athenis 787, m.
Fabula quo authore primùm inventa 102, i.
Facia, idem quod Bonifacia 470, i.
a Facio compoſita Plautina 792, m.
Facta virorum fortium in porticu Athenienſi depicta 142, f.
Factiones roſæ albæ & rubræ 304, m
Factio id eſt opulentia, potentia intoleranda 788, m.
Factum prudens Archelai regis Cappadocum 176, f. *Imp. Conſtantini laudabile* 205, m.
Faculæ ardentes ex aëre lapſæ tentoria Alexandri M. comburunt 155, m.
Fagus 75, f.
Falcoſteinium 794, m.
Fama vocab. φήμη 787, m.
Famaguſtæ obiit Adolph. VII Comes Schauenb. 517, m.
Famen a fando 801, m.
Fames horribilis 124, m. 184, i. 226, i. 143, m. 450, f.
Familia Juliorum 116, f.
Famuli, Servi, militibus opponuntur 413, m.
Familia de domo Aaronis XXIV. 121, m.
Famoſus, εὔφημος *celebris* 450, i. 787, m.
Faſtinus Comes, Bononiæ gubernator 9, f.
Fauces Aſiæ anguſtæ 153, m.
Faventia eripitur Papæ Balthaſ. 14, i.
Favetus 77, m.
Fauni 109, m.
Fauſtinianus mathemat. quidam 79, m.
Fauſtus Manichæus 133, f.
Fech, villa, Pax Fechenſis 398, m.
Fehde/ *feida, faida* 790, i.
Felberge 743, m.
Felicitas 191, m.
Felicitatis reliquiæ 563, i.
Felix I. pap. R. 201, i. 219, i. 224, m.
Felicis Epiſcopi reliquiæ 563, i.
S. Feliciani Epiſcopi Fulginenſis corpus 562, f. *miracula patrat* 518, f. 569, m. *catena* 563, m.
Feneſtrarum picturæ hiſtorias juvant 514, m.
Feltrenſis Epiſcopus 733, i.
Feria 81, f. *prima, ſecunda, & ita deinceps, dies ſeptimanæ prima, ſecunda etc. Judæis eſt*, ib.
Ferrandus Flandriæ Comes 388, f.
Ferramundus 214, i.
Feſta, Judæorum minus ſolemnia 94, f. *præcipua ſeptem*, ib. *Liberi turpiſſima* 78, m. *Veneris Cytheræ ſub adventu Paridis peracta* 106, m.
Feſtum inventionis S. crucis 212, m. *Neomeniæ* 94, f. *Paſchatis*, ib. *Pentecoſtes* ibid. *purificationis Mariæ* 221, i. *Sabbati* 94, m. *Sancti Bonifacii & fratrum VII.* 258, i. *Sanctorum omnium* 244, f. 557, m. *tubarum* 94, m. *viſionis* 258, i. *viſitationis Mariæ inſtitutum* 311, m.
Fibula aurea 649, f.
Fides an Trojæ proditoribus ſervanda ſit, quæritur 111, m. *Chriſtiana apud Danos periclitatur* 260, m. *Græca* 269, m.
Fidejuſſores ad comeſtus poſiti 411, f. 380, m.
Figmenta juſſu Tyrannorum pro diis culta 81, m. *poëtarum* 79, f.
Figura ſenis palatium ſolis & lunæ incolentis monſtroſa 157, m.
Firma, civitas ita dicta 70, m.
Firmamentum 62, f.
Filia Jephthei immolanda ſe ſiſtit 114, m.
Filiæ Cocali ibid. f. *Lothi* 85, f. *Rombildæ* 227, f. *Priami* 106, i. & m.
Filii, Aaronis 95, i. 121, m. *Achabi LXX. per Jehu trucidati* 127, i. *Antiochi Romanis obſides dati* 164, m. *Jacobi ex Bala & Zelpha* 87, i. *ex Lia & Rachele* 86, f. *Jairi* 114, i. *Iſraëlis ab Ægyptiis preſſi* 85, i. *tribuum decem montibus Caſpiis incluſi* 157, f. *Judach cum Jeremia deſcendunt in Ægyptum* 137, f. *legem Domini tranſgreſſi per Seſacum affliguntur* 123, i. *Ludovici Imp.* 241, f. *Priami XXX.* 106, i. & m. 108, i. *Samuelis* 117, f. *Sethi* 74, i.
Filimerus 109, m.
Filius, Abrahamo promiſſus 85, m. *ducis Andegavenſis Ludovici* 309, m. *Manlii Torquati* 152, i.
Fimbria 150, m.
Fineburgum 784, m.
Finis, ætatis mundi quartæ 136, f. *belli civilis* 171, m. *boni quid Auguſtino* 148, i. *regni Aſſyriaci* 128, i. *Iſraëlitici in Samaria* 129, f. *Longobardorum* 236, m.
Flagellatores, Sangershuſi flammis exuſti 337, i. *miracula mentiti* 405, i. *factio ſine capite* 516, m.
Flahtungen 745, m.
Flamen Jovi conſecratus 130, f.
Flamines Romanis fuere tres, ib.
Flaminia Italiæ provincia 20, m. *pars Lombardiæ nunc eſſe affirmatur*, ib.
Flaminius conſul 164, i.
Flandri in Seelandia vincuntur 390, i.
Flandria 80, f. *origo Comitatus illius* 557, f. *ſubmittitur Regi Galliæ* 394, m.
Flavianus 114, f.
Flegelers *quinam* 368, m.
Florens ſ. Florentinus, Bonon. officialis 9, f.
Florentia obſeſſa 515, i.
Florentinus Epiſc. Sichelm 733, m.
Florentius, Hollandiæ Comes 534, m. *V. Holl. Com. interfectus* 421, f. *de Machlinia* 390, i. *Wevvelinchovius Epiſc. Monaſter* 488, i.
Flovi, locus 400, f.
Flumina exundant 271, i. *paradiſi IV.* 65, m.
Fluvius, Hircanus 65, i. *quidam validus* 155, m.
Fœderatæ veſtes 52, f.
Fœdus, adverſum rebelles Paderbornenſes initum 335, i. *circumciſionis inter Deum & Abrahamum* 85, m. *magnatum quorundam adverſus epiſcopum Paderbornenſem* 333, i.
Fœmina quædam vates 101, m.
Fœmina Gothica 109, m.
Fœneratores Romæ in honore 9, i.
Fokaresba 739, i.
Folikmarus 254, m. *Abbas Corb.* 756, i. 757, m. 761, m.
Folkarabus Sacerdos 558, m.
Folmarus invaſor ſedis Epiſcop. Mindenſis 561, m. *Epiſc. XIX. occiſus*, ib.

Fons,

Digitized by Google

Fons, Danubii 67, f. *è paradiſo medio erumpens* 64, f. *Paderbornenſis* 237, i. *Paradiſi in flumina IV. diſtinctus* 64, f.
ad Fontinith prælium 637, m. 678, m.
Forma purgationis canonicæ certa, per quem Paparum fuerit introducta 240, m.
Formoſus, Papa 244, m.
Fortitudo Iſraëlitarum rhinocerotia 97, i. *Titi Veſpaſiani* 183, i.
Fortuna 78, f. *lunæ comparata* 796, m.
Forum Cornelii 70, m. *Julii* 69, i.
Forumlivium eripitur Balthaſari Papæ 14, i.
Fotniani 228, m.
Franci à tributo exempti 218, f. *olim dicti fuere Sicambri* 205, i. *Saxonibus conjuncti Gallos infeſtant* 198, i. *Thiadericum filium Hugonis, regis ipſorum, naturalem, eligunt in regem* 159, i.
Francorum regni diviſio inter Carol. Lothar. & Ludov. 637, m.
Francia neutralis 316, f. *Orientalis pars Germ.* 474, m. *quas regiones complexa fuerit* 678, m. *occidentalis* 678, f.
Francia & Wedroviæ Comitum familia florentiſſima 674, f.
Francio 114, i.
Franciſcanorum Monach. origo 508, m.
Franciſcus D. Brunſu. Epiſcop. Mindenſ. 52, 573, f. *ſepultus* Riddageshauſen/ ib.
Franciscus Pregnanus cogn. Butyllus 368, i.
Franciscus de Woldek Epiſc. Mindenſ. 53, 574, i.
Franciscus Capuæ princeps 301, m. *Papæ nepos captus, regi Carolo de Duratia traditur* 302, f.
Franckenvord 137, i.
Franconia 67, i.
Fratres, Dinæ uterini 87, m. *Jephthei* 114, m. *Joſephi* 88, i. *Judæ Macchabæi* 166, m. *Matathiæ V*, ib. i.
Fratres & ſorores Comitum ex comitatu indiviſo ſuſtentari & elocari debent 581, m.
Fraxinetum, arx 703, m.
Frea 81, m.
Fredemarsleba *ad Albis ripam occid.* 741, m.
Fredenavv *caſtrum* 547, f.
die Freien in Steinwede/ *unde habeant libertatem ſuam* 538, f.
Fretum *Gaditanum* 64, i. *Siculum* 69, f. 162, f.
Frege 81, m. & f.
Fricco deaſter Sueonum 355, f.
Fridaslar 236, f.
Frietag 81, m.
Fridericus *Arensberg. Comes obit* 453, m.
Fridericus *Archiepiſcopus Colonienſis* 289, m. 331, f. *archiepiſcopus Colonienſis* 249, i. 335, f. *moritur* 39, i. 454, m. *moritur Papiæ* 385, f. 416, m. *Archiep. Magdeb. moritur* 454, i. *Archiep. Moguntinus* 645, m. *eremitam ſimulat* 654, m. *monachos exagitat* 650, m. *Ottonis I. hoſtis perpetuus* 697, m. *Briſaci vivit* 698, i. *obit* 655, f. 698, f. *Auſtriæ dux bello petitus* 339, f. *captus* 284, i. *Imperator eligitur* 398, m. *coronatur* ib. *captus* 399, i. *ad concilium Conſtantienſe venit* 27, i. *inde Balthaſ. Papam abducit* 30, i. *veniam flexis genibus petit à Sigiſm.* 30, m. *diſcedit Conſtantia* 45, i. *Bohemiæ D. Imperat.* Frider. *I.* F. *obit* 385, m. *de Brenke* 548, m. *Brunſu. D. Chronica diligenter legit* 451, m. *contra Witekindum Ep. Mindenſ. bellum gerit* 545, f. *Imperator eligitur* 266, i. *alius* Frider. D. *Brunſ. exequiis Epiſcopi Mindenſ. intereſt* 571, f. *Colonienſis epiſcopus* 270, m. *Comes Arnsbergenſis* 268, i. *Comes de Altena* 269, f. 277, i. *Driburgicus* 338, i. *dux Brunſuicenſis* 288, i. *occiſus* 547, m. *Moguntinus* 249, f. *Padbergicus* 314, i. & m. 315, m. 317, f. 318, i. *I. Imperator* 269, f. *ſuccedit Conrado* 384, f. *coronatur Romæ* ib. *fit Imperator* 454, m. *ejus diſtinctæ in Italiam peregrinationes* 527, m. *Romam abit Henr. Leone eum comitante* 454, m. *Mediolanum capit* 385, i. 454, m. *Cremam deſtruit* ib. *Biſuntiæ curiam* Francorum & *Sclavorum indicit* 454, f. *redit ex Italia* 455, m. *vincitur à Mediolanenſib.* 455, m. *Henricum Leonem invadit & affligit* 455, m. 430, i. *cum Alexandro Papa non concordat* 503, f. 525, f. 526, i. *filium ſuum coronari curat* 385, i. *Poloniam deditione accipit* 454, m. *in terram Sanctam expeditio* 431, i. 439, i. *ibi perit flumine* 432, i. 443, i. *Antiochiæ ſepultus* 385, m. *II. Imperator* 276, f. 278, i. & f. & ſeqq. 388, f. *R. Siciliæ electus Imp.* 388. *coronatur Romæ* 389, i. *ab Innocentio Papa depoſitus*, ib *Saxones ſubigit* 388, f. *filium ſuum Henricum Germanorum Regem coronari curat*, ib. *ei vendita eſt Brunſuiga* 799, f. *ſub obitum fit monachus* 537, i.
Frider. *III. Imp. reſiſtit Carolo Burgundo* 573, m.
Frider. *Henrici VI. filius, naſcitur* 385, m. *Rex Siciliæ* ib. f.
Frider. *Marchio obit* 453, m.
Frider. *Marcanus victus* 517, f.
Frider. *Iſenburg. Comes occidit Engelberti Archiep. Colonienſ.* 386, m. *hiſtoria à multis conſignata* 416, f. *ſeverè in illum animadverſum* 417, i. 386, i. *captus* 386, m. *venditur, in rotam ponitur*, ib.
Fridericus *Palatinus obit* 454, f.
Friderici *via, portio Epiſcopatus Halberſtadenſis*
Friderunda *Comitis Oldenburgenſ.* Filia 445, i.
Fridinirum *obſeſſum* 397, f.
Fridisleri *deſignatur Henrico* Franc. *& Saxonum R.* 637, i.
Fridumaresleba 742, m.
Frien 81, m.
Frieromarca 734, i.
Frigedinus 67, m. 81, m.
Friſiorum *Colonia in Magdeburgenſem agrum ducta* 522, f.
Friſingenſ *Epiſcop.* 733, m.
Friſii *an diabolum coluerint ſub Aſmodæo* 533, f.
Friſones *Carolo M. in ſubſidium* 497, m. *libertate donati* 554, m. *oppugnati à Com. Hannon.* 40?, f.
Fritbericus *Abbas Corbei.* 757, i.
Fritzlaria 236, f.
Froſa *ad ripam Alb. occ.* 741, m.
Fructus *aliorum in agros alios num transferri queant* 128, f.
Frumſice 742, m.
Fruniſcor, *fruniſus* 803, f.
Furſtenberg *Caſtrum* 314, m. & f. *extructum* 396, f. *obſeſſum* 397, f. *inſtauratum* 398, i. *templum exuſtum* 650, m. 693, i.
Fulda 234, m.
Fuldenſis *Abbas Hadumarus* 650, m. 693, i. *ſeditio* 451, f.
Fulgentius *Epiſcopus eccleſiæ Ruſpenſis* 219, f.
Fulmerus 253, f.
Fulradus *Abbas S. Dioniſii cœnob.* 763, f.
Fundanus *Comes ſchiſma Antipapæ fovet* 519, m.
Fundatio *epiſcopatus Bambergenſis.*
Fundator *Monaſterii Bodekenſis* 328, m.

Funera principum quorundam 274, f.
Furor Domini ab Iſraelitis per Phinea factum averſus 97, f.
Furſeus 229, f.
Fuſtuariorum factio 368, m.
de Fuxis Cardinalis in Concil. Conſtantienſ. 43, m.

G.

GAbaonita 77, i. 99, i.
Gabellum quid 300, m. immunitas à gabellis tollitur per Balthaſ. Pap. 10, f. Gabella horrenda in Italia 18, i. 19, i. m.
Gades 64, i. 71, m.
Gadus vates cum Jeroboamo prandere non vult 87, i. 121, i. 123, i. prophetizat contra altara Bethlis 122, f. quo tempore prophetizarit 121, m. ſibi per ſenem quendam imponi ſinens, per leonem perimitur 123, i.
Gajani, vel potius Cajani, hæretici 229, i.
Γάλα 70, f.
Galatæ 77, m.
Galatia 66, m.
Galba 182, m.
Galeatius Stephani F. Mediolani Vice Comes 477, f.
Galerius 198, m.
Galienus 197, i. illi Imperatoris ignavia 197, i.
Galilæa 65, f. 181, f.
Galli caſtrati deæ magnæ ſervire ſoliti 80, i. cum Romanis juncti, Romanos multos occidunt 168, m. quinam Galatæ dicti 150, m. Senones 66, m. 150, i. m. & f.
Gallia Braccata 70, f. Ciſalpina 150, f. Comata 70, f.
Galliæ & Hungariæ Reges quidam conſanguinei. 367.
Gallicia, ib.
Gallogræci 66, m.
Gallus apoſtolus Germanorum 226, m. Imp. Rom. 196, i.
Gandersheimenſe monaſt. ſuburb. conditum 727, m. S. Mariæ donatum immunitate 743, m.
Gangaridæ 77, m.
Ganges 65, m. 155, f.
Gangulphus 240, i.
Ganslinus Epiſcop. Patav. 733, m.
Garganus 112, f.
Gazinus Lotharingiæ Dux 642, f.
Gaſt / homo promtus & habilis 669, m.
Gaza 77, i.
Geberichus 205, m.
Gebh. Comes obit 452, i. Querfortenſ. caſus 523, i. f. 668, i. Franc. & Wedrovia 674, f.
Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis 164, m. Euſtatenſis fit papa 262, i. Ratisb. 729, m.
Gedeon 102, m. f. & ſeq.
Geilnhuſana Comitia contra Henricum Leonem 416, i.
Gelaſius 275, m. 219, i. Papa obit 433, i.
Gelenii (Ægid.) Auctarium hiſtoriæ S. Engelberti 412, f.
Gelrichum locus 745, i.
Gemelli Cunr. & Cunigundus nati Everhardo Comiti Marcano 393, m.
Geminus Conſ. 162, i.
Genealogia regum Trojanorum 101, m. Ducum Brunſuicenſ. 468, 469.
Gener ſororis maritus 668, m.
Genimen Tertulliani & Veteris Latini Biblior. Interpretis vox 800, m.
Genitalia Potipharis ob quid exiccata fuerint putata 88, m.
Genius 78, m. 80, i.
Gennadius de viris illuſtribus 210, f.
Gens Judæa à Jectane deſcendit 76, f. Chriſtum crucifixit 132, m.
Genſericus Vandalorum rex 214, i. 216, f.
Gentiles animalia bruta pro diis habuerint 78. f.
Gentilium dementia 78, f.
Genua in pontificem ingrata 310, f. in ſervitutem redacta, ib. Papa præſente floret 301, i.
Genuenſes Papæ auxilium præſtent 302, m.
Geon Ægyptius quidam gigas 153, f.
Gepanta 109, m.
Gepidæ, ibid.
S. Georgii monaſter. dedicatum 453, m. combuſtum, ib. f.
Georgius Comes ab Hohenloe 313, f. Epiſc. Paderbornenſ. 313, 368, m.
Geraldimont & Vorteleem feuda 404, m.
Gerberga Gandersheim Abbatiſſa 709, i. 727, m.
Gerberga Henr. Aucup. F. 638, i. 679, f. nupta Giſelberto, ib. Ludovico R. Franciæ 679, f.
Gerbicus Dynaſta de Volmanſtein 421, m.
Gerbodo, Abbas Laureshamenſ. 746, m.
Gerenrode monaſter. fundatum 702, f. 703, m.
Gertrudis filia Pipini canonizata 227, i.
Gergeſſæi 77, i.
Gergeſſeus, ibid.
Gerhardus Bremenſ. Epiſc. 509, m. Archiepiſc. obit 537, m. Advocatus de Montevico 566, f. 514, f. Dynaſta Bergenſis, deformis, ſed Orator bonus 542, m. Brockhuſenſium Comitum ultimus 519, m.
Gerhardi Cleinſorgii hiſtoria 411, m.
Gerh. ab Enſe 548, m. Holſatiæ Comes occiſus 516, i. Lippiacus Comes Archiep. Bremenſ. 510, f. Marcanus Engelberti F. 390, i. Marcanorum Dominorum ultimus 785, m. Mindenſ. Epiſc. obit 515, f. Item 518, m. Monaſter. Epiſcop. XXXI. 417, f. Item Adolfi Com. F. 388, m. de Randerode 388, f. Schauenburg Comes quatuor filiis propagat familiam 514, m. I. Com. Schauenb. Mindens. Ep. XL. 567, f. II. Com. Schauenb. Mind. Epiſc. XLII. periit in mari 568, f.
Gerhardi de Schuren hiſtoria MSta 411, m.
Gerhard. Abbas Stederburg. 436, f. præpoſitus Stederb. legatus Henrici Leonis 433, f. 434, i. 444, f. præpoſ. Stederb. electus 454, f. Richenberg Stederb. præpoſ. 453, f. obit 454, i.
Gerhardus vel potius Henricus filius ejus dictus Securis, Comes Hojenſ. 508, i.
Gerh. Verdenſ. Epiſcopus, com. Hojenſ. 534, i.
Geriberta Ottonis I. ſoror 892, i.
Germani 170, m. milites Neapoli liberantur 480, f. 481, i. veteres hiſtoricis deſtituti fuerunt 786 m. Gallicè loquentes Gallos in fugam conjiciunt 646, f.
Germani, veteres, Germanicis Nominibus ſunt appellati 758, i. Spiritus corporibus majores habent 666, f.
Germanorum nomina à Græcis & aliis vetuſtis ſcriptoribus corrupta 475, m.
Germania 66, f.
Geroldus 257, f. I. Epiſcopus Lubecenſ. 504, f. 505, m.
Gero Archiep. Magdeb. 683, f.
Gero Comes ab Ottone I. barbaricæ Luſatiæ præfectus 647, m. legatus ad Sclavos 658, m. ejus encomium, ibid. cum Sclavis colloquium, ib. Ottonis Marchio 744, m. Comitatus Geronis 741, m.
Gero obiit 662, m. ejus vita breviter deſcripta 702, f. 703, i.
Gerra Sicula 96, i.
Gerſinus Abbas Corbeienſ. 756, m.
Gerſenbracht, mons 388, m.
Gertrudis Henrici Leonis mater 500, m.

500, m. Lotharii filia 525, i. Regina moritur 453, f. Duciſſa obit 453, f.
Gervaſius 210, m.
Gerungi Comitatus 727, f.
Gevehardus Udonis F. occiſus 644, f.
Gevelsberg nemus 386, m.
Geſſur 120, m.
Getheliel 100, i.
Getherus 76, f.
Getuli 77, i.
Ghelenbeck locus 562, m.
Gigantes 74, f. 156, f.
Gihezi 126, f.
Gihon 65, m.
Gilard (Joh.) Canonicus Leodienſ. 400, i.
Giſa 229, f.
Giſela Conr. Salici conjux 729, m. f.
Giſelberto Ottonis I. ſoror nupſerat 697, m.
Giſelbertus Lotharingiæ dux 246, m. 249, i. 643, m. 677, f. captus 637, f. parentes ejus 679, i. Dux electus, Conrado rebellis, ib. Henrici gener 647, m. Rheno mergitur 648, m.
Giſla Imperatrix obit 451, m.
Gizella Comitiſſa 384, m.
G ſulphus 232, m.
Gizid 233, f.
Gladius Domini & Gideonis 103, i. Goliathi 118, f.
Glicho juxta Erpesfort 452, m.
Gloſſarium du Freſne laudatur 51, m.
Glune, villa 395, m.
Glycerius 217, i.
Gnoita 229, i.
Gnoſtici 228, i.
Gobelinus Perſona 286, i. 289, m. 310, m. 312, m. 313, m. 547, m.
Gobelini Scripta de Viſitatione S. Mariæ 330, f.
Godaricus 109, m.
Godeco eſt Godefridus 414, i.
Godehardus, Abbas 450, f. Epiſc. Salzæ templum fabricat 451, m.
Godefridus Viterbienſis 253, i.
Godefridus Dux capit Hieroſolym. 452, f. obit, ib.
Godfridus Holſatiæ & Stormariæ Comes 498, i.
Godfridus Lovanienſis princeps 413, m.
Godefrido Arnspergico opem fert Adolfus Marcanus 423, m.
Godeſchalcus Abbas Corbeinſ. 755, m
Godehardus epiſcopus Hildeſienſis 260, f. 261, i. translatio ejus 453.
Godan 81, m. 235, m.
Godenstag 81, m. 235, m.
Godefridus Niger 646, f.
Gogravii Daniæ ſeditioſi 538, m.
Goliathus 118, m. & f.
Goldaſtus antiquitatis ruſpator 3, m.
Gollochkenne pagus 727, m.
Goltorn villa 572, m. 518, f.
Gomer 77, m.
Gorblingen illuſtris familia 729, i.
Gordianus 196, m.
Gordius 153, m.
Gorgias 166, m.
Gorgona 102, i.
S. Gorgonius martyr apparet Folmarum occidi jubens 561, m. ejus reliquiæ 562, m. 563, i.
Gormo III, Danorum R. 524, i.
Goslaria 248, m. ibi ſeditio 451, f.
Goslariæ conventu Henricus Leo damnatur 431, f.
Goslarienſis monaſterii dedicatio 451, f. Eccleſiæ collegiatæ fundatio 700, m.
Goslarienſes Philippo contra Ottonem II. adhærent 784, vexantur militum petulantia, ib.
Goslinus Epiſcopus Patavinus 747, m.
Gosvvinus Heinsbergicus Comes 529, m. 437, i.
Gotfridus, Bulionius 264, i. de Rivo 291, m.
Gothi 77, m. 109, i. m. & f. 213, m. 221, f. unde appellati 634, f. unde orti, ib. Pannoniam habitant 635, m. vincuntur à Carolo M. ib. vaſtant regnum Francor. ib.
Gotſchalcus, Mindenſ. Epiſcop. 561, f. de Permont 508, m.
Gracchus 167, f.
Græci 68, m. 105, m. 108, i. m. f. & ſeqq. 142, m. 154, f. fraudulenti 702, m. 661, m. 701, m.
Græciæ Rex 470, m.
Græcia 68, m. lamentabile regnum 473, i.
Græcarum literarum periti ante Ottonem I. in Saxonia fuerunt 651, m. 694, m.
Græcorum Monarchia in regna IV. diſtracta 160, f. æra à cond. Orbe, non à Chriſto nato 476, i.
Græcus Imper. Andronicus Latinum Diploma dedit 473, i.
Græculi caſtrati 247, f.
Grando 91, m.
Granicus flumen 152, i.
Graſſatio in clerum & cives Paderborn. 334, f.
Gratianus 208, i.
Gratiarum actio, licet verbis conſtet, grata tamen eſt 379, f.
S. Gregorius decedit 451, m.
S. Gregorii corpus Coloniam transfertur 559, m.
Gregorius XII, 326, i. 327, i. 331, m. 341, m. & f. VIII. Papa Rom. 275, f. I. Papa Rom. 225, f. V. Rom. 254, f. antea Bruno dictus, Ottonis F. 360, i. inſtituit feſtum omnium Sanctorum 557. II. Papa Rom. 239, i. VII. Papa Rom. 266, i. obit 452, m. III. Papa Rom. 239, f. Turonenſis 225 m. XI. Papa Rom. 292, m. 366.
Gregorii IX. bulla de Stedingis oppugnandis 534, m. XII, 16, i. 23, f. 367, m.
Grena urbs 682, f.
Grevenalveshagen 564, m. 520, m.
Grevenroda ſepultus Adolf. Com. Mont. 394, i.
Grimhecesleba 741, m.
Grimoaldus Epiſcop. Rhegienſ. 733, m.
Grimoldus 229, f. 230, m.
Groicenſis Comes Wipertus 786, i.
Grona urbs Saxoniæ 636, m. 639, m. 676, i.
Gronde arx vetus ad Viſurgim 676, i.
Gronovium oppid. 676, i. unde dictum, ib.
Grone villa 570, i.
Grubenhagenſis familia conditor 469, i. Principes ultimi 470, f.
Gruonaha locus 728, m.
Gudemans 419, m.
Gudesfeld & Wobze 504, m.
Guido Flandriæ Comes 394, m.
Guilielmus Curialis Auſtriæ D. 479.
Guil. Ottonis M. F. Archiep. Mogunt. 658, f.
Guncanſtein urbs, cum Salinis 745.
Guleke 171, i.
Guncelinus Comes Suerinenſ. 272, f.
Gunhildis Canuti Dan. R. F. 729, m.
Guntherus Comes de Swartzeburg 284, f.
Gundericus rex Wandalorum 213, f.
Guntherus Comes Kefernbergenſ. 414, m. f.
Guntherus Epiſcopus Bamberg. obit 452, i.
Guntherus Poëta 494, i.
Guttings 745, i.
Guntramus Francorum rex 213, f.
Gymnaſium Hieroſolymis per Oniæ fratres apoſtatas extructum 165, f.
Gymnoſophiſtæ 143, m.

H.

Habitus, monachalis per Conſtantinum publicè dehoneſtatus, 234, m. Saxonum vetus 159, i.
Hadamarus Abbas Fuldenſ. 639, i.
Hadelia, regio, 667, i.
Hadelaria 158, f.
Hadelradus Angl. R. 524, i.
Hadelsleven 750, m.
Hademersleben Comitatus 794, m. Monaſter. fundatum 702, f. Nobiles Hademerslebienſ. ibid.
Hadewigis Abbatiſſa Hervordienſ. 557, f.

Hadolaum 158, f.
Ἅδης 64, m.
Hæreſis, Acephalorum 228, i. Eutychiana 214, m. Monothelitarum 227, m. Neſtoriana 214, m. Pelagiana 213, m. quædam Evangeliſtas abolere conata 276.
Hæreſes in Eccleſia pullulantes 190, m
Hæretici Sangerhuſani 337, i.
Hahaldesleve 750, m.
Haica Dux Ottonis 647, m.
Hakeborn Comitatus ceſſit Mansfeld. 794, m.
Hakel, ſaltus, 759, m.
Hakenſted grangia Vallis Mariæ 483, m.
Halberſtad 238, i. incendio minuitur 455, m.
Haldensleve 273, i. & m. 437, m. capitur 436, m. 437, m. obſidionem patitur 438, i.
Hallermundii Comites 414, m. 528, m. Monaſterium Schuinenſe fundarunt 562, m. Item in Lucka, ib.
Hallermundenſis Comes Ludolfus 532, m.
Hallervordius 3, i.
Hamele caſtrum obſidetur 404, m.
Hamelen emtum à Witekindo Epiſc. Mindenſ. 513, f. Eccleſiæ ibi fundatio 565, m.
Hamelmannus (Herman.) 376, m.
Hamburgum 277, i. unde nomen habeat 417, m. Stormariæ urbs 498, i. Jovis caſtrum dictum 556, m. Eccleſia fundata 554, m. donata ei ab Ottone I. 740, i. in feudum Archiep. Bremenſ. 513, m. 537, f.
Hammenborg arx deſtructa 500, m.
Hamme quid ſignificet 417, m opp. exſtructum 386, f. incendio vaſtatur 392, m.
Hammingerod 728, m.
Hannene & Landenen combuſta 406, m.
Hanſevels 398, m.
Hannibal à Carthaginenſibus domum revocatur 165, m. à Romanis poſtulatus ad Regem Bithyniæ fugit, ib. à Scipione Africano præliis frequentibus obruitur, ut pacem, exoptet, ibid. ad Antiochum confugit, ibid. ad Brutiam contendit, ib. ad caſtra profugere compellitur, ibid. ad Muros Romæ caſtrametatur, ib. dux exercitus Pœnorum eſt 70, i. ex Italia diſceſſurus milites omnes, eum in Africam ſequi recuſantes, interficit 165, m. Italiam ingreditur 164, f. iterum vincit Romanos, ib. vincitur, ib. obſidet Saguntum 174, m. permittit Romanis, ut redimant captivos, ib. f. veneno epoto moritur, ib. victos ſuppliciis variis afficit, ibid.
Haraldus Rex Daniæ 659, f. VI. Blodtant 700, m.
Hardagi Saxon. populi 670, m.
Hardenberg, Dynaſtia Saxon. 794, m
Harmonia triſtem triſtiorem, lætum lætiorem facere perhibetur 118, i.
Hartesburg 455, m. 452, i.
Harther pagus 743, m.
Hartungus Comes Schauenb. Nordalbingiæ 523, f.
Hartungus II. Comes Schouenb. occiſus 499, i.
Hartvvardus Mindenſ. Epiſc. II. 557, i.
Hartvigus à calculo liberatur 256, f. coronatur unà cum conjuge, ib. intrat Apuliam, ib. ſedat tumultum Papienſem, ib. Pſeudo Rex, ib.
Harpagus 139, i.
Harpalus conſilium dat Perſis, Spartatum regem conſtituant 139, m. filium proprium epulatur ignorans, ib. injuriam ſibi per Aſtyagem illatam ulciſcitur, ib.
Hasbania 399, i.
Haſelbôn, auguriis loco 581, f.
Haſſia 67, i.
Haſſiæ infans Ludovicus 422, m.
Haſſingani 686, i.
Haſſigovv 670, m.
Hasdrubal 165, m.
Haſtiludio interiit Simon Comes Schauenburg. 518, m.
Hatesborg 518, m.
Hathagaſt 632, f. 669, m.
Hathagaſtus Saxo Herminfridi urbem occupat 633, m.
Hatbeggo villa comburitur 889, f.
Hatto Epiſc. Moguntinus 635, f. ejus fraus detecta 636, i. obit, ib. Mogunt. Archiep. ſubſcribit in elevationem Archiepiſcopatus Magdeburg. 732, m. f. Epiſcop. Peterbrunnenſ. 765, f.
Hatumarus 238, f.
Havelbergenſis Epiſcopatus 734, i. 735, m.
Hebdomadæ Danielis LXX. quomodo ſupputandæ 140, m. & f. Septem ſexaginta duæ annos quot faciant, ib.
Heberus 76, m. 88, i.
Hebræi ab Hebro deſcenderunt 76, m.
Hebron 74, f. 84, m.
Hechi locus, monachis incommodus 765, f.
Hector 106, i. 107, i. m. & f. & (ſeqq.
Hecuba 108, f. 110, f.
Heeſen 387, m.
Heidevvigis ſoror Gerbirgis 727, m. docta, ib. Conſtantini nuptias declinat, ib.
Heilechem 401, m.
Heilvvigis Adolphi Schauenb. uxor 536, m. Lippiaca Schauenb. Com. conjux 516, f. 544, i.
S. Heimeradus Presbyter obit 451, i.
Heimborg. Dynaſtia 794, m.
Heinsbergia familia Comitum 437, i. 529, m.
Heitvelde 587, m.
Hela rex Iſraëlis 123, f.
Helderungius Baro tribulariæ factionis Dux 368 m.
Helena Conſtantini mater 212, f.
Helena Agamemnonis uxor 106, f. 111, i. & m.
Helena Brandeb. March. F. mater Adolphi Waldeck 421, f. uxor Henrici junioris D. Brunſvic. 477, i. Ottonis filia 486, f.
Helenus 68, i. 106, m. 110, f. 116, f.
Helevvigis Adolphi IV. Com. Schauenb. uxor 512, m.
Helfendorf 744, i.
Heliodorus 165. f.
Helinvvardus Mindens. Epiſcop. 559, m.
Heliopolis 88, i.
Helis 116, m. & f. 117, i.
Heliſugun, prædium 745, i.
Hellas provincias habet duas 68, m. tertia Græcia provincia unde ſic dicta, ib.
Hellenburga fundatrix monaſterii in Visbeke 561, m.
Helleſpontus 64, m.
Helmigiſus 222, i.
Helmingovve 745, m. 748, m.
Helmonſtedi monaſter. 744, i.
Helmſtadium 276, i. conditum 365, i.
Helperici liber de ratione computi 450, f.
Helwerdshuſen/ monaſter. 512, m.
Hemannus 121, m.
Hemma Ludov. Germ. R. conjux 788, m.
Hemele dos altaris Corbeienſ. 755, m.
Hemmentorp. Corbeienſibus datum, ibid.
Heneti 69, i. Saxoniæ cũ Sclavis incumbunt 444, i. ſ. Werlenſes Dynaſtæ 469, i. utramque Albis ripam inſederunt 444, i.
Henetorum Lingua reliqua in Ducatu Lyneb. 444, i.
Hengiſtus 216, i.
Henricus Abbas Corbeienſis 757, m. Fuldenſ. Hameliam vendit 539, i
Henricus antiſtes Paderbornenſ. 312, f

Henricus,

Digitized by Google

Henricus, Archiep. Colon. 396, m. *Moguntinus* 291, m. *Bavariæ Dux* 248, f. 269, i. *Comes Arnsbergenſis* 266, f. *Comes Waldeccenſis* 288, i. *de Aslo* 264, m. & f. *Dux Luneburgenſis*, 288. m. *epiſcopus Paderbornenſis* 266, f. 291, f. *I. Imperator* 247, m. 262, f. 265, i. *Leo* 273, i. & m. *IV.* 262, i. *V.* 266, m. 268, i. *Saxoniæ Dux* 246, m. *Schonfeldt* 337, i. *ſecundus Imperator* 255, i. 282, m. 450, m. f. *ſeptimus Imp.* 284, i. *ſextus Imp.* 273, m. 275 i. *Spegel* 285, m f. *tertius Imp.* 261, i.

Henricus, Auceps Ottonis Sax. Fil. 634, m. *Arnolfo pacem perſuadet* 678, m. *Epiſcopos in Bavaria conſtituit*, ibid. *Reginoburgum obſidet* 637, m. *à Conrado I. Succeſſor in Imperio deſignatur* 677, i. *Burchardum Alemanniæ Ducem oppugnat* 637, i. *Bohemos & Sclavos domat* 450, f. 451, m. *erga cives ſuos clemens, exteris aſper* 643, m. *Caroli Regis* Franciæ *caſum dolet* 637, f. *Francicorum regum jugum primus excuſſit* 673, m. *Ungarorum legatis munera dare ſolitus* 640, f. *Ungaros devicit* 558, m.

Henrici Aucupis obitus 642. *ejus elogium* 684, f. *Humilis dictus*, ib. *ſepulchri locus*, ib. *proceſſus corporis* 641, f.

Henricus Henr. Aucup. F. 638, i. *inhiat Imperio* 688, f.

Henric. Auſtriæ Marchio D. Leopoldi F. 525, i.

Henr. Bambergenſ. Epiſcop. captus 414, m.

Henr. de Bardevik, al. Badewide/ *conditor familiæ Comitum Raceburg.* 524, f.

Henricus Bavariæ I. D. obit 656, m. 699. *quos liberos reliquerit*, ib.

Henricus dictus Beyer 399, f. *Bogenarius* 534, i. 538, f.

Henr. D. Brabantiæ Joh. III. F. *Limburgi Dux appellatus* 423, i. *V. Brabantiæ D. obit* 416, i. *de Brema, Ord. Prædicatorum* 510, f. *à Bretensleben* 522, m. *D. Brunſuic. Epiſcopatum Hildesh. violenter ambit*, 515, f. 545, m. *ipſe & alii DD. Brunſuic. Comitatum Schouenb. deprædantur* 520, m. *Ducatu ſuo expulſus*, 574, m. *Cardinalis deponit Archiep. Mogunt. & alios* 454, m. *Conradi* F. *Puer, Rex Germ.* 382, f. *fundator Eccleſ. Goslar.* 451, m. *Ferreus, Gerb.* F. *Com. Holſat.* 516, m. 543, m. *Frider.* F. *Imp. VI. coronatur vivo Patre* 385, i. *abſente patre regia utitur poteſtate* 431, m. *Galliæ R. obit* 451, f. *de Gelria Leodienſ. Epiſc.* 390, m. 419, f. *Haſſiæ Landgrav. capit Robertum Archiep. Colon.* p. 573. m, *leproſus ideo obit*, ib. *Henrici D. Sax.* F. 674, i. *Henſyk Stederburg. Præpoſitus* 428, m. *ſ. Henzilo Conradi Franc.* D. F. 729, m. *de Hervordia Hiſtoricus* 412, f. *Dominicanus, & diligens Saxonicarum rerum Scriptor* 497, m. *doctiſſimus* 515, i. *obit* 569, i. *Hezelo, Gerbirgis frater*, *D. Bavariæ obit peſte* 727, m. *Comes Hojenſis* 534, f. *de Ilborg, captus* 387, f. *Imp. III.* 797, f. *familia ejus* 729, m. *tres Papas depoſuit* 451, m. *Wandalitios invadit* 382, f. *obit* 451, f. *Imp. IV.* 451, f. 729, m. *coronatur* 382 f. *Patri ſuccedit*, ib. *Wicbertum Papam conſtituit* 382, f. *Hildebrandum P. oppugnat* 382, f. *Romam capit*, ib. 452, m. *Caſtella in Saxon. & Thuringia exſtruit* 452, i. *pellitur regno, & moritur in exilio* 452, f. 383, i. 498. f. *monumentum*, ib. *V. ſuccedit Patri* 383, i. *reſignat Papæ inveſtituram*, ib. *Paſchalem Papam capit* 413, i. *obit*, ibid. m. *Ultrajecti* 383, m. *VI. Apuliam & Siciliam occupat* 385, m. *obit* ib. *VII. cujus filius fuerit* 421.

Henrici Junioris uxor Agneſa Palatina 447, m. *ipſe ab Imperatore diſcedit* 432, m.

Henr. Ottonis I frater Arnolphi gener 649, f. *elogium ejus* 649, f. 650, m.

Henricus Leo, unde ſic nominatus 484, i. *inſigne ipſius* 527, m. 483, m. 505, m. 527, m. *nuptias Mechtildis quis procuraverit* 363, f. *innocens fuit cædis Thomæ Cantuarienſ.* ib. *Lubecam accepit* 501, 504, f. *defendit Adolph. III.* 501, f. *in Bavariam abit* 503, m. *Nordalbingorum & Sclavorum terræ cuſtodiam committit Adolpho III. Schauenb.* 503, m. *Lovvenſtad exſtruit* 504, f. *Friſiam cum exercitu intrat, & Sclavorum Regem reſtituit* 454, m. *Sclaviæ Epiſcopos præficit*, ib. f. *cum Epiſcopo Ratisb. litigat*, ib. *S Sepulchrũ viſitat*, ib. *Thuringiæ Landgravium capit* 455, m. *latiſſimè rexit* 798, f. *fabula de Leone*, ib. *Aſlenſis Comitis Ottonis hæreditatem adiit* 529, m. *Werlam caſtr. evertit* 454, f. *Lubecæ clerum congregat*, ib. *Demin opp. evertit*, ib. *Brunſuigæ Baſilicam extruit* 449, i. *ut* Fridericum *Imp. in Italiam tertia vice comitaretur, induci non potuit* 505, i. *quare eum non ſit ſequutus* 364, m. *ab Imp.* Friderico *oppugnatur* 437, m. *quærit ſupplex illius reconciliationem* 433, i. *feudis ſuis privatur* 505. *an juramento ſe ad exilium obligaverit* 439, f. *filios obſides dedit, ſatisfactionem offerens* 431, f. *quæ illi promiſſa, non ſervantur* 432, i. *in itinere tibiam lædit* 434, f. *ſenio debilis Chronica ſibi recitari jubet* 433, m. *ab Henrico VI. in gratiam falsò recipitur* 434, f. *ægrotat* 435, f. *decedit* 636, i. *ſepultus, Epitaph.* ib. *quamdiu vixerit* 450, m. *an Papæ Clementis conſanguineus fuerit* 432, m. 443, m.

Henricus Laoburgenſ. Princ. Ep. Paderb. 369, m. *Lancaſtriæ D. capit R Angl.* 520, m.

Henr. Leodienſ. Epiſc. 389, i. *Machlinenſes oppugnat* 390, f. *deponitur à Gregor. X. P.* ib. *Limburgenſ. D* 387, m. 391, m. *Luzenburg. Imperat. eligitur* 397, m 515. *Coloniæ curiam tenet*, ib. *coronatur Mediolani* 397, f. *Brixiam obſidet*, ib. *obit Piſis ſepelitur* 398, i. *quo genere mortis obierit* 542, i *Luneburg. Lippiacum Comitatum vaſtat* 529, f.

Henr. & Walramus Comites Lucenburg. 421, i. *Maguntinus Archiep* 384, m. *de Græcia dictus* 470, f. *Mirabilis hiſtoria* 469, *cum familia* 468. & 470. 784, m. *Ducatus ejus* 785, m. *ſuccumbit in prælio*, ib. f. *Mindenſ. Epiſcop.* 562, m. 564, i. *Comes de Monte obit* 397, f. *Naſſoviæ Comes in Miſnia conſtitutus* 391, m. *Niger D. Bav. & Sax. ingreſſus monaſterium* 536, f. *Orlemundenſis Comes* 528, f. *Oſilienſis Epiſcopus I.* 565, f. *Ottonis I. frater, D. Bavariæ Judithum Arnolphi Bojorum D. filiam ducit* 714, i. 718, m. *conſpirat in Ottonem fratrem* 717, m. *capitur ab Everh. Comite* 714, m. *Palatinus Rheni obiit* 532, f. *Roſla Neoburgenſ.* 472, m. *Rotenburgicus Comes, Epiſcop. Wurzb.* 361.

Henricus Saxoniæ D. obit 453, f.

dedit

dedit Eccleſiæ Mindenſi curiam in Lothen 562, m. Sclavorum R. ſive Princeps, obit 498, m. Schouenburg. Epiſc. Mindenſ. 572, f. Superbus Lotharii gener Ducatum Saxoniæ accepit 524, f. etiam Leo dictus 484, i. obiit 525, i. Svverinenſis Comes 509, m. Stero Monachus 452, i. de Unna artium M. 407, m. de Waldeg Comes hoſtiliter invadit principes 547, m. Wernigerodenſis Comes 784, m. de Windeke Dominus 391, m. Wirceburgenſ. Epiſc. obit 451, i.
Hera 235, f.
Heracles 194, f.
Heraclita 228, m.
Heraclitus cognomento Tenebroſus 146, m. Imperator 226, m. 227, i.
Herbipolis 239, f.
Heriboldus de Brobeke 315, i.
Hercules 64, i. 68, m. 101, i. 164, i. & m. 115, i. D. Ferrarienſ. 483.
Hercumbertus Mindenſis Epiſcopus primus 550, i. 555, m.
Hercynia ſilva, Hartici montes, der Hart 793, f.
Herdehuſen 269, m.
Herdiggus Abbas Magdeb. 734, m.
Heresberg 236, i.
Heresburg urbs Saxon. obſeſſa 636, m. 675, f. capta 644, f. 668, m.
Hergevvete 247.
Herewede 682, m.
in Herenſtein Ottonis I. Diploma datum 748, m.
Herflot occupatur 36, i.
Heribertus 232, m. al. Hildebert. Epiſc. Fuldenſ. Archiep. Mogunt. 648, m.
S. Heribertus Colon. Archiep. Henrico mortem prædixit 382, m.
Herigerus Archiep. coronare voluit Henr. Imp. 637, i. 677, f.
Heringen parochia 186, m.
Heringehuſomarcha 727, f.
Heriſci prædium 745, i.
Herlingsberga, ubi ſita 784, m. quando condita, ib. occupata 785, m. ſolo æquata 785, f. quomodo nominata 786, i. nomen forte dedit Nobili familiæ 785, m. Roslæ carmen ita ab H. Meib appellatum 773, f.
Hermannus invadit regnum 458, m. Comes obiit 453, m. Alemanniæ Dux 695, m. Alſatiæ D. 255, m. Badenſis Brunſuigam vendit 799, m. de Blankenburg Canon. 791, m. Billingus, nobilis 643, f. 686, m. Saxoniæ D. & Procurator 654, i. an primus D. Saxon. 444, f. obiit 662, m. 704, i. Colon. Epiſc. obiit 451, m. Crombachius de S. Urſula ſcripſit 352. Everſteinius Comes 318, m. Haſſiæ Landgrav. Archiep. Colonienſ. 573, m. Epiſc. Paderb. 369, m. Hildesheim. Epiſc. obit 455, i. Lerbekio quando vixerit 492, i. quo ſtilo ſcripſerit, Conringii & Lambecii de eo judicia, ib. m. Dominicanus Monachus 493, m. 495, i. Chronici ejus auctoritas, &c. 578, f. 491, f. Lippiacus Comes obit 520, f. de Loen Brederodienſ. 391, i. 420, i. Lucenburg 262, f. Orlamundenſis Comes 529, i. Palatinus Comes 273, i. Ravensburgenſ. 272, f. a Wedda Com. Ep. Paderb. 369, m.
Hermanricus Gothorum rex 205, m.
Hermes Ægyptius Triſmegiſtus 72, f. major avus Triſmegiſti, ib.
Hermin quaſi Hermes 633, m.
Herminfridus Thuringorum R. 668, f. 670, m. in obſidione elapſus 633, f. obiit 635, f. 669, m.
Herodes Antipas 178, f. 179, i. Aſcalonita 169, m. tetrarcha 172, f.
Heroes ſine pöetis & ſcriptoribus infelices 787, f.
Heroes aulici Davidis 120, i.
Herolvesvelt 732, m. 734, f.
Hervordiæ, hiſtorica quædam 358, i. cœnobium 682, i. puellarum 554 m. Puſinnæ virginis corpus ibi, 557, f. Comes Wolderus 554, m.
Hervverdeſſen prædium 446, i.
Herſchede, locus 388, m.
Herſtelle 238, f. arx 356, f. Epiſcopatus 555, m.
Hertinga, pagus 744, i.
Herve obſidetur, deſtruitur 398, f.
Heruli 219, m.
Heſione 105, m.
Heſperia 71, i.
Heſſenheim 750, m.
Hevila 77, i.
Heſſenberg/foreſtum 560, i.
Hetha monaſt. 755, i.
Heteborna 759, m.
Heurnii (Pontii) genealogia erronea 363, m.
Hezehuſen 243, m.
Heveldi barbari, Sclavi 647, m.
Heveldus, locus 741, m.
Hevelli ad Havelam fl. habitantes Sclavi 639, m. 682, m.
Hiatus terræ maximus in foro Romano factus 151, i.
Hiaziel Levites 124, m.
Hibernia 71, m.
Hiddehuſium prædium 745, i.
Hiddesacker 533, m.
Hieronymus Pragenſis 342, i. comburitur 49, i.
Hieroſolyma 136, f. 140, f. 182, f. 186, m. 184, m. 180, i. 264, i. 273, f.
Hieroſolymæ fundamenta ſub Zorubabele jacta 142, i.
Hieroſolyma, Tacito famoſa dicitur 787, m. capta à Saladino 430, f. 439, i. 385. monaſterium Rasbacenſe ita nominatum 767, m.
Hieroſolymitana expeditio 452, f.
Hieroſolymitani Triumviri 182, f. templi velum ſciſſum 141, m.
Hilarius epiſcopus 206, m.
Hilarius Papa Rom. 218, f.
Hildeberg uxor Ufonis 558, i.
Hildebertus Francorum rex 223, i. Arch. Mogunt. 642, f.
Hildebold Comes de Limbere 441, f.
Hildebrandus 261, f. 266, m. P. removetur 452, i. moritur. ib. m.
Hildegardis, Auguſta 241, i. prophetiſſa 384, i. Abbatiſſa Hervordienſ. 546, m.
Hildesheim 238, i. F. Mauricii Monaſt. fundatum 451, m. S. Michaelis 451, m. Epiſcopus Moguntino ſuffraganeus 734, m.
Hildericus 217, m. 234, f.
Hildevvaldus Comes Werlov. 359, m. Epiſcop. Halberſtad. 732, m. 733, i.
Hilduvvinus Abbas S. Dionyſ. 767, m. in exilium mittitur. ib. i.
Hillebardus Epiſc. Halberſt. 691, f.
Hiltinisheimenſis Eccleſia fundata 556, m.
Hilvershuſa monaſt. 686, f.
Dn. de Hinsberg 402, m.
Hippias 147, f.
Hippocrates 71, f. 147, f.
Hippolyta Amazonum regina 169, f.
S. Hipoliti corpus 764, m.
Hircania 66, i.
Hirci pro diis habiti 78, f.
Hiribertus Hugonis gener. 641, m.
Hiringus Herminfridum & Thiadericum trucidat 633, f. bellum ſuadet 631. ad pacem petendam mittitur 632, m.
Hirm, prædium 504, m.
Hirſaugienſis Schola celebris 624, m
Hiſtrionibus quod datur dæmoni immolatur 505, m.
Hiſpalis 170, f.
Hiſpania 71, i. 165, i.
Hiſtoria, Alexandri M. 152, m. Henrici IV. Imperatoris 265, m. de Moyſe 90, m. de reformatione monaſterii SS. Petri & Pauli Paderbornenſis 329, m. Eſtheræ quando conſcripta ſit 149, m. gentilis, res ante Ninum geſtas, nulla deſcripſit 75, m. quædam

fabuloſa

Digitized by Google

fabuloſa 230, i. *ridicula* 247, f. *Romana maximè famoſa* 152, m. *Trojana* 103, f.
Hiſtoria de Sibyllis diverſa 131, i.
Hiſtoria ſuper regni Medorum ad Perſas devolutione diſcrepantes 139, i.
Hiſtorici varia dicentes imperitè condemnandi non ſunt 61, m.
Hoeldesleva 732, m.
Joh. Henr. Hofmannus 471, m.
die Hogenborde *vaſtata arx* 571, f.
Hoge Dynaſtia Saxoniæ 794, m.
Hochvvartus (Laur.) exploditur 758, m.
Hohnſtein Comitatus ceſſit Ducib. Brunſ. 794, m.
Hohenrode *caſtrum* 529, m. *templum conſecratum* 507, m.
Hojenſis Comitatus 508, i. 563, f.
Hoje caſtrum 566, m. *Comitum genealogia* 534, f.
Hojenſes fœdere junguntur Duci Brab. 403, i. *caſtrum de Moha obſident* 398, m.
Hojerus Comes Falckenſteinienſis 276, f.
Hokeleve villa Ueulbi 545, m.
Hollandia 70, f. *Comitatus capit* 557, m.
Hollenſtede 743, m.
Holocauſtomata Deo per Noëmum oblata 75, f.
Holofernes 145, m.
Holſatia 67, i. *caſtris munita* 508, i. *purgatur extraneis gentibus* 533, m. *Adolpho Schovvenb. ceſſit* 498, i. *affinitas illorum cum Lippienſ. Comit.* 494, i. *quales mores illius gentis* 563, i.
Holſtein 160, i.
de Holte Dynaſtia 471, m.
Holtgibutle, Holtem prædia 739, i.
Holtgeding 81, i.
die Holthuſerbeke 545, m.
Holtſaſſen 160, i. *circa Travenam fl.* 500, m.
Homborg Dynaſtia Sax. 794, m.
Joh. de Homborg Baro 544, f.
Homelingus 284, m.
Hommaburgum, *urbs, Ottonis I. temp.* 648, m.
Homerus *quo tempore plerisque videatur vixiſſe* 115, f. 117, f.
Homines *carnibus comeſtis oſſa relinquunt canibus* 163, f. *de domo Abimelechi juſſu Saulis interficiuntur omnes* 118, f.
Homo *noſter interior ad imaginem Dei factus* 72, f.
Homo *nullus ante diluvium ad annos M. utut diutiſſimè vixerit, pervenit* 76, i. *quando & unde creatus* 63, i. *quo modo Deum capiat* 62, i. *quatenus ad imaginem Dei factus* 72, f. *ubi conditus*, ib.
Honorabilis *Viri titulus Wilhelmo Regi Rom. datus* 475, i.
Honorius *Papa Rom.* 275, m. *obit* 453, m. *I. Imperator* 211, m. 213, m. 231, m.
Honrode *Eccleſia fundata* 558, m.
Hoppelberg *mons munitus* 528, f.
Horas Canonicas Epiſcopi legerunt 572, m.
Horeborg caſtr. 509, f.
Horthuſa 360, f.
Hormiſda 224, m.
Horneborg expugnatur 455, m.
Horſa 216, i.
Horſedal 698, m.
Horſtnovv, Horſtmar Dynaſtia 417, f.
Hortus 64, f.
Hoſed Miles ſtrenuus Ottonis I. 658, f.
Hoſed Abbas Corbeienſ. 756, m.
Hoſtiæ quando fidelibus vileſcere cœperunt 141, f.
Hoſtibus multis quomodo occurrendum 787, f.
Hoſtedenſis Comes Theodoricus 416, i.
Hoveſtad caſtrum 395, m. f.
Hubertus Epiſc. in Conc. Ravenn. 733, m.
Huckelinghagen 559, m.
Huerda arx 403, i.
Hugo ex nobilibus Thuring. primus Chriſtianus 414, i.
Hugo de S. Victore 268, i. 269, i. 363, m. *Francorum orientalium rex* 159, i. 667, f. *gener Ottonis M.* 638, i. 681, m. *obſidetur Pariſiis* 651, m. *Saxones ſpernit* 691, m.
Hugonis M. fibula aurea 649, f.
Hugo Roberti filio D. Franc. & Burg. 692, m. *Cyzenſis Epiſcop.* 735, f &c. *Heriberti Comit. F. deſign. Epiſc. Rom.* 695, i.
Hugonidæ ſunt Germanicæ originis 679, m.
Humbertus Epiſc. & Archicancellar. 752, m.
Hungari 67, f. 244, i. 246, m. 247, i. m. & f. & *ſeqq.* *cæſi ab* Hen*rico Aucupe* 641, m.
Hungaria 67, f.
Hungariæ & Galliæ Reges conſanguinei 367, f.
Huni 67, f. 109, m. 205, m.
die Hunnentrencke *ad Tremoniam* 686, m.
Hunoldus de Plettenberg 379, i.
Hur 941, i. (395, m.
in Hurde *moniales* 381, i.
Huſſelt 423, i.
ad Huule opp. prælium 408, m.
Huſſi (Johannus) & Hier. Pragenſ. *Articuli propoſiti* 342, i. 31, f. *& ſeq.*
Huſius 87 f.
Huxaria 272, f.
Hyacinthus 277, m.
Hydromantia 134, f.
Hydruntum 70, m.
Hyginus Papa 192, m.
Hyrcanus 163, i.
Hyems Romæ aſperrima 161, f.
Hyſſon 107, f.

I.

JAbelus 53, f.
Jabes 102, i.
Jaboc 87, i.
Jacobus 86, m. f. & *ſeqq.*
Jacobo ſcala, dum in Meſopotamiam pergeret, ſomnianti viſa 86, f. *vox Jacobum illum eſſe prodit* 86, f.
Jacobus Reboc impoſtor 543, f. 86, f.
Jactantia Friderici Padbergenſis Thraſonica divinitus punita 314, m. & f.
Jaddus 152, i. & f. *Jaddi frater templum conſtituit* 131, f.
Jael 102, m.
Jatrus 114, i.
Jammundlingus 740, i.
Janiculum 135, f.
Janua 64, m. *riparia Jannenſis* 13, f. 14 i.
Janus 78, f. 79, m. 80, i.
Japhet 74, f.
Jared, ibid. i.
Jaſon 103, f. 104, i. m. f. & *ſeqq.*
Javan 77, m.
Iberia 66, i 71, i.
Ibo Comes 657, m.
Iborg, Driborg, Caſtrum 356, i.
Iburgum 136, f. 273, f.
Icaria 72, i
Icarus ib. i. 103, m.
Ica fundator Eccleſ. S. Simeon. Mindæ 563, f.
Iconiam cum vicinia 432, i.
Ida nupta Ludolpho Ottonis I. F. 651, f.
Idenhuſen Eccleſia fundata 699, i.
Idenſen Eccleſia ad Mindenſ. Epiſcopi collationem ſpectat 571, i.
Ido 242, m.
Idola 163, m.
Idololatria quem habuerit authorem 83, m.
Idolum in Jacobo nullum eſt 97, i.
Jovis Olympici in templum Hie*roſolymitanū introductum* 166, i.
Idomeneus 111, f.
Idumæa 86, m.
Idumæi 127, m. 129, m.

Idus Martiæ Cæſari exitiales 172, m.
Jebus 77, i.
Jebus ab Adriano filio Ælia dicta fuit 120, i.
Jebuſa eadem quæ Hieroſolyma, ibid.
Jecchenburg 247, m.
Jechonias idem fuit qui & Joachimus 136, i.
Jecchonias regi Babylonio rebellans capitur, & Babylonem abducitur, ibid.
Jechonias rex Judæorum, ib.
Jehum, rex 126, f. 127, i. *vates* 124, i.
Jejunium 95, m. 198, f.
Jephis
Jeremias 137, f. & *ſeqq.*
Jericho 98, f. 124, f.
Jerobaal 102, m. & f.
Jeroboamus 122, m. f. & *ſeqq.*
Jeruſalem 65, f. *capitur* 382, f.
Jesbaam 120, i.
Jesbibenob 120, f.
Jeſele ſive Jſela 67, m.
Jeſraël 125, i.
Jeſus Ananis filius 185, f. *Chriſtus* 188, m. *filius Joſedechi* 142, i. *frater Oniæ* 165, f. *Nave* 98, m. *Syracides* 164, i.
Jezabel 124, m. & f. 125, m.
Ignatius 190, f.
Ignem, quisquis inter Chaldæos pro Deo colere nollet, in ignis caminum conjiciebatur 84, i.
Ignis conſumens omnia, calefaciendo vitam miniſtrat 84, i. *inextinguibilis* 252, i. *pro Deo cultus à Chaldæis* 84, i. *Solus nihil gignit* 81, f. *Græcus* 359, f.
Ilion 106, i.
Ilium, ſive Ilion 66, m. 101, m. 105, f. 106, i. 150, m. 104, f. 105, i.
Ilus 101, m.
Illuſio quædam diabolica 231, i.
Illyrii ab Alexandro Magno victi 152, i.
Ilmena & pagus Kircheim vendita 414, f.
Ilovve 506, i.
Imadus 262, i.
Imagines è templis ejectæ 235, f.
Imago Jovi conſecrata 104, f. *S. Petri Urbano Papæ Romam redituro viſa* 311, i.
Imenvvetlinga 741, m.
Immadus Comes Pleſſenſis 362, m.
Immadus & Mainvvercus intereunt 654, m.
Immedingorum origo 681, i.
Immeth ſ. Sibeth Immodi F. 681, f.
Immodus Ringelheimenſis familia 698, i.
Immola 70, m.
Immonis Comitis aſtutia militaris 647, f. 690, m.
Imod Tiderici F. 681, f.
Imolenſis Epiſcopus Johannes 733, m.
Impatientia eorum, qui apud Urbanum Papam remanſerunt 303, f.
Imperatorum titulus Domini rerum 666, m.
Imperator Fridericus aquis ſuffocatur 274, f. *Fridericus ſui ſimilis*, ib. *Græculus inſolens*, ib. m. *pontifici electionem & inveſtituram epiſcoporum relinquit* 267, f. *profectionem in terram ſanctam detrectat* 277, f. *Otto Aquisgrani conſecratus* 642, f.
Imperator nullus extra Eccleſiam Chriſt. 555, f. *habet mundi regimen ratione Eccleſiæ* ib.
Imperatores Græcus & Romanus reconciliati 174, m. *quidam Friderico II. ſubſtituti* 280, f.
Imperatoris ſtatua in foro erecta ſignum libertatis donata 573, m.
Impramonito ſupervenire 396, m.
Imshuſen Steinbergiorum 681, f.
Inacere Apuleiana vox 796, i.
Incantatio quid poſſit 96, m.
Incantatores Pharaonis 91, m.
Incendia in agro Paderbornenſi 174, i. *Oſenbrug, Suſati, Magdeb.* 507, f.
Incendium Paderbornenſe 268, f. 270, f. *ſub Phaethonte* 92, i.
Incubi 128, f.
Incubus 286, m.
Indictio 176, m.
Indulgentia Papales 7, m. 8, i. m. 18, m. 254, m. 282, m. 304, i. 311, m. 320, m. 571, f.
Indus 64, f.
Infans Berſabeæ, moritur 120, m. *per matrem ſuam coctus & comeſtus* 185, i.
Infantes Hebræi maſculi omnes in flumen projici jubentur 90, i.
Infrunitus 803, f.
Ingeniis & machinis oppugnare 392, m. 791, i.
Inginelheimi datum Ottonis diploma 748, m.
Initium diei gentibus aliis aliud 82, i. *regni Laurentini* 102, m. *Macedonici* 128, i. *Saracenici* 226, f.
Innerſte fl. Entriſta 669, i.
S. Innocentii corpus 687, m. 740, f. 741, m.
Innocentius I. pontifex R. 218, i. *II. Pontifex R.* 275, m. *coronat Lotharium* 383, m. *III.* 385, m. *excommunicat Ottonem IV.* 388, m. *VII. pontifex R.* 11, i. 323, f. ib. i. & f. 367, m. *obit* 11, m.
Inſignia, abdicare victi cogebantur 485, f. *olim facile mutata* 485, m. *Schvvalenbergenſium & Waldeccenſium conveniunt* 531, m. *Orlemundanorum Comitum* 529, i. *regalia quænam* 677, m. *Saxonum veterum* 633, i. 669, m.
Inſolentia imperatoris Græculi 274.
Inſula Diomedæa 112, f. *Mindenſ. Ordinis S. Benedicti* 498, m. *Flandriæ obſeſſa* 394, m.
Inſulæ Æoliæ etiam Vulcaniæ dictæ 72, m.
Interpretes LXX. 162, m.
Jo 64, m. 86, m.
Joab 120, i.
Joachatz 127, i. & m. 135, f.
Joachimus idem qui & Eliachimus 127, i.
Joas 125, m. & f. 127, i. m. & f.
Joathamus Oziæ filius 129, i.
Job 76, f. 87, m. & f.
Jobab 87, f.
Jochabeda 90, m.
Jocus Auguſti ſuper Herode liberos ſuos occidente 177, m.
Jodocus Marchio Maraviæ 20, m. 331, i.
Joanna, Calabriæ D. Roberti neptis 478, i. *nubit Ottoni D. Brunſ.* ib. *Neapoli obſeſſa* 479, f. 485, f. 486, i. *prudens, decus Italiæ*, ib. *Ruina per convicium dicta*, ib. *an prolem ex Ottone ſuſceperit* 487, i. *obit* 486, m.
Johanna Siciliæ regina 196, f. 298, i. 367, f.
Johannes. Angliæ Rex 417, f. *Archiepiſc. Mogunt.* 50, m. *Naſſovicus* 547, m. *Archidiaconus in Oſen* 541, f. *de Angines Tornacenſ. Epiſcopus* 390, f. *Theol. D.* 419, f. *al. de Agennis*, ibid. *Boſnenſis Epiſc.* 513, i. *I. Elect. Brandenb.* 793, m. *Brabantiæ D. obit* 393, f. *Callienſis Epiſc.* 733, m. *Clericus Henrici Mirab. F.* 470, m. *Greyt, Johannis XXIII. defenſor* 49, m. *Dyrrachii Dux* 367, f. *Eugubinus Epiſcop.* 733, m. *Fridericus Elector oppugnat Henricum D. Brunſ.* 574, m. *Holſatiæ Comes Lubecæ arreſto detentus* 537, f. 538, i. *Herbipolenſis Epiſcopus* 14, m. *Mindenſis Epiſcopus* 31, 565, m. von Leiden 574, i. *Portugalliæ R. in Africa bellum gerit*, 35. *Schauenburg. Comes fundavit caſtrum Thodeslo* 513, m. *Comes de Sternberg ultimus* 519, m. *Valeſius Galliæ R.* 367, f. *Virtutum Comes* 368, m.

Johannes

Johannes Comes de Hoja 317, f. 369, m. 534, f. *de Columna* 324, i. *de Lignano* 295, i. & m. *de Mandavilla* 110, i. *XII. P. deponitur* 730, m. *XIX. Papa Rom.* 266, m. *XVIII. Papa R.* ib. *XIV. Papa Rom* 254, f. *XV. Papa R.* ibid. *XVI. Papa R.* ib. *XIII. Papa R.* ib. m. 735, i. *epiſcopus Paderbornenſis, Hildeſium translatus* 318, i. *& Simon capti* 183, i. 184, i. 186, m. *Evangeliſta* 187, f. 190, m. *frater Matathiæ* 166, i. *Huſſius comburitur* 31, f. *Huſſius Sectator Wicleffi* 341, i. *Oniæ frater* 165, f. *I. Pontifex R.* 224, m. *IV. Pontifex R.* 231, m. *V. Pontifex R.* ib. f. *II. Pontifex R.* 224, m. *VI. Pontifex R.* 239, i. *III. Pontifex R.* 225, m. *XXII. Pontifex R.* 190, i. 515, m. *XXIII* 330, f. 340, m. 341. i. m. & f. *vide ſupra Balthaſar Coſſa*
Jojadas 125, m. & f.
Jon 64, m.
Jonas 128, m.
Jonathan 166, i. 167, m.
Jones 77, m.
Joram 124, m. 125, m. & f. 126, f.
Jordanes Epiſcopus 67, f. 110, i. *Poſnanienſ.* 736, m. *fluvius* 98, m. 126, i.
Jordanus ſ. Jornandes hiſtor. quando vixit 673, m.
Joſaba ſoror Ochoziæ 125, m.
Joſaphat 124, i. m. & f.
Joſephi de oſſibus fabuloſa 92, f.
Joſephus 88, m.
Joſias 134, 135.
Joſippus 163, f. 180, i. m. & f. 181, i. m. & f.
Joſua 99, 100.
Joſua mortuus 99, i.
Jovinianiſtæ 228, f.
Jovinianus 270, f.
Jovius (Paulus) ineptit circa nomina propr. Germ. 475, m.
Jotapata 180, i. 181, i.
Iprenſis urbs cuſtodita à Com. Marcano 394, m.
Irene Longobarda Andronici I. conjux 473, f. *Alamanna* 474, m.
Iringus 159, m. 668, m.
Iris 75, f.
Irmenſeul 235, i. m. & f.
Irminfridus 195, m.
Iſaacus, De hoc vide paginas 84, 85.
Iſaias quando prophetarit 128, m. 131, i.
Iſaſchar 87, i.
Iſauria 66, m.
Iſelorde 67, m.
Iſenberg caſtrum 386, m. *diruitur*, ib.
Isfridus Raceburg. Epiſcop. 450, i.
Iſis 74, m. 86, m. 88, m.
Iſrael 85, i. & m. *omnibus infeſtus & ab omnibus infeſtatus* 784. i.
Iſmaelita, ib.
Iſraelitæ 86, m. 92, m. 93, f. 94, i. m. & f. 98, i. m. & f. 117, f. 118, i. m. & f. 122, m. & f. 129, f.
Iſtatesdorp 741, m.
Iſter 65, m.
Italia 68, f. 142, m. *qua ratione ad Ottonem M. pervenerit* 696, m
Italiæ Civitates ſeditioſæ 42, m. *Status publ. ſeculo XV.* 46, f.
Italus 68, f.
Itali invident Germanorum laudi 625, f.
Itterenſis Baro Theodorus 422, i.
Jubal 74, i.
Jubilæus 319, f. *item* 320, i.
Judæa 65, f. 129, m. 136, f.
Judæi 136, f. 137, f. 142, i. 146, f. 150, i. 162, m. 164, i. 169, f. 179, f. 184, m. 185, m. 190, f. 263, m. 285, f. 405, i. *Coloniæ interficiuntur omnes* 405, i. *Tremoniæ affliguntur*, ib. *mactati more pecudum* 516, m. *Moguntiæ plures quam mille occiſi* 452, f.
Judæorum eruptio, ex Hieroſolyma in Titum irruentum 183, i. *perſecutio* 285, f.
Judas Jacobi filius 65, f. 87, i. *Macchabæus. De hoc vide pag.* 166, 167.
Judicii ſecreti lex in Weſtphalia 556, m.
Juditha Sueva, filia Guelfi, Auguſta 242, m. 755, m. *Henrici Bavar. D. conjux* 697, f. *Arnulphi Bavar. D. F.* 692, m. *Hebræa* 145, i. & m.
Juliacum, unde appellatum, à quo conditum 642, m. 685, i. *captum* 391, m.
Julianus 206, 207.
Julias vicus Judææ 65, f.
Julius Caſar 69, i. *imperavit* 47 *annis ante N. Chr.* 555, m. *Papa R.* 213, f. *princeps Hunnorum fabuloſus* 200, m.
de June (Conradus) Walkenredenſ. Abbas 471, m.
Juno 78, m. 80, m.
Jupiter 78, m. 80, m. 99, m. 151. m.
Juſtina Auguſta, Arriana 210, m.
Juſtiniani Codex per eum confirmatus 221, m.
Juſtinianus 230, m. 233, i.
Juſtinus Imperator 219, f. 221, m. *Philoſophus* 191, m. *Martyr* 769, m. *ejus corpus Corbeiam translatum* 769, f. 563, i. *Lippienſis poetaſter, quando vixerit* 493, f.
Juvenes curæ 788, f.

K.

K. Litera dicitur ſupervacua 74, m. *nec à Latinis, nec ab Hebræis agnoſcitur*, ib. *per Salluſtium ludimagiſtrum literis Latinis adjecta*, ib.
Kalendæ Octobris unde Saxonibus feſtæ 159, m. *ſolæ per K. apud Latinos ſcribuntur* 74, m.
Kalenhart opidum exuſtum 333, i.
Kanutus, R. Daniæ bellum movet Suenoni fratri 501, f. *deſerit Adolph. Schauenburg.* 502, i. *Woldemari F.* 503, m. *Hamburgum tentat* 507, m. *crebro per Saxoniam migrat* 503, m. *Henrici Filius Sclavorum princeps, interfectus* 498, m. *Obotritorum R. interfectus* 499, m.
Kappenberg ſepulturæ locus Engelb. Com. Marc. 391, f.
Kardomannus 334, i.
Karoli IV. Favor in Eccleſiaſticos 285, i.
Karolus de Duratio. De hoc vide pagin. 297. & *ſeqq.*
Karolus Magnus naſcitur 234, i. *Magnus Francorum rex* 67, i. 235, i. *Martellus* 234, i.
Karolus IV. 284, f. 285, i.
Karolus Flandriæ Comes occiditur 383, m.
Katelenborg Comitatus 452, f.
Kefernbergia arx 413, f. *Comitum familia* ib. *inſignia* 414, f. *Guntherus de Kefernb.* 419, i.
Kemnadenſe monaſt. 759, f.
Dider. de Ketler 548, m.
Ketvvig villa 389, f.
Κυρβυλλα 476, i.
Kidalingaburg 745, i.
Kievermont 647, m. 690, m.
Kilenſis urbis monaſterium Franciſcan. 564, m.
Kilianus Germanorum Apoſtolus 231, f.
Klanck überwand den Ranck 542, m.
M. Henr. Knop, portenarius 387, i.
Knutus Slavorum R. occiditur 454, m.
Knut R. Dan. & Angl. obit 451, m.
Koningeslo 502, m.
Kuckuk 336, f.
Kunegundis Regina obit 451, m.
Kunigunda Auguſta 255, m. 259, m. 260, m.
Kunibertus 232, m.
Kycini 505, f.
Kylonienſis conventus fundatus 513, i.

Kylonium obſeſſum 513, f. 538, m.
Κυνοφορία *militaris pœna* 686, f.

L.

LAban 86, f.
Labdon 115, i.
Labyrinthi IV. 103, f.
Labyrinthus deſcriptus, ib. m.
Lac ſpecie pluviæ cadens è cœlo 162, f.
Lacedæmon 68, f.
Lacedæmones ib.
Lacedæmonia, ib.
Lacedonia 306, f.
Lactantius 202, f.
Lacus Conſtantienſis 67, f.
Lacus Tiberiadis 65, f.
Ladislaus, Siciliæ rex 9, m. 16, m. 21, m. 22, f. 23, 24, 326, i. 331, m. *Caroli Dyrrachii F.* 479, m. *obit* 24, m.
Lambertus 231, i. *dictus Beyen* 405, m.
Lamech 73, f.
Lampares 102, i.
Lampeto 109, m.
Lamprides 101, i.
Lampſacus 83, m.
Lancea Domini inventa 382, f.
Lando Papa 253, f.
Landene exuſta 406, m.
Landeshuſen 816, i.
Landgravii Bajoariæ 697, f.
Landgravius Thuringiæ Imperator eligitur 389, i.
Landvvardus Epiſc. Mindenſ. 559, m. 745, m.
Landwere *munitiones in Weſtfalia* 399, m.
Lankendorp 743, m.
Laodicæa 16:, i.
Laomedon 101, m. 104, i. 105, m.
Laoſthenes 122, m.
Lapidoth 102, i.
Lapis magnus de cœlo 696, m 652, m
Lapis ſilex 788, f.
Lapitha 68, m.
Lapithæ, ib.
Joh de Lardario 399, f.
Larsheimenſe monaſterium 760, i
Larum, urbs 644, f.
Lara 645, m.
Latinus 115, i.
Latinæ Linguæ in Oriente uſus 473, m.
Latrocinia in barbaros permiſſa 643, m.
Latzonenſis Epiſcopus 15, i.
Lavinia ib.
Lavinium, ib.
Laurentius 197, i.
Laureshamenſe monaſter. 748, m. 746, m.
Lauenburg obſeſſum 431, m.
Lauenroda 441, f.
Lechum transeunt Ungari 656, m.
Lecke 67, m.
Legati hortantur legiones ad pugnam 640, m.
Legenda S. Catharinæ 201, f.
Leggerich opp. obſeſſum 395, m.
Legio Romana ſecuri percuſſa 162, i.
Leiforde 433, m.
Λείψανα Liborii 242, i. *Marci* 217, f. *Matthæi Apoſtoli* 268, m. *trium regum* 270, f.
Lemannus Lacus 67, m. *ubi ſit* 69, m.
Lemgoviam venerunt Lothenſes moniales 566, f.
Lentzen *Lunkini opp.* 639, f.
Leo imperator 217, i. 218, i. *II.* 231, f.
Leo IV. P. Rom. male tractatus, reſtituitur à Carolo 554, m. 555, f.
Leo P. R. moritur 451, f.
Leodienſis 327, m. *rebelles* 398, m. *Canonici Namurci reſident* 398, m. *Epiſcopo adhærent* 399, m. *Canonici interfecti à populo* 402, m. *legati capiuntur* 399, f. 404, i. 423, f.
Leodium 327, m. *Adolfus Epiſc. intrat* 401, m.
Leodienſis Epiſ. victor 400, i.
Leodienſe Collegium Regum, Ducumque filios detinuit 411, m.
Leontius imperator 231, i.
Leonis ſignum in clypeo 485, m.
Leopardi inſigne Brunſuicenſ. 803, f.
Leopoldus 309, f. *Auſtriæ D. capit Rich. R. Angl.* 448, m. *equo lapſus moritur* 435, m.
Lepra multos corrupit Saxones 659, m.
Lere 532, m.
Leuberi (Benjam.) de Stapula Saxonica liber laudatur 739, m.
Levern *monaſterium fundatum* 562, i.
Levi 87, i.
Levoldus ſ. Lepoldus quid ſignificet 376, f.
Levoldi Northovii Auctoris Chronici Marcani vita 375. *eques* ib. *natus* 391, f. 397, m. 398, m. *Erfordiam deſerit* 394, i.
Levvenberg 272, f.
Levvenborg 785, f.
Levvenſtad Henrici Leonis 484, m.
Leyſen *ſectarii* 514, f.
Lezingehrn *prædia Mindenſibus donata* 498, f.
Lex Dei 94, i. 116, m.
Lia 86, f.
Liberalitatis vera ratio 389, m.
Libido Rombildæ 227, f.
Liborius Cenomanenſis 209, f.
S. Liborii corpus translatum 557, m.
Libri de incarnatione Domini, per Juſtinianum conſcripti, & in provincias diverſas diſſeminati 221, m. *Didymi cæci* 208, i. *Joſephi vel Joſippi, hiſtorici* 187, i. *magici Numæ Pompilii* 134, f. *Origenis ab eccleſia rejecti* 194, i. & m. *ab hæreticis depravati*, ib. *Platonici verbis ſcripturæ per Platoniſtas ornati* 148, f. *quidam ſomniorum exponendorum circumferuntur, Danielis falſo inſcripti* 138, f. *veteris Teſtamenti, tempore, quo Plato per Ægyptum peregrinabatur, nondum erant ex Hebræo translati* 148, f.
Libya Cyrenenſis 71, i. *Romanis teſtamento legata* 171, i. *tertia pars orbis, quippe eadem quæ & Africa* 71, i. *unde dicta*, ib.
Libyi à Phuto orti 76, f.
Librorum principia cur colore phœniceo ſcribantur 74, m.
Lichen *Thuring. opp.* 588, m.
Lichtenberg 273, m. 784, f.
Liciacum 755, m.
Licicaviki *Sclavi* 660, m.
Licinius *Cæſar* 202, f.
Lichtenovv 318, i.
Lieboldesdorp 741, m.
Lieminidesdorp, *ad Albim* 741, m.
Liga *ſubditorum Pontificis Romani*, 293, i.
Ligrize 741, m.
Liguria 64, m. 69, i.
Limborg, *caſtrum* 387, i.
Limborgenſis *Ducatus perditur* 393, *origo ejus* 417, m.
Joh. de Limborg 381, m.
Limites *Norici* 223, m.
Limmer, *vel* Limbere, *pagus* 441, f.
Limmerenſium *Comitum genealogia* 445, m.
Lindovv *Dynaſtia Saxon.* 794, m.
Linden *mons* 572, m.
Lingarda *Ottonis L. F.* 719, i.
Linichium 683, m.
Lintberg *caſtrum* 396, m.
Linus *pontifex* 189, f.
Lingua *Æolica* 77, m. *Hebræa* 76, m. Latina *quadruplex* 115, m. *Moyſis unde balbutierit* 90, f. &c. *Sclavonica à quibus Germaniæ populis uſurpetur* 67, f.
Linguarum *Confuſio* 76, m.
Linguæ *primariæ* 160, i. *tot in mundum procreatæ, quot fuere gentes, è filiis Noëi procreatæ, tempore turris Babylonicæ* 70, m.
Linus, *Thebanus, harmoniæ muſicæ quibusdam eſt inventor* 74, i.
Lippa *ſtricta* 237, m.
de Lippia *Bernhardus* 430, m, 438, m. *Henrici* Leonis *D copiarum*, ibid. *ejus hiſtoria in Juſtini* Lippiflorio 438, m. *ex milite* Mona-

Digitized by Google

Monachus 495, f. Bernh. & Simon banniti 548, m. Simon Comes Lippiæ fugiens in prælio 804.
Lippienſ. Comitum genealogia 438, f.
Lippoldus Archiepiſc. Mogunt. moritur 451, f.
Lippoldus Wormat. Epiſcopus miles 440, t.
Lirgiſo Epiſcop. in Concil. Ravenn. 733, m.
Litania in Monaſt. Corbei. reperta 762, m. an ſuppoſititia 763, m. cantata à Monachis in Cœnobii fundatione 766, m.
Literas neſcire, in principe magnus defectus 408, m.
Literæ, Chaldæorum, Syrorumque per Abrahamum inventæ, in quo differant ab Hebræis 74, m. Græcæ quando fuerint à Cadmo repertæ 100, f. Hebrææ ceperunt à Moyſe per legem 24, m. ſagittis incluſæ & trajectæ 696, i.
Liti 740, i.
Lithomislienſis Epiſcopus in Bohem. 38, i.
Lithuani 287, f.
Livii Titi Tragœdi eloquentia mirabilis 167, i.
Liudolfus Abb. Corbeienſ. 756, m.
Liudgarda Ottonis I. ſoror 634, m.
Livonia 66, f. 280, i. 43, f.
Lobet 67, m.
Lova Ægypti omnia ranis replentur 91, m.
Loden 565, m.
Lodevvicus Francorum rex 219, f.
Joh. Loe obit 569, i.
Logothetæ officium 476, m.
in Loheide prælium 538, i.
Lombardia 69, i.
Conr. de Lonſuriis 399, f.
Longimanus 146, m.
Longobardi 69, i. 217, m. & f. 221, m. & f. 229, f 235, m.
Longobardia 69, i.
Loranus Comes Ludovicus, captus 523, f.
Loſſenſis Comes, rebellibus adhærens 398, m.
Lucas Loſſius 544, m.
Lotharius abdicata Conjuge, aliam ducit 242, i. 537, m. 719, f. Imperator, ibid. 268, f. Italiæ rex 248, m. phreneſi moritur 696, i. Lotharingiæ rex 243, m. Saxo Imperator 268 m. 383, m. 524, f. 797, f. 798, i. invadit Bohemiam 499, m. 523, f. 383, m. Origo ejus 528, i. 498, i.
Lotharius relegatus ab Ottone 691, m.
Lotharingiæ nomen 642, f.
Lotharingi oppugnantur & caduntur ab Ottone I. 646, i. 653, m.
in Lothen curia data Eccleſ. Mindenſ. 562, m. Henrici Leonis curia 506, f.
Lothenſe monaſterium 531, i.
Lothovvicus ultimus Carolorum imperans Francis 614, m.
Lothus 84, m & ſeqq.
Lovvenberg caſtrum Henrico Leoni redditum 455, i.
Lovvenburg caſtrum 508, i 530, i.
Lovvenſtad Henrici Leonis 504, f.
Lovvenvvedel 527, m.
Lubbeke opp. ex villa factum 566, m. ſpoliatum 569, i.
Lubeca 273, m. 277, i. 500, f. Sacerdotes primos unde nacta 498, m. capta 508, i. libertati reſtituta 533, m. reſtaurata 525, i. 500, f. 501, i. (Imperialis, ibid. Suſatenſe jus recipiunt 670, i. mercatu ſuo Bardevicenſibus noxia 504, i.
Lubertus, miles & dapifer 387, m. de Rumensberg 407, m.
Lucania 69, f.
Lucæ D. Caſtruccius 471, f. ibi agitur de removendis Papis 11, m.
Lucca monaſter. ad Leinam fundatum 562, m. 505, m. 527, f. 528, i.
Luceria 70, m. 300, i. 302, m. arx, miſeria dicta 482, m. Franciſco Pregnano data, ib. Luchovienſis Dynaſtia 414, f.
Lucia 198, m.
Lucius Papa moritur 453, f.
Luciferiani 228, f.
Lucina 212, m.
Lucius Arrianus 209, i. Aurelius 191, m. I. Papa Rom. 201, i II. Papa Rom. 275, f. XI. Papa R. 191, f.
Lucretia 144, m.
Lucus Baalis 102, f.
Ludarius Epiſcop. Mindenſ. 558, f.
Luderus Alberti pinguis F. 469, f.
Luderus, alias Lotharius Rex Rom. 453, m. in Bohemiam exercitum ducit, Spiram obſidet, Romam abit, iterumque, moritur, ibid.
Ludgarda Luneburg. Duciſſa 540, f. Ludolfi Saxon. F. 671.
Ludgardia 243, m.
Ludgardis Echardi F. rapta 666, i.
Ludgerus 240, f. Friſius, Monaſter. I. Epiſcop. Werdenenſis cœnobii fundator 421, f.
Ludi pecunia quadruplicata per Romanum magiſtratum cur fuerint reſtaurati 78, i.
Ludinus Epiſcop. 733, m.
Ludinckhuſen opp. cum arce 421, m.
Ludinkhuſen (Hermannus de) 394, f. 421, m.
Ludolfus, Advocatus Brunſuic. 433, f. de Boynen dapifer 386, f. Cancellarius Ottonis 746, m. de Dicke Unnam &c. comburit 396, i. Hallermundenſis Sax. Com. 415, m. Oſnabrugenſ. Epiſcop. 699, f. Ottonis I. F. 709, i. uxor ejus Ida, ib. refragatur parenti 697, m. Alemanniæ heres & Dux. 651, m. obit 659, i. 699, f. elogium ejus 650, m. 693, m. Richenbergenſis Præpoſitus deponitur 454, f. de Roſtorpe Mindenſ. Epiſc. 514, f. 566, m. Steterburg. præpoſitus 454, i. Waltigerodenſis Comes obit 414, i.
Ludolphus Saxoniæ dux 243, m.
Ludorum genera, ubi videantur inventa 106, i.
Ludovicus Caroli Magni filius 241, m. 755, f. Arnolphi Imp. F. quam habuerit conjugem 671, i. 672, i. non excæcatus à Berengario 357, f. Bavarus Imperator 515, m. coronatur 398, m. in Italiam profectus 471, f. de Buren 312, f. dux Andegavenſis 13, f. 14, i. II. And. D. 482, i. 299, i. & m. 367, f. moritur 481, m. Dyrrachii Dux 367, f. Flandriæ Comes moritur 402, m. 423, m. Franciæ rex 281, m. Galliæ rex 249, m. Sanctus 367, f. Hieroſolymam cum exercitu petit 453, f. VIII, Regis genealogia 367, m f. Ottonis I. affinis 650, m 693, i. Haſſiæ Landgravius 273, i. 276, i. Ep. Monaſter. 397, f. infans Haſſiæ dictus 422, m. Imperator 243, f. Pius imperator 241, f. ejus filius quibus imperaverit 637, m. VI. Imperator 284, i. II. Lotharii filius 242, f.
Ludovicus Lyneburgenſ. Epiſcop. Mindenſ. 515, f. 567, m. obit, ib. de Luneburg. obiit, ſepultus 543, m.
Ludovicus Palatinus Sigiſm. Imperatoris vices in Concilio geſſit 50, i. Pannoniæ Rex 479, m. Ravensbergenſ. Comes 422, i.
Ludus alea 106, i.
Luide 335, m.
Luidgardis Ottonis M. filia 691, f. 650, f.
Luitharius 245, m.
Luithdolphus 243, m. Francorum R. Innocentii P. corpus tranſtulit 634, m.
Luithprandus 233, m. Epiſc. Cremonenſ. 475, f. 733, m.
Lumen templum Hieroſolymitanum tempore nocturno luce replet tanta,

ut dies eſſe videatur 185, m.
Luminaria cœli quando creata 62, f.
Luna 78, m. 80, f.
Luna tres à ſe invicem diſtantes de die viſæ 164, i.
Luneburgenſes bello reſiſtunt Ducibus Brunſuic. 519, m.
Luneburgum captum 517, m. caſtrum à Jul. Cæſare fundatum 517, m.
Lunenſis, urbs Leonis inſigne accepit 485. i. Epiſcopus Adelbertus 733. i.
Lunkini oppidum obſeſſum 629. f.
Lupa 128, m.
Lupus gladium è vagina educit 164, m. puerum ſeptennem abripit 305, i.
Luſatiæ Marchio Wipertus fit monachus 536, f.
Luſiki Sclavi, victi 660, m.
Lutatius Catulus 163, m.
Luthera fl. 360, f.
Lutelinborg 498, m. Lüttenborg 504, f.
Luticii, Obotriti, Wagiri 498, m.
Luto, Cluſenſ. Epiſcopus 733, m.
Lux 63, i.
Luza 86, f.
Luzici Luſatiæ nomen dederunt 413, i.
Luzenburgenſ. (Henr.) Trevirim oppugnat 394, f.
Lyæus 80, m.
Lycaonia 66, m.
Lycia ib.
Lydia, ib.
Lydii 76, f.
Lymfor. pro lymfa 803, m.
Lure, nemus 387, f.
Lyſias 166, m.
Lyſimachus 161, f.

M.

MAcedo 68, m.
Macedones 158, i. 161. i.
Macedonia 68, m.
Machareus 115, f.
Machinæ genus turpe 297, f. bellicæ animalium nominibus donatæ 799, f. 791, i.
Machlinia vendita Flandriæ Comiti 403. i. vindicatur à R. Galliæ 402. Phil. Valeſio 423, m. fit Brabantiæ Ducis feudum 404, m. contentio de ea inter Comit. Flandriæ & D. Brabantiæ 405, f. Comes Flandriæ infeudatur de ea ibid. oppugnatur ab Henrico 390, f.
Machtildis Henrici Leonis conjux 439, m. obit 431, i.
Machtilt de Longobardia rebellis 452, m.
Macrinus 193, m.
Macrobius 260, m.
Maeones 76, f.
Mæotica palus circumdat Gothicas mulieres 634, f. 635, i.
Magdaburgaramarcum 742, m.
Magdeburg, Parthenopolis, Putena 737, m. fundatur 559, i. Telonium ibi conſtitutum 740, m. dos Edgidæ Ottonis conjugis 740, f. Eccleſia Magdeburgenſ. fuit ſub Epiſc. Halberſt. & Archiep. Mogunt. 732, m. erigitur in Archiepiſcopatum 703, m. 554. m. 556, m. Archiep. primus Adelbertus 734, f. 735, i. 736, m. eſt Metropolitanus Slavorum ultra Albim & Salam ib. f. Otricus Archiep. 624, m. S. Mauritii & Innocentii ab Ottone I. fundata Eccleſia 743, i. et datur Mercatus, moneta & vectigal omne quod ibi colligitur 749, m. Burggravius primus ibi Gero 703, m. urbs regia 644, m. ab Heneticis ſ Slavis ſemiruta 444, m. in Sclavorum confinio 734, i.
Magiſtratus veterum Germanorum 686, i.
Magiſter Ordinis Theutonici in Pruſia inſolenter ſe gerit contra regem Polon. 14, m. 15, i.
Magnificus, qualis olim titulus 474, f.
Magnopoli cædunt Slavi Chriſtianos 455, i.
Magnus, D. Brunſu. cepit Luneburgum 517, m. 544, m. Torquatus occubuit in prælio 546, m. Nicolai Fil. Obotritorum princeps 499, m. f. Saxoniæ D. obit 452, f.
Magog 77, m.
Magorum III. corpora Coloniam transferuntur 455, i.
Magulum, locus 739, m.
Maguntini cives occidunt Archiepiſcopum ſuum 385, i.
Maincia Thancmari occiſor 645, m occiſus 646, f.
Makkenrode 727, f.
Malalechus 74, i.
Mal, Saxon. veteribus cenſus 747.
Malchus 172, i.
Malegovv 506, i.
Maleventum 161, m.
Malitia hominum ſuper terra Noë tempore 74, f.
Malman, famulatum monaſterio præſtans 745, f.
Mamaco Comes 750, m.
Mambre 84, m.
Mamillus 90, f.
Mamitus 89, f.
Mammea 195, f.
Mammendorp, Grangia 413, m.
Manachen 128, m.
Manaſſe 88, f. 125, i.
Manburnus Comitatus Teklenburg 389, f.
Mancaleus 89, f.
Mandatum primis parentibus noſtris à Deo datum 73, i.
de Mandelslo, Harbertus 566, m.
Mander pagus 414, m.
Mandibula aſini 116, i.
Manes hæreticus 197, f.
Manfredonia 280, f.
Manfredus Siciliam tenet 390, f.
Manhu 93, m.
Manigoldus 52, f. Manigoldi & lictores 10, i.
Manihel 73, f.
Manlius Torquatus 150, i, 152, i.
Manna 93, &c.
Mantesleba 741, m. 742, m.
Manuelis Imp. titulus 473, m.
Manus cum tunica fruſtis eorum, qui Apollinem Carthaginenſem ſpoliarant, in templo ejus inventa 167, m. ex adverſo candelabri apparet Balthaſari, Babyloniorum regi, verba tria ſcribens 140, i. Jerobeami arida facta, & ad preces Gadi reſtituta 122, f.
Marca quid 411, i. m. 525, m.
Marcanorum Comitum origo fabuloſa 376, i. 412, i.
Marcellinus Papa Rom. 212, i. & m.
Marcellus 165, m. Papa Rom. 212, m.
Marchia, Anconitana 70, m. Veronenſis & Forojulienſ. Berengario non reſtituta 730, m.
Marchio Brandenburgenſis 223, i. de Myſen, ib.
Marcion 191, m.
Marcolfus Epiſcop. Mogunt. obit 453, f.
Marcomanni quinam 502, f. 525, m.
Marcominus 210, f.
Marcomer, Francorum ſubregulus 686, i.
Marcus Antoninus qui & Severus 171, m. Attilius Regulus 162, i. m. & f. Aurelius Antoninus 193, m. Craſſus 170, m. Curtius 151, i. Fabius 163, m. Papa R. 212, f.
Marcellus 162, f.
Marcus Varro 168, i.
Mardochæus 149, f.
Mare Adriaticum 64, m. Ægæum 68, i. Britannicum 64, f. Caſpium, ib. 65, m. & f. Cimmerium 66, i. exundat 271, i. Gallicum 64, f. Germanicum, ibid. Icarium 78, i. Jonium 46, m.

Digitized by Google

64, m. *magnum ſeu mediterraneum*, ib. *mortuum* 85, f. *Oceanum* 64, m. *rubrum*, ib. 65, i. *Siculum* 64, m. *Tyrrhenum*, ib.

Margaretha Siciliæ Regina, Caroli de Duratio conjunx 300, m.

Margariten 108, m.

Mariamne 172, m. 173, m.

B. Mariæ Magdal. corpus 562, f. *Maſſiliæ deponitur* 514, f. *monaſterium Hamburg. fundatum* 512, i.

Maria, Brabantina Ottonis IV. conjux ſecunda 425, m. *Cypri R. Filia Henrici junioris uxor* 472, i. 477, i. *Galliæ R. filia* 423, i. *Hungarica, Andronici I. Conjux* 473, f.

Mariæ & Juſtinæ Eccleſia 747, m.

Mariærodenſe monaſterium Hildeſiæ vicinum 539, m.

Marienbergenſe prælium 516, m.

de Marka, caſtrum emit Adolfus Comes 379, i. *Comitum origo* 382, i.

Marka (Rabodo de) 379, i.

Marpeſia, fœmina Gothica 190, m.

Marpeſia Saxum 67, i. 109, m. 158, m

Marquardus de Randegge *Epiſcopus Conſtantienſis* 570, m.

Marqu. Abbas Corbeienſ. 757, i. 761. m.

Mars 78, m. 79, i. 128, m. 236, i.

Martianus imperator 158, m. 214, f.

Martinus de Calvis 293, m. *Papa* 229, m. 231, m. *V. Papa* 547, m. *Turonenſis* 209, f. *S. Fr. Epiſc.* 733, m.

Martinus Frechtus Theol. 652, i.

B. Martini Eccleſia Mindæ fundata 560, m.

Martyres ſub Alexandro Imp. R. 193, m.

Martyrium ab Origine ex ephebis nondum egreſſo, expetitum 194, m. *Laurentii* 197, i. *Luciæ* 198, m.

Maſe 67, m.

Maſſilia 136. m.

Matathias 166, i.

Mater Darii 153, f.

Mathanias 136, m.

Matthæi (Sancti) Evangelium Simplicio monſtrante repertum 219, i.

Mathildis Henrici Aucupis conjux 638, i. *monaſterium Northuſæ exſtruxit* 702, m. *cœnobium in Confungen.* ib. *Monaſterium in Polde* ib. *elogium ejus* 662, i. 702, m. *depicta* 669, m.

Mathildis Ottonis I. Imp. filia 665, f. *ejus vitæ curriculum* 666, i.

Mathuſalem 73, f. 74, f.

S. Mauritii ad Mindam monaſterium fundatum 560, m.

S. Mauricii & Innocentii martyrum memoriæ Baſilica Magdeb. exſtructa 742, f.

S. Mauritii & Innocentii corpus 731, i.

Mauritius Imperator 222, m.

Mauritania unde dicta 71, i.

Maurorum duorum capita ut Sancta ſervata 563, i.

Maxentii Crudelitas 202, m.

Maxentius 202, 203.

Maximi ſive Maximini robur 196, i.

Maximinus Imperator 196, i. 201, f.

Maximus 196, i. 210, i. 211, i. 216, m.

Mazaus 154, i.

Mechlinia exuſta 403, i.

Mechtildis 248, i. *Adolphi Com. Schauenb. uxor* 507, i. *ejus origo* 528, f. *Henrici Aucup. conjux* 684, f. *Henrici Leonis* 506, f. *Conradi Burgundiæ R. filia* 729, m

Medea 104, m. f. & *ſeqq.*

Medebachium 273, i.

Medi 77, m.

Media regio 65, i. 105, f.

Medidus 129, m. 134, m.

Mediolanenſes 270, m. & f. *rebelles* 454, m.

Mediolanum 69, i. 215, m. 270, m. *capitur à Frider. Imp.* 385, i.

Medus 105, f.

Meginradus monachus docendo celebris 624, m

Meinhovele Dynaſtia 419, m.

Meineke Muller, impoſtor 543, f.

Meinolfus monaſterii Bodekenſis fundator 328, m.

S. Meinolphi vita 349, m.

Meinvvercus 256, i. 260, m & f. *Epiſc. Paderborn.* 361, i. *Wabl Abbatem Corbeienſ. deponit* 760, m.

Meinvvercus ex Teſterbandiis 698, i

Mel in ore cadaveris leonini inventum 115, f. *inſulæ Sardiniæ amarum eſſe fertur* 72, m.

Meklinborg caſtrum 506, i.

Melchiel 90, m.

Melchior Henrici D. Brunſu. F. 487 *Henr. Mirab. N. Epiſ. Oſnabr.* 487, f.

Melchiſedech 77, i. 84, m.

Melciades pontifex R. 212, m.

Meleager 153, f.

Melos 72, i.

Memphis 88, m.

Menander 190, m.

Menden opp. 403, m.

Mendene, villa, munita 389, f.

Mendicantes monachi 801, m.

Menelaus 106, f. 107, f. 112, m. 114, f.

Mengden, Mengerden 432 m.

Menſa per quem primum excogitata 103, m.

Menſes emboliſmales 141, m.

Menſis Auguſtus 174, m. *tantus fuit tempore Noëi, quantus & nunc eſt* 76, i.

de Menſoen Comes occumbit 404, i.

Mercurius 78, i. & m. 80, f. 81, i. m. & f.

Meretrices ob quid lupæ dicantur (128, m.

Merion 107, m.

Merobaudes 210, i.

Merſaburiorum ſuburbium malis hominib. repletum 643, m.

Mersburg 236, i. 647, i. 690, m. *ibi Comitia Friderici Barbaroſ.* 525, f.

ad Merſeburg prælium inter Henricum I. Imp. & Ungaros 558, f.

Merſeburgenſes Sacerdotes ſubjecti Archiepiſcopo Magdeburg 735, m.

Meſopotamia 65, i. & m.

Meſico Polonorum D. Ottoni I. ſubjectus 703, m.

Meſſaimus 76, f.

Meſſana 105, m. 162, f.

Meſſia caſtrum Epiſcopatus Leodienſ. 404, m.

Metamorphoſis 112, f.

Metellus conſ. 163, m.

Methodius 74, f. 197, m.

Metiri ſ. perpendere 788, f.

Metler villa 399, m.

Metochites, Logotheta Andronici junior 476, m.

Metropolis Cilicum 77, m.

Mia, Euphemia 470, i.

Michaelis ſancti crypta 219, i.

S. Michael Monaſter. Hildeſ. 451, m.

Michael Palæologus 473, m.

Michas 101, m. & f.

Micheas 125, i.

Miconium 72, i.

Miles quidam Juliani, eum, per quem aqua benedicta aſpergebatur, Juliano intuente & iraſcente colaphizat 207, m.

Milites Alexandri M. 155, m. & f. *Darii* 153, f. *per Auguſtum exauctorati* 175, i. *unde manipuli primitus vocati* 130, m.

Milites vocati quinam 802, m. die Ritter 413, m.

Milo Comes Gribenſis 523, f.

Milo Epiſc. Mindenſ. 559, m.

Mimigardevord 238, i.

Mimigaverdenſis Eccleſia 554, m. 556, m.

Miminleve, ibi mortuus Henr. Auceps 684, f.

Minden 238, i. *obſeſſa* 572, i. 568, f. *igne abſumta* 515, f.

Minda Conrad. II. aulam habuit 361, m. 523, i.

Mindenſe monaſt. S. Pauli fundatum 511, m.
Mindenſe Suburbium S. Simeonis incendio deletur 567, i.
Mindenſis Eccleſia à Carolo M. fundata 554, f. Eccleſia major fundata 559, m.
Mindenſes ſubſannant Sanctorum reliquias 571, m. Comitibus ſuis fideles 520, m.
Mindenſes Epiſcopi quando regalia impetraverint 559, m.
Mindæ monaſterio S. Petri combuſto 498, f. donaria Caroli M. & Witechindi pereunt 523, m.
Minderwolth 565, m.
Minerva 78, m. 80, m. 92, i. 99, m. 111, i.
Minervini caſtrum, Carcer Ottonis 485, m.
Miniſteriales principum 413, m. 533.
Minorbium 306, f.
Minoritæ, Franciſcani 508, m. Hamburgi ſtabulantur 512, i.
Minos 101 i. 104, f. 114, f.
Minutia Veſtalis 153, i.
Mirabilis, famoſus miles 562, m.
Mirabilis Broke, dicta capella & curia 562, m.
Miracula per canem quendam rufum, eundemque cæcum, edita, 121, m. Sanctæ Mariæ 225, m.
Miraculum in fluvio Sala deprehenſum 234, m.
Mirum quid, modo verum ſit 265, f.
Miſaco Polonus 260, m.
Miſca Sclavorum Rex 660, m.
Miſnia 67, i. & Thuringia ab indulgentiarum præconibus invaditur 8, i. ab Adolpho Imp ſubigitur 393, m. partem Daleminciæ dicta 673, i.
Miſniæ veteres incolæ Sclavi fuerunt Glomatii dicti 357, m
Miſnenſis Epiſcopatus fundatio 752, f. Archiepiſcopo Magdeb. ſubjectus 735, m.
Miſſa Græca 171, i. 209, f.
Miſſæ vocabulum unde 800, f.
Miſtavv ſubregulus 660, m.
Mitraus 114, i.
Mithridates 167, m. 169, i.
Mnemon 153, m.
Mneſtheus 107, m.
Moab 85, f.
Moabitæ 83, m.
Modin 166, i.
Modæcia 236, i.
Modus exorcizandi per Salomonem inventus 122, i. Orandi Deum per Sethum inventus 74, i. Scribendi cum ſtylo unde 88, m. Scribendi Judaicus per quem primum repertus 146, f.
Mœſia 67, f. 105, m.
Moguntinenſ. Archiep. Johannes in Concilio Conſtantienſi 30, m.
Mogunt. Archiep. Ottonem I. conſecravit 642, f.
Moguntia repugnat Ottoni 614, i. ab ipſo obſidetur 697, f.
Moguntina Synodus 451, f.
Moguntienſe monaſterium conflagrat 450, f.
Modeſtia Imperatorum veterum circa titulos 475, i.
de Moha Balivus 400, i.
Moha caſtrum 400, m. Comitatus 399, i.
Moingau pagus 678, f.
de Molenarke (Henricus) 386, m.
in Molenbek Abbatiſſa 518, m. ibi Monaſterium Canonicorum 572, f. cœnobium fundatum 558, i.
Molosſia 68, i.
Moloſſus, ibid.
Μολυβδόβυλα 476, i.
Monachi Fuldenſes cum oſſibus S. Bonifacii fugiunt 238, i.
Monachi habent licentiam Paſtorem eligendi 746, i. perſecutionem patiuntur tempore Ottonis I. 650.
Monaſterium Corbeienſe 242, i. 245, m. Hervordienſe 247, i. 257, f. in Badeken 328, m. Paderbornenſe 256, f. Sanpetrinum Erfordienſe 226, f.
Monaſterienſis Eccleſia 554, m.
Monaſterienſis Epiſcopus non potuit ſe Ducem Weſtvaliæ appellare 441, m.
Monaſt. Epiſcop. Ludovicus Haſſus captus 399, m. obit 407, m.
Monaſtica vita ſanctiſſima exiſtimata 536, f.
Moneta ex corio facta 249 m. 559, m
Monetandi jus obtinuit Epiſcop. Mindenſis 560, i.
Moniales in Werdere prope Hanoveram 561, f. in Rinthelen ſtabilitæ 564, m. de Lothen tranſierunt Lemgoviam 566, f. in monte Wedegonis 559, m.
de Monnichhuſen miles alienavit caſtrum Bokelo 576, m.
Monopolitanus, Cardinalis 5, f.
Mons Flaſconis 292, m. Garizim 151, f. Hera 235, i. Martis 236 i. quidam mirabilis, ad quem Alexander M. acceſſit 157, &c.
Mons peſſulanus ſtudiis florens 405.
Monſtrum Paderbornæ natum 327.
Montes Caſpii 154, f. Amorrhæorum ſolitudinisq; vel inclinantes ſe, vel recedentes tranſitum præbent Iſraelitis 93, i. 96, i.
Montis veteris cænob. 411, f. 381, m.
Montis & Marke Comit. origo 382, i.
Monumentum occiſi Wilhelmi Juliaci 420, i.
Mora temporum in creatione rerum neceſſaria num fuerit 63, m.
Moravia Marchio Jodocus 20, m.
Moravorum Rex Centupulchus 635.
Morbonæ 147, i.
Moreon 124, i.
Moribundus cecinit clara voce 542, f.
Morimundum, monaſter. 383, f. 413, m. ejus Abbas 384, i.
Mors Antiochi 166, m. Ariſtobuli 168, m. Arrii 204, f. Auguſti 177, f. Claudii Imperatoris 170, m. Cleopatræ reginæ 174, i. Diocletiani 203, f. Herculis 115, i. Herodis 177, f. Jacobi Patriarchæ 89, m. in olla 126, f. Joſiæ regis 135, f. Juliani 207, m. Maxentii 202, m. Mithridatis 169, m. Moyſis 97, f. Nicomedis regis Bithyniæ I. 168, f. Palamedis 112, i. Ptolemæi regis Ægyptiorum poſtremi 171, m. Valentis Imper. 209, f. Virgilii Poetæ 174.
Mortalis immortalitatem dare non poteſt 155, m.
Mortalitas magna caſtra Græcorum & Trojanorum invadit 108, m.
Mortuus in Eliſæi ſepulchrum conjectus reviviſcit 127, i.
Mortſani, ſ. pagus 741, m.
Mos turpiſſimus Romæ circa ſcorta fieri ſolitus 211, m.
Moſa, fluvius 327, m.
Moſanum 741, m.
Moſochus 77, m.
Moys 90, m.
Moyſes de hoc vide pag. 89, 90, &c.
Moyſes epiſcopus quidam catholicus 209, i.
Moyſis facies 94, m. Hymnus 93, m
Mulier quædam imperatori Valenti negotium faceſſit, ib.
Mulieres barbatæ 155, m. magæ Gothicæ, in deſertum dejectæ 109, i. quædam mirabiles Alexandro M. viſæ 155, m.
Mullerus (Valent.) Decanus Cobl. S. Blaſ. 472, m.
Multitudo, gentium maxima venit adverſus Joſaphatum 124, m. Peditum Darii conculcatur 154, i
Mundus, cum Deo qualiter neceſſario animal unum ſit 143, f. providentia Dei nulla gubernari viſus, ib. m. viſibilis hic ex elementis IV. ſenſu corporeo deus aliquis eſſe putatus, ib.
Mundelingen, villa 743, m.
Munera Darii jocalia quo ſenſu acceperit Alexander ille magnus 152, f. Salomonis per reginam Sabæorum oblata 122, i.

Muni-

Digitized by Google

Munificentia Cæſaris erga epiſcopum Paderbornenſem iterata 255, f.
Joh. Murmellii Ruremundenſ. Ecloga 417, m.
Murmur excitantes cives puniti 40?, m.
Murus Babylonis qualis & quantus 139, f. *Hieroſolymæ primus per Titum Veſpaſianum dirutus* 183, f.
Murus Romanæ provinciæ limes in Anglia 630, m.
Muſcæ magnæ Ægyptum replent univerſam 91, m.
Muſicales Conſonantiæ per Jubalem inventæ 74, i.
Muſici per Davidem conſtituti 121, m.
Mutianus 182, f.
in Mutinæ obſidione ſtrategemata uſurpata 480, i.
Mycenæ 68, f. 121, m.
Mynda 238, f.
Myſia 105, m.
Myſſenenſis Epiſcopus Mindenſi ſuffraganeus 571, m.
Myſtica Regis, pro, ſecretis 799, f.

N.

NAa 68, m.
Naamanes 126, f.
Nabathæa 65, f.
Naboth 125, i.
Nabuchodonoſor 136, i. m. & f. 137, m.
Nabuchodonoſoris Converſio in beſtiam, qualis aliquib. fuiſſe videatur 138, m.
Nabuzardan 136, f. 137, f.
Nachor 77, m. 82. m. 87, f.
Naco Saxonibus infeſtus 657, f.
Nadab 132, f.
ad Nagelſtat prælium 669, i.
Namurcenſis Comitatus vaſtatur 406, m.
Nanea 80, f.
Narbazanes 154, m.
Narratio de ædificatione turris Babylonicæ ex Philone 76, m. *de Ceneze è Philone ſuppoſititia apocrypha & fabuloſa* 99, m. *de Macedonum in Germaniam navigatione ſuſpecta* 158, i. *fabuloſa alia è Philone petita* 84, i.
Narſes 271, m.
Nartesdorp 742, m.
Naſiva 163, m.
Nathanes Davidem de adulterio & homicidio reprehendit 120, m.
Nativitas Abrahami 82, f. *Chriſti* 175, m. 176, i. *Moyſis* 90, i.
Natura intellectualis qualibet num per ſeipſa naturaliter beata ſit 229, m.
Naturitesdorp 742, m.
Naves Galeæ 252, i. *Græcæ Trojam verſo mittendæ fuerunt MCCLII.* 106, f. *Romanæ ſpoliatæ* 162, i.
Navicenna 390, m.
Navigatio Argonautarum quo tempore facta 103, f.
Naufragia principum Græcorum 112, i.
Naumburgenſe templum conditum 414, i.
Nautæ Tyrrheni ſe in mare præcipitant 64, m.
Naxos 72, i.
Nazarii Ruſticani martyris corpus 563, i.
Nazaræi unde vocati 228, m.
S. Nazarii monaſterium in Laureſham 748, m.
Neapolis 69, f. 248, f. *primitus Parthenope dicta* 174, f. *à Conrado capta* 390, i.
Neapolitani, ſiphonibus aquam ducentibus inciſis aquæ penuria laborant 298, i. *reguntur à Jacobo Comit. Marchiæ* 42, f.
Neapolitana regina Romanis bellum infert 35, m.
Neceſſitas peccandi non evitabilis hominibus opinione quorundam è cælo eſt 79, i.
Necromantia 134, f.
Nectanabon 151, i. m. & f.
Negliſar 137, f.
Nehemias 140, f. 146, f.
Neledice pagus 748, m.
Nemroth ædificat Ediſſam 76, m.
Neomenia 94, f.
Nemus famulum 788, f.
Neoptolemus 109, i.
Nephthali 87, i.
Nepotes Semi & Arami 76, f.
Nepotes an in hereditate adeunda inter filios computandi 644, f.
Neptunus 78, f.
Nero 179, m.
Nerva 187, f.
Neſtor dux inſulæ Pyli 105, i.
Neſtor epiſcopus Conſtantinopolitanus hæreſis Neſtorianæ author 214, m.
in Neudorp, Monaſterium fundatum 563, f.
Nevelinus de Hardenberg 286, m.
in Nengarth & Moſſou Dominorum origo 535, f.
Neuſtria quando Normannia dicta 695, m.
Niantorp 739, i.
Nicanor 166, m. & f.
Nicephorus Græcorum imperator 237, f.
Nicephorus nonniſi argento ſignatas ab Andronico literas accepit 473, f.
Niclotus Obotritorum Princeps 500, f. 501, m.
Nicolaitæ 190, m.
Nicolaus 3. *Virginibus ſtuprum prohibuit muneribus occultis* 389, m.
Nicolaus comes Nolanus 293, i.
Nicolaus IV. Papa 290, m.
Nicolaus vir religioſus 303, f. *Zelotypus* 190, f.
Nicolaus de Werpe. 518, m.
Nicomedes 168, f.
Nicomedia 165, m.
Nicoſtrata 74, m.
Niedermunſter cænobium Ratiſbon. 692, m.
Niehemium opp. p. i.
Niemius (Theodoricus) non Magdeburgenſis ſed ex agri Padibornenſis opp. Niem fuit. p. i. *in Italiam migravit*, ib. *Clericus Lucenſis diœceſeos. Magiſter, Litterarum Apoſtolicarum Abbreviator ſive Secretarius*, ibid. 37 *annis in Aula Pontificia ſub V. Papis degit*, id. *In Græciam ex Italia abiit. Græcorum ſacerdotum vitia præſtrinxit. Ottonem, in Epiſcopatu Verdenſi anteceſſorem ſuum in curia Romana accuſat* ib. *Cameracenſis Epiſcopus*, ib. *quando obierit* ibid. *Arcanorum Papalium particeps.* p. 2. *Veritatem ſcribere potuit & voluit.* p. 2, f. 3, pr. *ejus de Schiſmatibus tres libri* p. 3, m. *Nemus Unionis* ib. *ſed MSti pleniores extant*, ib. *Exhortatio ad Dn. Rupertum Regem Rom.* ib. *de Reformatione Eccleſiæ Romanæ liber* ib. *an Cameracenſem Epiſcopatum tenuerit* p. 3, f. *magna ejus peritia, & ſcribendi libertas* 4, m. *libri ejus inter prohibitos Indice Romano relati* 4, m. *contra Maimburgium integritas ejus vindicatur* 4, m. *fuit ex Curialibus Joh. XXIII.* 22, i. *cujus vitam deſcripſit durante Concilio Conſtantienſi* 24, f.
Nienbrugge caſtrum 386, m.
Nienhus caſtrum. 507, m. 565, i.
Nienſtadt oppidum 395, m.
Nihil fieri poteſt, quod efficientem cauſam non habet 143, f.
Nilus 65, m.
Ninias 83, f.
Ninive 135, f.
Ninus 75, m. 82, f. &c.
Niſan 92, m.
Niſem & Behem regionum diviſio 753, i.
Niſus 80, i.
Nitingis 145, m.
Nives altiſſimæ 161, f.
Noba 101, m.
Nobiles Athenienſes, ab Alexandro

M. exilio multati, ad Darium confugiunt 153, i.
Nobiles laici male proſpiciunt eccleſia 39, m.
Nobiles olim omnes Dynaſta & Barones 686, m.
Nobiles gladio decidunt lites ſuas 644, m.
Nobiliſsimus Imperatoris olim titulus 474, f.
Noctua volat, dum canitur, Veni creator Sp. 19, f.
Nodus Gordii 153, m.
Noë 74, f. 75, i. m. & f. &c.
Noema 74, i.
Noetiani 228, f.
Nola 165, m.
Nomen coloniæ generale eſt, 175, i. *Dei tetragrammatum quale* 62, f.
Nomina Dei Hebræa X. ib.
Nominum propriorum forma Latina 475, m.
Nordalbingorum populus 498, m. 499, f.
Noriberga 260, i.
Normanni 244, i. & m.
Northertus Archiepiſc. Magdeb. 453, m.
Northorchen 257, f.
Northuringi 670, m.
Northuringia 741 m. 742, m.
Norvvegia 71, m.
Notarii publici ob lucrum multi creati 49, f.
Nottelnborg *caſtrum* 519, i.
Nova Bohemia urbs 652, i.
Novatiani 228, m.
de Noviſsimorum temporum periculis liber combuſtus 365, m.
Novus campus in Pomerania 415, f.
Nuba Danorum Rex baptizatus 641, f.
Nubes in cacumine montis Olympi ſentiuntur nulla 68, m.
Nudeici pagus 745, m.
Nudhice pagus 748, m.
Nutchinga, villa 744, i.
Numa 134, m. & f.
Numantia per Scipionem obſeſſa 167.
Numantini bellatores fortiſsimi, ib.
Numegen 67, m.
Numerus Senarius, ſexta, tertia, dimidia denique ſui parte completur 63, m.
Numi ære per quem, & ubi primum inſtituti 79, m.
Numidia 71, i.
Numina ethnicorum electa: & alia quidem maſculina, alia fœminina 78, m.
Numitor 128, m.
Nummus 163, m. *Henrici Leonis an genuinus diſputatur* 484, i.
Nummi ex lamina facti 483, m.
Nuncii Balaci 96, m.
Nundinationes Bonifacii IX. mirabiles & dictu ineffabiles 320, f. *epiſcopatuum & beneficiorum aliorum infames* 317, f.
Nuptiæ Henrici Imperatoris 266, f. *Henrici Leonis* 271, f. *Ottonis Imperatoris ſecundæ* 249, m.
Nurſia 70, m.
Nurſiæ electio Archiepiſcopi Colon. 394, i.
Nuſienſis monachus Chronici Belgici 522, f.
Nyctages 228, f.
Nyſſa ad Rhenum, à Frider. II. libertate, donata 573, m.

O.

OBed 129, m.
Obitus regum quorundam 263.
Obotriti ſ. Wagrii abſque Eccleſia 498, m. *Megapolenſem terram coluerunt* 690, m.
Obotritorum princeps Niclotus 500.
Obſtagii pactum 411, f.
Ocetus 112, i.
Oceanus 64, i.
Ochozias. De hoc vide paginas 125, 126, 127.
Ochus 151, i.
Ochvvinus Epiſcopus Hildeſ. 727, m.
Octavianus Auguſtus Imperator 133, f. 134, i. 172, m. 174, m.
Oda, filia Ottonis Comitis 675, i. *Comitiſſa de Blankenborg* 503, m.
Oda, villa in Wansleve 743, m.
Odalricus Epiſcopus 741, m.
domus de Odeckenbach 400, m.
Odelem, villa 507, m.
S. Odelricus, Epiſcop. ordinatus 588.
Odelricus 247, i. *Epiſcop. Halberſtad.* 453, f. *deponitur* 454, f. *rediit* 455, m. *capitur*, ib.
Oderbergk 548, m.
Odo, cum Danis pugnans 637, m.
Odoacer 217, f.
Odorp 745, m.
Oetes 103, f.
Officiati pro pecunia non ponendi 378, m.
Ogus 96, i.
Ogygius 75, m.
Ohrfede 790, i.
OldenRintelen 564, m.
Oliverius 277, m.
Olybrius 217, i.
Olympias 129, i. 151, i. & m.
Omanthorp 739, i.
Omnipotentia in Deo qualis intelligenda 62, m.
Onias 162, i. 163, m.
Onuphrii Meienroſe/ *Chron. MSt.* 527, m.
Opera creationis 62, f. *Gregorii Magni* 225, f.
Ophita 228, i.
Ophni 117, i.
Ophratanes 125, m.
Ophrateus 124, i.
Opinio de Enocho fabuloſa 157, f. *Origenis multiplex, eaque erronea* 193, f. *Philoſophorum de Deo, & eo quidem uno* 61, f.
Ops 143, m.
Opt. Max. mortalium Dominus, Regis titulus 650, f.
Opulus pro Opulento 805, f.
Oraculum Delphicum, de Troja evertenda, per Græciæ principes conſultum 106, f.
Oratio Davidis ad Goliathum 118, m. *Joſippi ad Socios ſuos* 181, m. *Medeæ ad Jaſonem* 104, m. *Samuelis reſuſcitati ad Saulem & Pytoniſſam* 119, i.
Orbis Solis minui viſus 164, m.
Orcades 71, m.
Orcus 77, m. 101, f.
Orcus quid fuerit poetis 80, i.
Ordines mendicantium duo duntaxat eſſe debuerunt 283, i. *Monachorum mendicantium confirmati* 282, m. *Senatorum Romulo authore tres inſtituti* 130, m.
Ordo Canonicorum ſecularium à Papa non confirmatur 329, m. *Carthuſienſium* 266, m.
Ordo militum Teutonicorum 275, i. *minorum* 282, m. *prædicatorum* 275, m. *Pramonſtratenſis* 266, m. *Wilhelmitarum* 240.
Oreb 125, i. *rex Madianiticus* 193.
Oreſtes Ægyſtum è furca ſuſpendit 112, m.
Oreſtes Macedonum rex 147, f. *matrem publicè trucidat* 112, m.
Oreſtes Pyrrhum Delphis Apollini ſacrificaturum ex inſidiis occidit, ib.
Oriens per Alexandrum M. ſubjugatus 152, m.
Origenes 193, m.
Origenes docet Alexandriæ 195, i. *duo fuerunt* 194, i. *è pagano Chriſtianus evadit* 195, f. *eccleſiæ Alexandrinæ Doctor*, ib. *Martyres conſolatur*, ib. *martyrium deſiderat*, ib. *quæ fuerit eruditione* 194, f. *ſcribit ad Philippum Imperatorem, & uxorem ejus* 196, f. *ſecundum quoſdam de erroribus ſuis omnibus pœnitentiam egit* 194, m.
Origenis, epiſtola 196, m. *Errores* 193, m. *Eruditio*, ib. *Scripta per Porphyrium cœpta* 195, m.
Origo belli Punici 162, i.
Origo belli ſacri 263, m. *campanarum*, 124, i.

Digitized by Google

Origo Comitatus Flandrenſis 243, f. *deaſtrorum* 77, f. *Ducum Saxonicorum* 238, i. *Lapitharum* 68, m. *Venetorum per Titum Livium deſcripta* 68, f. *vitri* 178, m.

Orlamunda 529, i.

Orlemundenſ. Comes Albertus obit 528, f.

Orpha ſoror Ruthæ idola coluit 118, f.

Ὄσχοι Græcis quid ſint 71, f.

Ortygia, eadem quæ Delus unde ſit dicta, ib.

Oſeas filius Ela 129, f. *filius Nunis de tribu Ephraimitica, populo, non minus quam Calebus, de terra promiſſa obtinenda ſpem facit* 95.

Oſeas quando prophetarit 125, m. 128, m. 131, i.

Oſenbrugge 238, i. 387, f.

Oſilienſis Epiſcopus Henricus 565, f.

Oſius epiſcopus Cordubenſis, apoſtata vitam cum morte commutat 205.

Oſnabruga prima Eccleſia Saxoniæ 554, i. 555, f. *donatio Ottonis illi Eccleſiæ præſtita* 740, f.

Oſnabrugenſis Epiſcopus 559, m. *Schola* 694, m.

Oſning, Ardenna, Ardeſina 361, i.

Oſſa ante Hyrcanum ſuper menſa, per aulicos ſimul accumbentes conjecta 163, f. *divi Bartholomæi* 252, i. *Joſephi difficulter, & mirè tandem reperta* 92, m. *hominum ſuper Altari Bethelis, cremantur* 122, f. 92, f.

Oſſa Moyſis prophetantia 98, f.

Oſtentum, mutationis futuræ indicium 314, f.

Oſter 223, m.

Oſterburgenſis civitas 744, m.

Oſtereisberg *Eccleſia* 558, m.

Oſtervvettinga 741, m.

Oſtervicenſis Eccleſia Saxoniæ ſecunda 554, i. 556, i.

Oſtervvadingi 742, m.

Oſterſtat prope Bremam 510, f.

Oſtervvike 238, m.

Oſtia 135, f.

Oſtlof, caſtrum 307, m.

Oſtphali, & Weſtphali 556, m.

Oſtrogothi 217, f.

Oſvvaldus Britanniæ rex 229, m.

Oſvvaldus Nortumbriæ Rex 728, m.

Oſyris 86, m.

Otaresleba 742, m. 741, m.

Othelricus epiſcopus Auguſtenſis 251, m.

Othvvinus Hildensh. Epiſc. 734, f.

Othoniel Iſraelitarum præfectus 99.

Otricus Witichindi in ſchola ſucceſſor 624, m. *ex ſchola magiſtro Archiepiſcopus* 624, m.

Ottersberg, caſtrum 533, f. 510, f.

Otto Anhaltinus Princeps 793, m. *Bohemicus Dux* 443, m. *Brandenb. El. III.* 793, m. *Ottoni Brandenb. deſponſatur Joh. Com. Hoyenſ. filia* 538, m. *IV. Marchio Brandenb. Sagittarius cogn.* 792, f. *Pius, Brandenb.* 793, i. *& Balthaſar Duces Brunſuic. publ. Eccl. Rom. ſtipendio conducti* 478, i. *de Aſle Comes* 529, m. *Marcanus Canonicus ad laicorum conditionem reverti cupit* 389, m. *Everſteinenſ. Com. occubuit* 518, f. 546, m. *Holſatiæ & Schouenb. Comes, Magnum D. Brunſu. occidit* 570, i. *Hojenſ. Com. Monachus Dominican.* 534, f. *moniales transfert* 565, i. *III. de Monte Ep. Mindenſ.* 570, m. *Monaſt. Epiſc. captus* 418, f. *de Nienhuſen ex materno genere nomen ſumſit* 567, i. *de Rethberg Ep. Mindenſ.* 570, m. *Schouenburg. derelictus* 520, m. *Mechtildem viduam Ludov. D. Brunſuic. ducit* 518, m. 545, f. *vincit Magnum D. Brunſuic.* 518, f. 519, i. *obit* 521, i. *de Suinforde obit* 451, f. *Teckelburgenſis* 418, i. *Waldeggenſis, Epiſc. Mindenſ.* 567, i. *Wettinenſis Epiſc. Mindenſ.* 544, m. 568, f.

Otto *I. Imper. eligitur Aquisgrani* 642, m. *quibus ritibus*, ib. *unctus* 643, 728, m. 730, m. *Epiſcopatuum conditor* 735, f. *Epiſc. Halberſtadenſ. Romam venire jubet* 736, i. *Succeſſor à Patre Henrico deſignatus* 641, f. *amor mundi dictus* 638, i. *Franconiam vaſtat* 634, m. *Mindenſi Epiſcopo Regalia concedit* 559, m. *in Italia ducit Adelheidam* 722, m. *Papiam capit* 723, i. *ibi celebrat nuptias*, ib. *ſecundâ vice Italiam intrans coronatur* 725, m. *liberi ex Adelheida* 652, f. 696, f. *ejus adverſarii proximi propinqui* 697, i. *Johannem Papam removet* 726, m. 730, m. *Mathildam Auguſtam matrem dotalitiis privat* 697, m. *conjux ejus* 683, f. 684, i. *Ethmundi Angl. R. filia* 640, m. *Ludolfum filium facto teſtamento regem creat* 651, m. 693, f. *filium oppugnat* 653, m. 652, f. *cum Sclavis pugnat* 658, m. *Ungaros vicit* 657, m. *Urſinos in Germaniam duxit* 381, m. *Elogium ejus* 650, i. 692, f. *quas linguas calluerit*, ib. *Saxoniæ argentifodinas aperuit* 659, m. 700, m. *obit* 662, f. 704, m. *Epitaphium ejus*, ib.

Otto II. Imp. coronatus Romæ 661, m. 701, m. *confirmatur in regno* 663, i. *defuncti parentis corpus Magdeburgum transfert*, ibid. *Theophaniam uxorem duxit* 701, f. *III. regnare capit* 382, m. *IV. Imperator dyſenteriæ morbo moritur* 276, f. *Galliæ regi bellum infert*, ib. *IV. Saxonum dux à Papa confirmatur Imperator*, ib. *à quibus electus* 385, f. 426, m. 798, m. *excommunicatus à Papa* 388, f.

Otto, archiepiſcopus Bremenſis 288, m. *Comes Ravensburgicus* 269 m. *de Dicke* 291, m. *Dux Brunſvicenſis* 296, f. 298, i. 301, 309.

Otto Dux Luneburgenſis 277, i. 510, m. 792, m. *Epiſcopus Halberſt.* 453, m. *Mindenſ.* 514, m. 566, i. *Paderbornenſ.* 281, f. *Trajectenſ.* 365, m. *Epiſc. Bremenſ. Magni D. Br. F.* 1, m. *Johannæ R. Siciliæ maritus D. Brunſuic.* 367. & *Wilhelm. Henr. Leonis filii* 435, i. *Puer* 799, f.

Otto, Henrici Peregrinatoris F. R. Neapolitanus 477, m. 482, m. f. 483, i. *ſenos habuit in pedibus digitos* 483, m. *Inſignia ejus*, ib. *exemplum inconſtantiæ rerum humanarum* 487, m. *captivus imperterrito reſpondet animo* 480, m. *triennium carcere detinetur* 481, m. *amiſſa omnia recuperat* 481, f. *Ludovico II. Neapolitanum regnum cedit* 482, i. *obit ſepultus Faggiæ*, ib.

Otto, filius Henrici imperatoris uxorem ducit 247, f. *Imperator coronam accipit à Papa* 249, i. *Ludolphi F. Ottonis I. N.* 389, f. 659, i. *D. Lotharingiæ obit* 691, m.

Otto Imperator de epiſcopatu Magdeburgenſi erigendo fruſtra laborat 250, i. *nuptias celebrat ſecundas*, ib. *I. Imperator* 248, m.

Otto Lyneburgenſis D. captus 533, m.

Otto, Saxoniæ D. Imperialem dignitatem recuſat 799, m. *ejus merita* 672, f. *Bavariæ Ducatum amiſit* 452, i. *D. & Elector Saxoniæ* 791, f. *D. Sax. & Philippus Suevus de Imperio contendunt* 525, f. *Henrici Leonis F. in Anglia quas regiones tenuerit* 416, f.

Ovecara, Ocra 437, m.

Oucra, Oucer, fluv. 797, m.

Ovenſtede (Joh. de) Prior Mindenſ. 569, m.

Overham (Adolph.) 349, f.

Overnkerke, Monaſterium 562, i. 518 m. 507, m. *reformatum* 572, f. *Moniales ejus occiſæ* 558, f.

ubi ſitum illud monaſterium 559.
Overcupunga 753,m.
Ovidius in exilium relegatur 174,f. natus, ibid. ejus liber de vetula 351, m.
Ovis loquens oſſa Joſephi monſtravit Moyſi, eaq; per Iſraelitas in deſerto circumducta fuit 92,f.
Ozias contra hoſtes ſuos victorioſus 177, f.
Ozias idem qui & Azarias, ib. m lepra percuſſus, ex ea laborat quandiu vivit. ib. f. officium ſacerdotale ſiniſtrè uſurpat, ibid regnat in Judah 128,i.

P.

PAcis Conditiones inter Chriſtianos & Saracenos 281,m
Pacta inter epiſcopum Paderbornenenſem & cives ejus 281,f.
Padberge (Caſtrenſes de) hoſtiliter principes invadunt 520, m.
Padelbornenſis Epiſcopatus fundatur 555,m 556,i.
Pader 237,m.
Paderbornenſium Epiſcoporum Catalogus 369,m. Dudo 559, m. Meinvvercus 698, i. turba propter electionem Epiſcopi 422,i.
Paderborne 237,m.
Paderborn incendio vaſtata 252, f.
Paderbornenſes caſi 281,f. perjurii inſimulati 334,m. vocantur in judicium, ib f.
Padus Weſtphalicus, antè Lippia dictus 237, m.
Palborne 554, m.
Palaſtina 65, f.
Palæſtini 77, i.
Palamedes 106, f 108, f.
Paldoveshein prædium 727, f.
Paleologus Imper. 471,m
Palladium Palladis imago 110, f Ulyxi adjudicatum 111,m.
Palladius Epiſcopus pro Scotis per Cœleſtinum Papam conſecratus 214.
Paltenheim capta 546, m.
Paludes Capræ 130,m. Mæotides 65, f.
S. Pamphili reliquiæ 563,i.
Pancratius 197, m.
Panes propoſitionis ſacerdotibus ſolis erant offerendi 118,f.
Panin Slaviæ fl. 737,i.
Panis albus 258,i. omne id, quod mandi ſolet, complectitur 75, f. ſubcineritius Eliæ per Domini genium allatus 125, i.
Pannias 102,m.
Pannonia 67,f. 68,f.
Pantapte Cambyſis ſive Nabuchodonoſoris filia 145, m.
Pantheon conflagrat 190,f.
Papæ Johannis XXIII Facinora 340
Papa contra Evangelium diſpenſat 323, m. cum cardinalibus captus 266, f. Imperatorem excommunicaturus, diem ſuum obiit 270,m. in actu coronationis ſuæ ἄλογος eſſe juſſus 294, f. jubet crucem prædicari 269, m. liberalis eſt de alieno, 289, i. mutat nomen, poſteris occaſionem id ſimiliter faciendi præbens 245, i. novus Cardinales creatores ſuos remunerat 294, f. novus dicens quæ vult Cardinalibus, quæ non vult, audit ab illis 295, i. Seneſcens delirat 290, f. Siciliæ regnum ad Gallos transfert 281, i. Sylveſter Diabolo ſe dat 254, f.
Papa propter hereſin deponi poteſt 25, f. non ſit publicus peccator 731,i.
Papale fulmen 278,i.
Papalis curia Pictavii 396,m.
Papia Ticinum quoque vocatur, 69,i. 150, f.
Papienſes Mediolanenſibus bellum inferunt 277, f.
Papyrius conſul Romanus Alexandro M. ſiquidem hic in Italiam veniſſet, reſiſtere voluiſſet, 152, m, contra Samnites feliciter pugnat 160, m.
Parabola Salomonis 122, i.
Paradyſi aditus parentibus noſtris ob peccatum præcluſus 64,f.
Parentes Melchiſedechi in ſacris non narrantur 87, f.
Paris, De hoc vide paginas 106, 107 108, &c.
Pariſii urbs Galliæ, à C. Julio Cæſare fundata 170, m. floret ſtudiis liberalibus 558, i. 513, m.
Parma propter ſeditionem punita 70,m. 260,f.
Parmenides quando claruerit 147,f.
Parnaſſus Theſſaliæ mons Apollini quondam ſacer 68, m.
Pars Italiæ quænam Gallia Ciſalpina dicta 150, f. mundi terrena & infima & intima poëtis fuit orcus 80,i. quædam Saxoniæ Weſtphalia dicta 215, f.
Partes mundi Europa, Africa, Aſia, à ſe invicem per mare magnum diſterminata 64, i. orationis nomen & verbum per Ariſtotelem primo omnium propoſita 151, m. orationis octo per Donatum introducta, ibid.
Parthenope eadem quæ Neapolis 115.
Parthenopolis 248, f.
Parthi à Gothis oriundi 109,m. Scythis fugaces ſunt 65, i. ſuos fugiendo progenitores, terras coluerunt alienas, ib.
Parthia dicta fuit à Parthis 64, f.
Partus monſtroſi 222,m. 268, f. 271.
Parvæ vires ſæpe maximas ſubvertunt 795, m.
Paſcha non raro agnus paſchalis ipſe eſt 92,m. quando ſub Papa Pio ab Aquileia celebrare ſolitum 192, f. veſpera quandoque illa eſt, qua agnus immolari ſolebat 92, m.
Paſchalis Papa Rom. 275, m. 383, i. Privilegium Henrico datum damnat 453, i. abjudicat Epiſcopis telonia &c. 441,m. obit 453, i.
Paſtor quidam uxori ſuæ puerperæ Cyrum affert lactandum 139,m.
Paſtores Latini & Thuſci 130, m. reges in Aſſyria 87, m.
Patavino Epiſcopo datur jus caſtella munita ſtruendi 747, m.
Patavinus Epiſcopus Ganslinus 733.
Pater per filium ingratum dignitate exutus 264,f. Præſtantii in caballum mutatus 113, i.
Paterniani 228, f.
Paterbrunne monaſterium fundatum 765, f.
Pator, chaſma 803, m.
Patres conſcripti 130, m.
Patria Achillis 68, m.
Patripaſſiani 228, f.
Pathberga caſtrum Epiſcopo Paderbornenſi datum 260,m. obſidetur 315. m.
Patroclus Græciæ princeps quidam, Achillis amicus 107,i. per Hectorem jugulatus, ib.
S. Patrocli corpus tranſlatum 559.
Paulinus, epiſcopus Nolanus, pius 216, f.
Paulini Monachi 801, m.
Paulus Apoſtolus, an fuerit epiſcopus 200, f de Urſinis 324, i. Diaconus 69,m. eremita 197, m. & Petrus morte mulctantur 189, m. de Urſinis Romanos affligit 42,m.
Pauſanias Byzantium condit 135,m
Pauſanias Macedo, vir fortis & potens, contra Philippum, regem ſuum manum cogit armatam 152, i. per Alexandrum M. neci datur, ibid.
Pax cum Hungaris facta 247,i.
Pax inter epiſcopum Colonienſem, Comitem Cliviæ, & epiſcopum Paderbornenſem 333, m. publica inter Principes ſancita 261,i. 315,
Pecunia apud Ruthenos è pellibus adhuc fit pecuniis 134, f. unde priſcis fuerit appellata, ib. nervus belli 790, m.
Pebiti, populi 630, m.

Peina, capta 434, m. 445, f. *Hildeſienſi Diœceſi juncta* 446, m.

Peinenſis Comes Ludolfus 445, f.

Pelagius hæreticus 213, m.

Pelagius I. papa Rom. 225, m. *II. papa R.* ib.

Peleus frater Æſonis 103, f. *Theſſaliæ rex* 105, i. *metuens, ne per Jaſonem filium regno privetur, ſingularem ejus è medio tollendi technam meditatur* 103, f.

Pella urbs per Seleucum Nicanorem ædificata 161, i.

Pelnuſium 741, m.

Peloponneſus inſula à Pelope rege ſic vocata 68, m.

Pelops rex Mycenarum I. 102, m.

Penda Merciorum Rex occiſus 728.

Penelope Ulyxem poſt annos X. è bello reducem læta recipit 111, f.

Penthesilea, Amazonum regina, bellicoſa, Hectorem & diligit & ob ſtrenuitatem videre cupit 110, m.

Perdiccas, Macedonum rex 134, m. 146, f. 149, m.

Peregrinatio Gobelini, in mari Siculo 160, i. *Henrici Saxoniæ Ducis cum militibus Hieroſolymam inſtituta* 271, f.

Peregrinus Archiepiſcop. Colonienſ. 382, m.

Perfectio operum Dei per numerum ſenarium indicata 63, m.

Pergamenum, cur etiam membrana dictum, 88, m. *originem ſuam habuit in Pergamo,* ib.

Pergamenſis Epiſc. Odelricus 733, m.

Periculum Cæſaris 171, i.

Peripatetici, unde nomen adepti 143, i.

Perjuria epiſcoporum Roman. 212, f.

Perjurium punitum 210, m.

Perjurium Hattonis Epiſcopi Moguntini 675, f.

Pernocephali Alexandro infeſti 155.

Perſæ per Heraclium victi 226, m.

Perſepolis per Alexandrum M. funditus everſa 154, m. *regni Perſici caput per Perſeum condita* 102, i.

Perſeus, ibid.

Perſida 65, i.

Perſia, ib.

Perſidia 102, i.

Perſis 65, i.

Perthenſis pagus 557, f.

Peruſium 69, f.

Peſtilentia gravis 162, f. *inaudita* 285, f. *Inguinaria* 285, f.

Peſtilentia Romæ multa 161, f. *Mindæ* 571, m.

Peſtis horribilis 230, f. 243, m. 404, f.

Peſtis inſolita & mirabilis 286, i. *Romam vaſtat* 161, f. *Scabies* 231, m. *vexat populum Davidicum* 121, i.

Petershagen *extructum opp.* 518, i. 567, i. 568, i.

Petronius eccleſiæ Bononienſis epiſcopus vitas patrum ſcripſit 213

Petrus Apoſtolus 180, i. *ejus catenæ anſæ quatuor* 563, m. *baculus* 559, m. *Aragonius habet viſiones* 292, m. *Damianus* 261, m *Archiepiſc. Ravennas* 732, f.

Petrus de Candia eligitur in pontificem, & Alexander V. appellatur 328, i. *Cantor in eccleſia etiam ipſa fulmine tactus* 231, i. *de Corbario Nicol. V Papa* 515, m. *de Luna* 11, m. *in obſtinatione ſua perſeverans dignitate privatur* 343, f. *de lupis* 301, f. 306, i. *manducator* 75, m. *Mediolanenſis occiſus* 511, f. *quidam monachus belli ſacri inceptor* 263, m. *unà cum Paulo ſupplicio mortis affectus* 189, m. *Vincelii F. nobilis Danus ſuſpenſus* 538, m

Phaceas filius Manahemis 129, i. *filius Romeliæ,* ibid.

Phagor mons 83, m.

Phalecus 83, f.

Pharan, deſertum 95, m.

Pharao coronam Dei ſui capiti Moyſic adhuc puſilli imponit 90, m.

Pharao Nechao rex Ægypti 135, m. f. *perſequitur Iſraelitas* 92, f.

Phariſæi unde dicti 147, i.

Phaſe domino per Joſiam celebratum 125, m.

Phaſe Hebræum tranſitus eſt Latine 92, m.

Phaſelus tetrarcha declaratus 172, f.

Phaſga mons 97, i.

Pheolus Citruli capitaneus 303, i.

Pherecydes hiſtoricus quando claruerit 144, f. 146, f. *Syrus primus inter Græcos oratione ſoluta ſcripſit* 98, m.

Philippi ſenior & junior Impp. Rom. ubinam ſint occiſi 196, f.

Philippicus 232, f

Philippus Alexandri M. pater è vita abit 152, i.

Philippus Alſatiæ Dux, æmulus Ottonis IV. Saxonum ducis, in imperio ei prævalet obtinendo 276, i. *Archiepiſc. Colonienſ.* 507, m 529, m. 437, i.

Philippus Imper. occiditur 196, m. *cum Ottone IV. confligere non auſus* 785, i. *Audax Galliæ Rex* 367, f. *I. Gall. R. veſtimenta pauperibus donat* 105, m.

Philippus Macedo pater Alexandri verus eſſe videtur 152, m. *Macedo Nectabonis magia illuſus,* 151, m. *Macedo quando regnare cœperit Macedonibus* 155, f. 151, i. *Macedo, Pauſaniæ occurrens ipſe, graviter vulneratus, tandem diem ſuum obit* 152, i. *Haſſiæ Landgrav. oppugnat Henricum D. Brunſuic* 574, m. *Valeſius R. Gall.* 367, f. *Sueviæ D. Imperator* 385, f.

Philiſtina 65, f.

Philiſtini arcam dominicam in templo Dagonis ſtatuunt 117, m. *Sampſonem à ſcorto egredientem laqueis innodare cogitant* 116, i. *oculos Sampſoni eruunt, eumq; in carcerem detrudunt,* ib. *petunt Sampſonem ad mortem,* ib. *propter arcam Domini afflicti, eam Iſraelitis remittunt* 117, m. *Sampſonem, ut ſatrapis ipſorum & plebi ludibrio ſit, ergaſtulo producunt* 116, m. *terram Juda devaſtant,* ib. *veteribus Allophyli, recentioribus Palæſtini fuerunt* 77, i. *unde ſint orti,* ib.

Philonis quidam locus depravatiſſimus 98, i. *liber Antiquitatum Biblicarum* 351, i.

Philoſophi deum quendam unum eſſe opinati ſunt & ipſi 61, f. *in ſectas varias diviſi* 42, f. *ortumſuum a Pythagora ſunt nacti,* ibid. *qui per Auguſtinum cæteris antepoſiti* 62, i. *quidam ab auctoribus eorum, quidam à locis, ubi convenire ſolerent, vocati* 142, f.

Philoſophia moralis quid 148, m. *naturalis contemplatione naturæ deputata,* ib. *rationalis verum à falſo dividit,* ib.

Philoſophorum duo genera 142, f.

Philoſophus eſt idem quod amator ſapientiæ 142, m. *quidam converſus ſit Chriſtianus* 203, f.

Phinees 97, f. *perfodiens Zambri & ſcortum ejus, occidit utrumq;* ibid.

Phiſon, fluvius, idem qui Ganges 65.

Phlegon Olympiadum computator eximius 188, f.

Phocas quandiu imperarit 226, m.

Phocenſes à Cyro fugati, navibusque Galliæ finibus appulſi, Maſſiliam condunt 142, m.

Phœnices primi literarum Græcarum inventores 74, m. *unde orti* 76, f.

Phœnicia à Phœnice fratre Cadmi dicta 65 m.

Phœnix Cadmi frater 99, m. *& Cadmus Thebis relictis in Syriam profecti apud Tyrum Sidonemq; regnarunt,* ib.

Phogor mons 97, i.

Phoronæus 87, f.

Phraortes 135.m.
Phriſia 67, i.
Phriſonia, ib.
Phrygas frater Æneæ fabuloſus 113.
Phryges transmarini 130, m.
Phrygia cur Dardania fuerit appellata 66, m. *Trojæ* 104, i.
Phrygiæ duæ 66, m.
Phut, Mauritaniæ fluvius 76, f. *tertius Chams etiam filius nomen habuit*, ibid.
Phthiriaſis è divina vindicta Arnulpho Imperatori immiſſa 244, f.
Picenus fluvius ſanguineus 164, i.
Picti, populi 667, m.
Pictor quidam Salvatorem ſub imagine Jovis pingere auſus, manus ariditate punitus eſt 218, f.
Picus Saturni filius 102, m.
Pierveirs 406, m.
Pietas Paulini, epiſcopi Nolani 216, f. *Theodoſii quanta* 210, m.
Pilatus miraculorum Chriſti in literis ſuis mentionem fecit 178, m. *Judææ præfectus*, ibid. *Acta* 189, i.
Pileus Cardinalis Ravennas deficit ab Urbano Papa 303, m, 309, f.
Pilei fœnini à militibus geſtati 651.
Pilgrimi Comitatus 744, i.
Piligrinus 413, i.
Pilindon 728, m.
Pinnenberg acquiſitum Schauenburgicis Comitibus 517, f.
Pipinus bigamus eſt 231, i. *Brabantiæ dux primus* 227, i. *Francorum dux* 233, m.
Piriciades 123, m.
Pirithous à Cerbero pene devoratus, Herculis ope liberatur 101, i.
Piſa 70, i. *Florentinis ſubjecta, auxilio Balthaſaris Coſſæ* 11, m. f.
Piſenſis Epiſcopus Albericus 733, m.
Piſces gentilibus etiam loco numinum fuere 78, f.
Piſtoriæ Alexander V. ſuam habuit curiam 13, i.
Pius ab Aquileia pontifex 192, m.
Pixis, bombardæ ſpecies 52.
Placeius (Vincent.) laudatur 60, m
Placentia 70, m.
Placentinus Epiſc. Sigulfus 733, m.
Placitum pro decreto, Comitiis 688.
Placidia Auguſta 218, m. *Soror Honorii Auguſti* 213, f.
Plaga Ægypti X. 91, m.
Planeta quilibet per horam unam dominari putatur 80, f.
Plato creditur in peregrinatione ſua libros divinos vidiſſe 148, f. *doctrinam Pythagoricam in Italia percepit*, ib. m. *gentilium doctor* 78, f. *in Ægypto peregrinatus, didicit quæcunque præclara docerentur ibidem* 148, m. *moritur* 151, f. *Philoſophiam tripertito diſtinxit*, ib. *Philoſophus quando vixerit*, ib. *Phyſicam poſt Thaletem deſcripſit* 135, f. *quando natus fuerit* 147.
Plebani Eccleſia in Magdeburg 742, m.
Pleſſe Dynaſtia 794, m.
Pleſſenſis Comes Immadus 362, m.
de Plettenberg (Gerhardus) 379, i. *exſtruit Rhode & Cluſenſtein* 405, m.
de Plettenberg (Joh.) Marſchallus Weſtphaliæ 394, i.
de Plettenberg (Hunoldus) 393, f.
Pleuratus Illyricorum Rex 728, m.
Plone caſtrum expugnatur 513, m.
Plotinus Platonicus 61, f.
Plumbia 693, f.
Pluto & Dis idem 80, i.
Pluitur, ningitur 790, m.
Pluuntur ſtipendia 790, m.
Pluvia ſolvens nives Alexandro magno moleſta 155, f.
Pluviæ ſanguineæ 243, m.
Poel, ſ. Polle arx ad Viſurgim 545.
Poele, ſ. Polede monaſterium 669, m. 360, m. *quaſi in palude* 702, m.
Poema Gobelini, de pontificis Urbani geſtis concinnatum 310, i.
Poemata Gobelini 315, f.
Pœna capitalis erat in Ægypto, ſi quis Apin hominem fuiſſe dixiſſet, 88, m. *perjurii* 257, m. *qua Adamus & Eva ob violatum Dei mandatum afficiuntur, quanta ſit* 73, m.
Pœni bellum paci anteponunt 164, f. *iidem cum Afris ſunt* 162, f. *Siculis auxiliantes vincuntur*, 163, m.
Pœnitentia in extremis nulli neganda 218, m.
Polaborum terra Comes 504, m.
Pollux frater Caſtoris, cum eodem provinciæ Spartanæ rex 105, i.
Polonia Germanorum provincia 67 f. 454, m.
Poloniæ rex cum Pruſſis bella gerit 14, f. 44, m.
Polygamia Herodis 177, m. *Salomonis* 122, i.
Πολυκοιρανία *Romæ exorta* 198, i.
Polyſtratus Alexandri M. miles 154, m.
Polytronius epiſcopus Hieroſolymorum ambitioſus 218, f.
Polyxena ſoror Hectoris plangit ad ſepulchrum ejus, & occiditur 108, f. 110, f. *tertia filiarum Priami, pulchritudinis miranda* 106, m.
Pompejus bellum contra Cæſarem movet 170, m. *fugit in Ægyptum*, ibid. f. *ingreditur in Judæam* 169, f. *Judæos tributarios ſibi facit*, ib. *occiſus* 170, f. *occupat Hieroſolymam* 169, f. *Trogus* 191, m.
Pons claſſicus Alexandri M. 153, m. *quidam inter Aventinum & Janiculum factus* 135, f. *ſuper Weſeram ap. Mindam* 566, m.
Pontia inſula 225, i.
Pontianus 199, f.
Pontifices maximi apud Judæos 162, i. *Rom. in generali concilio eligendi* 32, m. *propter hæreſin deponi poſſunt* 25, f. *Archiepiſcopi Germaniæ* 677, f.
Pontus Heuterus fallit 376, i.
Poppa Chriſtianam religionem in Dania propagat 659, *ejus hiſtoria* 700, m.
Poppenburga 527, m.
Poppo Brixienſis 261, f. *Epiſcopus Paderbornenſis* 262, m. *Ottonis I. Cancellarius* 741, i. *Hennebergicus Comes* 674, f. *qui & Damaſus Papa, moritur* 451, f. *nobilis Bambergenſ. Præpoſitus*, 362, m.
Populus Iſraeliticus Moyſen & Aaronem lapidare vult 95, f. *Romanus è gentibus variis conflatus* 130, m. *Romanus heres ab Attalo rege relictus* 167, f.
Pornamenſis Eccleſia ſubjecta Archiepiſcopo Magdeburgenſi 735.
Porphyria veſtalis, de ſtupro convicta, viva defoſſa eſt 147, i.
Porphyrius, Chriſtianorum inimicus, quando vixerit 204, i. *Origenis ſcripta calumniatur*, 195, m. *Philoſophus* 196, m.
Porta Romæ triumphalis 187, i. *templi Hieroſolymitani, difficilimè apertilis, per ſe patere viſa* 185, m.
Portæ Babylonis centum 139, f. *Caſpiæ ab Alexandro M. conſtitutæ* 109, m.
Portæ Gazenſes à poſtib. avulſæ, & in montem per Sampſonem asportatæ 116, i.
Portatilia qua 73, f.
Porteslere caſtrum obſidetur 398, f.
Portus, Sigæum vocatus 105, i. *Theſſalonicæ* 106, f.
Das Portenhauß *Monaſterii Halberſtadenſ.* 702, f.
Porus ab Alexandro M. devictus 154, f.
Porus Judæorum rex in exercitu multos habet Elephantos turribus ligneis inſtructos, ibid. *ſecundum quoſdam per Alexandrum*

drum Magnum in vita non ſervatus 155, i.
Poſteri Hectoris, poſteris Antenoris ejectis, Ilium recuperant, 116, f. Japheti 77, m.
Poſteri Semi recenſiti 76, f.
Poſteritas Chami, ibid.
Potentiana 191, f.
Poteſtas Regia Romanorum quando ceſſarit 144, f. tonandi Jovi ſoli attributa 81, m.
Poto Bohemus, epiſcopus Monaſterienſis 292, i.
Praga occupata ab Henr. Aucupe 639, f.
Pragenſium tumultus 32, i.
Præciſio, apoſiopeſis 802, i.
Prædicatorum Ordinis initium 564, i.
Prædonibus obex ponitur in Comitiis 45, m.
Præfectus Viterbienſis occiſus 310, m.
Præda è regno Achazi per Siriæ regem abacta 129, m.
Prædia eccleſiæ alienari prohibita 224, m.
Prælium à Saxonibus & Turingis commiſſum 159, m. ad Sylvam Welphonis 267, m. dieb. XXX. per Trojanos adverſus Græcos continuatum 108, i. Gothorum & Hunnorum acerrimum 215, i.
Prælium inter Alexandrum M & Darium ab ortu ſolis ad occaſum ejuſdem perpetuatum 153. f. inter Colonienſes & Paderbornenſes 332, m. inter Darium & Alexandrum M 153, m.
Pramonſtratenſiũ Ordo incipit 383, i.
Prænoſticus 788. m.
Præſaga mens futuri 788, m.
Præſcientia Dei à Philoſophis pleriſq; negata 143, f. Dei præſcientis nos aliquid mali facturos, cauſa non eſt nobis, ut malum illud faciamus 143, f.
Prætorio præfecti ſumma dignitas ſub Ottone M. 687, f.
Praxedis 191, m.
Predulize, Pretalize ad Albis ripam occid. 741, m.
Priamus bellum adverſus Græcos, ad Heſionem ipſis eripiendam, parat, 106, m. excidio Trojæ audito, cum exercitu domum redit 105, f. filius Laomedontis poſt Trojam deſtructam ſuperſtes, ibid. in Apollinis templo per Pyrrhum confoſſus 110, f. inducias menſium VI. petit à Græcis 108, m. legatos mittit in Græciam ad Telamonem, Heſionem repetitum 106, i. quando Troja regnarit 114, f. regem Thoantem occidere vult, ſed Hectore & Ænea reſiſtentibus omittit 107, f. rex Trojanorum uxorem habet Hecubam 106, m.
Priamus Francorum rex 205, i.
Priapus Deus, qui fœcunditatem conferret, habitus eſt, 83, m. idolum Latinorum, ib.
Pribiſlaus Obotritorum princeps 505.
Primogenita Ægyptiorum omnia per angelum Dei percuſſa 91, f. 92, m.
Primogeniti à Semo omnes usque Aaronem ſacerdotes fuiſſe dicuntur 84, f. qui in Genealogiis ſacris nominantur, non omnes putandi ſunt, ſed tales, per quos numerando ad Noëum perveniatur 74, i.
Principes Cæſari miliantes 270, i. Chriſtiani in partes ſciſſi 295, f. electores inſtituti 253, m. epiſcopo Paderbornenſi homagium præſtantes 284, m. Germani integri & ſinceri 333, i. Græciæ, Heſionem Priami ſororem ei reſtituere non volunt 106, m. Græciæ omnes Menelao ad Helenam recuperandam ſuppetias ferunt, 106, f. provinciarum Perſicarum Zorobabeli Hieroſolymam reædificare ſatagenti obſtaculo ſunt 145, f. ſuper omnia Salomonis opera quot fuerint conſtituti 121, f.
Princeps in conſiliis audiendis quomodo ſe gerere debeat 378, m. ſit affabilis 379, f.
Principes obærati non metuuntur 380, i.
Principes quondam in monaſteria frequentes ſe abdiderunt 536, f.
Priſcianus Grammaticus quando floruerit 224, f.
Priſcienſis Epiſcopus Antonius 735, m
Priſcillianus hæreticus 213, i.
S. Privati corpus Coloniam translatum 559, m.
Privilegium quoddam juri contrarium 284, f. Papale 254, f. reformationis Cœnobii Bædekenſis 328, m.
Probatio per Monomachiam 688, i.
Problema per Sampſonem ſociis ejus propoſitum 115, f.
Probus Imp. Rom. 197, f.
Procas Sylvius rex Latinorum 128.
Proconſules conſulibus ſubjecti 144, f. unde dicti, ib.
Proculus epiſcopus Conſtantinopolitanus 214, m.
Prodigia 168, f. Hieroſolymæ excidium prænunciantia 185, m. multa bellum Saguntinum antegreſſa 164, i. & m. peſtis nuncia 162, f.
Prometheus annulorum uſum invenit 89, f.
Promiſſio de Meſſia Abrahamo facta 84, m.
Promulgatio legis divinæ 93, f.
Propheta impoſtor adit Urbanum Papam 308, m. fatetur dolum ſuum 309, i. carceratur, ibid. indoctum ſe fatetur eſſe 308, m. verum ni dicat, offert ſe tormentis, ib. palinodiam cantat, 309.
Prophetare tempore Samuelis erat, Deum jugiter laudare 117, f.
Prophetia Adami de judiciis duobus 74, i. Gadi adverſus altare Bethelicum 122, f. Ragavi de Abrahamo 82, i.
Proſper hiſtoricus 217, i.
Propontis Thraciæ oppoſita 68, i.
Proſopographia Caroli 241, m.
Protenor ab Hercule medius diſſecatur, armis non obſtantibus 107, f.
Proteſilaus rex Philardorum per Hectorem necatur 107, i.
Prothaſius 210, m.
Prothus 277, m.
Provincia, Galliæ Narbonenſis 64, i. in qua Roma ſita eſt, nunc à Thuſcia diſtincta patrimonium eccleſiæ vocatur 69, m. Italiæ VIII Lucania eſt, ib. Italiæ I Venetia eſt 68, f. Ialiæ II quænam ſit 69, i. Neapolim continens, terra laboris jam dici conſuevit 69, f.
Proveſteshagen Eccleſia villana 508, m.
Provinciæ complures, quæ olim Galliæ fuerunt, nunc ob idioma Teutonicum Teutoniæ annumerantur 70, f. Græciæ VII, 68, i. Helladis II. ib. m. in Germania multæ 66, f. Italiæ complures nomina mutarunt 70, f.
Pruſias, Bithyniæ rex 165, f.
Pruſſi nimis confidentes 15, m.
Pruſſia 66, f. bello vaſtata 14, m.
Pſalmus, per Davidem coram Saulo per cacodæmonem vexato pſalli ſolitus 118, m.
Pſeudoprophetes Hieroſolymitanos obſeſſos ad Tito rebellandum incitat 185, i.
Pſeudoreges Italici lucem fugiunt 250, m.
Pſeudo-Turpini improba audacia 642, m.
Ptolemæus Ceraunus 161, f. Dionyſius, Cleopatræ frater 169, i. Epiphanes quandiu regnarit 166, i. Evergetes Ægypti rex 167, f. Evergetes per Alexandrinos è regno ejectus, ib. Evergetes, quando, quamque diu regnarit, & Evergetes unde dictus 163, m. Evergetes, ſororem ſtuprat, ſtupratam

tam in conjugem ducit, ductam repudiat, & privignam ex ea in locum ejus adſciſcit 167, f. Lagi filius obtinet Ægyptum 160, f. Lagi filius templum Hieroſolymitanum ingreſſus Judæos multos nil tale ſuſpicantes abducit, & gentibus circumvicinis vendit, ib. Macedonum rex 149, m. Philadelphus, Biblia & Hebraica in linguam Græcam transferri curat, 162, m. Philadelphus literarum omnium ſagaciſſimus, libros Aſtronomicos multos conſcripſit, ib. Philometor quandiu regnarit 167, m. Philopater 164 i. Phyſcon vel Soter, per matrem ſuam regno expulſus 168, m. quidam ex Alexandri M. ducibus, ſtrenuè præliatur 153, f.

Ptolemais 263, f.

Pudenda Adami & Evæ ante lapſum pudenda non erant 73, m. virilia per compita Italiæ in honorem liberi culta 78, m.

Pudor naturalis quantum opinioni Cynicorum non naturali repugnarit 143, i.

Puella ex omnibus Aſſveri provinciis ad eum adducuntur, ut ex illis eligat quam velit in Vaſthis repudiatæ locum 149, f.

Puer, bivertex Bizantii natus 222, m. ex utero matris nondum totus egreſſus in eundem tempore Sagunti per Hannibalem obſeſſi regreſſus 164, m. quadrupes Byzantii natus 222, m. quatuor habens pedes, manus, oculos, aures totidem, ex ancilla Romæ natus 167, m. Sarmentis ludendo, diſponendis illis voces efficit legibiles 261, m. ſeptennis per lupum abreptus 305, i.

Pueri Eliſeo illudentes, per urſos è ſylvis egreſſos, lacerati 126, m.

Pugna inter Hectorem & Achillem ſtrenuiſſima 107, m. Ungarorum & Turcorum apud Nicopolin 287, i.

Pugnatores mille, à numero millenario, per Romulum electi 130, m.

Pulſinnæ Virginis corpus translatum 557, f.

Purgatio Canonica 239.

Puſtula, tanquam veſicæ, in hominibus turgentes 91, m.

Putena, Magdeburgum 737, m.

Putiphar, exercitus Pharaonii dux 88, i. Heliopoleos ſacerdos facto fuiſſe putatus eſt, ib. Pharaonis gener habitus, ib. ut ſacerdotio fungendo aptus eſſet, exectum ferunt, ibid.

Pyrrhus à Romanis victus 161, i. Achille natus, idem & Neoptolemus 109, i. Achillis filiorum unus 68, i. Andromacham duxit uxorem, 111, i. 112, m. Campaniam depopulatur univerſam 161, m. captivos gratis remittit, ib. cum viribus Epiri, Theſſaliæ, Macedoniæ totis, incognitis, ante id tempus elephantis Tarentinis in bello gerendo ſuppetias fert, ibid. Epirotarum rex, ib. reverſus ſaxo ictus occumbit, ib. mortuus igni comburitur, ib. Oreſtis inſidiis occiſus 68, i. 115, f. Pentheſileam in fruſta concidit 110, m. quandiu apud Macedones regnarit 161, i. terras armis captas retinere vult, ibid. uxorem Oreſtis rapit 112, m.

Pythagoras 74, m. à Judæis ortus eſt creditus 142, m. artis Muſicæ harmonicæ author eſt, ſecundum Græcos 74, i. in Philoſophia naturali excellit 148, m. moritur 146, m. quando vixerit 142, m. Sami natus 72, m. ſe Philoſophum non Sophiſtam eſſe dixit 142, m. tyrannidem fugiens, è Samo in Italiam venit, ib.

Pythia 101, i.

Python ſerpens in monte Parnaſſo per Apollinem enectus 119, m.

Pythoniſſa per Saulem conſulta, ib.

Q.

Quadratus quidam, diſcipulus Chriſti, Adriani Imp. informator 191, i.

Quæcunque per geneſin alicui dictantur, ea illi neceſſariò, ſecundum quosdam, eveniunt 79, i.

Quarantena, 40 dierum inducia 406, m. 424, m.

Quedelinburg 248, m. conventus principum 538, m. ibi Henricus Anceps ſepultus 648, f.

Querfordenſis Dynaſtia 794, m. 523. i. ſub Archiep. Magdeb. 794, m

Quernhameln 498, m.

S. Quirini corpus 573, i.

Quiris lingua Sabina quid 130, f.

Quirites 796, m.

R.

Raba fluvius 261, m.

Rabanus Poëta 242, m. 350, m. Archiepiſc. Moguntinus 557, m

Rabba civitas 120, m.

Raceburg & Polaborum terra Henrico Bardevicenſi ceſſit 500, m.

Raceburgenſium Comitum familiæ conditor 524, f.

Rachel 87, i.

Rada præfectura Epiſcopatus Mindenſ. 539, i.

Radbrandus Abbas Werdenſ. 421.

Raden caſtrum Mindenſi Epiſcopo acquiſitum 567, f. occupatum ab Epiſcopo Mindenſ. 570, f. vindicatum ab eo 515, f.

Raffenberg caſtrum expugnatur 392.

Ragau 82, i. 86, i.

Raguel 91, m.

Rahaba 98, f.

Ramaſlau 740, i.

Rambertus Hamburg. Epiſcop. moritur 557, m.

Ramvardus Epiſc. Mindenſ. 559, m.

Randeroda arx 418, i. Præfectura, ib.

Randruſium Juliæ 548, m.

Rani, Ruani, Rugiani 600, m.

Rapina in agro Paderbornenſi exercita 274, i.

Raptus virginis multa punitus 304.

Rasbacenſe monaſterium Hieruſalem dictum 767, m.

Ratekou 504, f.

Ratholfus 243, f.

Ratisbonenſi Eccleſia donata ab Ottone M. 744, i. Monaſterio donatio ab Ottone M. 753, f.

Ravenna 70, m.

Ravensburgius prætendit in Comitatum Sternbergicum 548, i.

ad Raxam fl. caſtra Ottonis I. 658, m.

Raymundus de Malzio 302, f. Bancianus Tarentinum Ducatum obtinet 482, m.

Razis 129, m.

Realen Scholarium monaſterium Compendii 401, f.

Reate regio Maſſorum 70, m.

Rebecca 86, i. & m.

Rebellio Abſalonis in patrem Davidem 120, m.

Rebellio ſubditorum Paderbornenſium adverſus epiſcopum ipſorum 335, i.

Recidivare 288, i.

Recklinghuſen obſidetur & capitur 393, f.

Recolere cum genitivo caſu 799, m.

Redarii pacem ab Ottone impetrant 661, m. deficiunt ab Henrico Aucupe 639, f.

Redderus civis Hamburg. 511, f.

Redegaſt idolum 683, i.

Redichen, Comitatus 260, m.

Regalia impetrat Epiſcopus Mindenſ. 559, m.

Regaſſar 137, f.

Regensburg à Ludolfo capta 653, f.

Regentum culpa plebs cæditur 100.

Reges Ægypti quotquot poſt Ptolemæum Lagi filium regnarunt, Ptolemæi vocari conſueverunt 160, f.

Reges Aſſyrii Babylonios ſe nominarunt 130, i.

Reges

Reges, Francici 214, i. *Gabaoniticiper Joſuam ſuſpenſi* 98, f. *Græcorum III. ab Hectore vita privati* 107, f.
Reges Italiæ ante Latinum quot & qui fuerint 115, m.
Reges Juda & Iſraelis 125, m. *Medorum in ordine Illuſtrium poſiti,* 130, i. *orbis Chriſtiani in partes diverſas ſciſſi* 295, f. *quidam moriuntur* 263, m. *triginta unus gladio Joſuæ percuſſi* 80, i. *Trojani unde ſint orti* 89, i.
Regimen urbis Romæ Ludovico Imperatori commiſſum 244, f.
Regina Sabæorum 122, i. *Siciliæ* 297, i.
Reginbertus contra Danos pugnans 681, f.
Reginoldus Epiſc. Rubiloceuſ. 733, i.
Regis myſtica, id eſt, ſecreta 799, f.
Regiſtenſis Comitatus 405, f.
Regna mundi duo primaria 82, m.
Regnum Ægypti Cleopatræ confirmatur 172, i.
Regnum Ægypti tempore Nachoris ortum 82, m.
Regnum, Alexandri M. poſt mortem illius in regna IV. diviſum 160, f. *Aragoniæ, Caſtellæ, Navarræ, Portugalliæ* 713, i. *Argivorum quando cœperit, quamq; diu durarit* 86, m. 102, m. *Artaxerxis aut Aſſueri, quam latè ſe extenderit* 149, f. *Aſſyriorum & Sicyniorum tempore Tharis initium cepit* 82, m.
Regnum Aſſyriorum quando deſierit 128, i. *Aſſyriorum quanto tempore durarit* 82, f. *Athenienſium quando cœperit initium* 91, i. *Athenienſium quando deſierit* 135, i. *Corinthiacum quando cœperit* 117, f. *Gothorum quando deſierit* 220, f. *Jeroboami, regnum Iſraeliticum quando dici captum* 122, f. *Iſraeliticum à Saule ablatum Davidi confertur* 118, i. *Iſraeliticum in Samaria finem capit* 129, f. *Iſraeliticum quando diviſum* 122, m. *Judah inſtauratum* 168, i. *Judæorum quando deſtructum* 136, m. *Lacedæmoniorum quando defecerit* 129, i. *Lacedæmoniorum quando habuerit exordium* 117, f. *Latinorum regnum Romanorum poſtea vocatum eſt* 115, m. *Laurentum à Latino rege Latinorum nominatum eſt*, ib. *Laurentium quando habuerit initium* 102, m. *Lydorum quando cœperit* 129, i. *Macedonicum quando inchoatum fuerit* 128, i. *Menelai juxta inſulam Cytheram* 106, f. *Menelai Lacedæmonia dictum*, ib. *Neapolitanum conturbatum* 298, f. *Perſarum tranſit ad Græcos* 154, i. *Ptolemæi, qui filius Lagi fuit, cur ſæpe regnum Græcorum vocetur* 160, f. *Scytharum, quo tempore cœperit* 82, i. *Sicilia Carolo de Duratio per Urbanum Papam collatum* 297, m. *Siciliæ per Papam ad Gallos tranſlatum* 281, i. *Sicyonium à rege Sicyone dictum* 68, f. *Sicyonium poſt quot annos ceſſarit* 116, f. *Syriæ à Seleuco Callinico obtentum* 163, m.
Reguli & Subreguli veterum German. 686, i.
Regum trium corpora Coloniam tranſlata 385, i.
Rhegienſis Epiſcopus Grimoaldus 733, m.
Rhemi expugnantur ab Ottone M. 651, m.
Rhemenſes Archiepiſcopi Sculfus, Hugo, Artaldus 695, i.
Rhemenſis Synodus 451, f.
Rhemis occiſus Albertus Epiſc. Leodienſ. 385, m.
Reimundus Epiſcop. Mindenſ. 561, m
Reinaldus Archiep. Colon. 455, i. *moritur Romæ*, ib.
Reinardus Bolonienſ. Comes 388, f. *ſenior Comes Gubernator Gelriæ* 396, m.
Rein fl. hodie der Reyen 698, f. 655, m.
Reineveldæ cœnob. 507, m. 529, f.
Reinebeke monaſter. 512, i.
Reinenberg *caſtrum ædificatum* 564, m. 565, m. *Epiſcopo Mindenſi acquiſitum* 570, m. *recuperatum* 566, i.
Reinhardus Epiſc. Halberſtad. moritur 453, m.
Reinholdus, Comes &c. occiſus 454, f.
Reinholdis Tiderici uxor 681, f.
Reinoldsberg 510, i.
Reinſtein *unde dictum* 794, m.
Reiniſtenius Comes Henricus 784, m. - - *Comitatus ceſſit Ducib. Brunſuicenſib.* 794, m.
Reinoldus Colonienſis Archiepiſcopus 271, m. 505, m. 385, i. *Cancellar. Hildeſienſ.* 454, m. *Dethmerciæ Comes* 506, m. *Gelriæ D. primo* 400, m. 423. *Naſſoviæ & Gelriæ Com.* 443, m.
Reliquiæ S. Eraſmi 308, i.
Reliquiæ Gervaſii & Prothaſii quando repertæ 210, m. *Marci ubi conſerventur* 69, i. *Meinolfi per mulieres abſcondita* 329, m. *Sanctorum quorumcunque* 256, f. *Stephani Hieroſolymis Romam adductæ* 218, m. *Viti* 318, m.
Rembertus à Kerſenbruch Epiſc. Paderborn. 369, m.
Remus Aventinum montem occupat 130, i.
Requies Dei quid ſibi velit 63, i.
Res Gothicæ per Jordanem epiſcopum deſcriptæ 67, f. *Ottonis Italica* 251, m. *per Longobardos geſta, opera Pauli Diaconi deſcriptæ ſunt* 69, m.
Reſponſum Friderici Imperatoris ad Imperatorem Græculum decens 274, m. *Hyrcani argutiſſimum* 163, f. *Jaſonis ad Medeæ orationem* 104, m. *Imperatoris ad Regis Galliarum epiſtolam* 277, f. *Pyrrho datum* 161, m.
Reſurrectio à Severianis negata, 228, m.
Retharius epiſcopus Paderbornenſis damnum Paderbornæ vaſtatæ reſarcit 252, f. *moritur* 256, i.
Reticentia ſchema Rhetoricum 802, i
Rex, Daniæ cliens imperii fit 268, f. *Daniæ imperatori gladium præfert*, ib. *Franciæ moriens filium relinquit mox inſanientem* 316, m. *Hungariæ ad Chriſtianiſmum adductus* 259, m. *Hungariæ reginæ Sicilienſi infenſus* 297, m. *Perſarum è parte Trojanorum perit* 105, f.
Rhadagiſus Gothus 211, f.
Rhadamantus, Lyciæ rex 99, m.
Retharius Padelb. Epiſcop. moritur 450, f.
Rhetbergenſis Comes Otto, Epiſc. Monaſter. 395, i. *deponitur*, ib. m. *obit*, ib.
Rhetia I. & II. ubi ſita 69, i.
Rethra metropolis Riadurorum 683, i.
Rhea 128, m.
Rhede 292, i.
Rhegium 69, f. 162, i.
Rhenus 66, f. 67, m. & f.
Rhodanus 72, m.
Rhoede opp. 370, m.
Rhode 405, m.
Rhodii 77, m. *Lauenrodii &c. Dynaſtæ* 441, m.
Rhodus 71, f. 229, m.
Rhotus Danorum urbs, Normanniæ Rothomagus 695, m.
Ricbertus Dreilebius 122, m.
Richardus Angliæ rex infortunatus 275, i. *captus* 520, m. 448, m. 385, m. 416, m. *Imperator eligitur* 390, m. *Cornubiæ comes* 281, i. *Imperator* 511, f.
Richarius Abbas Magdeburgenſis 734, f.

Richeidis ux. Widechindi Com. Hojenſ. 534,f.
Richenbergenſis Eccleſia 453,i.
Richenſa,Lotharii Imp. filia 524,f. Gebh. Querfurtenſ.uxor 523, i. Auguſta moritur 453,f.
Richimerius 217,i.
Ricvvinus occiditur 691,m.
Riddagi Diploma 477,m.
Riddagshuſenſ. Eccleſia 532,m.
Riga fundata 508,i. 530,i.
Rikinburgum 739,m.
Rickesmelenſe caſtrum 396,m.
Ringelheimenſium Comitum inſigne.
Ringelheimenſis monaſterii conditor 681,f.
Ringovv 625,i.
Rintelenſe monaſterium 509,m. 512,m.
Ripenſis Eccleſia 749,m.
Riphæi montes 65,m.
Riphan 77,m.
Ῥιφὰ 65,m.
Rigor epiſcopi Paderbornenſis adverſum monachos effrenes 333,f. Ottonis Imperatoris in delictis puniendis 249,m.
Riſus Zoroaſtris jam naſcentis portentoſus 83,i.
Ritterbrugh palus 574,i.
Ritterſchafft 413,m.
Rivius (Joh.) Attendor. 421,m.
Rixnerus fabuloſus ſcriptor 509,i.
Robertus, aliàs Clemens, antipapa 519,m. moritur 316,m. Sacerdos Suſatenſis, apoſtata 289,f. Archiep. Colonienſ. captus 573,m
Robertus Bavarus, Imperator eligitur 520,m. Calabriæ D. 367.
ap. Rob. Gaguinum corrupta pleraq; rerum vocabula 447,m.
Rob. Hungariæ Rex 367,f. Henrico Luzenburgico Imperatori reſiſtit 397,f.
Robertus Scholaſticus Soſatienſis obit 366,m.
Roboamus 122,i.m. & f. 123,m. 127,f. imprudentia ejus 379,m
Rocka caſtrum 202,m.
Rode quid ſignificet 448,f.
Rode obſidetur 401,f.
Rodenberge caſtrum 520,m. fundatum 515,m. renovatum 519 i. 572,m.
Rodenborgenſis Dux obit 455,i.
Rodenburgica præfectura 1,m.
Rodolfus Halberſtadenſ. Epiſc. obit 453,f.
Rodolfus Rex Ottoni S. Innocentium transmiſit 740,f. 741,m. D. Saxoniæ captus 520,i. 547,m. Sleſvicenſis Epiſcopus 561, i. 498,f.
Roma 69,m. 130,f. 140,i. 150,m. 213,m. 216,m. & f. & ſeqq. occupata à Ladislao R. Neapol. 13, i. an Caroli M. tempore ſubjugata 522,f. 497,m. Leonina capta 382,f.
Romaldus 229,f. 230,m.
Romandiola 70,f.
Romani 110,i. 130,f. 147,f. 151,f. 160,f. & ſeqq.
Romanum imperium de Græcis ad Germanos translatum 240,i. in Auguſtulo ceſſat 217,f.
Rombilda libidinoſa 227,f.
Romuli Deificatio credita, non facta 130,f.
Romulus 128,129, &c.
Ronneberg an Tenneberg 668,m.
Rorbeccenſis Burggravius Thiadmarus 676,m.
Rosburg 748,i.
Roſimunda 222,i.
In & de Rosla, nobilis familia 772,m.
Rosla (Henricus) 791,f. 795,i.
de Roſtorpe Epiſc. Mindenſ. 566,m.
Rosvvitha Abbatiſſa Gandershemenſ. docta 706,m. Poëtria, Saxonica, non Anglicana 706,i. Helena à Roſſovv vocata, ib. teſtimonia Doctorum de illa 707,m Græcæ L.gnara ib. f.
Rota aratri portata ignominiæ ergo 686,f.
Rote, ſecta 437,i.
Rothardus 249,i. Archiep. Mogunt. obiit 452,f. Abbas Corbeienſ. 756,f. libri ejus, obit 760,m.
Rotharisdorp 741,m.
Rotharius 230,i.
Conradus de Rothen Limbere 441,m.
Rothefridus 254,f.
Rothomagus obſidetur ab Ottone M. 651,m.
Rotho 260,f.
Rotta, arx 12,m.
Rotta ficta, caſtrum 15,f.
Rotvvigis Comes 728,m.
Roxane 154,m.
Ruani 658,m.
Ruben 87,i.
Rubilocenſis Epiſc. Reginoldus 733,i.
Rucia eadem quæ Dania 66,f.
Rudolphus, Burgundiæ Rex, obit 663,m. ejus conjux & liberi 704,m. Cancellarius Ottonis M. 750,m. Burgundiorum D. Saxon. tyrannus 382,f. Epiſcopus ſubſcripſit in Synodo Ravenn. 733,m. de Havekesborg Sueviæ Comes eligitur Imperator 390,f. obit 393,m. Franciæ Rex 644 m. litigat cum Heriberto Comite 684,m. Marchio occiſus 453,f. de Meinhovele 389,m. Suevorum D. Anti-Imperator 451,f. 452,m. occiditur, ibid. Franciæ Comes, Wirzburgenſ. Epiſcopus 674,f. removetur, ib. Habsburgenſis 281,m. Lotharingius 247,i. Suevus Pſeudorex 262,f.
Ruden Weſtphal. oppidum 394,i.
Ruenthalii Dynaſta 411,i.
Rugia 158,m. recipit fidem Chriſti 557,m. inſula Corbeienſibus data 755,m. veteres coloni 699,m. eorum ſuperſtitio 758,m. repellunt Evangelium 734,f
Rugiani, Ruani, Rani, iidem 699,m.
Runäina 743,m.
Runibergum, Ronneberg 668,m.
Ruordhardesdorp 747,m.
Rupertus Bavarus 288,i. m. & f. Epiſcopus Paderbornenſis 314,i. Archiep. Trevirenſ. 642,m. 681,f. Epiſcop. Feltzenſis 733,i.
Rupes amatoris 375,m. 399,f.
Rufinus 210,f.
Ruſchenberg 399,m.
Rutgerus de Altena condit Nienburg 395,m. dapifer 393,f. officii ſui rationes reddit 396,f.
Rutus, Cancellarius Ottonis 752,m.
Rutgerus dictus Vretel de Svvaneboten 393,i.
Rutha 118,f.
Ruthardus Argentin. Epiſc. 690,m.
Ruxnerus (Georg.) Trojaminum ſcriptor exploditur 758,m.

S.

Sgeminum ante tempora Auguſti pro Z ſcribi ſolitum 74,f.
Saba 65,m.
Sabai 77,i.
Saccum, prædium 747,m.
Sabaoth 62,m.
Sabata 77,i.
Sabatani, ibid.
Sacerdotes, Baalis 124,f. & Levitæ Jeroboami, in regnum Roboami commigrant omnes 122,f. Philiſtinorum ob Dagonem collapſum, crucifiguntur 117,m.
Sacerdotium à Domo Helis ablatum 116,f. Hieroſolymitanum ſub Hyrcano defecit 140,f.
Sacrilegii vindicta 258,f.
Sacra Priapi 123,m.
Sacramentum altaris quo loco per hæreticos quosdam ſit habitũ 336,f
Sacri belli hiſtoria à quibus deſcripta 363,i.

Digitized by Google

Sacrificium quando, teſte Auguſtino, rectè fiat 114, m.
Sadai 62, m.
Sadducai 147, i.
Sadocus quo tempore prophetarit 122, m.
Sævitia Simonis & Johannis ducum Hieroſolymitanorum 184, i.
Sagittarius quidam monſtroſus 107, f.
Sagmar 102, i.
Saguntini 164, m.
Saguntum, ib.
Sahs, cultelli, Saxonum linguâ 630, i. 667, m.
Sala 76, m.
Salæ deſcriptio 414, i.
Salis fontes Todeslevenſes 504, i.
Saladinus 274, f.
Salahadinus Turca 385, i.
Salandria 252, i.
Salathiel 136, m.
Salaveldum, Salvelden 652, m. 696, m. 645, f.
Sale 77, i. 86, m.
Sale corpus defuncti conſperſum 383, m.
Salem 84, f.
Salentinus Iſenburg. Com. Epiſc. Paderb. 369, m.
Salernum 69, f.
Salernitani Auguſtam detinent in cuſtodia 432, f.
Salluſtius 169, i.
Salmana 73, f.
Salmanaſſar 129, f.
Salomonis opes quantæ 121, f.
Salmon 121, 122, 123.
Salmenſium Comitum Genealogiæ ſcriptor exploſus 758, m.
Salome, ſoror Philippi Archiep. Colon. 507, m.
Salus 65, i.
Samaria 65, f. 124, i.
Samaritæ 76, f.
Samaritani & Deum verum & falſos ſimul honorant 129, f.
Sambſtag 81, f.
Samnia 70, m.
Samnites 151, f. 161, i.
Samnium 70, m.
Samogitæ Chriſtianam fidem amplexi 36, m.
Samothracia 90, i.
Sampſon 115, 116. & ſeq.
Samuel 117, 118. & ſeq.
Samus 72, i.
Sanblaſianum templum Brunſuigæ conditum 429, m.
Sanctio de jejunio ſervando 264, m. *Leonis Papæ pia* 254, i.
Sanctorum omnium feſtum inſtitutum 557, m.
Sangeorgianum cœnobium fundatum 414, i.
Sanguis è fontibus compluribus Romæ ſcaturiens 162, f. *in flumine Picenæ viſus* 164, i.
Santersleve 497, m. 521, f.
Santerslevienſes nobiles 497, i. m. *Dynaſtæ ex Walbecenſibus Comitibus promanaſſe videntur* 522, i.
ad Santvort ſylvam prælium 566, f.
Sapiens Stoicus triſtis eſſe nequit 142, f.
Sapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum 151, f. *Salomonis quanta* 122, i.
Sara 85, m. & ſeqq.
Saracho Abbas Corbei. 756, f.
Saraceni 86, 217, 228. & ſeqq. *eorum legati ab Ottone recepti* 659, f.
Sarcaſmus Juliani 207, i.
Sarcophagus 88, m.
Sardes 152, i.
Sardanapalus à Medis ſubactus 128 i. *de victoria ſui tantum ſentit dolorem ut ſe comburat ipſe*, ibid. *inter ſcorta colum tractat*, ib. *muliere corruptior* 109, i. *rex Aſſyriorum poſtremus* 127, f. *voluptuoſiſſimus*, ib.
Sardinia 72, m. *abſinthio abundans mel facit amarum*, ib. *inſula à Corn. Scip. capta* 162, f. *inſalubris aëris* 40, m.
Sardus 72, m.
Sarepta 124, f.
Sarmatæ 77, m.
Sarſtede *oppid.* 572, i.
Saroas 153, m. & f.
Sarpedon 99, m.
Sarug 82, i.
Saſſen 158, f. & 159, i.
Saſs ibid.
Saſſen, id eſt, novacula cæſariem radere 667, m.
Saſſenhagen 514, i.
Saturnus 68, f. 78, m. *ejus ſimulacrum* 660, m.
Saulus 117. 118. & ſeqq.
Saxa, cithara Amphionis emollita 102, m.
Saxe 159, i.
Saxones, unde orti 311, f. 666, m *à Thuringis terram emunt* 529, m. *minimè leves* 364, m. *priſci non habebant regna perpetua* 669, f. *Francorum ſocii* 634, i. *trifariam diviſi, in Orientales, Angarios & Weſtvalos* 634, i. *rebellantes invadit Henricus IV.* 382, f. *in Friſia cæſi* 454, i. *ſuccenſent Conrado I. Imperatori* 635 m. *à Britannis in auxilium vocati* 215, m. *à Gallis Burgundiones appellati* 208, m. *à Karolo M. rege Francorum ſubacti* 670, m. 67, i. 671, m. *à Macedonibus oriundi* 159, f. *à Marpeſia Saxo vocati* 109, m. *à Valentiniano debellati* 158, m. *apoſtatæ* 237, f. *aquatici* 160, m. *cæduntur à Suevis* 222, f. *cultellos longos ſoliti portare* 159, i. *cum Longobardis ingrediuntur in Italiam* 221, m. *cur à cultellis acutis ſint appellati* 159, i. *Francis adſcitis Gallos vexant.* 198, i. *in Britannia Chriſtiani facti* 226, m. *in Germaniam quando venerint* 158, m. *ita ſimpliciter vocati, quinam videantur* 160, m. *Italia relicta domum redeunt* 122, f. *occupant Burgundiam* 208, m. *orientales Chriſtianiſſimum amplexi* 237, i. *& ita baptizati* 238, m. *per Druſum Tiberiumq́, victi* 175, i. *per Valentinianum oppreſſi* 208, m. *qualis populus* 158, m. *rebelles capite plexi* 238, m. *urbem Schidingen capiunt* 159, m. *Thuringos cultellis invadentes, principes eorum omnes interimunt* 158, f. *unde in Saxoniam venerint*, ibid. *vincere volunt aut vivere nolunt* 632, i. *Ungaris tributarii* 558, m.
Saxonia 66, f. 67, i. 158, m. 247, f. *nova ſ. orientalis* 555, f. *occidentalis, ſive Weſtphalia* 497, f. *ab Ungaris vaſtatur tempore Ludovici* 682, i. *bis vaſtata eodem tempore* 635, m.
Saxoniæ, hoſtes tempore Ottonis I. 647, m. *Dux primus non fuit Hermannus Billingus* 444, m. *Ducum poteſtas omnis olim à Regibus Francicis dependebat* 673, m. *Marchionum origo* 697, f.
Saxoniam peſtilentia vaſtat 8, i.
Saxonum diſtinctæ gentes 160, i. *infelix in Daniam expeditio* 634, m 672, m. *cum Thuringis prælium* 631, m.
Saxonicæ leges antiquæ, ubi reperiantur 670, i. *gentis ordines* 669, f.
Saxonici ſpeculi interpres 322, m.
Scanzia 109, m. 217, m.
Scaurus 169, f.
Scelera Johannis Papæ 250, m.
Scermbek Dynaſtia Saxoniæ 704, m.
Scæ'e 22, i.
Schalkenberg 535, i. 524, m.
Schardius laudatus 3, m.
Scartfelde, Dynaſtia Saxon. 704, m.
Schaten (Nicol.) Jeſuita 763, m.
Schauenburgenſium Comitum, genealogia plenior 540, m. f. *familia quando extincta* 401, m.

terræ quibus ceſſerint 491, m. *Comes Gerhard, cæcus dictus*, 541, i.
Scheninga opp. 444, i.
parvum Schepenſtede 532, m.
Scherſax, novacula 667, m.
Schidingen 159, m. *antiqua urbs* 647, i. 690, m. 668, f.
Schidra, Schir 683, m. *Epiſcopatus translatus Froſam* 683, m.
Schildeſe 249, i.
Schildovve 287, i.
Schirenſium Dynaſtarum origo 697, f.
Schinna cænob. fundatum 562, m.
Schiſma 263, i. 275, m. 295, f. *inter Urban. II. & Wicbertum tollitur* 41, f. *Papale* 547, m.
Schlottelberg *caſtrum ædificatum* 567, m.
Schola, extra monaſteria olim in Germania non fuerunt 624, i. *Oſnabrugenſes à Carolo M. aperta* 555, f.
Schonaugienſis Abbatiſſa Eliſabetha 352, m.
Schonenburg caſtrum fundatum 497, f.
Schonenburgenſium Comitum origo 497, i. 521, m. *non ex Holſatis, ſed Holſatorum origo ex illis* 498, i.
Schonenburgenſ. Comitatus & Holſatiæ diviſio 514, m.
Schonenb. Comes Adolphus Stornbergenſe caſtrum recuperat 520, f.
Schvvartenbergenſe caſtrum munitum 379, i.
Schwarte Grete *Regina Daniæ* 513, f. *capta* 538, i.
Sciderenſis Eccleſia 554, m. 556, i.
Scoënberg Dynaſtia Saxon. 794, m.
Sconougia 200, m.
Scientia Ægyptiorum 90, i.
Scipio Africanus 165, i. *frater Scipionis Africani* 164, m. *minor* 167, i.
Sclaomir Obotritorum rex 690, m.
Sclavi, quales homines, & ubi 647, m. *Ucri, in Marchia* 699, i. *Danum quendam crucifixerunt*, 504, f. *ab Henrico Aucupe victi* 640, m. 684, m.
Sclavorum Rex Lubecæ fuit 498, m.
Sclavorum principum ſtirps defecit 498, m.
Sclavonia 67, f. 68, i.
Scomma, per Gymnoſophiſtas in Alexandrum M. jactatum 155, m.
Scopas 166, i.
Scorpiones per gentes pro diis culti 78, f.
Scotia 71, m.
Scoti oppugnantes Anglos, vincuntur, 43, m.
Scrapelovia Comitatus 794, m.
Scribendi modus Judaicus repertus 146, f. *Stilus* 88, m.
Scriptores antiqui, licet circa terrarum deſcriptionem diligentiam magnam adhibuerint, provincias tamen Germaniæ præterierunt, 66, f.
Scripturarum ſacrarum Editio ſexta, ubi & quando reperta, 193, m.
Scuta duo ſanguine manantia 164, m.
Scyphus Saulis potorius, per Abiſain & Davidem aufertur 120, m.
Scythæ 77, m.
Scythia 65, f. 66, f.
Sebaſtia 124, i.
Secta flagellantium 285, f. *nova in Italia exorta* 287, f.
Secta Judæorum 147, i. *Philoſophorum diverſæ* 142, f.
Seculum aureum 175, f.
Securis dictus Henricus 508, i. 530, m.
Sedechias 137.
Sedemunde *villa* 513. *ibi prælium* 565, m.
Sedes Romana 192, i.
Sedilia per quem primum excogitata 103, m.
Seditio Hieroſolymis mota 179, m. *in regno Paphlagoniæ, poſt bella Trojana facta* 68, f. *Iſraelitarum adverſus Moyſen & Aaronem excitata* 93, m. 95, m. *propter ſtipendia, militibus ſolvenda, exorta* 305, f.
Seditioſos cives compeſcens edictum revocatur 403, m.
Sedorp 744, f.
Segeberg *muro cinctum caſtrum* 500, m. *ceſſit Adolpho Schonenburgico*, ibid. *inſigne ſingulare Holſatiæ Ducum* 517, m.
Segelhorſt, Eccleſia fundata 558, m.
Sehon, R. 96, i.
Sehuſen 728, m. 750, m.
Selandia 70, f.
Seleucia Iſauria 161, i. 190, f.
Seleucus Callinicus 163, f. *Ceraunus*, ib. *Nicanor* 160, f. 161, i. 162, f.
Selibur, ſubregulus 660, m.
Seligenſted, *poſtea Oſtervvik* 554.
Seliland 727, f.
Sella 73, f.
Sella in ignominiam portata 686, f.
Sellunius 128, i.
Sem 74, f. 84, f. 87, f.
Semegad 102, i.
Semele 100, f.
Semiramis 83, f.
Semmaus, fortium Davidis heroum unus 120, i.
Sempronius 165, m.
Senates ſeu nuntii 7, i.
Senatores 130, m.
Senda, foreſtum 360, m.
Seneca 179, f.
Senez, qui & Othoniel 99, m.
Senior, id eſt, Dominus 668, i.
Seniorum conſilia audienda 379, m
Sennaar 76, m.
Sennacherib 124, i. 130, i. 131, i.
Senogallia 150, m.
Senones, ib.
Senſus heroes 788, f.
Sententiæ ſacræ cur libris Platonis alicubi ſint inſperſæ 148, f.
Sephora Moyſis uxor 91, m.
Septemviri Electores 253, m.
Sepulcrum Imperatoris Valentiniani Andernaci detectum 272, i.
Serapis 152, m.
Seres 77, m.
de Sermeto oppidum 398, f.
Serovitus à Pomeranis cultus 682, m.
Serpens æneus 95, f. 131, i.
Serpens in Paradiſo virtutis cognitionem induxit 228, m. *magnitudinis miræ per M. Att. Regulum occiſus* 162, i.
Serpentes carminibus è cavernis extrahuntur 96, m. *igniti multos Iſraelitas interficiunt* 95, f.
Serug 82, i.
Servius Tullus 136, m.
Servi Senacheribi in Deum blaſphemi 131, i.
Servitus Abrahamitarum Ægyptiaca Abrahamo divinitus præmonſtrata 85, i. 89, f.
Servus, ne ad clericatum admitteretur, Zoſimus ſanxit 218, m.
Seſacus 123, i.
Seth 73, f. 74, i.
Sethiani 228, m.
Sethiner 67, m.
Severiani 228, m.
Severinus Papa 231, m.
Severus Sulpitius hiſtoricus 210, f. *Tripolitanus* 191, f.
Seulfus Archiepiſcopus Remenſ. 695, i.
Sextus Tarquinius 144, m.
Sibylla Cumana quando claruerit 132, m. 133, f. *Erythræa Cumana quoque dicta fuit* 132, i. *Erythræa quando claruerit* 131, i. 132, i. *Samia quando floruerit* 132, m. 135, m. *Sibylla Samia Sami nata* 72, m.
Sibyllarum oraculis quantum tribuendum 133, f.
Sibyllæ quot fuerint & unde ortæ 131, i.

131, i. unde dicta, ibid.
Sichema 87, m.
Siccitas annorum III & menſium VI ſub Elia 124, m. magna 226, i.
Sichem Epiſc. Florent. 733, m.
Sicilia 72, m. à Ladiſlao poſt depulſum Ludovicum Andegavenſem, obtinetur 6, i. Imperio German. adjungitur 385, m. à Manfredo detenta 390, f.
Siciliæ hæres Maria 478, i.
Sicyon rex Ægialeorum XIX, 101, f. rex Arcadiæ 68, f.
Sidera ſine Dei voluntate nihil operantur 78, f.
Sidon 77, i.
Sidon urbs 151, i.
Sidones 77, i.
Sidus gladio ſimile ſuper Hieroſolymis in cœlo apparet 185, m.
Sifridus de Weſterborg 390, f. Archiep. Colon. capit Juliacum 391, m. multa oppidula obligat pro liberatione ſua 393, m. obit Brunnæ ſepultus 394, i.
Sigeum, promontorium 105, i.
Sigebertus Abbas Paderbornenſ. 262, f. Epiſc. Mindenſ. ab Imperatore impetrat Heſterberg 160, i.
Sigevvardus Epiſc. Mindenſ. 499, i. 561, f.
Sigfridus, epiſcopus Paderbornenſis 272, f. Archiepiſc. Bremenſ. 507. Geronis F. 703, m. Epiſc. Hildeſienſ. 785, f. Comes Mersburgo-Saxonicus 703, f. interfuit Comitiis Erfurtenſibus 529, i. 643 m. 685, f. Comes obit 453, f. Comes Saxonicus 759, m. de Salderen, captus 544, f. mit der Krücken dictus, occiſus 546, m.
Sigilli ſ. Bullæ aureæ deſcriptio 476, m.
Sigismundus, Caroli IV Imperatoris filius, rex Hungariæ deſignatus 309, m. Imperator electus 331, i. Conſtantiæ Concilio præeſt, & abit 32, m. cum R. Arragoniæ agit 34, i. in Hiſpania ſummo honore afficitur 39, f. à R. Galliæ muneribus honoratur 43, m. in Sigiſmundum Imp. compromittunt Rex Poloniæ & Magiſter Bruſſiæ bellum gerentes 15, i.
Signa vexillorum, quem primum habeant authorem 130, m.
Signum Draconis ignei Dario in vexillo prelatum 153, m. Zodiaci, Gemini nominatum 106, f.
Sigulfus Epiſc. Placentinus 733, m.
Siler 69, f.
Silickhen Eccleſia fundata 558, m.
Silo 101, m.
Simeon 87, i. Monachus probus 451, i. Mindenſis Eccleſiæ fundator 563, f.
Simon, de Sternberg 281, 313, 314. Gioræ filius occiſus 182, m. 187, i. Jonathæ fratris mortem ulciſci cupit 167, f. Magus 189, m. Matathiæ frater 166, i. Oniæ patri ſuccedit 164, i. Teckenburgenſis Comes 273, i. Bergenſis Dynaſta canens moritur 542, f. Nobilis de Lippia 514, f. Dominus Lippiacus victus 166, f. ſub quo Lemgoviæ Neapolis condita 393, f. 421, m. Comes Lippiacus primus ejus nominis 541, f Epiſc. Paderborn. 366, i. 369, m.
Simon Comes Schauenburgenſ. haſtiludio periit. 518, m.
Simonia 245, m.
Simplicius Papa R. 219, i.
Simulacra aurea VII, 99, m. Se moventia à Dædalo fieri, cur dici ſolitum 103, m.
Simulachrum in Iſraele nullum 97, i. Minervæ ſolum Trojæ ſalvum manet, reliquis in templo per incendium conſumptis 150, m. non ſervat hominem, ſed illud ipſum ab homine ſervatur 111, i.
Sindgerus vel Suidgerus Bamberg. Epiſc. dein Papa 362, m.
Siniſtra (auris) audit angelum per noctem 117, i.
Sinus Adriaticus 64, m. Arabico ib. f. Balearicus, ib. m. Boſphorus, ib. Creticus, ib. Gallicus, ib. Helleſponticus, ib. Ibericus, ib. Illyricus, ib. Jonio ib. Liguſticus, ib. Perſico, ib. maris rubri Perſicus, tranſitum præbet Iſraelitis 93, i. Tyrrhenus 64, m.
Sipontini 280, f.
Sipontus 70, m.
Siricius Papa 213, i.
Sirimunci pagus 748, i.
Siſara 102, m.
Siſo eſt Sichardus 417, i.
Siſtorium Aquisgranenſe 642, m.
Sittard obſeſſum 401, f.
Situs Hieroſolymæ 183, i. templi Hieroſolymitani, ib. f.
Sixtus Papa I. 192, m. Papa II. 201, i. Papa III. 218, m.
Slavi debellati 267, m. rebellant 251, f. trans Albim oppugnantur 453, f. Lentici 413, i.
Slavia vaſtatur ab Henr. Leone 454, m.
Sleſvvick 502, i. Sliesvvigenſis Eccleſia ſuffraganea Hamburgenſis 749, m.
Sleſvvicenſes præſidium quærunt Comitis Schauenburgici 499, f.
Slutter caſtrum capitur 510, f. 534, i.
Slutterberg ib. 533.
Smyrna in Phrygia majore ſita 66, m.
Snellenberg 393, f.
Sobbo miles occupat caſtrum Limborg 394, f.
Societas S. Martini 302, m.
Socii Diomedis in aves mutati 112, m. Ulyxis in beſtias converſi 111, f.
Socrates, diſcipulos multos reliquit, quid bonum ſummum eſſet, potiſſimè ſcrutatos 148, i. falſi criminis accuſatus, venenum hauſit 148, i. in philoſophia morali excellit, ib. Magiſter Platonis, 142, f.
Sodoma 84, m.
Sodomitæ 85, m.
Sodomiticum peccatum 85, m.
Sœgor, ib.
Sogdianus 147, f.
Sol 78, m.
Sol Apollo vocatus, quod ei conſecratus eſſet 80, f. cum luna pugnat 164, m. die IV. factus eſt 63, i. gradibus X. in Zodiaco, ad votum Ezechiæ, retroceſſit 134, m. incantamentis Aodi tempore nocturno oſtenſus 102, f. obſcuratus 324, f. planeta IV. 80, m. Soles III. Romæ apparentes 172. m.
Soltovius Epiſc. Verdenſis captus, 547, m.
Soltvvella 538, m.
Somor mons, unde Samaria dicta, videtur 123, f.
Sommerſchenburgia Palatina Saxonica Adelheida 437, i.
Somnium Andromachæ 108, m. Aſtyagis de Cyro nepote 139, i. Calpurniæ Cæſaris uxoris 172, m. Jacobi 86, f. quoddam ſatis mirum 113, m.
Sonnenavend 81, f.
Sophia, Juſtini Imp. uxor, Narſem nuncio probroſo perſtringens, vehementer offendit 221, m. Marchioniſſa obit 454, f.
S. Sophiæ viduæ reliquiæ 562, f.
Sophiſtæ ante Pythagoram qui fuerint 142, m.
Sophronia martyr 201, m.
Sorec, vallis 116, i.
Soſares 101, f.
Soſarmus 104, f. 128, f.
Soſibius Tarentinus 162, i.
Soter, ib. f. 102, f.
Spangenbergii error circa Keſernbergios 415, i.
Sparametus 91, i.

Sparta quando condita fuerit 89, f.
S. Specioſæ Virginis corpus reliquum 563, i.
Spectrum diabolicum 265, m.
Sperare, pro, metuere 796, m.
Speuſippus moritur 151, f. poſt mortem Platonis Academiam tenet, ib.
Spharus 90, i.
Spica cruenta cum pluviis cruentis in corbem lapſa 164, f.
Spiræ ſepultus Henr. IV. & V. Imperat. 383, i. m.
Spirenſis Epiſcopatus ſecundi fundatores 362, i.
Spiritualia ſola (quod Manes opinatus eſt) à Deo facta 197, f.
Spiritus Dei ferebatur ſuper aquis 148, f. malus Saulem vexat 118 f. mali num ſemen humanum aliunde abreptum, mulieri prurienti infundere queant 128, f. mali præſtigiatricum pronunciant Davidem regem Iſraelitarum fore 119, i. quando videantur facti, ib. i.
Spoliantis receptor ſpolium reſtituit 378, i.
Sputinesburg, urbs 745, m. 748, m.
Stada à Kanuto oppugnata 507, f.
Staden, Dynaſtia Saxoniæ 794, m.
Stadenſis Comes Lotharius 683, m. ager ab Henrico Palat. Rhenı poſſeſſus 532.
Stadenſium Marchionum vetus familia 699, m.
Standhardum, quid vocabuli 420. derelinquentes 392, f.
Stangevolii (Herm.) Annales circuli Weſtphalici 411, m.
Stargarda, Cranzio, Rethra veterum 683, i.
Statlandi 533, f.
Statua Jovis, in templo Judæorum collocata 179, i. Nabuchodonoſori per ſomnum viſa 138, m. Leonis fuſilis Brunſuigæ, & alibi in Weſtfalia erecta 484, m.
Statua num Romam ire vellet interrogata, ſe ituram reſpondet, 150, i.
Statuæ Herculis duæ, quales, quantæ, ubi poſitæ 155, m. &c. Herculis per Alexandrum M. dejectæ, ibid.
Statutum Paderbornenſe, oblationes exequiales concernens 286, f. 289, m.
Stederburgum, monaſterium 444, f. à quo & quando fundatum 445, f. 688, f. olim urbs 645, f. dedicatur 455, m.
Stedingi, quinam, ubi habitaverint 533, f. rebelles 510, m. interfecti ut canes 511, m. fœdus cum illis 532, f. contra illos crux prædicatur 532, f.
Steinberg, caſtrum exſtructum 588, i. Eccleſia ibi fundata, ib. m.
Steinheim 338, i.
Steinwede Comitatus & Dynaſtia 538, m. ubi ſita 539, i. acceſſit Epiſcopatui Mindenſ. 565, m.
Steinvorde 387, f.
Stela villa 644, m. 688, i.
Stella è Jacobo oritura 97, m.
Stellæ omnes in Jove uno coli ſolitæ 80, m.
Stendal opp. 566, i.
Dn. de Stenrode 518, m.
S. Stephani cœnob. Corbej. 755, i.
Stephanus Rex moritur 451, m.
Steph. Papa moritur 451, f.
Sternberg, Comitatus 547, f. ejus caſtrum capitur à Comite Ravensberg. 520, f. Adolphus Comes Schonenb. recuperat. ultimus Comitum Sternbergenſium Johannes 519, m.
Stertinium acumen 788, f.
Stide, in Dominio Comitum Suvalenbergenſium 737, m.
Stæchades inſulæ 72, m.
Stoici animam cum corpore perire dixerunt 142, f.
Stoineſ, Stoigneus 699. Ucrorum Dux in prælio occiſus 703, m. 658, f.
Stormwald 559, m.
Strabus 242, m.
Straßburg 206, i.
Stramenta modificata 658, i. 669, m.
Strategema Joſippi 180, m. Turcorum 287, m.
Stramuli mons quidam ſic vulgo dici conſuetus 72, m.
die Streitheide ad Tremoniam 686, m.
Strunkede caſtrum 398, f.
Studium Bononienſe, per Theodoſium juniorem privilegiatum 214, m.
Stultus ſolus Stoicis eſt triſtis 142, f.
Stormold & Marienborg / caſtra 515, f.
Sturovv 520, m.
Stuvvey, villa 502, f.
Styria 67, f.
Sualenberga 273, f. 556, m. Comites olim celebres 547, f. eorum familia 531, i. poſt Lippienſes 737, m. Guntherus Com. Suvalenb. Archiep. Magdeb. 422, i.
Suvantevit Rugianorum idolum, 758, f.
Suarcenburg. C. Dux factionis tribulariæ 368, m.
Suvartius (Caſp.) Patricius Tremonienſis 376, m.
Suvartenberg caſtrum quando & à quo conſtructum 395, m.
Sublestus, infirmus 794, f.
Subſcriptiones rubræ Imperatorum 476, m.
Subreguli, veterum Germanorum 686, i.
Subſtantivum loco Adjectivi poſitum 788, f.
Sudare terra viſa 454, i.
Sudolf 742, m.
Suederus Zuentepolci filius 498, m.
Sueno interimit Waldemarum 454 m.
Suennus 259, i.
Sueo binomius fuit 525, f.
Suentibaldus 244, m. Arnolfi Cæſaris F. 675, i.
Swendifeld / Suvalem, rivus 500, m.
Suerinenſis, urbis inſigne 484, f. Comes primus Guncelinus, ejusq; familia 446. Adolph. & Henricus 510, i. Epiſcopus veneno tollitur 488, f. Henricus captus 509, m. ejus pater 532, m.
Suverte villa 388, i.
Suevi, Caji Julii Cæſaris tempore partes Alemanniæ ſuperioris quaſdam tenuerunt 160, m. in Germaniam veniunt, ib. unde dicti, ib. 352, m. Tranſalbini 634, m. in Halberſtadenſi diœceſi 670, m.
Suevia 67, f. 69, i.
Suevorum Dux Burchardus 656, m.
Suevus mons 160, m.
Suvile pagus 504, f.
Suffridus Petri alicubi non meretur fidem 356, m.
Suidgerus Papa obit 451, f.
Suidigerus, epiſcopus Bambergenſis 261, f.
Suithleiſeranne, urbs 657, f.
Sulcia Luneburgenſis & Todesloenſis 504, i.
Suldorp 741, m.
Sulpeke, opp. 409, m.
Sulpize, civitas 753, m.
Sulza, inſula, ex qua Gothi 634, f. 673, m.
Sumptus in liberationem Papæ Urbani impenſi 308, i.
Sundervvald ſylva ad Hildeſ. 559, m.
Sunnavend 81. f.
Sunnentag, ib. i.
Sunno Francorum ſubregulus 686, i
Suppellex Salomonis ex auro erat 121, f.
Supputatio Hebdomadarum Danielis

Digitized by Google

nielis & multiplex & diverſa 140, f.
Sur, deſertum 93, i.
Sus, loco dimidia pilorum partis lanam habens, Nomenclationem Mediolano dedit 150, f.
Suſa 146, f.
Suſanna, adulterii accuſata, liberata 138, m.
Suſatum Marcæ urbs primaria 441, i.
Suſatenſe jus 670, i.
Suſatenſes cum Comitis Clivenſis capitaneo colludunt 332, f. epiſcopi Paderbornenſis captivi, ceteris honeſtius tractati, ib. diffidant Comitem Marcanum 395, f.
Suſatenſium colluſio cum Comitis Clivenſis Capitaneo 332, f.
Suſle, pagus 500, f.
Sutberchen 257, f.
Suthuringia, pagus 743, m.
Sylva Welphonis 267, m.
Sylvani 128, f.
Sylverius, per Beliſarium pontificatu depoſitus, & relegatus, mortuus eſt 225, i. vi Papa factus 224, f.
Sylveſter Papa R. 212, m. 254, f. Magiæ ſuſpectus 360, m.
Sylvii, Latinorum reges ex quo tempore & quare, cognominati 113, m.
Sylvius, ab Aſcanio hæres regni Latini relictus 116. f. unde Sylvius fuerit vocatus 115, m. Latinus quando regnum ſit exorſus, & quandiu regnarit 119, f.
Symbolum habentibus facilis eſt tranſitus 6, f.
Symmachus exconſul, à Theodorico Ravennæ gladio feritur 220, i. librorum ſacrorum, quæ Biblia dicuntur, interpres 101, f. Papa Rom. 224, i.
Synodus, Conſtantienſis confirmata 330, f. Colonienſis 557, f. Ingelheimenſis 702, f.
Synodus Conſtantinopolitana 211, m. 212, f. 231, m. Moguntina 451, f. Nicena 203, i. Noviomagenſis, 259, i.
Syracuſa in Italia condita 134, m. per Marcum Marcellum invaſa 162, f.
Syri 76, f. 77, f.
Syria, ab eodem, quo Siri nominata 65, f. per Romanos ſubacta 168, f. tota per Ochum Perſarum regem, vaſtata 151, i.
Syrus 77, f. quidam Pſeudo-Chriſtus 233, f.
Συσκηνή, quid 788, m.
Syſtrat obſidetur 328, f.

T.

Tabamuizil Rex Obotritorum, 690, m.
Tabernacula Jacobi pulchra 97, i.
Tabernaculum pro arca Domini in Silunte 111, f.
Tabulæ novæ per Moyſen exciſæ, & ad Dominum in montem, prout priores allatæ 94, m.
Taciani, qui & Encratitæ 228, m.
Taciti (Corn.) V. libri Annalium ubi reperti 625, m.
Tacitus, Aureliani ſucceſſor, mox interemptus 197, f.
Tageno Decanus Patavienſ. 439, i.
Taleſtris, Amazonum regina, ad Alexandrum M. profecta, ex eo fœtum concipere avet 154, f. Alexandro M. tributum ſolvit, & encænia mittit multa, ib.
de Taliacotis Comes 20, m.
Talurega familiarum 753, i.
Tanard fl. 751, m.
Tancmarus 248, f.
Tancredus 275, i. Apuliæ regnum uſurpat 432, m. Rogerii F. illegitimus 443, m.
Tanquarderode 448, f.
Tapſus 72, m.
Tarditas linguæ undenam Moyſi 90, f. populos Thuſciæ armis frequentibus ſubegit 136, m. expellitur ex urbe 144, i. occiſo ſocero regnum obtinet 136, m.
Tarentinus principatus Ottoni obtigit 478, m.
Tarviſienſis Epiſcopus Alberto 733, i.
Taso 219, m.
Taunaſis 109, m. Veſoſin in Ægyptum fugat, & indidem revertens Aſiam ſubjugat pene totam, ib.
Tauri pro numinibus per gentes culti 78, f.
Taurus mons 65, i. 164, m.
Tautanes 114, f.
Taxandria, Viſetum 375, f.
Telamon 105, i.
Telchines, patria pulſi, Rhodum occupant 87, f.
Telegonus 111, f.
Telemachus, ib.
Telephus Achillem, Ajacem, Diomedem, Ulyxem, in fugam vertit 105, m. bellum contra Græcos gerit, ib.
Telephus Herculis filius falsò putatus, ib.
Teleſphorus, Papa 192, m.
Tellus 78, m. 79, f.
Telonia abjudicantur Epiſcopis per Paſchalem Papam 441, m.
Telonium Andernacenſe Lincium transfertur 409, m.
Telonia Rhenana tollere cogit Albertus Imperator Epiſcopos 395, m.
Tempeſtas conflictum Romanorum cum Hannibale impedit 165, m. Paderbornæ quanta fuerit orta 337, m. 338, m.
Templa per Conſtantinum fundata 203, i.
Templariorum ordo capit 499, m. 383, i. damnatur Concilio Vienneſi 397, f. deletur in Gallia 400, m.
Templum à Salomone conſtructum 121, m.
Templum Apollinis Delphis quando ædificatum 95, m.
Templum Dianæ per Amazones erectum 109, f.
Templum Hieroſolymitanum per M. Craſſum ſpoliatur 170, m. quo ſitum fuerit 132, f. ſub Dario abſolutum 140, f.
Templum in monte Garizim, per fratrem Jaddi quando fuerit ædificatum 151, f. Paderbornenſe dedicatum 175, m. Salomonis 256 m. Sanctæ Sophiæ 220, m. Sancti Pauli Monaſterienſe conflagrat 267, f. Sibyllæ Cumanæ, ubinam adhuc reperiatur 131, m.
Temporis uſus 380, i.
Tempus Hieroſolyma capta 186, m. Coſmodromii Paſſionis Chriſti 188, f. ſine creatura, nullum 63, f. Troia capta 111, i.
Tenebræ denſiſſimæ Ægyptum totam per dies III. opacant 91, f. nox vocata 63, i.
Tenedos 72, i. 107, i.
Tenes 72, i.
Tephoſes 222, m.
Teraſſa, Tetraſſa, Terres caſtrum, dein Monaſterium 674, m.
Terdona capta, everſa 454, m.
Termini terræ primi, à Caino poſiti 73, f.
Terra, dea magna 79, f. deglutit Dathanem & Abironem 95, m. eadem & Ceres & Veſta veterum ethnicorum pleriſq; fuit 81, m. laboris eadem, quæ Samnia 70, m. quando Gigantum plena fuerit 128, f. quomodo diviſa ſit 64, f. Romæ ſe aperit in foro 151, i.
Terræ motus 198, m. 268, i. horrendus 232, m. maximus Conſtantinopoli factus 214, m. univerſalis 221, m. 453, m.
Terror panicus quidam 300, i.
Tertullianiſtæ 228, f.
Teſſera decadita ibid.
Teſtamenti Veteris tranſlatio ex Hebræa in linguam Græcam 102, f.
Teſterbant, comitatus 260, m. Meinvvercus 698, i.

Teſti-

Teſtimonia quædam & gentilium & Judæorum de Chriſti miraculis extare perhibentur 188, m.
Teudelinda 223, i.
Teuteus 115, m.
Teutones quomodo loquantur 159, f. à Neapolitanis ad ſupplicium poſtulati 298, f. à proprio illis idiomate, Teutſchen appellati 69, m. à lacu Lemanno Alemanni dicti ibid.
Teutonicus ordo in Pruſſia, unde ortus 43, f. ſuccenſet Rigenſi Archiepiſcopo, ib. m. Rigam infeſtat 43, m. bellum gerit contra Regem Polon. 14, m.
Thales Mileſius, Philoſophorum Jonicorum auctor 135, f.
Thamar 120, m.
Thamus, regis Æthiopiæ filia Moyſi civitatem ſuam prodit, ut ipſe eam in conjugem poſtea ducat 91, i.
Thamus, rex Scytharum I. 82, i.
Than, civitas Ægypti 74, f.
Thancmarus, Abbas Corbej. 755, m. filius Henrici 643, f. occiſus 645, i. 686, m.
Thanemarus & Luidolfus Ottonis filii 635, m.
Thares, cum liberis & cognatis, è Chaldæa egreditur 82, i. 84, i.
Tharſis, filius Javanis 77, m.
Theba, à Cadmo conſtructa, in loco illo, ubi bovem repererat quieſcentem 68, m. Ægyptiaca 86, i. per Alexandrum M. verſa 152, i. 158, m.
Thebæi regno præſunt Ægyptio 82, m. & f.
Thebes 103, m.
Thedbaldus 247, f.
Themee 73, f.
Thenenſes capti 406, m.
Theobaldus, Barrenſis Comes 390, m. Epiſc. Leodienſ. perimitur 398, i.
Theodebertus Bajoariorum Dux 233, i.
Theodectes, Tragœdiarum ſcriptor, cur oculis captus fuerit, & quo modo viſum receperit 162, f.
Theodo, Bojorum dux 239, m.
Theodomer 217, f.
Theodoricus Amalus 795, m.
Theodoricus, Clivenſis Comes 534, m. II. Epiſc. Mindenſ. 560, i. Regalia impetravit ab Henrico II Imp. 560, i. III. Epiſc. Mindenſ. in acie occiſus 557, m. 567, f. Flandrenſis Princeps 413, m. à Furſtenberg Epiſcop. Paderborn. 369, m. VI. Comes Honſteinius 546, f. de Horne Epiſcop. Oſnabrugenſ. 488, f. de Katelenborg Comes obit 452, f. Kigge de Recklinghauſen 392, i. Marcanus Comes 488, i. captus ib. m.
Theodoricus Ottonis I. juſſu ſtrangulatus 645, m. Raimundus de Baucio 368, m.
Theodoricus Volerſpeit dictus 390, i.
Theodoricus de Niem 316, i. 547, m. Comes Morſenſis 336, i. Comes Morſenſis, archiepiſcopus Colonienſis 39, m. Diœceſin Paderbornenſem occupat 338, f. 369, m. & per Johannem Papam XXIII. confirmatur 337, i. & m. Epiſcopus Paderbornenſis 253, m. 282, i. Gothorum rex cadit in prælio 214, f. 215, i. Lelle 291, i. Papa 231, m.
Theodorici Paſcharis Imperium 473, f. Epiſcopi reliquiæ 562, f.
Theodradus, monachus Corbeienſ. locum monſtrat monaſterii ſtruendi 765, i.
Theodoſiani 229, i.
Theodoſii facinus 210, m.
Theodoſius Imperator 214, i. per Ambroſium reprehenſus pœnitentiam agit 211, i. quando mortuus 214, f. III. Imperator 233, m.
Theodotion 191, f.
Theodolphus 242, i.
Theomari Comitatus 744, m.
Theophania Græca, Imperatoris filio Ottoni nubit 251, m. 701, f. 702, i.
Theophili epiſcopi plures fuere 211, f.
Theophilus, eccleſiæ Alexandrinæ epiſcopus, Origenis æmulus 194, m. quidam licet diabolo homagium feciſſet, ſalvatus tamen eſt ope Mariæ 225, m.
Thetbaldus, frater Comitis Barrenſis, fit Epiſcopus Leodienſis 395, f.
Thetwief Sancta Benedictini Ordinis 559, m.
Theopompus 162, m.
Thermæ Diocletiani, Romæ factæ 198, m.
Thermodoon fl. 110, i.
Therſa 124, i.
Therſander 105, m. 112, m.
Theſauri domus dei per Seſacum, in Ægyptum aſportati 123, m.
Theſaurus, lingua Perſarum, gaza dicitur 77, i.
Theſſalia 68, m.
Theſſalonica, ib. 104, f.
Thiadagus monachus Corbej. medicus 760, i.
Thiadelmus, Rector Scholæ Bremenſ. 624, m.
Thiadericus, Francorum Rex 530, f. Saxoniæ præfectus 654, i. irritatur ad bellum à Thuringis 631, m.
Thiatmarus callidus 636, m.
Thiederesdorp in Magdeb. diœceſ. 741, m.
Thiatarius Ottoni I. fidelis 740, m.
Thiethardus Epiſcop. 741, m.
Thietmari Comitat. 741, m.
Thietmarus Abbas Corbej. 756, m.
Thidericus, comes de Aldenburg 248, m. filius Hugonis, Francorum orientalium regis, naturalis 159, i.
Thoas, Minervæ ſacerdos, auro corruptus Trojam prodit 111, i. rex à Trojanis captus 107, f. rex, Caſſibalum occidit, ib. m.
Thodeſlo, caſtrum fundatum 513, m.
Thodenhuſen villa 564, i.
Thola 104, f.
Tholomai 120, m.
Thomas de Aquino, quando natus fuerit 280, i. obiit & canonizatus 514, 566, m. Cantuarienſis occiſus 520, m. 507, m. de ſancto Severino 202, f. 481, m. Walleis, monachus, Papæ contradicit 290, f.
Thomyris 142, m.
Thraces 77, m. per Alexandrum M. victi 152, i.
Thracia 68, i.
Thraſugo Obotritorum rex 690, m.
Throtman, urbs Dortmund, 646, m.
Thulemarius (Henr. Gunth.) 466, ib.
Thuringia 67, i. ab Indulgentiarum præconibus afflicta 8, i.
Thuringia, Comes Henricus, otii impatiens 507, m.
Thuſcia 69, m.
Thyle 71, m. & Thule inſula 788, f. 789, i.
Thyneus 116, f.
Thyra, cogn. Danebode, Angliæ R. filia 524, i.
Tiberias 178, f.
Tiberis, glacie duratus 161, f.
Tiberius imperator 177, f. 178, i. & m.
Ticinum 69, i. 478, i.
Tidericus Comes de Werben 529, m.
Tidericus de Adenoiis 532, m.
Tidericus à Lammwenden 522, m.
Tiderici Comitis Aldenburgenſis familia 681, f.
Tietmarus Epiſcop. Hildeſ. moritur 451, m.
Tiglathus Philaſſar, civitates in Galilæa multas capit, & terram Nephthalim ſubigit univerſam 129, f.

Digitized by Google

130, f. in Samariam irrumpit, ib. m. vaſtat Damaſcum, ib.
Tigris 65, i. & Euphrates, è paradiſo egreſſi, abſorbentur à terra, & ſub Caucaſo, monte rurſus oriuntur, ibid.
Tile 67, m.
Tilo, Epiſc. Hildeſienſ. 452, m.
Timæus, Platonis dialogus 148, f.
Timothei Apoſtolici viri, reliquiæ 563, i.
Titanes 74, f.
Titus Latinus, ruſticus Romanus 78, i. Livius, ſcriptor Tragicus, quando floruerit 167, i. Veſpaſiani filius 180, i. Veſpaſianus filium cum exercitu Hieroſolymam mittit 182, f. Hieroſolyma capta exhibet ſpectacula 186, m. increpat Romanos 184, f. Judæis fortiter reſiſtit 183, i. moritur 187, f. quamdiu regnarit, ib. m. quid poſt captam Hieroſolymam Romæ geſſerit, ib. victor Judæorum Romæ magnificè excipitur, 186, f.
Tobias 129, f.
Todinus, avis 802, m.
Tolenzi & Rediarii, iidem 683, i.
Tongrum opp. 400, m.
Tormentorum genera 144, i.
Tonoſconcoleros 127, f. rex Aſſyriorum poſtremus 130, i.
Topicum in hiſtoria negligendum non eſt 64, i.
Tornamentum ap. Nußiam 338, m.
Totila 221, i. per Narſen occiſus, ib. Romam capit, ib.
Traditio Hebræorum 94, m.
Tragœdi 136, f.
Trajanus 190, m. & f.
Trajectum 226, f. Moſæ obſidetur 401, f.
Tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum 93, i.
Tranſylvani, origine Saxones 246, i. Getarum & Dacorum reliquiæ 357, f.
Traſamundus 219, m.
Traſco Obotritorum R. 690, m.
Travemundana turris exſtructa 508, i.
Thrazigeri (Adami) Chronicon MS. 417, m.
Tremonia 249, i. 646, i. Imperialis 411, m. olim Comitibus ſubjecta 418, i. donata Friderico à Sarwerden Archiepiſcopo Colon. 546, m.
Tremonienſes ingerunt ſe bello Comitum Marcani & Arensbergi 405, m.
Treuga inter Trajanos & Græcos in menſes II. firmata 107, m. inde quod induciæ 787, f.
Treſis 802, m.
Treviris impugnata ab Henr. Leone 394, f.
Trevirenſis Archiepiſcopatus antiquiſſimus 642, f. à D. Petro fundatus, ib.
Tribuni plebis inſtituti 144, m.
Tribus Aaronia, ſacerdotio fungendo ſacra 95, f. Benjaminia, per cæteras bello impetita, expugnata 101, m. XII. Iſraelitica, è XII. Jacobi liberis orta 87, i.
Tributum Hungaris denegatum 247, m.
Trinacria 72, m.
Tripodes 96, m.
Tripolis 71, i.
Trite, Flegelers 368, m.
Tritheita 229, i.
Triumphus Auguſti 174, i. à patre & filio Veſpaſianis, actus 186, f.
Triumviri Hieroſolymitani 182, f.
Troja 66, m. per Antenorem & Æneam, conſiliarios Priami, Græcis prodita 110, m. per quem condita 101, i. quando capta 111 m. 115, i.
Trojæ mœnia partim ferreis inſtrumentis, partim igne dejecta 111, i.
Trojani captis armis, Græcos à litore arcere niſi 107, i. Græcis prævalentes, ignes in naves eorum injiciunt, tentoriaq; deſpoliant, ibid. Græcus bello petunt 105, i. qui è cæde ſuperſunt, fugiunt, ib.
Troilus 106, m.
Tros 101, i. regnat apud Dardaniam, ib. Trojam condit, ib.
Trous, ibid.
Truchſeſſen, dapiferi 457, m.
S. Trudo 400, i. 401, i.
S. Trudonis villa 404, m. f.
Trumpſite, in diœceſ. Magdeburg. 741, m.
Truſare, treuſſlen, treuſter 52, m.
Trypho 168, f.
Tubal 77, m.
Tubalcain, artis ferrariæ inventor 74, i.
Tudertum 217, i.
Tudus, Tudeculus 802, m.
Tugumir, Slavorum Dominus 647, m.
Tullus Hoſtilius, fulminis incendio, cum domo ſua exuſtus 135, i. quando regnare cœperit apud Roman. ib.
Tumultus, contra Papam Urbanum, exortus 301, f. in urbe Benevento, motus 306, i. inter Barenſes & Januenſes exortus 307, m. Papia factus, ib. Romæ propter Innocentium VII. concitus 324, i. Romanorum, adverſus Papam ſuſceptus 296, f.
Tunica Chriſti 224, i.
Tuor, pro viſu 803, m.
Turci, à Tartaris victi 281, f. caſi 174, f. per Boſnam, Dalmatiam Slavoniam Alemanniæ appropinquant 34, f. ſuperant Chriſtianos, ib. 30. mill. captivos abducunt 35, f.
Turcorum monarchia 174, m. potentia aucta in Albania, Græcia, Romania 42, i.
Thuringi unde dicti 159, m.
Turnus, regis Hetruſcorum filius, ob Laviniam ipſi deſponſatam, Æneæ vero datam, Latino & Æneæ bellum inducit 115, i.
Turpitudo Liberi ſacrorum 78, m.
Turris Babylonica, quam alta fuerit 76, m. Babylonica temporibus Phaleci ædificata, ib. Wartburgenſis, fulmine cœleſti tacta, conflagrata 338, f.
Turres ſuper muris Hieroſolymitanis 183, m.
Tuſculum 144, m.
Tyberinus Sylvius, quotus Aſſyriorum rex, & quamdiu fuerit 126, i.
Tiburi 70, m.
Tutor Manburnus dictus 424, i.
Tutela, Manburnia & Mundiburnium, ib.
Twelven, campus 522, m.
Tyras, filius Japheti 68, i. filius Japheti VII. ib. 77, m.
Tyrimis rex Macedonum III. 129, i.
Tyrrhenus, Lydi, Lydiæ regis, frater 66, m.
Tyrus, per Alexandrum M. labore maximo capta 152, i. urbs, à Phœnicib. in Phœnicia, condita 65, f.

V.

Valedorp. Valdorff 741, m. 750, m.
Valens, Imperator 208, i. 209, f.
Valentiniani 228, m.
Valentinianus Imper. 208, i. 158, m. 210, i.
Valerianus 197, i.
Valkenberg arx 407, m. 548, m. Dominus ejus Theodoricus occiditur Coloniæ 390, f. 419, f.
Valkenſtein Dynaſtia 794, m.
Vallersleben 683, i. Eccleſia ibidem 554, m. 556, m. Epiſcopatus 683, m.
Vallis Mariæ Monaſter. prope Helmſtad 441, f.
Vallis Beneventana 70, m. Hennonia 129, m.

Vaphres, Ægypti rex 136, f.
Vares, varii, varium, quid 51, f.
Variabarba cognomen Arnoldi Theodorici filii 440, f.
Varme caſtrum 239, m.
Varro 78, m. *Romanorum doctiſſimus* 80, m. 143, m.
Vas, juſſu Dei, per Aaronem manna impletum 93, m. *per genium domini, Eliæ affertur aquæ plenum* 125, i.
Vaſa, è quibus Salomon potaret, aurea fuerunt omnia 121, f.
Vaſa Samia 72, m.
Vaſthi 149, m.
Vaticinium Athanaſii, de Interitu Juliani, 207, m. *Cenezis obſcuriſſimum* 100, m. *de Chriſto venturo* 97, m. *de Conſtantino Copronymo* 233, m. *de regimine Papæ* 283, m. *Gobelini de Eccleſia Romana* 137, i. *Jeremiæ, Ægyptiis factum* 137, f. *Sibyllæ de Chriſto* 133, f.
Ucrana Marchia incolæ Sclavi 699, i.
Ucra, lacus & flumen 699, i.
Uchri à Gerone devicti 655, f.
Udalricus Epiſcop. Mindenſ. 561, m.
Udo Alemannus 688, m. *Epiſcop. Hildeſ.* 452, m. *Comes Frankenlev. occiſus* 453, m. *Marchio obiit* 452, f. *Saxoniæ Marchio obiit* 452, m. *Sueviæ Dux* 688, m. *alias Odo, à Witichindo deſcendere putatur* 679, i.
Vectigalia inconſueta Conſtitutione prohibentur 407, i.
Vejentum 150, i.
Vele nemus 395, m.
Veltheim 750, m. *Eccleſia ibi fundata* 558, m.
Vellus aureum 103, f.
Veneris portus 14, i.
Veneti, manu armata, corpus S. Marci, Alexandriâ Venetias transferunt 217, f. *pacem ab Imperatore petunt* 270, m. *quaſi venientes Heneti* 69, i. *unde nam orti* 68, f.
Venetia, ib. *quando condi cœpta* 69, i.
Venetiis Concilium celebratum 455, m.
Venti, in montis Olympi cacumine nulli 68, f.
Venus 78, f. 81, m. *è Saturno genita* 80, f. *ob pulchritudinem in cœlum tranſlata*, ib. *planetarum quintus*, ib. *populis aliis Ceres, aliis Veſta, aliis alia*, ibid. *unde dicta*, ib.
Verba Dei, Et erunt dies eorum anni CXX, quomodo ſecundum Auguſtinum accipienda 74, f. *&c. Evangelii Johannis initialia, apud Platonem inveniuntur* 149, i. *ſæpe plus poſſe videntur quam corpora* 96, i.
Vercerius (Conradus) deſcripſit Henrici VII. Imp. vitam 421, i.
Verden 238, i.
Verdenſis Epiſcopatus 555, m.
Veredarii qui 789, f. 790, i.
Veredus, ταχύδρομος, equus 790, i.
Veritas in occulto jacet, prout in puteo fundum nullum habente 143, i.
Vernæ Abrahami circumciduntur omnes 85, m.
de Verneborg (Henricus) 369, i. *Archiepiſc. Colon.* 396, f. *obiit* 401, m.
Vernde 314, m.
Verona 69, i. *è manibus tyranni liberata* 289, i. *per Attilam capta* 215, m. 795, m. *Imperatori rebellis* 455, i.
Verſus, de Sibylla Cumana, ex Ovidii vetula ſuppoſititia, aliquam multi, non ſatis boni 132, m.
Viſoſis 109, m.
Veſpaſianus, imperator deſignatus 182, m. *in Judæam amandatus,* 180, i. *quo morbo, & quando mortuus* 187, m. *ſtando mortuus*, ib.
Veſta 79, f. 78, m. 81, f.
Veteris Campi Abbatia 529, m. *Catalogus Abbatum* 413, m.
Vetezobra 85, i.
Ulſenborg, caſtrum 558, i.
Via Latina 165, m.
Victimæ Alexandri M. placant ei deos ejus 155, f.
Victor, Papa Rom. 192, f. 265, f. 454. *obiit* 455, i 451, f.
Victoria per Druſum & Tiberium de Saxonibus obtenta 175, i. *Joſaphati* 124, m. *Longobardorum in Italia* 221, f.
Victoria Saracenorum 227, m.
Victorinus 206, i.
S. Victoris corpus 767, m.
Vido Epiſcopus & Archicancellarius Ottonis 747, f.
Viennenſe Concilium 397, f.
Vigilia Solis 81, f.
Vigilius 225, i. *Epiſcopus* 563, i.
Villanucius 298, f.
Vincentius prædicator celebris 40, m.
Vindicta Sacrilegii 258, f.
Virdinenſis Epiſcopus, Ungfridus 733, i.
Virga Aaronis germinans 95, f. *ex Iſraele conſurrectura* 97, m.
Virgæ XII. tribus Iſraeliticas totidem, repræſentantes 95, f.
Virgilius moritur 174, f. *naſcitur* 170, i.
Virgines ſolæ cur Veſtæ ſervierint 81, f. *undecies M. quando, & ubi martyrium paſſæ* 214, f. 352, m.
Virginius 147, m.
Virgo ſola nihil gignit 81, m.
Viri XII. per Moyſem, ut terram promiſſam exploratum irent, miſſi 95, i. *fortes Davidis III, caſtra Philiſtinorum perrumpentes, afferunt ei aquam de ciſterna Bethlehemitica deſideratam* 120, i. *in domibus ſuis domini eſſe per Artaxerxem juſſi* 149, f. *DCCC per Davidem impetu uno peremti* 120, i. *Romani per uxores, intoxicato potu ſublati* 151, f.
Virtus Romanorum plus per Samnites, quàm gentes alias fracta 160, m.
Viruchne 528, m.
Viſbeke 517, i. *monaſt. fundat.* 561, m. *Abbatiola* 755, m.
Viſetum 375, f.
Viſio Baſilio oblata 207, m. *Mariæ, ſorori Moyſis, ſuper fratre eodem oblata* 90, m. *Nabuchodonoſoris* 137, m. *ominoſa, Gobelino manifeſtata* 313, i.
Viſio, quæ mendico cuidam, ſub ſpecie Mariæ apparuit 257, f. *regi Balthaſari perniciem denuncians* 140, i. *ſanctæ Brigittæ* 292, m.
Viſiones Petro Aragonio oblatæ, ib.
Viſus auditu certior 805, m.
Vita Brachmanorum 155, f. *&c. Chriſti, breviter tacta* 188, m. *&c.*
Vita Ezechiæ annorum XV. ſpacio prolongata 134, m.
Vitarum provincia & gens 215, f. 355, m.
Vitæ patrum 213, m.
Vitalianus 231, m.
Vitebullen-Strate *Mindæ* 564, f.
Viterbium 69, m.
Vitinckovii, Dynaſtæ 411, i.
Vitis, à Dionyſio inventa 95, m. *è genitalibus filiæ Aſtragis orta, Aſiam complet univerſam* 139, i. *per Noëum reperta* 76, i.
S. Viti pueri, Martyris corpus, ejusq; miracula 768, m. 767, m 763, f. 557, i. 651, m. 682, m.
S. Vitus, Rugianorum idolum 758, f.
Vitus Saxoniam Martyr peragrat 682, m. 638, f.
Vitoldus 330, f.
Vitrum quando inventum 178, m.
Vituli aurei, per Jehu quoque ipſius culti 127, i. *II. per Jeroboamum*

Digitized by Google

mum ad Idololatriam exercendam, facti 122, f.
Ulenborg caſtrum, captum 572.
Vlta & Varenholt caſtra 568, f.
Vlote monaſterium 514, m.
Ulricus, epiſcopus Auguſtanus 247, i. Epiſc. Halberſt. 471, m. Ep. Hildesh. miles acerrimus 431, m.
Ultio divina Simoniacis immiſſa 245, i.
Ultrajectum obſeſſum 403, f.
Ulyxes, à Telepho in fugam conjectus 105, m.
Ulyxes Achajæ rex 106, f. Circen impregnat, 111, f. Idomeno fortunam ſuam omnem exponit 109, f. in Cretam venit 111, f.
Ulyxes per filium è Circe Telegonum, non volentem perimitur jaculando 111, f. per pyratas omnibus, quæ habet exuitur, ib. ſalvus ad Penelopen ſuam, ib. Scacchorum ludum invenit 106, i.
Unctum, pro ſumtuoſo, lauto 789, m.
Ungari meliorem partem Europæ vaſtant 663, i. Francorum & Saxonum hoſtes 644, i. Saxoniam invadunt 686, caſi ad Thrimmining 645, f. Saxoniam vaſtant 588, m. cæduntur, ib. f. 559, i. Lechum tranſeunt 656, m.
Ungaris Saxones tributarii 558, m.
Ungfridus Virdinenſis Epiſc. 733, i.
Unio eccleſiæ Paderbornenſis, cum Halberſtadenſi, & Hildeſienſi 330, i.
Univerſitas Neapolitana confirmata 280, i.
Unna, olim villa, dein urbs 392, i. 419, m.
Unnesburg 732, m.
Unno Archiep. Hamburg. 739, i.
Unundiſcumburg 741, m.
Unſtrothus 159, m. 668, f.
Unvvanus, epiſcopus Paderbornenſis 253, f.
Voeccem locus juxta Leodium 401, m.
Vocabula, Deo humani quid attribuentia transſumptivè capienda 72, f.
Vogt unde vox 443, m.
Vogtsdalem 444, i.
Volkmarus Comes Clettenberg 536, f.
de Volkmerode (Balduinus) 532, m.
Volcvvard Immodi F. 681, f.
Volmerſtein caſtrum 393, i. Dynaſtia 421, i. Henricus de Volmerſtein 421, m.
Volquinus Epiſcopus, Comes Svvalenb. 566, m. Teutonicorum militum magiſter 588, f.
Volradus Dreilebius 522, m.
Voltſem 532, m.
Voluptas corporis Epicuro ſummum bonum 143, m.
Voluſianus I. R. 196, f.
à Vorburg (Joh. Phil.) elogium 353, m.
Vorde caſtrum 509, m.
Votum Godehardi, propter mortem Meinvverci 260, f.
Votum idololatricum 250, i. Jephthei 114, m.
Votum Papæ Johannis XXIII, 339, m.
Ur 84, i. quibusdam civitatis Chaldaicæ nomen eſt, ib.
Urbaſt. 751, m.
Urbanus VI. Papa electus 478, f. ejus inſolentia, ib. bunno fecit Joannam ut regno privet 479, m. Turbanus dictus 483, i. 366, f. ejus mors 519, m. 547, i. 452, f. Epitaphium ejus 368, m.
Urbanus IV Papa regnum Siciliæ dedit Carolo 390, f.
Urbani Papæ Clientes ſtudent eum obſidione liberare 305, m.
Urbanus Papa, adhærentes Clementi antipapa beneficiis privat 296, f. annum Jubilæum de anno L. ad XXXIII. deducit 311, i. Antipapam excommunicat 296, f. Beneventum proficiſcitur 306, m. Cardinales apoſtatas excommunicat 310, i. conſilii & ſolatii expers 299, f. contra Carolum de Duratio fulminat 307, f. cum ſuis intrat naves, ib. defenditur, ut Gobelino videtur, divinitus 296, m. deſeritur à ſuis 303, f. Gravamina regni Siciliæ levare conatur 300, m. hæret Luceriæ, ib. i. in periculo conſtantis eſt animi 303, f. Luca Peruſium ſe transfert 311, i. Lucam ſe confert, ib. magnanimus 296, f. mandat in feſto corporis Chriſti interdictum ſuſpendi 311, m. mulctat Beneventanos, & urbi præfectum imponit 306, f. obſidetur 301, f. rebus ſuis prævidet, ib. Romam ingreditur 311, i. rebus Caroli de Duratio ſtudet 308, i. tandem liberatus, cum rege Neapolim pergit 299, f. veneno fruſtra tentatus 296, m. I. Papa Rom. 292, m. VI. Papa Rom. 293, m. 312, m. VI. ſecundò ſepultus honorificentius, quam prius, ib. III. Papa Rom. 230, f.
Urbes à Caino cur conditæ & habitatæ 73, f. ab Imperatore Henrico conſtructæ 248, m.
Urbinum 70, i.
Urias 120, m.
Vrondenberg 393, m.
Vroſa opp. 554, m. 556, m. 742, m.
Urſæ, pro nominibus habitæ 78, f.
Urſinus & Urſus quale nomen 412, f.
Urſinus pontificatu excidens epiſcopus fit Neapolitanus 213, i.
Urſini, an Saxoniæ principum majores 412, m. venerunt in Germaniam 381, m.
Urſinorum genere orti Comites Marcani 402, i.
Urſula fabula 352, m.
Urticæ folia inſigne Schauenburgenſe 531, m.
Uſuraria iniquitas Romæ 8, f 9, i.
Uſus, literarum Græcarum, per Phœnices primum repertus 74, m. literarum memoriæ cauſa inventus, ib. molarum quando excogitatus 76, i. mulorum per quem primus repertus 68, m. ignis mundi dictus fuit à gentilibus 78, m. 80, i. curruum vehendis hominibus inventus 99, m.
Utenſilia combuſta ad focum alendum 516, m.
Uthin & Gamale donata 504, m.
Uterſen monaſterium 512, m.
Utinenſis pagus 500, f.
Vulcanus Erichthonii pater 99, i.
Vulnerans ſe ipſum lethaliter, carnifex ſui eſt 181, m.
Vulzi Henrico Aucupi tributarii 639, f.
Uxor Aſdrubalis ſe flammis ipſa injecit, & exuſtit 167, i. Darii capta 153, f. Ebelis Levitæ per ſtuprum confecta 101, m. Lothi in Statuam Salis converſa 85, f. Moyſis Æthiopiſſa 95, m. Scipionis de morte ejus ſuſpecta 167, f. Lotharii à Papa coronata 383, m.
Uxores Davidis, ex quo per filium ejus ſtupratæ ſunt, viduæ manent Davide vivente 120, m. per Artaxerxen viris ſubditæ jubentur eſſe 149, f. reginæ Salomoni ſunt DCC. 122, i.

W.

WAel, defluxus Rhein unus 67, m.
Wagirenſis provincia 503, i. Slavorum marca, ib. aliegenis repletur 500, m.
Wagiri, Obotriti, &c. 498, m. Chriſtianam fidem recipiunt 504, f.
Wabbareſdal 748, m.
Wahl Abbas Corbeienſ. 756, m. deponitur 760, m.
Wala Adalhardi frater Abbas Corbej. 765, m.
Walahuſen 740, m. 744, m.
Walbeccenſis Dynaſta Lotharius 683, m.

683, m. Comes 666, i. 521, f. fundator Collegii illius 683, m.
Walbertus Wedekindi nepot 554. m. 555, m.
Waldecca Com. Otto I. 797, m.
Waldemarus occiditur 454, m.
Waldenberg 273, m. *caſtrum redimitur ab Archiep. Colon.* 395, i. 393, f.
Waldſaßen, cœnobii Eremitarum 421, i. *Abbas Daniel* 532, i.
Waleme caſtrum 404, m.
Walfridus quidam 144, m.
Walkenrede 434, f. 448, i. *monaſterio donata ſpina de Corona Chriſti* 471, i.
Walle, locus 739, m.
Wallia 213, f.
Wallislevi, Wallersleben 639, f.
Walo 257, m.
Walramus de Borne 407, m.
Walramus Juliacenſ. Com. 394, i. *Leodienſ. præpoſitus, fit Archiep. Colonienſ.* 401, m. *Baccalaureus & Licentiatus* 423. *obit* 404, f.
Walramus f. Walrabus Limburgenſis princeps 413, m. *D. Limborg.* 391, m.
Walfroda cœnobium 567, m.
Wandali Gallias vaſtant 211, f. *Romam captam deſpoliant* 216, m *cum Henetis non confundendi* 413, i.
Wandalitios invadit Henricus III, 382, f.
Wandradus Lubbeke 559, m.
Wanzleve Dynaſtia Saxon. 794, m 732, m.
Warena prope combuſta 400, f.
War *vadum Viſurgis* 512, m.
Warinus Abbas Corbej. primus 651, m. 755, m. 759. 766, f. 767, i. *Comes Tecklenburg.* 694, m. 651, m.
Warbergius Baro Antonius 445, f.
Warbergiorum genealogia 541, m.
Warberga obiit Georg. Limmerenſium Comitum ultimus 445, f.
de Waremia (Caſtellanus) 399, i.
Waſenberg 276, i.
Waſſenbergenſe monaſterium 414, m.
Wafferdal 745, m.
Wataneſuneg 741, m.
Weccheim 506, i.
Wedegenſtein 570, m.
Wedegonis mons 564, m. 559, m.
Wedel *domum ſignificat* 527, m.
Wedekindi Angarorum &c. Regis donaria Eccleſiæ Mindenſ. data 561, i.
Wedekindus de Hoja Epiſc. Mindenſ. 565, m. *ejus hiſtoria*, ib.
Wedekindus de Schwalenberg 508, m.
Welbuchi 741, m.
Welpe, Welpia, Comitatus Saxon. 445, m.
Welpia Comitiſſa Eliſabeth 540, f. *Comes Bernhardus* 564, m.
Welpho Suevus Dunat. recipit 452, i.
Wendroviæ & Franciæ Comites 674, f.
Welpesholt 267, m. *prælium ibi commiſſum* 453, i.
Welsborg 329, m.
Wenceſlaus, Bohemiæ rex captus cuſtodiæ mandatur 289, i. *filius Karoli IV.* 286, m. 285, m. *captus* 286, f. *ignavus* 287, f. *IV inglorius* 286, f. *Aquisgranenſis Rex Rom.* 519, m. *deponitur* 520, m.
Wenceslaus Imperator IV. tyrannum agit 286, f.
Wenceslai Imperatoris ignavia 287, f.
Wenceslaus obtruncatus à Boleslaf 686, i.
Wenceslaus D. Brunſuic. interemtus, ſepultus 346, f.
Wenden *pagus* 444, i. Wendeſte/Wendezelle/Wendhuſen/Wendebüttel *&c.* ib.
Wendenorum familia 443, f.
Wendlinga 759, m.
Werben, urbs 529, m.
Werberge Dyn. Sax. 794, m.
de Werberge Barones 540, f. 541, i.
de Werberge Epiſcop. Mindenſ. 566, m.
de Werbende Comes 507, m.
Werceburg obſeſſum 452, m. *ſolennis Friderici curia* 505, m.
Werda, Werdena & Werthina 421, f. *monaſterium quando conditum*, ib. 411, m.
Werdenenſis Abbas Henricus, domo Wildenbergius 395, m. 421, f.
Werder *cœnobii fundator Comes de Rhoden* 441, m.
Werdun, caſtrum munit 419, i.
Werema Epiſcopatûs Leodienſ. 404, m.
Werinherus f. Wezelinus Archiep. Magdeb. 523, m.
Werla opp. 359, m. *Weſtfaliæ* 682, m.
Werlaha 740, m. 743, f.
Werla Slavorum caſtrum 454, f.
Werlaon urbs 638, m.
Werle opp. obſidetur 393, i. *Obotritorum* 498, m.
Werlenſis Comes Ericus 691, m.
Wernero idem qui Wezel/*Wiſcelinus & Wezelinus* 523, m.
Wernerus Com. Walbec. F. rapuit Ludgardin. 666, i.
Werner. Epiſc. Mindenſ. conſanguineus Wilhelmi Imperatoris 562, m. *Abbas Corbej.* 756, f. *ex illuſtri familia Gorblingen* 729, i.
Wernigerodenſis Comes Henricus 784, m.
Werra, quid vocabuli 437, i.
Wernerus epiſc. Moguntinus 282, f.
Weſegothi 218, i.
Weſera 67, i. 237, i. *Wiſeraha* fl. 797. *exundat* 545, f. 567, m. 569, m.
Weſes opp. 375, f.
Weſtphali natione primæva Saxones, Phryſiis vicini, ab eisdem Saxones vocantur 159, i.
Weſtphali occidentales nutantes ſeu dubitantes, exponuntur 67, i.
Weſtphali quidam, ſabbatum vocant Satertag 81, f. *Saxonum plerique vocati* 160, m.
Weſtphalia, diſcordas inter ſe ipſa 272, f.
Weſtphalia inter Weſeram Rhenumque fluvios eſt ſita 66, f. *Saxoniæ pars à Weſtphalis habitatoribus ejus, dicta* 67, i. *vaſtatur à Colon. Archiep.* 455, m.
Weſtphalia Comitem ſe vocat Fridericus Arnsburg. 363, m.
Weſtereisberg Eccleſia fundata 558, m.
Weſtergroningen ad Bodam 759, m.
de Weſtenburg (Henr.) eques 421, i.
Weſterſtede 565, m.
Wetinenſis familiæ ſator Witekindus 362, m.
Wettinenſis Comes Ditgremus 676, m.
Wezinloch, villa 748, m.
Wicbertus conſecratur 452, m.
Wichmannus ſenior Billingi frater. 643, f. 644, f. 688, m. *hoſtis publicus declaratus fugit in Galliam* 658, i.
Wigmannus Sclavis contra Ottonem adſiſtit 660, m. *propinquus Ottonis* 661, i. *oppugnatur, & tandem recipitur in gratiam ab Ottone* 659, m. *obit* 661, i.
Wichmannus junior, Saxoniæ præfectus 654, i. 698, i.
Widelo Epiſc. Mindenſ. 561, f.
Wigfridus Archiep. Colon. 685, m.
Wigmodia, ager Bremenſis 444, i.
Wickboldus Abbas Corbej. 757, m. *elogium ejus* 761, f.
Wickboldus de Holte eligitur Archiep. Colon. 394, i. *bellum gerit cum Everh. Marc.* ibid. f. *moritur* 396, i.
Wichbrachtus 263, i.

Digitized by Google

wichmannus 275, i.
wicleffi (Johannis) Articuli 342, i. 47, i.
widebrugge 387, f.
widekindus 243, m. Saxonum R. ſepultus 546, m. Mindenſ. Epiſcop. 569, m. 544, m. 538, m. miles Epiſcopus eligitur 518, m. Monachus Stederburg. 445, i.
widelage arx 784, m.
wido Epiſc Mutinenſ. 733, m. Legatus Papæ & Bibliothecarius 735, m.
widoni Thuringo nubit ſoror Henrici Aucupis ex concubina nata 641, m.
In wigonia agitur de pace 480, m.
wiguleus Hundt 314, i.
wilbrandus 277, m. Comes Saxon. Hallermund. 415, i.
wilbrordus 232, i.
Dn. de wildenberg 388, m.
Joh. de wildeshuſen Epiſc. Boſnenſ. 564, m.
wildeshuſis corpus S. Alexandri 554 m. 555, m.
wildeſeren, ultra Albim locus 513, m.
wilenbergi ſepultus Conradus Franconiæ Comes 675, i.
wilfarius Epiſc. Mindenſ. 557, m.
wilckenburg 226, f.
wilhelmi Epiſcop. Paderborn. Auctoritas 333, f.
wilhelmita 240, m.
wilhelmus Alberti Pinguis F. 469, f.
wilhelmus Baſtardus 262, i.
wilhelmus Batavus Cæſar 538, m.
wilhelmus D. Brunſuic. obit ſine liberis 784 m. Brunſu. oppugnat Ottonem Com, Schouenb. 571, f. Henr. Mirab. F. 470, m.
wilh. de Bodensleven / antea dictus Otto de Nienhus 567, i.
wilh. de Deys ut Epiſc. Argentoratenſ. male adminiſtrat 38, m.
wilh. de Genepe Archiep. Colon. 404, f. Hannoniæ Comes defendit Hollandiam 395, i. Hollandiæ Comes eligitur Imp. 389, i. 419, i. Friſones vincit 390, m. occiditur, ib. Juliacenſis 396, i. occiſus 391, i. 423, i. Mindenſ. Epiſcop. 565, i. Mogunt. Archiep. 702, m. de ejus matre, an Anglicana, ib.
wilhelmus Comes de Monte 286, m. Dux fit 519, m. 391, m. ſepultus 397, i. ſuccedit fratri 394, i. Princeps Paderborn. Epiſc. 38, f. Archiep. Colon. 39, i. illiteratus, ibid.
wilhelmus de ſancto amore 276, m.
de wamelo 291, m. Dux Montenſis humanis exemptus 325, m. Ducis Montenſis filius, in epiſcopum Paderbornenſem electus 318, m.
wilhelmus epiſcopus Paderbornenſis 289, m. auctoritate pollens, ib. & 333, f.
wilhelmus epiſcopus Paderbornenſis bello involutus 331, f. captus 319 f. comites Spegelbergenſes vincit 325, i. per Capitulum Padernornenſe & exauctoratus & epiſcopatu emunctus 337, f. 338, m. præſulatu Paderbornenſi privatus, conjugium contrahit 339, i. vicarios conſtituit 337, f.
wilh. Nangius errat 682, i. Præneſtinus Epiſcopus 398, i. Sabinenſis Cardin. coronat wilh. Imperat. 389, i.
wilinaburg urbs Francorum, ibi ſepultus Conradus 636, f. 677, m.
wilkinus ſive wilhelmus Mindenſ. Epiſc. 570, m.
willa regina capta, & rurſum demiſſa 250, m. obſeſſa 704, i. 730, m.
willarius, vir nobilis 739, i.
willebek fluv. 732, m. 734, m.
willetrudis Pia Giſelberti filia 692, m.
willegiſus Epiſc. Mogunt. obit 450, f.
willibaldus 234, m.
willienhuſen 745, i.
willigiſus 255, i. Cancellarius Ottonis II. 728, m.
wiltharius 261, i.
wilzi, Slavi Lutici 413, i.
de VVincenborg (Herm.) 529, m.
windruſius (Petrus), Abbas Riddageshuſenſ. 443, f.
winedehuſionom arcum 742, m.
winhuſen 519, m.
winfridus 233, m.
winſen 570, m. 546, f.
winthem & Dalem, pagi 433, f.
winuli 217, m.
Herm. Comes de VVinzenberg occiſus 454, i.
Wipertus Groicenſis Comes 786, i.
B. VVippertus 732, m.
Wippo 523, i.
Wisbadun 748, m.
Wiſcelinus, idem qui VVernerus, 523, m.
S. VViſcelinus 498, m.
Wiſcelinus Epiſcopus obit 504, m. 526, m.
Wiſſenburgenſis Abbatia 735, i.
Witechindus Hojenſ. Comes Epiſc. Mindenſ. 534, f. Monaſter. Puellarum fundat 511, f.
Witelo Mindenſ. Epiſc. 499, m.
Witichindus Tiderici F. 681. f.
Witich. Saxo in ſcholâ Corbejenſi docuit 624, m. ejus Scripta, ib. f.
Wittekindus quid ſignificet 625, m.
VVitekindi Regis poſteri 356, m.
VVitiges 220, f.
VVitikindus baptizatur 228, m. Comes de Sualenberg 228, f. monachus Corbejenſis 236, m.
VVitoldus, Lithuanus, fit Chriſtianus 287, i.
VVittelsbachius Archiep. Mogunt. 440, m.
VVitrichesdorp 741, m.
VVizan Obotritorum R. 690, m.
VVizcel Archiep. Magdeb. occiſus 452, m.
VVizenburg Abbatia 753, m.
VVoansdag 81, m.
Wodan, ib. 235, m. deaſter Saxonum 355, f.
VVokena, locus 500, f.
VVoldemarus I. R. Daniæ 524, i. 503, m. capit Lubecum & Hamburgum 508, i.
VVoldemari Marchionis Brandenb. perſonam mentitur ſtellio quidam 543 f.
VVoldenberg caſtrum 379, i. Dynaſtia Saxon. 794, m.
VVolderus Hervordiæ Comes 554, m.
VVolfaldus 233, m.
VVolfenbuttel captum à Philip. Landgr. 574, m. obſeſſum 434, i. 445, m. dirutum, inſtauratum, ib. f.
VVolfenbuttelenſes Dynaſtæ Ecbertus & Guncelinus 529, m. 484, i. 445, m.
VVolfgangus quidam, eccleſiæ cujusdam fundator 257, m.
VVolfsburg unde dictum 445, m.
VVolfskampe 389, m.
VVodenstag 81, m.
VVolmerſtein caſtrum deſtruitur 399, m.
de VVolmunſtein Domini 411, i. 394, m.
VVolverhegge caſtrum 412, i.
VVolveseck munitum 381, m.
VVoretheim 67, m.
VVoringen caſtrum 392.
VVormatia 267, f. Concilium ibi 452, i. Ottoni munera præſtat 654, m.
VVormſted 744, f.
VVornik 420, m.
VVulbrandus Comes Hallermundenſ. Epiſc. Mind. 570, m. ultimus Comitum, ib. cicatricibus inſignis 571, i.
VVunſtorpienſes Comites 445, m. 562, i. 794, m. 514, m.

VVunſtorpienſe cœnob. 557,m.
Medietas VVunſtorpe Epiſcopo Mindenſi acquiſita 565,m.
VVurobthuſen 728, m.
VVurtzeburg 254, m.
VVuturisdesdorp 742,m.

X.

X ante tempora Augusti apud Latinos non erat 74,f. ante tempora Octaviani nota quoq; nondum fuit 158,m. ingrediens in compoſitionem, literam S ſequentem excludit 74, f.
Xanthus 271,m.
Xantum, urbs 646,f. 690,m.
Xenocrates 152, i.
Xerxes 64, m. Ægyptum recuperat 146, m. filius Darii annis XX regnat, ib. Græciam vaſtaturus apparatum bellicum cogit incredibilem, ib. Græciam vaſtavit, & bella multa geſsit, ib idem qui & Baleus 86,m. pontem è navibus compactis effecit, 71,f. prælio navali per Athenienſes devictus, ſuis contemptibilis eſt factus, domumq; reverſus ab Artabano præfecto jugulatus, 146, f.
Xyſtus, Xyſtici gladiatores 685,m.

Y.

Y à Pythagora Samio primum inventum 74, m. per Latinos à Græcis mutuo acceptum, ib.

Z.

Z propter voces, origine Græcas, per Latinos, uſurpari cœpit 74,m.
Zabulon 87, i.
Zacharias regnat in Iſraele 128, i. Baptiſtæ pater, de vice Abia 121, m. Jojadæ filius, per Idololatras Joa principes occiſus 125, f. poſt Roboamum, vel Jeroboamum, patrem regnat 127,f. vates natus in Chaldæa 142,i.
Zagarollum 294,m.
Zegevort caſtrum 307,m.
Zelicum 741, m.
Zermund regis donata ab Ottone Ludolfo F. 744, m. pagus 525, m. 703,m.
Zambri de tribu Simeonis, ad mulierem Madianitidem in conſpectu omnium ingreſſus 97, f. rex Iſraelis 123,f. deſperans ſe ipſe occidit, ib.
Zameis 83,f.
Zaroes 82,f.
Zebul regum Madianiticorum unus 103, i. Iſraelitarum, poſt mortem Cenezis præfectus 100, f.
Zelotypia 259, m.
Zelpha Jacobi ancilla 87,i.
Zeno Imperator, quandiu imperarit 142,f. 147,f. 217,f. Papa Romanus alias Dorius appellatus 254,f.
Zepherinus, Papa R. 198,f.
Zethus, arte Muſica celebratus 74,i.
Zizamus Enochi filius 73,f.
Zizo Comes 384, m. Keferbergiæ familiæ 413,f. quaſi Sighardus, Sittichus 414, i. m.
Zizenſis Epiſcopus, poſt Naumburgenſis dictus 736, m.
Zoroaſtres, dum naſceretur, riſiſſe fertur 83,i. magus, ib.
Zorobabelus, Dario Hyſtaſpi familiaris 145,f. huic tantum confiſus eſt, ut ſub eo templum Hieroſolymitanum reædificare veritus non ſit, ib. Judæorum, è Babylone ſub Cyro Hieroſolymam redeuntium dux 142,i. licentiam templi Hieroſolymis reſtaurandi à Dario impetrat 146,i.
Zoſimus, Papa Romanus 218, m.
Zuentepolch Sclavorum Rex Monarcha 498,m.
Zuineke Suentepolci F. 498,m.
Zuobarum 741,m.

zed by Google

LECTORI S.

DEdimus quidem operam, ut emendatiſſimè prodirent omnia, ſed tamen quædam ſphalmata diligentiam noſtram effugerunt. Ex his igitur minora ipſe humaniter corriges; alia, à nobis animadverſa, ſequenti modo emendabis.

Pag. 14. lin. 5. pro *Neveris* lege *Veneris.* p. 27. l. 32. pro *obſequebantur* l. *obloquebantur* p. 50. l. 47. pro *pulicavit* l. *publicarit.* p. 52. l. 10. pro *Origenes* l. *Origines.* p. 232. l. 7. pro *decendens* l. *decedens.* p. 353. l. 3. pro *l.* 3. leg. *l.* 1. p. 355. l. 11. pro *παρωδίαν* l. *παρωδιῶν.* p. 430. l. 15. pro *Mericam* l. *mare, jam.* p. 476. l. 12. pro *μολυβοβυλα* l. *μολυβδόβυλα.* p. 502. l. 56. pro *nomino* l. *nomine.* p. 508. l. 4. pro W*oldemari* l. W*oldemaro.* p. 515. l. 45. pro Sturmolt l. Sturwolt. p. 537. l. 31. pro *mortuo Gerbardo* l. *cum Gerbardo.* p. 558. l. 55. pro *occiſi* l. *occiſa.* p. 574. l. 21. pro *civitatem* l. *civitatum.* p. 635. l. 30. pro *Thanemarus* l. *Thancmarus.* l. 43. pro *ex* l. *&.* p. 640. l. 7. pro *Otto* l. *orto.* p. 661. l. 12. pro *præfectus* l. *præfectos.* p. 665. l. 38. pro *Saxoniam* l. *Saxonicam.* p. 668. l. 32. pro *conjecturatur* l. *conjecturat.* p. 672. l. 9. pro *Regionem* l. *Reginonem.* p. 678. l. 45. poſt *verum* adde *nomen.* p. 695. l. 10. pro *Rhetum* l. *Rhotum.* p. 733. l. 30. pro *Priſcienſis* l. *Brixienſis.* p. 741. l. 14. pro *At* l. *Ad.* l. 47. pro *verſius* l. *verius.* p. 749. l. 25. pro *plurimi* l. *plurima.* l. 30. pro *infeſtationem* l. *infeſtationum.* p. 750. l. 34. pro *Hadelſleven* l. *Haldeſleve.* p. 778. l. 42. pro *Arcia* l. *Atcia.* p. 797. l. 14. pro *Margareta filia* l. *Margaretæ filiæ.* p. 798. l. 4. pro *puravit* l. *curavit.* lin. 5. pro *cer* l. *per.* l. 17. pro *Lotharia.* l. *Luttera* l. 46. pro *calumniaretur* l. *per calumniam accuſaretur.* p. 801. l. 41. pro *temero* l. *tenero.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google